13
17 1
1

13-17, G, 1.

BIBLIOTHECA MAXIMA
PONTIFICIA

TOMVS PRIMVS.

BIBLIOTHECA MAXIMA
PONTIFICIA
IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, cum Theologicè, tum Canonicè ſcripſerunt, ferè omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCCABERTI

Prælato domeſtico aſſiſtente ſacro Solio ab INNOCENTIO XI. Archiepiſcopo Valentino: olim in eius Vrbis Vniuerſitate Sacræ Theologiæ Primario Profeſſore; Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, poſtmodùm totius Religionis Generali Magiſtro ſemel iterumque Valentini Regni Proregi, & modò Hiſpaniarum Inquiſitore Generali.

CONCINNATA

PER ADM.M REV.M PATREM FR.

VINCENTIVM IVSTINIANVM IANVEN.

Eiuſdem Ordinis, Sacræ Theologiæ Magiſtrum.

SANCTISS.MO IN CHRISTO PATRI

INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA:

TOMVS PRIMVS.

ROMÆ, Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni. M. DC. XCV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Bibliotheca Rom.ª Dom.ᶜ Proſeſſ. Scholar. Piar. dedit [illegible]



SANCTISSIMO
IN CHRISTO PATRI ET VNIVERSALI
ECCLESIÆ PASTORI
INNOCENTIO XII.
FELICITATEM.

QVAMQVAM ii ſolent qui prælo ſcripta committunt, dubia diù cogitatione diſtrahi cui

nam

nam potiſſimum ea ſint inſcribenda id mihi tamen dubitationis genus, nullum fuit, Beatissime Pater; vix enim mens excogitauerat opus, cum illa ſtatim tacita quadam veneratione ſuſpenſa, certò nouit, illud tibi deberi, cumque de authoritate ad Paſtores Populorum translata diuinitùs agendum eſſe penè cognoſceret, non alium ſibi Præſidem, & tanquàm tutelare Numen, quam Te ipſum illa præfulgentem auctoritate, ambitioſè quidem, ſed non iniuria depopoſcit. Ipſa præthereà, quæ ſedulò pertractatur materies, multis quidem inuoluta difficultatum tenebris aliquid ſibi luminis aliundè ſperare non poterat, niſi ex perenni illa Radiorvm copia quam

DIVI-

Divinvs capaciſſimæ Tuæ menti Spiritvs impertitur, vt ex Vaticana Sede, tamquam ex Domicilio Religionis, Eccleſiam longè latèque illuſtres Vniuerſam. Quid quod aduersùs infeſtiſſimos Pontificiæ Dignitatis hoſtes, talis ſcriptionis genere decertatur, nullum poterat armorum genus miniſtrari potentiùs, quàm ea Fvlmina, quæ Tuo à Pectore velut ab Arce veritatis in teterrimam Hereſeos Hydram, multiplici nunquam non errore fęcundam, acerrimè iacularis: Ipſe verò præclarè mecum actum iri putabam, ſi qualecunque opus ad Sanctiſſimos pedes tuos accideret: quodam enim optabilis quaſi ſuperbiæ ſenſu titillabar, quod locus operi huic con-

* tin-

tingeret, cum Conciliis ipſis, cum ſceptris Regum, Coroniſque communis. Acceſſit & qui dedicationem, iure ſibi vendicabat, numerus virtutum tuarum propè infinitus; nihil iam aſſentationi, nihil aulicæ conſuetudini largior, ſi te laudem; id fortaſſe pecco, quod cum modeſtia tua pugnem ſingulari; quis enim non videt quæ ſingulæ commendantur in aliis virtutes; eas in Te vno ſic vniuerſas conſentire, vt nulla ſit in Te parua, niſi quæ in illis eſt maxima? Fortitudinem cum manſuetudine iungis, magnanimitatem cum modeſtia miſces; liberalitatem cum magnificentia copulas, ſeueritatem, facilitate condis, Iuſtitiam, clementia temperas; vt cum virtu-

tum

tum aliæ aliorum ſint æqualis tamen iſta, & conſtans permixtio, tua ſolius eſſe videatur. Idcircò autem æterna rerum moderatrix prouidentia, in iſta Dignitatis Sede celſiſſima, Te communi Principum Chriſtianorum gaudio collocauit, vt animi tui virtutes, tam excelſo atque illuſtri ſitæ loco, notiores cunctis fierent gentibus, quę quidem cum eaſdem reputent (reputant autem ſemper) incertum eſt, plus ne gaudeant, quod tali Principe fruantur, an doleant, quod tam ſerò fruantur. Nimirum ſatis intelligunt multum ſibi melius futurum fuiſſe, ſi cum Imperium naſcendo meruiſti iam tum regnare cępiſſes. Quanta porrò ex Imperio tuo felicitas Orbi,

quantus Vrbi ſplendor, quantum Religioni decus acceſſit! Per te Iuſtitia felici in terras poſtliminio reducta, iam triumphat in foro; vbi nouas diuino planè conſilio leges condidiſti, non ſolùm ne venales Iudicum ſententiæ, eam inclinent in lancem, in qua plus inſit auri, quàm rationis; verùm etiam vt iter ad honores, non cognationis fauor, non fumoſæ maiorum imagines, non opum magnitudo, ſed virtutis eximiæ ſplendor, ſed vtilium copia laborum, ciuibus in futurum aperiat. Per te priſca illa morum integritas, quibus aurea quondam ætas gloriabatur, tuæ tandem Vrbi reſtituitur, vt vel ipſam amare cogamur ſæculi nequitiam, quæ tuo melius corrigenda

erat

erat exemplo. Per te furentia vitiorum agmina, quæ ſecuram à ſupplicio frontem extollebant repreſſa iam languent, ac debilitata; id tamen vnum experta gaudium, quod te ſentiant Vltorem, qui ità punias, vt non odium pœna prouoces, ſed obſequium merearis. Per te Chriſtianæ Religionis Sanctitas confirmatur, diſciplina ſtabilitur, Maieſtas augetur, Authoritas Deo proxima defenditur, vt nullus mortalium dubitare poſſit, quin Petri Apoſtolorum Principis Servandi Claves legato cumulatiſſimè ſatisfacias. Hic verò commemoranda mihi quidem eſſet liberalitas tua, paterna in omnes cum pietate coniuncta, ſed eius præſtantiam virtutis quis ſe vnquam

ſatis

ſatis pro dignitate laudare poſſe confidat? quæ cum in cæteris, donando ſenſim imminuta penè tandem extinguatur, in te largiendo fęcundatur in dies, & ad miraculum vſque reuireſcit: imò quod rariſſimi exempli eſt, non vota ſolùm preuenit optantium, ſed ſpem etiam adimit optandi maiora. Teſtes ſunt homines, ab omni fortuna derelicti quos magnifico exceptos hoſpitio, an potiùs communi miſerorum perfugio, amantiſſimo foues cum ſenſu charitatis, vt facile conſtet, Sanctiſſimum illud Chriſti præceptum Pascendi Oves tuo adeo in animo inſediſſe; vt ſpiritali pabulo temporaneum quoque ſatagas cumulare. Teſtes ſunt omnes ordines, omnes æta-

tes,

tes, omnes ſexus, à petendo verecundia deterriti, in quibus adiuuandis occupatum Te ſemper, nunquam defatigatum Roma ſuſpicit, penè ſollicita ne cum in aliis ditandis toto conatu elabores, pauper ipſe efficiaris, ſi modo pauper effici poſſit vnquam, cui maximum vectigal ſua eſt Parſimonia, & in quo vno virtutum omnium reperitur ærarium. Quamquam verò Imperii Dignitas ab auribus, oculiſque Principis Populum plerumque excludit, tu maximus omnium imperio, omnibus tamen affabilitate æqualem eſſe te cupis. Quo fit, vt nemo te fama cognoſcat, quin videre geſtiat, nemo videat, quin ſibi te nouo prorsùs voto velit eſſe ſuperſtitem.

Sed

Sed quid ego tuas proſequor virtutes? Hoc verè laudatores ipſarum admonebo, eo magnitudinis per ſe ipſas deueniſſe, vt inaudito dicendi artificio ſint imminuendę, ne fides laboret poſteriorum.

Habes iam huiuſce dedicationis cauſas Beatissime Pater. Tuæ nunc humanitatis eſt, vt hoc opus quod religioſa animi pietate, atque obſeruantia tibi confertur, ſerena fronte excipias, ea nimirum, qua Vrbem recreas, atque Orbem illuſtras, quod ſi vt ſpero, contigerit, nihil in ampliſſimo literarum Theatro erit periculi, à critici ſupercilii moroſitate. Ille interim cuius perſonam in terris ſuſtines, rerum omnium præpotens Deus, te præcipuo Chriſtianæ Reipubli-

cæ, Vrbiſque præſidio, atque ornamento diutiſſimè ſeruet incolumem, vt res pergas agere Te dignas, atque ità apud poſteros etiam, Tuo regnes exemplo.

S. V.

Humill. & Obſequentiſs.
Filius & Seruus
Fr. Ioannes Thomas Archiep. Valentin.

LECTORI
BENEVOLO, ET CATHOLICO.

QVID tibi veritatis, & Religionis ſtudioſo, hiſce voluminibus offeratur, quamquam fronte prima pateſieri ſatis appareat, muneris tamen eſſe noſtri, clariùs explanare, non dubitauerim. Eſt igitur opus hoc, quod titulo *Bibliotheca Maxima Pontificia* communi exhibetur commodo, excogitatum, ab Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Domino Don Fratre IOANNE THOMA de ROCCABERTI Archiepiſcopo Valentino, olim totius Ordiuis Prædicatorum Magiſtro Generali, & nouiſſimè Generali Hiſpaniarum Inquiſitore, qui Fidei, & Apoſtolicæ Sedis zelo, continuò flagrans, poſt eruditiſſimas elucubrationes, quibus pietatis, & eruditionis, Chriſtianæ Reipublicæ, omnique literariq Cœtui (à quo par operi laus reddita eſt) ſatis clara dedit monumenta; vt hæc in dies magis magiſque caperent augumentum, hanc diſpoſuit, typis edendam *Bibliothecam*, non molis magnitudine, non auri profuſione deterritus, vt tantum obſequium, tàmque ætatibus noſtris neceſſarium, Principi Apoſtolorum, Succeſſoribuſque eius conſecraret; Etenim dum ipſe Valentinæ Eccleſiæ gubernacula gerit; Summæ in Terris Maieſtatis ſedulus obſeruator, pro authoritate tuenda manu exarat, mente inceſſantèr voluit, quid pro eius validiori firmamento conduceret. Inſpiciebat ſummo animi mærore Heterodoxos, Eccleſiæque Catholicæ hoſtes Scripturationum armis, Sacrum Summi Pontificatus Solium in dies adoriri, & Orthodoxis præbere ſategit armamentarium, omnium defenſionnm inſtrumentis abſolutum, proùt cuiqne propriæ facultatis ſtudio, ſiue Theologicæ, ſiue Canonicæ arrideret occaſio. Turrim exhibendam eſſe putauit, ad impetus hoſtium arcendos munitam, ſapientis ore propoſitam, ex qua Clypei mille circumpendentes emicent congregati, vbi Romani Pontificis Sedes à Deo firmatum in Terris veritatis munimen collocatur, in quam ad bellum ſe parant, licèt perperam, vanoque labore, tranſactæ, noſtræque ætatis (vtinàm, & non futuræ) omnia infidelitatis monſtra Briaræi Enceladi, Typhei. Egeones, vt Cęleſtem arcem adoriantur Romanæ Cathedræ libros addentes libris, & ſuis

Sunt manibus magnum reſcindere Cælum
Aggreſſi, Superiſque Iouem retundere Regnis

Cęlorum tamen inſtar quos verbo Domini firmatos, mutationique non obnoxios recognoſcimus, fulgebit Romana Sedes per æuorum curſum, ſæculorumqne ſeriem; cuius indeficientiam, in fide, veraque Religione, fuſis precibus Omnipotenti Diuinum in humanitate Verbum impetrando ſolidauit, ita enim cum Diuina complicatur fide, coheretque, vt ruere illa non valeat, quin hæc, eodem labefactata motu non concidat; ea tamen eſt hoſtium eius, ſpes audax, vt in dies venenata calami cuſpide aggredi nunquam deſinant, & ne ſingulatim tantùm adoriantur, agmine confeſtim parato, Michael ille Goldaſtius in ſua Satani Monar-

chia parauit aciem; Hinc & nos, Catholicorum ferè omnium Doctorum copias diſponimus, ac in tutamen congregamus, vt dùm hæreticorum voluntas, inter cæcitatis tenebras debacchatur, intellectuſque exterius à Diuina abhorret fidei captiuitate, doctrinarum ſaltem vi, veritatiſque lumine coerceatur.

Eſt igitur huius noſtræ Bibliothecæ Scopus præcipuus, arma congregare, congregata diſponere, diſpoſita exhibere dimicare volentibus, pro Romana Sede tuenda, & hæreticorum continua arroganti dicacitate retundenda; ſe offerent enim, quæ à Viris, Sancta Religione vnà ac eruditione micantibus ſunt hactenùs elaborata; quorum doctrinæ, non de ſomnijs erutæ fuere, ſed ex ſacris Codicibus Scripturarum, non ſophiſmatum verſutijs, ſed omni ſoliditate inconcuſſis argumentis, haud nouorum dogmatum cupidine actis, ſed Euangelicam prorsùs doctrinam redolentibus ſententijs roborantur; à quibus ſiquidem agitur fidei Diuinæ cum Romanæ Cathedræ cauſa, illum etenim, qui pro lapide ſubſtituitur fundamentali, omni tentant conatu hæretici diuellere, aut certè, vt authoritatis robore deſtitutus faciliùs ruere
„ poſſit præſumunt. Hinc Cyprianus lib. 4. Epiſt. 9. Vndè enim ſchiſmata, & hæreſes obortæ
„ ſunt, niſi quod Episcopvs Qvi Vnvs Est, & Eccleſiæ præeſt, quorundam præſumptione con-
„ temnitur, & homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus iudicatur: Ideòque ſicuti ſuſcitauit Deus, omni tempore, omni loco, Euangelicæ veritatis ſtrenuos defenſores, ità & Romanæ Sedis fortiſſimos propugnatores non deeſſe curauit, vt quemadmodum, qui in ea inſidet, ſumma in Terris maieſtate præfulgens, totius Orbis Eccleſiarum eſt Caput, ità ex omni cognita Chriſtiani nominis gente diuinitùs prouiſum, vt in eius tutamen non deeſſent arma ſumentes.

Nos ergo tamquam in aciem paratos, & diſpoſitos inſpicientium oculis offerre curauimus, vt ab eis omnium generum arma depromere quiſque poſſit, quibus Capitis Maieſtatem, authoritatemque valeat preſtò, validèque tutari.

Si verò quis fortè animaduertendum eſſe putauerit, hoc in opere nos tantùm alienos proponere labores; fatemur; ſed & maximam vtilitatem hoc in ipſo nos largiri non dubitamus; ſi qui enim vel obliuione tegantur Codices, vel aliquorum inopia, nomen tantummodò memoriæ plurium, temporis iniuria ſuperſtes ſit; vel eorum quidam publicam nondum lucem aſpexerint, non labori, non ſumptui parcendo, vt in hac Bibliotheca fideliter inſeramus, omni cura, ſtudioque ſategimus: Quibus ſeriò penſatis, opus hoc, purgatis mentis oculis, non inutile, non ſuperfluum, ſed hiſce temporibus, quibus hæreticorum libri in Sanctam Romanam Sedem, quaſi turmatim emergunt per neceſſarium eſſe videbitur; nec putet quiſquam nos, per ambitionis gradum, alienis laboribus, velle ad laudis premium peruenire, ſolam enim publicam inſpicimus vtilitatem Auguſtini conſilium ſecuti, qui lib. 1. Tom. 3. de
„ Trinitate cap. 3. Vtile eſt ait, plures à pluribus fieri libros, diuerſo ſtylo, non diuerſa fide,
„ etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat ad alios ſic, ad alios
„ autem ſic.

Te verò admonitum cupimus; benigne Lector, nos in diſpoſitione operis Alphabeticum ordinem eſſe ſecutos, vt prælationis querelas; & poſtlationis, ſi quæ poſſent inſurgere, vitaremus; nec Chronologiam amplexos eſſe, cum Vita hominis per integrum protracta ſæculum, libros omnes perquirere, quæſitos obtinere, & diſponere, ſcripta Illuſtrium Virorum perſcrutari, ex Bibliothecis, monumentis, ſcrinijs, cuniculis eruere, non ſatis foret; interimque omni laude dignum Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Valentini deſiderium fruſtraneum poſſet euadere. Huic tamen ordini Chronologico cuiuslibet Authoris operi breuem ſubſtituimus enarrationem; qua, & authoris, & temporis, cæteraſque circumſtantias declaramus.

Admonere te inſuper neceſſe putauimus nos Authores omnes, quorum hic elucubrationes inſerimus, in ea relinquere authoritate, qua hactenùs potiri in litterario Orbe conſueuere, & ſi quæ ſunt opiniones antiquatæ, non ideò expungendas, & ad modernorum placita transferendas, ſed adamuſſim fide ſeruata in ſua vetuſtate relinquendas eſſe cenſuimus.

Verùm

Verùm enimuerò, quia non omnibus omnia, nec humana cura, adcò perfectis numeris opus ſuum conficere poteſt, vt ei ſemper aliquid deſiderandum non contingat; ſi qui Codices, qui ad manus noſtras (omni adhibita diligentia) adhuc peruenire non potuerunt, vel eorum ad nos notitia non pertigerit; in additionibus, quas poſt completum opus, meditamur, apponendos relinquimus. Tu verò benignè Lector, ſi quos vel typis datos, vel manu exaratos, quos hic deficere noueris; apud te, vel amicos exiſtentes habueris, enixè rogamus, vt publicæ vtilitatis promouendæ impartiri nobis digneris, neceſſaria ſumptui libenter erogaturis, & pro munere grates exhibituris. Vale.

CEN-

CENSVRA
TOMI PRIMI
BIBLIOTHECÆ MAXIMÆ PONTIFICIÆ.

Comprehendit primus hic Tomus Bibliothecæ Pontificiæ *ſequentes Authores, Abrahamum Bzouium, Abrahamum Ecchellenſem, & Adamum Tannerum, quos omnes de ordine Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Thomæ Mariæ Ferrarij S. P. A. M. perlectos nihil in eis comperi abſonum aut fidei, aut bonis moribus; quapropter iudico eos prælo poſſe permitti. Hac die* 18. *Auguſti* 1695.

Franciſcus Maria Campionus
Congreg. Matris Dei.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Apoſtolici Palatij.

Sperellus Epiſcopus Interamnen. Viceſgerens.

Imprimatur.

Fr. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

AVTHORES

Quorum opera in hoc primo Tomo continentur.

Abraham Bzouius. Pontifex Romanus.

Abraham Ecchellenſis. De Origine Nominis Papæ.

Adamus Tannerus. De Summo Pontifice, & Concilijs.

INDEX CAPITVM

Huius Primi Tomi.

Habetur Dedicatio Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Vniuerſali Eccleſiæ Paſtori INNOCENTIO XII; & Præfatio Lectori Beneuolo, & Catholico.

ABRAHAM BZOVIVS ORDINIS PRÆDICATORVM,

Natione Polonus.

Edidit librum, cui Titulus, Pontifex Romanus, ſeù de Præſtantia, Officio. Auctoritate, Virtutibus, Rebuſque præclare geſtis Romanorum Pontificum Commentarius, pag. 1.

Caput I. Pontifex Romanus Catholicę Eccleſię Monarcha. ibi.

Caput II. Pontifex Romanus [illegible] ex hominibus pro hominibus à Deo aſſumptus. pag. 8

Caput III. Pontifex Romanus omnium mortalium Supremus. 24

Caput IV. Pontifex Romanus Chriſti Vicarius non Antichriſtus. 26

Caput V. Pontifex Romanus Petri Succeſſor primæ Sedis Præſul. 32

Caput VI. Pontifex Romanus Catholicę Eccleſiæ Primas. 41

Caput VII. Pontifex Romanus Concilio, & Cœtui Paſtorum iure Diuino Prælatus. 69

Caput VIII. Pontifex Romanus Conciliorum Auctor. 72

Caput IX. Pontifex Romanus Conciliorum Oecumenicorum Præſes. 75

Caput X. Pontifex Romanus Conciliorum præfinitor. 77

Caput XI. Pontifex Romanus Conciliorum confirmator. 83

Caput XII. Pontifex Romanus Moderator eſt Conciliorum. 92

Caput XIII. Pontifex Romanus Iudex eſt Conciliorum. 95

Caput XIV. Pontifex Romanus nec fallere, nec falli ſciens. 105

Caput XV. Pontifex Romanus à nemine mortalium iudicari poteſt. 123

Caput XVI. A Pontifice Romano nulla prouocatio. 133

Caput XVII. Ad Pontificem Romanum in cauſis fidei prouocatio, ibique ponit Sermonem de fide Domini Papæ Magnæ Romæ, & Domini Eliæ Patriarchæ Orientis digeſtum per [illegible]. 135

Caput XVIII. Pontifex Romanus Apoſtolici depoſiti Seruator, & ibi ponit Catalogum blaſphemiarum Neſtorij, vt in Concilio fuerunt recitatæ, ex ſecunda parte Sanctæ vniuerſalis Synodi Epheſinæ Actione I. S. Cyrilli & Alexandrinæ Synodi epiſtolam Neſtorio, ſententiam Synodi in Neſtorium, Decretum ſextæ Synodi de duabus Chriſti voluntatibus, & diploma vnionis factæ in Concilio Florentino. 174

Caput XIX. Pontifex Romanus à Chriſto, & à Spiritu Sancto traditæ doctrinæ Dictator, cum Epiſtola Fœlicis Papæ Tertij ad Petrum Antiochiæ prima, ſecunda, & tertia, & epiſtola Acacij Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ad Petrum Antiochenum Archiepiſcopum, & Aſclepiadis Epiſcopi Tralliarum ad eumdem, & Iulij Papæ ad Epiſcopos per Ægyptum. pag. 204

Caput XX. Pontifex Romanus, Sacræ Scripturæ cognitor, & cuſtos. 229

Caput XXI. Pontifex Romanus Sacræ Scripturæ interpres. 235

Caput XXII. Pontifex Romanus Iudex controuerſiarum de fide. 243

Caput XXIII. Pontifex Romanus, conditor dogmatum. 249

Caput XXIV. Pontifex Romanus Doctor

ctor orbis, & ibi ponit Rationes, ſeu Præſcriptiones decem, quibus fretus Edmundus Campianus certamen Fidei Catholicæ aduerſarijs obtulit Londini. 253
Caput XXV. Pontifex Romanus Iudex Hæreticorum, & vltor. 287
Caput XXVI. Pontifex Romanus innocens ab hæreſi. 337
Caput XXVII. Pontifex Romanus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, ſcilicet à communione hæreticorum incontaminatus. 351
Caput XXVIII. Romanus Pontifex librorum cenſor. 360
Caput XXIX. Romanus Pontifex Antiſtes Sacrorum. 380
Caput XXX. Romanus Pontifex Clauiger Cœlorum. 387
Caput XXXI. Pontifex Romanus Regni Cœleſtis Ianitor. 398
Caput XXXII. Pontifex Romanus Iudex Cœli in Iudicio terreno Supremus. pag. 403
Caput XXXIII. Pontifex Romanus fons Sacerdotij. 406
Caput XXXIV. Rom anus Pontifex Princeps Paſtorum. 421
Caput XXXV. Romanus Pontifex Legiſlator. 431
Caput XXXVI. Pontifex Romanus Catholicæ Eccleſiæ curator. 435
Caput XXXVII. Pontifex Romanus Iudex Epiſcoporum. 444
Caput XXXVIII. Pontifex Romanus Iudex Supremus, ad quem in cauſis Eccleſiaſticis vltima prouocatio. 4 0
Caput XXXIX. Romanus Pontifex Religionis vertex. 469
Caput XL. Pontifex Romanus Romanæ Eccleſiæ, & Vrbis Antiſtes cum cura ſpirituali, & temporali, à qua Vrbi maxima fœlicitas. 472
Caput XLI. Pontifex Romanus patrimonij Apoſtolici iuſtiſſimo titulo poſſeſſor, atque paterfamilias. 477
Caput XLII. Pontifex Romanus Chriſtianorum Imperij columen. 490
Caput XLIII. Romanus Pontifex Imperij Chriſtianorum ſeruator. 503
Caput XLIV. Pontifex Romanus Vnctor Regum. 508
Caput XLV. Pontifex Romanus, Iudex, & arbiter orbis. 518
Caput XLVI. Pontifex Romanus vindex ſcelerum. 525
Caput XLVII. Pontifex Romanus Eccleſiaſticæ libertatis Aſſertor. 537
Caput XLVIII. Pontifex Romanus orbis Chriſtianorum pacarius. 567
Caput XLIX. Pontifex Romanus Chriſtianorum Defenſor. 569
Caput L. Pontifex Romanus indeficiens. 573

ABRAHAM MARONITA PATRIA ECCHELLENSIS

Montis Libani Diœceſis.

De Origine nominis Papæ, necnon de illius Proprietate in Romano Pontifice, ibi Synopſis, & Præfatio. pag. 1.

Caput I. De ſtatu præſentis Quæſtionis. ibid.
Caput II. Examinatur, & expenditur Seldeni interpretatio linguæ Analogiam, quod attinet, & Grammatices præceptiones. 7
Caput III. Refellitur item Aduerſarij interpretatio, & ſententia ex ipſa Narrationis Eutychianæ ſerie, & orationis connexione. 10
Caput IV. Refellitur eadem Aduerſarij interpretatio, & ſententia ex notione, ſeu ſignificatione ipſius nominis Papa. 11
Caput V. Refellitur rurſus eadem Aduerſarij interpretatio, & ſententia ex praxi, & continuato nomenclationis Papæ vſu, tàm ſub ipſo Alexandro, quam proximè poſt. 12
Caput VI. De varijs opinionibus circa huius Nominis Papa, originem, & notiones. ibid.
Caput VII. Refelluntur ſuperiores opiniones de Nominis Papa notionibus. pag. 14
Caput VIII. Eutychij Patriarchæ Alexandrini, Narratio de origine Nominis Papa, eiuſque notione, & qua occaſione, & quando Alexandrinis Patriarchis omnium primum impoſitum fuit. 15
Caput IX. Eutychij narrationi de origine Nominis Papæ apud Ægyptios, aliorum Scriptorum Alexandrinorum accedunt teſtimonia. ibid.
Caput X. Quænam ſententia de origine, & nominis Papæ notione tamquam probabilior ſtatuenda ſit. 16
Caput XI. In quo inquiritur, à qua lingua deriuatur hoc nomen Papa. 18

Ca-

Caput XII. Nonnullæ difficultates, quæ contra mox laudatam ſententiam, & deriuationem afferri poſſunt. 19
Caput XIII. Nomen Papa, olim commune omnibus Epiſcopis, deinde Romano Pontifici factum proprium, ac ipſi Antonomaſticè tributum Orientalium eſt ſententia. 21
Caput XIV. In quo confirmatus ea nominis Papæ notio, eiuſque proprietas in Romano Pontifice, adeòque de illius primatu ex Canone 44. Concilij Nicæni. 23
Caput XV. Idem aſſeritur primatus Romani Pontificis ex Can. 37. eiuſdem Concilij Nicæni. 25
Caput XVI. Rurſus idem aſſeritur primatus ex Canon. 70. eiuſdem Concilij Nicæni, qui eſt de appellationibus Epiſcoporum ad Romanum Pontificem. 26
Caput XVII. In quo ſtudioſè inquiritur, vtrùm Concilium Nicęnum alios ediderit Canones pręter illos viginti, qui Græcè, & Latinè circumferuntur. 29
Caput XVIII. In quo recenſentur tituli Canonum, Conſtitutionum, & Decretorum Concilij Nicæni, quæ extant nobis ex Orientalium editionibus. 31
Caput XIX. In quo reſpondetur obiectionibus, quæ contra mox recenſita Capite ſuperiori ex Concilio Nicæno opponi poſſunt. 34
Caput XX. In quo diluitur obiectio, quę ex Can. 6. Concilij Nicæni adſtruitur contra Canones 37. & 44. ſuprà à nobis allatos ex Orientalium editionibus, quibus Romani Pontificis mirè aſſentitur primatus. 36
Caput XXI. In quo varię referuntur huius Canonis 6. Nicæni editiones Alexandrina, Melchitarum, Maronitica, Iacobitarum, Neſtoriana, Æthiopica. pag. 39
Caput XXII. De primatu eiuſdem Petri. pag. 40
Caput XXIII. Idem comprobatur D. Petri primatus Orientalium Scriptorum teſtimonijs. 44
Caput XXIV. In quo D. Petrum Romæ fuiſſe, ac ibi Pontificiam exercuiſſe dignitatem ex veſtigijs, & monumentis demonſtratur. 47
Caput XXV. Idem argumentum dę profectione D. Petri Romam probatur teſtimonijs Orientalium. 49
Caput XXVI. In quo iterum Romani Pontificis euincitur primatus alijs Orientalium teſtimonijs. 53
Caput XXVII. Idem Romani Pontificis aſſeritur primatus ex Orientalium Principijs, & notis, quas ad veram requirunt Eccleſiam. 55

ADAMVS TANNERVS SOCIETATIS IESV. Natione Germanus.

Super Summam S. Thomæ tom. 3. *diſput.* 1. *quæſt.* 4. *Quæſtio IV. De Summo Pontifice, & Concilijs; & ponit Indicem omnium octo dubitationum*, pag 1.

Dubium I. An publica illa Auctoritas Fidei Magiſtra, & Index Controuerſiarum fidei, reſideat, ſiue in toto cœtu fidelium, ſiue pęnès Magiſtratum ſecularem; an potiùs pęnès Eccleſiæ Præſules, & Epiſcopos ad S. Thomæ 2. 2. quæſt. 1. art. 9. & 10. 2
Dubium II. An omnes Epiſcopi inter ſe, quoad poteſtatem regendi Eccleſiam ſint pares, an potiùs, tum inter ipſos Apoſtolos vnus cœteris poteſtate, & Auctoritate præſtiterit Petrus, tum pari ratione etiamnum in Eccleſia vnus aliquis exiſtat Petri ſucceſſor, cęteris omnibus Epiſcopis Superior, ad S. Thomæ 2. 2. qu. 1. art. 9. & 10. 7
Dubium III. An Succeſſor Petri, & omnium Epiſcoporum adeòque totius Eccleſiæ Viſibile Caput, & Iudex Controuerſiarum fidei ſit Pontifex Romanus, ad S. Thomæ 2. 2. quæſt. 1. art. 9. & 10. 17
Dubium IV. An Pontifex iure Diuino ſit Caput Eccleſiæ, & Petri Succeſſor, & an ſit de fide hunc numero Pontificem eſſe Eccleſiæ Caput, & an aliquando poſſit ea poteſtate excidere, ad S. Thom. 2. 2. quæſt. 1. art. 9. & 10. pag. 23
Dubium V. An Pontifex Romanus aliquando ab ea poteſtate Summi Paſtoris Eccleſiæ exciderit, & degenerauerit in Antichriſtum, ad S. Thom. 2. 2. qu. 1. art. 9. & 10. 27
Dubium VI. An & qua ratione Pontificis Auctoritas, & definitio ſit infallibilis etiam cùm extra Concilium Genera-

nerale aliquid circa fidem definit: & vndè conſtet cum publica auctoritate aliquid definire, ad S. Thomæ 2. 2. qu.1.art.9.& 10. 37
Dubium VII. Vtrùm Summi Pontificis Auctoritas ſit etiam infallibilis in decretis morum, ac ſpeciatim in approbatione Religionum, & Canonizatione Sanctorum, ad S. Thomæ 2. 2. qu.1. art.10. 43
Dubium VIII. Quænam, & quanta ſit Auctoritas Conciliorum, & vtrùm Concilium Generale ſit ſupra Pontificem, ad S. Thomæ 2. 2. quæſt. 3. art.9. & 10. 47

ABRA-

ABRAHAM BZOVIVS

Ordinis Prædicatorum Natione Polonus, Patria Cracouien. Profeſſione Theologus, & Eccleſiaſticus Hiſtoricus, vt eius teſtatur proſecutio Annal. Cæſaris Card. Baronij. Floruit ſub Pontif. Max. Paulo V. Librum edidit, cui titulus *Pontifex Romanus*, doctrina & eruditione refertum, Coloniæ impreſſum per Antonium Boelzerum, Anno 1619. cuius hic apponitur exemplar; ommiſſis, quæ adeò noſtri non ſunt inſtituti, hiſque exhibitis, quæ ad primatum, & infallibilitatem Romani Pontificis ſpectant.

PONTIFEX ROMANVS,

SEV

DE PRÆSTANTIA, OFFICIO, AVTORITATE, VIRTVTIBVS, FELICITATE, REBVSQVE PRÆCLARE GESTIS ROMANORVM PONTIFICVM,

Commentarius

R.P.Fr.Abrahami Bzouij, Poloni. Sac.Theol.Doct. Ord.Præd.

CAPVT I.

PONTIFEX ROMANVS Catholicæ Eccleſiæ Monarcha.

Æterna Sapientia.

ÆTERNA Sapientia, Deus de Deo; ſi alicubi, maximè in adminiſtratione Eccleſiæ Catholicæ, in laudibus ſuis ponit; quod aliquando ore Syracidæ dixit; a *In omni populo, & in omni gente Primatum habui*. Primatum cum dicit: certam, ſtabilem, perpetuam, in omnem populum, & gentem vniuerſam, poteſtatem ſibi conceſſam aſſerit; quod poſtulanti Pater aliquando ſignificauiſſet: b *Dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Poteſtatem vero ſuper cunctas gentes, & ius hæreditarium in omnes terminos terræ, cum ſibi datum affirmaret; in Eccleſiam Catholicam ſibi Primatum, ſeu Monarchicum imperium datum oſtendit; quod c *ipſe ſit ante omnes, & omnia in ipſo conſtent, & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, & principium, primogenitus ex mortuis, in omnibus ipſe Primatum tenens*; vnicus Rex, & Pontifex Regalis Sacerdotij, vnus Paſtor vnici ouilis, ſupremum caput corporis myſtici, vnus Paterfamilias, *Domus Dei, quæ eſt Eccleſiæ Dei viui: prælectus ex millibus* ſponſus, ſponſæ vnius, *in fide, iuſtitia, iudicio, & miſericordia*, deſponſatæ; vnicus hæres, poſſeſſionis ampliſſimæ, ſanguine partæ; vnicus Monarchus, imperij amplius quam terreni.

a *Eccl.* 24.
b *Pſalm.* 2.
Ab amplitudine poteſtatis in omnes gentes.
c *Coloſſ.* 1.
Primatum in Eccleſiã vniuerſam habet.

Vnum eſt d *genus electum, Regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, de tenebris euocatus in admirabile lumen* Chriſti. Vnum eſt e *cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, neque alteri populo tradetur, quin imò conſumet vniuerſa regna, & ipſum ſtabit in æternum*. Vna eſt virago, è latere dormientis in ligno progenita, quam ſibi nouus Adam cœleſtis, cruore profuſo abluit, ornauit, deſpondit. f *Vna columba, vna perfecta, vna matri ſuæ, electa genitrici ſuæ*, quæ pluſque Salomoni, pectus, cor, in vno oculorum, inque vno crine colli, fodit, aperuit, ſtrinxit, vinxit, inflammauit. g *Vnum* eſt *ouile*, in terris, ad quod omnes agnos, & oues notæ melioris, oportet adducere. Vna eſt h *Domus Dei, columna, & firmamentum veritatis*. Vna i *ciuitas ſancta Hieruſalem, noua deſcendens de cœlo, à Deo parata, ſicut ſponſa ornata viro ſuo*. Vna nauis Lyburna, quæ inter vndantes ſæculi procellas, ad portum fælicitatis nauigantes vehat. k *Vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptiſati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue*

d 1. *Pet.* 2.
Vnius regalis Sacerdotij.
e *Dan.* 2.
Regni cœli. ſponſæ. ouilis. domus.
f *Cant.* 6.
ciuitatis. nauis. corporis.
g *Ioann.* 10.
h 1. *Timoth.* 3.
i *Apoc.* 21.
k 1. *Cor.* 10. & 12.

ſerui, ſiue liberi, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus; omnes membra de membro, corpus vnum. Vnum denique eſt cœlum cœlorum, Eccleſia ſcilicet Catholica, amplitudine ſua extenta à mari, vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum; quæ l *habet in ſe cœlos ſuos, homines in primis ſpirituales, vita, & opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos charitate, contemplatione ſuſpenſos, pluentes pluuiam verbi ſalutarem: qui tonant increpationibus, corruſcant miraculis, enarrant gloriam Dei, & extenti ſicut pelles ſuper omnem terram, legem vitæ & diſciplinæ digito Dei ſcriptam in ſemetipſis oſtendunt, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius.* Habet & cœlos, innumerabiles cœtus credentium, vrbibus, inſulis, prouincijs, Regnis, Imperijs, & toto orbe diuiſos, quorum ſinguli præfulgent *multitudine ſtellarum,* quas ſolus ille *numerat*, qui *omnibus eis nomina vocat*, & qui conſpiratione Fidei, & communicationis Sacramentorum, vnum cœlum cœlorum efficiunt, Eccleſiam vnam, Sanctam, Catholicam, vbiuis terrarum omnibus ſæculis diffuſam. Enim vero m *vna eſt Eccleſia, per totum mundum à Christo, in multa membra diuiſa: quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo Solis radij multi, ſed lumen vnum; & rami arboris multi, ſed robur vnum, tenaci radice fundatum: & cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine; Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur; Ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter riuos latius expandit: vnum tamen Caput eſt, & origo vna, & vna Mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa; cuius fœtu naſcimur, lacte nutrimur, ſpiritu animamur.* Ad extremum, n *vnus eſt Epiſcopatus, multorum Epiſcoporum concordi numeroſitate diffuſus, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Par erat, vnius Epiſcopatus, Eccleſiæque vnius, quæ cœlum cœlorum, quæ corpus myſticum, quæ nauis prætoria, quæ ciuitas, domus, ouile, ſponſa, regnum, Regaleque Sacerdotium, à maieſtate, ſplendore, poteſtate nuncupatur, vnicum Primatem eſſe Chriſtum, qui vnicus o *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech:* Solus p *Rex Regum & Dominus dominantium: vnicus teſtis fidelis, & Princeps Regum terræ:* Solus: q *primogenitus ex multis fratribus, primitiæque Chriſtus, cui Deus tradidit Regnum; & quem oportet regnare quouſque euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.* Vnus r *A & O. primus & nouiſſimus, & viuus, & viuens in ſecula ſeculorum; qui habet claues, mortis & inferni;* s *qui claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit.* t *Vnus Paſtor,* u *Princeps Paſtorum, Epiſcopus animarum Catholicus:* olim à Deo Eccleſiæ promiſſus: cum diceret. x *Et ſuſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid, ipſe paſcet eas. & ipſe erit eis in Paſtorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & ſeruus meus Dauid PRINCEPS in medio eorum.* Dauidem porro cum dicit, illum dicit, de quo Paranymphus Cœleſtis Virgini Mariæ, Deiparenti pollicebatur: *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis:* qui cum Filius Altiſſimi eſſet, ſolus à ſede Patris in terras deſcendit, quærere quod perierat, & congregare diſperſos in vnum. Hic ſolus, vel ſolus, y *vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* z *Hic torcular calcauit ſolus, neque vllus de gentibus vir fuit cum eo,* quando miſerè oppreſſum genus humanum, à ſeruitute diaboli eriperet, in quo regnum dilectionis ſuæ transferret. Solus, necdum natus Prophetas ſpiritu diuiniore mouebat, informabat, illuſtrabat. Solus a *infans ab vbere delectabatur ſuper foramine aſpidis*, vt calcaneo extremo, ſtatim in limine protereret draconem antiquum. Solus *manu obſtetricante, eduxit ſerpentem tortuoſum,* cum primitias Iudæorum Paſtores, & Gentilium Regios principes, Reges Tharſis, Inſulæ, Arabum, & Sabæ, recentiore lumine præſtringeret, excitaret, dirigeret, & de tenebris ac vmbra mortis, ad Solem iuſtitiæ educeret, necnon Sathanam, è mentibus eorum, quos ſibi populum acceptabilem emundabat, depelleret. Solus deinde paruulus, iam ſtatim à cunabulis, non tantum oues & agnos, verum & arietes, & hircos, quin & alienos greges ad vnum ouile vocabat, congregabat, ducebat; illudque ſeculis inauditum efficiebat, vt *lupus cum agno habitaret, pardus cum hædo accubaret; vitulus, & leo, & ouis, ſimul morarentur; vitulus & vrſus ſimul paſcerentur; catuli eorum ſimul quieſcerent; & puer paruulus frenaret eos.* Quando Eccleſiam ex diuerſitate gentium Sanctiorem condebat, doctos doctores docebat; ſtulta & infirma mundi vt confunderet fortia, legebat; de idolomania proſtrata triumphabat, Orbem lumine inſolenti illuſtrabat, teterrimas maculas animorum abluebat: vnus b *lapis viuus, ab hominibus quidem reprobatus, à Deo autem electus & honorificatus, in Sion poſitus, ſummus, angularis, electus, pretioſus, in caput anguli factus, lapides viuos, in domum ſpiritualem, & Sacerdotium ſanctum,* ſibi ex vtroque populo ſuperædificabat; & ad extremum *bonus Paſtor, animam ſuam pro ouibus* poſuerat. Meruit eſſe Princeps Paſtorum; vt quemadmodum nonniſi vnicum eſt ouile, etiam vnicus foret Paſtor: vnius corporis, vnum caput; vnius nauis, vnus Nauarchus; vnius domus Dei, vnus Paterfamilias; vnius ciuitatis cæleſtis, vnus *lucerna, Agnus*; vnius Regni cœlorum, Rex Regum; vnius ſponſæ, nec alius ſponſus; vnius Epiſcopatus, vnus Epiſcopus; Catholicæ Eccleſiæ, Catholicus Sacerdos, Rex, Primarchus, Monarchus; *in omni populo, & in omni gente Primatum* habens: qui, ſiue quamprimum c *in terris viſus eſt,* ſiue dum adultiore ætate, *cum hominibus conuerſatus eſt,* nemini ante ſe concedebat, Monarchicum in Eccleſiam exercere imperium. Nemo præter ipſum, prophetas, Spiritu Sancto vel imbuebat, vel excitabat, vel loquaces faciebat, qui naſcentis, vel iam nati crepundia indicarent. Nemo, præter ipſum, primogenita Gentilium, & Hebræo-

l Bern. ſer. 27. in Cant.

Eccleſiæ,

m Cyprianus lib. 4. ep. 2. & lib. de vnitate Eccleſ.

Epiſcopatus.

n Cyprian. ſup.

Vnus & ſupremus Sacerdos Regius, Rex Regum, ſponſus.

o Pſalm. 109.

p Apoc. 19.

q 1. Cor. 15.

r Apoc. 1.

s Iſai. 22.

Paſtor, Princeps Paſtorū Epiſcop. Catholicus.

t Ioann. 10.

u 1. Pet. 5. & 3.

x Ezech. 34.

y 1. Timoth. 2.

z Iſai. 63.

Meruit eam prærogatiuā, quod ſolus Principē tenebrarū triūphauerit.

a Iſai. 11.

Solus captiuam captiuitatemè faucibus dæmonis eripuerit.

Solus Eccleſiam congregauerit, condiderit, illuſtrauerit, ablauerit, ſibi que adiunxerit.

b 1. Petr. 2.

Vnus lapis anguli, vnum Caput, vnus Hierarchus ſecundum ordinem Melchiſedech.

c Baruch. 3.

Prophetarum vnicus excitator.

Abrogata Synagoga Iudaica nouæ Eccleſiæ myſteria inſtituit.

bræorum, à ſecundinis tenebrarum extorquebat, vel opacum illorum ſpiſſiſſimum detenebrabat. Ipſe prior cathedram Doctorum inſtruebat; ſacri liquoris aqua impetiginenatiua affectos abluebat; Senatum Apoſtolicum legebat; diſcipulorum cætum aggregabat, miniſteria inter eos partiebatur, Ordinem Hierarchicum inſtruebat: Spiritum affluentiorem electis impartiebatur; Sacerdotium, & ſacramenta veteris legis abrogabat; Translatoque Sacerdotio, hoſtia mutata, ac Inſtitutis & cæremonijs Moſaicis antiquatis, ſolus, noua, ſed diuiniora myſteria noui teſtamenti inſtituit, nouum fontem ablutioni aperuit: nouum characterem ſignationi deſignauit; nouum ſacrificium obtulit, præſcripſit, dereliquit.

Peccata cum poteſtate dimittit. Leges & inſtituta Eccleſiæ ſancit.

Solus cum poteſtate peccata dimittebat, gratiam & chariſmata meliora largiebatur, formulas viuendi, & orandi indicebat, ritus miniſteriorum indicabat, leges & inſtituta ſanciebat; ægros animi & corporis ſanabat; errores ad viam veritatis reuocabat; proteruos & pertinaces arguebat, iudicabat, conuincebat, condemnabat; innocentes oſtendebat, pœnitentes abſoluebat: non recte accuſatos dimittebat; caliginem de ſenſu ſcripturarum diſcutiebat: capita fidei proponebat; ſpiritus immundos depellebat: ac ſpirituale Regnum ædificabat: vere vnicus, ſecundum ordinem Melchiſedech, Rex Sacerdos. Cæterum, cum è terris ad cœlos abitionem pararet, nec quicquam eorum omiſit, quæ ad vnitatem ouium ſuarum vel conſeruandam, vel ſtabiliendam, vel amplificandam conducerent.

Diſpoſitis rebus Eccleſiæ ante mortem Petro eiuſdẽ Principatum confert, ſuũque in terris Vicarium cõſtituit.

d *Caietanus de authoritate Papæ & Concilij c. 1.*

Quamobrem, poſtquam & vnam fidem prædicaſſet, & charitatem quæ vinculum eſt concordiæ præ cæteris omnibus commendaſſet, & tam pro credentibus, quam pro credituris, vt omnes vnum, ſicut ille in patre, & pater in illo eſt, ſint oraſſet, & vnum Deum vnico, & ſingulari modo colendum vniuerſis fidelibus renunciaſſet, & vnum baptiſma, vnum Sacrificium, eademque Sacramenta Eccleſiæ propoſuiſſet, [d] *non populare, non diuitum, non potentum, non Optimatum, multorum, aut paucorum*, regimen inſtituit, ſed vni Petro Primo Apoſtolorum Principatum Eccleſiæ, ante mortem, dicens; *Tibi dabo claues regni cælorum, & ſuper te ædificabo Eccleſiam meam*, promiſit; deinde aſcenſurus in cælum conceſſit, iniunxitque committens; *Paſce oues meas; Paſce agnos meos.*

e *Epheſ. 4.*

Specialis præeminentia Petro præ reliquis Apoſtolis conceſſa.

f *Origen. hom. 6. in Matth.*

g *Cyprianus de vnitate Eccleſiæ.*

Verum equidem eſt, quod ipſe [e] *aſcendens in cælum*, dederit *dona hominibus, & quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti* inſtituerit, illiſque Spiritum ſanctum communicauerit, vt quæ ligarent, aut ſoluerent, eſſent ligata, aut ſoluta in cœlo: maius tamen aliquid Petro conceſſit, quam reliquis: cum ei claues non vnius cæli, ſed [f] *regni cælorum* tradidit: tantæque auctoritatis eſſe voluit, vt quæ ille ſoluiſſet vel ligaſſet in terris, eſſent ſoluta, vel ligata, non in vno cælo, ſed *in omnibus cælis* ſcilicet, [g] *Primatum*, & Monarchicum imperium *Petro dabat, & vnam cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem, ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit*: vt *Petrus* ſit *eminens, & presbyterorum ſummus apex: quaſi Chriſtus Pontifex his quæ illi de patris iuſtitia enunciata ſunt, interpres atque portitor: qui Deo charos admittat, & impios excludat*: & qui tam oues, quam agnos, omnes non aliquos, non populum tantum, ſed & ductores, & rectores plebis, vicaria poteſtate paſcat,

Vnitas Cathedræ ab vnitate capitis, & iuſdemq; origine.

h *Dionyſius c. 3. de diuinis nominibus & de cæleſti hierarchia c. 18.*

i *Cypr. ſup.*

Vnitatis Eccleſiæ confeſſio ad fidem omnino neceſſaria.

[i] *vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna, & grex vnus manſtretur, quam vnitatem Eccleſiæ qui non tenet, tenere ſe fidem non credat: qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit: qui Cathedram Petri ſuper qua fundata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat: quando & Apoſtolus Paulus idem doceat, & Sacramentum vnitatis oſtendat dicens; vnum corpus, & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtræ, vnus Dominus vna fides, vnum baptiſma, & vnus Deus, quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debent, maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia præſident: vt Epiſcopatum quoque ipſum vnum, atque indiuiſum comprobent. Namque nemo fraternitatem mendacia fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione confundat: Epiſcopatus comes eſt, cuius à ſingulis in ſolidum* (cum Petro, ac Petri ſucceſſore) *pars tenetur*; ſub primo Principe ſacrorum Chriſto, qui [k] *ſicut accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ, Gentium Dux ex Iſrael egrediens, ſuper omnem principatum & poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, vt ei cuncta curuentur: ſic & Petro*, & eius ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit, & nulli alij quam Petro Chriſtus, quod ſuum eſt plenum dedit; *eique principatum totum & poteſtatem, ſuper omnem principatum & poteſtatem per Sacramentum dimiſit*; vt & ipſe, & quilibet ſucceſſorum, iure merito, ſit, & nuncupetur, [l] *Sacerdos magnus, Summus Pontifex, Princeps Epiſcoporum, hæres Apoſtolorum, Primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, iudicatu Samuel, vnctione Chriſtus, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij cæli ianitores, & gregum Paſtores; ſed Petrus*, & poſt Petrum *Pontifex Romanus, tanto glorioſius, quanto & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditauit. Habent illi ſibi adſignatas greges, ſinguli ſingulos: Petro*, ac poſt Petrum ſuccedentibus, *vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modo auium, ſed & Paſtorum ille vnus omnium Paſtor. Namque nemini aut Epiſcoporum, aut Apoſtolorum, ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues. Si me amas Petre, paſce oues meas; non illius vel illius populos ciuitatis aut regionis, aut certi regni, ſed in vniuerſum, oues meas, non aliquas, ſed omnes. Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et certè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cum committens omnes vni, vnitatem omnibus commendaret, in vno grege, & vno Paſtore, ſecundum illud; Vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Inde eſt, quod alij ſinguli, ſingulas ſortiti ſunt plebes; ſcientes Sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, vnica contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Itaque alij in partem ſolicitudinis, Petrus in plenitudinem poteſtatis vocatus fuit. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, Petri Romani Pontificis extenditur, & in ipſos, qui poteſtatem* ſuper

k *Cyril. Alex. in theſaur.*

Petro cũ clauibus Principatus & pleniſſima in omnes poteſtas tradita.

l *Bernard. lib. 2. de conſid.*

Summa eiuſdem dignitas & authoritas.

Apoſtolorum ſingulis ſinguli: Petro vniuerſalis grex aſſignatus.

Poteſtas ouilis arctata limitibus.

ſuper alios acceperunt. Accipe & aliud, quod nihilominus prærogatiuam Petro confirmat. Diſcipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore: quodque iucundius erat, in corpore rediuiuo. Sciens iſtud Petrus, quia Dominus eſt, in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum: alijs nauigio peruenientibus. Signum fuit ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quiſque ſuam, ſed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſæculum eſt: naues Eccleſiæ. Inde eſt, quod altera vice inſtar Domini gradiens ſuper aquas, vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis praeſſe deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cum quiſque cæterorum habeat ſuam, Petro vna commiſſa eſt grandiſſima nauis facta ex omnibus, ipſa vniuerſalis Eccleſia, toto orbe diffuſa.

Ea adumbrata per immiſſionem Petri in mare.

Placet Monarchicus Principatus, à præſtantia, ab antiquitate, ab imitatione, commodis, vſu, felicitate. Vnus Deus adminiſtrat vniuerſa, ſuperiora, inferiora, & media, diſponens omnia ſuauiter. Enimuero vniuerſitatis conſenſio & concentus, dii plures ſi eſſent, nequaquam conſiſteret. Vnus m *lucerna agnus*, illuminat & recreat vniuerſam illam ſuper cæleſtem Hieruſalem, nouæ iſtius de cælo deſcendentis exemplum & Parentem. Nouem Angelici ordines, ſupremo Cherubinorum in vniuerſum, ac inter ſe ſinguli ordines ſingulis Hierarchis, omnes vero & ſinguli, vnico Angelorum moderatori Ieſu, qui eſt n *Caput omnis Principatus & poteſtatis* obtemperant. Vnus Sol illuſtrat omnia & cœleſtia, & terrena, namque o *ſi gemini ſoles forent, periculum immineret, ne omnia conflagrarent.* Inter animantia rationis priua, principatus quoque veſtigium ineſt. p *Natura commenta eſt Regem, quod ex apibus, & ex alijs animalibus licet agnoſcere. Natura eſt enim, potiora deterioribus ſubmittere.* q *In apibus princeps vnus eſt: grues vnam ſequuntur ordine litterario.* r *Mutis gregibus, aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. Non præcedit armenta degener taurus: elephantorum gregem excelſiſſimus ducit. Primi mortalium, quique ex his geniti naturam incorrupti ſequebantur, eundem habebant & Ducem, & legem, commiſſi melioris arbitrio.* Omnis antiquitas docet, s *omnes antiquas gentes Monarchis quondam paruiſſe.* Populus ille electior, primum Moyſi, deinde Ioſue, poſt eum ſingulis iudicibus, Regibus, ac Principibus, & præter hos vni ſummo Sacerdoti, Principi ſacrorum, obſecutus eſt; donec veniſſet Silo, qui mittendus erat, qui *e diebus regnorum, ſuſcitauit regnum* (regnum, non democratiam, non Ariſtocratiam, non polycratiam, ſed regnum) *quod in æternum non diſſipabitur, nec populo alteri tradetur: & quod conſumet vniuerſa regna mundi, & ipſum ſtabit in æternum.* u Exemplo illius beatiſſimæ reipublicæ, quæ in cœlis eſt, huius quæ in terris eſt regimen conſtituit Deus, vt illud non penès omnes aut multos, ſed penes vnum Chriſti Vicarium & Dominici gregis Paſtorem conſiſtat; vt quemadmodum in Hieruſalem illa quæ in cælis eſt matre noſtra, vnus tantum eſt Dominus Ieſus Chriſtus; ita in hac Hieruſalem eius filia, quæ & Chriſti ſanguine irrigata, & matris eſt illuſtrata ſplendoribus, vnus tantum ſit Princeps Vicarius Chriſti & Pontifex Maximus, cui omnes de cælo deſcendentis Hieruſalem ciues & incolæ: non ſolum ſeparatim ſinguli, ſed etiam ſimul vniuerſi obedire debeant: ſicut qui in ſuperna ſunt Hieruſalem ſancti, cum ſingulatim, tum vniuerſe, diuiſimque ac ſimul, omnes vni omnium Creatori, & Capiti, & Monarchæ, ſubſunt, parent, obtemperant. x Cumque Diuina lege priſca Summum Sacerdotium inſtitutum ſit, nouaque non fuerit improbatum; in ſynagoga aut quæ fuit vmbra Eccleſiæ, præfuerit vnus Princeps Sacerdotum, ſub quo multi gradus & ordines fuerunt: quemadmodum & Eccleſia triumphans, cui velut exemplari militans noſtra reſpõdet, vnum habet præſidem Deum, ſub quo nouem Angelorum ordines eſſe, cunctis creditum eſt; conueniens erat, vt Eccleſia Catholica, quæ media inter vmbram & exemplar eſt, ex vna quidem parte reſpiciens vmbram, ex altera verò ſpectans exemplar, non careret Præſide vno. Iſtud etiamſi expreſsè ſancitum eſſe non conſtaret, prout reuera conſtat; at certè illius imitatione vel exemplo, à populo Chriſtiano videretur eſſe conſtituendum; præſertim ſi comperiatur, eaſdem rationes illius conſtituendi Chriſtianis eſſe quæ Iudæis fuerit; quarum non minima cenſenda eſt, quæ in Deuteronomio habetur, vt conſtitueretur iudex, qui valeret diffinire, quæ in controuerſiam veniſſent, & quorum magis ambiguum, & difficilius eſſet iudicium: cuius ſententia tam rata eſſet, vt ab ea prouocare non liceret: ſitque rectè conſtituta reſpublica Chriſtiana, ac in ea ordo congruus, & nulla confuſio. Quod ſi nec veteris legis exemplo, nec nouæ decreto inſtitutum fuiſſet, conſtituendum tamen foret à Chriſtianis vnum Caput Eccleſiæ vniuerſæ, vel ſolo naturalis rationis iudicio, ne populus Chriſtianus acephalus remaneret, careretue ſummo magiſtratu, in rebus, quæ ad religionem pertinerent. Veteres enim Romani, & ſi veræ religionis ignari, cum rempublicam optimis legibus fundarent, hoc vel in primis ratione ducti naturali cauiſſe videntur, vt omnis cuiuſcunque ordinis multitudo reduceretur ad vnitatem. Ita cum Collegium Sacerdotum & Pontificum haberent, vnum eſſe voluerunt cunctis Præpoſitum, qui maximum gereret Pontificatum, & præcipuum inter Pontifices locum obtineret: quod etiam ex naturæ modo, omnis multitudo, quæ quouis modo nuncupatur vna, nunquam non ad vnum velut Caput & Principium refertur. Proprerea, vt Eccleſia rectè gubernaretur, ipſe Chriſtus cum in terris verſaretur, præfuit ei vnus Paſtor, Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, Pontifex factus in æternum, & cum redemptione inuenta, ſemel iam decerneret introire in ſancta, vbi militans Eccleſia necdum eſt omnis introducta, ſed adhuc peregrinatur in terris, & in dies ædificatur vt ciuitas, diſponiturque vt caſtrorum acies ordinata, indiga viſibilis miniſterij ad conſummationem Sanctorum; voluit Chriſtus terras relinquens, alium ſibi in terris ſubſtituere, qui loco illius munera Pontificia, in Eccleſia

vni-

Cõſenſio Vniuerſitatis cõtra Deorum pluralitatem.

m *Apoc. 21.*

n *Coloſ. 2.*

o *Stephan. ſer. 45.*

Natura in omnibus animantibus Regem finxit.

p *Seneca epiſt. 90 & 1. de clementia.*

q *Hieronymus epiſt. 4.*

r *Seneca ſup.*

s *Cicero 3. de legibus.*

Omnes gentes ſuis Monarchis ſubiectæ.

Regnũ æternum & vnum in terris, Eccleſia.

u *Caietanus in Concil. Later. ſeſſ. 2.*

Eius Monarcha Pontifex Rom.

x *Albert. pius Carporum Princeps ad 1. Eraſm. ep. & Ioan. Roffen. martyr. ad 25. cont. Luth.*

Synagoga vmbra Eccleſiæ.

Vnum caput Eccleſiæ ob multiplices cauſas.

Ex ſolo naturalis rationis iudicio.

Aliæ eiuſdem rei rationes.

vniuerſa peageret, eũmque poteſtate plenaria, Eccleſiæ Catholicæ præſideret, Primum, vt in vnitate ordinis Eccleſiæ, vnus eſſet, ad quem tanta varietas ordinum referretur, & ab eo ſinguli dependerent: quemadmodum innumerabiles radij, rami, ſcaturigines, ad vnum Solem, ad vnum arborem, ad vnum fontem reſpiciunt, à quibus dimanant. Deinde, vt controuerſiæ de rebus fidei, per aliquem ſupremum Iudicem decernerentur. Tertiò, vt Concilia generalia, per quendam, ceu Principem ſacrorum, cuius mandato cæteri pariturі ſunt, conuocentur. Quartò, vt diſſenſiones populi Chriſtiani, maximè vero Epiſcoporum, atque Regum componantur, ac peruicaces corripiantur. Quintò, vt vniuerſus grex Chriſtianus, ab vno vnico Paſtore, doctrina, & inſtitutis ſanctioribus formetur: ne in Eccleſia, neceſſario id quod in libro Iudicum dicitur eueniat: *In illis diebus, non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi videbatur bonum, faciebat*: ſcilicet, ne hæretici, ſublato Primate, liberè quam vellent, ſemel receptam Fidei regulam inuertant; ne nouatores, per recens inuenta dogmata, & ſchiſmata, Eccleſię tunicam inconſutilem ſcindant, neue, aut hic, aut in penetralibus, aut in deſerto Chriſtum eſſe, vel alter ſe Apollo, alter Pauli, alter Lutheri, vel Caluini fore dicant, hi, qui non ignorare deberent, [y] *vnum Deum eſſe, & vnum Chriſtum Dominum, & vnum Spiritum Sanctum, & vnum Epiſcopum in Eccleſia Catholica eſſe debere*: quod *ſicut Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, ita & Eccleſia vna, & Cathedra vna, ſupra Petram, Domini voce fundata*.

y Cypr. lib. 1. ep. 8. & lib. 3. ep. 18.

z 1. Cor. 12. Plura membra Eccleſiæ.

In corpore humano, [z] *plurima membra poſuit Deus, vnumquodque eorum ſicut voluit*. In corpore etiam myſtico Eccleſiæ, non vnum, ſed multa *membra de membro*. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum*. Vnde *non omnes Apoſtoli, non omnes Prophetæ: non omnes Doctores, nec omnes virtutes, nec omnes habent gratiam curationum, nec omnes linguis loquuntur, neque omnes interpretantur: ſed diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia*, non in vno membro, ſed *in omnibus*, à quo *vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult*. Itaque *ſicut corpus vnum eſt, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi: & omnes in vno ſpiritu potati ſumus*: & inſtat vnius corporis contemperati ſumus.

Eiuſdem chariſmata varia à Spiritu S.

Per ſingula eius membra diſtributa.

Proinde, ſicut in corpore humano, non vnica tantum manus, nec vnicum tantum membrum, ſed vnum tamen vnicum caput, dirigens, & gubernans, & vinciens, reliqua membra, *ne ſchiſma ſit in corpore*, ita in Eccleſia, non ſoli Apoſtoli, neque omnes Apoſtoli: non ſoli, neque omnes Prophetæ: non ſoli, neque omnes myſteriorum Dei diſpenſatores, ſed aliqui; vnum tamen vnicum viſibile caput, vnius Eccleſiæ viſibilis in terris: *ne ſchiſma ſit in corpore* Chriſti, neue diuidatur, quam ſeparari nefas, vnum Eccleſiæ corpus, vnius animo regendum. [a] *Vbi vnitas, ibi perfectio, Reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diuiſionem, recedentes ab vnitate*. Perſpectum iſtud & gentibus, nonniſi lumine rationis à natura hauſto. Non vni eorum ſcitum.

a Bernar. lib. 3. de conſid. c. 8. Vnitas regiminis à varijs Gentilium, & S. Scripturæ teſtimonijs.

[b] *Haud bonum multorũ dominatio, herus vnicus eſto.*
Vnicus, & Princeps.

b Homerus Iliad. 2. & Ariſtot. 12. Metaph. Mala ex eius diuiſione pro creata.

Enimuero, [c] *Nulla fides regni ſocijs, omniſque poteſtas*
Impatiens conſortis erit.

c Lucan. 1.

[d] *Arduum ſemper, eodem loci, potentiam & concordiam eſſe.* [e] *Roma, vt condita eſt, duos fratres ſimul habere Reges non potuit. In Rebeccæ vtero, Eſau & Iacob bella geſſerunt.* Adultiore ætate, de primatu certabant. Alexander cum Dario, [f] *Aſiam ex æquo diuidere non ſuſtinet.* Lydorum Proceres, Crœſo Monarcho, filium in regni conſortium adſciſcere paranti, ex vero reponunt: [g] *duos Reges ſimul ſe tolerare non poſſe, quemadmodum neque terram duos Soles. Nulla vnquam regni Societas*, ait Cyprianus, *aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſijt. Sit Thebanorum germanitas rupta, & permanens rogis diſſidentibus etiam in morte diſcordia: & Romano geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cepit hoſpitium. Pompeius & Cæſar affines fuerunt, nec tamen neceſſitatis fœdus æmula poteſtate tenuerunt: nec tu de homine mireris, cum in hoc omnis natura conſentiat.* [h] *Vnus Principatus à bellis diſſidijſque ſolutus, ac liber eſſe ſolet.* [i] *Suſpectum Senatus populique imperium, ob certamina potentium, & auaritiam Magiſtratuum.* [k] *Nihil habet conſultum, aut æquale, maximè popularis ſtatus.* Enimuero, [l] *populus multa negligit, dum alter reſpicit alterum, deinde maleuolentia multa laborat, & optarent ſinguli, vt & qui ante ſe rempublicam geſſerunt, & qui in præſentia gerunt, peſſimè ciuitatem gubernaſſent, vt eo maior in ſe gloria redundaret. In rebus etiam publicis conſiliarij adhibentur, ciuium non ſapientiſſimi, ſed audaciſſimi: & vulgus illos maximè colit, qui in turba oratione valent*, non qui probitate. Porro deinde [m] *plebe imperante, abeſſe non poteſt, quin malitia exoriatur; exorta malitia in republica, inter malos non odia fiunt, ſed amicitiæ validæ. Qui enim aduerſus rempublicam facinoroſi ſunt, mutuo ſe occultant: idque tamdiu fit, dum aliquis populo Præpoſitus, tales homines compeſcat: is videlicet quem populus admiretur. In ſtatu paucorum, cum plures virtuti incumbant, vehementiora priuatim odia exerceri conſueuerunt. Cum enim quiſque Princeps eſſe optet, & in dicenda ſententia vincere, ad ingentia inter ſe odia euadunt; ex quibus ſeditiones exiſtunt, è ſeditionibus cædes, è cædibus, ad vnius imperium deuenitur.*

d Tacit. 4. Annal.
e Hieron. ad Ruſtic. Monac.
f Plutarchus in Apophteg.
g Stobæus ſermo 41.
h Iuſtin. in exhortat. ad Gentes.
i Tacit. 1. Annal.
k Thucydides in orat. Athenag.
l Iſocrat. Nicocles. Plebe imperante malitia exoritur.
m Herodot. lib. 3. hiſtor.

[n] *Fœlix vrbs, quæ iuſſa vnius Principis mediti...*

n Seſen.

Hic

Commoda plurima ex vnius Principis moderatione.
o Ex Iſocrate, & Herodoto ſup.

Hic enim rempublicam, veluti propriam curat: ac ferè nihil per negligentiam delinquit; cum per ipſum omnia fieri oportere nouit. Deinde, quia non eſt cui inuideat, omnia quam fieri poteſt optimè agit. Cumque per omnem vitam perpetuus ſit Dominus rerum, retinet facilius beneuolentiam perpetuam: neque ad publica applicat omnia, tanquam aliena, ſed tanquam propria. Conſiliarios adhibet ex omnibus delectos ſapientiſſimos, inque rebus agendis reuera doctos. Huius *tanto facilior adminiſtratio eſt, quanto facilius eſt animum ſuum vnius viri inſtituto accommodare, quam multis variaq; opinantibus placere conari.* Hic ad extremum, ſi optimus fuerit, huiuſmodi ingenio, plebem poterit ſine omni reprehenſione moderari: & ſic præcipuè conſilia in aduerſarios ſolent trahi. Itaque p *Pacis intereſt, omnem poteſtatem ad vnum conferri:* quod inter plures principes, rara concordia: quod inter Optimates ingentia certamina, & inſatiabilis auaritia: quod popularis ſtatus, inæqualis negligens, deſultorius, ad ſeditiones vergens, ad cædes præceps, ad interitum pronus: quod Monarchicus Principatus, omnibus ferè nationibus communis, æqui, & æui conſtans, Pacis quà à domeſticis, quæ ab externis ſeruandæ cuſtos, ac propterea, *Felix vrbs, quæ iuſſa vnius Principis audit.*

p Tacit. 1. hiſt. Concordiæ cauſa.

Eccleſia vna, vt ſit perpetua.

Felicem, florentemque Eccleſiam, præ veteri Synagoga, præque omibus regnis mundi, condere inſtituit Chriſtus. Itaque ne & diſſidijs interioribus ſcinderetur, & ne exterioribus bellis ſuccumberet, ſed perpetua tranquillitate conſtaret, concordiaque perenni, & ſtabili, à modicis incunabulis, in immenſa ſæculorum, & locorum ſpatia excreſceret; ipſe vnitatis auctor, vni Petro Romano Pontifici illam inædificauit; quemadmòdum olim per Prophetam prædixit: q *Congregatione*, dicens, *congregabo Iſrael totum te, in vnum reducam reliquias Iſrael; pariter ponam illum quaſi gregem in ouili.* Hebraicè: *quaſi oues Boſra.* r Boſra, conſtantiam, ſiue Valentiam ſignificat. Valentiam vero, Romam vrbem totius orbis quondam principem, dictam prius fuiſſe, aliqui auctores memoriæ prodiderunt. Idem namque ῥώμη Græcè, quod Latine *Valentia* eſt. Vnde & Hebræorum antiquorum traditione, Iudæi *Boſram* Romam eſſe dixere: quod veriſſima ſignificatione, in ouili Eccleſiæ Romanæ, quæ *Boſra* Hebræis, Iſraelem, vniuerſum ſcilicet cætum credentium, & reliquias quæ perierant domus Iſrael, velut gregem popularem congregare, reducere, ponereque Paſtor ſupremus voluerit, ſub vno Petro Paſtore, cui ſemel dixit; *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* His verbis, s *Apoſtolo, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, pænitenti ſuccurritur, & maior gradus redditur ploranti, quam ſublatus eſt deneganti. Nullus enim Apoſtolorum nomen Paſtoris accepit. Solus ſiquidem Dominus Ieſus Chriſtus dicebat: Ego ſum Paſtor bonus;* & iterum: *Me* inquit, *ſequuntur oues meæ. Hoc ergo nomen ſanctum, & ipſius nominis poteſtatem, poſt reſurrectionem ſuam, Petro pænitenti conceſſit; & negatori ſuo, hanc quam ſolus habuit poteſtatem; vt non ſolum recuperaſſe quod amiſerat probaretur, verum etiam multo amplius pænitendo quam negando perdiderat acquiſiuiſſe.*

q Micha 2.

r Benedi. Arias Montanus in eum locum.

Petro pœnitenti Paſtoris nomen impoſitum.

s Arnobius in Pſal. 139.

Claues cum plenitudine poteſtatis traditæ.

t Hieron. Seripandus in epiſt. ad Galat.

t Claues præterea vni Petro datæ ſunt: cum cæteris Apoſtolis de clauibus non ſolum nihil actum, ſed ne verbum quidem factum fuiſſe legatur: vt altius quiddam & excelſius omnino claues attuliſſe Petro, & tradidiſſe neceſſe ſit, quam ligandi & ſoluendi poteſtas æqualiter omnibus communicata, cæteris attulerit. Claues, poteſtatem Monarchicam Petro dederunt, de fide & de moribus decernendi; quæ credenda, quæ non, quæque agenda, quæ non, vniuerſæ Eccleſiæ præſcribendi. Claues Petri, & vniuerſam Eccleſiam adminiſtrant, & ſingulas eius partes contemperant, & ordinant: fidei, ſpei, & charitatis dant præcepta, hiſque præceptis iter, & aditum in cælum bonis, & obtemperantibus aperiunt, contumacibus claudunt, & improbis. Claues Petri, non tantum infimis, ac medijs, ſed etiam ſummis, & excellentioribus membris Eccleſiæ, Cæſaribus Auguſtis, Regibus, Principibus, Rebuspublicis, Dynaſtis, Tetrarchis, omnibus gentibus, ac nationibus, ea quæ ad regnum cælorum adipiſcendum facere videntur, præſcribunt. Claues Petri, terrarum orbi quatenus ad religionem ſpectat, leges imponunt. Porrò etiam ligandi, atque ſoluendi poteſtatem, ita omnibus Apoſtolis Chriſtus voluit eſſe communem, vt in ea etiam ipſa penès Petrum eſſet Principatus, qui hanc ſuæ poteſtatis, ſeu mauis, procurationis partem, ad ſalutarem Eccleſiæ gubernationem alijs impartiret, actemque curam, & diligentiam adhiberet, vt eam omnes purè, caſtè, & diuini potius quam humani ſpiritus conſilio adminiſtrarent. Qui, ſi corruptum eſſet aliquid in Eccleſia, aut hominum negligentia, aut temporis longinquitate, ipſe ſanaret. Si quę vnius, aut alterius peccato, longęque deinceps conſuetudinis corruptela in abuſum delapſa, & deprauata eſſent, ipſe corrigeret, & hanc poteſtatem alijs communicaret: clauderet etiam ipſe, & nemo aperiret; aperiret & nemo clauderet. u *Beatus cæli ianitor*, quemadmodum S. Hilarius indigetat, *cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur: cuius terreſtre iudicium, præiudicata authoritas ſit in cælo; vt quæ in terris, aut ligata, aut ſoluta ſunt, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant, & in cælis.* Cum autem Paſtoris ei officium iniunxit, ſeruitutem, & imperium illi iniunxit. Et ſeruitutem quidem, ne ad ſuas, ſed ad ouium commoditates reſpiceret, imperium vero, vt viuendi precepta daret, viaſque quæ ad ſalutem ferant monſtraret. Seruitutem etiam, ne vnquam oues desereret, ſed earum gratia omnes voluptates aſpernaretur, omnia pericula ſubiret: imperium autem, vt ſi quæ oues obedientiam abjicerent, & imperata facere detrectarent, ſupplicio, & vinculis ex poteſtate coerceret, ac de omnibus quę ad oues Chriſti ſpectant agnoſceret, ſtatueret, iudicaret. Cęterum, cum Pater ęternus in poſſeſſionem terminos terrę Chriſto conceſſerit; ac perinde omnium ſęculorum, & locorum mortales, ſiue agni, ſiue oues, ſiue hædi, ad ouile Chriſti pertineant, nemo eorum non erit non ouis, aut agnus, aut grex Petri, qui audit, ouis, agnus, grex Chriſti:

In ijs poteſtas Monarchica. In vniuerſam Eccleſiam.

In Reges, & Principes.

Poteſtas hæc à Petro alijs communicata.

Officium Paſtoris, Seruitus, & Imperium.

u Hilarius in 16. c. Matth.

cum

cum grex Chriſti, ſit grex Petri, vt ſit vnum ouile, & vnus Paſtor: qui imitatione Principis Paſtorum, & ipſe Princeps viſibilis Paſtorum, [x] *quod perierat, requirat; quod abiectum reducat; quod confractum alliget, quod infirmum conſolidet; quod pingue, & forte cuſtodiat: & paſcat omnes in iudicio, atque indicet inter pecus, & pecus arietum, & hircorum.* Nec non ſedulo efficiat, collaboretque Chriſto oranti, *vt omnes vnus ſint*, animo, fide, ſpe, dilectione, baptiſmate, ſignaculo, Sacramentis, ritibus, cœremonijs, legibus, inſtitutis, obſequentia, adminiſtratione, domo, ouili, templo, Regno Sacerdotali, ciuitate cœleſti, corpore myſtico, thalamo: cuius ipſe ſit ſponſus, Caput, Monarchus, Pontifex, Sacerdos, Paſtor, Paterfamilias, Catholicus Epiſcopus, Nec tantum ipſe vnus ſolus, ſed & non nemo illius Succeſſor Romanus Pontifex; poſtquam Petrus Primarchus ſedem Romanam præ cæteris ſibi delegiſſet, & ſanguine pro Chriſto effuſo purpuraſſet, vnaque cum eo poteſtatem in ſuccedaneos Pontifices ampliſſimam transfudiſſet. Neque enim pro ſe tantum, verum etiam pro ſuccedentibus Patribus Monarchicum in Eccleſiam imperium accepit, alias portæ inferi, aduerſum Eccleſiam Petri Catholicam prænalerent; neque regnum Chriſti perſiſteret in æternum, ſi vna cum Petro authoritas Monarchica expiraſſet, neque in Clementem, Anacletum, Euariſtum, & reliquos, vſque ad huius ſæculi fælicitatem Paulum V. Pontif. Optim. Max. ab eo qui corpori Eccleſiæ promiſit: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, admiranda diſpenſatione deriuatur.

[x] Ezech. 34.

Chriſtus ſponſus, Caput, Monarch eus Pontifex, Sacerdos, Paſtor, &c.

Per Petrum ad ſucceſſores Romanos Pontif. Imperium Monarchicum transfuſum.

Eccleſia perpetua, & ab omni errore libera.

Veritas eſt Chriſtus, & nec fallere, neque deſerere, quam ſemel ſibi deſpondit, coniunxitque, nouit, qui olim ſpopondit: [y] *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus; à modo vſque in ſempiternum.* Itaque Eccleſia Catholica Romana, à Petro primo Apoſtolorum fundata, perpetua ſucceſſione Epiſcoporum, qui eiuſdem ſunt ſpiritus Fidei cum Petro, Pontifices Monarchos, & Principes Paſtorum, ducit; ad quorum vnumquemque tempore vicis ſuæ, ſicut in homine omnia membra ad Caput vnum, ſicut in hominibus omnes ad Principem vnum, ſicut in Synagoga olim ad ſummum Hierarcham, ſicut viuente Petro, ad omnium agnorum, & ouium Chriſti Principem Paſtorem, ſicut in Eccleſia triumphante ad vnum lucernam Agnum, aſpiciant; inque hac Petra tam Apoſtoli, quàm Prophetæ, Paſtores, Doctores, diſcipuli, oues, quotquot Chriſti oues vinclo magis, quàm adamantino vinciantur, & glutino indiſſolubili inædificentur, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis fidei in virum perfectum*, inque corpus vnum.

[y] Iſai. 59. & Franciſ. ... Torres in eundem locum.

[z] Mors Petri à Chriſto (vt Ambroſius ait lib. 5. epiſt. 32.) præcepta in vrbe Roma, Romanam ſedem in Petri ſucceſſione firmauit, ita vt, quem Pontificatum ad Eccleſiam Catholicam relatum, Petrus à Chriſto habuit, eundem Petrus ex voluntate Chriſti, ad Eccleſiam Romanam, quàm ſibi propriam fecerat; retulerit; ratione ſucceſſionis à Prophetica pollicitatione, & ab Euangelica inſtitutione: quod pro Patribus naſcituri forent filij, qui conſtituerentur Principes ſuper omnem terram; neque portæ inferi præualerent aduerſus Petri Eccleſiam, æternum duraturam, Ab hac eadem Euangelica Chriſti voce: *Paſce oues meas*, Romanus Pontifex Petro ſuccedens, authoritatem habet Apoſtolicam, Monarchicam, ſuper vniuerſam Eccleſiam; quod Petro in eius Cathedra, & in plenitudine poteſtatis ſuccedat. Certùm eſt iſtud, à diuina reuelatione, tum vniuerſali Eccleſiæ, tum ſanctis Doctoribus innumeris, tum ſacris Concilijs facta. [a] Habemus etiam traditionem antiquam, iam indè ab initio ad nos vſque deriuatam: quæ quidem adeò plena eſt veritatis oſtenſio, vt ea maior aut certior alia haud vlla eſſe queat. Sacræ Scripturæ adulterinus ſenſus affingi poteſt; at traditæ doctrinæ non item. Ac primum, quod ita ſenſerit Eccleſia, ante annos quingentos, vt hinc incipiamus; conſtat ex S. Bernardo, *ad Eugenium Papam*. At verò Eccleſia tempore Bernardi hoc credidit, & docuit, quod ante annos pluſquam etiam quingentos inuenit docuiſſe Eccleſiam temporibus S. Hieronymi, *ad Damaſum Papam*; & ante hunc temporibus S. Cypriani, *ad Antonianum*. Rurſus quam viuente S. Cypriano Eccleſia doctrinam profitebatur, eandem tenuit, & docuit Eccleſia, iam olim ante 300. annos temporibus S. Irenæi Martyris *lib. 3. contra hæreſes Valenti. cap. 3.* Quam profectò Monarchicam ſucceſſionem, cum nec tyranni, nec hæretici, nec machinæ demum vllæ diabolicæ infringere hactenùs valuerint, cum Chriſtus dixiſſet: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, rectè ſubiunxit: *& portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

Mors Petri per ſucceſſionem eam firmat.

[z] Caietan. de inſtitutione Romani Pontif. cap. 13.

Succeſſores eiuſdem cum Petro poteſtatis.

[a] Adamus Delphinus in oratione de Eccleſia.

Traditionum certiſſima veritas.

Teſtimonia pro fide Eccleſiæ, quod ea nunquam defecerit.

Ex quibus certum, Romanum Pontificem eſſe Petri ſucceſſorem, adeòque Chriſti in terris Vicarium, ac vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum; non quidem propterea quod id doceat Bernardus; non rurſus quia hoc tradit Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus aut cæteri; ſed quia iam indè ab initio ad hæc vſque tempora Eccleſia ſic credidit, tenuit, docuit, ac prædicauit. Hæc pleniſſima veritatis oſtenſio eſt: ſcilicet Eccleſiæ vniuerſæ traditio. Hac potiſſimum machina Sanctiſſimi Patres, aduerſarias munitiones deiecerunt, cunctaſque hæreſes vſque aboleuerunt. Si enim Apoſtoli ſcripturas nobis non reliquiſſent, oportebat, inquit S. Irenæus, ordinem ſequi traditionis quem tradiderunt his quibus committebant Eccleſias. Tradidit Eccleſia, ac perpetuo credidit, Romanum Pontificem eſſe Chriſti Vicarium, Petri principis Apoſtolorum Succeſſorem, Catholicæ Eccleſiæ Monarchum; ideò oportet credere, huncque ordinem ſequi traditionis. Præſertim cum etiam num, fæliciter Eccleſiam adminiſtrante Paulo Quinto Pontif. Max. non tantum noti, verum & ignoti Orbis oues, *omneque pecus Cedar, arietes Nabaioth*, ſummo faſtigio illius aduoluti, Paſtorem Paſtorum & Catholicæ Eccleſiæ Monarchum, tam ſubmiſſe, quàm verè, & ex animo confiteantur.

Traditionibus indubitato ſtandū aduerſus hæreticos,

Vera Romanorum Pontificum effigies,

Magne

b *Iuſtus Ryckius Belga, Paulo V. Pontif. Max.*

b *Magne Pater, magni qui iura imitaris Olympi,*
Et procul immenſum nonſinis eſſe polum;
Vidimus hoc toto populos ex orbe fatentes
Ad veſtros ſanctè procubuiſſe pedes.
Vidimus extremis properantes finibus Afros,
Hinc vbi longæuus pondere nutat Atlas,
Venit ab extrema numeroſus Perſide cultor,
Venit & Eoa miſſus ab Armenia.
Et qui Sarmaticis armatus colla ſagittis
Prouocat hoſtiles ad fera bella Getas.
Aurea vix notos tibi ſubdidit India ciues,
Et tremit imperijs vltima terra tuis.
Vox diuerſa ſonat; poſſit tamen vna videri.
Vnum dum cunctis diceris eſſe CAPVT.

Pontifex
Verè Optimus, verè Maximus,
Princeps
Ad immortalitatem natus,
Iuſtitiæ & clementiæ
Patronus.
Religionis ac pietatis
Vindex
Pacis Quietiſque
Auſpex.
Paulus Quintus Burgheſius Romanus.

c *Elias Patriarcha Babylonius in epiſt.*

c Pater Benedictus
Capue Patrum.
SOL Chriſtianitatis.
NOMEN, in quo ſitum eſt ædificium
Eccleſiæ Eccleſiarum.
Dominus Pater
Patriarcharum omnium qui in vniuerſo ſunt.

d *Adam Archidiaconus Camerae Patriarchalis Babylonis archimandrita Monachorum Chaldaeorum, coram Roma.*

d Pater vniuerſalis
Pater Patrum & Rectorum.

Lapis conſtitutus fundamento Eccleſię Dei: Vna Petra ſolida, in qua poſiti ſunt Ordines Eccleſiaſtici, à ſapiente Architecto ædificatore vniuerſi. Fundamentum Eccleſiæ, Caput ſublime totius Chriſtianitatis. Verus Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper terram vniuerſam, per ſucceſſionem veram & legalem, quæ ab illo deriuauit. Summus Pontifex, cui Chriſtus neque fruſtra neque vane dedit Claues altitudinis & profunditatis, & greges rationales, emptos ſanguine ſuo pretioſo.

e *Idatè Maſamune in imperio Iaponenſi Rex Voxij, in epiſt.*
f *Zacharias Varzabied nomine Patriarchæ Armeniæ, & Melchior Maurus Marsheo, Orator Aluari Regis Congi cum Æthiopia inferiore, eadem anno Romæ coram.*
g *Paulus Volanski Epiſcopus Luceorien. Sigiſmundi III. Poloniæ, Sueciæ, Gothorum, & Vandalorum Regis Orator, Romæ 1613.*
h *Carolus Gonzaga Cleuius Dux Niuernenſium, & Retelenſium, Par Franciæ, Campaniæq; Prorex Orator Henrici IV. Regis Galliarum, & Nauarræ, Romæ, 1608.*
i *Alexander Vingtzenſis Princeps, Ludouici XIV. Franciæ & Nauarræ Regis Orator, Romæ 1615.*

e Magnus, & Vniuerſalis ſanctiſſimuſque
totius Orbis Pater.
Opt. Max. ſummus.
Beatiſſimus.
f Primas Eccleſiæ Catholicæ.
Verus ſucceſſor Petri, Pater Patrum.
Paſtor Paſtorum, Caput vniuerſale, Doctor & Magiſter Eccleſiæ vniuerſalis.
g Vnicus Chriſti in terris Vicarius.
Certiſſimus Petri ſucceſſor.
Eccleſiæ vniuerſalis Caput.
eo colendus honore, quo maior
nullus mortalium cuiquam tribui poſſit aut debeat.

h Pontifex, Pontificum Maximorum Optimus Maximus, totius Orbis Epiſcopus, ac Epiſcoporum Epiſcopus, Eccleſiæ Caput, vniuerſi hominum generis parens, Beati Petri Apoſtolorum principis digniſſimus ſucceſſor, Domini ac ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, toto terrarum Orbe Vicarius vigilantiſſimus.

i Eccleſiæ Catholicæ Rector, Chriſti Domini in terris Vicarius, Diui Petri Apoſtolorum Principis legitimus ſucceſſor, Orbis Chriſtiani à ſummis omnium bonorum votis, ſummus Pontifex, Eccleſiæ vniuerſæ Caput, & Pater.

k *Gomeſius Suarez, Dux Feriæ, & Villalua Marchio, Orator Philippi III. Hiſpaniarum, & Indiarum Regis, Romæ coram anno 1607.*

k Præſes Chriſtianæ rei, Arbiter Chriſtianorum, Verus Chriſti ſeruatoris Vicarius in terris, Petri Principis Apoſtolorum in ſede Romana ſucceſſor, Caput Eccleſiæ vniuerſæ, Parens & Paſtor,
Omnium Chriſtianorum

l *Scia Abbas Rex Perſarum, Paulo V. in litteris.*
Eccleſiæ Catholicæ Rector.
a *Antonius Florebellus de auctoritate Eccleſiæ,*

l Summus Pontifex, ſanctus Papa Romæ, potentiſſimus & ſapientiſſimus, & Maximus Principum, fundamentum fidei Chriſtianitatis, Priceps ſuper omnes Principes, Reges & Imperatores totius mundi, benigniſſimus & amantiſſimus, Magnus Pater vniuerſi, Locumtenens Chriſti, Doctor Fidei Chriſtianæ, cui omnes Principes, Reges, & Imperatores obtemperant.

CAPVT II.

Pontifex Romanus ex hominibus pro hominibus, à Deo aſſumptus.

NVllum à Chriſto in cœlos aſcendente, & in terris Eccleſiam militantem relinquente, conſtitutum fuiſſe Rectorem atque Antiſtitem Catholicæ Eccleſiæ, repugnat Sacris Euangelijs, repugnat grauiſſimorum Scriptorum teſtimonijs, repugnat antiquiſſimorum Conciliorum iudicijs, Imperatorum legibus, totius Chriſtiani nominis conſenſui, denique rectæ multitudinis cuiuſcunque hominum regendi rationi, & vero Dei inſtituto, quod in conſtituenda Iudæorum Eccleſia declarauit. Si enim populus Iudaicus, qui præ Eccleſia Chriſtiana exiguus admodum & pupillus erat vſque eo curæ Deo fuit, vt Pontificem illi ſupremum perpetuo prę́ſidere voluerit, ad quem omnes controuerſiæ deferrentur, & cuius decreta atque iudicia reſcindere aut improbare, pœna capitis propoſita, nemini fas eſſet: longè magis Eccleſia Catholica, quam Deus repudiata Iudaica ſibi adoptauit; cui non terreſtria, & caduca bona propoſuit, ſed cœleſtis eam hæreditatis, & beatitudinis, ac gloriæ ſuæ participem eſſe voluit; quamque tantopere dilexit, vt eam filij ſui cruciatu & morte redemerit; & pro qua ipſe Chriſtus, vitam per mortem omnium ignominioſiſſimam depoſuit, Deo & Chriſto Paſtori cordi fuit, vt ei vniuerſæ Antiſtitem præficeret, qui vnus omnium Paſtor eam moderaretur, paxque in ea & concordia faciliùs ſeruaretur, ne ſeditionum procellis ac tempeſtatibus, ſine Duce & gubernatore ſupremo, in extremum diſcrimen adduceretur.

Eius vmbra Synagoga Iudaica,

Hic rector Petrus Apoſtolus
b *Matth. 10.*
c *Ioan 21.*
d *Dionyſ. c. 3. de diuinis nominibus.*
e *Patres Conc. 1. Nicæni.*
f *Conſtantinus Magnus Imper. tom. 1. Concil.*

Petrus is fuit *Apoſtolorum primus*, cui c præ cæteris Apoſtolis Chriſtum diligenti, Chriſtus *omnes oues & agnos* rationales committens, d *Similem cum ſibi Paſtorem, qui Deo charos admitteret, & impios excluderet* inſtituit: qui e *Primas Legationis &* f *Princeps Sacerdotum, vniuerſalis Pontifex*, nec non *totius Chriſtianæ Religionis Caput ab Imperatore cœleſti*

conſti-

conſtitutum, vniuerſorum adminiſtrationi pręſideret, & totum Eccleſiæ Catholicæ corpus in ſeipſo coniungeret, dirigeret, formaret, firmaret, illuſtraret, & qua ab inteſtinis diſſidijs cuſtodiret, qua ab externa vi tueretur; ne vnquam *portæ inferi aduerſum Eccleſiam prævalerent*.

Per eius martyrium minimè capite orbata Eccleſia.

Porrò Petro per Crucis martyrium terras exſcendente, Eccleſiam Catholicam viduatam ſponſo, ſiue ſponſo, Rectore, Antiſtite, & capite, aut remanſiſſe, aut remanere, æque repugnat ſacræ Scripturæ, ſacris Concilijs, Sanctorum cætui, Imperatorum confeſſioni, & vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ ſenſui, atque conſenſui. In ſacra Scriptura, Chriſtus *deſideratus cunctis gentibus*, *lapis de monte exciſus ſine manibus*, poſtque Monarchiarum ſęcularium, *teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum comminuit.* [g] *In diebus regnorum illorum ſuſcitauit Regnum cæli*, Eccleſiam; *quod in æternum non diſſiparetur, & alteri populo non traderetur, & quod comminueret, & conſumeret vniuerſa regna mundi, & ipſum ſtaret in æternū*: ad quod regnum [h] *fortitudo gentium afferretur, & Reges earum adducerentur, & cui Gens, & regnum quod non ſeruiret, omnino periret*: quodque amplitudine ſua, omnium ſæculorum & nationum populos, & Monarchos, & Princeps contineret. [i] *Oportet enim Chriſtum regnare, donec euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem: donec ponat omnes inimicos ſub pedibus Patrie.* Itaque cum [k] Ieſus magnus Filius Altiſſimi, regnare debeat in domo Iacob in æternum, & regni eius nondum ſit Finis; atque Eccleſia, noua *Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas*, etiam eouſque inædificetur *inædificationem corporis Chriſti*: & inædificabitur tamdiu, *donec omnes occurramus in vnitatem Fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate*: oportet ſecundum Scripturas, etiam mortuo Petro, aliquem in Eccleſia eſſe viſibilem lapidem angularem cui fideles inędificentur: aliquod viſibile Caput, cui viſibilia membra concorporentur; vnum viſibilem Paſtorem, cui viſibiles ouilis oues obſequantur; vnum viſibilem Pontificem ſupremum, cuius arbitrio viſibilis Catholica Eccleſia regatur: vnum Regium Sacerdotem Regni cęli quod nunquam excindetur. Is eſt, non quiuis fidelis, nec quiuis Epiſcopus, ſed Romanus Antiſtes; non ambitione irrumpens, non propagatione carnis ſuccedens, ſed electione canonica ex hominibus, diuinitus aſſumptus. Quia enim Apoſtolorum Princeps, & Chriſti Vicarius Petrus, non Hieroſolymis, non Alexandriæ, non Antiochiæ, non Conſtantinopoli ſedem Eccleſiæ Catholicæ, ſed Romæ fixit, indidemque vitam glorioſo martyrio conſummauit; nemo Orthodoxorum, Eccleſiam Romanam, non Cathedram Petri, Apoſtolicumque thronum eſſe affirmauit. [m] Vnde totius Eccleſiæ Catholicæ concors ſententia ad hoc vſque temporis perſeuerat, vt etiamſi (quod lymphatici ſomniant) Petrus nunquam Romam, contra commune Patrum, & hiſtoricorum teſtimonium, veniſſet, nihilominus affirmante Eccleſia, Beati Petri ſedes Romæ ſemper eſt credita. Itaque, [n] non quia Bernardus ſic docet, non quia Cyprianus, aut Auguſtinus, aut Hieronymus, ſed quia Eccleſia Chriſti, ab initio, ſecundum ſucceſſionem ſerie tracta, ad hęc vſque tempora ex ſcripturis ſic credidit, tenuit, docuit, & prędicauit; Romanæ Eccleſiæ Pontifex, eſt vniuerſalis Eccleſię Pontifex, Ieſu Chriſti in terris Vicarius, & Petri Apoſtoli ſucceſſor: ſed non ambitione ipſe irrumpens. In Luciferi partibus ille numeratur, qui ſpiritu carnis inflatus dicit, *Aſcendam in cælum, ſimilis ero Altiſſimo*; natus cauda peſtifera trahere ſecum in barathrum aliquam partem ſtellarum. Semel diuina inſtitutione ſancitum; ſemper Eccleſiaſtica conſuetudine receptum eſt; [o] *ne quis ſumat ſibi honorem, niſi vocatus à Deo quemadmodum Aaron. Nam & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, quemadmodum, & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm Ordinem Melchiſedech.* Petrus quoque non ſibi ipſe ouium, & agnorum Chriſti curam arrogauit, neque ſpontè in Cathedram Pontificiam irruit; ſed qui locutus eſt ad eum; *Beatus es Simon Bari iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi: & ego dico tibi: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: quemadmodum, & in alio loco dicit; *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, & alibi, *& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*; is eum ad ſupremum faſtigij euexit. Qui non eſt vocatus à Deo tanquam Aaron, ſed exemplo Core, Datham, & Abiron ipſe ſibi ſumit honorem; vel ſequitur [p] *viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit; ſcilicet ex illis eſt qui ſunt magiſtri mendaces, qui introducunt ſectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant per quos vis veritatis blaſphematur; qui in auaritia fictis verbis de populo Chriſtiano negotiantur, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt; audaces ſibi placentes, qui ſectas non metuunt introducere blaſphemantes; vbi Angeli fortitudine, & virtute cum ſint maiores, non portant aduerſum ſe execrabile iudicium.* Scilicet qui Ordinem Hierarchicum Eccleſię, quem ne Angeli quidem, quanquam virtute, & fortitudine maiores, ne aduerſum ſe portent execrabile iudicium, aut contemnunt, aut pręuertunt, aut ſibi temerè vſurpant, ſed expectant quouſque mittantur, ipſe pręcipiti temeritate contemnit, pręuertit, vſurpat, nolens obedire iudicio à Deo aſſumpti Pontificis; & ipſe ſe in Cathedram ingerens, neque per oſtium, ſed aliunde, vi, corruptela, ambitione irrumpens, ſchiſma perditionis in Eccleſia introducere, in auaritia fictis verbis de ouibus Chriſti negotiari, ſibi ipſi placens conatur hunc quia alienus eſt, quia maledictionis filius eſt, quia in via Core & Balaam abijt, quia eſt fons ſine aqua, & nebula turbinibus exagitata, cui caligo tenebrarum reſeruatur, & domus lucis concluditur; hunc talem oues Chriſti non ſequuntur, filij Dei non agnoſcunt, congregatio iuſtorum deteſtatur, velut Antichriſtum.

Marginal notes:

[g] Dan. 2.

[h] Iſai. 60.

[i] 1. Cor. 15.

[k] Luc. 1.

Regnū Chriſti æternum.

[l] Epheſ. 4.

Viſibilis lapis Caput & Paſtor in Eccleſia.

Romanus Pontifex legitimè electus.

Eius Sedes Romæ.

[m] Caſpar Schatzigerus lib. 3. tractatu 3. de Primatu Romani Pont. &

Eccleſia Romana ſtatuenda.

[n] Driedo de Eccleſiaſt. Scripturis lib. 4.

Vocatio legitima ad Pontificatum.

[o] Hebr. 5.

Diuina vindicta in ambitioſè honores ſibi ſumentes.

[p] 2. Petri 2.

Eorundem ſuperuacuitas.

Spōtè irrumpens in Cathedram Petri ſchiſmaticus, & Antichriſtus habendus.

I. Schiſma Eccleſiæ Nouatiani aduerſus Cornelium. Eius occaſio.

f Baron. anno 254.

Ante mille trecentos amplius annos, auſus eſt Nouatianus, [f] tres auditores, ac ſimpliciores Epiſcopos, vi & fraude adigere, qui ſe aduerſum Cornelium diuino iudicio deſignatum Pontificem clandeſtinè ordinarent, atque turpi ſchiſmate Romanam Eccleſiam, à ſuo legitimo capite diuiderent. Is quanquam ad Fabium Antiochenum, ad Dionyſium Alexandrinum, ad Cyprianum Carthaginenſem, & ad reliquas omnes Eccleſias ſcripſiſſet, qui eas ſibi adiungeret, nihil adeò profecit, vt etiam Cypriano aureum de vnitate Eccleſię libellum extorſit, quo is oſtendit, Romanam quidem Eccleſiam, *Principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, matrem Eccleſiarum fœcunditatis ſucceſſibus copioſam, & Cathedram Petri ſuper quam fundatur Eccleſia eſſe*, Cornelium verò *ad SVBLIME SACERDOTII FASTIGIVM, cum Fabiani, id eſt, cum locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret*, legitima vocatione *aſcendiſſe*: cui qui non coniungerentur, pro ſchiſmaticis, & hęreticis habendi forent. Pręclara vox; *Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; A fonte præcide riuum, præciſus areſcet.* Sic & ab Eccleſia Romana, vnico ſole, vnica arbore, vnico fonte [g] *radice & matrice, cuius ſinum, atque complexum tunc diuerſæ partis obſtinata pertinacia non tantum recuſauit, ſed etiam adulterum, & contrarium caput Nouatianum extra Eccleſiam fecit*, quiſquis ſeſe diuiſerit, pereat neceſſe eſt. [t] *Qui enim Cathedram Petri ſuper quam fundatur Eccleſia deſerit, in Eccleſia eſſe non poteſt.*

A Romana Eccleſia vnitas Sacerdotalis exorta.

Præclara Cypriani vox.

g Cypriani. lib. 2. ep. 10.

t Cypriani de vnit. Eccleſ.

Ne in ęternum perirent, nonnulli à Nouatiano in Africa ſeducti, eiurato ſchiſmate ita confitentur: [u] *Nos Cornelium Epiſcopum Sanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ, electum à Deo Omnipotente & Chriſto Domino noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur. Nos impoſturam paſſi ſumus: circumuenti ſumus perfidia, & loquacitate captioſa. Nam etſi videbamur quaſi quandam communicationem cum ſchiſmatico, & hæretico homine habuiſſe, ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit. Nec enim ignoramus vnum Deum eſſe, vnum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus; vnum Spiritum Sanctum; vnum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere.* Iſta quidem lapſi. Cęteri verò cum ex Cypriani litteris cognouiſſent, Nouatianum, rerum nouarum ſemper fuiſſe cupidum, auaritię inexplebili rapacitate furibundum, arrogantia ſuperbi tumoris inflatum; quaſi hęreticum ſemper & perfidum, omnium Epiſcoporum voce damnatum; curioſum, vt proderet; adulatorem vt falleret; facem & ignem ad conflanda ſeditionis incendia; turbinem & tempeſtatem, ad fidei facienda naufragia; hoſtem quietum, pacis inimicum: ſpoliatos ab eo pupillos, fraudatas viduas, pecunias Eccleſię denegatas: patrem eius in vico fame mortuum, & ab eo in morte poſtmodum nec ſepultum, vterum vxoris calce percuſſum, & abortione properante in parricidium partus expreſſum; ipſum ante baptiſmum opera exorciſtarum à maligno ſpiritu liberatum, nec niſi timore mortis, cum in lecto ęgrotans baptiſmum ſuſcepiſſet, Chriſtianum factum: Ordinis Presbyteratus ſecundum regulas Eccleſiaſticas penitus incapacem, atque nefandiſſimis ſceleribus inquinatum, nec niſi vi, ac fraude Romanum pſeudo Epiſcopum à tribus deſignatum, ab Eccleſia proiecerunt, à qua ipſe apoſtata, iudicium Epiſcoporum voluntaria diſceſſione prȩueniens, ſeipſum prȩſciderat. Oues Chriſti non ſequuntur alienum: non audiunt ambitione irrumpentem.

Schiſmaticorum reſipiſcentium egregia confeſſio.

u Apud Cypr. epiſt. 46. 47. 48 49.

Horrenda Nouatiani flagitia.

Apoſtata ab Eccleſia præciſus.

Centum poſt annis, [x] Liberio Pontifice propter Catholicæ Fidei conſtantiam, in exilium deportato, cum Felix Romanæ Eccleſiæ Diaconus, ab Acacio Epiſcopo Cæſarienſi Arrianorum principe, & ab Vrſacio eiuſdem ſectæ audaciſſimo electus, & à tribus deinde Arianis Epiſcopis, Epicteti Epiſcopi Centumcellenſis Arrianorum ſæuiſſimi, & ad omnia ſcelera promptiſſimi, ac proindè Imperatori Conſtantio chariſſimi molitione ordinatus, ſedem Romanam, viuente, neque quicquam adhuc demerito Liberio inuaſiſſet, quanquam is Orthodoxam fidem profiteretur, nec niſi communionis, & ordinationis conuenientia in partibus Arrianorum eſſe videretur, nemo tamen ex populo Romano in Eccleſiam ingredi voluit, dum Felix intus eſſet, quoſque [y] poſt biennium, Liberio vocem Conſubſtantialitatis non quidem improbante, ſed ſilentio ſupprimente, atque hæreticis in damnationem Athanaſij conſentiente, quamquam non hæreſis labe, ſed tantum ſuſpicione laborante, clerus Populuſque Romanus, Felici Pontificatum legitimè detuliſſe. Deteſtati ſunt prius velut alienum: ſecuti ſunt poſtea canonicè declaratum. Oues enim Chriſti non audiunt ambitione irrumpentem.

x Baron. anno 355. ex Hieron. Theodoreto, Sozomeno, & Athanaſio.

Schiſma II. Felicis contra Liberium.

y Baronius anno 357.

[z] Iam decem annis elapſis, in Liberij defuncti (cæſo pro fide Felice, hic à communione Arrianorum abrumpens, Cathedram Romanam receperat) locum, à maiori ſaniorique parte Damaſo ſuffecto, cum nonnulli, collecta factioſorum hominum manu, Vrſinum, quem vulgo Vrſicinum, in baſilica Sicinnini oppoſuiſſent, tantum abeſt, vt per vim intruſum ſchiſmaticum ſequerentur, vt etiam armis perſequerentur, donec cauſą publicis iudicijs ſępè diſcuſſa, Imperatores aduerſus ſectarium decreuerint, & Prætextatus vrbis Præfectus, in exilium abire illum præceperit. Oues Chriſti non ſequuntur alienum, ſed iudicium Dei aſſumptum.

z Baronius anno 367.

III. Vrſini aduerſus eundem Liberium.

Sed & quinquageſimo ſubſecuto anno, [a] cum pars ſeditioſorum, aduerſus Bonifacium Pontificem, Eulalium Archidiaconum obtruſiſſet, inque eius cultum, non tantum Symmachum vrbis Præfectum, ſed etiam Honorium Imperatorem ſeduxiſſet, Clerus Populuſque Catholicus, datis Honorio litteris, in quibus certa fide narrarunt, Bonifacium antiquum Presbyterum, in lege doctiſſimum, ac bonis moribus comprobatum, inuitum, ac reluctantem, acclamatione totius populi, ac conſenſu Optimatum ciuitatis, à ſeptuaginta Presbyteris, & nouem Epiſcopis, diuinæ inſtitutionis ordine conſecratum fuiſſe; Eulalium verò Archidiaconum, circumuentis diaconis & pauciſſimis Presbyteris, ac multitudine turbatæ plebis, in locum ſibi non debitum, incuſtodito religionis ordine per

a Baronius anno 418.

IV. Eulalij aduerſus Bonifacium.

ambi-

ambitum protuiſſe; tantum egit, vt Honorius, Eulalium publicæ ſeditionis auctorem, & clericos ei communicare præſumentes, Vrbe expelli, laicos veró honeſtiores quidem proſcriptione, ſeruos autem capite puniri decreuerit, vtque Bonifacius in Vrbem deduceretur, Eccleſiamque Catholicam tanquam verus, & legitimus Paſtor regeret, edixerit. Oues Chriſti non agnoſcunt, furto, & latrocinio aliunde quam per oſtium introeuntem.

[b Baron. anno 498. V. Laurentij aduerſus Symmachum.]

Grauius eſt quod ſequitur. Anno, poſt hæc Octuageſimo, [b] Chriſti autem 498. Anaſtaſius Imperator hæreticorum erroribus impiatus, Feſto Romano Patricio præſcripſerat, qui recens electo Pontifici ſuaderet, Henotici Zenonis ſubſcriptionem. Recuſante Symmacho tam impium ſcelus, agente Feſto id pecunijs, eodem die in Baſilica S. Mariæ Laurentius intruſus eſt. Negauit Clerus populuſque Catholicus ſchiſmatico obedire: controuerſiaque ad Theodoricum Regem delata, obtinuit, vt is ſecundum Symmachum pronunciaſſet, quod primo ordinatus eſſet, & à maiori parte ſederet. Erat, quod Symmachum nonnihil torqueret, quod non ratio, ſed neceſſitas ingruentis ſeditionis eum impuliſſet ſubire Regis Arriani iudicium. Itaque vt omnia more maiorum fierent, decerneretur; legitimè creato Pontifici vrbis, atque Orbis Epiſcopatus, Synodum ſeptuaginta duorum Epiſcoporum, Romanorum Presbyterorum ſexaginta ſeptem, & Diaconorum quinque, Kalend. Martij, Romæ apud S. Petrum habuit: inque illos procaces ambitores; ex Senatus conſilio anathema tulit, quicunque ſuperſtite Pontifice, eoque inconſulto, tractarent de alterius poſt illius obitum electione, vel ipſum Pontificatum ambirent. Tunc demum vniuerſa Eccleſia, Laurentium ſchiſmaticum abhorruit. Oues enim Chriſti, Simonem aureo hamo prendentem, deteſtantur.

[Anathema in ſchiſmaticos.]

[c Anno 530. VI. Dioſcori aduerſus Bonifacium II.]
[d Anno 686. VII. Theodori & Petri presbyterorum contra Cononem]
[e Anno 687. VIII. Paſchalis contra Sergium.]

Hinc [c] Dioſcorum Diaconum, Simoniæ crimine infamem, aduerſus Bonifacium Secundum, per factionem intruſum, etiam poſt fata, exhorruerunt. [d] Theodorum, & Petrum Presbyteros, per ſeditionem irrumpentes dereliquerunt, & Cononi vero Pontifici adhæſerunt: atque [e] Conone paulo poſt vita exeunte, etiam Paſchalem, centum auri libris Pontificatum mercantem, ac ſortilegijs & idololatriæ flagitio viam ſibi contra Sergium ante ſe electum aperientem, Archidiaconatus dignitate exuerunt, monaſterioque in quo impænitens mortuus eſt, incluſerunt. quemadmodum neque alium quemdam, poſt annos centum triginta ſeptem, [f] contra Eugenium Secundum ſeſe erigentem paſſi ſunt, quin Ludouici Imperatoris auxilium implorarent, vt ſchiſmatici conatus reprimeret. Is vero Lotharium filium & imperij collegam miſit, qui Eugenio, doctrina, virtutibus, ac pietate clariſſimo, Pontificatum integrum eſſe voluit; ac omnia rite, ex beneuola Eugenij diſpoſitione, componens, Conſtitutionem promulgauit; qua Pontificum electiones, *ſecundum antiquam conſuetudinem, & ex præſcripto ſanctorum Patrum fieri voluit*; atque politicum vrbis ſtatum ex *eorundem Pontificum & Imperatorum Conſtitutionibus* diſponi.

[f Anno 824. IX Cuiuſdam contra Sergium.]

[X. Sergij Diaconi contra Formoſum.]

Pari contentione, contra Sergium Diaconum, [g] poſt annos circiter ſeptuaginta, conſurrexerunt, neque huic ſed Formoſo auſcultarunt: quem ſcirent more maiorum aſſumptum, tum religione. tum morum integritate, atque doctrinæ, magnæ ſanctitatis Epiſcopum fuiſſe: maiores ſpiritus pro Gregorio Quinto, [h] contra Ioannem Epiſcopum Placentinum, Creſcentiorum potentia eleuatum, ſumpſerunt. Cum enim is ingentis collatione pecuniæ Gregorio eiecto, Pontificatum inuaſiſſet, reſipiſcentes paulo poſt Romani, manibus, auribus, naribus, atque oculis, eum priuarunt, aſelloque impoſitum vultu in caudam verſo, tenere eandem aſini caudam, ac per publicas vrbis vias perductum clamare compulerunt; *Tale ſupplicium patitur, qui Romanum Papam de ſua ſede pellere nititur.* Sed neque Benedicto VIII. [i] contra Gregorium quendam aduerſus ſacros Canones intruſum defuerunt: ſed à Rege Henrico, ad quem ille confugerat præmiſſum, pro no pede ſecuti ſunt. quin etiam edicentem audierunt; *Vt ne quiſquam audacter Imperij Romani ſceptrum præproperus geſtare Princeps appeteret, ſeu Imperator dici aut eſſe valeret; niſi quem Papa ſedis Romanæ morum probitate deligiſſet aptum Reipublicæ, eique inſigne imperiale commiſiſſet.* [k] Triginta vero duobus poſt annis, cum aliqui, Benedictum IX. multis criminatum, ſede eieciſſent, & is ſedi ſuæ reſtitutus, ea ſponte deceſſiſſet, atque Romanorum Proceres, ei viuenti Syiueſtrum quendam ſurrogaſſent, ac Ioannem à Benedicto ob auaritiam contra Canones ordinatum repuliſſent; Benedictus vero pænitudine ductus dimiſſam Cathedram repetijſſet; ſicque tumultuaria machinatione optimatum, tres crimi noſi, alter ad S. Petri Confeſſionem, alter in Baſilica Laterana, tertius ad Sanctum Maiorem Pontificatum ad ſe detraherent; Clerus Populuſque Romanus, Gratianum religioſum presbyterum hortatus eſt, qui vexationem Eccleſiæ, pecunia propoſita redimeret, eiſque ſancta ſede cedere perſuaderet. Non vllum ex tribus audire ſuſtinuerunt, ſed Gratianum nomine Gregorij Sexti Pontificem electum adorarunt, quod *Eccleſia Dei per eius canonicam electionem, Simoniæ & turpitudinum ſordibus expurgatis, priſtinum decorem eſſet conſecuta: eius fama, quicquid prior fœdauerat, in melius reformauit.* Cumque Gregorio VI. Clemente II. Damaſo II. Leone IX. Victore II. & Stephano X. defunctis, [l] poſt annum XIII. iterum Benedictus aduerſus Nicolaum Secundum ſedem Apoſtolicam inuadere tentauiſſet, in Concilio Sutrino, antequam verus Pontifex in vrbem ſe intuliſſet, Benedictum anathemate damnarunt, & tandem veniam flagitiorum poſtulantem ſacerdotio exuerunt: vnico vero Paſtori Nicolao obſequentes. Iam [m] Nicolao II. fatis concedente; cum aduerſus Alexandrum II. Guibertus Regis Henrici Cancellarius, Cadaloum Parmenſem Epiſcopum, virum perditiſſimum & manifeſte Simoniacum, non Synodi ſuffragijs, neque à pluribus quam duobus tantummodo, ijſdemque publico concubinatu infamatis, Vercellenſi & Placenti-

[g Anno 891.]
[h Anno 996. XI. Ioannis Epiſcopi Placent. aduerſus Gregorium V.]
[i Anno 1012. XII. Gregorij cuiuſdam aduerſus Benedictum VIII.]
[k Anno 1044. Trium ſimul aduerſus Benedictum IX.]
[l Anno 1057. XIV. Benedicti IX. aduerſus Nicolaum II.]
[m Anno 1061 XV. Cadaloi contra Alexandrum II.]

no Epiſcopis deſignatum, Romanæ ſedi impoſuiſſet, & is Cadaloitarum, exemplo Nicolaitarum, ſectam, per ſumma flagitia inſtituiſſet, à Romanis, Duce Godefrido, caſtris exutus, ſpoliatus, & profugus, ad extremum in Synodo Osborienſi damnatus eſt. Fures, & alienos, oues Chriſti proſequuntur, non ſequuntur.

XVI. Grauiſſimum Guiberthi aduerſus Gregorium VII. a Anno 1080. & ſeqq.

Grauiſſimum eſt, quod Gregorium Septimum exceperat. a In Henricum Regem Germanię, quod omnia ſacra prophanaret, ſacerdoteſq; & Epiſcopos partim vinculis manciparet, partim trucidaret, anathema, ex Concilij Romani ſententia promulgarat, omnique dignitate & poteſtate Regum priuauerat, nec non cunctos ei ſubditos iuramento fidelitatis exſoluerat. Is porrò, habito cum ſuis non plus quam 30. Epiſcopis, ac Principibus eadem cenſura damnatis, Brixino in Noricis, conciliabulo, in Gregorio iam octo annos Pontificem ſententiā depoſitionis pronunciauit quaſi is ſedem Apoſtolicam malis artibus inuaſiſſet, Ordinem Eccleſiaſticum ſubuertiſſet, Chriſtiani imperij regnum perturbaſſet, diſcordias inter omnes ſeminaſſet, ac Regi Catholico mortem corporis & animę intentaſſet, & in Epiſcopos contumelioſus extitiſſet. Falſa omnia innocentiſſimo Pontifici imponebantur. tamen phanatico ſchiſmaticorum conuentui placuit, Gregorium deponere, & Guiberthum pſeudo Archiepiſcopum Rauennatem ſedi Romanę imponere. Fuit Guibertus periurus, parricida, ſchiſmatis nuper Cadaloici anteſignanus, non ſemel anathemate ictus & Rauennate cathedra propter flagitia deiectus. Promotores habuit, Hugonem Cardinalem cognomento Candidum, mente vero nigerrimum, ac dudum pro ſceleribus iuſte excommunicatum & abiectum. Qui Antipapam exſecrarunt, verius quam conſecrarunt, fuere Epiſcopi Mutinenſis & Ariminenſis, dignitate mori. Henricus Rex idolum abominationis erigebat, & vna cum Antipapa Italiam vaſtabat, Romam pręmebat. Cęterum oues Chriſti alienum non ſuſtinuerunt, ſed Gregorium coluerunt. Et in primis quidem S. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, vir litteris apperime eruditus, ingenio acutiſſimus, facundia pręcipuus, atque in Dei timore & ſancta conuerſatione celeberrimus, miraculis in vita & poſt mortem clarus, & Deus dedit Cardinalis, calamum pro Gregorio VII. aduerſus Guiberthum pręuaricatorem ſtrinxerunt. Robertus Guiſcardus inſignis Dux, arma in Henricum & Antipapam ſumpſit; patres Concilij Romani, in vtrumque gladium Eccleſiaſticę diſciplinę vibrarunt; Catholicorum innumerabiles, Gregorij Pontificis litteris roborati, duriſſima admodum pati potius delegerunt, quam ab vnitate Eccleſię deſciſcere: Comitiſſa Mathilda, & pecunia, & armis, & omni conatu Gregorium pro defenſione Eccleſię iuuit; Henricus in Italiam cum parua manu veniens, vix locum ab his, per quos tranſiret, habere potuit: quin etiam Romę periculum mortis adijt, non quidem Gregorij ſuggeſtione, quod hęretici mentiuntur, ſed cuiuſdam ignoti hominis zelo, qui nefarium Principem ſaxo, pręgrandi obruere parauerat. Synodus Quintilineburgenſis, in Guiberthum hęreſiarcham, ſedis Apoſtolicę inuaſorem, & in nonnullos Epiſcopos ſchiſmaticos excommunicationem cum ardentibus candelis diuulgauit: Deus autem acta Gregorij aduerſus ſchiſmaticos miraculo comprobauit. Damnato Guibertho & Henrico, Caſſinum ſe receperat. vbi cum aliquando Miſſam celebraret, viſa eſt viro cuidam rapto in extaſim, niueo candore columba, alis expanſis Pontificis humeros protegere; & poſtquam ad Altare deſcendens, caput blande ſuper Hoſtiam ſacratiſſimam flexiſſet, volatu pręperi ad cœlum remeare. Viſionem hanc idem vir nocte ſequenti diuinitus iuſſus eſt Gregorio renunciare, illumque hortari, vt quod pro Eccleſiaſtica vnitate cœpiſſet, vigore Spiritus ſancti exequeretur. Præter S. Anſelmum Lucenſem, & Deus dedit Cardinalem, Guillelmus Hirſangienſis, & Hugo Cluniacenſis Abbates, S. Anſelmus Canthuarienſis Antiſtes, Marianus Scotus, & Lambertus Schafnaburgenſis ſui temporis grauiſſimi hiſtorici Gregorium VII. laudarunt. Bernardus Corbienſis Monachus, Paulus Benriedienſis & Gerochus Richerſpergenſis Antiſtites, per eodem apologeticos, quos Auentinus II. t. Annalium Boiorum ſe legiſſe fatetur, ſcripſerunt, & ſedibus ſuis pulſi, in exilium abire quam Guiberto obedire maluerunt: idemque ſupplicium Giſelbertus & Diemon ſanctiſſimi Archimandritæ ſubierunt. Italia, Hiſpania, Gallia, Polonia, Anglia, Græcia, Dania, Saxonia, Hungaria, cæteræque orbis Chriſtiani regiones Gregorio paruerunt: quod legerent, Sacri Concilij iſtud enunciatum: *Nos S.R.E. Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præſentibus Epiſcopis, Abbatibus, multiſque tum Eccleſiaſtici tum Laici Ordinis eligimus hodie, Calendis Maij in Baſilica S. Petri ad Vincula, anno ſalutis 1072. in verum Chriſti Vicarium, Ildebrandum Archidiaconum, virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, iuſtitiæ, conſtantiæ, religionis, modeſtum, ſobrium, continentem, domum ſuam bene gubernantem, pauperibus hoſpitalem, in gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ libere à teneris vſque ad hanc ætatem educatum, doctum, Quem quidem cum ea poteſtate præeſſe volumus Eccleſiæ Dei, qua Petrus quondam præfuit Dei mandato.* Tantum valuit apud Catholicos ea Patrum conteſtatio, vt Sanctus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus auſus ſit Guiberto Antipapæ, eam Gregorij electionem electioni S. Cornelij componere, illudque quod S. Cyprianus de Cornelio ſcripſit pſeudopontifici de Gregorio ſcribere: *Factus eſt Epiſcopus de Dei & Chriſti eius iudicio, de Clericorum pene omnium, & vt verius dicam, omninò omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc aderat ſuffragio, de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum voluntate, atque omnium noſtrum conſenſu ordinato. Quiſquis ergo iam Epiſcopus voluerit fieri, foras fiat neceſſe eſt; nec habet Eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiæ non tenet vnitatem. Quiſquis ille fuerit, licet multum de ſe iactans, ſibi plurimum vendicans, prophanus eſt, alienus eſt, foris eſt. Et cum poſt primum ſecundus eſſe non poſſit, quiſquis poſt vnum qui ſolus debet eſſe factus eſt, iam*

non

Calumnię Gregorio falſo impoſitæ.

Schiſmatis huius promotores.

Propugnatores Gregorij VII. Romani Pontif.

Henricus Rex Germaniæ Schiſmatis cauſa capitis periculum ſubit.

Viſio diuina pro innocentia Gregorij.

Alij eiuſdem Gregorij defenſores.

Enunciatum ſacri Comitij pro eodem Gregorio.

Conteſtatio Anſelmi Lucenſis Epiſcopus ad Guiberthum Pſeudopontificem.

Item ad Epiſcopos impœnitentes.

non ſecundus ille, ſed nullus eſt. Hæc pſeudo-pontifici ſuperbo prænaricatori Anſelmus ſcribebat, illud 19. Epiſcopis impœnitentibus anno 1106. inculcans; *Patet, inquit, & reſpuitur, condemnatur & anathematizatur hæreſis Guibertina, vel Henriciana. Abdicatis ſiue fugatis hæreſibus Catholici Cathedris Pontificalibus deſtinantur, è quibus etiam aliqui inter ipſa feſta conſecrantur. Denique in tantum diuinæ legis ſubito feruor efferbuit, vt etiam ipſa cadauera pſeudoepiſcoporum ab Eccleſijs eliminarentur. Quotquot autem ab ipſis erant ordinati; vſque ad generalem audientiam ab officijs ſuſpenderentur. Ad extremum iam exaltatis ſibi diuinitus Romanæ Eccleſiæ cornibus, ad incutiendum timorem, cunctis vſquequaque ſchiſmatum membris, etiam Capitis ipſius oſſa, Guiberti ſcilicet dicti Papæ, de ſepulchro ſuo, quod per quinque annos tam in Eccleſia Rauennenſi poſſederat, proijci fecerat, vniuerſaque eius inſtituta, vt verè non Apoſtolici, ſed apoſtatici, inuaſoris annullari decreuerat.* Non agnoſcunt Oues Chriſti lupum prædatorem. Singulari iſto apro, deſperationis & mœroris dente conſumpto,

o *Anno 1100. & 1106.*

XVII. Quatuor ſimul aduerſus Paſchalem II.

o Henricus ſenior, contra Paſchalem II. verum Pontificem, tres vel quatuor ſucceſſiue, Albertum, Theodoricum, Maginulphum, & Syluestrum Antipontifices, obtruſiſſet, areſcentibus ſuo ortu ipſorum tribus illis maledictionis palmitibus, Syluestrum ſtatim atque intruſus eſt, expulerunt.

XVIII. Burdini aduerſus Gelaſiũ II.

p *Anno 1118.*

Cumque p Gelaſio II. idem Henricus, Burdinum ex Archiepiſcopo Bracarenſi oppoſuiſſet, & Gregorium nominaſſet, & is è munitione Sutrina Eccleſiam perſequi, peregrinos prædari, & alia nefanda committere non ceſſaret; eum milites Catholici obſederunt, ceperunt, innumeris maledictis impetitum, & piloſa pelle veruecis pro chlamyde rubea indutum, camelo ex aduerſo, data ei in manus pro freno cauda, ſupraposuerunt, per mediam vrbem Romam contumelioſe deductum, à Concilio Generali anathemate damnatum, in Campaniam ad perpetuum carcerem deportarunt.

XIX. Petri Leonis contra Innocentium II.

q *Anno 1130. Bern epiſt. 124. 125. 126. & 242 & in vita Sancti Bernardi l. 2. cap. 1. 2. 5. 7.*

Quid cum Petro Leonis, qui Anacleti nomine ſumpto, contra Innocentium II. ſeſe erexerat, egerint, non illubet cognoſcere. q Electio meliorum, approbatio plurium, & quod his efficacius eſt, morum atteſtatio Innocentium apud omnes commendabant & ſummum Pontificem confirmabant. Anacletus homo peccati, ſuper electum à Catholicis Catholicum, locum Sanctum, non quia ſanctus, ſed quia ſummus eſt, affectarat, inuaſerat, inque eum armis, igne, pecunia, non vitæ aut virtutum merito innolarat. Namque illa quam iuratorum ſuorum iactabat, non electio ſed factio, vmbra tantum fuit & occaſio, & velamentum malitiæ.

Electio quæ ſata.

Dici poteſt electio, ſed mendaciter, atque impudenter. Stat quippè ſententia Eccleſiaſtica & authentica, poſt primam electionem non eſſe ſecundam. Celebrata proindè prima, quæ ſecundo præſumpta eſt, non eſt ſecunda, ſed nulla.

Anacleti violenta irruptio, ſacrilegia, direptiones aliaque immaniſſima flagitia,

Ab hac ſecunda, quæ nulla, cum Anacletus emerſiſſet, & in Baſilicam S. Petri per violentiam introiuiſſet, indidemque in ſanctuario, & in imagine Cruci affixi pendentes aureas coronas, cum toto auri, argenti, & gemmarum theſauro per ſacrilegium abſtuliſſet, nec non Patriarchium S. Mariæ ad Præſepe, & S. Eccleſiam Lateranenſem, omneſque alias, longè ditioribus cymmelijs ſpoliaſſet, cumque calices frangere, ac Crucifixos aureos membratim diuidere, vel ipſi prophani eius ſectarij vel timerent, vel erubeſcerent, eos Iudæis comminuendos conflandoſque tradidiſſet, auctorque fuiſſet, vt cunctarum Romæ Eccleſiarum omnis ornatus & cenſus profligatus eſſet; & quicquid in altaribus vel in altarium vaſis, quicquid in ipſis ſacris imaginibus auri & argenti reperiri tunc poterat, manibus impiorum direptum & aſportatum foret, ac proinde decor Domini irreparabiliter perijſſet; inſuper auderet inimicus crucis Chriſti, ſuis ſedibus pellere ſanctos, qui nolebant beſtiam adorare, quæ aperuerat os ſuum in blaſphemias, blaſphemare nomen Domini & tabernaculum eius; ac præter hæc altare contra altare erigere tentaret, fundere fas nefaſque non confunderetur; Abbates Abbatibus, Epiſcopos Epiſcopis ſuperintrudere niteretur, amoueret Catholicos, promoueret ſchiſmaticos; mare & aridam vt faceret Epiſcopum vel potius filium gehennæ duplo quam ſe, circuiret: & quod grauius eſt, in Innocentium ſede pulſum, ex pſeudoconcilij ſententia anathema ſtrinxiſſet; cumque nullum Principem Chriſtianorum, præter Rogerium Siciliæ atque Calabriæ Ducem in partem ſuam trahere poſſet, & in gratiam illius prophanæ Monarchiæ, ſub qua iterum ante Pilatum Ieſus ſudat, fundamenta ieciſſet, cum hic auctoritate Anacleti interdixiſſet, ſanxiſſetque ne quis Epiſcoporum aut Abbatum Siculorum Innocentio obtemperaret; Catholicos Principes & populos vehementer offendit, vt impium abominarentur.

Catholici Principes ſtant pro Innocentio & quinam illi.

Namque qui Dei erant, libenter iuncti erant Innocentio. Omnes enim principes cognouerant, quia ipſe eſſet vere Dei electus; Francorum, Anglorum, Hiſpanorum, & poſtremo Romanorum Rex ipſum in Papam ſuſceperant & recognouerant ſingularem Epiſcopum animarum ſuarum Alemaniæ etiam, Scotiæ & Hieroſolymorum Reges cum vniuerſo clero & populis, huic adhæſerant, tamquam capiti membra, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: quod eius & opinio clarior, & electio ſanior inuenta ſit; nimirum eligentium & numero vincens, & merito. Dei quoque iudicium ſenſerant, & conſenſerant, Galterius Rauennas, Hildegarius Tarraconenſis, Norbertus Magdeburgenſis, Conradus Saltzburgenſis Archiepiſcopi, Dei iudicium eſſe cognouerant & acquieuerant, Epiſcopi Equipertus Monaſterienſis, Hildebramus Piſtorienſis, Bernardus Papienſis, Landulphus Aſtenſis, Hugo Gratianopolitanus, Bernardus Parmenſis: quorum gloria ſpecialis, & præcipua ſanctitas, & auctoritas etiam hoſtibus reuerenda, facile S. Bernardo ſapere perſuaſit. Taceo multitudinem cæterorum, Tuſciæ, Campaniæ, Longobardiæ, Germaniæ, & Aquitaniæ, Galliarum denique & Hiſpaniarum omnium, nec non & vniuerſæ Orientalis Eccleſiæ tam Epiſcoporum, quam Archiepiſcoporum, quorum nomina ſunt in libro vitæ. Hi omnes

vna-

vnanimes, non conducti pecunia, non ſeducti ſallacia, non illecti priuato carnis vel cognationis amore, non timore compulſi potentiæ ſæcularis, ſed Dei proculdubio voluntatem, ſicut non ignorantes, ita nec diſſimulantes, Petrum Leonis ingenue refutauerant, ac ſecurè Gregorium, in Papam Innocentium ſuſceperant. Non etiam debeo prætermittere ſanctos, qui mundo mortui Deo melius viuebant, quorum vita abſcondita erat cum Chriſto in gloria, Camadulienſes, Vallumbroſani, Carthuſienſes, Cluniacenſes, & qui de maiori Monaſterio erant: item Ciſtercienſes, Caſtemblenſes, Cadumenſes, Tironenſes, & Sauiniacenſes, vniuerſitas denique & vnanimitas fratrum tam clericorum, quam Monachorum regularis vitę probatęque conuerſationis, ſequentes Epiſcopos tamquam greges paſtores ſuos, Innocentio firmiter obſequebantur, verum Apoſtolorum ſucceſſorem fideliter cognoſcentes. In ſumma, Reges & Principes terræ, & non nemo in quocunque ordine vitæ illuſtris & boni nominis homo, in eodem ſpiritu, vna cum plebibus, Innocentium amplectebantur, & Petrum Leonis refugiebant, præter Ducem Apuliæ, ſolum ex principibus, ipſumque vſurpatæ coronę mercede ridicula comparatum. Firmum illis Sancti Bernardi oraculum: *Qui Dei ſunt, Innocentio libenter iunguntur: qui autem ex aduerſo ſtat, aut Antichriſti eſt, aut Antichriſtus.* Ne Antichriſtiani eſſent Catholicorum Epiſcopi, Concilio Stampis, Rhemis, Piſis, & Laterani celebrato, in Anacletum diras Eccleſiaſticas pronunciarunt, quod viderent etiam per miracula grauiſſima & illuſtriſſima, quę S. Bernardus vnitatis Eccleſię curator perpetrabat, Innocentij aſſumptionem comprobari. In Monaſterio Claræ Vallis, quo ſe Innocentius contulerat, vnum ex fratribus ſpiritu blaſphemię infeſtum, dicentem, vt ſe Chriſtum faterentur, eiecto dæmonio liberauit. Mediolani, quo iuſſu Innocentij pro vnione Eccleſię tranſierat, mulierem ſeptem annis à ſpiritu immudo diuexatam ſolo verbo perſanauit. Ab altera puella, ſola ablutione digitorum, poſtquam ſacram Hoſtiam litaſſet, eius ori infuſa dæmonem profligauit. Indidem, ex muliere grandæua, ſerpentem tortuoſum antiquum, ſuperpoſita eius capiti ſancta Euchariſtia eiecit. Iſtis verbis tenebroſum compellauit; Adeſt inique ſpiritus, iudex tuus: adeſt ſumma poteſtas; iam reſiſte, ſi poteſt. Adeſt ille qui pro noſtra ſalute paſſus, nunc inquit princeps mundi huius eijcietur foras, hoc illud corpus eſt, quod de corpore virginis ſumptum eſt, quod in ſtipite crucis extenſum fuit, quod in tumulo iacuit, quod de morte ſurrexit, quod videntibus diſcipulis aſcendit in cœlum. In huius ergo maieſtatis terribili poteſtate, tibi ſpiritus maligne præcipio, vt ab hac eius ancilla egrediens, contingere eam deinceps non præſumas. Dixit Bernardus, pacem populo imprecatus eſt, dæmon abſceſſit, Mediolanenſis Eccleſia ſchiſmate eiurato, Innocentio adhæſit, cum etiam alios dæmoniacos ibidem S. Bernardus curaſſet. Iam & Salerni, quidam vir nobilis, ſuccumbentibus medicis, per ſomnium admonitus, ſanctum virum, quæſiuit, inuenit, aquam de lauacro manuum eius petijt, bibit, conualuit. Acceſſerat Salernum Bernardus, vt Rogerium Siculum Innocentio coniungeret. Aduerſum illum, hæc pro Innocentio, præſentibus Petro Piſano, & alijs Anticardinalibus perorauit: *Tunicam Domini, quam in tempore paſſionis nec ethnicus præſumpſit ſcindere, fautore hoc Domino Petrus Leonis lacerat & diſrumpit. Vna eſt fides, vnus Dominus, vnum batiſma: Nos neque duos Dominos nec geminam fidem, nec duo baptiſmata nouimus. Vt ab antiquis ordiar, vna arca tempore diluuij fuit. In hac octo animæ cæteris omnibus pereuntibus euaſerunt, & quotquot extra arcam inuenti ſunt perierunt. Arcam hanc typum habere Eccleſiæ, nemo eſt qui ambigat. Arca alia nuper fabricata eſt, & cum ſint duæ, alteram neceſſe eſt eſſe adulteram, quæ in profundum demergit. Arca quam regit Petrus ſi ex Deo eſt, neceſſe eſt, vt arca quam regit Innocentius obruatur. Peribit ergo Orientalis Eccleſia, peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania, Iberi & Angli, & barbara regna in profundum pelagi demergentur. Religio Camaldulenſis, & Carthuſienſis, & Cluniacenſis, & Grandimontenſis, & Ciſtercienſis, & Præmonſtratenſis, aliaque innumerabilia ſeruorum & ancillarum Dei collegia, neceſſe eſt, vt ſub vno turbine corruant in abyſſum. Epiſcopos & Abbates & reliquos Eccleſiæ principes collo præcipiti mola aſinaria alligata Pelagus vorax excipiet. Solus ex principibus mundi arcam Petri iſte intrauit Rogerius, & cæteris omnibus enecatis, ſolus ipſe ſaluabitur! Abſit, vt totius mundi religio pereat, & ambitio Petri (cuius vita palam eſt qualis extiterit) regnum cælorum obtineat.* Soluta concione Rex needum voluit obedire, quia S.Petri patrimonium quod in Caſſinenſi & Beneuentana prouincia ampliſſimum eſt, cupidus occupauerat, putabatque huiuſmodi ſuſpenſionibus aliqua priuilegia extorquere à Romanis, per quæ in ius proprium deinceps ſibi ſtabiliretur hæreditas. Petrum Piſanum & quoſdam alios Bernardus reconciliauit Eccleſiæ: Petrum Leonis, Angelus, miſerum percuſſit, & poſt triduum impœnitentem extinxit. Cadauer, miſerabili pompa in latebris ſepultum, & vſque hodie fouea illa à Catholicis ignoratur.

Ditis deuotus Anacletus.

D. Bernardi Clareuallenſis miracula pro electione Innocentij.

Eiuſdem verba contra Petrum Leonis inuaſorem ſedis Apoſtolicæ.

Arca vna in cataclyſmo vmbra Eccleſiæ.

Regis obſtinatus animus.

Petri Leonis miſerabilis exitus.

Melius ſibi conſuluit Vuillelmus Comes Pictauorum aliquanto tempore Innocentio inobſequens. Namque paſſus eſt ſe pertinaculum ad Conuentum Epiſcoporum adduci, & S.Bernardum audire. Renunciauit illi, quod *Eccleſia vna eſt, & quicquid extra eam eſt, quaſi extra arcam iudicio Dei neceſſe eſt interire & dilui.* Adduxit quoque exempla *Dathan & Abiron*, quos *reatu Schiſmatis terra viuos abſorbuit*: nec tanto malo vindictam Dei aliquando defuiſſe monſtrauit. His auditis Comes, Petrum Leonis deteſtatus, Innocentio acceſſit. Vnum detrectabat: Epiſcopos ſcilicet quos eiecerat, reuocare. Ibi S. Bernardus, Sacrificio oblato, & pace data diffuſaque in populum, iam non ſe agens vt hominem, corpus Dominicum ſuper patinam poſuit & ſecum tulit, atque ignea facie & flammeis oculis, non ſupplicans, ſed minax foras egreſſus, verbis terribilibus ducem ag-

greſ-

Bernardi terribilis concitatio ad Vvillelmum Comitē Pictauorum.

greſſus: *Rogauimus te*, inquit, *& ſpreuiſti nos. Supplicauit tibi in altero quem iam tecum habuimus conuentu, ſeruorum Dei ante te adunata multitudo; & contempſiſti. Ecce ad te proceſſit filius virginis, qui eſt Caput & Dominus Eccleſiæ, quem tu perſequeris. Adeſt iudex tuus, in cuius nomine omne genu curuatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Adeſt vindex tuus, in cuius manus iſta tua anima deueniet; nunquid & ipſum ſpernes? nunquid & ipſum ſicut ſeruos eius contemnes?* Cæteri lachrymabantur, Comes expauit, diriguit, & in terram tremebundus concidit. S. Bernardus exporrecto: *En*, inquit, *præſens eſt Pictauienſis Epiſcopus, quem ab Eccleſia expuliſti. Vade, & reconciliare ei, & in oſculo ſancto pacis cum eo iungito fœdera, & ipſe ad ſedem ſuam eum reducito; & ſatisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in vniuerſo principatu tuo diuiſos, ac diſcordes, ad charitatem vnitatis reuoca. Subdere Innocentio Papæ, & ſicut ei vniuerſa obedit Eccleſia, tu quoque electo à Deo pare Pontifici.* Audiuit Guillelmus, Epiſcopum recepit, ad ſedem reduxit, Innocentium adorauit, pœnitentiam pro flagitijs egit, in Sanctum euaſit. Felicior Decano Burdegalenſi, quem Anacleto obſequentem, quod Innocentio malediceret, & altare in quo S. Bernardus Pacarius diuina myſteria celebrarat, impiè confregiſſet, non impune Deus ſiuit. Siquidem poſt breue tempus percuſſus, cum animam exhalaret, domum in qua moriebatur plenam dæmonibus vidit, & ſe à dæmonio iugulari clamans, cultellum, quo ſe confoderet, poſtulauit: inter quæ verba Satanas peſtilentem extinxit, & in infernum demerſit. Archipresbyter quoque qui Petri inuaſoris Pictauienſis Eccleſiæ ſynodum denunciabat, coram ipſis quos ad conuentum perfidiæ inuitabat, à diabolo correptus eſt. Sed & in alios multos, qui in ſchiſmate illo feruentiores extiterant, manus diuina exercuerat manifeſtam vltionem.

Diuina vindicta in Decanū Burdegalenſē ſchiſmaticum

XX.
Victoris aduerſus eundē Innocentium
1 Anno 1138.

Iam Petro Leonis extincto, [1] ſchiſmatici alium ſubrogarant, Victoremque ſalutarant. Noluerunt eum Oues Catholicæ agnoſcere, tantumque ſatagere, vt & fratres Anacleti ſchiſma eiurarint, & ipſe ridiculus Anacleti hæres, ad Diuum Bernardum nocte ſeſe contulerit: Hic vero inſignibus vſurpatis denudatum, ad pedes Innocentij adduxerit, pacemque exoptatam Eccleſiæ reddiderit.

XXI.
Octauiani cō tra Alexandrum III.
3 Anno 1159. 1164. 1170.

Viginti annos continuos, Eccleſia, tranquillitate feliciſſima fruebatur, quam humani generis inimicus, ſtatim à morte Hadriani IV. perturbauit. [3] Iſti enim defuncto, cum maior ſaniorque pars Alexandrum III. ſuffeciſſet, eundemque virum doctum ac religioſum ritu Canonico conſecraſſet, duo, non plures Cardinales, Ioannes tituli S. Martini, & Guido Cremenſis tituli Sancti Callixti, Octauianum tituli Sanctæ Cæciliæ, poſt electionem Alexandri, procaciter nominarant. Deteſtati ſunt Catholici ſchiſmaticum, adeò vt is nonniſi per vim, Baſilicam Vaticanam occupare, nec alium quam Malphitanum Epiſcopum fugitiuum, in finibus Anconæ latitantem, & Epiſcopum Ferentinatem iam olim Alexandri hoſtem, à quibus inſignia Pontificatus acciperet, inuenire potuerit; neque niſi vnus Ioannes Tuſculanus ab Alexandro defecerit, ex ſacro Comitio. Reliqui Epiſcopi, cum Oſtienſi, Sabinenſi, Portuenſi, Albanenſi, nec non cum Cardinalibus presbyteris, & diaconis ſimulque Abbatibus, & vniuerſo Clero, Alexandrum in Concilium ſecuti, diris Octauianum, qui Victoris nomen aſſumpſerat, deuouerunt. Cumque eſſent numero longe ſuperiores, probitate potiores, & iuſta cauſa potentiores, legitimi promotores Alexandri, cuncta quæ geſta fuerant, cum vniuerſis, tum Friderico Primo Imperatori ſignificarunt, & ad reprimendum ſchiſmaticum inuitarunt. Poterat ſanè ſciſſura illa facilè reſarciri, atque multitudini cedere paucitas, & vniri: niſi Fridericus Imperator, veteri odio Alexandrum non ferens, partem Octauianam tuendam fouendamque ſuſcepiſſet.

Promotores Friderico I. Imperatoris.

Sed neque tunc Catholici Alexandrum deſeruerunt, neque officio defuerunt. Scripſerat in primis Fridericus circulatorias, quibus vniuerſi orbis Epiſcopos ad Synodum euocaret, atque Reges Chriſtianos, præcipuè Gallum & Anglum, ab Alexandro alienaret. Præter hæc, Alexandri Legatos, contumelioſè habitos furore repletus, ſuſpendere voluerat: & Alexandrum, Papiam ad conciliabulum aduocare præſumpſerat, vt coram ſuo tribunali cauſam Pontificij perageret. In litteris deinde, Octauianum iam appellauerat Pontificem Romanum: Alexandrum verò nonniſi Cancellarium Rolandum, cogitans, libertatis priuilegium ab ipſo Domino Eccleſiæ ſuæ conceſſum poſſe irritare, & pro arbitrio voluntatis ſæcularis, Pontificem in Sede Apoſtolica collocare. Cæterum pauci admodum Epiſcopi ſchiſmatici Papiam confluxerant; Reges quoque Angliæ, & Galliarum ab Alexandro ſecedere noluerant: Duces autem Bauariæ, atque Saxoniæ ne Pontificios Nuncios, qui ad concordiam Eccleſiæ eum vocabant, violarent, obſtiterant: Patres porro, quanquam non ignorarent ſibi grauiſſima pericula à Friderico imminere: tamen virtute diuina roborari maluerunt quæcunquè diriſſima ſubire, quam Eccleſiaſticæ libertatis defenſionem deſerere. Cumque Alexander, non eſſe Imperatoris, aut Concilium conuocare, aut Pontifici ritè electo diem dicere, reſpondiſſet: Fridericus verò quinquaginta Epiſcopos tantummodo ad conciliabulum congregatos, in ſententiam ſuam, vt Octauiano Pontificatum decernerent, & Alexandro abrogarent, adduxiſſet: reliqui Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ, ad Concilium accedere recuſarunt: quod ſcirent, non ad Imperatorem, ſed ad Pontificem Romanum pertinere. Concilium indicere. Audierant etiam, Fridericum, in ſuſcipiendo Octauiano, Epiſcoporum iudicium anteuertiſſe, ac per ſummam iniuriam, Alexandro hoſtem eſſe: quod Alexander à 22. Cardinalibus, quinque nimirum Epiſcopis, octo Presbyteris, & nouem Diaconis, legitimè creatus fuiſſet: Octauiano autem duo ſoli ſuffragijs affuiſſent, nec niſi poſt tertius acceſſiſſet. Itaq; ſententiam præfati Conciliabuli, in Alexandrum prolatam, nullam eſſe dixere: & tam Octauianum, quam Fridericum, vna cum eo

A quo conciliabulum Papiam conuocatum.

Defenſores Alexandri qui.

ſchiſ-

ſchiſmaticos Epiſcopos, Eccleſiaſticæ vnitatis oſores inimicos crucis Chriſti eſſe pronunciauere: vtque decreto Catholico, etiam Germanorum nonnulli ſubſcripſerint efficere. Eberardus Saltzburgenſis, pietate, miſericordia, & cæteris virtutibus clariſſimus, vna cum Harthmanno Brixinenſi Epiſcopo viro ſanctiſſimo, fremente licet Imperatore, vſque ad obitum, pro defenſione Alexandri perſeuerauit. Peregrinus Patriarcha Aquilegienſis, Eberardus Babenbergenſis, Conradus Patauienſis, & Henricus Ratiſponenſis, ita Octauiani receptioni ſubſcripſere, vt ſuam ſententiam ſubiecerint ſententiæ Eccleſiæ. Radeuicus, & Liguriuus Friderici aſſentatores, poſtquam Alexandri rationes, & aduerſæ factionis mendacia intellexiſſent, calamum à ſcriptione rerum Friderici retraxere. Petrus Archiepiſcopus Tarantaſienſis, quamuis deuotiſſimis à Friderico coleretur obſequijs, palam tamen reſtitit, immo & Imperatorem redarguit, proque Alexandro vexillum prædicationis erexit, atque circumuicinas vndique prouincias penetrans, & obſtinatos hæreticæ prauitatis arguens, plurimos circumpoſitorum ad Eccleſiaſticam reuocauit vnitatem. Innumerabiles, quod Octauianum adorare detrectarent in exilium, ſedibus pulſi, abire voluerunt: auctores Alexandro cum prius fuiſſent, vt Fridericum cætu piorum excluderet; dignitate Imperatoria, & Regia exueret, atque ſubditos quoſcunque iuramento fidelitatis exſolueret: quod etiam Fridericus, vniuerſis Imperij principibus interdixiſſet; ne Alexandrum agnoſcerent. Fruſtra Imperator laborauit. Enimuero, quamquam, & infamis conciliabuli Papienſis, & aliquot ſchiſmaticorum, & ſuas proprias præſumptiones euulgaret, totumque orbem ſubuertere, & ab Alexandro auertere conaretur, tamen Reges Hiſpaniarum, Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Poloniæ, Hiberniæ, Noruegiæ, & Græcorum Imperator Conſtantinus, cum Patriarchis, Epiſcopis, Principibus, Clero, & Populo, ac præ cæteris Ludouicus Francorum, vna cum Henrico Anglorum Rege Alexandro inclinarunt: proculdubio Eccleſiæ Gallicanæ exemplo, *quam ſemper Deus, & agnitione veritatis illuſtraſſet, & pedes eius à iuſtitiæ tramite nullatenus aberrare promiſiſſet: adeo, vt ſicut omnes, quos ad oppreſſionem Romanæ Eccleſiæ rabida Teutonici furoris prouexerat inuidia, virtus Altiſſimi manifeſta deieciſſet: ſic omnibus quos deuotio Gallicana ſuſciperet, victoriam ſemper contuliſſet, & triumphum: quippe, cum cæteræ regiones abundaſſent portentis, ſola Gallia monſtra non habuiſſet, ſed ſinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutũ titulis, & plurima operũ exhibitione præfulſiſſet.*

Friderici in Alexandrum conatus irriti.

Singularis Dei in Eccleſiam Gallicanam prouidentia.

Regnum Galliæ, & Angliæ opera factum eſt ab eorum Epiſcopis, vt in conciliabulis, apud nouum mercatum, & Bellouaci iuſſu Regum congregatis ſecundum Alexandrum pronunciaretur, & Octauianus damnaretur, Friderico nequicquam magnis conatibus obtinente. Qui etſi laudè aliud conciliabulum aduocaſſet, ac Papienſi acta confirmari flagitaſſet, plurimi tamen Epiſcoporum, & Principum Octauiano relicto, Alexandrum ſecuti ſunt. Quin & Conradus, Moguntinus electus, quamuis Imperatori ſanguine iunctus eſſet, Octauiano tamen deſerto ad Alexandrum conuolauit, & ſententiæ Concilij Turonenſis, aduerſus Fridericum & Octauianum ſubſcripſit: quod videret miraculis Petri Tarantaſienſis Archiepiſcopi, Alexandri electionem confirmari, præſumptionem verò Octauiani reprobari, Turonenſis Cõcilij vnanimi decreto. Nondũ paſſus eſt Deus Antipapam diurnare; ſed phrenſi tam grauiſſima, vt nec Dei, neque ſui memor eſſet, percuſſum, intra quintumdecimum diem abſumpſit. Canonici Cathedrales, & Regulares S. Fridiani apud Lucam, potiùs ſedibus ſuis demigrare, quam cadauer in inferno ſepulti ſepelire voluerunt: falſo Morena affirmante, quaſi Octauianus miraculis claruerit, quem & ſchiſma, & Pontificij inſignia ab Imperatore aſſumpta, & publica latrocinia, in barathrum detruſere.

Damnatio Octauiani in diuerſis Concilijs.

Eius obitus, & ad inferos damnatio.

XXII. Guidonis aduerſus eundẽ Alexandrum. Anno 1164.

Cæterum, tametſi ſchiſmatici, in locum Antipapæ, alium, nempè Guidonem ſuppoſuiſſent, & Paſchalem III. ſalutaſſent, ac Imperator non tantùm confirmaſſet, ſed etiam iuramento dicto, iuratum ſe aduerſarium Alexandro, pro Guidone dixiſſet, vniuerſus tamen Clerus, ac Populus Romanus, Alexandrum è Gallijs reuocauit, ſummo cum honore ſuſcepit, & acta Herbipolenſis pſeudoſynodi, pro confirmatione Guidonis reprobauit. Quin & ipſe Deus contra Fridericum pugnare viſus eſt, Nam & Conradum Salzburgenſem electum, Friderici ipſius patrum, virum ſcientia, & morum probitate præſtantiſſimum illi detraxit, & ipſum deinde Alexandro contumelioſum, peſtilentia exercitui immiſſa, vrbe fugere coegit, Qui cum Lucam comitante ſemper mortalitate aduenisſet, prohibitus à Longobardis, iamdiu aduerſus eius tyrannidem fœdere iunctis, ipſorum regionem attingere; qui aſpera montium iuga Papiam tanquam profugus cum paucis euaſit; & à Papienſibus, tanquam legum Imperatoriarum violator, & ab Eccleſia anathemate innodatus, pulſus, vniuerſa Longobardia excedere turpi fuga coactus eſt. Mirum mirandum. Cum Fridericus Romæ à Guidone, Diadema Imperij ſuſcepiſſet, ſequenti ab eius coronatione die, cum maxima cœli ſerenitas eſſet, ſubito in ictu oculi copioſiſſimè pluit: & ſerenitate in momento reſtituta, contagio eius exercitum diuinitus inuaſit: qua Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, Comites, Marchiones, alijq; nobiles, & ignobiles, infinito propè numero corruere cœperunt. Alexander quoque ſuo officio non defuit, ſed ſpiritu zeli aſſumpto peruicacem damnauit, dignitatem Regiam illi tulit, omneſque illi ſubiectos religione iuriſiurandi liberos eſſe renunciauit, donec ſchiſma reijceret, quod quamprimum Itali audierunt, à Friderico deſcendentes Mediolanum reædificauerunt, ſchiſmaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt, Epiſcopos vnanimi conſenſu Alexandro ſeſe addixerunt, & Friderico id neceſſitatis impoſuerunt, vt is ſumpto habitu famuli, nonniſi cum quinque comitibus, noctu Italia exceſſerit, & Alemaniam; & Saxoniam turbatas, & fratrem hoſtem factum repererit.

Diuina punitio in Fridericum Imper.

Profugus ab omnibus expellitur.

Omen diuinũ in coronatione eius.

Ioan-

Diuina vindicta in promotorem ſchiſmatis. Item in Guidonem pſeudopontificẽ.

Ioannes Cardinalis Octauiani & Guidonis promotor, ioterim ex equo, extra Viterbium equitans corruit, infelicemq; animam fractis ceruicibus, ſine pœnitenria eflauit. Guido autem incurabili morbo percuſſus, roto tempore quo vixit claudicauit: & ad extremum à Diuo Petro, cuius Baſilicæ incubabat, cancro iu renes immiſſo affectus, cum pulmonis auhelitu tamdiu vomuit ſaniem fœtidam, quouſq; prædamnatum ſpiritum impœnitens exhalaſſet.

XXIII. Ioannes Abb. Strumẽſis cõtra eundem Alexandrum. u Anno 1170. S. Petrus viſus pugnare pro Alexãdro cõtra ſchiſmaticos.

u Ioannes Abbas Strumenſis, apoſtara, lubricus, vorax, gyrouagus, à ſchiſmaticorum fæce Guidoni ſubrogatus, non diurnauit; quod ſanctus Petrus equo albo, coruſcantibus armis, præire Alexandriois, pro Alexandro Pontifice, viſus Friderico, animos Imperatori, & ſchiſmaticis, imminuiſſet, & Mediolaneuſes Alexandro Ponrifici fœderati, Fridericum profligaſſent: iſque apud Alexandrum, noo iam duplici corde pacem poſtulaſſer, & tandem Venetijs pedibus Alexaodri procubuus, illam Eccleſiæ reddidiſſet: arque iubente Alexandro, Ioannem Antipapam, & Archiepiſcopos, & Epiſcopos ſchiſmaticos, à Pootifice gradu motos, condemnaſſet: ioannes verò Alexandro ſupplex, facinus ſuum agnouiſſe, publicè faſſus eſſet, & benigniratem Pontificiam impetraſſet. Ira

Conſtitutio 300. Epiſcoporum de eligendo à Cardinalibus Põtifice.

tandem Friderici rabie io Alexandrum conquieſcente, Eccleſia vnira, totius orbis Latini Eccleſiæ, Laterani, trecentorum Epiſcoporum conſeoſu decretum: Pontificem à duabus Cardinalium partibus eligendum: cum etiam prius Nicolaus II. ſanxiſſet, ne ſine Cardinalibus Epiſcopis, Pootificis Romani

Friderici interitus miſerabilis.

electio inſtitueretur. Fridericus, quod nefarij ſchiſmatis author, & pacis Eccleſiæ multo tempore perturbaror extiterat, iter Hieroſolymiranum ingreſſus, cum in gurgitem fluij equo ſtimulato proſilijſſet, in momento ſuffocatus interijt.

XXIV. Petri Corbarij contra Ioannem XXII. x Anno 1327. Aluarus in prœmio l. de planct. Eccleſiæ, & Platina in Ioann. 22. Formula detestationis pſeudopontificis.

Iam Ioanni XXII. vero Pontifici, x Lodouicus Bauarus, Petrum Corbarium apoſtatam obiecerat. Iſtum oues Chriſti non ſequebantur, ſed deteſtabantur, hunc in modum. *Vnam Sanctam Catholicam Eccleſiam Romanam Sponſam Chriſti profiteor, veneror & obſeruo, extra quam ſalus non eſt. Sponſum eius legitimum & Caput. Dominum Reuerendiſſimum & Sanctiſſimum Dominum Ioannem Papam XXII. de Catnrco, Succeſſorem Almi Petri Apoſtoli, & Vicarium Domini Noſtri Ieſu Chriſti, vicem non puri hominis, ſed Dei, & hominis Domini Ieſu Chriſti tenentem in terris, verè colo, confiteor, & amplector. Petrum de Corbario Apoſtatam Fratrum Minorum, quem Ludouicus Bauarus intruſus (qui ſe pro Imperatore gerit, & pro ſuis ſceleribus à dicto Domino Ioanne vero Papa ſchiſmaticus, & hæreticus ſententialiter extitit condemuatus) in prædicta ſancta Sede intruſit, cum Dathan & Abiron ſchiſmaticis, quos viuos terra abſorbuit, niſi pœnituerit, habere cenſeo portionem.*

Non moltò poſt, Petrus Corbarius à Bonifacio Piſano ioterceptus, Auinionemque miſſus, coram cætu ſacro veniam delictorum flagitauit, & purpura quam temere ioducrat expoliaros, vitam cum morte commutauit. Bauarus quoque, ex equo decidens pœnas dedit, vt nonnulli ferunt, ſine pœnitentia defunctus.

XXV. Clemẽtis aduerſus Gregorium XI. y Anno 1378. Platina in Vrbano 6. & Theod. Niem. lib. de ſchiſm.

Gregorius XI. Cathedra Romam in vrbem relata, Vrbanum VI. ſucceſſorem acceperat. y Huic poſt tertium menſem, Cardinales ſeducti, Clementem Aotipontificem ſurrogarunt. Hinc grauiſſimum in Eccleſia ſchiſma emerſit, maior tamen & melior pars Vrbanum agnouit, Italia, Anglia, Germania, Hungaria, Boemia, Polonia, Suecia, Noruegia, Dalmaria, & Dania; ſola Gallia, & ooonulla pars Hiſpaniarum Antipapæ obediuit. Porrò, vt Cardinales, qui ſe ab Vrbauo ſubrraxerant, eidem Vrbano obtemperarent, Ludouicus Hungariæ, & Weoceslaus Germaniæ Reges, eis præſcripſerant; oeque vlla ratioue, à vero Pôurifice Vrbano dimoueri potueranr. Cumque mortuo z Clemente, Auinionenſis factio, Bonifacio IX. Pontifici, Benedictũ dictũ XIII. oppoſuiſſet, illoque, & Innoceotio VII. vita functo, a Gregorius XII. Cathedram Romanam eooſcendiſſet, moxqoe qood Pootificatui reounciare (quemadmodum propter bonum pacis aote electionem ſpoponderat) noluiſſet, b à Concilio Piſano deiectus poſt Alexandrum V. c Ioannem XXIII. Pontificem aſpexiſſet, atqoe Eccleſia in tres partes ſcinderetur, Oues Chriſti vnius Paſtoris cupieotes, io Concilio Conſtantienſi, Ioannem, & Gregorium Pontificatum abdicantes audieruot, & d Martinum V. voanimi conſenſu deſignatum Pontificem adorarunt, donec & Benedictus XIII. ceſſiſſet, & ſatis conceſſiſſet. e Ægidius Munio, Barchioonenſi Canonicus, à morte Benedicti, auſus fuerat ſedem Petri exambire, & Clementis VIII. nomen vſurpare. Verunrameo pœnitentia adductus, male vſurpatam dignitatem dereliquit, & ab vnitate Eccleſiæ data vniuerſos exhilarauit. Idẽ aliqnot poſtea annis fecit Felix Amadeus, quem f Baſileenſis Conciliabuli ſchiſmatici Eugenio IV. contrapoſuerant. Namque Fridericus Imperator, inſtante Nicolao Quioto Pontifice, eum compulit, vt ſe Pontificatu abdicaret, quod tam pernicioſa Eccleſiæ ſeditio, noo alio modo ſedaretur, ouibus Catholicis vni Pontifici addictis. Vnus grex Orthodoxus, amat vnicum Paſtorem Orthodoxum; ſed non ambitione irrumpentem, neque vi, armis, pecunia, fraudibus, contra alium iotruſum.

z Anno 1394. XXVI. Benedicti xiij contra Bonifaciũ ix. itemque Gregorij xij. Sede vacante. a Anno 1406. b Anno 1409. XXVII. Trium ſimul. c Anno 1410. Platin. d Anno 1417. e Anno 1424. XXVIII. Ægidij inuaſoris. f An. 1439 & 1449. Platina. XXIX. Felicis Amadei.

Romanus item Pootifex, oon à propagatione carnis, neque à coniunctione ſanguinis, ſuccedit. Diſplicenr Deo, g *qui dixerunt: hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei*. Ieſus, qui ſolus altiſſimus in omni terra, vnicus hæres vineæ electæ, non amar partiri cum alio poteſtatem hæredis inſtitueudi: amat etiam, oon eos qui ex voluntate carnis, neque eos qui ex voluntate viri, ſed eos qui ex Deo nati, apti ſunt regere Eccleſiam eius. Eis, qui per ſanguinis traducem, cuperent in ſuo ſtemmate Eccleſiaſticam dignitatem pereonare, Dauid imprecatur; *Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos. Erubeſcant, & conturbentur in ſæculum ſæculi, & confundantur, & pereant, & cognoſcant quia nomen tibi*

g Pſalm 82. Pontificatus hæreditaria ſucceſſione non adeundus.

h Hebr. 1. *Dominus,* [h] *quem Deus conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula.*

Exemptio Moyſis. i Hieron. ad Tit. cap. 1. [i] Moyſes amicus Dei, cui facie ad faciem Dominus locutus eſt, potuit vtique ſucceſſores Principatus filios facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem: ſed extraneus de aliena tribu eligitur Ieſus, vt ſciremus Principatum in populos, non ſanguini deferendum eſſe ſed vitæ. [k] Propinquis agrorum & prædiorum relinquatur hæditas; Gubernatio autem populi illi tradatur, quem Deus eligit; qui ſcilicet in ſe habet ſpiritum Dei, id eſt, in quo ſit charitas legis & ſcientiæ, vt poſſint eum filij Iſrael audire. [l] Aaron, non ad primogenitum Nadab, neque ad ſecundo genitum Abiu, Sacerdotium deriuauit. [m] Diſcerent electorum Principes, ſucceſſores ſibi non eos qui conſanguinitate generis iuncti ſunt, neque qui carnis propinquitate ſociantur teſtamento ſignare, neque hæreditarium tradere Eccleſiæ principatum, ſed ad Dei iudicium deferre, totumque Dei iudicio de ſucceſſionis electione promittere.

k Ori. in Num. Bona hæreditibus nō Principatus deferendus.

l Num. 3.

m Orig. ſup.

Exemptio Chriſti Domini. Saluator noſter Magnus Paſtor, non Ioanni, neque Iacobo, neque alicui ex ſanguine iunctis, ſed Petro Simonis Primatum in Eccleſiam contulit. Petrus Chriſti Vicarius, in locum Iudę proditoris, rem Dei electioni permiſit, neque quicquam ſanguini attribuit. Indicauit ſucceſſoribus, ne ſanguini vt ſanguini ſucceſſionem aſſignarent: quod hi virginis Eccleſiæ cælibes Paſtores, vxorem & filios abnegantes, per carnis deſideria non amplius nomen aut familiam propagarent.

Pontifex nec ex prædeceſſoris deſignatione ſuccedit. Soli id Petro peculiare. n Clemēt ep. 1. ad Iacobū Fratrem Domini.

Romanus item Pontifex, non ex deſignatione anteceſſoris ſuccedit. Peculiare iſtud vni Petro Principi Apoſtolorum, in Eccleſia nondum adulta. [n] Is in vltimis diebus, quibus vitæ finem ſibi adeſſe præſenſit, Romæ pati pro pietate volens, apprehenſa manu Clementis in Conuentu Fratrum dixit: *Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli meæ prædicationis, & doctrinæ cathedram trado, quem præ cæteris expertus ſum Deum colentem, homines diligentem, caſtum, diſcendis ſtudijs deditum, ſobrium, benignium, iuſtum, patientem, & ſcientem ferre nonnullorum, etiam ex his qui in verbo Dei inſtituuntur, iniurias. Ipſi trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligandi, & ſoluendi. Ligabit enim quod oportet ligari, & ſoluet, quod expedit ſolui, tanquam qui ad liquidum nouerit regulam Eccleſiæ.*

Pōtifices ſuos ſucceſſores nō ordinabāt ſed eligendos proponebant.

Quod vero Petrus pro neceſſitate Eccleſiæ adhuc paruulæ, idque ex ſpecialis Spiritus Sancti inſtinctu fecerat, non amplius in exemplum adducitur, neque quiſquam anteceſſorum ſucceſſorem ſibi in Cathedra Apoſtolica inſtituit: Anthiocheni, & [o] Romani Sanctionibus Conciliorum, vſu ſæculorum iam receptis. Quanquam vero poſt [p] Symmachus Pontifex decreuiſſet, vt ſi tranſitus illius adeo ſubitaneus accideret, vt de ſui electione ſucceſſoris non poſſet decernere, tunc qui ab vniuerſo Clero, aut maiore ipſius parte electus eſſet conſecraretur: non tamen animus fuit illi, ſucceſſorem ſibi adſciſcere: ſed tantum veterem conſuetudinem conſeruare; qua modeſtiæ cauſa, Cardinales, decedentem Pontificem, de futuro ſucceſſore ſententiam rogabant; vt is ipſe omnium virtutis oculatus teſtis, proponeret, aut indicaret, quem ipſo demortuo collatis ſuffragijs deligerent. Non poterant ſucceſſorem deſignare, ſed tantummodo eligendum indicare.

o Conc. Rom. temp. Hilaris Papa.

p Baron. anno 499.

Gregor. VII. & alij ſucceſſores ſuos nominant.

q Baron. anno 1085.

Saue Gregorius Septimus, miraculis clarus, [q] ante diem tertium quam obiret, ab Epiſcopis, & Cardinalibus præſentibus, quid de Romanæ Sedis ordinatione iuberet, rogatus, admonuit, vt Deſiderium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Abbatem Caſſinēſem, quod præter ſummam prudentiam, & religionem præcipuam, ſingulari Principum beneuolentia, & amicitia valeret, facerent, aut ſi hunc nullatenus poſſent flectere, vel Lugdunenſem Archiepiſcopum Hugonem, vel Ottonem Oſtienſem, aut Anſelmum Lucenſem Epiſcopum eligere quantocius ſe defuncto ſtuderent. [r] Victor quoque III. moribundus Succeſſorem indicauit. In Monaſterio enim Caſſinenſi cōuocatis Epiſcopis, & Cardinalibus, monuit, vt iuxta Gregorij Papæ indicationem, Ottonem Epiſcopum Oſtienſem, ibi tunc præſentem, ſtatim à ſua morte eligerent. Sed [ſ] & Gelaſius II. moriens, cupidus videre Succeſſorem qui in maximo ventorum conflictu Chriſti nauiculam ſeruaret, cum Cardinalibus egit, vt Cononem Epiſcopum Præneſtinum, virum laboribus pro Eccleſia ſuſceptis exercitum deſignarent: cumque is recuſaret dignitatem offerendam, Guidonem Viennenſem ſubrogarent: quod is ſecundum viſionem ad Pontificatum deſtinatus aſpexerit in ſomnis proxima nocte, ſibi à perſona præponente Lunam ſub clamyde repoſitam committi; ne cauſa Eccleſiæ tranſitu Pontificis periclitaretur. [t] Cæleſtinus III. antequam moreretur, cum cæpiſſet ægrotare, conuocatis coram ſe Cardinalibus præceperat vt tractarent de ſucceſſore eligendo: atque ipſe Ioannes de Sancto Paulo Cardinalem proponebat paratus Pontificatum deponere ſi viuente ſe illum elegiſſent. Noluerunt admittere, vt is Pontificatu decederet: cæterum ipſo defuncto in ſuffragia iuerunt, atque deſignatum ab illo Innocentium III. ſalutarunt. Ante hæc tempora [u] Bonifacius II. collecta ſynodo, auſus fuerat, Vigilium diaconum, hoc ambitioſe quærentem, ſibi ſucceſſorem eligere: prætextu, ne Gothorum Reges Italiæ dominantes, impie ſibi arrogarent Pontificis Romani electionem. Veruntamen, quod non ſecundum ſcita maiorum feciſſet, ipſe quidem coacta alia ſynodo factum reſcidit, Deus vero hominem cito è vita ſubtraxit; vt oſtenderet deſignationem non ſibi placuiſſe. [x] Bonifacius III. anteceſſoris vindiciarum memor, vbi primum Sedem Pontificiam adeptus eſt, ad reprimendam Clericorum ambitionē, collecta in Vaticano ſeptuaginta duorum Epiſcoporum, quatuor verò, & triginta Romanæ Eccleſiæ Presbyterorum, & reliqui cleri ſynodo, aduerſus eos, qui ſuperſtite adhuc Romano Pontifice, aut quouis alicuius ciuitatis Epiſcopo de ſucceſſore tractarent, anathema ſtrinxit.

r Anno 1087.

ſ Anno 1119.

t Anno 1198.

u Anno 531.

x Anno 606.

Nec ex poteſtatis poteſtatis ſæcularis.

Romanus item Pontifex, non ex poteſtatis ſæcularis potentia ſuccedit. In Petri Apoſtolorum Principis deſignatione, non Herodis Iudaici Regis, non Tyberij Imperatoris aut Pilati Præfecti, ſententia exauditur.

Valen-

y Anno 367.

y Valentinianus Imperator, qui primus ad hanc ſacram tabellam acceſſit, non Damaſo eligendo ſuffragium, ſed Vrſino reijciendo auxilium Eccleſiæ tulit. z Honorius Imperator, qui ſucceſſit Bonifacio iam electo, non calculum, ſed aduerſus Eulalium intruſum, manus auxiliares admouit. a Odoacer poſt Auguſtulum ſummam rerum in Italia conſecutus, homo Arianns, fruſtra legem dixit ne ſine conſultatione Regum Italiæ Romanus Pontifex eligeretuc. Quod enim vſurpata anctoritate dixit, nullum Catholicorum aſtrinxit: inſuper & Patribus Concilij Romani ſub b Symmacho Pontifice Tertij tantam bilem mouit, vt illud ſumma cum execratione reiecerint; iſtudque vere Apoſtolicum decretum conſtabiliuerint, ne in Romani Pontificis electione, laicorum præſumptio, quauis fulta Regia potentia locum qnemquam haberet. c Theodoricus Italiæ Rex, Arianiſioo infectus, grauius aliquid, non tamen impune præſumpſic. Quod enim nullus vmquam Ethnicorum Principum nedum Catholicorum auſus fuerat, iſte hæreticus in ſeruitutem Romanam Eccleſiam redigere cogitans impleuit, atque Ioanne Pontifice in carcere enecto, ſummi Antiſtitis electionem atque nominationem ſibi procaciter arrogans, Felicem nominauit. Fatale quodammodo (ſi ita liceret loqui) Conſtantio & Theodorico Arianis fuit, vt quos vterque pronunciaſſet, Felicis nomine dicerentur. propoſitum ab Theodorico Felicem, in Romano tamen Clero probatiſſimum, Clerus Romanus iam grauiſſime oppreſſus elegit: vindictam tamen in ſacrilegum diuinitus acceleratam aſpexit. Quamprimum enim Eccleſiam ille vexare cæpit, repente cælitus immiſſa vindicta proſtratus ad inferna detruſus interijt. Theodorici exemplo, Theodotus quoque, cæterum ſine pecunia, Siluerium per vim & metum Clero obtruſit, cui tamen Clerus propter euitandum ſchiſma libenter ſubſcripſit. Manſit exinde Eccleſiæ, quamquam non integra, ſub Arianis Principibus, & his extinctis ſub Orientis Imperatoribus libertas: dum quem ex vſu priſtino Clerus Pontifice n elegiſſet, illi tyrannica audacia, quandoque tamen ſine pecunia numerata, confirmare præſumerent. d Iuſtinianus, quamquam volebat videri pius Imperator, ingenti tamen impietate ſe impiauit, quod impijſſimorum Gothorum Arianorum Regum imitatione, Romanam Eccleſiam durioribus conditionibus, quam Imperatores Ethnici, prægrauaſſec, cum electioni Pelagij I. Pontificis interceſſiſſet. Ducta eſt tunc temporis *in captiuitatem Domina Gentium, & Regina prouinciarum facta eſt ſub tributo*: qnemadmodum e S. Gregorius ductis ex Hieremia verbis deplorauit. f qui etiam Mauritio Imperatori, ne eius electionem probaret, ſupplex fuit: & cum nihil impetrare potuerit, per nefas exigi conſuetam pecuniam numerauit: ſed Imperatores ac Reges libertatis Eccleſiaſticæ in eligendis Pontificibus violatores, indignos Imperatorio & Regio nomine pronunciauit. Dependebatur, ea pecunia Imperatoribus, á Pontificibus electis, non quod Pontificij ius

z Anno 419.

a Anno 403.

Theodorici Regis in nominando Pontifice nimia præſumptio.

b Anno 502.

c Anno 526. & 536.

Diuina in eũ vindicta.

Similis præſũptio Theodati.

Iuſtiniani Imper. in Eccleſiam impietas

d Anno 555.

e In ſeptem Pſalm pœnitentiales.

f Anno 590.

mercarentur, ſed vt vexationem redimerent: quod eis non Regum vel Imperutorum tyrannicè vſurpata confirmatio, ſed legitima electio conferret Pontificatum: cuius adminiſtrationem cum per tyrannidem non potuiſſent aſſequi, ſine noxa ſua redimebant. g Conſtantinus Pogonatus Imperator Orientis, primum á penſatione eius pecuniæ Eccleſiam Romanam liberauit; deinde, vt qui deinceps in ſummum Pontificem eligeretur. mox nulla expectata Imperatoris confirmatione ordinaretur, conceſſit. h Carolus deinde magnus, non tantum Romanorum, verum etiam aliorum Epiſcoporum electiones liberas eſſe voluit; vtque ex Sacrorum Canonum præſcripto fierent, i lege lata confirmauit. k Ludouicus item eius filins & collega imperij, vt ſecundum ſtatuta canonum, á Clero & populo Epiſcopi eligerentur, inſtituit; ſalua libertate Eccleſiæ Romanæ, in qua vſque ad illam diem abſque interrogatione Principis, ſolo diſpoſitionis diuinæ iudicio, & Fidelium ſuffragio legitime Pontifices electi conſecrabantur; ijdemque omnium regionum & ciuitatum Eccleſiæ ſuæ ſubiectarum iuxta antiquum morem eadem libertate, ordinabant Epiſcopos. Sanè defuncto Stephano V. Pontifice, l cum Paſchalis eligeretur, idem Ludouicns liberam omnino reliquit Clero, ac populo Romano electionem, & coronationem Summi Pontificis: nec ad aliud teneri voluit eum qui crearetur, niſi quam primum conſecratus, aſſumptionis ſuæ per Legatos certiorem faceret Imperatorem. Cæterum & Lotharius eius filius, m Pontificum Romanorum electiones ſecundum antiquam conſuetudinem, & ex præſcripco Patrum fieri voluic; neque quicquam Imperatoriæ authoritati in ea reliquit: vt ex his falſus mihi ſit Sigebertus ſchiſmaticus, & quiſquis alius aſſertor, quaſi vel Hadrianus Pontifex Carolo Magno conceſſerit, ne electio Romani Antiſtitis ſine eo, vel Stephanus Quintus decreuerit, ne conſecratio electi, niſi præſentibus Imperialibns legatis fieret: cum & onſquam ea 153. Epiſcoporum Synodus ab Hadriano celebrata fuerit; & Eginartus comes & ſcriptor vitæ Caroli nullibi quintæ profectionis in vrbem aut eius iuris in electionem meminerit; & Carolus liberam eſſe debere electionem Epiſcopocum decreuerit; & Hadriano vita functo, in electione Leonis III. Stephani V. Paſchalis I. Eugenij II. Valentini I. Gregorij IV. & Sergij II. nullus Imperatorum quicquam ſibi iuris præſumpſerit. Cumque poſtea ſiue populus Romanus, metus cauſa, Ludouico ac Lothario male promiſiſſet, ſiue ipſi Imperatores peſſime vſurpare contenderent, ne ſine eorum auctoritate conſecraretur Pontifex, n Leo IV. Apoſtolico Spiritu inflammatus vendicantibus Imperatoribus, conſtantiſſime obſtitit euicitque, vt ijdem conſenſerint, ne electio & conſecratio, niſi ex præſcripto canonum, fieret. Falſi etiam Nouatores, qui ex eo quod Leo III. Carolo Magno, Claues aureas ex Sepulchro S. Petri de more acceptas, & vexillum Romanæ Vrbis miſerit, per Claues Carolum in poſſeſſionem Romanæ Eccleſiæ, & per vexillum Romanæ Vrbis immiſſum affirmant ignorantes

Iniquis exactionibus ab Imperatoribus Eccleſiam grauata.

g Anno 681. & 684.

Liberata ab ijs oneribus à Conſtantino Pogonato, & alijs pijs Imperat.

h Anno 774.

i Capitul. lib. 1. cap. 84.

k An. 813. & diſt. 63. c. 34.

Libera eidem Romani Pontificis electio reddita.

l Anno 817.

m Anno 824.

Nihil iuris in ea habentibus Imperatoribus.

Rituʒ claues & vexillum ijs mittendi.

n Anno 847. & diſt. 63. cap. 32

miſeri, vexillum tanquam Defenſori Eccleſiæ, Claues autem velut religioſo reliquiarum cultori miſſas ritu priſco eſſe: cum eæ, non tum Imperatoribus, verum & alijs Principibus Chriſtianis quibus nihil iuris in Eccleſiam Romanam eſt temporibus Gregorij cauſa deuotionis mitterentur.

Eadem Eccleſia grauiſſime vexata à Marchionibus Tuſciæ. p Anno 897.

Quinquageſimo poſt anno Proceres Romani, & Marchiones Tuſciæ, rerum in Italia potentes, p grauius quam vlli gentilium, Hæreticorum, ſchiſmaticorum, vel tyrannorum Eccleſiam totis ſeptuaginta annis oppreſſerunt, cum Romanos Pontifices pro arbitrio voluntatis aut intruderent, aut detruderent, Cleri conſenſu deligendos aut degradandos, ſatis eiuſmodi intruſorum in Romana ſede, quorum alij recepti, alij abrogati, quos in fide Chriſtiana conſtantes neque vlla hæreſeos labe atratos vtcumque eſſent vita probroſa, ſuſtinuit Clerus Romanus ſuo accedente conſenſu eligere, ſatius, quam Eccleſiam vnicam turpiſſimo ſchiſmate conſcindere.

Ab Ottone item Imp. p Anno 962.

p Otto I. Imperator, ſtatim atque à Ioanne XII. vnctus fuit, Clerum populumque Romanum, vt futura Pontificum electio canonice fieret, Sacramento adſtrinxit: & vt qui electus eſſet, non antea conſecraretur, quam ſimilem in præſentia Legatorum vel filij Imperatoris ac totius populi promiſſionem faceret, edixit: grauiſſime tamen paulo poſt Eccleſiam afflixit. Nam & pſeudoſynodo, q anno inſequente conuocata, Ioannem innocentem indictaque cauſa Pontificatu deiecit, Leonemque antipapam ei obiecit, & à Leone pſeudopontifice, ius Imperatori, eiuſque ſucceſſoribus Italiæ Regibus, eligendi atque ordinandi Pontifices Romanos (quod Gratianus, vero Pontifici, ignarus hiſtoriarum falſo aſſcripſit) extorſit, intolerandaque calamitate Catholicos oppreſſit:

q Anno 963.

r quod Leonem expuliſſent, Ioannem vero in vrbem reuocaſſent; atque toleraſſent, Synodum Romæ in Baſilica Vaticana congregare, pſeudoconcilium ab Ottone pro electione Leonis indictum ipſumque Leonem neophytum, periurium, ac ſchiſmaticum, ac omnes qui pro eius ordinatione pecunias numeraſſent, perpetuo anathemate damnare, & tam ordinatores ipſius, quam ab ipſo ordinatos in priſtinum gradum laicorum deponere,

r Anno 964.

Vltio diuina in Ottonem. s Anno 973.

s Decimo anno poſt, violatæ Eccleſiaſticæ libertatis pœnas Otto dedit, ſubitaneo morbo in Saxonia interceptus: Sed & ſtemma ipſius nonniſi in nepotem Ottonem III. veneno Romæ à Creſcentij vxore adaniata extinctum, propagatum, t interijt; ita diuinitate vlciſcente iniurias, quibus Sedem Apoſtolicam, pro voluntate amouendo atque ſubrogando Pontifices affecerant. Ab hac clade Ottonum, Henricus I. Germaniæ Rex edoctus, u cum Imperatorium diadema à Benedicto VIII. accepiſſet, liberam Pontificis Romani electionem, Clero Populoque Romano reliquit. Optimi patris peſſimus filius Henricus II. vim in Pontifices Romanos reſumpſit; x atque in primis Sutriæ pſeudoſynodo congregata, Pontificatum Gregorio VI. abrogauit, inque locum illius Clementem II. ſufficiendum curauit. Non auſus eſt Clerus Romanus Clementem intruſum eligere, antequam Gregorius, exemplo agnominis Nazianzeni, ne ſchiſma in Eccleſia conflaretur, Pontificatum ſponte deponeret. Clemente porro, & Damaſo II. poſt XXIII. diem Pontificatus defuncto, y cum Romani metuerent, ne Benedictus ſedem Apoſtolicam, quam ſpontaneus exſcenderat, iterum conſcendere niteretur; eaque de cauſa ad Henricum Legationem adornaſſent, vt is Romanæ ſedi Pontificem deligeret; hic vero Brunonem Tullenſium Epiſcopum, Cardinalibus eligendum præpoſuiſſet: Bruno quamquam auctoritate regalis excellentiæ ad ſedem Petri deſtinatus, purpuram Pontificiam iter per Gallias agens præſumpſiſſet, à nullo tamen Orthodoxorum, pro Pontifice agnitus eſt, z quinimo Hildebrandus Cluniacenſis cœnobij Prior æmulatione Dei plenus conſtanter eum incæpti redarguit; illicitum eſſe dicens per manum laicam ſummum Pontificem ad totius Eccleſiæ gubernationem violenter intrare. Verum ſi ſuis ſe credere vellet concilijs, & quam maieſtas imperialis exacerbarent quodque libertas Eccleſiæ in canonica electione renouaretur, ſe pollicitus eſt effecturum. Ad Hildebrandi monitionem, Bruno purpuram depoſuit, peregrinique habitu Romam iter egit. vbi cum veniſſet, Hildebrandi conſilio Clerus populuſque Romani in ſummum Pontificem illum elegit, atque idibus Februarij Leonem IX. ſalutauit. Vel neceſſitas Romanæ Eccleſiæ quam Benedictus pſeudopontifex iterum, poſt Leonis obitum res turbaret, nulluſque in Clero Romano Pontificatui gerendo aptus eſſet: vel innata libido Henrici Secundi, qua res Eccleſiaſticas ſibi diſponendas deſignarat, effecit, vt is a Gebehardum Aiſtetenſem Epiſcopum, mortuo Leone IX. in Concilio Epiſcoporum Moguntiæ indicatum, Romam miſerit, à Clero populoque vrbico Pontificem deligendum: interim Benedicto homine nefario diuinitus extincto. Victorem Secundum, ſed non niſi poſt electionem Romanam, delectum ab Henrico, appellarunt. Non impune fuit Imperatori, Eccleſiæ oppreſſio. Siquidem anno ſubſequente ægritudine mortali exeedeotem, dæmones ad obitum eius accurrentes, ſibi ad ſupplicium dari hominem poſtulabant, quod præter cætera flagitia, electionem Romanorum Pontificum, aliorumque Epiſcoporum iudicia ſibi arrogaſſet. Defuncto Victori, Stephanus X. à libera ſuffragatione ſucceſſit. quo breui mortuo, b cum Proceres Romani, Ioannem Velitrenſem Epiſcopum, Sedi Romanæ per vim atraxiſſent, Hildebrandus autem Comitijs Senenſibus (quod Romæ fieri non potuiſſent) Gerardum Florentinum Epiſcopum legitimis ſuffragijs in Pontificem Romanum elegiſſet, Henricus III. adhuc paruulus electioni aſſenſus, Nicolaum II. renunciatum adorauit; hic vero, c ne amplius ſchiſmati viæ aperirentur, Henrico Regi Germaniæ poteſtatem alicuius deligendi, qui à Clero Populoque Romano poſtmodum in Pontificem eligeretur permiſit: Salua tamen integra libertate Romanæ Cathedræ. Namque cum Nicolao mortuo, in pſeudoſynodo Baſileæ habito Cadaloum Parmenſem Epiſcopum, Schiſmati-

t Anno 1003.

u Anno 1014.

Henrici II. Imperatoris temeraria præſumptio. x Anno 1046.

y Anno 1049.

z Otto Friſing. Ecc. lib. 6. c. 33.

Bruno Pontifex electus ſponte purpuram deponit iterumque eligitur.

a Anno 1055.

Diuina vindicta in Henricum Imp. ob arrogatam ſibi Romani Pontificis electionem.

b Anno 1058. Varij à varijs Romani Pontifices electi.

c Anno 1059.

d Anno 1061. Alexander II. legitimus Pontifex eligitur

matici, Simoniaci, & incontinentes Epiſcopi, nihil de ſtatu Eccleſiæ tunc intelligente puero Henrico, Sedi Apoſtolicæ præpoſuiſſent, Clerus populuſque Romanus Alexandrum II. Cadaloo reprobato elegit: & huic etiam defuncto Gregorium VII. ſuffecit: accedente conſenſu poſt electionem Henrici III. Imperatoris. [f] Otho Colonienſis Alexandrum II. increpauerat, quod Pontificatum Romanum iniuſſu Cæſaris præter conſuetudinem recens introductam accepiſſet. At Hildebrandus Archidiaconus conſuetudinem illam malam eſſe, & iuſte reuocatam reſpondit. Quo audito, Otho ſibi ſatisfactum dixit, tamen vt pro pace populorum Concilium Mantuæ conuocaretur, flagitauit. Huic petitioni Alexander annuit, & cum Cardinalibus eo ſe tranſtulit: vbi eum omnes venerati ſunt, & Apoſtolicam ſedem Magiſtram recognouere. [f] Ad eum modum Alexander à Clero Romano, non ab imperatore in ſummum Pontificem promotus, Eccleſiam in priſtinam reuocauit libertatem. Oues Chriſti, à potentia ſæculari intruſum, niſi ab his quibus eſt ius ſuffragij eligatur, non ſequuntur.

[e] Æneas Sylvius in epiſt. 2. decad. Blondi lib. 3.

[f] Otto Friſingēſis lib. 6. cap. 34.

Romani Pontificis electio à Cardinaliū Concilio facienda.

Cæterum à canonica electione legitime ſuffecto, obſequuntur. Romanus enim Pontifex, iuxta ſanctiones Patrum, & perpetuum Eccleſiæ morem, ab electione, olim Cleri populique Romani, nunc vero à ſententia Concilij Romani & Nicolai II. ſolius delectioris Cleri totius Eccleſiæ, ſcilicet à Comitio S.R.E. Cardinalium ſuccedit. Si cui, certe huic nobiliſſimæ Eccleſiarum omnium portioni, in partem ampliorem ſollicitudinis Eccleſiaſticæ à Chriſti Vicario aſſumptis ex omni natione Patribus, deligendo Capiti Eccleſiæ in Comitio vocatis, adeſt ille tunc qui olim Apoſtolis ſpopondit: *Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi*. Si enim in medio duorum vel trium orationis priuatæ cauſa vnitorum, ſe affuturum Chriſtus pollicetur: longè certius ijs qui publici negotij, adeòque grauiſſimi, quam eſt grauiſſima Monarchi Eccleſiæ totius electio, cauſa in vnum conueniunt, aderit, animabit, illuſtrabit, & ſuaui diſpoſitione, vel nihil tale cogitantes, permouebit, ad deſignandum talem Pontificem, qui ſit ex re Eccleſiæ, vel ad caſtigandam depurandamque, vel ad amplificandam, ornandam, tuendamque Eccleſiam. Ab electione, futurum Pontificem Romanum, olim Deus ipſe prædixit. [g] *Congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter; & ponent ſibimet Caput vnum, & aſcendent de terra, quia magnus dies Iezrahel*. Ab electione, quotquot vſque in hanc diem, Paulum V. feliciter Opt. Max. antecedentes Pontifices Eccleſiam adminiſtrarant, ad iſtud faſtigium ex hominibus, pro hominibus, diuinitus aſſumpti ſunt.

Deus præſens eſt eius electioni.

[g] Oſee 1.

Placet electio, ab antiquitate. Apud omnes antiquas gentes, [h] *Imperium non niſi ad homines iuſtiſſimos & ſapientiſſimos deferebatur*. A primordijs Eccleſiæ, Matthias in locum Iudæ, Paulus & Barnabas in opus miniſterij, reliqui Epiſcopi in adminiſtrationem, electione, & manuum impoſitione deputabantur. Anacletum & poſt eum alios Eccleſiæ Romanæ Antiſtites, vſque nunc ſuccedentes electio inuenit, collocauit, aut tolerauit. Ab electione optimi & aptiſſimi, iuſta ætate & apta iam regere, poſſunt capi: præſertim vbi ſapientia diuina, quæ *diſponit omnia ſuauiter*, ſuffragatores afflauerit: & vel cæcutientibus, virum ſecundum cor ſuum oſtenderit: quemadmodum non inſolens eſt oſtendere, & quod perenne eſt, in hunc, non in illum inclinare. Fabianum oſtendit. [i] Cum enim Clerus populuſque Romanus, cauſa deligendi eius, qui Epiſcopatum in Eccleſia gereret, conueniſſent, & multi de multis illuſtribus & præclaris viris ad illud munus obeundum deligendis cogitarent; quanquam Fabianus, qui tum forte præſto erat, nemini in mentem venerat, de repente tamen columbam è ſublimi deuolantem, quæ ſimilitudinem Spiritus Sancti ſuper Saluatorem in ſpecie columbæ deſcendentis repræſentare videbatur, eius capiti inſediſſe memorant; ac propterea Clerum populumque vniuerſum pariter vno ſacrati ſpiritus inſtinctu commotum, magnæ tum alacritatis, & vno animorum conſenſu, eum dignum eo dignitatis gradu acclamaſſe, & abſque mora abreptum illum in ſede Pontificia collocaſſe.

[h] Cic. 3. de legibus.

Primitiua Eccleſia iuſtiſſimis, ſapientiſſimis, & digniſſimis Pontificatum detulit.

[i] Euſebius 6. hiſt. cap. 22.

Fabiani electio diuino oraculo facta

Gregorium etiam Magnum oſtendit. [k] Cũ enim is Pontificatum fugiens, latibula captaſſet, inque cauerna quadam deliteſceret, à Romanis quæſitus, indicio columnæ fulgidæ ſuper ipſum iugiter è cœlo dependentis inuentus eſt: præmonſtrante illa, magnum columen Eccleſiæ futurum.

Item Gregorij Magni.

[k] Ioann. Diac. in vita.

Hadrianum etiam II. virum miſericordiatum, [l] multis miraculis præcedentibus, atque prædictionibus: quemadmodum & [m] Leonem IX. Apoſtolico more præcedentibus prophetijs per viſionem diuinitus illi ſignificatis, Apoſtolico throno dignum oſtendit. Leo, dum iter Romanum carperet, ad conſcendendam ſedem, cœtum Angelorum cantantium audiuit: *Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*.

Hadriani II.

[l] Anno 867.

[m] Anno 1049.

Leonis IX.

Gregorium quoque VII. ſtatim ab incunabulis oſtendit. [n] Is cum aliquando puerulus luderet ad patris pedes ligna dolantis, ex reiectaneis ſegmentis, cum neſciret litteras, caſu elementa formauit, ex quibus ſimul coniunctis illud Dauidicum oraculum expreſſit; *Dominabitur à mari vſque ad mare*. Numen quod manum pueri ductauit, eius fore ampliſſimam in mundo auctoritatem ſignificauit.

Gregorij VII

[n] Anno 1073.

Calliſtum pariter II. oſtendit. [o] Quo tempore Gelaſius II. ne Eccleſia Paſtore viduata periclitaretur, de ſucceſſore ſubrogando, moriturus, cum Cardinalibus decernebat, viſus eſt ſibi Calliſtus proxima nocte in ſomnis vidiſſe, à perſona præporente Lunam ſub chlamyde repoſitam committi.

Calliſti II.

[o] Anno 1119.

Sed & Innocentium III. oſtendit. [p] Aliquis ſecundum quietem viderat, illum matrem ſuam ducere in vxorem. Eo quoque momento, quo in Sacra aula Patres de illo euehendo deliberarent, vna ex tribus candidior columba, in conclaue illapſa, iuxta illius dexteram aduolauit, aſſeditque in humero, non obſcuro argumento, illum ſpiritu diuiniore afflatum, ſummo ſacerdotio dignum

Innocentij III

[p] Anno 1198.

fuiſ-

fuiſſe. Præceſſerant & alij multi indices futuræ maieſtatis.

Nicolai III.

Nicolaum etiam III. gente Vrſinum vaticinio oſtendit. q S. Franciſcus patri eius Matthęo familiaris, aliquando ad prandium inuitatus, & puerum ſuauiter complexus, ſuo tempore futurum ſummum Pontificem, mente diuinitus mota prędixit.

q Anno 1277.

Pij II.

Pium II. viſa eſt olim puerpera, per quietem, infantem mitratum parturire. Paulo IV. vita functo, cum Cardinales de ſucceſſore conſilia agitarent, ſuper ſedem Ioannis Angeli Cardinalis Medicei, qui poſtea Pius IV. dictus eſt, columba circum liberè volitans, tandem conſedit; Primatum Eccleſię illi portendens. Pio IV. decedente, cum Patres ad Comitium conueniſſent, Franciſcus Gonzaga Cardinalis grauiter ęgrotus, noctuque expergefactus, creatum iri Pontificem Cardinalem Alexandrinum, quem Pium V. appellarunt, diuinitus pręſenſit. Idem fere paulo ante Geneſio Lucenſi Dominicani Cœnobij ad Mineruam Prędefecto accidit; niſi quod cito ex oculis Pontificem euaneſcere conſpexit: quam Pontificatus Pij V. non futurus eſſet diuturnus. Sed & Londini in Anglia ſuper eam inſulam, tunc impię Eliſabethę Reginę Catholicos perſequentis tyrannide oppreſſam, vna cum crinito comete, & ignibus ſanguinei coloris, immanis magnitudinis manus diſtrictum intentans gladium per eoſdem dies apparuit; mox ab eo Pontifice in eam Reginam, Apoſtolicę poteſtatis gladij intorquendi, clariſſimum prodigium.

Gabutius in vita Pij V. lib. 1. cap. 8.

Pauli V.

Paulus etiam Quintus feliciter modernus, indicio oſtenſus eſt. Leone enim XI. pręmatura morte erepto, cum Purpurati in medium conſilia conferrent, Aquila ex Palatio Altempſiorum in ſublime elata, poſtquam diutino volatu aerem peragraſſet, tandem ad fortalitium molis Hadrianę, draconi inſculpto, inſigni Gregorij XIII. Pontificis gentilitio inſedit, & ex ſe, atque dracone ſuppoſito, inſigni Camilli Burgheſij S.R.E. Cardinalis Pro-Pontificis effecit: illuſtriſſimo indicio Pontificatus futuri, ad quem omnium Patrum ſuffragijs euectus eſt; impellente mentes ſuffragatorum ſpiritu illius, qui, *ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis. Dominus enim ſolus Dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* Ille ſolus *conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo: Butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan; & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum.*

Deut. 32.

Electio Pontificis non voluntate humana, ſed diuino fit conſilio. Antonio Querengo in relatione de electione Pauli V.

Falluntur, teſte oculato Antonio Quęrengo, Romanarum rerum experientiſſimus qui plurimis Comitijs creandis Pontificibus interfuit; Falluntur, inquit, qui in deliberatione de Pontificis Romani electione, aut pertinaci partium ſtudio, aut ambitioſę prenſantium induſtrię, aliquid tribuunt. Quanquam enim plerique in ſuffragium ituri, quo ſua quemque vtilitas rapit tendere videantur, commutata tamen ad ignotę momentum cauſę ſubito in diuerſum conſilia, ſatis ſuperque indicant, ipſam cœleſti ab ſede diuinam auram tacite diſſentientium in animos illapſam agere vel inuitos, atque impellere ad eum deligendum, cui ſummam ſacrorum poteſtatem ęterna Dei prouidentia iam in cœlo detulerit. Itaque non lęna paucorum cupiditas, per ſęuas Patrum contentiones Paſtorem imponit, non expectati exitus obſeruatio. Non enim Cardinalium conſilio, ſed manifeſto Dei nutu atque auctoritate ſummi creantur Pontifices. Diſſenſiones ac turbas flagitioſi aut ſtulti homines ad ſacri miniſterij maieſtatem minuenda fruſtra criminantur; cum illę ſint diuinę electionis certiſſimum argumentum. Paulum IV. nobilitas, conſanguinei, ſimultas cum potentiſſimo Regum, vitæ aſperioris fama, ita oppugnabant, vt qui de eo ſperandum dicerent ſtultiſſimi haberentur. diuinum tamen conſilium humanas cogitationes eluſit; & quem ſemel deſignauerat ſedi ſupremæ impoſuit.

Exẽplo Pauli IV.

Pij V.

Pius V. conclamatæ ſpei, à ſuis quoque contemptus, propter Pauli recens odium, cui ſeuere impietatem perſequenti ſtimulos admouiſſe credebatur, improborum oblocutionibus in inuidiam pertractus, præter ſingularem innocentiam ac fidei zelum, quæ illi apud quoſdam non magis ſuffragarentur, quam obſiſterent, nihil aliud comitia attulerat. neque prius duo ſenatus Principes de Pio cogitarunt, quam ad reſpiciendam diù neglectam hominis virtutem priuato commodo votis publicis acceſſiſſent, haud dubio numine impellente. Quamobrem Pius præter omnium expectationem ad ſublime faſtigium euectus, in ore habebat: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt miſerabile in oculis noſtris.* Gregorium mitiſſimo ingenio, ea nocte quæ creationem anteceſſit, Hiſpanorum aliqui deſeruerant: non tamen deſtinata Dei voluntas dereliquit, quæ fere in momento animos omnium inclinauit. Clementis VIII. Comitia admirabilem exitum habuere. Sanctæ Seuerinæ Cardinalem Itali, exteri, ſummi, infimi, in ſolio collocarant; Iamque is mandata ad Principes dabat, ac munia partiebatur. In ſacellum Paulinum adorationis cauſa ductus, ſtatim fortunam à ſe abeſſe ſenſit: ab omnibus deſertus, Clementi locum fecit: quamuis iſtum acti parentes in exilium, & amiſſæ reipublicę memoria excludere potuiſſent. Patres afflantem Spiritum Sanctum ſecuti ſunt. In Leonis XI. creatione in primis varie certatum; omnium fere, in vnum Baronium votis intentis paratiſque ad extremum. Sed quia neque iſtum quamuis meritis & annis grauem Deus deſtinauerat, Patres conſilio mutato, ſeipſos mirati ſunt in ſubita ſuffragatione, qua Leonem Mediceum delegerunt: quem Clemens VIII. teſtamento ſucceſſorem ſcripſiſſet, ſi per Canonicas ſanctiones licuiſſet. Eo breui poſt XXVII. diem deſiderato, itum in ſuffragia ſucceſſoris. Pręter Dominicum Tuſcum, rurſus Baronium depoſcebant. Liber ipſum admiranda Dei conſilia ingenue fatentem, in eo quem Paulo V. inſcripſit XII. Annalium Tomo, legere. Iſta ſcripſit: *Abſolutus eſt præſens Tomus* (nempe Duodecimus) *cum Pontifex Romanus creatus eſt Paulus Papa V. cui ipſe dedicandus, pro tanto munere*

Gregorij.

Clementis VIII.

Leonis XI.

Verba Baronij de electione Pauli V. Pontif.

Deo

Deo immortali perennes gratiarum contineat actiones, quæ acceſſionem accipiant tanquam ex inundante torrente maiorem, quod in his à Deo indigentia ſim valde beneficia conſecutus, è ſummis imminentibus periculis ereptus. Nam è profundo maris abyſſo horribili tempeſtate iactati, cum iam incidiſſemus in dithalaſſum, ipſa adhuc naufraga ſpe, Dei ope ad optatum litus, vnacum Paulo, in Salutem Vrbis & Orbis electo, ſalui tandem emerſimus. Quamobrem partus hic ipſe noſter præſens Annalium Tomus, qui ob multiplices parientis ærumnas penè interitu perenatis, Benoni, filius doloris mei fuerat nuncupandus; ſubita rerum mutatione in contrarium facta, mutato quoque nomine, ſicut & rebus, erit Beniamin, dexteræ filius nominandus, Paulo noſtro iam in dextera collocato. Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius? Mirabiles vidimus elationes maris; mirabilis & apparuit in altis Dominus, Qualis tunc rerum facies? quam terra, horrida, & formidabilis? Qui tunc æſtus mei, cum adeo violenter, licet amicis flatibus abreptus, ferrer in ſyrtes, è quibus haud facilis eſſet emergendi facultas? Laboraui clamans, raucæ re ipſa tunc factæ ſunt fauces meæ, exclamans ad Omnipotentem Dauidicum illud: Mitte manum tuam de alto, libera me de aquis multis. Cunctiſque euadendi remedijs deſtitutus tædio vitæ grauatus ſupra modum, vltra vires, in illa ærumnoſa cum Hieremia erupi ſæpe lamenta; Væ mihi mater mea; quare me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra. Cum verò his tenerer vallatus anguſtijs, & à Deo tantum qui eſt ſolus Omnipotens præſtolarer auxilium; ecce ſtatim ex inſperata cataſtrophe, facta eſt rerum repentina, ſicut & admiranda mutatio. Excitatus namque tanquam dormies Dominus clamore ſuorum, qui laborantes erant in remigando, feſtinus exurgens imperauit vento, & mari, & facta eſt tranquillitas magna; atq; dicto citius admirando conſenſu omnium, ecce pronebitur PAVLVS, tanquam è mari ereptus tempeſtate ſaluus, in cathedram Petri. Dominus ſalus Dux Paulo V. fuit, qui in throno, etiam Angelis ipſi reuerendo, illum collocauit; & vel Aquilam draconi Gregoriano incubantem, indicem ſuæ voluntatis, in PAVLVM QVINTVM inflammatæ oſtendit. Namque non inſolens ab his animantibus futuræ magnitudinis portentum. Aureliano Imperatori, Aquila & Draco, imperij auſpicia fuere. Primum, pueri eius peluim ſerpens plerumque cinxit, neque vnquam potuit occidi mater, quæ hoc viderat, ſerpentem quaſi familiarem occidere noluerat.

Aquilæ aliaque animantia futuræ felicitatē ominia & Imperij præſaga.
Aureliano Imp.

Eundem vinctum faſciola, aquila innoxie de cunis leuauit, & in aram, quæ iuxta ſacellum forte ſine ignibus erat depoſuit. Martiano equiti, dum in æſtate humi dormiret, aquila ſuper ipſum leniter ſe mouens, & radios ſolis expanſis alis auertens, imperium ei portendit. Seuero Imperatori, quod in ſtabulo quieſcenti ſerpens caput cinxiſſet, & ſine noxa expergefactis, & acclamantibus familiaribus abijſſet, futuræ fælicitatis omen fuit. Antonino Diadumeno, eadem die qua natus eſt, palumbum regium paruulum, in cunis dormienti aquila ſenſim attulit, poſuit, ac ſine noxa abijt, deinde aliquot poſt annis, pileum; in agro ambulanti tulit, & cum ca-

Flauius Vopiſc. in Aureliano.
Martiano.
Seuero.
Spartianus in Seuero.
Antonino Diadumeno.
Lampridius in Diadumeno.

mitum infantis clamor eſſet factus, in monumento Regio, quod iuxta villam eſſet, in qua tunc pater agebat, ſupra ſtatuam Regis poſuit, ita vt capiti eius aptauerit, portendens imperium. Alexandrum Seuerum, mater pridie quam pareret, ſomniauit ſe purpureum dracunculum parere. Clodio Albino, ſeptima eius diei hora conuiuij, quod celebritati pueri deputabatur, cum ei fierent nomina, cum rarum eſſet, Aquilas in his locis videri, in quibus ille natus eſt, ſeptem aquilæ paruulæ de nidis allatæ ſunt, & quaſi ad iocum circa cunas pueri conſtitutæ: nec hoc omen pater abnuit, qui iuſſit aquilas ali, & diligenter curari. Maximino patri, quod ſerpens dormienti caput circumdediſſet, imperij index fuit. L. Tarquinio Priſco Capitolium petenti, aquila in vrbe Roma pileum ſuſtulit, & cum in altum volaſſet, mox capiti repoſuit. C. Marius puer, cum ruri aleretur, ſeptem aquilarum pulli in eius gremio à matre reperti ſunt. Octauiano Auguſto, cum ruri adhuc paruulus educaretur, aquila de manibus panem rapuit, moxque euolauit; atque vbi paulo poſt reuolaſſet, eidem reſtituit. Cum adhuc priuatus eſſet Claudius, prima die qua Conſulatum iniuit, Romæ per forum tranſeunti, aquila dextero eius humero inſedit. Sergij Galbæ auo, quid acciderit non opus eſt amplius commemorare; ne plus portento aquilarum in adipiſcendo Imperio, quam virtutibus deferre videamur, quarum tantum pondus in Camillo Burgheſio fuit, vt illud ſolum, vel ſolum, poſt diuinam electionem rerum ſummę illum præfecerit. Ætas, quaſi nondū matura, à ſummo faſtigio, auertere videbatur. Quamobrem, quod Hieronymus Heliodoro de quondam ſcripſit, & is quoque, *conquerebatur ſe ferre non poſſe, & iuuenilem ætatem incongruam Sacerdotio cauſabatur: ſed quanto plus repugnabat, tanto magis omnium in ſe ſtudia concitabat, & merebatur negando, quod eſſe volebat, eo quod dignior erat, qui ſe clamabat indignum.* Fuit, quod longe digniſſimum, quamquam nonniſi tres, & quinquaginta annos natum, oſtenderat. Nataliū inprimis ſplendor commendabat, qui neque ita præſtringens, vt metum potentiæ incuteret; neque tam mediocris, vt non omnia optima à nobiliſſimo ſtemmate de illo polliceretur. Oratorum princeps dicere ſolebat; *Nobiles ſeu recte, ſeu perperam facere cœperint, ita in vtroque excellunt, vt nemo inferiore loco aſſequi poſſit*: quod à natiua gleba habeant, & exempla, & adiumenta tum naturæ, tum fortunæ, quibus omnes infra ſe, vel in virtutis, vel in flagitij ſtadio relinquant. Non defuere Paulo Quinto Burgheſio, antenato cum præclariſſima ad omnem honeſtatem, vel lumina, vel ſemina, quibus familiaris fuit, & ſumma integritas, & comitas par, & animus ad excelſa erectus, & manus ſiue calamo, ſiue armis apta, & totum vitæ genus, vel in ſago, vel in toga bono publico actum, qui ſuis temporibus Republicam Senenſem illuſtrarunt, Magiſtratus ampliſſimos in ea geſſerunt, copias militares duxerunt, officijs & laboribus innumeris, multis etiam periculis non vrbem illam tantummodo, verum etiam Etruriam, quin & Eccleſiam Romanam aliquando ſibi deuin-

Alexandro Seuero.
Lamprid. in Alexandro.
Clodio Albino.
Capitolin. in Albino.
Maximino.
Capitolin. in Maximin.
L. Tarquinio Priſco.
C. Mario.
Scriptores Romana Hiſtoria.
Octauiano Auguſto.
Claudio.
Sergio Gal.
Pauli Quinti ætas in electione Pontificia.
Pro Quintio.
Nobiliſſima familia.

[illegible]

deuinxerunt: proque ea opera aduerſus Gibellinos ſtrenue nauata, inſigne patrium Guelphico dracone, & aquila commutatum, eouſque retinuerunt.

CAPVT III.

Pontifex Romanus omnium mortalium ſupremus.

IMitatione Diui Hilarij, altiſſimum indiuiduæ Trinitatis Sacramentum, contra hoſtes Diuinitatis, tam verè, quàm ſtrenuè oſtendentis, iſtam de Pontificis Romani maieſtate tractationem, ad huius temporis Chriſti aduerſariorum confuſionem libet auſpicari. Sufficiebat quidem credentibus Dei ſermo, qui in aures vniuerſi orbis, Euangeliſtæ teſtimonio, cum ipſa virtutis ſuæ virtute transfuſus eſt, cum Petro Romano Pontifici dicit Dominus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ſolueris, vel ligaueris in terra, erit ſolutum, vel ligatum in cœlis: & pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*: & tu idem ipſe *paſce oues, paſce & agnos meos*. Namqne in hoc oracnlo nihil non continetur, neq; extra illud aliquid eſt, aut reliquum, aut obſcurum, quod ad dignitatem omnium Paſtorum ſupremi demonſtrandam deſideretur: ſed compellimur hæreticorum, & blaſphemantium vitijs illicita ag[e]re, & ſo[l]em, vel lucernæ radio oſtendere, his quibus à narua vertigine vnum pro alio videre, dicere, cenſere, non inſolens. Res eſt; Pontificem Romanum ſolem Chriſtianitatis, tenebriores male cæcutiẽtes, in vmbris Cymmerijs, non à puritatis ſplendoris oliuo, ſed à behemotheo pingui, ac nimium amburente adipe, lumen, ſi lumen, tenebricoſum mutuari, per tanta locorum interualla, quanta ſunt inter extremos toto orbe Britannos, nimis cæcum in orbe Romano videntes, Romanum Pontificem ex Euangelica veritate perpetua, Caput Eccleſiæ, fundamentum Orthodoxiæ, Clauigerum Regni Cœlorum, Fidei Catholicæ, vel cuſtodem, vel conditorem, Fratrum Chriſti omnium confirmatorem, & adeo Doctorem; & ad extremum tam agnorum, quàm ouium Chriſti ouilis Paſtorem, Ductorem, ac Regium Sacerdotem, lingna gutturis quod ſepulchrum patens mephiti vniuerſa peius exhalat virulentiuſque virus, audent infra id omne quod in orbe extremum eſt detrahere, Pontifex (ò blaſphemiam toto igne inferni piandam) inquiunt & ſcribunt, & inter ſordes menſarum nihil magis vomunt, eſt idolum abominationis in templo Dei, aduerſarius Chriſti, & adeo ipſe merus, verus, purus, putuſque Antichriſtus. Vel ex vnica Sacerdotali linea hominem æſtimaſſent; haud dubie omnium mortalium, quin & Angelorum digniorem affirmaſſent. Certum etiam illis ipſis, vel in triuio declamantibus, Sacerdotij gradu, nullum ſublimiorem, nullum digniorem eſſe. Poſtquam enim inter diuina beneficia humano generi collata, nullũ maius, aut præſtantius ſit eo, (ita quidam in Argentinenſi Scholaſterio perorabat) quod ex adyto maieſtatis ſuæ prodiens Deus Opt. Max. hominum generi miſero perditoque ſeſe patefecit, & collectæ ex reliqua hominum multitudine Eccleſiæ voluntatem ſuam, de æterna ſalute & felicitate recuperanda, cæteriſque quæ ſcire noſtra refert ad einſdem ſunt gloriam vtilia, communicauit: ita vt huic dono gratuito, in vnica veraque Dei veri vtpotè ſummi boni cognitione ſito, nulla ſummorum virorum ſapientia, nullæ quamuis ampliſſimæ opes, nullaque alia bona quæ ſuſcipere vulgus, & in amore, ac delitijs habere ſolet conſerri poſſint; & qua ſi aliquis deſtituitur, non hominis modo appellationem minimè meretur, verum & longè deteriore rationis expertibus animalibus conditione natus eſſe videtur; cum & in hac vita, in tenebris, velnti carcere aliquo obſcuro verſetur, & poſt exantlatos labores, atque miſerias multas, & magnas grauiſſimis ſupplicijs æterniſque cruciatibus adiudicetur: conſequens eſt, vt quem Deus manifeſtandæ ſuæ voluntati, in hoc Sacrorum felicitatis omnium miniſterio cum poteſtate eſſe miniſtrum voluerit, is omnium longe digniſſimus habeatur. Sacerdotum certè nomen, ceu Deo rebuſque conſecratum diuinis (pergit Daniel Schadæus Senfrembergenſis, in ea oratione demonſtrare) magno in honore apud antiquos, veræ etiam religionis ignaros, ſemper habitum fuiſſe conſtat. Conſtat & illud, eoſdem ſæpe, & ſacrorum fuiſſe Antiſtites, & Rerumpublicarum gubernacula tractaſſe. Regem hominum Phœbiq; Sacerdotem Anium illum veterem Anchiſæ hoſpitem Poeta appellat. Helaum non modo Regiam in Epiro poteſtatem habuiſſe commemorat, verum etiam vt Deorum, auſpiciorumque, & aſtrorum interpretem ſummis laudibus euehit, & Romulum illum Romanæ vrbis conditorem, duodecimum ſeſe inter atuorum Sacerdotes, quorum tum præcipua erat authoritas, nnmerari voluiſſe, veterum monumenta teſtantur, & antiquiſſimæ illius leges, non infimæ ſortis, & conditionis hominibus, ſed Regibus tantum, & nobilitati ſacrorum tractationem permittunt. Enimuero natura videtur ipſa quaſi hortari homines, atque impellere, vt diuina omnia ſacriſque dicata cultibus, venerentur. Declarat hoc ſacrorum Sacerdotumque apud Romanos, Græcos, aliaſque gentes varia genera ſtudioſè diligenterque, & culta, & obſeruata.

Et non à pietate modo, ſed & humanitate omni alienos eſſe neceſſe eſt eos, quibus ſupra intraque omnia ludibrio ſunt tantum, & deſpectui; quales olim Cyclopas fuiſſe Poetæ fabulantur.

Apud Hebræos ſane, & Leuitas & Pontificem maximum, ſed hunc tanto reliquos Sacerdotes, quantum illos reliquum populum Deus antecellere voluit, dignitate, iuxta ac maieſtate. Etenim cum ſingulari ille conſilio Iſraeliticum ſibi populum præ reliquis totius orbis gentibus in gregem peculiarem elegiſſet; atque vt eo celebrior magiſq; conſpicua ſua in illo præſentia eſſet, pulcherrimum longeq; munificentiſſimum exædificari Tabernaculum, in quo veluti in aula quadam

regia

Ampliſſima Romani Pontificis poteſtas.

Hæreticorum in Pontificem [illegible].

Sacerdotij gradus omnium digniſſimus.

Sine Dei cognitione homo ipſis brutis animantibus infelicior.

Sacerdotis nomen etiam apud antiquos celebre.

Leuitæ, & Pontifex Maximus.

Hæbreis in honore.

Pontificis Maximi dignitas & officia.

regia à ſubditis ſuis audiretur, inuocaretur, coleretur, deque difficillimis atque arduis maxime negotijs conſuleretur voluiſſet; ipſe vt ſpiritus ob immenſam maieſtatem cum minime aſpectabilis ſit, certos quaſi interpretes ſibi atque internuncios elegit, & vitæ ſanctimonia, ac veſtium ornatu à reliqua multitudine ſeparauit, qui illius ſummi Regis, atque Imperatoris mandata ad populum, & huius viciſſim ad ipſum rogata deferrent; tum ritè religioſèque peragendorum ſacrificiorum curam peragerent.

Oriundus de ſtirpe Aaronica.

His omnibus cum gradibus, tum officijs certis pulcherrimè diſtributis, ſummus Sacerdos præerat, non ex fece plebis, leui aliqua de cauſa, aut ſortis beneficio, aut Principum, atque Regum gratia electus, ſed de ſtirpe & poſteritate Aaronica, diuinitus ad id deſtinata, oriundus.

Eius veſtium ornatus.

Is veſtimentis induebatur eo ſplendore, & pulchritudine, ea varietate operum, eo denique artificio confectis, vt & ornamento maximè tabernaculo eſſent, & ſacra adeuntes in admirationem raperent, & tum Hierarchicum ordinem cæteris, tum Hierarchici ordinis Principem Leuitis antiſtare oſtenderent: quod in eo humanum fere nihil, diuina omnia ſummaq; veneratione digna apparerent; iſque ſolus ſacris omnibus rectè faciendis præfuiſſet; totius prouinciæ Iudaicæ, & quidem frequentiſſimæ curam ſuſtineret; controuerſias omnes, in maxima populi multitudine, tamque pertinaci populo plurimas, & difficillimas componeret; incenſum in ſanctuario diebus feſtis adoleret; inque interiorem ſecretiorem ædis partem, pro ſua ſalute, totiuſque populi incolumitate vnus ingrederetur preces, & ſacrificia libaturus.

Alia eius munia.

Aaron Sacerdos ſummus. Stella matutina, ſolis radij, flores roſarum, olea frondeſcens, &c.

Syracides, fama ſapientiæ celeberrimus, Aaronem Sacerdotum primum ornatu præclaro beatum, amictu glorioſum, dignitate præſtantem, qui omnes alios poſt ſe reliquiſſet, ſummis in cælum laudibus euehebat. Simonem quoque Oniæ filium, eodem perfunctum munere, iiſdem præconijs exornabat, dum illum matutinæ ſtellæ è medijs nubibus emicanti, dum radijs ſolis altiſſimi Dei templum colluſtrantibus, dum floribus roſarum, dum oleæ frondeſcenti, dum cupreſſo altiſſime ſeſe extollenti componeret.

Et Deus ipſe, non modo horrendo & exquiſito genere ſupplicij, quo Dathanis & Abironis coniurationem ſceleratiſſimam, ſummique Pontificis paruifacientem auctoritatem affecit; verum etiam præter naturæ ordinem efflorescente virga Aaronica, quo loco munus hoc numeroque habere voluiſſet, declarauit. Magnus Alexander Macedo, procedente ſibi obuiam Pontifice Maximo, non modo de ira ſua, qua in gentem Iudaicam exarſerat plurimum demiſit, verum etiam attonitus ex equo deſilijt, illumque perquam religioſe veneratus eſt. Hæc Schadæus, pro dignitate Sacerdotali, vt quanta eſſet Sacerdotij nouæ legis præſtantia demonſtraret, perorabat. Addo ego, pro eadem. Sacerdotem veteris legis, ſupremum inter omnes gradu eſſe ab his prærogatiuis Deus commonſtrauit. Decimas & Primitias à populo accipiebat: à mortuorum exequijs abſtinebat; nec repudiatam, nec viduam ſed virginem tantum in vxorem ducebat: reliquias oblationum comedebat; populo benedictionem impertiebatur: Reges inungebat; Dei oracula referebat; controuerſijs finem imponebat; & in ſumma, quantum poteſtate, tantum maieſtate inter omnes præſtabat: non tantum Angeli, verum & Dei nomen apud omnes adeptus. Ita enim Deus inſcribebat; *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: Angelus enim Domini exercituum eſt*, & Moyſi, inter Sacerdotes Principi aliquando dixit: *Ego te conſtitui Deum Pharaonis*, & his qui per contemptum nollent obedire iuſſioni Pontificis, nihil minus, quam ſibi refractarijs, certam mortem interminatus eſt: quod Sacerdotium ſit, *apex bonorum omnium, quæ ſunt in hominibus*, quod, *qui Sacerdotem dicit, auguſtiorem prorſuſque diuinum virum inſinuat, totiuſque ſanctæ ſcientiæ peritiſſimum*, quod *Sacerdotium eſt ipſo Regno longè maius, ac venerabilius. Quanquam enim admirandus videatur thronus Regius ob gemmas affixas, & aurum quo cinctus eſt, tamen rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitur, verum Sacerdotij thronus in cælo collocatus eſt, & de cæleſtibus negotijs pronunciandi habet autoritatem*, itaque *multum Rex abeſt ab eo; quod Sacerdos multo ſublimius ſedeat, ac longe ampliorem habet poteſtatem*, quod ex hominibus omnibus, ſuper alios ad illud dignius eleuatus eſt, per quod poſſit alios omnes, etiam Reges & Principes, iuuare: ideoque *ſecernitur ab alijs, vt præſit alijs*. Quod ſi veteris legis Sacerdotium, etiam Regiam dignitatem antecellebat, quantum anima corpori, & cæleſtia terrenis, & ſpiritualia temporalibus antiſtant; longe maius præſtantiuſque Sacerdotium nouæ legis fuerit, cum longe auguſtiora contrectent myſteria, excellentiora adminiſtrent Sacramenta, diuinioraque lumina, & chariſmata diffundant, orbi Chriſtiano, Regi & monarcho Chriſtiano Sacerdotes. Quamobrem merito S. Leo pro concione dicebat; *Nunc & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior ſeniorum, & ſacratior eſt vnctio Sacerdotum: quia Crux Chriſti omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum*. Lubet à Patribus dignitatem Sacerdotum, & Epiſcoporum Chriſtianæ plebis, audire.

Alexādri Macedonis in Pontif. Max. reuerentia.

Dignitate omnium ſupremus.

Angelus Domini.

Regibus, & Principibus dignitate maior.

S. Ignatius in epiſt. ad Smirnen.

S. Dionyſ. c. 1. de cæleſti Hierarchia.

S. Chriſoſt. hom. 5. in c. 6. Iſaiæ.

S. Anſelm. in cap. 5. ad Heb.

Nouæ legis Sacerdotium longè excellentius Sacerdotio legi veteris.

Serm. de Paſſione Domini.

Sanctus Clemens his titulis eos exornabat: *Vos eſtis veſtris laicis prophetæ. principes, duces, Reges, mediatores Dei, & fidelium eius, receptacula verbi Dei, & præcones eius. Qui Epiſcopus eſt, hic eſt miniſter verbi, ſcientiæ cuſtos, mediator Dei, & veſtrum in his quæ ad Deum colendum pertinent. hic eſt magiſter pietatis, ac religionis: hic eſt ſecundum Deum pater veſter, qui vos per aquam & Spiritum ſanctum in adoptionem regenerauit: hic Princeps & Dux veſter: hic veſter Rex & Præfectus: hic poſt Deum terrenus Deus, qui honore veſtro frui debet.*

Teſtimoniū S. Clementis de dignitate Sacerdotali. lib. 2. Conſt. Apoſtol cap. 25 & 26.

Sanctus Ambroſius, *germen Sacerdotale, propaginem ſanctificatam, duces & Rectores gregis Chriſti*, eos compellans, *honorem & ſublimitatem Sacerdotalem, nullis poſſe comparationibus adæquari* affirmabat. *Si Regum fulgori compares*, inquit, *& Principum diademati, longè erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas*

S. Ambroſij. lib de dig. Sacerd. cap. 2.

Regum & Principum colla genibus Sacerdotum ſubmitti, & exoſculatis eorum dextris orationibus eorum credant ſe communiri.

S. Chryſoſt. Hom. 5. in Iſa. cap. 6.

Sanctus Chryſoſtomus eadem planè aſſeuerabat. *Nihil*, inquit, *cum honore Sacerdotali poteſt conferri. A terra iudicandi principalem auctoritatem ſumit cælum: cum Dominus cælorum rex Sacerdoti dicit; Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Ergo Iudex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſeruum, & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in ſupernis comprobat. Itaque medius ſtat Sacerdos inter Deum & naturam humanam: illinc venientia beneficia ad nos deferens, & noſtras petitiones illuc perferens, Dominum iratum reconcilians, vtrique natura nos qui offendimus, eripiens ex illius manibus. Ideoque Deus ipſum regale caput Sacerdotis manibus ſubiecit, nos erudiens quod hic Princeps eſt illo maior. Et*

Lib. 3. de Sacerdotio.

quidem Sacerdotium ipſum in terra quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem, & ordinem referendum eſt atque ad iure merito. Quippe non mortalis quiſpiam, non Angelus, non alia quæuis creata potentia, ſed Deus ipſe ordinem huiuſmodi diſpoſuit: idcirco neceſſe eſt Sacerdotem hic eſſe purum, ac ſi in cælis ipſis collatus, inter cæleſtes illas virtutes medius ſtaret, terribilia namque & horrifica ſunt, quæ adminiſtrat. Si quis conſideret quantum ſit id myſterium, is probe intelliget, quanto honore, quantaque dignitate Sacerdotes Spiritus ſancti gratia dignati fuerint. Etenim ijs qui terram incolunt, atque in ea verſantur, commiſſum eſt, vt ea quæ in cælis ſunt diſpenſent, ijs datum eſt vt poteſtatem habeant, quam Deus Opt. Max. nec Angelis, nec Archangelis datam eſſe voluit. Neque enim ad illos dictum eſt; Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Illud nihil aliud dixeris quam omnem rerum cæleſtium poteſtatem illis à Deo eſſe conceſſam. Cum honore, nihil poteſt conferri. Ea poteſtate, nulla maior eſſe queat. Pater omnem poteſtatem dedit filio: cæterum video eamdem ipſam omnifariam poteſtatem à Deo Filio Sacerdotibus traditam. Nam quaſi iam in cælum translati, ac ſupra humanam naturam poſiti, ſic illi ad Principatum iſtum perducti ſunt. & alibi. *Habet Sacerdos iuſtitiæ thoracem, habet & loricam veritatis, habet & calceamenta multo honeſtiora ab Euangelio pacis: habet gladium non ex ferro, ſed ſpiritus; habet & coronam capiti impoſitam, ſplendidior hac armatura, atque pretioſior eſt. Ergo Rex hic dicendus eſt, & illo honoratior. Nam ſi de bonis cæleſtibus agetur, Rex ad Sacerdotem, non Sacerdos ad Regem confugere ſolet.*

Hom. 3. ad popul. Antioch.

S. Auguſtini. in Pſalm.

Sanctus Auguſtinus altius aſſurgit, & Sacerdotem, *quod in eius manibus, velut in vtero Virginis, Filius Dei incarnatus*, Angelo ſuperiorem fatetur. *Quod*, inquit, *datum non eſt Angelis, conceſſum eſt homini. Sacerdos enim hoc ineffabile myſterium conficit, & Angeli conficienti ſibi quaſi muti aſſiſtunt, ſuper hoc tam inſigni priuilegio ſtupet cælum, miratur terra, veretur homo, horret infernus, contremiſcit diabolus; & veneratur quamplurimum Angelica celſitudo.*

S. Gregorij Theologi, Orat. 12. ad Leo. 8.

Sanctus Gregorius cognomento Theologus, ad iſtud muneris forte reſpexit, *neque expers honoris Sacerdotum dixit quod ipſi quoq; Angeli puriſſimi Dei cultores venerantur, tanquam ipſorum cultu minime impar.*

B. Laurentij Iuſtiniani. Serm. de Chriſti corp.

Beatus Laurentius Iuſtinianus Patriarcha Venetus, cum iſtam dignitatem, *quod vno eodemque momento idem Deus qui præſidet in cælis, in manibus Sacerdotum eſt in Sacramento Altaris; magna*, ait, *& prorſus admiranda Sacerdotum dignitas eſt: maxima illis collata eſt poteſtas. Sua namque prolatione, & ad eorum penè libitum, corpus Chriſti de panis tranſubſtantiatur materia. Deſcendit de cælo in carne verbum, & altaris veriſſimè reperitur in menſa. Hoc illis prærogatum eſt gratia, quod nunquam datum eſt Angelis. Aſſiſtunt Deo, illum contrectant manibus, tribuunt populis, in ſeque ſuſcipiunt.*

S. Bernardi. Serm. ad Paſtores in Synodo.

Sanctus Bernardus Diuo Auguſtino ſubſcribens; *Prætulit*, inquit, *vos Sacerdotes Deus, Regibus, & Imperatoribus; prætulit ordinem veſtrum ordinibus, imò altius loquar, prætulit vos Angelis & Archangelis, Thronis & Dominationibus. Sicut enim non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptionem: Sic non Angelis ſed hominibus, ſoliſque Sacerdotibus Dominici corporis & ſanguinis commiſit conſecrationem. Omnes Angeli, ſicut ait Apoſtolus, ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Sed longè excellentius eſt officium veſtrum, quam admirabile eſt, non ſolum in oculis noſtris, ſed etiam Angelorum.*

Sacerdos caput, membra populus. Homil. 42. in cap. 22. Matth.

Poſſem aliorum Patrum decreta, pro dignitate Sacerdotali adducere: Sed in re clariſſima abſtineo, & cum D. Chryſoſtomo concludo: *Sicut caput dignius eſt quam membra, ſic digniores Sacerdotes quam reliqui.* Quod ſi iſtud verum, vt veriſſimum eſt, Sacerdotem Chriſtianæ plebis, propter ampliſſima munera, longè digniorem eſſe, non tantummodo populis, verum etiam Regibus, & Imperatoribus, & vniuerſis Angelis, mirum valde mirandum, imò valde horrendum eſt, quod inimici Chriſti, amicum Chriſti, ſponſum Eccleſiæ, & caput orthodoxiæ nomine Antichriſti indigetare non verentur. Maxime quod Romanus Pontifex, Sacerdotio non vulgari, ſed omnium ſupremo fungatur, in ea Eccleſia, quæ mater & magiſtra eſt omnium Eccleſiarum, quæ domus Dei, columna & firmamentum veritatis: quæ vna, ſancta, Catholica, & Apoſtolica ſponſa Chriſti; quæ adeo perpetua, vt portæ inferi nihil aduerſum eam præualeant: cui omnes aliæ Eccleſiæ Principatum detulere, eique omnes viri ſanctiſſimi conſtantiſſimè adhæſere, eamque tum dictis, tum ſcriptis, tum ſanguine præfuſo defendere: & a quicunque diſceſſere, Chriſtum deſeruere.

Dictus Antichriſtus ab hæreticis.

CAPVT IV.

Pontifex Romanus, Chriſti Vicarius, non Antichriſtus.

Plures Synagogæ Vicarij, ſed vnum caput Moyſes. Petrus Chriſti in terris Vicarius, & Ca-

Conditor veteris Eccleſiæ, cum ordinem Hierarchicum inter adminiſtros illius, qui Dei vicem in cura populorum gererent, inſtitueret, vnum, & plures Vicarios Synagogæ præfecit. Vnum Moyſen in Sacerdotibus,

plures

pue omnium Chriſtianorū.

plures Sacerdotes & Leuitas. Illu n primum, ſupremum, cum plenaria authoritate, qui *fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant*: hos ſecundos, inferiores, cum participata poteſtate, ab illo, cui dixit Deus, *ſumam de ſpiritu tuo*, ad aliquam functionem peculiarem, iuxta gradum & menſuram donationis. Quamobrem inter iſtos & vnum illum diſcernens Deus, ſignificabat; *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moſes. Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per enigmata, & figuras Dominum videt.* Fuerant hæc *in teſtimonium* futurorum, cum Chriſtus in terris relinquens Eccleſiam, Vicarios, vnum, & plures, pro ſeipſo, illi voluit præficere. Plures quidem; *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*: quorum ſinguli, *ſecundum operationem*, in menſuram vniuſcuiuſque membri *augmentum facerent in ædificationem ſui in charitate*: Vnum autem ex Apoſtolis, qui plus Chriſtum amauit, quem propter eminentiam præſtantiſſimæ fidei, & charitatis, pro ſe Patrem familias, & Clauigerum, & ſponſum, & Regium Sacerdotem, omnibus ouibus Principem Paſtorem conſtituit. *Ex omnibus enim ſuis diſcipulis*, vt Nazianzenus obſeruabat, *magnis vtique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, vnum elegit, quem Petram vicariam vocauit, cui Eccleſiæ fundamenta concredit: cui reliqui diſcipuli poſt haberi ſe æquo animo ferebant.*

Epheſ. 4.

Ex multis dignus vnus electus.
Orat. de moderat. ſeruanda in diſputationibus.

Magni erant omnes, omnes excelſi, atque electione digni, qui Apoſtolorum locum implerent, qui legatione pro Chriſto fungerentur, qui paſtores eſſent, qui fidei veritatem docerent, qui innocentiam & integritatem morum, doctrina, monitis, ſuadela, terrore, charitate, virga depangerent, qui corrigerent, corriperent, Sathanæ traderent, congregarent, viſitarent, ſacra miniſtrarent, ſoluerent, ligarent, per ciuitates presbyteros conſtituerent, Eccleſias erigerent, fundarent, aduerſus presbyteros accuſationem acciperent, ſententias ferrent, vtpotè euntes in mundum vniuerſum ad prædicandum omni creaturæ, *ſol terræ, lux mundi, non ad duas vrbes, aut decem, aut viginti, neque ad vnam gentem, ſed ad omnem terram prorſus, & mare, totumque mundum, & hunc varijs criminibus oppreſſum miſſi*, magnam & celſiorem præ LXX. diſcipulis, poteſtatem, in ædificationem & non deſtructionem conſecuti: inter hos tam magnos & excelſos, maximus & ſupremus, vnicus Petrus, qui cœtum vocaret, formaret, impleret, eueretur, ſanaret, paſceret, doceret, dirigeret, mitteret, inſtrueret, examinaret, præſcriberet, dignitatem & officia diſtribueret, locum & ſtationem prædicationi & iuriſdictioni ſingulorum aſſignaret, ad modum & menſuram participationem in idipſum communicaret; vt in primis, non vnus ſit Petri, alius Pauli, alius Apollo: deindè, vt qui docet, miniſtrantem non ſpernat: & vni meſſi deputatur, in alienam non mittat falcem; & Angelus Tiatyræ, Angelum Philadelphiæ, vel quemlibet alium, non infeſtet, ſed vnuſquiſque ſua ſtatione contentus ſit; & ne vnus quidem currat, alius autem in vanum currat: & ne manus, pedis, aut oculi officium aut vſurpet, aut contemnat; *ſed vnuſquiſque* ad eius nutum, *ſicut accepit gratiam, in alterutrum adminiſtret*, quemadmodum idem Petrus monebat, & edicebat: *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei, ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus*, neque quiſquam *in immenſum glorietur*, quod Paulus dicebat, *ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt Deus*, ſeruato obſequio capiti, Chriſti Vicario Petro, qui Chriſto in cœlos aſſumpto, cœtum Apoſtolorum, pro ea quam præſtabat authoritate vocauit, Apoſtolicum chorum impleuit, Apoſtolum inſtituit; Eccleſiam à Principibus Sacerdotum non ſemel tutatus eſt; medelam ægris, annonam egentibus, veritatem errantibus, pro principatu quam gerebat miniſtrauit: Eccleſiam & ex circumciſione, & ex præputio venientibus primus aperuit; Concilia indixit, conuocauitque, Concilijs præſcripſit, Epiſcopos Eccleſijs præfecit, Eccleſias limitibus diſtinxit, fidei & prædicationis formulam dixit ſcripſitque, ac omnia alia pro Chriſto, præ alijs egit, tanquam Princeps Legationis, inter ſui ordinis comminiſtros: atque adeo Chriſti Vicarius, non Antichriſtus: quemadmodum neque aliquis eius ſucceſſorum, Antichriſtus. Facilè iſtud eſt, ex notis Antichriſti demonſtrare, quas in compendium contractas, recenſere viſum.

Chryſoſt. hom. 5 in Matth.

Eius munia. Non Antichriſtus, ſed Chriſti Vicarius.

1\. Antichriſti vnica tantummodo perſona.
Ioan. 5.

Antichriſtus vna vnica tantummodo perſona futura, quam veritas ipſa digito tenus indicabat. *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me. Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Pontificum Romanorum ingens numerus, à D. Petro Apoſtolorum Primarcho, vſque ad finem ſæculi ſibi ſuccedentium, vel ex verbo Prophetico; *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.*

2\. Eius nomen proprium.
Apoc. 13.

Antichriſto nomen proprium futurum, quod contineat 666. vt Ioannes prædixit. Pontificum Romanorum, ne vnus quidem hactenus extitit, qui nomine proprio iſtum numerum expleuerit.

3\. In vindictam conſenti[illegible] iniquitati veniet.
2. Theſſal. 2.

Antichriſtus venturus, in vindictam eorum, *qui charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Illis enim ideo mittet Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* At Eccleſia Romana, vel ab aduerſariorum teſtimonio, domus Dei, & columna veritatis, ſedes lucis, quæ ſemel traditam ab Apoſtolis doctrinam, ſemper ſeruabit, ſemper ſeruauit: nunquam hæreticorum aut perfidorum iniquitati conſenſit; nunquam charitatem veritatis, vtpotè quæ aſylum piorum & ſanctorum, excluſit: ideóque non meruit, immiſſionem per Angelos malos, ad operationem erroris, quæ perpetuo erroris expers.

4\. Secundum operationem Sathanæ.
2. Theſſ. 2. & Apoc. 13. lib. 3. cap. 3.

Antichriſtus veniet *ſecundum operationem Sathanæ*: & *draco illi dabit ſuam virtutem.* At *Romana Eccleſia*, non à Sathana, *ſed*, vel Irenæus martyr teſtatur, *à glorioſiſſimis duobus*

Apoſtolis Petro & Paulo fundata & conſtituta, eſt, qui Lino Epiſcopatum Eccleſiæ adminiſtrandæ tradiderunt. Huic ſucceſſit Anacletus, poſt quem tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitus eſt Clemens. Huic ſucceſſit Euariſtus, Euariſto Alexander, ac deinceps Sixtus, Theleſphorus, Higinus, Pius, Anicetus, Soter, & nunc duodecimo loco ab Apoſtolis, Epiſcopatum habet Eleutherius, Hac ordinatione & ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio & præconiatio veritatis peruenit vſque ad nos. Itaque ſi Romanæ Cathedræ erectio, non eſt ſecundum operationem Sathanæ, neque à dracone illa habet virtutem, ſed à Chriſto & ab Apoſtolis; viderint præcurſores Sathanæ, an ex vero, Pontifex eius ſedis, Antichriſtus.

5. Poſt ſublatũ Imperium.

6. Et prædicatũ Euangeliũ in vniuerſo orbe. 2. Theſſ. 4. Hieron. quæſt. 11. ad Algaſiam. Tertullian. in apologet. Ambroſ. in epiſt. ad Theſſal. Chryſoſtom. in eandem. Auguſt. lib. 20. de ciuitate Dei c. 19. in cap. 42. Matth. Can. 25. in Matth. in 2. epiſt. ad Theſſ. 2. lib. 2. de ciuit. Dei c. 5. lib. 4. de orthodox fide cap. 27.

Antichriſtus adueniet, ſed nonniſi poſt ſublatum è medio Imperium Romanum: quemadmodum Apoſtolus inſinuat, & S. Patres atteſtantur. At, Romanum Imperium non exeidit, quamuis neque Conſtantinus Magnus, neque Theodoſius Magnus, neque plures Imperatorum, Romæ præſiderent, aut præſideant.

Prius prædicabitur Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio, id eſt, Antichriſtus, quemadmodum Hieronymus, Hilarius, Theodoretus, Auguſtinus, & Damaſcenus interpretantur verba Chriſti.

Itaque cum nondum vniuerſo orbi prædicatum fuerit Euangelium, Antichriſtus nondum venit: ac perinde Pontifex Romanus non eſt Antichriſtus.

7. Eius aduẽtus præcedet diẽ iudicij. Matth. 24.

Antichriſtus poſtquam venerit, ſtatim *veniet conſummatio*, ſeu dies iudicij. At mille ſexcentos & amplius annos, numerant Pontifices Romani; & tamen mundus perſeuerat,

8. Loco ſanctificationis inſidet. Can. 25. in Matth.

Antichriſtus, *à Iudæis ſuſceptus, loco ſanctificationis inſiſtet; & proprius iſte Iudæorum erit error, vt qui reſpuerunt, ſuſcipiant falſitatem:* vt Hilarius ex verbis Chriſti renunciat. At nemo Iudæorum vmquam, Romanum Pontificem eredidit Meſſiam: quinimo non nemo illorum grauiore quam aliquem Chriſtianorum odio proſequitur.

9. Naſciturus ex tribu Dan. Lib. 5. In cap. 11 Dan. Orat. de conſummat. ſæculi. Lib. de bened. Patriarch. quæſt. ſuper Ioſue 3. 22.

Antichriſtus *certo naſciturus eſt ex tribu Dan, & velut Rex tyrannus aciem ex aduerſo inſtructurus eſt iudex ſeuerus ac diabolus. Quemadmodum enim è tribu Iuda natus eſt Chriſtus, ita naſcetur è tribu Dan Antichriſtus.* vt cum Irenæo, & Hieronymo, & ex verbis Hieremiæ demonſtrat S. Martyr Hippolytus: & huic ſententiæ adſtipulatur Ambroſius, & Auguſtinus. At nemo fere Pontificum Romanorum ex Iudæis, ſed fere omnes ex gentibus, atque diuerſis nationibus aſſumpti ſunt,

10. Circumciſus ſimulabit ſe ducem fœderis. In 2. Theſſal. in 11. Dan. Lib. 10. epiſt. 3.

Antichriſtus *ex circumciſione, circumciſus, ſimulabit ſe ducem eſſe fœderis, hoc eſt, Legis & Teſtamenti Dei,* vt Hieronymus obſeruat cum Ambroſio; nec non *Iudaizare populum compellet, vt exteriorem ritum legis reuocet, & ſibi Iudæorum perfidiam ſubdat, cultum Sabbathi reſtituet:* vt ex Scripturis elicit Gregorius Magnus. At nemo Pontificum ex circumciſione, nemo illorum inter recutitos, nemo Legis Moſaicæ reſtitutor, nemo ſabbati cultor, aut auctor, ſed tranſlati ſacerdotij, ſanctioriſque teſtamenti archimyſtes.

11. Negabit Patrem, & Filiũ. 1. Ioan. 2. lib. 6. de Trinit.

Antichriſtus *negabit Patrem & Filium,* vt Ioannes Euangeliſta prædicit. *Hæc enim interim loquitur plane,* vt S. Hilarius animaduertit, *per aduentus ſui Prophetas, ac præuios, ipſe ille qui poſtea erit in Antichriſto locuturus; ſalutarem fidei confeſſionem his tentamentis nouis inquietans, vt primum conſcientiæ noſtræ, quæ ita credimus intelligentiam filij naturalis euellat; deinde ipſum illud quod adoptiuum erit, reliquum nomen excludat.* At Pontifices Romani, fidei Petri Principis retinentiſſimi, nihil magis conati ſunt, atque eouſque conantur, quam vt Apoſtolica illa confeſſio, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, aduerſus omnem blaſphemiam, ex ore omnium, vbique locorum audiatur.

12. Ex ſcripturis ſe Chriſtum eſſe oſtendere conabitur. Lib. 5. In c. 21. Luc.

Antichriſtus, *ex ſcripturis diſputabit ſe eſſe Chriſtum:* adeoque *tentabit, vt ſe oſtendat eſſe Chriſtum:* vt Irenæus & Ambroſius oſtendunt, At nihil horum vnquam, aliquis Romanorum Pontificum, vel ex ſcripturis tentauit, vel de ſe temerarie iactauit, aut ſe Saluatorem orbis dixit.

13. Venditabit ſe pro Chriſto occiſo. In cap. 3 Apoc. lib. 11. epiſt. 3.

Antichriſtus *ad capita regni terreni pertinens, imitatione veri Capitis noſtri, ſe quaſi occiſum reſurrexiſſe, & pro Chriſto, qui hoc vere perfecit, ſuſcipiendum audebit exhibere: inque ſuæ reſurrectionis honorem, ſtatuere, vt dies Dominicus in veneratione habeatur.* vt Beda, & S. Gregorius ex Apoc. 3. c. docent. Cæterum nullus Romanorum Pontificum, finxit ſe mortuum, aut reſuſcitatum à mortuis.

14. Inſurget aduerſum Deum. Dan. 8. 2. Theſſ. 2. hom. 40. in Ioan.

Antichriſtus, *impudens facie, contra Principem Principum conſurget, & aduerſus Deum loquetur magnifica: & extollet ſe ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: omnemque ſibi poteſtatem tyrannice vindicabit, ſe omnium Deum profitebitur, ſe maximum Deorum eſſe gloriabitur,* vt Daniel, & Paulus Apoſtolus, & ex his S. Chryſoſtomus prædixit. Nullam earum blaſphemiarum, & abominationum, aliquis Romanorum Pontificum dixit, quinimo non nemo illorum, indignum ſe miniſterio à Chriſto impoſito aſſeuerauit.

15. Deum Patrũ ſuorum non reputabit. Dan. 11.

Antichriſtus, *Deum Patrum ſuorum non reputabit.* At Pontifex nihil magis in cenſu habet, quam ſpiritum Sanctum in Patribus & anteceſſoribus ſuis pridem locutum. Namque eius vox perpetua: *prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inſiſtentes.*

16. Blaſphemabit omnes cœlites. Apoc. 13.

Antichriſtus, *tabernaculum Dei, & eos qui in cœlo habitant, blaſphemabit.* Cæterum Pontifex Romanus Eccleſiam triumphantem matris loco habet, & Sanctos cœlites veneratur.

17. Deũ Patribus ignotũ colet. Apoc. 13. Dan. 11.

Antichriſtus, *Deum quem Patres eius ignorauerunt colet, & Deum Maozim in loco ſuo venerabitur.* At Maozim Deus, ignotus eſt Pontificibus Romanis; nec niſi Deus Patrum, more Patrum agnitus & cultus illis.

18. Eleuabitur ſe cõtra omnem Deum. Dan. 11. lib. 5.

Antichriſtus *eleuabitur, & magnificabitur aduerſum omnem Deum, nec quemquam Deorum curabit, quia aduerſum omnia conſurget.* ſcilicet vt Irenæus interpretabatur, *exiſtens Apoſtata & latro, quaſi Deus velet adorari, & cum ſit futurus ſeruus, Regem ſe vult præconiari. Ille enim omnem ſuſcipiens diaboli virtutem, veniet, non quaſi Rex iuſtus, nec quaſi in ſubie-*

ctione

ctione Dei legitimus, ſed impius, & iniuſtus, & ſine lege, velut Apoſtata, & iniquus, & homicida, quaſi latro, diabolicam Apoſtaſiam in ſe recapitulans, & idola quidem ſeponens, ad ſuadendum quod ipſe ſit Deus; ſe autem extollens vnum idolum, habens in ſemetipſo reliquorum idolorum varium errorem, vt ſi qui per multas dominationes adorant diabolum, hi per hoc vnum idolum ſeruiant ipſi: de quo Apoſtolus in epiſt. ad Theſſal.2. ait ſic; Quoniam niſi venerit abſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollit ſe ſupra omne quod dicitur Deus, aut colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Cæterum nullus Romanorum Pontificum extollit ſe ſupra omnem Deum, neque Dei cultum, aut nomen vſurpat, vel abrogat; quin potius homines Deo ſacros, quos ſacra ſcriptura Deos vocat, veneratur, debitumque honorem illis impartitur.

19. Hieroſolymis templum lapideũ ſuſcitabit. 2.Theſſ.2. Orat. de conſumm. mundi. Catech.15.lib.5 Lib.20. de Ciuit. Dei c.19.7 11. ad Algaſ.

Antichriſtus *Hieroſolymis templum lapideum ſuſcitabit, inque templo Iudæorum ſedebit. Enimuero tamquam Chriſtus ad Iudæos veniet, & à Iudæis ſane adorari volet; vtque illos maxime decipiat, ſtudioſiſſimum ſe templi illius oſtendet, vt ipſe de progenie Dauid eſſe videatur, qui templum à Salomone olim extructum, ipſe ſit reædificaturus*: vt ex mente S.Pauli, Hippolytus martyr, & Cyrillus Hieroſolymitanus demonſtrant: atque his Irenæus, Auguſtinus, & Hieronymus adſtipulantur. At nemo Pontificum Romanorum, vel in templo olim Salomonis nondum diruto ſedit, neque vnquam illud reædificauit, aut ſe Dauidicæ ſtirpis Iudæorum genti eſſe venditauit. Porro in templo Dei, quod firmamentum & columna eſt veritatis, ſedens, non ſe oſtentat quod ſit Deus, quinimo indignum ſe tam ſublimi throno fatetur, adeo vt Paulus alium non Romanum Pontificem indicat, cum, ſecundum Græcos codices, ſcribit: *adeo vt tanquam Deus in templo Dei ſedeat, oſtentans ſe quod ſit Deus.*

20. Deũ Maozim in loco ſuo venerabitur. Dan.11.

Antichriſtus *Deum Maozim in loco ſuo venerabitur, & faciet, vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem nouit.* ſcilicet vt Theodoretus interpretatur, *ſeipſum appellabit Deum Maozim, id eſt, fortem & potentem. Illud enim (in loco ſuo) pro (ſeipſum) poſuit. Eriget enim ſibi templa, & argento, & auro, & lapidibus pretioſis ipſa ornabit.* Itaque ſi nullus Pontificum Romanorum, ſe Maozim dixit, neque templa ſibi aut erexit, aut ornauit, aut diuinitatis honorem ex ea re ſibi arrogauit, nullus eorum Antichriſtus.

21. Edet ſigna. In 2.Theſſal.2.

Antichriſtus *imitabitur Deum; vt ſicut filius Dei diuinitatem ſuam homo natus vel factus ſignis ac virtutibus demonſtrauit, ita & Sathanas in homine apparebit, vt virtutibus mendacijs oſtendat ſe Deum*: vt Ambroſius verba Pauli explicabat. At quamplurimi Pontificum nulla ſigna ediderunt: & ſi qui virtute à Deo communicata ediderunt, illa non ſibi, ſed auctori miraculorum Spiritui ſancto adſcripſerunt, neque ex ea re ſe Deum credi voluerunt.

22. Ieſum eſſe Chriſtum negabit.

Antichriſtus, *cum negaturus ſit, Ieſum eſſe Chriſtum*: cumque *non pro Chriſto, ſed aduerſus Chriſtum, & eos qui ſunt Chriſti veniet, ſigna quidem & prodigia,* ſed non in Chriſti nomine faciet. Cæterum ſi vel Ioannes Papa cæco lumen reddidit, vel Agapitus mutum & claudum curauit, vel Pius V. energumenos ſanauit, vel aliquis alius Pontifex, aliquid miraculi fecit, in Chriſti nomine fecit, ſanauit, curauit, reddidit.

1. Ioan.2. Damaſc. lib.4. cap.27.

23. Veniet in virtute, ſignis & prodigijs mẽdacibus. 2.Theſſ.2. vide eandem epiſt.

Aduentus Antichriſti, erit in omni virtute, in ſignis & prodigijs mendacibus: adeo vt ea, *quæ futura ſunt, non erunt vera miracula, ſed qualia faciunt præſtigiatores, qui oſtendunt aurum, quod vere aurum non eſt.* vt Theodoretus ex Pauli prædictione affirmabat. At Pontifices Romani artem magicam damnant & execrantur: & non tantum magos & præſtigiatores, verum & libros eorum flammis vlciſcuntur. Quod ſi aliqui aliqua miracula perpetrarunt, illi virtute diuina, vera miracula perpetrarunt.

24. Mira quędam vi naturali producet. In quæſt. ſuper Exod. cap.21.

Antichriſtus, præter virtutem Sathanæ, etiam ex occultis rerum cauſis, nonnulla mira producet. *Inſunt enim*, ait Auguſtinus, *corporeis rebus per omnia elementa mundi quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis atque cauſalis, prorumpunt in ſpecies, debitas ſuis modis & finibus.* At nullus retro Pontificum, in ea arte, quam naturalem intelligentiam Sathanæ non excedit, vel tenuiter verſatus eſt: quin potius non nemo, Agrippam, Paracelſum, & Cardanum damnauit, qui in hac prodigioſa facultate excelluerunt.

25. Pręſtabit magna ſcientia. Dan.8.

Antichriſtus *conſurget Rex impudens facie, & intelligens propoſitiones, ſeu ænigmata.* ſcilicet pollebit ſcientia ſæculari, quam curioſi admirantur, & exponet illud Virgilianum,

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli ſpatium, non amplius, vlnas.

Eiuſmodi vanos, curioſoſque Philoſophaſtros, nunquam ſedes Romana habuit, neque Deo propitio habebit, quod Pontificum Romanorum eſt in ædificationem tantummodo Eccleſiæ.

26. Eius miniſtri pſeudoprophetæ prodigia operabuntur. Matth.24.

Antichriſti miniſtri, *exurgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem mittantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*: vt Chriſtus prædixit. Cæterum Pontificis Romani miniſtri, neque pſeudochriſti, neque pſeudo prophetæ, neque omnes Chriſti, neque omnes prophetæ, neque omnes gratia miraculorum præſtantes: qui vero vel lumine prophetico illuſtrati, vel gratia miraculorum pollentes, ij miraculorum verorum opifices, non vt in errorem mittant, ſed vt ab errore educant fideles: cum Romana Eccleſia, non errorum officina, ſed veritatis repoſitorium ditiſſimum.

27. Item carnifices. Lib.32. in Iob. cap.12.

Antichriſti, etiam tortores & carnifices, dabunt prodigia. *Pius martyr*, inquit Gregorius, *corpus tormentis ſubijciet; & tamen ante eius oculos, tortor miracula faciet: is qui flagris erubeſcit, miraculis corruſcabit.* Tales tortores nullos Pontifex Romanus habet: qui Fidem Chriſti more maiorum annunciat, & ſacramenta miniſtrat, & ad conſtantem Fidei ſemel receptæ confeſſionem, omnes adhortatur, & in agone certantes conſolatur.

Anti-

28. Eius tempore Elias & Enoch venturi. *Malach. 4. Apoc. 11.*

Antichriſti tempore, *Elias & Enoch* aduenient, ex Malachiæ & Ioannis Euangeliſtæ prophetia. Cæterum per mille & ſexcentos annos, nemo eorum prophetarum apparuit, & tamen Pontifices Romani ſibi perpetuo ſuccedunt.

29. Veniet in magna multitudine exercitus. *Dan. 11. in opere imperf. hom. 49. in Luc. l. 10 cap. 21.*

Antichriſtus *veniet in multitudine magna* exercitus, vt interpretatur Chryſoſtomus & Ambroſius, *omnium hæreſum, & eorum qui praua interpretatione nos ſeducunt; vt conterat & conficiat plurimos.* Cæterum nemo hæreticorum in caſtris Romani Pontificis militat: nemo praua docentium à Romano Pontifice non damnatur: nullam Eccleſiarum tam immunis ab hæreſi, quam Romana, vel Caluino aſſerente: nemo hæreticorum pro Pontifice Romano pugnat; non nemo illorum eundem oppugnat.

30. Vndecimus Rex. *In cap. 7. Dan.*

Antichriſtus ex vaticinio Danielis, interprete Diuo Hieronymo, *vndecimus Rex* qui *poſt decem Reges conſurgat.* At nemo Pontificum Regem ſe ſcribit, aut dicit; ſed ſeruus ſeruorum Dei audit.

31. De improuiſo. *Lib. 5. In Dan. c. 11. & Apoc. 13.*

Antichriſtus *de improuiſo veniet; humilis erit atque deſpectus, vt non detur ei honor Regius, & regnum ſibi vendicabit. Stabitque in loco eius*, id eſt, Regio, *deſpectus, & non tribuetur ei honor Regius.* eo quod *aſcendet de terra*, ſeu filius terræ reputabitur. vt Irenæus & Hieronymus, in verba Danielis & Apocalypſis ſcripſerunt. At Romanus Pontifex non ab improuiſo venit, qui per mille & fere ſexcentos annos iam Romæ ſedet. Nullus etiam in throno Regio ſedit: ſed in Petri ſolio vniuerſę Eccleſię, ab aſſumptione diuina pręſedit, ac pręſidet.

32. Clam regnum obtinebit. *Dan. 11.*

Antichriſtus *clam veniet, & obtinebit regnum in fraudulentia, & brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius & conterentur: inſuper & dux fœderis, & poſt amicitias cum eo faciet dolum, & aſcendet, & ſuperabit in modico populo, abundantes & vberes vrbes ingredietur.* Pontifex vero, Patrimonium Diui Petri, non fraude, neque vi, ſed quod etiam hęretici fatentur, ex gratuita liberalitate Imperatorum obtinuit.

33. Tres Reges de decem ſuperabit. *In cap. 7 Dan.*

Antichriſtus, *tria de cornibus primis*, Daniele prędicente, *euellet.* Seu, *quod omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt*, ait Hieronymus, *tres Reges de decem Regibus, id eſt, Ægyptiorum Regem, & Africæ, & Æthiopiæ, ſuperabit.* Pontifex Romanus, nedum aliquem iſtorum, ſed neminem Regum ſuperauit.

34. Potentior prioribus. *Ibid.*

Antichriſtus, qui poſt decem Reges, per decem cornua adumbratos, *conſurgat, ipſe potentior erit prioribus. Nam interfectis tribus Regibus, etiam ſeptem alij Reges, victori colla ſubmittent*, vt Hieronymus adiungit. Porro Pontifex in ſtatu temporali, merè temporali, nullis decem Regibus vmquam potentior.

35. Imperatorem Romani Imperij ſe vendicabit. *Dan. 7. 8. & 11. in 2. Theſſ. 2.*

Antichriſtus, Imperatorem ſeu Monarcham ſe Romani Imperij, adeóque totius orbis præſeferet, *Roborabitur* enim *fortitudo eius, & proſperabitur, & faciet, & dirigetur dolus in manu eius, & cor ſuum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos.* Nam *vt regnum Medorum à Babylonijs, Babyloniorum à Perſis, Perſarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis deſtructum eſt; ita Romanorum ab Antichriſto deſtruetur*: interprete Chryſoſtomo. Romanus autem Pontifex, hos titulos non vſurpat, neque ad excidium Romani Imperij collaborat.

36. Sanctos altiſſimi necabit. *Dan. 7. S. Matth. 24. Apoc 13.*

Antichriſtus, *Sanctos altiſſimi conteret & interficiet robuſtos, & populum ſanctorum ſecundum voluntatem ſuam, eritque tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet.* cum draconi dabitur facere bellum cum ſanctis, & vincere eos. Romanus vero Pontifex, tantum abeſt vt ſanctos perſequatur, vt etiam illos tam viuentes, quam non viuentes duplici honore proſequatur: cum illos & in candelabrum Eccleſiæ attollit, & cœlitibus ad numeratos pronunciat.

37. Baptiſmum abrogabit. *Lib. 5 & lib. 4. cap. 32.*

Antichriſtus, cum videbit, quod *quotquot baptizantur, Chriſtum induunt*, ad hoc adducet fideles, vt dicant; *Nego baptiſma.* vt S. Hippolytus prædixit. At, Beza etiam, Luthero & Caluino fatentibus, *Deus voluit tantum licere Sathanæ in Papatu, vt baptiſmum illic aboleret, cum ibi quoque baptizetur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

38. Fugabit Sacerdotes Dei. *Dan 9.*

In tempore tyrannidis Antichriſti fugabuntur ſancti, qui purum ſacrificium S. Corpus & ſanguinem Chriſti, *offerunt Deo; & in dimidio hebdomadis*, ait Daniel, *tolletur iſtud ſacrificium & leuatio, & in templo abominatio deſolationis; & vſque ad conſummationem temporis conſummatio dabitur ſuper deſolationem.* vt Irenæus docet ex Daniele. *Tunc enim* ait S. Hippolytus martyr, *Eccleſiarum ædes ſacræ inſtar tugurij erunt, pretioſumque corpus & ſanguis Chriſti non extabit in diebus illis. Liturgia extinguetur, Pſalmorum decantatio ceſſabit, Scripturarum recitatio non audietur.* At Pontifex Romanus non tantum non prohibet Euchariſticam oblationem, quin potius illam edicit, amplificat, & ſumma veneratione ſacrificaudam proponit.

39. Eius regnum quam diuturnum. *Dan. 12. In cap. 12. Dan. In a[illegible]. fide 3 Catho. artic. 10.*

A tempore cum fuerit ablatum iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta. ſcilicet tres & ſemis anni, durationis & perſecutionis Antichriſtianæ: vt colligit Hieronymus. At Pontifex Romanus, plus quam mille & quingentos annos perſeuerat. Quod ſi Papa eſſet Antichriſtus appellandus, vt doctiſſimus Felicianus Ninguarda ratiocinatur, ad quid Chriſtus ipſum tandiu perſeuerare permiſit? Omnis enim plantatio quam non plantauit Pater cœleſtis Matth. 15. eradicabitur; Quare vnumquemque Pontificum mundo talem eſſe, non manifeſtauit Chriſtus, & ſpiritu oris ſui non interfecit? Nam ait Apoſtolus, de ipſo Antichriſto loquens 2. Theſſal. 2. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui. Impoſſibile nempè eſſet, quod Deus tot & tantos homines, Principeſque, amore, feruore, zelo erga Chriſtum affectos, Romano Pontifici (ſi ita eſſet) obediendo, perire permiſiſſet, & tantam Romanorum Pontificum ſucceſſionem ſuſtinuiſſet, ſed tandem ipſis finem penitus impoſuiſſet, quemadmodum omnibus hæreticorum ſectis, quæ non diù perſeuerare valuerunt. Nulla etenim Synagoga reperiri poteſt, quæ tantam diutinamque ſuorum Pontificum retinuerit ſucceſſionem, quemadmo-

admodum Romana Eccleſia: Non Simonianorum, non Nicolaitarum, non Ebionitarum, non Marcioniſtarum, Manichæorum, Pelagianorum, Arianorum; non denique Lutheranorum, qui Martino ipſorum anteſignano adhuc viuente inter ſe diuiſi, neminem ſuperiorem recognoſcentes, diuerſas conſtituerunt factiones, vt quantocius eradicarentur: cum omne regnum in ſeipſum diuiſum eradicari neceſſe ſit. Iſtud indicat hæreticorum ſectas, verè Antichriſti eſſe Synagogas, & non Romanam Eccleſiam: quæ vna cum ſit, ſcindi vel diuidi non poteſt: quemadmodum S. Cyprianus martyr oſtendebat lib. 2. epiſt. 12.

40. Tempora, & leges mutare conabitur, Dan. 7.

Antichriſtus *putabit, quod poſſit mutare tempora & leges*, hoc eſt, *in tantam erigetur ſuperbiam, vt leges Dei & cærimonias mutare conetur, religionem cunctam ſuæ ſubijciens poteſtati*, vt interpretatur S. Hieronymus, vel vt Theodoretus; *opinabitur, poſſe ſe pietatem quæ tunc vigebit funditus euertere, optimamque ipſius rempublicam quæ tunc res adminiſtrabit commutare*. vel vt communis ſenſus omnium eſt, dies à traditione Apoſtolorum, & ab inſtitutione antiqua Eccleſiarum, ſiue ſolemnitatibus celebrandis, ſiue ieiunijs & vigilijs peragendis deſignatos, nec non leges ad cultum & venerationem ſpectantes, conabitur mutare atque abrogare. Cæterum Pontifex Romanus, tantum abeſt, vt vel ab Apoſtolis, vel à maioribus, temporum rationes deſignatas mutet; vel leges, aut ritus, & cærimonias, aut pietatem, vel rempublicam Chriſtianam abrogare curet, vt vetuſtatis retinentiſſimus, nihil magis expoſtulet, ne quippiam innouetur, ne pietas antiqua vel prophana vocum nouitate, vel corruptela morum inquinetur, neue reſpublica Chriſtiana quippiam detrimenti, aut à falſis fratribus, aut ab apertis hoſtibus patiatur.

41. Quibus gratus futurus, Apoc. 18.

Antichriſtus, gratus futurus iniquis Regibus, & mercatoribus iniuſtis: vt Ioannes præuidit ac prædixit. At Pontifex Romanus vtriſque ingratiſſimus, quod ex officio paſtorali virgam diſciplinæ exercere ſolens, tum in ſubditorum oppreſſores, tum in malis artibus populum deſpoliantes. Primis certè quatuor ferè ſæculis, nemo Imperatorum gentilium, aut iniquorum Pontificibus Romanis æquus fuit. Conſtantius, Iulianus, Valens, Anaſtaſius, & tot Imperatores Conſtantinopolitani, ac poſteà Reges Gotthorum, & Longobardorum in eos nimis crudi: vt omittam Henricos, Fridericos, Ludouicos, & alia Germaniæ monſtra: à quibus nō minus quam à quibuſuis alijs tyrannis Romana ſedes concuſſa.

42. Prodibit de impura muliere. Orat. de cōſummat. mundi in cap. 7. Dan. in epiſt. 2. Theſſal. Catechiſ. 15. in comment. Dan.

Antichriſtus, *de impura muliere ſub forma hominis prodibit: in eo totus Sathanas habitabit corporaliter: omnem Sathanæ energiam adipiſcetur; à diabolo inductus; veneficus, incantationibus, & malis artibus inſtructiſſimus apparebit*. vt Hippolytus martyr, Hieronymus, Chryſoſtomus, & Cyrillus Hieroſolymitanus teſtantur. *Sicut enim Dominus*, inquit Theodoretus, *in humana natura apparens, noſtræ ſalutis author fuit: ita etiam diabolus, ſumpto ſuæ improbitatis idoneo inſtrumento, per ipſum propriā virtutem oſtendit*. Ac nullus ferè Romanorum Pontificum ex impuro congreſſu natus eſt. In nullo Sathanas corporaliter habitauit: nemo eorum quicquam energiæ dæmonis adeptus eſt; nemo, diabolicis artibus vacabit, aut vacauit.

Antichriſtus, *erit in concupiſcentijs fœminarum*. Pontifex Romanus nonnemo cœlebs, nonnemo ſenex, a luxuriæ igniculis frigens; quiuis autem eorum cœlibatus cleri ſanctiſſimus cuſtos, atque acerrimus vindex. 43. Luxurioſus. Dan. 11.

Antichriſtus, *vt omnes fallere poſſit atque falſiloquus, humilem ſe ſimulabit & blandum, iniuſtitiam aſpernantem, præferentem pietatem, benignum, pauperem, ſtudioſum, ſpecioſum vltra omnem admirationem, placidum, hilarem ad omnes; placere omnibus nitetur, vt citò à populis ambiatur, ameturque*, vt Ephræm Syrus dixit, & vt Cyrillus Hieroſolymitanus, *temperantiam, & humanitatem, ab initio ſimulabit*. Nullus Pontificum Romanorum eam hypocriſin præſetulit: ſed internam ſpeciem ſanctimoniæ, in intima pectoris radice firmatam, externa quoque oris, vultus, & totius hominis figura verè oſtentauit, neque alium ſe pro alio vnquam finxit, quemadmodum ex vitis illorum non difficile eſſet demonſtrare. 44. Fallax. Serm. de Antichriſto. Catech. 15.

Antichriſtus, nonniſi *quadraginta duobus menſibus, ciuitatem ſanctam calcabit*, vt Ioannes prædixit; *& à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta*: vt Daniel prænunciauit: ſanctique in manu eius tradentur, nonniſi *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, vt idem affirmauit; & Patres, de tribus annis & dimidio, vniuerſim interpretantur. Neque enim, ſi diutius Eccleſiam perſequeretur, ſalua foret omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies illi. *Si enim diabolus permitteretur exercere totam tentationem quam poteſt*, inquit Auguſtinus, *in tam longo tempore, & tanta infirmitatem multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles deijceret, & ne crederent impediret, quod ne faceret, alligatus eſt. Tunc autem ſoluetur, quando & breue tempus erit. Nam tribus annis & ſex menſibus legitur totis ſuis ſuorumque viribus ſæuiturus*. 45. Quanto tempore in ciuitate ſancta futurus. Apoc. 11. Dan. 12. Cur tam exiguo tempore Eccleſiam perſecuturus. de ciuit. Dei lib. 20. cap. 8.

Cæterum Pōtifices Romani amplius quam quingentos & mille annos numerant ſucceſſionis vnius poſt alterū in ſede Romana: quæ *Succeſſionis* non interrupta ſeries, tantum apud Patres valuit, vt vel hac ſola, in Romana Eccleſia illis perſuaderet, eſſe veram doctrinam, inque ea eſſe perſeuerandum conſtantiſſimè. Temporibus Eccleſiæ primitiuæ, cū Apoſtolis, & Apoſtolorum diſcipulis vita functis, variæ hæreſes ſuccreſcerent; cū ſcilicet Apelles aeream carnē Chriſto affingebat, & Philumenen puellam quaſi propheriſſam ſequebatur: cum Alogi æternum Dei verbum nō ſuſcipiebant, Adamiani nuptias condemnabant, Simoniani liberum arbitrium negabant, bona opera abrogabant, incantationibus, & libidine fidem polluebant, alijque phanatici à mendaciorum parente edocti per alios errores quam plurimos ſeducebant. Non interrupta Pontificū ſucceſſio Catholicæ fidei veritatis certiſſimum indicium.

Irenæus, ex ſola Pontificum Romanorum ſucceſſione, fidem incorruptam in Eccleſ. Romana ſeruari aſſerebat. *Cum ſucceſſiſſet*, inquit, *Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum* A teſtimonio Irenæi. lib. 3. cap. 3.

ab

ab Apoſtolis habet Eleutherus. Hac ordinatione, & ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, & veritatis præconiatio peruenit vſq; ad nos. Et eſt plenißima hæc oſtenſio, vnam & eandem viuificatricem fidem eſſe, quæ ab Apoſtolis in Eccleſia vſq; nunc ſit conſeruata, & tradita in veritate.

Itemq. S. Auguſtini. cont. epiſ. fundamen. cap. 5. & ep. 165.

S. quoq; Auguſtinus diſerte; *Tenet me,* fatetur, *in Eccleſiæ gremio, ab ipſa ſede Apoſtoli Petri, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, ad præſentem vſque Epiſcopum, Sacerdotum ſucceſſio.* Quod ſi Auguſtinus triginta octo Pontificum Romanorum ſucceſſiones, & quadringentorum plus minus annorum tanti fecit, vt vel hac ſola ratione in Eccleſia Romana ſibi perſeuerandum duxerit: Si multo pauciores numero, duodecim tantummodo ſibi ſuccedentes, tanti apud Irenæum fuerunt, vt ab hac vnica eorum in Eccleſia Romana ſucceſſione vnam veram, viuificatricem fidem, Eccleſiaſticam traditionem, & veritatis præconiationem ab Apoſtolis deriuatam, perennare in eadem crediderit: longe pluris facienda eſt, ducentorum triginta ſeptem Pontificum Romanorum, vſq; ad *Paulum V.* feliciter ſuperſtitem, per tot rerum diſcrimina, mille quingentorum, & amplius annorum ſucceſſio, vt confiteamur, eandem veram, viuificatricem ab Apoſtolis prædicatam fidem, in eadem Eccleſia Romana vſque ad noſtra tempora conſeruari, & ſupremũ eius Hierarcham *Paulum V.* omnium mortalium digniſſimum eſſe: nec dignum humana, nedum Chriſtiana aure, qui a male blaſphema Cymmeriorum lingua audiat Antichriſtus. Vel coram, quemadmodum licet, inſpicerent; aſpicerent, ne vel minimam vmbram, tam horrendæ abominationis, in eum ductam eſſe.

CAPVT V.

Pontifex Romanus, Petri Succeſſor primæ Sedis Præſul.

SAnctus Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, illud ipſum ingenue fatebatur, cum Nicolao I. Pontifici in memoriam illa

Poteſtas S. Petri ad omnes ſucceſſores transmiſſa.

Chriſti verba, tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, reuocaret, ſcriberetque *huiuſcemodi enim Beatas voces, non ſoli Apoſtolorum Principi, priuata quadam ſorte tranſcripſit, & aſſignauit, ſed per ipſum ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi ſucceſſores transmiſit.* Erat cur ita crederet, & fateretur Ignatius. Nam cũ portæ inferi non adeo valeant, vt poſſint excindere Eccleſiam, quia vſque ad conſummationem ſæculi, ſeu vt Paulus ait, creſcat vſque ad perfectam diem: operæ pretium fuerat illi relinquere ſucceſſiuum caput, cui coniuncta creſcat. Quamobrem Petrus ſibi conſcius, quod non perſonalia eſſent hæc munera, quæ ipſe à Chriſto cum poteſtate vicaria, in adminiſtrationem Eccleſiæ acceperat, Clementem accerſiuit, cumque conuocato cætu, ſucceſſorem (quod iam vidimus) deſtinauit, dixitque illi quoque à Chriſto parem atque ſibi authoritatem eſſe collatam; cum illi quoque Chriſtus dixerit; *Tibi dabo claues regni cœlorum,* ſcilicet Eccleſiæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ: quæ quantum vel regnum toparchij, vel regnum cœlorum regnis terrenis, tantum illa quoque præſtat cæteris Regnis, velut mater magiſtra, & matrix omnium ſanctarum Dei Eccleſiarum, à qua illæ, & propter quam illæ. De Primatu Eccleſiæ Romanæ, cuius nunc ſummus Sacerdos PAVLVS QVINTVS BVRGHESIVS, dabo teſtimonia Patrum, Conciliorum, Imperatorum, Regum, Principium; quin & hæreſiarcharum, ſectatorum, & ſchiſmaticorum, quæ veritatis conſcientia, his, qui extranei, vel inuitis extorſit.

Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Princeps.

I. Teſtimonium de primatu Eccleſ. Romanæ. Rom. 1.

S. Paulus Apoſtolus agmen ducat, cui Eccleſia Romana *ſancta*, cuius *fides*, iam ſtatim initio naſcentis Chriſtianitatis, *annunciabatur in vniuerſo mundo.*

II. Ad Rom. ep.

Ignatius martyr, Eccleſiam Romanam, *ſanctificatam, & præſidentem* omnibus alijs Eccleſijs agnoſcit.

III. lib 3. cap. 3. de ſucceſſ. Epiſc.

S. Irenæus martyr, eandem *maximam, antiquiſſimam, omnibus cognitam, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo fundatam & conſtitutam; ad quam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles; in qua ſemper ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio,* fatetur.

IV. S. Cypr. lib. 1. ep. 3. & lib 4. ep. 2. & ep. 55.

S. Cyprianus martyr, *Petri cathedram,* atq; *Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt; cuius fides, Apoſtolo prædicante laudata eſt; & ad quam perfidia non poteſt habere acceſſum: matrem & originem vnam fœcunditatis ſucceſſibus copioſam, cum fœtu naſcimur, lacte nutrimur, ſpiritu animamur: denique ſolem fontem radicem, & matricem Eccleſiarum,* quæ Pontificis Romani *prouidentia munita, ſed & ſua vigilantia ſatis cauta, nec capi veneno hæreticorum poſſit, nec decipi; tantumque apud illam præualere magiſteria, & præcepta diuina, quantum illi in Deum eſt timor.*

V. Can. 20.

Patres Concilij Romani, ſub Syluestro cõgregati, *primam ſedem, quam nemo iudicaret, & à qua omnes ſedes iuſtitiam deſiderant temperari,* vna cum Conſtantino Imperatore, & Helena Auguſta teſtantur.

VI. Ep. ad Marcum Papam.

Patres Ægyptij, cum Sancto Athanaſio Alexand. Patriarcha, *S. Sedem, matrem & caput Eccleſiarum* aſſeuerant.

VII. Lib. 3. cap. 10.

Patres Orientis, apud Sozomenum, *Patrum decretis rite gubernatam, ac omnino à contentione, & captioſis verborum argutijs, quæ inde naſci ſolent liberam ſemper & vacuam,* pronunciant.

VIII. In Symbolo.

Ruffinus, puritate doctrinæ adeo præſtantem, *vt in ea hæreſis nulla ſumpſerit exordium* profitetur.

IX. In 1. Timot.

S. Ambroſius *Domum Dei, columnam, & firmamentum veritatis quæ ſymbolum Apoſtolorum, intemeratam ſemper cuſtodit, & ſeruat,* credit & docet.

X. Ep. 57 ad Damaſum.

S. Hieronymus *Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia,* cum dixiſſet, adiungit: *Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.*

X.

Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Exemplo S. Cypriani hæc Hieron. dicebat. Namque & ille pari ardore. *Auelle radium*

Solis

Solis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum; fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuum præciſus areſcet.

XII. *Lib. 2. ad Parmenian.* Optatus Mileuitan. *Cathedram Petri in qua vnitas Eccleſiarum ſeruaretur, primam de dotibus, & ſingularem, aduerſus quam, ſi quis alteram collocaret, iam ſchiſmaticus & peccator eſſet,* defendit.

XIII. *Can. 35. ad fin. aſſert.* Patres Concilij Africani, *Sedem Apoſtolicam*. Concilij vero Toletani primi, *Sedem S. Petri, contra quam ſi quis aliquid, anathema* renunciant.

XIV. *Epiſt. 157. & in Pſalmo contra partem Donati, & epiſt. 162.* S. Auguſt. *Apoſtolicam Sedem, vitem myſticam Petri Sedem, & Petram quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ, in qua ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus*, demonſtrat.

XV. *In carminib.* S. Proſper Aquitanicus, *Sedem Petri, quæ Paſtoralis honoris facta Caput mundo, quicquid non poſſidet armis, Religione tenet,* decantat.

XVI. *In Pſal. 106.* Arnob. Afer, *exitus aquarum in ſitim, Eccleſiam Petri; à qua ſi quis foras exierit, ſiti pereat,* interpretatur.

XVII. *In ep. ad Renatum presb.* Theodoretus, *Sedem, gubernacula cuncti Orbis Eccleſiarum tenentem, cum propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris, exors permanſit: neque vllus vnquam, qui contraria ſentiret in ea ſedit, quin potius Apoſtolicam gratiam inuiolatam cuſtodiuit*, prædicat.

XVIII. *Homil. 1. & 2. in S. Laurent.* S. Maxim. Taurinen. Epiſcopus, *Sedem glorioſiſſimi Patriarchæ & Apoſtolicam Sedem paſſim* vocat.

XIX. *Act. 1.* Patres Concilij Chalcedonen. *Caput omnium Eccleſiarum, ſine cuius authoritate, ſynodum numquam licuit facere,* publicant.

XX. *In ep. ad Leonem 1. Papam.* Celerius, Salonius, & Veranus Epiſc. Gallorum *in ea Principatum Sedis Apoſtolicæ, vnde adhuc Apoſtolici ſpiritus oracula referuntur, verè conſona omnium ſententia declarant.*

XXI. *In ep. ad Hilarium Papam.* Tarraconenſes Epiſcopi, *ad præditam fide Apoſtolico ore laudata, inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed totum Pontificali deliberatione præcipitur recurrunt.*

XXII. *Victor lib. 2.* S. Eugenius Epiſcopus Carthaginen. cum Epiſcopis Africanis. *Caput omnium Eccleſiarum* agnoſcit.

XXIII. Septuaginta Patres: Concilij Romani ſub Gelaſio, *nullis ſynodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs prælatam, ſed Euangelica voce Domini Primatum obtinentem, primatu Petri Apoſtoli Sedem non habentem maculam neque rugam, nec aliquid huiuſmodi,* tuentur.

XXIV. *Symmacho Papa.* Orientalis Eccleſia, *Sanctorum voce patere, Romanæ Sedis dignitatem, toto orbe venerabilem factam; dum illi quicquid fidelium eſt vbiq; toto Orbe ſubmittitur, cum totius corporis Caput eſſe deſignatur:* ſcribebat.

XXV. *Hormiſda Papa* Ioannes Conſtantinopolitanus Patriarcha, *Sedem Apoſtoli Petri, in qua Chriſtus ædificauit Catholicam Eccleſiam, & in qua inuiolabilis ſemper Catholica cuſtoditur religio, vna cum Iuſtino Imperator* affirmat.

XXVI. *Bonifacio Papa.* Afri Epiſcopi, *Petram fundamentum Eccleſiarum Sedemque Apoſtolicam, in qua extra maculam ſemper eſt Catholica ſeruata Eccleſia,* profitentur.

XXVII. *Agapeto Papa,* Orientales Epiſc. *Sedem Apoſtolorũ, firmam petram, Chriſti voce firmatam* prædicant.

XXVIII. *Colla. 2. to. 4.* Iuſtinianus Imperator, *Cathedram, in qua ſummi Pontif. apicem, nemo eſt qui eſſe dubitet,* promulgat.

Mennas Patriarcha, *ſucceſſorem Apoſtolorũ, cui hæreſes condemnare fas eſſet,* denunciat. XXIX. *Synod. 5. act.*

Eutychius Patriarcha eiuſd. Conſtantinopolitanæ Sedis, *Apoſtolicam Sedem* veneratur. XXX. *Vigilio Papa.*

Primaſius Byzacenæ Paræciæ Epiſc. *fidem Apoſtolico ore laudata vbique eiuſdem claram,* atteſtatur. XXXI. *Synod. 5. coll. 2.*

Patres Conc. 4. Aurelianen. & 2. atque 3. Turonicen. nec non Bracaren. 2. *Sedem Apoſtolicam,* amplectuntur, atque *eas hæredes quas illa condemnauit, cum ſuis authoribus atque ſectatoribus execrantur.* XXXII.

Primates & Epiſc. trium prouinciarũ Africæ Numidiæ, Byzacij, & Mauritanicæ, *Sedem Apoſtolicam, apud quam* fatentur, *magnum, & indeficientem, omnibus Chriſtianis fluenta redundantem fontem conſiſtere nullus ambigere poſſit, de quo riuuli prodeunt affluenter vniuerſum largiſſimè irrigantes. Orbem Chriſtianorum, cui etiam in honorem Beatiſſimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem decreuere riuerentiam, in requirendis Dei rebus, quæ omnino & ſolicite debent, maximè verò iuſteque ab ipſo Præſulum examinari vertice Apoſtolico, cuius vetuſta ſolicitudo eſt, tam mala damnare quam probare laudanda. Antiquis enim regulis ſancitum eſt,* adiungunt, *vt quicquid quamuis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur prouincijs, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam eius almæ Sedis fuiſſet deductum, vt huius auctoritate, iuxta quæ fuiſſet pronunciatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ (velut natali ſuo fonte) prædicationis exordium, & per diuerſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei ſacramenta ſalutis.* XXXIII. *Theodoro Papa,*

Sophronius Patriarcha Hieroſolym. ac Stephanus Hieroſolym. diœceſis primus Epiſc. vna cum Epiſcopis & populis Chriſtianis totius Paleſtinæ, *Apoſtolicam Sedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, omniũ Præpoſitam, ſummam, & principalem Eccleſiam,* conuenit. *Quippe quoniam hoc poteſtatiue olim, reddunt rationem, & ab antiquitus facere per Apoſtolicam ſiue Canonicam conſueuit auctoritatem, dum aperta lucubratione non ſolum claues regni cælorum creditæ ſunt ei atque ipſe tantummodo ad aperiendum eas fidelibus quidem dignè, minimè autem Euangelij gratiæ credentibus iuſtè claudere, magnus ſecundum veritatem Princeps Apoſtolorum meruit Petrus, ſed etiam & paſcere primus iuſtus eſt oues totius Catholicæ Eccleſiæ, & confirmare exagitatos conſortes ſuos & ſpiritales meruit fratres, vtpotè diſpenſatiuè, ſuper omnes poteſtatem, ab eo qui propter nos incarnatus eſt Deus, præcipiens & ſacerdotalem auctoritatem.* XXXIV. *Martino Papa.*

Oſui Rex Saxonum, *Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, à qua Sacerdotium petendum, & cuius regulam, ſiue in Paſcha celebrando, ſiue in omnibus quæ tradiderunt ſancti Apoſtoli ſequi oportet,* pronunciat. XXXV. *Beda hiſt. Eccl. Angl. li. 3. c. 29*

Centum viginti quinque Epiſcopi Occidentales, *Catholicæ atque Apoſtolicæ fidei luminis tam diligentem cuſtodem, vt ab eius defundatione, Dei opitulatione, hucuſque ſeruatum, nulla hæretici erroris terra caligine tenebratum, nec falſitatis nebulis confœdatum, nec intermixtis hæreticis prauitatibus veluti caliginoſis nebulis perumbratum, immune, atque ſincerum, & ſuis radijs perluſtratum,* aſſeuerant. XXXVI. *In epiſt. quæ extat act. 4. Synodi 6.*

XXXVII. *Albo, 18.* Patres ſextæ ſynodi, *Sumitatis Pontificalis, Apoſtolicam Cathedram*, appellant.

XXXVIII. *De adoration. imag.* Theodorus Studita, *Petram fidei, & illam infractam, idque iuxta verbum Domini fundatam*, demonſtrat.

XXXIX. *In Synod.* Carolus Imperator, *ſanctam & Apoſtolicam Sedem in memoriam Beati Petri Apoſtoli honorandam; vt quæ nobis Sacerdotalis mater ſit dignitatis, Eccleſiaſticæ quoq; eſſe debeat magiſtra rationis, à qua licet vix ferendum imponatur iugum, tamen cum manſuetudine & humilitate ferendum, & pia deuotione tolerandum*, decernit.

Lib. 1. c. 6. contra ſynodum in partibus Græciæ Alibi etiam teſtatur. *Sicut cæteris diſcipulis Apoſtoli, & Apoſtolis omnibus Petrus eminet; ita nimirum cæteris ſedibus Apoſtolicæ, & Apoſtolicis Romana eminere dignoſcitur. Hæc enim*, inquit, *nullis ſynodicis conſtitutis, cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed ipſius Domini auctoritate Primatum tenet, dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

XL. Patres Concilij Romani, ex tota Italia & Francia in cauſa Leonis III. congregati. *Sedem Apoſtolicam, omnium Eccleſiarum caput, à nemine, laico præſertim iudicandam*, conclamarunt.

XLI. *In vita Caroli Magni c. 19.* Ioannes Epiſcopus Remenſis, *Apoſtolicam Sedem iure primam prapoſitam, quia eam princeps Apoſtolorum Petrus prædicatione ſua, & proprio ſanguine & ſepultura dedicauit.*

XLII. *In Synodo ſuperſ. Medardum.* Hincmarum Metropolites Remorum. *Apoſtolicam Sedem, matrem omnium Eccleſiarum, cui in omnibus cauſis debet reuerentia adhiberi*, appellat.

XLIII. *Anno 804.* Rhegino, *ſtultitiæ elogio denotandos* cenſet, *qui illam Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt quæ nec ſe feſellit, nec ab aliqua hæreſi vnquam falli potuit.*

XLIV. *De rebus Eccl. c. 22.* Vualafridus Strabo, *eius morem ideo in ſacris rebus tam multas gentes imitari* animaduertit, *quia & tanti magiſterij ex apice Apoſtolico primordijs claret, & nulla per orbem Eccleſia, æque vt Romana, ab omni fœce hæreſeon cunctis retro temporibus pura permanſit.*

XLV. *Can. 21. ſyn. 8.* Baſilius Imperator, cum CCC LXX. Epiſcopis, *Sedem cunctis adorandam* propoſuit.

XLVI. *Ado. anno 877.* Patres Concilij Trecenſis, *Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam, Matrem & Magiſtram Eccleſiarum*, adorant.

XLVII. *In vita S. Carbar.* Petrus Damianus, *Caput, & principalem totius ſanctæ Eccleſiæ ſedem*, agnoſcit.

XLVIII. *Lib. 2. de diuinis offic. c. 22. & in c. 20. Apoc. & in Ionam prophet. li. 2.* Rupertus Tuitienſis, *ſuper Apoſtolicæ fidei petram altius fundatam, quæ ſemper firmiter ſtetit, & tam Græciæ, quàm totius orbis hæreticos ſemper confutauit, & de excelſo fidei tribunali data ſententia iudicauit: reuera beatam, quod in fundamento ſuo petram illam excepit, quam in ſuo veritas ore laudauit, & beatificauit, talique ſtructura ſuper illam ædificata, vt contra omnes hæreſes perſtaret murus inexpugnabilis, & quæcumque mundi ex parte periclitata fides ad illam confugit mille clypeos ex ea, omnemque armaturam fortium qua ſe defenderet, pendentem & præparatam inuenit*, prædicabat. Addebat; *ſummum iudicis Eccleſiaſticis tribunal in ea paratum eſſe; eamque, quod B. Petri Principis Apoſtolorũ ſedes facta ſit, ac eiuſdem, & conſortis eius Pauli ſicut prædicatione illuſtrata, ita & martyrio fuerit coronata, cunctis Eccleſijs caput altius extuliſſe; latiuſq; dominari per omnes gentes ſacram Pontificum eius linguam quam dominata fuerit Cæſarum ſiue Auguſtorum purpura.*

S. Bernardus Abbas, *Sedem, vbi fides non poteſt ſentire defectum: cui plenitudo poteſtatis ſuper vniuerſas Orbis Eccleſias ſingulari prærogatiua donata eſt: cui qui reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, quæ poteſt, ſi vtile iudicauerit, nouos ordinare Epiſcopatus, vbi hactenus non fuerunt, poteſt etiam eos qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictauerit, ita vt de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & è conuerſo, ſi neceſſe viſum fuerit*, conſtantiſſimè demonſtrat. XLIX. *Ep. 190. & 131.*

Fridericus Ænobarbus Imperator, *ſanctam matrem omnium Eccleſiarum, cuius eſt filios aggregare, & aggregatos ad decorem domus Dei per domos & familias diſtribuere; cui etiam Romanum Imperium debeat honorem congruum impendere*, confitetur. L. *Hadriano Papæ apud Radeuicũ l. 2. c. 16.*

Patres Concilij Lateranenſis, ſub Alexandro III. *Matrem Eccleſiarum omnium & Magiſtram*, venerantur. LI. *Vrbano Tertio.*

Gothofridus Viterbienſis, *omnibus Principibus prælatam; cuius doctrina & regimine, omnes Reges, & Principes, & vniuerſæ orbis Eccleſiæ adornentur, & à qua tamquam à fonte iuſtitiæ totius ſapientiæ regulis inſtruantur: à cuius ſapientiæ fluminibus, niſi ſitientibus propinetur, nullum ſcripturarum elogium noſcitur eſſe authenticum*, affirmat. LII.

Patres Græci in Concilio Lateranen. ſub Innocentio III. *Primam, Matrem, & Magiſtram Eccleſiarum*, amplectuntur. LIII.

S. Thomas Aquinas, ſolam quæ ſemper fuit firma in fide, & quæ eſt ab erroribus munda, demonſtrat. LIV. *Inoua. de ſymb. Apoſt.*

Michael Palæologus Græcorum Imperator, Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus, Prælati & proceres Orientalis Eccleſiæ, vna cũ Principibus nonnullis Gentis Scythicę, in Concilio Lugdunen. ſub Gregorio X. *Primam Sedium Matrem & Magiſtram, Principemque omnium Eccleſiarum* profitentur. LV.

Fridericus II. & Henricus VII. Romanorum Imperatores, nec non Rudolphus Auſtriacus Rex Romanorum & Germaniæ, iiſdem titulis eandem exornant. LVI. *Gregorio Nono, Gregorio X. & Clementi V. in epiſt.*

Fr. Robertus vir ſanctus, *fidem ſanctam Catholicam, ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ credens proque ea ſuſtinenda paratus ponere vitam, anathematizabat omnem hæreſim, aduerſum eandem ſanctam Eccleſiam Romanam ſe extollentem: abnegabatque & reprobabat omnes ſchiſmaticos diuiſos ab vnitate eiuſdem.* LVII.

Guido Carmelita, *Sedem, & Chriſti ſponſam quæ tota pulchra eſt, & labes hæreſis, ſeu macula non eſt in ea*, prędicat. LVIII. *In ſumma de hæreſib.*

Aluarus Pelagius, *vnam, ſanctam, Catholicam Eccleſiam Romanam ſponſam Chriſti confitetur, veneratur, & obſeruat, extra quam ſalus non eſt.* LIX. *In proœm. libri.*

Nicolaus Lyranus, *Eccleſiam à Petro poſt Chriſtum fundatam, cuius fides non deficiet vſque ad finem mundi.* LX. *De plãctu Eccl. in 16. c. Matth.*

Richardus de media villa, *Sedem Petri Apoſtolicam, ad quam pertinet authoritate iudiciali ſuprema, circa ea quæ ſunt fidei, iudicialiter definire; eo quod fides eius nunquam deficit.* LXI. *In tractat. cont. errores Ioannis de Montiſono.*

Ioannes de Przibram Boemus, *vniuerſalẽ, & per totum orbem diffuſam, in Apoſtolicis ſedibus à B. Petro Apoſtolorum Principe fundatam,* LXII. *In profeſſione fidei.*

& vſque

& vſque modo continuatam, & ſuper firmam petram tam firmiter roboratam, quod porta inferi non poſſunt aduerſus eam quomodolibet praualere.

LXIII. *In c. ſignificaſti.* Panormitanus, *Caput aliarum Eccleſiarum, à qua ſedes Patriarchales procedunt.*

LXIV. *In epiſt. ad varios Pontifices.* Ludouicus Bauarus, & Carolus IV. Rom. Imperator, nec non Venceslaus, Sigiſmundus, & Fridericus Imper. *omnium Eccleſiarum vnicam matrem, Dominam & Magiſtram, Dei ordinatione prælatam,* agnoſcunt.

LXV. Patres tam Græci quàm Latini, in Concilio Florentino, vna cum Ioanne Palæologo Imper. & ante hæc tempora, Ioannes Becus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Nicephorus Gregoras, Barlaam Monacus, nec non Ioannes Canthacuzenus, & Ioannes Palæologus Græcorum Imperatores, *ſanctam Apoſtolicam Sedem, in omnibus Eccleſijs Primatum tenentem,* profitentur. *Vrbano V, in literis.*

LXVI. *Act. vlt. Concil. Florentin.* Ioſephus, & poſt eum Gennadius Scholarius Patriarchæ Conſtantinopolitani, Iſidorus Metropolites Ruſſorum nec non Oratores Armenorum, vna cum vicarijs trium Patriarcharum, *Domini noſtri Ieſu Chriſti Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, fatentur, necnon quicquid ea tenet & docet, cum omni deuotione & obedientia acceptant, ſuſcipiunt, & amplectuntur. Illos quoque Doctores, & ſanctos Patres quos eadem approbat, ipſi reuerenter ſuſcipiunt, quaſcumque verò perſonas, & quicquid ipſe damnat, & reprobat ipſi pro reprobatis, & damnatis habent; profitentes, tanquam veri obedientiæ filij eius ordinationibus, & iuſſionibus fideliter obtemperare.*

LXVII. *Iacob, Manarchus in epiſt. Aſiatica.* Ioannes Iacobita, Alexandriæ, Ægypti, Libiæ Pentapoleos, & occidentalis Africæ Patriarcha, vna cum Andrea Abbate Syro Hieroſolymitano vicario, *Eccleſiam, quæ doctrinam quam ab initio Petrus & Paulus tradiderunt retineret, quàm alia Eccleſia deſerentes, & ſe ab hac Matre & Magiſtra Eccleſiarum ſeparantes, gentibus in opprobrium, & ruinam traditæ ſunt.*

LXVIII. *Ibidem.* Nicodemus Abbas, Æthiops, & Hieroſolymis Vicarius Patriarchæ, *tanta veneratione apud Aethiopes cultam, vt pedes eorum oſculentur, qui Roma veniunt in Aethiopiam, veſtiumque eorum partes rapiant, & reliquiarum loco ſeruent. Regem verò Aethiopum tantum facere Romanum nomen, & Latinorum fidem, vt nihil æque in votis haberet, atque vt cum Romanis iungantur Aethiopes.*

LXIX. *Conſil. 414.* Paulus de Caſtro, *à ſolo Domino fundatam; Matrem & Magiſtram omnium aliarum Eccleſiarum, quæ eius filiæ, non immediatè à Chriſto, ſed à Petro, & eius ſucceſſoribus, maximè in Italia, Hiſpania, Gallia, & Africa fundatæ.*

LXX. *Ep. 2. ad Bohemos de vſu communionis.* Nicolaus Cuſanus Cardinalis, *ſacratiſſimam etiam quo ad locum inexterminabilem, vbi veritas ſemper remanebit: Cathedram Apoſtolicam, quæ per continuas ſucceſſiones bonorum malorumque in Petrum principem continuatur: cui ſi quis adhæret, ſciat ſe in Eccleſia exiſtere.*

LXXI. *Epiſt. 130.* Æneas Syluius nondū Pontifex, *Apoſtolicam Sedem, quæ in his quæ ſunt fidei nunquam reperta eſt erraſſe, aut adulterinis acquieuiſſe dogmatibus.*

LXXII. *3. p. tit. 22. c. 13.* S. Antoninus Florentinorum Archiepiſcopus, *ſecundum fidem Catholicam, matrem omnium Eccleſiarum & Magiſtram.*

LXXIII. *In 1. c. Apocal.* Ioannes Annius Viterbienſis, *in medio Eccleſiæ poſitam Sedem, caput omnium Eccleſiarū, in qua reſidet Agnus, & eius Vicarius Pontifex Maximus.*

LXXIV. *In Lucam ar. 48.* Dionyſius Carthuſianus, *Eccleſiam, cuius fides, quam in ea Petrus plantauit; ſit vſque in finem duratura.*

LXXV. *Potius ad Paul. 2. & Sixt. 4.* Bernardus Iuſtinianus, *dilectiſſimam Chriſti ſponſam, quæ diuina ordinatione Primatum obtinuit.*

LXXVI. *In orat. ad Innoc. 8. Bauariæ ducis nomine.* Ioannes Vuormacienſis Epiſcopus, *communem humani generis parentem, Orbis terrarum principem, cui ſacro affectu animi omnium obligati.*

LXXVII. *Vol. 2. generat. 21.* Ioannes Naucleras, *Eccleſiam, ſub qua ſi quis Conſtantinopolitanam neget eſſe, hæreticus eſt.*

LXXVIII. *In orat. ad Alex. 6. Senenſi nomine.* Angelus Politianus, *Eccleſiam, quæ à Chriſto inſtituta non protinus euaneſceret, ſed ad conſummationem ſæculi vſque perduraret.*

LXXIX. *Theoremate 13.* Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus, *Caput & Magiſtram Eccleſiarum, ad quam omnium mentis acies dirigenda eſt; & cuius Apoſtolica Sedis Petri, Chriſti Vicario, ſanctiſſimi viri adhæſerunt ſemper, & dictis ſcriptiſque fauerunt.*

LXXX. *De Triumpho Crucis lib. 4. c. 1.* Hieronymus Sauonarola, *Ducem & Magiſtram omnium aliarum; à cuius vnitate & doctrina ſi quis diſcedit, ille ſine dubio à Chriſto diſcedit. Cumque ab ea omnes hæretici diſcedant, conſtant neque Chriſtianos illos eſſe, licet hoc nomine ſe falſo appellent, quam licet omnes hæretici oppugnauerint, illa tamen victrix perſtitit, hæreticorum verò ſectæ, & falſæ opiniones, ad nihilum redactæ ſunt, vtpote cuius ſolius, Patrumque cum ea conſentientium doctrina, ſit vera, cæterorum verò falſa.*

LXXXI. *Orat. in Concil. Lateranen. ſub Iulio 2.* Thomas de Vio Caietanus, *Hieruſalem cœleſtis filiam, Chriſti ſanguine irrigatam, & matris ſplendoribus illuſtratam.*

LXXXII. *Seſſ. 5. Concil. Lateranen.* Ioannes Maria de Monte Archiepiſcopus Sipontinus; *nihil aliud ſacrarum litterarum continere monumenta, quam vnum eſſe Deum vnum Chriſtum, vnam Eccleſiam, vnam Fidem, vnam Cathedram ſuper firmiſſimam petram Domini voce fundatam.*

LXXXIII. *Seſſ. 6 Concil. Lateranen.* Simon Begnius, *Eccleſiarum ſummam, atque ſupremam, aduerſus quam iuxta Legiſlatoris noſtri potentiam, portæ inferi, id eſt inferiores mundi poteſtates, non præualeant.*

LXXXIV. *Leoni X.* Maximilianus Sfortia Dux Mediolani, *matrem ſanctam, à qua ſeparari iniquiſſimum eſſet.*

LXXXV. *Seſſ. 9. Conc. Lateranen.* Prælati Gallicani, *Sedem Apoſtolicam à cuius vnitate nunquam voluerint, nec in futurum velint diſcedere.*

LXXXVI. *Seſſ. 10. ibid.* Stephanus Patracenſis Archiepiſcopus, *Sanctam Sedem, in qua Deus in ſuo vicario ſibi obedientiam incommutabilem reſeruauit: cui, quod quatuor Patriarchales Eccleſiæ, aliaque innumerabiles noluerunt obedire, propter illarum hæreſes, & rebellionem contra obedientiam eiuſdem, ad manus infidelium deuenerunt.*

LXXXVII. Patres Concilij Lateranenſis à Iulio II. inchoati *Sacroſanctam, martyrum ſanguine conſecratam, magiſtram fidei, veritatis alumnam, omnium errorum expertem, vnitam & immaculatam, diuina inſtitutione, ſanctorum auctoritatibus, Conciliorum canonumque omnium teſtimonio; Primatum omnium Eccleſiarum tenentem.*

LXXXVIII. *Lib. 6. de libertate Eccleſiaſt.* Ioannes Lupus *Eccleſiam, quam Saluator ipſe fundauit, & ſupra petram fidei mox naſcentis*

erexit, non habentem maculam, neque rugam: ideoque Catholicam & Caput aliarum Eccleſiarum.

LXXXIX. *Lib. 2. reſponſ. ad Lutherum.* Sylueſter Prierias, *Chriſti Monarchiam & Hierarchiam, in qua Petrus fuerit, & nunc Summus Pontifex hierarcha primus, à nemine mortalium iudicandus.*

XC. *In Enchiridio.* Ioannes Eckius, *Apoſtolicam Sedem, in qua authoritas Eccleſiæ reluceat; quam in rebus arduis fidei conſulerit Hieron. ex Aſia ad Damaſum: Auguſt. ex Africa ad Innoc. & Boniſac. ac Cyprian. ad Cornelium: Athan. ex Aegypto ad Maurium & Iulium: Ambroſius ex Italia ad Syricium.*

XCI. *In edicto Vormatien.* Carolus V. Imp. *Sanctam & vniuerſalem Eccleſiam pro cuius defenſione Germaniæ Principes ſuum ſuorumque ſæpius effuderunt ſanguinem: atque ipſe ad eius honorem, tutelam & protectionem, omnes vires & facultates, Imperium, regna, dominium, amicos, vitam denique, & animam propriam exponere paratus, ſummo ſtudio procuraret, exorientem hæreſim, iuxta normam ab eadem hactenus obſeruatam delere penitus, & extinguere.*

XCII. *In aſſertione ſ. 7. ſacramen.* Henricus VIII. Angliæ Rex. *Negare Lutherum non poſſe, quin omnis Eccleſia fidelium, eam Sacroſanctam Sedem velut matrem Primatemq; recognoſcat, ac veneretur, quæcumque ſaltem, neque locorum diſtantiam, neque periculis interiacentibus prohibetur acceſſu. Quamquam ſi vera, vt vera veriſſima, dicunt, qui ex India quoque veniunt huc, Indi etiam ipſi, tot terrarum, tot marium, tot ſolitudinum plagis diſtincti, Romano tamen Pontifici ſubmittunt.*

XCIII. *Ad 6. Decretal.* Philippus Francus Peruſinus, *Eccleſiam cuius principatus ab ipſo Deo proceſſit; & cuius priuilegium, per Papam, vel Concilium tolli non poſſit.*

XCIV. *Art 25. contra Luther.* Ioannes Roffenſis Epiſc. martyr, *Eccleſiam cuius exordium à Petro Apoſtolo profluxit, velut à ſummo capite & ſupremo poſt Chriſtum: cuius & ſucceſſio perpetuabitur, finem nullum habitura, quamdiu ſæculum hoc durauerit, quæ Sedes Petri, ad hunc vſque diem abſque hæreſeos aliqua nota manet inuiolata, ſolidiorque quolibet ſaxo, perdurat: & in ea vrbe, quæ tum erat totius Orbis caput ad hunc diem proſperatur; cum cæterorum Apoſtolorum Sedes vel hanc venerentur, vel prorſus euanuerint. Vnde non poterit amplius ſuper eius Primatu dubitari.*

XCV. *Pro libello Henrici 8. Regis.* Thomas Morus martyr, *Sedem cui ab omnibus obtemperandum, cum propter illa omnia quæ docti ſanctique in eam rem collegerunt, tum propterea, quod exploratum eſt, non modo neminem inimicum fuiſſe Chriſtianæ fidei, qui non ei Sedi bellum ſimul indixerit; ſed etiam neminem vmquam extitiſſe, qui ſe profeſſus ſit eius Sedis inimicum, quin idem paulò poſt ſe declararit inſigniter Chriſti & Chriſtianæ Catholicæ religinis capitaliter hoſtem & proditorem eſſe.*

XCVI. *Anno 1549.* Patres Synodi Moguntinæ, *Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, cuius auctoritatem in omnibus ſaluam conſeruari volunt.*

XCVII. *Eodem anno.* Patres Synodi Colonien. *Petri nauiculam fluctibus ventiſque concuſſam, ſed tamen perſeuerantem inter aliorum naufragia.*

XCVIII. *Eodem anno.* Patres Synodi Treueren. *Eccleſiam in fide, & charitate radicatam & fundatam, quæ neque errare pernicioſè, neque docere poſſit noxia, itaq; confeſſo eſſe, teſtantibus nimirum ſanctæ Eccleſiæ Patribus, ac reipſa clamante. Chriſti Apoſtolos Petrum & Paulum, Dei ſanctum Euangelium in ſanguine quoq; ipſorum ſignatum eidem reliquiſſe, atque in illius fidem Eccleſias omnes, quæ vbique ſunt fideles in toto orbe terrarum, religioſè conſpiraſſe, atque ſocietatis ſacramenti conſæderatas, & coniunctas eſſe: in qua propter Epiſcoporum ſucceſſionem perpetuò continuatam, vna eademque, atque adeo vera fides, quæ ab Apoſtolis ipſis in veritate eſt tradita, & vſque nunc religioſè ſemper cuſtodita, ſemper conſeruatur. nihilque proindè aliud credendum, tenendum, aut docendum ſit, niſi quod tenet & docet eadem omnium conſentientium Eccleſiarum mater & magiſtra, à qua qui recedit, neceſſe eſt eum à veritate & capite deficere.*

Franciſcus à Victoria, *à Chriſto ſic inſtitutá, vt eſſet in ſæculum duratura, iuxta illud Iſaiæ 9. ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia, amodo & vſque in ſempiternum.* XCIX. *Lib. de poteſtate Eccleſiaſt.*

Petrus à Soto, *Eccleſiam quam Chriſtus vnicè dilexit, & firmiſſimè vſque ad finem ſæculi duraturam fundauit.* C. *In aſſertione Cath. Fidei.*

Gaſpar Contaren. Cardin. *Sedem Petri, cui ſemper à probis omnibus Chriſtianis, ſumma veneratio, ſumma authoritas delata eſt.* CI. *Lib. de poteſtate Pontif.*

Stanislaus Hoſius Card. Epiſc. Varmienſis *ſolam, quæ normam fidei Chriſtianæ quam ab exordio accepit, in ea ſemper illibata permanſit. Defecit Hieroſolym. Eccleſia, inquit, cui præſedit Iacob. defecit Achaia, vbi Andreas, defecit Aſia, vbi Ioannes defecit India, vbi Thomas. defecit Perſis, vbi Iudas. defecit Aethiopia vbi Matth. defecit Phrygia, vbi Philippus. defecit Græcia, vbi Paulus. Sola fuit & eſt Eccleſia Romana, ad quam, ſicut præclarè ſcribit Cyprian. nunquam acceſſum potuit habere perfidia. Quæ mille iam & quingentis amplius annis, ita eſt Catholica ſemper & Apoſtolica habita, nunquá vt vlla fuerit hæreſeos labe maculata, In qua videre etiamnum licet viros, & vita ſanctimonia, & doctrina praſtantiſſimos.* CII. *Lib. Confeſſ. Cathol. Fidei cap. 8.*

Robertus Præſul Arborieen. *Eccleſiam, Chriſti verbo ſuper Petrum ædificatam, quæ iam ædificata erat ſuper Chriſtum.* CIII. *To. 2. de vtroq; gladio.*

Ioannes Quintinus Æduus, *omnibus cognitam Caput aliarum omnium Eccleſiarum Orbis.* CIV. *In Ariſtreo.*

Franciſcus Titelman. *Petri nauiculam, quæ inter fluctus & procellas turbulenti ſæculi hactenus extitit gubernata, & in fidei rectitudine eiuſq; non ſine peculiari Dei munere conſeruata.* CV. *In 7. c. Can.*

Reginaldus Polus Cardin. *Eccleſiam Petri Apoſtoli à qua illa quæ receſſerunt, non aliter ac Dathan & Abiron abſorptæ ſunt; ea vero vnica velut virga Aaronis efflorui, vtpotè quam nulla vmquam hæreſis occupauerit, in qua Petri & Pauli Apoſtolatus, quod in nulla alia Eccleſia de duobus Apoſtolis accidiſſe videmus, in vnum coaluit, quia omnia ad Petri Apoſtolatum, hoc eſt ad Eccleſiam Romanam, tamquam ad vnam arborem ſunt conducta, quo magis vnitas Eccleſiæ conſeruetur: quæ arbor ex Chriſto viuificum honorem trahens, omnibus deinceps ramis eum diſpertit.* CVI. *Lib. 3 pro vnitate Eccleſiæ.*

Michael Buchingerus, *Eccleſiam ſanctam, cuius ſemper fuit maior auctoritas, quam quarumcumque aliarum Eccleſiarum, & quæ hæreſiarchas nullos vmquam produxit.* CVII. *In Hiſt. Eccl.*

Albertus Pighius, *lapidem propheticum, de* CVIII.

monte

Lib. 5. cap. 14. Eccleſ. hierarchiæ.

monte ſine manibus exciſum, & regnum cœli quod in æternum non diſſipabitur, & quod alteri populo non tradetur, & quod comminuet & conſumet omnia regna mundi, & ipſum ſtabit in æternum, cui, gens & regnum quod non ſeruierit, peribit cuius præceptis & mandatis contumaciter inobedientes eodem loco quo Ethnici & publicani, qui ad Chriſti ouile non pertinent, nec in illa arca continentur, quæ ſola ſaluat ab inundante diluuio, habendi ſunt ab omnibus Orthodoxis, quæ communiuit & ſibi ſubiecit, iuxta Danielis vaticinium, Principatus & regna, Reges, & Principes, ſed illorum ſubmiſſione vltroneâ, atque ita hoc volente & ordinante diuina prouidentia, pro conſeruanda vnitate neceſſaria & concordia in domo Eccleſiaſtica: vt non ſolum ſubeſſet, ſed plane dependeret etiam eorum authoritas ab authoritate Eccleſiaſtica, abolita paulatim omni illa ſæculari poteſtate, quæ ſe in gentilitatem quoquo modo referre poſſe videretur.

CIX. *Lib. 6. de locis Theologicis c. 7.*

Melchior Canus, *Eccleſiam, quam conſtat fixam, & immobilem, Orbe etiam toto omni illam machinarum genere quatiente, in fide & authoritate Petri permanſiſſe. Et cum cæteras,* inquit, *Apoſtolorum Eccleſias, vel ab infidelibus occupatas, ſine fidei veſtigio, vel ab hæreſi aliquando infectas viderimus, at aduerſus eam Sedem, nec pagani, nec hæretici præualere potuerunt. Pugnatum eſt ſiquidem vehementer, non à Græcis ſolum, ſed ab alijs pleriſque Orbis totius Epiſcopis, vt hoc eius priuilegium labefactaretur. atque habebant illi pro ſe quidem, & Imperatorum arma, & numerum maiorem Eccleſ. numquam tamen aduerſus eam proficere potuerunt. quinimò, qui ab ea defecerunt, ſi ſchiſmatici in Eccleſia habiti ſunt, qui vero eius de fide iudicium detrectarunt, hæretici. quæ profectò omnia ſatis oſtendunt, non humano ſed diuino decreto, illam & cæteris eſſe præpoſitam, & Petri priuilegia iure ſuo ſibi vindicaſſe, & eam demum petram eſſe ſuper quam Chriſtus vniuerſalem conſtruxit Eccleſiam, aduerſus quam portæ inferi non poſſunt præualere.*

CX. *In Compend. tit. 31.*

Ioan. Bunderius Gandauen. *Caput omnium Eccleſiarum, à Spiritu Sancto directum, quæ regat & confirmet cætera membra, ſecundum pollicitationem ipſius veritatis. quæ non immeritò dicitur Catholica ſeu vniuerſalis, quia cæteris præſideas, eas gubernat ſana fide, & doctrina, ac in maioribus negotijs dubia diſcutit: quemadmodum docet Auguſtinus contra epiſtolam Manichæi. cap. 4. & 5. Dicitur & Apoſtolica, quia ab ipſis Apoſtolis Petro, & Paulo, verbo & exemplo inſtituta ac roborata eſt: & quia Apoſtolorum fidem, doctrinam & auctoritatem, hactenus tenet, nec vmquam in fide aut bonis moribus deuiauit. Neque miretur quiſpiam,* inquit, *ſi eam inſectentur hæretici. Numquam pueri virgas, nunquam canes baculos quibus cæduntur, numquam lupi canes quibus coercentur diligunt.*

CXI. *Lib. 3. de ſeditiosibus cap. 5.*

Conrad. Brunus, *Apoſtolica Eccleſia à cuius obedientia nemo, quantalibet dignitate præfulgeat exemptus eſt. imo ab ea nemo eximi à quoquam, & ne à Romano quidem Pontifice poteſt. Tum quia omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubiecta, eiſdem fideliter obedire debet: tum quia hæc Eccleſia omnium aliarum Mater eſt & caput. Cui non ſolum aliæ omnes communi lege naturæ tamquam minores maiori ſeruire & obedire, ſed ipſius etiam iudicio omnes Reges & Principes voluntatem ſuam ſubdere, & legibus & mandatis parere tenentur.*

CXII. *Pro Sacroſancto Miſſæ ſacrif.*

Iacobus Faber Molinenſis, *Catholicæ Eccleſiæ caput à Domino conſtitutam.*

CXIII. *Lib. 3. de cœna, & calice Domini cap. 18.*

Gaſpar Caſalius Luſitanus, *Eccleſiam, quæ ſi conſideretur vt habet Sedem Apoſtolicam Petri, Sedem & Petri authoritatem, non habet ſimilem in terris: Sed eſt caput, prima atque Princeps totius Orbis Chriſtiani; vt ſicut partes Orbis habent diſtinctas Cathedrales per Orbem, ſic totus Orbis habeat hanc vnam cathedralem, in qua nunc eſt, & ſemper fuit Petri Apoſtoli Sedes, atque Petri Apoſtolica authoritas: in qua ob id qui præſidet, non ſolum vrbis Romæ, ſed & totius Orbis eſt Epiſcopus, Paſtor atque Rector. quæ Eccleſia eſt audienda, quia caput, quia mater, quia Magiſtra, quia domina.*

CXIV. *Lib. de perpetua cathedra Petri ſimulate cap. 2.*

Ioan. Heſſels Louanien. *rupem immobilem, contra quam portæ inferi, hoc eſt tribunalia, iudicia, principatus diaboli, ſectatoremque eius nuaquam præualeant.*

CXV. *Anno Domini 1561 in profeſſione fidei Rom.*

Siud, Patriarcha, *Eccleſiam, Sedem Petri, de qua Concilium Nicænum ſcripſit, quod ſit Caput omnium Eccleſiarum, quod donum dedit ipſi Chriſtus per illa verba quæ dixit ad Petrum plantatorem illius, nimirum, Tu es petra, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam. à qua Sacerdotium omne. & cuius exemplo recipit omnia concilia, quæ illa recipit, & excommunicat, quos illa & quatuor Concilia excommunicant.*

CXVI. *Lib. 2. de Eccleſ.*

Ioh. Anto. Delphin. *Cathedram Petri, quam cum initio conſtitutis diœceſibus, Petrum Deo iubente conſtituiſſet, quicumque vbiuis gentium conſtituebantur Epiſcopum tam in Aſia, quam in Africa & in Europa, nonnullis adhuc viuentibus Apoſtolis peculiari honore proſequebantur vt primam: ad quam in rebus fidei controuerſis aliiſque arduis vniuerſæ Eccleſiæ negotijs, recurrebatur, ad quam & gratis omnibus Epiſcopis licuit ſemper appellare.*

CXVII. *Lib. diſput. cap. de Primatu Petri & Romanæ Eccleſiæ.*

Ioan. Slotanus, *Eccleſiæ Catholicæ regnumque ordinatiſſimum, non Babylonicam confuſionem, cui Chriſtus in regionem longinquam abiens, Petrum ſua vice præfecit, illique tradidit claues eiuſdem, hoc eſt illud ipſum regendi authoritatem, vt eo commodius conſeruetur in hoc regno neceſſaria illa communicatio membrorum omnium & vnitas, ad totius ſalutem.*

CXVIII. *Lib. de 7. ſacram. cap. 3.*

Tilman. Segebergen. *omnibus alijs & priorem, & excellentiorem, & omnium dominam ac Magiſtram, duorum Apoſtolorum ſanguine conſecratam, principalem Eccleſiam. vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, cuius fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quam perfidia non poteſt habere acceſſum.*

CXIX. *Seſſ. 7. cap. 3.*

Patres Concilij Tridentini, *omnium Eccleſiarum matrem ac magiſtram.*

CXX. *In orat. ad ſynodum.*

Petrus Daneſ. Franciſci Regis Galliarum Orator in ſynodo Tridentina, *Eccleſiam cui Apoſtolorum Princeps præſedit, quæ Orbis terrarum principatum ſemper obtinuit, & quam Franci præcipuè ſibi colendam, opibus augendam, & periculo etiam ſuo à periculis vindicandam propoſuiſſent.*

CXXI. *In epiſt. ad Concil. Trident.*

Sebaſtianus Portugalliæ Rex, *Sanctam Sedem Apoſtolicam, omnium Eccleſiarum parentem & magiſtram.*

CXXII.

Subſcribunt *eiſdem titulis*, Ferdinandus &

Maxi-

Maximilianus Imperatorum Romanorum, Carolus Gallorum, Philippus Hiſpaniarum; Sigiſmundus Polonorum Reges, Coſmus Mediceus Florentiæ, Philibertus Sabaudiæ, Duces, Reſpublicæ Venetorum & Heluetiorum, ex Italia, Hiſpania, Gallia, Polonia, Hungaria, Anglia, Græcia, Dalmatia, Boemia, Hibernia, ipſaque Germania ex toto denique Orbe Chriſtiano doctiſſimi & grauiſſimi Epiſcopi [nec non alij quam plurimi omnium litterarum præſtantes viri, qui ad Concilium Oecumenicum confluxerant.

CXXIII. *In orat. pro Concil. Trident.* Petrus Fontidon. *veritatis magiſtram, antiquæ religionis ſcholam, rectæ & incorruptæ fidei religioſiſſimam aram, columnam denique atque firmamentum Euangelicæ veritatis.*

CXXIV. *Pio IV. Romæ 1562.* [Abd-Iſu Patriarcha ciuitatis Muzal in Aſſyria Orientali, *Eccleſiam Sanctam cuius fidem, approbatis omnibus & ſingulis illis quæ ipſa approbat, & damnatis ſimiliter omnibus quæ ipſa damnat, amplectitur, & tradere promittit omnibus ſibi ſubiectis Metropolitis, Epiſcopis & diœceſanis.* Cæterum infraſcriptum ſub eius iuriſdictione continentur, Arbel metropolis, Saraua, Hancaua Epiſcopatus Cheptiam metropolis, Caranleys, Achuſch Epiſcopatus Naſybin metropolis, Macchazzin, Valleſcaui, Mardin Epiſcopatus Gurgel metropolis, Eſci Epiſcopatus Amed metropolis, Chiaruchiæ Hayn, Tammys] Epiſcopatus; quæ omnes ſimul regiones ſubſunt Turcarum Imperio. Ormi ſuperior metropolis, Vſcini & Cuchia Epiſcopatus Ormi Inferior metropolis, Durra, Soldos, Eſchinuch, Epiſcopatus Eſpurgan metropolis, Nare, Gien Epiſcopatus Salamas metropolis, Baumar, Sciabathan, Vaſcham Epiſcopatus omnes Perſarum Regi, vulgo Sophi nuncupato ſubiecti. In India v. Luſitanis ſubiecta, Cuſchin metropolis, Cananor metropolis Goa metropolis, Calicut Epiſcopatus cui ſubeſt Carongol ciuitas, *omnes Romanæ Catholicæ Eccleſiæ partes tenent.*

CXXV. Gaſpar Cardil. Villalpand. *Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ eandem prorſus eſſe cum Eccleſia Romana demonſtrat & fatetur.*

CXXVI. *In concione ad Patres Trident.* Petrus Fontidonius, *Sedis Apoſtolicæ quam vel ipſi antiqui Eccleſiæ hoſtes, ſumma veneratione iam inde ab ipſo Apoſtolorum Principe Petro, continua Pontificum ſucceſſione deductam, tanquam cæterarum omnium Eccleſiarum Principem & moderatricem proſequebantur: vnicam & firmiſſimam Eccleſiæ columnam, quam qui erectam & firmam eſſe cupit, ſaluam cupit eſſe Eccleſiam. qua collapſa, ruet totum Eccleſiaſticum ædificium. qua ſplendidiſſima face extincta, omnia hæreſum & errorum tenebris occupabuntur, quæ non aliunde natæ ſunt, quam quod Sacerdoti Dei (vt dixit Cyprianus) non obtemperatur. qua denique occidente, occumbit ſimul Chriſtiana religio; adeout cum funere illius miſerabile etiam Eccleſiæ funus coniunctum eſſe videatur.*

CXXVII. *In appendice ad Chron. Nauclerι.* Laurentius Surius, *Sedem, cuius pondere ſciunt omnes hæretici ſuperiorum temporum hæreſes omnes mirabiliter oppreſſas & eliſas.*

CXXXVIII. *In Gualterum Haddonum.* Hieronymus Oſorius Epiſcopus Siluenſis, *Monarchiæ cæleſtis rationem, quam Chriſtus ſempiternam eſſe voluit, eoque ordine illam inſtituit, qui ſemper in omni temporum varietate conſeruari deberet. in quam omnes hæretici, qui conatus omnes ad Eccleſiæ euerſionem comparant, inuadant, hanc tormentis oppugnent, huic machinas admoueant, ad illam ſubruendam cuniculos agant; nec non illa expugnata diffidunt, ſe libere poſſe ſementem omnium malorum facere, & cum multorum exitio & interitu, quacumque illis libuerit, impune volitare.*

CXXIX. *Lib. de Confeſſione ſacram.* Marianus Victorinus Reatinus *Eccleſiam, quæ diuinam, & ab ipſo Chriſto ad nos vſque manantem doctrinam cuſtodit, quaque ſemper etiam vſa eſt; cum ei in Petro promiſſum fuerit, defuturam nunquam eſſe illius fidem, nec portas inferi aduerſus eam vnquam præualituras; ſed ab ea potius veluti omnium matre, exteras in fide confirmandas fore Eccleſias.*

CXXX. *In defenſione cont. Illiricum.* Fridericus Staphylus, *Eccleſiam quam hactenus conſeruarit Deus, diſſiparit Græcam, quæ (perinde atque nos Germani nunc) dum Petri Apoſtolus Sedem Iudicem non ferebat, iam ferre cogitur Turcicam ſeruitutem, vindicem contumaciæ rebellantis.*

CXXXI. *Ad c. 59. Iſa.* Franciſcus Forrerius Vlyſſiponenſis, *Sionem, cum qua fœdus percuſſit Deus, vt non auferat ſpiritum ſuum ab ea, in qua perpetuo ſpiritus Domini reſidet, quæ decipi in rebus ad ſalutem neceſſarijs non poteſt. quæ à tempore Apoſtolorum perpetua Pontificum ſerie ſpiritum Domini habuit, in qua et iam ſemper idem fuit ſenſus eadem fides, eadem ſemper fuerunt Dei verba. Hoc eſt ipſum fœdus. Quod ſi quis neget, fœdus Dei abnegat & infringit, & veniſſe Deum negat. Nempe enim ſi veniſſet, & abijſſet, & ſic rem non diſpoſuiſſet, aduentus eius parum admodum vtilitatis nobis attuliſſet, dum quiſque ſenſum ſuum pro ſenſu Chriſti afferret, & tot eſſent ſententiæ quot capita, vt nunc in quibuſdam prouincijs, magno cum animi dolore, magno etiam totius reipublicæ Chriſtianæ malo experimur. At in hac Eccleſia, in qua ſemen Chriſti perpetuo ſuccreſcit, Pontifices perpetua ſerie ſuccedentes, ſemper eundem ſenſum habuere: quod in Eccleſijs ſuis hæretici oſtendere non valent. Siquidem negare non poſſunt, aliud ſe, aliud Patres ſuos crediſſe, neque Pontifices qui ante annos quinquaginta Eccleſias Germaniæ gubernarunt, eum ſpiritum quem nunc vertiginis aliqui Germanorum habent, habuiſſe. At Patres iſtorum, fidem eandem quam Apoſtoli & Apoſtolorum ſucceſſores tenuiſſe.*

CXXXII. *Lib. de Eccl.* Cunerus Petri, Epiſcopus Lewardienſis, *Eccleſiam omnium maximam, antiquiſſimam, & omnibus cognitam, quæ vnum Paſtorem à Chriſto ſibi, cum certo Epiſcoporum Presbyterorum, & Miniſtrorum ordine, per modum Regni velut acies ordinata ſe habens, viſibile Deo ſacrificium, videlicet corporis & ſanguinis Chriſti hoſtiam offert: quæ bonos complectitur & malos: quæ ſemper iam olim à temporibus Apoſtolorum, & in toto orbe terrarum authoritate viguit; ſic vt nulla gens vnquam ſub Sole ad Chriſtum conuerſa fuerit, quæ non huic veluti arbori, & viti, ramus, & palmes inſerta fuerit. quæ cathedra Petri, perpetua ſucceſſione primæ Apoſtolus arbori connectitur. quæ in omni quæſtione, quæ de fide & religione exorta eſt, ſemper in ſua ſententia, non partis ſed corporis rationem obtinuit. quæ nunquam ſibi in fidei profeſſione diſformis. In cuius doctrina nihil oſtendi poteſt, quod aut cum aperta ratione, aut Scriptura Sacra pugnet.*

miraculis infinitis clara, cuius deſertione hæreſes inter ſe pugnantes exortæ ſunt, quas ſectas in mundo, vir prudens & ſalutis ſuæ ſtudioſus conſiderans, non dubitet ſe huius gremio tuto committere, & in eius ſocietate tranquille acquieſcere; eo quod ab ea hæretici diſcedentes, penes illam corpus Chriſtianitatis reliquerint. Namque Simoniani & Nicolaitæ, ſeſe primi tanquam partes abruperunt. Petrus videlicet Simonem Magum, & cæteros ſchiſmaticos damnauit. Eccleſia igitur Chriſti fuit illa ſocietas Romana, & aliorum fidelium, quæ cum Petro remanſerat. Iam Apoſtolis vita functis, Eccleſia Chriſti cum Petri ſucceſſoribus præſtabat, exeuntibus ab eadem Societate, Valentino, Marcione, Montano, Maoete & Donato; cum interim varij Pontifices Romani vſque ad Meltiadem continua ſerie præeſſent, martyrioque pene omnes coronarentur. quorum fidem, & authoritatem Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Euſebius, alijque grauiſſimi Patres & Concilia laudarunt. Poſt Conſtantinum vero, ab eadem Romana ſocietate defecit Arius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, Iouinianus, Vigilantius, Heluidius, Petrus Antiochenus, aliaque huiuſmodi monſtra; quibus omnibus Pontif. Rom. à Syluestro vſque ad Gregorium Magnum restiterunt: quo annorum ſpatio Concilia & S. Patres vbique primatum Romanæ Eccleſiæ atque eius Pontifices in Eccleſia Dei tribuerunt; neque quiſquam in mundo Catholicum ſe putaret, qui non cum Gregorio eiuſque anteceſſoribus communicaret. A Gregorij eiuſque ſucceſſorum communione receſſerunt Mahometani, Iconoclaſtæ, Berengariani, Petrus Abaylardus, Valdenſes, Albigenſes, Vuicclefiſtæ, Huſſitæ, ac demum Lutherani, Caluiniſtæ, & alij: cum interim Concilia atque Patres ſanctiſſimi, Iſidorus, Ildefonſus, Beda, Haimo. Anſelmus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, Thomas Aquinas, Hyacinthus, Bonauentura & alij, cum vniuerſis prouincijs Chriſtianis, Iudicium Romanæ Sedis ſequerentur & ſequantur: quod Romana, vera Chriſti Eccleſia, ab ipſis Apoſtolis fundata, continuata ſerie, perpetuaque corporis ad corpus ſucceſſione, apud eos qui eidem cohærent, remanſerit: neque quiſquam ſapiens illorum hæreticorum colluuiem, tanti fecerit, aut eſſe crediderit, vt ad illam, tanquam verè Chriſti Eccleſiæ ipſæ ſe transferret, ſed illos potius ad Rom. tranſire cuperet.

CXXXIII. *In notis ad ep. 55. Cyprian.* Iac. Pamnelius, *Eccleſiam, à cuius voluntaria ſeparatione, experientia docente, hæreſes ſumunt initium.*

CXXXIV. *Lib. adu. Berengar.* Lanfr. *vniuerſalem Eccleſ. à qua qui in fidei doctrina diſcordat, cum B. Doct. ſi non eiſdem verbis, eiſdem tamen ſententijs multis in locis concorditer, hæreticum eſſe aſtruxerunt.*

CXXXV. *In cap. 36. Ezech.* Hector Pintus, *Cathedram, quam Petrus, Deo ita præcipiente conſtituit, & Eccleſ. quam idem Princeps Apoſt. rexit: cuius imaginem thronus antiquus Synagogæ gerebat.*

CXXXVI. *Lib. 4. Panop. cap. 83.* Guillelmus Lindan. Epiſc. Ruremundenſis, *Sacerdotalem Petri cathedram, quam is 25. annos tenuerit & indubitatam Chriſti domum, cuius nota tanquam cælum ſole Patres cenſuerint veram Chriſti Eccleſ. in hoc mundo & agnoſcendam, & à ſchiſmaticorum conuenticulis diſcernendam. Sin, inquit, eos percunctaris adhuc in ſcriptis loquentes, vbi nam ipſorum ante annos mille, h. e. ſua ætate fuerit domus Dei à Chriſto in terris fundata, veraque Chriſti Eccleſiæ Catholicæ mox audies, vbi Roman. Epiſc. præeſt Paſtor. Sic D. Ambroſ. ſua ætate domum Dei totam, à Paulo veritatis fundamentum atque columnam dictam, Damaſum gubernaſſe teſtatur. Commen. in cap. 3. ad Tim. 1. D. Hieron. quoque hunc eundem Damaſum profitetur, Petri & fidem & Sedem tenere, epiſtola ad eum data.*

Alanus Copus, *Eccleſiam quam Chriſtus ſuo ſanguine expiauit, Petrum ei Vicarium præfecit, ac optimo & pulcherrimo ordine eam diſpoſuit.* CXXXVII. *Dial. 1. cap. 10.*

Renatus Bened. *Eccleſiam ornatiſſimam, quæ duratura ſit vſque in finem mundi, cui Petrus præfuit.* CXXXVIII. *In 16. capit. Matth.*

Franciſcus Vargas, *Petri Eccleſiam, cæleſtis Hieroſolymæ exemplar Monarchiam Chriſti.* CXXXIX. *Propoſit. 4.*

Franciſcus Sonnius Antuerpien. Epiſc. *vnam veram, Cathol. & Apoſtol. Chriſti Eccleſiam, cui vni Chriſtus promiſit patrocinium & inconcuſſam ſtabilitatem, cum omnibus appendicibus ſuis fidei vnitate, ſanctorum communione, & conſenſu in domo Dei conglutinata.* CXL. *In demonſtr.*

Bened. Arius Montan. *Eccleſiam, vaticinio Michcæ Prophetæ prædictam, qui ait: Congregatione congregabo Iacob, totum te, in vnum reducam reliquias Iſrael, pariter ponam illum quaſi gregem in ouili. Hebraice, quaſi oues Boſra. Boſra,* inquit, *conſtantiam ſiue Valentiam ſignificare dicebamus. Valentiam v. Romam vrbem totius orbis quondam principem dictam prius fuiſſe antiqui auctores memoriæ prodiderunt. Idem namque ῥώμη Græce, quod Latine Valentia eſt. Atque hac quidem in parte antiquorum Hebræorum traditionem hactenus recipimus, qui Boſram eandem Romam eſſe dixere. Habet autem Romana res maximam atque huic rationi accommodatiſſimam narrationem. Namque à paruis initijs, h. e. ab ouium paſcuis & caulis, à paſtorum caſulis, ad totius Orbis imperium in gentilitate excreuit. Deinde videlicet primis & firmiſſimis apud gentes fundamentis in ea vrbe iactis, Chriſtiana pietas totum fere Orbem in Euangelij ditionem redegit, atque exiguis initijs in innumeram multitudinem propagata eſt. In ea autem primus gregis huius Paſto Petrus Chriſti Domini vice functus eſt, ſuccedentibuſque longa temporum ſerie Paſtoribus, Chriſtianæ diſciplinæ ratio ita aucta & illuſtrata eſt vt prima omnium mater Eccleſia merito appelletur, ad quam totius Orbis & gentium omnium Cathol. communio referenda ſit: in cuius tandem collegium Iſraelitas cooptandos eſſe, Vates hic prædicit.* CXLI. *In c. 2. Michææ.*

Thomas Stapletonus Anglus, *Eccleſiam, quæ ex vaticinio Iſaiæ Prophetæ, mons domus Domini in vertice montium præparatus, & ſuper omnes colles eleuatus; vt confluant ad eum omnes gentes.* CXLII. *Iſa. 2.*

Ambroſius Catharinus Archiepiſcopus Compſanus, *veritatis Cathedram.* CXLIII. *Iul. III in epiſt. lib. de Eccleſ.*

Stanislaus Socolouius Polonus, Theologus & Eccleſiaſtes Stephani I. Regis Poloniæ, *S. Catholicam & Apoſtolicam.* CXLIV. *Lib. de Eccleſ.*

Thomas Bozius, Congregationis Oratorij, *Regnum Chriſti, Petri Sedem, Eccleſiam Orthodoxam, in omnes authoritatem habentem, doctrina diuina præſtantem, non potentem errare, ſucceſſione Apoſt. perpetuam.* CXLV. *Lib. de ſignis Eccleſ.*

Franciſcus Bozius eiuſdem Congregationis CXLVI.

nis

pis Sacerdos, S. Apoſtolicam, Monarchico regimine excellentem, regnum Sacerdotale.

CXLVII. *In Eccleſiaſt. cap. 55.* Caſpar Sciopius ex Vaticinio Zachariæ cap. 8. *ciuitatem veritatis, montem Domini, montem ſanctificatum, in qao Deus ſaluat populum ſuum de terra Orientis, & de terra occaſus ſolis.*

CXLVIII. *In 1 tom. Controuerſ.* Robertus Cardinalis Bellarminus *Principem omnium Eccleſiarum, quæ nec errare, nec interire poſſit, omni animæ Chriſtianæ prælatam.*

CXLIX. *In tomis Annal.* Cæſar Cardinalis Baronius, *montem Sion, arcam Noe, nouam Hieruſalem. Parentem omniam Chriſtifidelium, innumeris priuilegijs à Chriſto dotatam, varijs caſibus exercitam neque tamen concaſſam, vſque ad finem ſæculi perennaturam, ſucceſſibus felicem, felicitate florentem, aurоram, Lunam plenam, Solem fulgentiſſimum, domum Dei in Sole, ex mente Tertulliani, aprico, Tabernaculam ſponſi in Sole habitantis ex vaticinio Dauidis.*

CL. *De vtilit. credend. cap. 17.* Poſſem alios innumerabiles pro Eccleſ. Rom. Primatu adducere, ſed in re iam clariſſima abſtineo, & cum Auguſt. *non eſſe dubitandum* cenſeo, *in eius nos condere gremio, quæ ab Apoſt. Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum culmen authoritatis obtinuit;* CVI NOLLE PRIMAS DARE, VEL SVMMÆ PROFECTO IMPIETATIS EST, VEL PRÆCIPITIS ARROGANTIÆ.

Hæretici, vel inuiti Romanæ Eccleſiæ Primatum agnoſcunt. Bucerus. *In præparatorijs ad Concilium.* Caluinus. *Inſtitut. cap. 8. num. 103.*

Tanti fuit apud quoſdam hæreticorum, iſta de Primatu Romanæ Eccleſiæ ſuperiorum ſæculorum conſenſio, vt vel inuiti veritati detulerint. Ita Bucerus: *Ingenue,* inquit, confitemur *apud veteris Eccleſiæ Patres, Romanæ Eccleſiæ præ cæteris Primatum obtinuiſſe; vt quæ cathedram D. Petri habeat, cuiuſque Epiſc. ſucceſſores Petri fere ſemper habiti ſint.* Ita Caluinus. *Non nego,* inquit, *quin magnum Rom. Eccleſ. honorem vbique detulerant veteres, reuerenterque de ea loquantur. Quod tribus maximè de cauſis fieri arbitror. Opinio enim illa quæ neſcio quomodo inualuerat, fundatam & conſtitutam eam fuiſſe Petri miniſterio, ad conciliandam gratiam & authoritatem plurimum valebat. Itaque in Occidente, Sed. Apoſt. honoris cauſa vocabatur. Deindè cum illic eſſet Caput imperij, & hac ratione credibile eſſet, præſtantiores tum doctrina, tum prudentia, tum peritia, & multarum rerum vſu, viros illic eſſe, quam alibi vſquam, eius rei merito habebatur ratio, ne & vrbis nobilitas, & alia etiam dona Dei multo excellentiora contemni viderentur. Acceſſit ad hæc & tertium, quod cum Orientales & Græcæ Eccleſiæ, Africanæ etiam, multis opinionum diſſenſionibus inter ſe tumultuarentur, hæc ſedatior alijs & minus turbulenta fuerit. Ita factum eſt, vt pij & S. Epiſcopi, ſedibus ſuis pulſi, illuc ſe velut in aſylum aut portum quendam, ſæpe reciperent. Nam quo minus acuto & celeri ingenio ſunt Occidentales Aſiaticis, & Afris, eo etiam ſunt rerum nouarum minus cupidi. Hoc ergo Rom. Eccleſ. plurimum addidit authoritatis, quod non ita dubijs illis temporibus tumultuata eſt, vt reliquæ; ac doctrinæ ſemel traditæ fuit alijs omnibus tenacior. Has tres ob cauſas non vulgari in honore habita fuit, & multis præclaris veterum teſtimonijs commendata.* Hæc Caluinus: Sed & Lutherus, poſt deliberandi tempus impetratum, coram Thoma Cardinali Caietani Sedis Apoſtolicæ Legato, præſentibus quatuor Proceribus Carolo V. à conſilijs, viris illuſtribus, tanti fecit Eccleſiam Romanam, vt hæc ex ſchæda protulerit: *Ego Fr. Martinus Luther Auguſtinianus, proteſtor, me colere ac ſequi S. Romanam Eccleſiam in omnibus meis dictis & factis, præteritis, præſentibus & futuris. Quod ſi quid contra, vel aliter dictam fuit, vel fuerit, pro non dicto haberi & habere volo.* Fere iiſdem verbis Eraſmus Roterodam. *Chriſtum agnoſco, Lutherum non agnoſco, Eccleſiam Romanam agnoſco. Quod aduerſetur dignitatis Sedis Romanæ, certo certius habeto, non eſſe profectum ab Eraſmo, quocunque titulo circumſeratur: quod fidem quam Petrus profeſſus eſt, hactenus Romana ſeruauit Eccleſia, quæ non alia minus laborauit hæreſibus, atque Hieron. inprimis omninò videtur ſentire, omnes Eccleſias debere ſubeſſe Romanæ Sedi, aut certe ab hac non alienas; quæ peculiariter hoc Apoſtolo gloriatur, qui inter Apoſtolos primas tenuit, & ſic eſt Orthodoxa, vt ſit Orthodoxarum prima dignitate, in cuius Pontificis poteſtatem, conſtat Græciam conceſſiſſe: & cuius Principatus, etſi non eſſet à Chriſto, tamen expediret vnum eſſe, qui cæteris authoritate præemineret. Conſtat etiam Arnobium Eccleſiæ Romanæ iſtud honoris deferre, vt extra Eccleſiam Catholicam ſit, qui ſit ab hac alienus.*

Lutherus, Cochl. in actis Luther. 7.

Eraſmus Roterod. *In Spongia aduerſus Hutten.*

In Scholis ad epiſt. Hieron. ad Damaſ. & in præfat. Comment. Arnobij in Pſalmos.

Tantam nubem teſtium, etiam ex anteſignanis hoſtium, pro dignitate Romanæ Eccleſiæ volui producere, vt Romanus Pontifex, etiam *ab his qui foris ſunt,* iuxta præſcriptionem Paulinam, *teſtimonium bonum habeat,* ſuæ præſtantiæ. Si enim nihil excellentius eſt Sacerdote, quemadmodum ex Sanctorum Patrum decretis demonſtraui; profecto nihil excellentius fuerit Summo Sacerdote; præſertim ei Eccleſiæ Prælato, qua, ex confeſſione etiam aduerſariorum, apud veteris Eccleſiæ Patres Primatum ſemper præ cæteris obtinuit: cui magnum honorem ſemper detulerunt veteres, reuerenterque de ea locuti ſunt. quæ Apoſtolica Petri Sedes: in qua viri doctrina, prudentia, & vſu rerum ſemper præſtantiſſimi. In qua multa Dei dona, longe quam alibi excellentiora. quæ minus alijs Eccleſijs turbulenta, magis vero in rebus fidei ſedatior. quæ aſylum & portus piorum & ſanctorum Epiſcoporum ſede pulſorum: quę doctrinę ſemel traditę alijs omnibus tenacior; atque multis pręclaris veterum teſtimonijs commendata: quę fidem quam Petrus profeſſus eſt hactenus ſeruauit. quę nunquam hęreſibus laborauit. quę omnium Eccleſiarum prima. quę hoc Apoſtolo peculiariter gloriatur, qui inter Apoſtolos primas tenuerat, quę Orthodoxarum prima dignitate. extra quam qui fuerit, fuerit extra Eccleſiam Catholicam. Itaque huius Eccleſię ſummus Sacerdos, omnium pręſtantiſſimus cenſendus eſt. Quemadmodum Rodericus Zamorenſis, iſtis verbis demonſtrabat. *Si teſte Ambroſio,* inquit, *nihil in hoc ſæculo excellentius atque excelſius inueniri poteſt ſtatu & dignitate ſimplicium Sacerdotum, & particularium Antiſtitum, qui per diuerſa Orbis loca in partem ſolicitudinis aſſumuntur; quid cogitandum eſt de Summo Pontifice, qui vicem Dei gerit in terris, qui ad plenitudinem*

Summo Sacerdote nihil excellentius.

Ab occupatione Sedis omnium præſtantiſſimę & comparatione ſimplicium Sacerdotum.

Lib. 2. de Specul. humanæ vitæ, cap. 1.

authe-

authoritatis, qui ad Apoſtolicum thronum, qui ad culmen omnium dignitatum aſſumitur. Hæc ſi ſecum, in cymmerijs tenebris ſedentes, reputaſſent, neque Babylonem, Romanam Eccleſiam; neque Antichriſtum, Pontif. Rom. dixiſſent: cum & illam, omnium retro ſæculorum veneranda antiquitas, non diſſimulanter fatentibus hæreticis, Cathedram Petri, regnum Chriſti, & aciem caſtrorum ordinatam, ne reliqua repetam, appellarit, & hæc ipſa omnium ſuprema, Dux, Magiſtra, Parens & Regina, à perpetua conditoris ſui aſſiſtentia neſcio, an Antichriſtum pro capite habere meruerit.

CAPVT VI.

Pontifex Romanus, Catholicæ Eccleſiæ Primas.

Inſigne elogium Congregationis Orthodoxorum.

1. Petr. 2. 1. Cor. 12.

ORthodoxorum congregatio, non alio magis accommodo demonſtratur elogio, quam quo à Petro & Paulo Apoſtolorum Principibus ornata eſt; *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis corpus Chriſti & membra de membro.* Genus electum dicit, à diuino decreto, quo ante mundi conſtitutionem, nonnullos ſecreuit, quibus purioris luminis radium ex ſuo vultu ſignaret: vt cognoſcant verum Deum; & quem miſit Ieſum Chriſtum.

Regale Sacerdotium.

Sacerdotium dicit, ſed Regale, ſed hierarchicum, ſed ordinatum: vt alij ſint, qui præcipiant & dirigant, alij, qui obſequantur, & iniuncta exequantur.

Ordo in Eccleſia. In orat. de moder. in diſputat. ſeruando.

Ordinem in Eccleſijs Chriſtus inſtituit, ait Nazianzenus, vt alij oues ſint, alij Paſtores, alij præſint, alij imperia accipiant; alius caput ſit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrum ad totius Eccleſiæ concinnitatem & ornatum, vtilitatemque ſubditorum, vel Præfectorum. Et quemadmodum in corporibus licet membra inter ſe abrupta atque diſtracta non ſint, verùm tota illa congeries vnum corpus ſit ex diuerſis membris conflatum; non tamen eadem eſt omnium vis atque facultas (tametſi alioqui ad beneuolentiæ concordiæque neceſſitatem, honoriſque parem in diſparibus rationem, alia aliorum opera indigeant: Neque enim oculus incedit, ſed viam demonſtrat; nec pes proſpicit, ſed ingreditur ac loca permutat; nec lingua voces accipit, id enim aurium munus eſt; nec rurſus auris loquitur, quod linguæ officium eſt: & naris quidem eorum quæ olfactu ſentiuntur organum eſt; guttur autem, ſicut Iob ait, cibos deguſtat, manus porro dandi atque accipiendi inſtrumentum eſt; mens denique omnibus præeſt atque imperat, nimirum à qua vis ſentiendi proficiſcitur, & ad quam ſenſus omnes tendunt & referuntur) ad hunc quoque modum apud nos, hoc eſt in communi Chriſti corpore, res ſe habet.

Membrorum ſingulorum diuerſæ operationes.

Omnes enim corpus vnum in Chriſto ſumus, ſinguli autem Chriſti, atque alij aliorum membra. Alij enim dominantur & præſunt, alij parent & reguntur. Et quamquam eadem non ſit vtrorumque actio (niſi quis idem eſſe contendat præeſſe, quod parere) fiunt tamen vtrique in vnum Chriſtum ab eodem ſpiritu constructi atque compacti. Ac rurſus quemadmodum inter eos qui ſubſunt permagnum diſcrimen reperitur, vt qui doctrina, & vſu, atque exercitatione, & ætate inter ſe diſtent; eodem modo inter Præfectos quoque non parua differentia.

Omnes corpus vnum in Chriſto, ſinguli autem Chriſti & aliorum membra.

1. Cor. 12. Rom. 9.

Non enim omnes Apoſtoli, non omnes Prophetæ, non omnes Doctores, non omnes virtutes, non omnes habent gratiam curationum, non omnes linguis loquuntur, non omnes interpretantur: ſed ſinguli habentes donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis differenter; ſiue Prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate.

Prouidentia diuina in ordine Hierarchico condendo. In apologia cur in Pontum fugerit.

Et quemadmodum in corpore, alibi comparat Nazianzenus aliud membrum principatum tenet, ac velut præſidet, aliud ſubeſt ac ſequitur: ad eundem quoque modum Deus, vel æquabilitatis lege, quæ meritum cuiuſque perpendit, vel etiam prouidentia, qua vniuerſam rerum molem velut quibuſdam vinculis aſtrinxit, hoc in Eccleſijs conſtituit, vt alij paſcantur, imperiumque accipiant (quibus id vtilius eſt) ac tum ſermone tum opere ad officium dirigantur; alij contra ad concinnitatem perfectionemque Eccleſiæ Paſtorum magiſtrorumque munere funguntur, nimirum, qui virtute neceſſitudineque ad Deum & familiaritate vulgus antecellunt, rationem animæ ad corpus, aut mentis ad animam ſuſtinentes: vt hæc duo inter ſe compoſita atque compacta (hoc eſt, tam id quod minus plenum eſt, quàm quod exuberat, vt in membris intueri licet) ac ſpiritus compage & commiſſura inter ſe connexa & conglutinata, vnum corpus omni ex parte perfectum, atque ipſo Chriſto, qui Caput noſtrum omnino dignum efficiant. Præclarè iſta omnia Theologus, ex mente Paulina diſſerebat, & quaſi digito tenus, Primatem Eccleſiæ penes quem ſumma rerum eſſet, oſtendebat.

In Eccleſia Caput viſibile Sacerdos Regius, Primas & Antiſtes vniuerſorum.

Nam ſi omnes, quotquot in Chriſto baptizati ſumus, vnum corpus & membra Chriſti ex membro ſumus: in corpore videlicet vnum caput, quemadmodum & in regno vno nonniſi vnus Rex, qui omnia moderatur; conſequens eſt, vt & in corpore Eccleſiæ, vnum ſit Caput viſibile, & in vnico ſacerdotio Regali, vnus ſit Regius Sacerdos, Primas & Antiſtes vniuerſorum. Quoad Chriſtus in terris verſaretur, ipſe fuit, *in omnibus Primatum tenens,* vtpote *Caput corporis Eccleſiæ, & principium, primogenitus ex mortuis;* vt Paulus teſtatur: qui etiam illum, *Paſtorem magnum ouium,* quemadmodum & Petrus, *Principem Paſtorum* appellabat: quemadmodum & Propheta Regius, tum Regem, tum Sacerdotum ſupremum ſecundum ordinem Melchiſedech futurum prędicebat.

Coloſſ. 1. Hebr. vlt. 1. Pe. 5.

Chriſtus ſummi Sacerdotis obitu munia. Centur. ad lib. 4. cap. 7.

Namque Chriſtus, tametſi titulum Sacerdotis ſummi, quamquam verè eſſet ſummus Sacerdos, quod etiam hæretici fatentur, ſibi noluiſſet arrogare, res tamen ad Summum Pontificem pertinentes exequebatur. Tradebat cœleſtem doctrinam illuſtrius, quam vllo

vnquam ſæculo factum erat. Claues regni cœlorum adminiſtrabat. Perplexas & obſcuras quæſtiones, tam Apoſtolis, quam aduerſarijs ſoluebat. Pro toto mundo orabat. Sacrificium pro omnibus litauit. Controuerſias iudiciarias diremit. Animas illuminabat, depurabat, & ad perfectionem educebat. Sacramenta inſtituit. Miniſtros verbi & diſpenſatores miniſteriorum Dei, duodecim & Apoſtolos, & ſeptuaginta duos diſcipulos tum deſignauit, tum ablegauit, Ordinem Hierarchicum condidit: & *aſſerens mundo medicinam*, vt ait Auguſtinus, *miraculis conciliauit authoritatem, authoritate meruit fidem; fide contraxit multitudinem; multitudine obtinuit vetuſtatem: vetuſtate roborauit religionem, quam non ſolùm hæreticorum ineptiſſima nouitas, fraudibus agens, ſed nec Gentium quidem veternoſus error violenter aduerſans, aliqua ex parte conuelleret*. ſcilicet Regnum Sacerdotale, ſeu Regale Sacerdotium, ipſe Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, videlicet Rex & Sacerdos ſeu Regius Sacerdos, æternum duraturum condebat: vtpote, *Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*: cui Iſaias prædixerat: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia, à modo & vſque in ſempiternum*.

De vtilit. credendi cap. 14.

Condito iſto ampliſſimo Regali ſacerdotio, quod ſciret, id quod etiam Caluinus vel inuitus fatetur, *neque ſolis lumen ac calorem, neque cibum ac potum tam eſſe præſenti vitæ fouendæ, ac ſuſtinendæ neceſſaria, quàm eſt conſeruandæ in terris Eccleſiæ, Apoſtolicum ac Paſtorale munus*: ipſe terras relinquens, corpori Eccleſiæ vnico ouili, adeoque ſacerdotio Regali, viſibile caput, Vicarium, Paſtorem, Regiumque Sacerdotem, præfecit: ne viſibile corpus, ſine capite viſibili extaret: ne oues & Agni, ſcilicet ne paſtores & fideles diſpergerentur in montibus, quaſi oues non habentes ſummum paſtorem: neue in Regio ſacerdotio, quiſque quod vellet faceret, quemadmodum olim cum nullus Regum præeſſet in Iſrael, ſi nullum audirent ſupremum Primatem.

Eccleſiæ viſibile caput perficit. Inſtitut. cap. 8. artic. 35.

Non minorem curam Eccleſiæ vniuerſalis habet Chriſtus, quam vel olim habuit primogeniæ, vel nunc ſingularum. Primogenia, triumphans in cœlis, vnicum aſpicit Primatem: primogenia olim militans in terris, non niſi vni Patriarchæ, vel primogenito ex fratribus, in lege naturæ, in lege videlicet ſcripta, vni Summo Pontifici obtemperabat. Par itaque fuerat, vt renouata à Chriſto, & inſtar aciei caſtrorum ordinata, & regni, domus, ouilis, nauis, corporis compoſitioni comparata, Chriſto abeunte, vnicum videat Ducem, Regium ſacerdotem, patrem familias, ſummum Paſtorem, Nauarchum, Caput. Quod ſi in ſingulis Eccleſijs, præter inferiores Ordines Epiſcopum præeminere voluit vniuerſis miniſtris & fidelibus: *Quid enim eſt Epiſcopus*, interrogat S. Ignatius, *niſi qui principatum omnem, & poteſtatem ſupra omnes obtinet, vt obtinere homo poteſt, qui eſt pro viribus Chriſti Dei imitator? Quid videlicet presbyterium, niſi collegium ſacrum, conſiliarij & confeſſores Epiſcopi?*

Cauſæ hierarchici ordinis.

Eccleſia variis rebus aſſimilata.

Ad Tertul. ep. 9. Quid Epiſcopus, Presbyter, & Diaconi.

Quid item Diaconi, niſi imitatores Angelicarum virtutum, & miniſtrantes miniſterium purum, & immaculatum, vt S. Stephanus, B. Iacobo, & Timotheus ac Linus Paulo, & Anacletus atque Clemens Petro? Quibus ſi quis inobediens fuerit, atheus & impius omnino fuerit, & Chriſtum improbans, ac eius ordinationem imminuens. Quod ſi, inquam, in ſingulis Eccleſijs, præter diaconos & presbyteros, Epiſcopos quoque conſtituit: longè amplius credere neceſſe eſt, vniuerſali Eccleſiæ, illum aliquem ſupremum Antiſtitem præpoſuiſſe; vt æterna Monarchia, quæ illi ſanguine & morte ſtetit, ab vno Primate continuetur. Vt vnius in æternum Paſtoris, vnitas repræſentetur, vt vnitas totius Eccleſiæ, per vnum tum deſignetur, tum conſeruetur: quemadmodum Cyprianus & Optatus docent. Vt ſit in Eccleſia, qui Paſtores ordinet, admoneat, corripiat, puniat. Qui Concilia indicat, dirigat, roburque & authoritatem illis tribuat: cumque ſynodus propter externas perſecutiones congregari non poteſt, qui pro authoritate ſua cauſas ſingulorum cognoſcat, & tum de rebus fidei, tum de controuerſijs ciuilibus definiat. qui propagandæ fidei curam gerat; qui recens conuerſis Epiſcopos præficiat: qui Epiſcopatus conſtituat, conſtitutoſque vel diuidat, vel prout neceſſitas poſtulauerit vniat: quique ſollicitudinem omnium tum Eccleſiarum, tum Paſtorum, tum agnorum, tum ouium gerat; non in partem, ſed in plenitudinem poteſtatis aſſumptus: quemadmodum Patres reliqui oſtendunt.

Supremus Antiſtes vniuerſalis Eccleſiæ. Lib. de vnit. Eccleſ. lib. 2. de ſchiſmate.

Eius munus.

Petrus is erat, à Chriſto præfectus. Eccleſia vniuerſa, inprimis, *domui* comparatur, eam, quod ſuper Petrum ſe ædificaturum promiſiſſet, Primatem illius futurum deſignauit. Namque illi, qui, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, ore omnium Apoſtolorum dixerat, Chriſtus pollicitus eſt: *& ſuper te Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Ad hunc Dominicum intellectum, Patres antiqui Petrum appellabant.

Is fuit Petr. & vnde ſic dictus.

Simon Petrus, veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum eſſe Eccleſiæ definitus eſt; qua de cauſa etiam Domini ore cognominatus eſt Petrus. — *Clemens in epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini.*

Nihil latuit Petrũ, ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum. — *Tertullian. de præſcriptionibus.*

Petrus Magnum Eccleſiæ fundamentum, & petra ſolidiſſima, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam. — *Origen. homil. 5. in Exod.*

Princeps Petrus, fidei Petra. — *Hippolytus de conſummat. mundi.*

Petrum Dominus primum elegit, & ſuper, cum Eccleſiam ſuam ædificauit, Eccleſia quæ vna eſt, — *Cyprian. ad Quintum & ad Iubaianum.*

ſuper

ſuper vnum, qui & claues eius accepit, Domini voce fundata eſt.

Petrus ædificationi Eccleſiæ ſubiacet, felix Eccleſię fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quę infernas leges diſſolueret.

Hilarius lib.6. de Trinitate, & in cap.16. Matth.

Petra Eccleſiæ.

Ambroſ. in hymno.

Petrus Petra propter Chriſtum. Largitur enim Ieſus ſuas dignitates: Petra Petram facit.

Baſil. de pœnitentia.

Petrus Petra vocatur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habet.

Nazianzenus in orat. de moderat. in diſputat.

Petrus Petra, ſuper quam Chriſtus ædificauit Eccleſiam.

Hieronymus in cap.16. Matth.

Princeps Apoſtolorum Petrus, ſuper quem Chriſtus fundauit Eccleſiam; verę immobilis petra & firma confeſſio.

Chriſoſtomus homil.27. ex varijs in Matth. locis.

Petrus primus Apoſtolorum, quem ipſe dominus cōſtituit petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & portæ inferorum non valebunt aduerſus illam. Portæ autem inferorum ſunt hæreſes & hæreſiarchæ. Iuxta enim omnem modum in ipſo firmata eſt fides, qui accepit clauem cœlorum.

Epiphan. in Ancorato.

Petra eſt Chriſtus. Bibebant enim de ſpirituali eos ſequente petra; petra autem erat Chriſtus. Huius vocabuli gratiam etiā diſcipulo ſuo non negauit, cui dicit, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non pręualebunt aduerſus eam.

Paulinus ad Seuerum epiſt.4.

Petrus in confeſſione fidei appellatus petra, ſuper quam fundaretur & fabricaretur Eccleſia. Immobile fidei fundamentū. Dignus qui ædificandis in Domo Dei populis, lapis eſſet ad fundamentum, colūna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum; in quo tanquā in petra fundata eſt Eccleſia.

Auguſtinus in Pſal.69. ſerm.124. de tempore ſerm.29. de ſanct. lib. retract.1. cap.21.

Petrus, pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum petra tamquā ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem molemq; continet. Cui Chriſtus communionē ſui nominis libenter indulſit. Vt enim, ſicut Apoſtolus Paulus edocuit, petra erat Chriſtus, ita per Chriſtum Petrus factus eſt petra, dicente ei Domino. Tu es Petrus, & ſuper hanc petrā ædificabo Eccleſiam meā.

Maximus Taurinen. homil. de fide Petri. & homil. 1. in natali Petri & Pauli.

Petrus non Simon. fore iam, ſed Petrus prædicit, vocabulo ipſo commode ſignificans, quod in eo tanquam in petra lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.

Cyril. in Ioan. lib. 2. cap.2.

Petrus Apoſtolorū Princeps, in quo Dominus, in Euangelijs ſe Eccleſiam ſuam ędificaturum promiſit.

Theodoret in Cantica Canticorum.

Petrus fortiſſima petra, quæ ab illa principali petra communionem & virtutis ſumpſit, & nominis.

Proſper libro 2. cap.28. de vocatione gent.

Petrus Apoſtolus, petra & crepido Eccleſiæ Catholicæ.

Patres Concil. Chalced. artic.3.

Petrus princeps Apoſtolorum, & petra fidei.

Conſtan. IV. Imp. pro 6. Synod. vniuerſ. act.18 eiuſdem 6. Synod. & Damaſc. in hiſt. Ioſaphat. & Barla.

Petrus Eccleſię petra, & firmamentum poſt Chriſtum.

Theophil. in cap. 22. Luc.

Petrus fidei petra, fundamentum credētium, ſuper quem Chriſtus ędificauit Eccleſiam ſuam.

Euthymius in cap.16. Matth.

Petrus ſuper petrā Chriſtū ſtabiliter fundatus, & fidei fundamentum; qui eam, quæ fit per virtutes, Eccleſiæ diſpenſationem in ſe ſuſcepit.

Andr. Creten. orat. in Domini transfigurat.

Ab hac Patrum interpretatione, Petrus à Chriſto in communionem nominis, & virtutis vocatus, & ipſe quoque angularis lapidis inſtar, coniungens vtraque vnum, quod Eccleſiaſticæ ſubſtructioni ſubiaceat velut fundamentum, Primas in domo Dei audit: in qua etiam, tum clauigeri, tum patrisfamilias, quod à Chriſto obtinuerit officia, iure merito Primas vniuerſalis Eccleſiæ nuncupatur. Primas domus Dei.

Claues ſymbolum dominij, & poſſeſſionis.

More gentium receptum eſt, vt cui claues Domus vel regni traduntur, eidem poſſeſſio Domus & regni tradatur: & is porro Pater familias illius, Rex, Monarcha, & Poſſeſſor habeatur, qui ius clauium, non tantum vſum habet. A diuinis, in humana iſtud deriuatum. Quod enim Deus, vitæ & mortis eorum qui in arcam Noe ingreſſi fuerant arbiter eſſet, dominium claue & clauſura ſignificauit, cum omnia tamquam *Dominus incluſit deforis*. Namque *ſi is incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur: & ſi emiſerit eas, ſubuertent terram*, quemadmodum Iob enunciabat. Quod verò etiam filio ſuo vnigenito eiuſdem vitæ & necis dominium communicaſſet, poſſeſſionemque totius orbis illi conceſſiſſet; hic claues ſibi datas confitetur; *Ego ſum primus, & nouiſſimus*, ait, *& viuus, & fui mortuus, & ecce ſum viuens in ſaecula ſæculorum, & habeo claues mortis & inferni*. Spiritus quoque loquens Eccleſijs, iſtud ipſum Angelo Philadelphię Eccleſię pręſcribebat: *Hæc*, inquit, *dicit ſanctus & verus, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit; claudit & nemo aperit* ſcilicet ipſe filius altiſſimi, cui dedit Dominus Deus ſedem Dauid Patris ſui, vt regnet in domo Iacob in ęternum, & regni eius non ſit finis: quique ſuper oues ſuas ſuſcitauit eum vnum paſtorem qui paſcat eas, ſeruum ſuum Dauid, ex progenie Dauid; Regalis ſacerdotij Principatum, & ſuper oues & ſuper reliquos greges indicio clauis Dauid, & clauium mortis ac inferni illi detulit; vt ipſe Paſtor bonus, & Oſtiarius ſupremus, aperiat cui velit, introducat & educat quem velit: adeoque ſoluat vel liget quem velit, & quacumque ratione velit. Ab hac imitatione, cum Sobnam prępoſitum templi exauctoraſſet, inque eius locum Eliacim filium Elcię ſuffeciſſet, poteſtatis inſigne clauem illi pollicebatur, dicens: *Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat*. Forte etiam pręſagio futuri ſummi Sacerdotis nouę legis, clauem domus Dauid ſuper humerum Eliacim ſe daturum ſpondebat, vt clauium ſymbolo indicaret illum, cuius *factus eſt Principatus ſuper humerum eius*, vt eſſet *Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*: qui aperiret & clauderet, ligaret & ſolueret, non huic tantùm aut alteri, neque hunc tantùm aut alium, ſed omnibus & omnes; vtpote in omnes & omnia, & in omnibus quę ad Eccleſiam vniuerſam, & regnum cœlorum administrandum ſpectant, ius & iuriſdictionem plenariam habens. Iſtud ius plenarium, vna cum vſu omnifario clauium, ſoli Petro conceſſit. Quamuis enim ſingulari munere reliquos Apoſtolos Petrus pares eſſe voluerit, titulo Apoſtolatus, officio legationis, & vſu nonnullo clauium, vt & ipſi miſſi fuiſſent à Chriſto ęque vt Petrus, & legatione fungerentur pro Chriſto, ęque vt ille, & ligandi atque ſoluendi, dimittendi atque retinendi peccata, docendi, baptizandi, ſacram hoſtiam offerendi, controuerſias tam in ſoli quam in poli foro cognoſcendi, ſacra myſteria miniſtrandi, Epiſcopos presbyteros & reliquos ex clero per ciuitates inſtituendi poteſtate præditi eſſent, non ſecus atque ille, vt tamen vnitas in vno ſupremo pręſide ſeruaretur omnium, nec Eccleſia vna vnica per ſchiſmata ſcinderetur, ſupra alios Apoſtolos Clauium ius plenarium, & vſum omnifarium earum Petro ſoli conceſſit: cum ſoli claues, reliquis non claues; illi authoritatem, his vſum; illi vſum omnem, his nonnullum; illi regni, non huius aut illius, his ſingularis alicuius Eccleſię; illi cœlorum, his alicuius cœli; Petro aperiendi & claudendi, reliquis Apoſtolis non iſtud, ſcilicet non vniuerſam iuriſdictionem in vniuerſam Eccleſiam, neque ordine, ſed extra ordinem, velut Legatione, non plenaria auctoritate fungentibus, id quicquid erat eis conceſſerat: poſtquam iam Claues, non clauem; ius non vſum tantùm; aperiendi & claudendi, non tantùm ligandi aut ſoluendi, poteſtatem; ſummam non delegatam; in regni totius, non partis aut prouincię tantùm limitem, non cœli vnius, ſed omnium cœlorum, Petro velut Patrifamilias contuliſſet: adeo vt quicquid in iudicio, vel extra ſubſellia eſſet, quod totius Eccleſię adminiſtrationem ſpectaret, is ſolus tamquam ianitor cœlorum pręſtaret, & tam doctrina, quam gubernatione, prouidentia, diſpenſatione, commutatione, & reliquis Paſtoralibus munijs Regnum cœlorum omnibus aperiret, aut clauderet: *Beatus planè cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur; cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas ſit in cœlo, vt quæ in terris aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatus eiuſdem conditionem obtineant & in cœlis. Magna erat poteſtas*, inquit Chryſoſtomus, *& doni magnitudo ineffabilis, & tamen Chriſtus ait; Tibi dabo claues regni cœlorum*. Nimirum plus ei quam reliquis Apoſtolis impertiuit: quod Cyrillus Alexandrinus cum alijs agnouit, cum dixit: *Sicut Chriſtus accepit à patre ſceptrum Eccleſiæ gentium, dux ex Iſrael egrediens ſuper omnem Principatum & poteſtatem, & ſuper omne quodcumque eſt, vt ei cuncta curuentur; ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſime commiſit, & nulli alij quam Petro quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit*. Optatus quoque idipſum fatetur: *Petrus*, ait, *præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues regni cœlorum communicandas cæteris ſolus accepit*.

Geneſ. 7. Iob. 12.

Apoc. 1. & 3.

Chriſtus regalis ſacerdotij Primas.

Ezech. 34.

Promiſſio Eliacim per claues facta. Iſai. 22.

Iſai. 9.

Clauium plenarium ius ſoli Petro pre reliquis Apoſtolis conceſſum.

Poteſtas pro arbitrio ſoluendi & ligandi ampliſſima.

Hilar. in 16. c. Matth.

Hom. 55. in Matth.

In lib. Theſaur.

Lib. 7. de ſchiſmate.

Iam verò Eccleſia, non tantùm domui & regno, ſed etiam familię, in qua fratres, ſorores, ſerui & ancillę reperiantur, comparatur. In ea itaque cum Chriſtus Petro poteſtatem confirmandi fratres facit, dubio procul Primatem inter fratres, ſcilicet inter Apoſtolos etiam facit: cum dicit; *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Quod etiam illi ſoli iubet, *Da ſtaterem pro me & te*; Primogenitum inter reliquos fratres oſtendit, & Patrisfamilias vices obire pręcipit: cum vel ſoli Patresfamilias, vel primus ex fratribus vectigalia dependerent. Quamobrem iure merito apud Patres omnes, *Coryphæus, Os, vertex, caput, Princeps, & Dux Apoſtolorum Petrus* audit. *Primogenitus erat Chriſtus*, ait Chryſoſtomus, *Petrus quoque diſcipulorum primus eſſe videbatur. Itaque cum ei diceretur, Da pro me & te, ingens* hic

Eccleſia familiæ comparata.

Dionyſ. c. 3. de diuin. nomin.

Cyrill. l. 12. in Ioan. cap. 64.

Chryſoſt. in Ioan. hom 87. & in Matth. homil. 59.

Petrus Primogenitus Apoſtolorum vectigal dependet, & quare.

hic honor Petro deferebatur, quoniam & ipſe primogenitus erat: inque illa hora Chriſtus illum cæteris omnibus prætulit. Cumque ex Iacobo & Ioanne alter primogenitus eſſet, nihil tamen tale pro ipſis feciſſe videtur. Quamobrem inter eos mox contentio de primatu orta, quod maximum hunc exiſtimabant honorem in Petrum à Chriſto collatum; quaſi per hoc indicaſſet eum cæteris diſcipulis meliorem.

Contentio de primatu inter Apoſtolos. *Quæſt. 75. ex nou. teſtam.*

Auguſtinus, cum rationem redderet, cur Chriſtus non etiam pro alijs vectigal ſolui iuſſiſſet, reſpondit: *Saluator cum pro ſe & Petro dari iubet, pro omnibus exoluiſſe videtur, quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ita & poſt Saluatorem, omnes in Petro continentur. Ipſum enim conſtituit eſſe Caput eorum*, vt quemadmodum ipſe, ſic & poſt illum Petrus ſit primogenitus inter fratres. Petrus inter Apoſtolos, Auguſt. & Dionyſ. Caput; comparatione qua Eccleſ. Corpus, & reliqui tam Apoſtoli, quàm fideles, membra de membro. Diſerte id Chriſtus Petro aſſignauit, cum illum Cephaz nuncupauit. Iſtud enim nominis, & petram, & Caput ſignificat: adeo vt Petrus Cephaz ſit, & petra ſecunda à Chriſto in conſtructione domus, & caput vicarium in ædificatione corporis Eccleſiæ, *à cuius throno Apoſtolico Romanorum Pontificum*, vt monebat Cyrillus Alexandrinus, *noſtrum eſt quærere, quid credere, & quid tenere debeamus quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corripere, ſtatuere, diſponere, ſoluere & ligare, loco illius qui illum ædificauit, & nulli aliquod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, & Primates mundi tamquam ipſi Domino noſtro Ieſu Chriſto obediunt.*

Petrus Caput Apoſtolorum vnde Cephas dictus.

In lib. Theſaur.

Eccleſia inſuper, ad ſimilitudinem arcæ Noe, nauis ſymbolo ſignificatur. *Nauis*, ait Hilarius, *Eccleſiæ typum præfert, intra quam verbum vitæ poſitum & prædicatum, hi qui extra ſunt, & arenæ modo ſteriles atque inutiles adiacent, intelligere non poſſunt.* Itaque quemadmodum in naui vnus Nauarchus, in arca Noe vnus ipſe Præfectus; ita par erat, vt in naui Eccleſiæ, vnus eſſet Petrus: in cuius nauim Chriſtus aſcendit, in qua quieſceret, & ex ea turbas doceret, quamq; ſolus Petrus; *in altum* hoc eſt, vel *in profundum diſputationũ*, vel ad receſſum *remotiorum gentium, quibus Euangelium annunciandum eſt*, iubente Domino duceret. *Non turbatur iſta nauis*, ait Ambroſius *quæ Petrum habet; turbatur illa quæ Iudam habet. In vtraque Petrus. Sed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis. Non turbatur hæc nauis, in qua prudentia nauigat, abeſt perfidia, fides aſpirat. Neque enim turbari poterat, cui præerat is, in quo Eccleſiæ firmamentum eſt.* Petrus ſummus Eccleſiæ Nauarchus, Dux & roborator ſociorum, in partem ſollicitudinis vocatorum.

Eccleſia eſt nauis. *In Matth. c. 13.*

Eius vnus Nauarchus Petrus.

Ambroſ. lib. 4. in cap. 5. Luc. & Beda ibidem.

Iſtud quoque Primatum Petro fuiſſe conceſſum, non obſcure indicat, quod iubente Domino ſuper mari ambulauit. *Mare ſeculum eſt*, ait Bernard. *naues Eccleſiæ. Inde eſt quod Petrus inſtar Domini gradiens ſuper aquas, vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo ſed cunctis præeſſe deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cum quiſque cæterorum habeat ſuam, Petro & Romano Pontifici vna commiſſa eſt grandiſſima nauis facta ex omnibus, ipſa vniuerſalis Eccleſia toto orbe diffuſa.*

Li. 2. de conſid. Mare populus Nauis Eccleſia.

Quod Petrus *in ordine Apoſtolorum primus, in Chriſti amore promptiſſimus* præ cæteris Apoſtolis eſſet, ait Auguſtinus, *nec alius ita vt Petrus Chriſtum amaſſet*, vt refert Chryſoſtomus. Propter eiuſdem amoris vehementiam, quod plus alijs Chriſtum ſe diligere, tertio interrogatus, confeſſus eſſet, Chriſtus illum Paſtorem vniuerſalem omnium ouium, & agnorum pro ſe conſtituit, cum dixit; *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* Quaſi diceret; *Paſtorum tu vnus omnium Paſtor*, vt interpretabatur Bernard. *Vnde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues, ſi me amas Petre, paſce oues meas. Quas? Illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes. Nihil excipitur vbi diſtinguitur nihil.*

Ser. 13 de verb. D. in Matth. hom. 51.

Petrus Paſtorum omnium vniuerſalis Paſtor. *Li. 2. de conſid.*

Ferè eadem longè ante Arnobius aſſerebat. *Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur*, inquit, *qui eſt Epiſcoporum Epiſcopus; & maior gradus redditur ploranti, quam ſublatus eſt deneganti, vt non ſolùm recuperaſſe quod amiſerat probaretur, verùm etiam, & multò amplius pœnitendo quam negando perdiderat, acquiſiuiſſe. Quod vt doceam, illud oſtendo, quod nullus Apoſtolorum nomen Paſtoris accepit. Solus enim Dominus Ieſus Chriſtus dicebat. Ego ſum Paſtor bonus. Et iterum;* Me, inquit, *ſequuntur oues meæ. Hoc ergo nomen ſanctum, & ipſius nominis poteſtatem, poſt reſurrectionem ſuam Petro pœnitenti conceſſit, & ter negatus, negatori ſuo hanc quam ſolus habuit, tribuit poteſtatem.*

In Pſal. 138. Epiſc. Epiſcoporum.

Eius ardens amor in Chriſtum pœnitentiæ ipſius cauſa. *Li. 10. in c. 24. Luc.*

Idem vno ore Patres reliqui agnoſcunt. Ambroſius: *Eleuandus in cælum Dominus, Petrum amoris ſui velut Vicarium relinquebat. Quia enim ſolus Petrus, non ad tempus, aſſumptum, ſed iam dudum Deo cognitum teſtificatur affectum, ideò* OMNIBVS ANTEFERTVR. *Tertio deinde Dominus, non iam, diligis me, ſed, amas me, illum interrogauit, & iam non agnos, vt primo, quodam lacte paſcendos, nec ouiculas, vt ſecundo, ſed oues paſcere iubetur: vt perfectiores perfectior gubernaret.* Auguſtinus, in eundem ſenſum. *Sciebat Dominus, non ſolùm quòd diligeret, verùm etiam quòd plus illis diligeret eum Petrus: Itaque ait; ſi dilectionem tuam erga me habes, vbi oſtendas habes, vbi exerceas: Paſce agnos meos, ideſt, fratres meos.* Chryſoſtomus iiſdem verbis explicabat; *Si amas me*, inquit, *Fratrum curam ſuſcipias.* Itaque *Chriſtus Petrum auctoritate præditum eſſe voluit, ac reliquos item Apoſtolos longè præcellere*: quod is, addebat Nazianzenus, *fuiſſet omnium diſcipulorum Chriſti chariſſimus.* Cyprianus martyr, apud S. Auguſtinum, *Apoſtolatus principatum tenet: & in eo primatus Apoſtolorum excellenti gratia præeminet*, quod in eo omnibus dicitur, *Paſce oues meas.* Namque *in vno, figurabatur vnitas omnium paſtorum. Ideoque nullus neſcit illius Apoſtolatus principatum, cuilibet Epiſcopatui præferendum*: quod, *quamquam vna ſit martyrum gloria, diſtat tamen gratia cathedrarum.* S. Leo idem agnoſcit. *Inter beatiſſimos Apoſtolos, in ſimilitudine honoris, fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret: cum vni Petro ſupra cæteros poſt regni claues, ouilis Domi-*

In Ioan. tract. 124. & ſer. 124 de temp.

In Ioan. hom 87. & lib. 2. de ſacerd.

In orat. ad Iulian.

In Petro omnibus ouium Chriſti cura commiſſa.

Tract. 124. in Ioan. de baptiſ. cont. Donatiſ.

Lib. 2. cap. 1 de ſanct. ſerm. 24. & hæreſi 53. ad Anaſtaſ. Theſal. & ſer. 1. de aſcenſ. Domini.

Dominici cura mandatur. Optatus Mileuitanus, iſtud ipſum affirmat, *inque vna Epiſcopali cathedra Petri, vnitatem ab omnibus ſeruari debuiſſe* dicit, *ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent; vt iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret.*

De ſchiſm. li. 2. & 2.

Ipſius cathedram oppugnans ſchiſmaticus, & peccator.

Euſeb. ab hac vniuerſali cura omnes paſcendi, *Petrum fuiſſe Chriſtianorum Pontificem primum* ſcribit. Theophilact. iiſdem ferè verbis quibus Chryſoſtomus, *Totius orbis ouium præfecturam Petro commiſſam*, ſeu *Orbis terrarum curam Apoſtolorum principi demandatam ait: quia omnes præcellebat, & totius cœtus os erat.*

In Chron. in Matt. ... Ioan. ex hom. 87. in Ioan.

S. Hieronymus, Petrum vnum inter duodecim propterea electum à Chriſto fuiſſe refert, *vt CAPITE conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.*

Lib. 1. cont. Iouinian. in hom. de Paſtorib. & epiſt. 48.

Namque vt Auguſtinus repetit: *In ipſo Petro, Dominus vnitatem commendauit. Multi erant Apoſtoli, & vni dicitur, paſce oues meas: in tabernaculo paſtoris vbi eſt vnus grex, & vnus paſtor. Eccleſia enim vna,* addo ex Cypriano, *ſuper vnum, qui & claues eius accepit, Domini voce fundata. Eccleſia autem principalis, cathedra Petri, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt. Nam exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur:*

de rebaptiz. hæret. & lib. 1. epiſt. 3. & ad Quintum, & de unit. Eccl.

Paſtor Nauarchus, Paterfamilias Caput, Dux, Rex, ſacerdos, &c.

ab vno ſupremo Paſtore, Nauarcho, Patrefamilias, Capite, Duce, Regio ſacerdote, ſummo Pontifice, Fundamento totius ædificij ſpiritualis, Petro Apoſtolorum principe, quem, vt Leo concionabatur, omnes *omnium Epiſcoporum nouerunt eſſe primatem*, quique Arnobio, eſt *Epiſcoporum Epiſcopus, dependens.*

Serm. 3. in anniuerſ. aſſumpt. lib. 2. de ſacerd.

Cathedra Petri Roma à Deo deſtinata.

Neque tantùm Petrus, ſed & ſucceſſores Petri Romani Pontifices, Eccleſiæ Catholicæ Primatum obtinent. *Chriſtus enim ſanguinem fudit, vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat:* vt obſeruabat Chryſoſtomus. Placuit Deo Romanam Vrbem, huic cathedræ deſtinare. Iſtud longè ante per Prophetas prædicebat. Apud Hieremiam hæc dicit Dominus: *Ecce ego conuertam conuerſionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miſerebor, & ædificabitur ciuitas*, ſeu Eccleſia, *in excelſo ſuo*, id eſt, in vrbe Romana. Nam *Roma* Hebraicè *excelſum* ſignificat; *& glorificabo eos & non attenuabuntur: & cœtus eius coram me permanebit, & viſitabo aduerſum omnes, qui tribulant eum. Omnes, qui comedunt te, ô Sion, deuorabuntur, & vniuerſi hoſtes tui in captiuitatem ducentur; & qui te vaſtant, vaſtabuntur, cunctoſque prædatores tuos dabo in prædam. In nouiſſimo dierum intelligetis ea.*

Hierem. 30.

An hæc iam impleta ſint, in Eccleſia Catholica Romana quæ à Romanis præcipuè olim oppreſſa, fruſtra eſt oſtendere. Apud Michæam quoque dicebat Dominus, de Eccleſia perſecutionibus attrita, *In die illa, congregabo claudicantem, & colligam eam, quam afflixeram, & ponam eam in gentem robuſtam: & regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion, ex hoc nunc & vſque in æternum. Et tu turris gregis nebuloſa filia Sion, vſque ad te veniet, & veniet poteſtas prima, regnum filiæ Hieruſalem. Nunc quare mærore contraheris? Numquid Rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor ſicut parturientem? Dole & ſatage filia Sion quaſi parturiens, quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vſque ad Babylonem. Ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.*

Mich. 4.

Poſt graues afflictiones in libertatem reſtituta.

Impletum eſt tunc, quando Apoſtol. Princeps incipiens, ab Hieruſalem, per Iudæam & Samariam omnes pertranſiens, in campeſtribus regionum diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithiniæ, Eccleſiam circumduxiſſe, ac inde vſque Babylonem, illam purpura Imperatoria tumentem vrbem Romanam introduxiſſet, indidemque illam vniuerſam, robuſtam, ſeu Romæam (nam Roma Græcè, robur ſeu fortitudinem ſignificat) feciſſet: vt ibi de vniuerſis hoſtibus ſuis triumpharet. Verbum caro factum, inquit Magnus Leo, ita diuinam naturam naturæ vniuit humanæ, vt illius ad infirma inclinatio, noſtra fieret ad ſumma prouectio. Vt autem huius inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum diuina prouidentia præparauit.

Serm. 1. de natal. Petri & Pauli

Cuius ad eos limites incrementa perducta ſunt, quibus cunctarum vndique gentium vicina & contigua eſſet vniuerſitas. Diſpoſitio namque diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna vno confœderarentur Imperio, & citò peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis.

Finium eius maxima incrementa.

Hæc autem Ciuitas ignorans ſuæ prouectionis auctorem, cum penè omnibus dominaretur gentibus, omniũ gentium ſeruiebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem. Vnde quantum erat per diabolum tenacius illigata, tantum per Chriſtum eſt mirabilius abſoluta.

Omnibus imperans omniũ gentium ſeruit erroribus.

Nam cum duodecim Apoſtoli accepta per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent; beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtol. Ordinis, ad arcem Romani deſtinatus eſt Imperij, vt lux veritatis quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc vrbe non eſſent? Aut quæ vſquam gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hic conculcandæ philoſophiæ opiniones: Hic diſſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates. Hic confutandi dæmonum cultus. Hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione habetur collectum, quicquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum.

Expurgata ab his à Petro Apoſt.

Ad hanc ergo vrbem Beatiſſimus Apoſtolus Petrus venire non metuit & (conſorte gloriæ ſuæ Paulo Apoſtolo, aliarum adhuc Eccleſiarum ordinationibus occupato) ſyluam iſtam frementium beſtiarum, & turbulentiſſimæ profunditatis oceanum, conſtantior, quam cum ſupra mare graderetur, ingreſſus, nec mundi dominam timuit Romam, qui in Caiphæ domo expauerat ancillam. Sed eam *ciuitatem Regiam piſcator occupauit*, vt Chryſoſtomus teſtatur, & in ea *omnium maximam, & antiquiſſimam, & omnibus cognitam Eccleſiam fundauit*, vt inquit Irenæus; *cui totam doctrinam cum ſanguine ſuo profudit*, vt confitetur Tertullianus, & *cathedram in ea principalem erexit, vnde vnitas ſacerdotalis oriretur*, vt oſtendit Cyprianus, & *Simonem Magum* atque *vna cum eo idolomaniam & hæreſim, in ea extinxit*.

Petri in fundanda Eccleſia indefeſſa diligentia.

In Pſal. 48. lib. 3. cap. 3. in præſcriptionib.

vt ſcri-

Lib. de vnit. Eccleſ
lib. 2. hiſtor. Eccl cap. 13.
Mortuum reſuſcitat.
lib. 3. de vesti-dio hæreſ. c. 2. lib. 3. cont. Marcionem.
Scribit binas epiſt. Canon, *in Pontificali.*

vt ſcripſit Euſebius: & indidem *adoleſcentem defunctum, quem Simon Magus excitare non poterat, ad vitam renocauit*: vt Hegeſippus notauit, & in eadem vrbe, quam Babylonis titulo, *& ob magnitudinem*, quod Tertullianus obſeruabat, *& ob monarchiam, & quia non minus tunc perſequebatur Sanctos, quam olim Babylon perſequebatur Iudæos vnum Deum confitentes*, cognominauerat, *duas epiſtolas quæ Catholicæ, ac Canonicæ nominantur, ſcripſit*, vt Damaſus notauit. Et *Euangelium quod Marcus Auditor ſcripſerat, vt paſſim in Ecclesijs legeretur, auctoritate ſua ratum fecit*, vt Papias & Clemens Alexandrinus affirmant, & ad extremum, *cum victo Simone præcepta Dei populo ruminaret, caſtimoniamque doceret, occurrente iubenteque Domino, in vrbem, è qua fuſu Chriſtianorum iam egredi cœperat, reuerſus, capite deorſum ſtatuto (ſic enim perpeti cupiebat) cruci ſuffixus, cathedram Apoſtolicam quã XXV. annos tenuerat ſanguine fundauit, Clementem ſucceſſorem loco ſui in ea reliquit, Pontificeſque Romanos ſuos legitimos futuros ſucceſſores, Deo ita diſponente deſignauit*: adeo, vt *Cathedram Petri*, non aliam quam *Romanam Eccleſiam*, & *Romanam Eccleſiam*, non niſi *Cathedram Petri*, omnes Patres Latini & Græci intelligant, æque vt intelligunt, credunt, & fatentur, Petrum, Petrique ſucceſſores legitimè aſſumptos, in Eccleſia Catholica tenere Primatum. Vel ex titulis, quos Petro, & ſucceſſoribus attribuebant, & huiuſque vel ipſi etiam hoſtes attribuunt, libet, licet cognoſcere.

Eius martyrium.
apud Euſeb. lib. 2. c. 14. Ambr. in Auxentium. Euſeb. li. 3. c. 3. Hieron in epiſt. hom. Clem. ep. 1. ad Iacobum fratrẽ Domini.
Clemens ſucceſſor. Cathedra Petri Roman. Eccleſ. Primatus Petri, eiuſque ſucceſſorum Pontif. Rom. ex varijs clariſſimiſq; titulis.

Primus Apoſtolorum.	*Matth. 10. Auguſt. de verbis Dñi ſer, 12. & in Io: tract. 124. Epiph. in Ancorato. Ambr. in 2. Cor. c. 12. Cyrill. Hieroſol. Cathechesi. de Petro.*
Petra Fidei.	*Matth. 16. Chryſoſt. in Matth. hom. 58. & 3. & Patres Concilij Chalcedon. de Petro.*
Fundamentũ Eccleſiæ, Cœleſtis Regni Ianitor. In terreno Iudicio Iudex cæli.	*Matth. 16. Orig. in Matth. tract. 3. Cyrill. in Ioan. lib. 12. Hil. lib. 6. & 10. & in Pſal. 131. de Trin. Patres Concil. Chale. de Petro.*
Cephaz, ſeu Caput Corporis myſtici.	*Matth. 16. Cyrill. in Ioan. lib. 12. de Petro.*
Clauiger cælorum.	*Matt. 16. Optat. Milen. de ſchiſm. Donat. de Petro.*
Coripheus Fratrum.	*Luc. 22. Bern. epiſt. 190. de Petro.*
Paſtor Catholicus Agnorum & Ouium.	*Ioan. 21. Arnob. in Pſal. 138. de Petro.*
Supremus Diſcipulorum. Eminens Apoſtolorum vertex. Presbyterorum ſummus apex. Quaſi Chriſtus Pontifex, ijs quæ illi de Patris iuſtitia enunciata ſunt, interpres atque portitor; qui Deo charos admittat, & impios excludat.	*Dionyſ. Areopag. apud Mirantulanum Theoremate 13. & cap. 3. de diuinis nominibus de Petro.*
Primas Legationis.	*Patres Concil. Nicæni 1. de Petro.*
Primus Pontifex Chriſtianorum.	*Euſeb. in Chronico. de Petro.*
Principis Apoſtolorum ſucceſſor, præco veritatis.	*Ephraim Epiſ. Cherſon. apud Metapraſt. & S. Eucherius Epiſc. Lugdun. ad Valerian. de Clem. 1.*
Pontifex, Sanctæ & ſummæ Apoſtolicæ Sedis apicem gubernans, Petri Apoſtoli ſucceſſor, cuius auctoritate, opus Euangeliſtæ committitur.	*Hilduinus in Areopagiticis de Clemente 1.*
Antiſtes Apoſtol. Sedis, vnde religionis Gallicanę, propitio Chriſto, fõs & origo manauit.	*Epiſcopi Galliarum de Clemente 1. ad Leonem 1.*
Epiſcopus, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo fundatæ & cõſtitutę Eccleſię ad quam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam; hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles: in qua ſemper ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt, ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio: Apoſtolorum ſucceſſor.	*Irenæus lib. 3. cap. 3. de 12. Pontificibus Romanis proximis Diuo Petro.*
Pontifex Max. Epiſc. Epiſcoporũ, qui in alios edicta, & quidem peremptoria proponat.	*Tertullianus lib. 1. de pudicitia, de Zephyrino Papa.*
Epiſcopus Epiſcoporum, alios ad neceſſitatem obſequendi adigens.	*S. Cyprianus martyr in Synodo Carthaginen. de Stephano Papa 1.*
Antiſtes in loco & cathedra Petri ſedens, vnde vnitas Sacerdotalis exoritur.	*Idem in plurib. locis, de Fabiano Papa.*
Pontifex Catholicæ Eccleſiæ, quæ radix & matrix Eccleſiarum, à quo vno, vnitatis Eccleſiarum originem incipientem, Chriſtus auctoritate ſua diſpoſuit.	*Idem lib. 4. ep. 8. & libro de vnitate Eccleſiæ, & ad Iubaianum de Cornelio Papa, & in orat. de transfigurat. Domini.*
Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, dignus qui omnes reliquos, tantum fidei deuotione vincat, quantum loci auctoritate ſuperat, cui licitum Eccleſijs præſcribere; *Nihil nouandum, niſi quod traditum eſt.*	*Vinc. Lirinenſ. cont. hæreſ. cap. 9. de Stephano Papa.*

Summus

Summus Domini Sacerdos, Eccleſiaſticorum membrorum Caput validum,	*Maxim. Taurinenſ. de Sixto 1. homil. 2. in Natali S. Laurentij.*
Petri Apoſtoli ſucceſſor.	*Euſeb. lib. 3. cap. 4. de Alexandro 1.*
Princeps Sacerdotum, vniuerſalis Pontifex.	
Chriſtianæ religionis Caput, ab Imperatore cæleſti conſtitutum.	*Conſtantinus Imp. tom. 1. Concil.*
Vniuerſalis & Oecumenicus Patriarcha.	*Patres Concilij Chalcedonenſ.*
Vniuerſalis Archiepiſcopus.	
Apoſtolicus vniuerſalis Eccleſiæ Papa.	
Caput vniuerſalis Eccleſiæ.	
Ianiror cœli.	
Cuſtos vineæ Saluatoris.	
Petri Apoſtoli dignitate præditus,	
Omnium Eccleſiarum Caput,	*Eugenius Carthagin. Epiſc. apud Victorem lib. 2.*
Princeps Epiſcoporum.	*Optatus Mileuitan. lib. 2.*
Epiſcoporum Epiſcopus.	*Arnobius in Pſal. 138.*
Totius Orbis Magiſter. Præpoſitus, & Caput Fratrum.	*Chryſoſt. homil. 87. in Ioan. & in illa verba. Confirma fratres tuos.*
Rector domus Dei, quam columnam & firmamentum veritatis vocat Paulus,	*Ambroſ. Coment. in Timoth. cap. 3.*
Eccleſiæ Virginis Doctor.	*Hieron. in apolog. pro libris aduerſus Iouinian. & epiſt. ad Damaſum.*
Præfectus Domus, extra quam qui Agnum comedit, dignus non eſt cognoſci.	
Filius Chriſtianæ pacis.	*Auguſtin. epiſt. 162.*
Pater Chriſtianæ plebis.	
Glorioſiſſimus Patriarcha.	*Maxim. Taurinen. hom. 1. in Natali S. Laurentij.*
Vere Caput Epiſcoporum.	*Epiſ. ſecundæ Mæſiæ ex Conc. Chal. Leoni Auguſto*
Primus, qui cæleſtes claues dignus fuit accipere.	*Galla Placidia ad Theodoſ. Imper.*
Primus, & maximus Epiſcoporum.	*Concil. VIII. Conſtantinopol. cap. 21.*
B. Petri Apoſtoli Vicarius.	*Amator Epiſ. Sylu. Papæ, & Ennod. in l. Synodorū.*
Apoſtolicæ Sedis Præſul. prærogatiua Petri per vniuerſum orbem, Primatum obtinens Sacerdotij.	*Eulalius Epiſc. Syracuſan. in 3. Synodo.*
Petri Doctoris diſcipulus, doctus, oues Chriſti per totum mundum habitabilem ſibi creditas paſcere.	*Eccleſia Orientalis Symmacho Papæ.*
Sanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ, à Deo omnipotente electus Epiſcopus.	*Confeſſores Africani, Cornelio. apud Cyprian. epiſt. 49.*
Sanctiſſimus Pater Patrum, Princeps Epiſcoporum.	*Synodus veteris Epyri Hormiſdæ Papæ.*
Caput omnium Sanctarum Eccleſiarum.	*Iuſtinianus Imp. de Summa Trinit. & fide Cath.*
Primus omnium Sacerdotum, ſecundum quatuor Synodorum definitiones.	*Idem Conſtitut. 131.*
Totius Eccleſiæ, toto orbe diſperſæ Princeps.	*Damaſcen. lib. 3. epiſt. 3.*
Pater Patrum, vniuerſalis Papa.	*Patres Cyprij Theodoro Papæ.*
Pater Patrum, Summus omnium Præſulum Pontifex.	*Patres Synodorum Africanarum, Byzacenæ, Numidicæ, Mauritanicæ, & Proconſularis prouinciæ Theodoro Papæ.*
Vniuerſi Orbis terrę Patriarcha.	*Monachi Syriæ Orthodoxi Hormiſdæ.*
Angelicis meritis coęquandus, Pater Patrum, Papa.	*Andræas Epiſcopus Prænalitanus in Epiro. Hormiſdæ.*
Poſt Deum, omnium Iudex.	*PP. Concil. Chalcedonenſ.*
Epiſcopus cui Principatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit.	*Valentinianus Imper. ad Theodoſium Imper.*
In toto Orbe primus omnium Sacerdotum, Dominus, Apoſtolicus.	*Arator Poeta Vigilio.*
Caput omnium Eccleſiarum, atque vniuerſalis Eccleſię.	*S. Baſil. epiſt. 77.*
Potior omnibus auctoritate, ęternę vrbis Epiſcopus.	*Ammianus Marcellin. lib. 15.*
Eccleſiarum firmamentum.	*Patres Concilij Epheſini:*
Papa ſuper Eccleſiam mundi totius.	*Epiſ. Patharæ Iuſtin. Imp. Ap. Liberatū Breu. c. 22*
Beatiſſimus Papa.	*Synod. Conſtantinopol. 2. Act. 4. in ſententia contra Anthimum Patriarcham.*
Summus Pontifex magnę Sedis Apoſtolicæ.	
Beatiſſimus Pater, cui Chriſtus Sedem Apoſtolorum commiſit, eiuſque pedes firmauit ſuper firmam Petram,	*Orientales Epiſcopi Agapeto Papæ. ext. 1. Act. Quintæ Synodi Conſtantinopolit.*
Succeſſor Apoſtolorum.	*Mennas Patriarcha Conſtant. in Synodo 5. act. 1.*

Pater

Pater Summus, & Summus Paſtor, ac Vicarius Sancti Petri.	*Amator Epiſcopus Sylnerio Papæ.*
In toto Orbe terrarum gerens Pontificatum.	*Beda hiſtor. Eccleſiaſt. gent. Angl. lib. 3. cap. 1.*
Iam dudum ad fidem veritatis conuerſis Eccleſijs, Prælatus.	*Beda vbi ſupra.*
Apoſtolorum Princeps.	*Eulogius Patriarcha Alexandrinus in epiſt. ad Gregorium Papam ſcripta.*
Pater Patrum, Archiepiſcopus & Papa vniuerſalis, Sacer vertex, & fundamentum, ſuper quod Eccleſię columnę confectę ſunt.	*Sergius Cyprien. Epiſcopus, Theodoro Papæ in epiſt. qua citatur in Synodo Martini Papæ.*
Pater Patrum, & Summus omnium Pręſulum Pontifex.	*Primates & Epiſ. trium prouinciarũ Africæ, Numidiæ, Byzazij, & Mauritaniæ Theodoro Papæ.*
Summum Eccleſiarum caput à Chriſto Deo noſtro prępoſitum, in quo poſt Deum, corda omnium pendent.	*Abbates & Monachi Græci in Concil. Martini Papæ, tomo 2. Concil. pag. 776.*
Toto Orbe Apoſtolicus, & vniuerſalis Pontifex.	*Maurus Rauennatis Eccl. Epiſ. Martino Papæ in epiſt. quam ad eum Concil. præſidentem ſcripſit.*
Archiepiſcopus antiquę Romę, & vniuerſalis Papa.	*Conſtantinus IV, Imper. Donno Papæ.*
Antiquę Romę & Apoſtolicę Summitatis Pontificalis Antiſtes.	*Patres Concil. VI. actione 18.*
Apoſtolicus vir, & Petri Coriphęi εὔθρονος.	*Cedrenus in compend. hiſtoriarum.*
SS. Summus Pater Patrum, ęqualis Angelis.	*Theodorus Studita in dogmatica de adorat. SS. imaginibus exhiberi, & 1. epiſt. 33, & ſeqq.*
Apoſtolici Senatus Princeps.	
Beatiſſimus & Apoſtolicus Papa. Archipaſtor Eccleſię quę ſub cœlis eſt. Diuiniſſimum omnium capitum Caput. Coryphęa beatitudo. A Deo ordinatus Paſtor ouium Chriſti. Clauiger regni cœleſtis Apoſtolicum Caput. Coryphæus Pater. Luminare Oecumenicum. Fons Orthodoxę fidei purus &. incontaminatus. Fidei petra ſuper quam ędificata eſt Catholica Eccleſia. Petri Sedem ornans & gubernans, alter Petrus.	
Veteris Romę Primas, & Apoſtolicorum Principum ſucceſſor.	*Tharaſius Patriarcha Conſtant. in act. 2. Synod Nicænæ II.*
Principalis Sacerdotij dignitatem obtinens, Primus Sacerdos, in loco & Sede Sancti & ſuper laudabilis Apoſtoli Petri pręſidens.	*Conſtantinus & Irenes Impp. Hadriano Papæ in Sacra Diuali pro Synodo VII.*
Eminentiſſimum Sanctę Eccleſię membrum.	*Ionas Aurelianen. lib. 3. de cultu imaginum.*
Inter reliquos Paſtores inſignis, qui quod omnium commune eſt, ipſe ſingularis accepit.	
Pater Patrum, Primarię Sedis Apoſtolicę & vniuerſalis Eccleſię Papa.	*Hincmarus Rhemorum Archiepiſc. Hadrian. II. in epiſt.*
Sanctiſs. Papa, Senioris Romę, pręceteris Patriarchis honorandus, aduerſus quem nec in Synodo vniuerſali oportet dicere ſententiam.	*Concil. VIII. Generale 370. Epiſcoporum. Canone 21.*
Vnus atque ſingularis pręcellens, atque Catholiciſſimus medicus morborum qui in membris ſunt Chriſti, à Domino conſtitutus.	*Ignatius Patriarcha Conſtant. Nicolao I. Papæ in epiſt.*
Sanctiſſimus & Beatiſſimus Papa.	*Baſilius Imperator in actis Conc. VIII. General.*
Dominus Sanctiſs. ac Reuerendiſs. Pater Patrum, Catholicę atque Apoſtolicę Eccleſię, Sanctę videlicet Romanę primę Sedis Papa.	*Epiſcopi Galliarum in Concil. Trecen. Ioanni Papæ.*
Totius Chriſtiani nominis Summus Pontifex.	*Lanfranc. Archiepiſc. Cantbuarien. lib. aduerſ. Berengar.*
Sanctiſs. ac Reuerendiſs. Eccleſię Dei ſummum ſpeculum.	*Guitmundus de Sacramento Altaris.*
Summus, vniuerſalis Eccleſię Paſtor, & Pater.	*S. Eduardus Rex Angl. Nicolao Papæ.*
Omnium Chriſtianorum caput.	*Petrus Damian. in vita S. Odilonis Abbatis.*
Vniuerſę Eccleſię in terra peregrinantis Summus Pontifex, cui diuina prouidentia,	*S. Anſelmus Cantbuarien. Epiſcopus cap. 1. de incarnatione verbi.*

 vitam,

vitam, & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam commiſit.

Pater omnium Eccleſiarum. — *Leodienſes, Paſchali II. Papæ.*

Epiſcoporum Epiſcopus.

Chriſtus Domini, ad quem pertinet ſolicitudo omnium Eccleſiarum.

Vice Chriſti ſedens in cura Eccleſiaſticæ Cathedræ. — *S. Hildegardis, Eugenio III. Papæ.*

Caput Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ. — *Fridericus I. Imperator apud Radeuicum lib. 1. cap. 10.*

Pontifex à Deo electus, cui obediat omnis Eccleſia Sanctorum. — *S. Bernard. Guillelmo Comiti Pictauen. apud Theobaldum in vita eiuſdem Guillelmi eremitæ.*

Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Hæres Apoſtolorum, Primatu Abel. Gubernatu Noe. Patriarchatu Abraham. Ordine Melchiſedech. Dignitate Aaron. Auctoritate Moyſes. Iudicatu Samuel. Poteſtate Petrus. Vnctione Chriſtus. Præ participibus, poſt Chriſtum prothopaſtorem vnctus à ſpiritu. Nomen differentius præ alijs adeptus. Paſtorum & Ouium Paſtor. Chriſti Vicarius. In plenitudinem poteſtatis vocatus. — *S. Bernard. de conſiderat. lib. 2. cap. 9. Eugenio III.*

Vniuerſitatis Epiſcopus, qui ſæculum ipſum ſuſcepit gubernandum, qui non vni populo, ſed cunctis præeſt. — *Idem lib. 3. cap. 8.*

Forma iuſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertor veritatis, Fidei defenſor, Doctor gentium, Chriſtianorum Dux, amicus ſponſi, ſponſæ Paranymphus, Cleri ordinator, plebium Paſtor, Magiſter inſipientium, Refugium oppreſſorum, pauperum Aduocatus, ſpes miſerorum, Tutor pupillorum, Iudex viduarum, Oculus cæcorum, lingua mutorum, baculus ſenum, vltor ſcelerum, malorum metus, bonorum gloria, virga potentium, malleus tyrannorum, Regum Pater, legum Moderator, Canonum diſpenſator, Sal terræ, Orbis lumen, Sacerdos Altiſſimi, Vicarius Chriſti, Chriſtus Domini, Deus Pharaonis. — *S. Bernardus lib. 4. de conſideratione cap. 7. Eugenio III.*

Vicarius Chriſti, Patrem miſericordiarum repræſentans in terris. — *Guillelmus Comes Pictauorum, Eugenio III. apud Theobaldum in vita.*

Summus & vniuerſalis Papa. — *Gottof. Viterb. Vrb. III. in dedicator. hiſtor. vniuerſalis.*

Vicarius Crucifixi, ſucceſſor Petri: Sacerdos Chriſti, Chriſtus Domini, Deus etiam Pharaonis, quem conſtituit Deus ſuper Gentes & Regna, in omni plenitudine poteſtatis. — *Richardi Regis Angliæ mater Cæleſtino III. in epiſtola, quæ eſt apud Petrum Bleſen numero 141.*

Totius vniuerſalis Eccleſiæ ſponſus, & Rector. — *Alexander Ales 4. parte quæſt. 83. membro 3.*

Succeſſor Petri, quantum ad poteſtatem, & dignitatem. — *Guillelm. Pariſien. in tractatu de Sacramento Ordinis.*

Epiſcopus, cæteros alios Epiſcopos gloria antecedens. — *Niceph. Calliſtus lib. 4. cap. 38.*

Vnus Pater Patrum qui Papa merito appellatur, tanquam vnus primus & ſummus Pater ſpiritualis omnium Patrum, Paſtor omnium fidelium, & Hierarcha præcipuus, ſponſus vnicus, Caput indiuiſum, Pontifex Summus. Chriſti Vicarius, fons & origo, & regula cunctorum Principatuum Eccleſiaſticorum, à quo tamquam à Summo deriuatur ordinata poteſtas vſque ad infima Eccleſiæ membra, ſecundum quod exigit præcellens dignitas Eccleſiæ in Eccleſiaſtica Hierarchia. — *S. Bonauentura parte 6. Breuiloquij cap. 12.*

Ponti-

Pontifex; vniuerſalis Eccleſiæ habens Primatum; ad quem pertinet, ea quæ Fidei ſunt determinare. &c.	*S.Thomas Aquinas opuſc.contra Græcorum errores. ex authoritate antiquorum Patrum Orientalium.*
Summus ſacerdos, ſucceſſor Petri, Vicarius Chriſti, cui omnes Reges populi Chriſtiani oportet eſſe ſubditos, ſicut ipſi Domino Ieſu Chriſto.	*Idem S. Thomas libro de regimine Principum cap. 14.*
Vnus in plenitudine poteſtatis, ſucceſſor Petri, & Petrus in poteſtate.	*B.Albertus Magnus in cap.16.Matthæi.*
Totius Orbis Epiſcopus.	*Ioan. Andr. lib.6. Decret. c.Felicis.*
Omnium fidelium caput, cui in directione & confirmatione fidei ſtandum eſt atque obediendum.	*Guido Carmelita in ſumma de hæreſibus.*
Paſtor ouium Chriſti, cui in Petro Dominus ait, *Paſce oues meas*: cui nolentes obedire, deſinunt eſſe oues Chriſti.	
Doctor, quem Chriſtus ſpecialiter per gratiam ſuam dirigit & confirmat in fide, vt eius doctrina, & regimine perſeueret Sedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, ſine ruga aut macula hæreticæ prauitatis.	
Pater Patrum. Primas Eccleſiæ Catholicæ, cui ex lege Euangelica obediendum.	*Mich. Palæologus Imp. Orientis. Ioan. Vecchus Patriarcha Conſtantinop. cum Eccl. Græc. in Concil. Lugdun. Gregor. X.*
Throni Apoſt. ſucceſſor. ſpiritualis Pater Imper.	
Sponſus legitimus, vnius, ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ.	*Aluarus Pelagius in proœm. de planctu Eccleſiæ.*
Super omnes & Sacerdotes, & Epiſcopos, & Archiepiſcopos Papa, cui tota poteſtas iuriſdictionis, in ſuo fonte Petro data eſt à Chriſto: & penes quem reſidet plenitudo primatus huius poteſtatis.	*Durandus de S. Portiano 4. ſentent. d. 24. quæſt. 5.*
Vnus in tota Eccleſia vniuerſalis Rector, à quo deſcendit authoritas regendi in medios, vſque ad Rectores infimos. propter quem ſtat vnitas Eccleſiæ, vt omnia membra Chriſti, ſint ſub vno capite: cuius poteſtatem qui negant, ſchiſmatici dicuntur: quaſi vnitatis Eccleſiæ diuiſores.	*Durandus vbi ſupra.*
Primus & principalis Eccleſiæ Catholicæ Præſidens, qui ſolus habet plenitudinem poteſtatis, dans vigorem Conciliorum generalium ſtatutis: cui omnis Eccleſiaſtica poteſtas ſubeſt quantum ad correctionem abuſuum, & quantum ad inſtitutionem & collationem ipſius poteſtatis inferioris, & quantum ad auxilia ferenda.	*Herueus lib. de poteſtate Papæ.*
Caput Eccleſiæ, ſedens in ſede Chriſti, triplici authoritate & dignitate præcellens, ſcilicet ligandi animas & ſoluendi à peccato; pœnitentibus cœlum aperiendi, ac maledictis & contemnentibus claudendi.	*S. Brigida lib. 1. reuelation. cap. 41.*
Dominus Dominorum quantum ad poteſtatem, in quo omnis poteſtas quæ ſub cœlo eſt.	*Baldus in proœm. decretal. num. 6.*
Principis Apoſtolorum ſucceſſor.	*Maraus Neſtor. apud Iacob. Nauarinum in epiſt. Aſiatica.*
Epiſcopus qui præeſt toti Eccleſiæ.	*Richard. de media villa 4. ſentent. d. 24.*
Caput ſecundum à Chriſto, Pater noſter ſanctus, verus & ſolus Chriſti Ieſu Vicarius, cui omnes Principes & alij ſubiecti: Eccleſiæ ſupremus Monarcha.	*Ioannes Gerſon par. 1. conſideratione 8. & 4. part. ſerm. de vnitate & pace Græcorum.*
Summus Chriſti Vicarius in terris.	*Ioan. Vuiclef. Vrbano VI. in epiſt. apud Ioan. Foxium lib. 1. Comment. rer. geſtar.*
Generalis Pontifex, Regibus & toti Chriſtianitati Prælatus.	*Carolus IV. Imp. & Ludouic. Hung. Rex. S.R.E. Cardinalib. apud Theodor. Niem lib. 2. de ſchiſmate cap. 15.*
In vniuerſali Eccleſia vnicus Pontifex, cui omnes Catholici pareant.	*Franciſcus Zabarella Card. Florentin. in tractatu de ſchiſmate Pontificum.*
Princeps & Pater, quem Redemptor noſter	*S. Lauren. Iuſtin. Patriar. Venet. lib. de obedient.*

poſt Aſcenſionem ſuam, in terra vicem ſuam gerentem voluit habere in Eccleſia, ad quem vniuerſi confluerent, & apud quem totius Eccleſiæ eſſet authoritas.

Gerens vicem Dei in terris.

S. Bernardinus Senen. ſerm. 3. Marial. part. 3.

Pontifex, in vniuerſum Orbem tenens Primatum; ſucceſſor Beati Petri Principis Apoſtolorum, verus Chriſti Vicarius, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Pater ac Doctor, cui in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plena poteſtas tradita eſt; quemadmodum etiam geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.

Patres Concilij Florentin. ſeſſ. vlt.

Beatiſſimus Pater Patrum, ac Summus Eccleſiæ Pontifex, Romę veteris Papa, Domini noſtri Ieſu Chriſti Vicarius.

Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſeſſ. vlt. Concil. Florentini.

Primas Eccleſię Orthodoxę.

Gennadius Scholarius Patriarcha Conſtantinopolitanus in lib. pro Latinis contra Græcos.

Princeps Eccleſię Dei, ſuper agnos & oues.

Gregor. Trapezuntius in illud, ſic eum volo manere Nicol. V.

Sacerdotij perfectio, omnium Eccleſiarum Apoſtolicus Paſtor: Sacerdotum Princeps; peregrinantium, qui cęteris viam ſalutis oſtendat, Dux, & languentium medicus.

Ioan. Iacobita Alexandriæ, totius Aegypti, Lybiæ, Pentapoleos & occidentalis Africæ Patriarcha, Eugenio IV. apud Ioannem Nauarchum in epiſt. Aſiatica.

Caput, & vniuerſalis Eccleſiæ Doctor.

Andreas Abbas Syrus Vicarius Hieroſol. Eugen. IV. ibid.

Omnium Eccleſiarum caput; pluſquam Salomon; qui ſuo ſplendore Orbem illuſtrat; cui omnes Patriarchæ, Epiſcopi, Imperatores & Reges inclinant.

Rex Aethiopum Eugen. IV. ibid. apud Nauarchum.

Petra fidei, luporum repulſor, omnium Eccleſiarum caput, cęterorumque Patriarcharum Protector.

Philetus Alexandriæ, & Aegypti Patriarcha Eugen. IV. apud eundem Nauarchum.

Papa, cui in humanis diuiniſque omnes obtemperent.

Fridericus III. Imp. Eugen. IV. apud Platinam in Pio II.

Pontifex, qui ſuprema dignitatis pręſtantia vices Chriſti gerit in terris.

Franciſcus Philelphus in epiſt. ad Poggium & Laurentium Vallam.

Vicarius Dei viuentis. Princeps totius Eccleſię. Antiſtes Sacrorum, Dominici gregis Paſtor.

Ludouicus Francorum Rex XI. Pio II. in epiſt. dat. Turonis 27. Nouemb. anno 1461.

Pontifex, cui omnes Chriſticolæ Imperatores, Reges, Principes, & Domini temporales, nec non & omnes Patriarchę, Primates, Metropolitani & Epiſcopi, ac Religioſi cuiuſcunque ſtatus & conditionis exiſtant, ſunt ſubiecti, vt ſucceſſori Petri, & Vicario Ieſu Chriſti qui authoritatem & poteſtatem non accepit ab homine vel à Concilijs, ſed à Domino Ieſu Chriſto.

S. Antoninus 3. par. tit. 22. cap. 13.

Omnium Epiſcoporum in Eccleſia ſuperior, & ſub Chriſto totius Eccleſiæ Caput.

Nicol. de Orbellis 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 4.

Vicarius Chriſti, & Caput inter miniſtros Chriſti ſolus, à quo ad totum corpus myſticum & ſingulos miniſtros ipſius defertur poteſtas omnimoda.

Ioan. de Lignano tract. de cenſura Eccleſiaſt. nu. 5.

Ad plenitudinem ſtatus, ad Apoſtolicum thronum, & ad culmen omnium dignitatum aſſumptus, qui vicem veri Dei gerat in terris.

Rodericus Zamoren. lib. 2. de ſpeculo humanæ vitæ cap. 1.

Primus Paſtor, Summus Sacerdos, Petri Succeſſor, Chriſti Vicarius, cui dilectiſſima Chriſti ſponſa totius Orbis Eccleſ. commiſſa, omni cultu venerationis proſequendus.

Bernardus Iuſtinianus Princeps legationis Venet. Sixto IV. in oratione.

Vnus in terris quem Chriſtus ſibi Vicarium delegit, cui gregem ſuum committeret, & claues traderet Regni cœlorum.

Hector Fliſcus Orator Genuen. Innoc. VIII. in orat.

Sanctiſſimus Orbis terrarum Antiſtes & Rector.

Ioannes Camerarius Vuormatien Epiſc. Orator Bauariæ Ducis, Innoc. VIII. in orat.

Caput

Caput Catholicæ Fidei, Parens & Princeps diuino iuſſu, & humanę rationis vinculo generis humani.

Pomponius Lætus in Compend. hiſt. Romanæ.

Totius Dominici gregis Paſtor vnicus primus Sacerdos, ac ſupremus Pontifex totius Naniculę Petri gubernator, ſacroſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ baſis & fundamentum, Petri ſucceſſor, ac Optimi Dei Vicarius.

Iacobus Spinula Genuen. Orator. Alexandro VI. in orat.

Pontifex qui diuinitus ſuſcepit culmen Paſtoralis faſtigij & locum Summi Sacerdotij, Vicariatum Chriſti, quem Chriſtus non vni tantum Eccleſiæ, ſed vniuerſis, non in parte ſed in plenitudine pręeſſe voluit.

Iaſon. Maynus Orator Mediolanenſis Principis. Alexandro VI. in orat.

Epiſcopus, cuius locus terra ſancta eſt: locus Petri Principis Apoſtolorum, vbi ſteterunt pedes eius; locus illius, quem conſtituit Dominus Principem omnis poſſeſſionis eius. Hæres Apoſtolorum, cui ſtat inconcuſſum priuilegium; cui claues traditæ; cui oues creditæ ſunt.

Gentilis Epiſcopus Aretinus Orator Florent. Alexandro in orat.

Papa, cui obediendum eſt de neceſſitate ſalutis; cui, qui, cum Chriſtianum ſe aſſerit, obedire contemnit, peccatum paganitatis incurrit.

Bernard. Lutzemburgen. in reſponſione ad Lutherum partic. 8.

Verus Ieſu Chriſti Vicarius, totius Dominici gregis Paſtor, ab omnibus colendus.

Nicol. Tigrem. Lucen. Orator. Alexandro VI. & poſtea Pio III. Iulio II.

Indubitatus Ieſu Chriſti Vicarius verus Petri ſucceſſor. Chriſtianorum Princeps, & vniuerſalis Dominus, Vicaria Chriſti perſona, quam gerit in terris, vt diuina & cœleſtis colenda.

Petrus à Cordua Comes Capræ, & Hieronymus Balbus Epiſcopus Gurcen. Ferdinandi Archiducis Auſtriæ Oratores Alexandro VI.

Verus Chriſti Vicarius. Indubius Petri ſucceſſor: certiſſimus, totius ciuitatis fidelium Pontifex.

Enecus Mendoza Tendiliæ Comes. Ferdinandi & Iſabellæ Regum Hiſp. Orator. Innoc. VIII.

Vniuerſæ Chriſtianæ dignitatis Princeps, atque Moderator, veriſſimus Chriſti Ieſu Vicarius. Chriſtianæ reipublicæ Pater & Pontifex Maximus.

Albertus Præſul Veſprimen. & Ioannes Thurz Matthiæ Hungarorum & Boemorum Regis Oratores Sixto IV.

Verus atque vnicus Chriſti in terris Vicarius. Beati Petri ſucceſſor. Pontifex Maximus. Sanctę Romanę, ac vniuerſalis Eccleſię Antiſtes, totius religionis & fidei Chriſtianę Pręſul & Caput.

Ioannes Neunhauſer Decanus Ratiſponen. Alberti Bauariæ Ducis Orator. Innoc. 8.

Sanctę & vniuerſalis Eccleſię Paſtor: iuxta Apoſtolorum ſuper omnem Principatum, & poteſtatem, & omne quod nominatur ſiue in hoc, ſiue in futuro ſęculo, à Deo conſtitutus, totius Criſtiani populi Pontifex vniuerſalis. Sol & lumen mundi, verè eius vices gerens in terris, de quo Dauid in Pſalmo LXXI. & dominabitur à mari vſq; ad mare & à flumine vſque ad terminos Orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharſis & inſulę munera offerent; Reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes Reges terrę, omnes gentes ſeruient ei.

Ferdinandus Velaſcus Ioan. II. Luſitaniæ, & Algarbiorum Regis Orator. Innoc. VIII.

Paſtor Vicarius Chriſti, ſuper Orbis terrę commune ampliſſimumque domicilium, & ſuper omnes Chriſtianos filios conſtitutus.

Rodericus de ſancta Ella Sixto IV.

Pontifex, cuius dignitate nulla alia non modò non inueniri, ſed ne excogitari quidem excellentior in terris poteſt. Ieſu Chriſti Vicarius, qui à Magiſtro audire meruit. Tibi dabo claues regni cœlorum.

Bartholomæus Scala Florentinorum Orator. Innoc. VIII.

Verus, indubitatus, vnicus Domini noſtri Ieſu Chriſti Vicarius. Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſor. Eccleſię Catholicę Paſtor. Principum Princeps, ac Mo-

Guillelm. Caourſin Procancellarius, Orator Rhodiorum equitum Innoc. VIII.

narcha, quem Orbis Reges potentatuſ, ac mortales vniuerſi Catholica fide imbuti, colunt, à quo qui diſceſſerit tamquam ab Eccleſię vnitate abdicatus, ſchiſmaticus, intereat neceſſe eſt.

Summus Chriſtianorum Princeps, Chriſti Vicarius. Petri ſucceſſor, quem non ſecus, ac mortalem Deum colant omnes, venerentur, & obſeruent.

Ioannes Franciſcus Marlianus Ioan. Galeazij Ducis Mediolanen, Orator Innoc. VIII.

Verus Chriſti Vicarius. B. Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſor. in toto orbe terrarum Summus Pontifex.

Ioan. Cardin. Andegauen. & Comes Delphinus Caroli 8. Gallorũ Regis Oratores Innoc. VIII.

Principum Princeps. Paſtor Paſtorum.

A de Shinucijs Ep. Suanen. Orat. Senen. Inn. VIII

Totius reipub. Chriſtianę Princeps & Paſtor, ad ampliſſimum faſtigium, & culmen omnium dignitatum euectus, de cuius poteſtatis viribus diſputare ſacrilegum.

Robertus Guiba Epiſc. Trecoren. Franciſc. Ducis Britanniæ Orator Innoc. VIII.

Petrus Cheurerius Ducis Sabaudiæ Orator eidem Innoc. VIII.

Eccleſiarum Chriſti excellentiſſimus Princeps. Totius orbis Moderator.

Thomas ex Capitaneis Dominicanus, Regis Galliarum Orator Sixto IV. anno 1483.

Primus omnium mortalium, ſummus Hierarcha in terris, Chriſtiano populo tegendo, atque tuendo iure diuino Prelatus. Primatu Abel. gubernatione Noe. Patriarchatu Abraham. ordine Melchiſedech. benedictione Iſaac. dignitate Aaron. fęcunditate ſpirituali Iacob. auctoritate Moyſes. ducatu Ioſua. Zelo Phinees. fortitudine Samſon. Iudicio Samuel. Imperio Dauid. ſapientia Salomon. ſpiritu Elias. cœleſtiũ contemplatione Iſaias. vita Angelus. officio Deus. vnctione & regno Chriſtus, pręparticibus vnctus. poteſtate Petrus, cui non hę aut illę, ſed omnes oues datę.

Stephanus Tegliatius Archiepiſcopus Patracen. Innoc. VIII.

Chriſtianę gentis Dux & Paſtor vniuerſalis.

Marianus Genazanus eidem Innoc. VIII.

Triumphatoris Chriſti vicem gerens, in celſiſſima dignitatis ſede collocatus.

Petrus Grauinas Panhormitanus Alexandro VI.

Pontifex ab omnibus Chriſtianis audiendus, colendus, ſequendus.

Auguſtinus Philippus Florentinus Seruita. Leoni X.

Verus Chriſti Vicarius, legitimus Petri ſucceſſor. Apoſtolicę Sedis Pont. Max.

Parmenſes dedentes ſe Iulio II.

Verus & indubitatus Ieſu Chriſti Vicarius, Beati Apoſtoli Petri ſucceſſor, Pont. Max, ſummus Sacerdos. Dominici gregis Paſtor vniuerſalis. Regni cœleſtis clauiger, cui in Beati Petri Apoſtolorum Principis perſona, claues regni cœlorum à Domino Deo Saluatore noſtro Ieſu Chriſto traditę, commiſſaque Dominici gregis cura, ea auctoritate ac lege, vt quicquid in terris ſoluerit ligaueritve, id omne in cœlis ſit ſolutum aut ligatum: ſicque diſponit terrenus cœleſtia, & immortalia mortalis à diuina pendens voluntate atquę diſpoſitione.

Conſtantinus Cominatus Achaiæ & Macedoniæ Dux. Philippus Dux Burgundiæ, & alij Maximiliani 1. Imperatoris & Caroli Principis Hiſpaniarum Oratores. Iulio II.

In Seraphico throno ſedens, cœleſtis aulę ianitor, ęternę vitę clauiger. Indubitatus Petri ſucceſſor, veriſſimus Chriſti Vicarius. Totius gregis Chriſti Paſtor. Orthodoxę fidei & Catholicę religionis defenſor, vniuerſo Chriſtianorum cętui pręſes.

Diegus Pacettus, Emanuelis Luſitanorum, & Algarbiorum Regis Orator Iulio II.

Summi Dei locum inter mortales obtinens: quo nihil maius in terris dici aut fingi poteſt, cum cuius cœleſti maieſtate nullum diadema, aut Imperium comparetur, cui claudere cœlos, & aperire, detrudere ad inferos & eruere, quoſcunque velit conceſſum. Vniuerſas totius Orbis Eccleſias adminiſtrans, vt quicquid terrarum Oceano alluitur, quod quidem Chriſtiano nomine cenſeatur, omnes populi, prouincię, nationes, tam linguis varię, quàm moribus,

Bernardus Iuſtinianus Venetorum Orator Paulo II.

cœle-

cœleſtis eius Paſtoris vocem moderationemque depoſcant.	
Dei Opt. Max. Vicarius. Chriſtianę religionis antiſtes. Summus atque vnicus Eccleſię Paſtor. Petri ſucceſſor. Sacerdotum Maximus.	*Franciſcus Patricius Epiſcop. Caietanus Ferdinandi Regis Hiſp. Orator Innocen. VIII.*
Verus Chriſti Vicarius, in quo Chriſtus ipſe ſummus rerum opifex & Conditor, ac humani generis redemptor adorandus.	*Iulio II. Hieronymus Donatus Orator Venetus.*
Totius Dominici gregis Paſtor.	*Sebaſtianus Baduarius Eques, & Senator Venetus. Alexandro VI. nomine reipub.*
Indubitatus Chriſti Vicarius. Petri ſucceſſor. Orbis Paſtor & Dominus.	*Didacus Lupi Galliciæ Vicerex, Gandiſſalnus Fernandi Archiepiſc. Tarraconen. Bernard. Caruaial. Epiſc. Carthaginen. Ioan. Methina Epiſc. Pacen. Oratores Ferdinandi Regis Hiſp. Alexandro VI.*
Verus Chriſti Vicarius, legitimus Petri ſucceſſor, ac vniuerſalis Eccleſię gregiſque Dominici Epiſcopus & Paſtor.	*M. Montanus Rhodiorum Archiepiſcopus, Alexandro VI. pro Rhodienſib.* *Idem Ioan. Lucidus Cataneus pro Marchione Mantuæ, & Georgius Blandrata pro Bonifacio Marchione Montisferrati.* *& Petrus Cara pro Duce Sabaudiæ.* *& Ratil. Zeno Epiſ. S. Marci pro Ferd. Rege*
Sacerdos ſummus. Pontifex Maximus. Princeps Epiſcoporum: cui pro Deo optimo colla Regum & Principum ſubmittuntur, qui & in ſuperos, & in inferos habet Imperium.	*Michael Riſius Senator Iulio II. pro Ludou. XII. Rege Galliarum, Hieruſalem & Siciliæ.*
Nauiculę Petri Rector, Chriſti Vicarius. Paſtor vniuerſi gregis Chriſtiani. Apoſtolicę Sedis Rector, ac totius Orbis moderator: cui à Deo rerum omnium tributa poteſtas.	*Eraſmus Vitellius Epiſcop. Plocen. Iulio II. pro Alexandro Rege Poloniæ.*
Pontifex Maximus. Caput Eccleſię. Chriſti Vicarius, cuius officio, nihil in terris maius, illuſtrius, atque diuinius: faſtigio, nihil ſublimius; titulo, nihil excelſius.	*Ioann. Anton. Flaminius Forocornelien. Adriano VI. in epiſt.*
Pater Criſtianę plebis. Cuſtos & vindex religionis, cuius Sacroſancti Imperij clauibus omnia diuina & humana pateſcunt.	*Georgius Sauromanus Caroli V. Imp. Orator. Adriano VI.*
In auguſtiſſimo Petri ſolio, cum ſumma poteſtate in omnes, Pręfectus.	*Antonius Thyleſius Conſentinus, de Clem. VII.*
Vnicus in terris Ieſu Criſti Vicarius. Summus Eccleſię Antiſtes, ac indubitatus Petri ſucceſſor.	*Thomas Guichardus Rhodiorum Orator. Clementi VII.*
Chriſtiani nominis rerum molem in terra ſuſtinens. Pater pietatis, Iuſtitię iubar. Princeps fidei. Dux religionis, rerum arbiter. Catholicorum robur. Chriſtianę prolis Seruator. B. Petri ſucceſſor. Chriſti Ieſu verus Vicarius, cuius ſupremum tribunal in terris.	*Nanarius Bandinæus Eques. Senenſ. Orator. Paulo III.*
Summus Sacerdos. Diuinitatis imago. Chriſtianorum Pater.	
Pontifex, cuius Fides numquam deficit.	*Dionyſius Carthuſianus in Lucam art. 48.*
Vicarius Chriſti, cui ſuprema auctoritas in omnes conceſſa: qui eos & conſilio regat, & poteſtate cogat.	*Petrus Victorius Coſmi Florentiæ Ducis Orator. Iulio III.*
Primarius Eccleſię gubernator. Chriſti Vicarius, in eadem cum Petro poteſtatem, & auctoritatem ſuccedens. Sacerdos Magnus. Pontifex Summus. Princeps Epiſcoporum, hęres Apoſtolorum.	*Rodericus Caruaial Patriarcha Hieroſolymitanus in Comitio electionis Adriani VI. anno 1523.*
Angelicus Pontifex, poſitus à Deo ſuper gentes & regna, vt hęreſum & ſchiſmatum ſentes & radices euellat. Immaculatum Dei inſtrumentum, per quod conflans & emundans argentū, purget Dominus filios Leui.	*Zacharias Ferrerius Adriano VI. de reformatione Eccleſiæ.*
Pontifex proximus Chriſto in eius regni ſolio ſedens, regni Chriſti ſceptrum & claues	*Egidius Richardus Carmelitarum Procurator. Paulo III.*

diui-

diuinitus tenens, totius Orbis moderator penes quem Apoſtolici muneris ſumma, cuius nutu & imperio Chriſtianus populus regitur, cuius immenſo maieſtatis culmine, ſicut nihil ſublimius, ita nihil felicius.

In medio ignitorum lapidum ſedens; maximum nouę Ciuitatis Hieruſalem pondus ſuſtinens; non in Moyſi, ſed Chriſti vicem locumque ſuffectus, cui latiſſima Eccleſię facies per orbem longè latèque diffuſa, ad imperium nutumque patet, cuius ille Caput inuiſibili Spiritus oleo vnctum, cui Dei filius omne ſuper terram iudicium commune fecit: vt omnium tum Sacerdotum, & Pontificum, tum legum, ac Principum leges, atque iudicia examinet. Reipublicę Chriſtianę Pontifex maximus, copioſus diuinę ſapientię fons, in medio paradiſi, vniuerſam faciem terrę adeo irrigans, vt nullum ſit regnum, natio, aut prouincia, ad quam inexhauſta eius vena non pertingat. Paſtorum omnium in Eccleſia princeps, in quo cęleſtis via, veritas, & vita, Paſtoribus ipſis non tantùm ouibus reluceat. Poſt Chriſtum, omnium Parens.

Idem Paulo III.

Veriſſimus Chriſti Dei Optimi Maximi in terris Vicarius, ſacroſanctus, & maieſtatis plenus. Dux inuictiſſimus populi Chriſtiani, vigilantiſſimus Dominici gregis Paſtor. Indulgentiſſimus totius humani generis Parens.

Antonius Pratus Magnus Galliæ Cancellarius, Bononiæ, Leoni X. præſente Franciſco I. Galliarum Rege anno 1516.

Catholicæ Eccleſiæ Paſtor.
Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſor.
Redemptoris Crucifixi Vicarius.

Quantum Sol Lunæ, tantum Regibus antiſtans, cuius poteſtati, quę vſque ad tribunal Maximi Dei attingit, nulla ſimilis in terra. Paſtor vniuerſalis ouilis Dominici, cui claues regni cœlorum cum Petro datæ. Totius orbis Princeps.

Oratores { *Genuenſium.* *Senenſium.* *Lucenſium.* *Venetorum.* *Florentinorum.* *Parmenſium.* *Ducis Mediolani.* *Ducis Ferrariæ.* } Leoni X. pro obedientia.

Beatiſſimus Pater, cuius poſt Deum maxima eſt poteſtas, Imperium, & reipublicę gubernatio, cui incumbit Chriſtianæ fidei defenſio. Summus Princeps Eccleſiæ. Vicarius Chriſti. Pontifex Maximus, cui omnes deſcendentis Hieruſalem ciues & incolæ, non ſolum vt ſeparatim ſinguli, ſed etiam vt ſimul vniuerſi obedire debent: quemadmodum qui in ſuperna ſunt Hieruſalem ſancti, cum ſingulatim, tum vniuerſe, diuiſimque ac ſimul omnes vni omnium Creatori ſubſunt, patent, obtemperant, cui duplex gladius, vnus cum reliquis mundi Principibus communis, alter illi proprius, atque ita ſuus, vt illum nemo alius niſi ab eo habere poſſit quo is accinctus, intendit contra errores, contra hæreſes, contra diſſenſiones, denique contra inferni portas, errorum, hæreſum & diſſenſionum auctores. Rex Sacrorum, Summus Sacerdos, ab eo qui Rex Regum eſt, Paciſque Princeps, & Dominus Dominantium, Rexque pacificus ſuper vniuerſas humani generis poteſtates inſtitutus.

Thomas à Vio Caietanus Procurator Generalis Ord. Præd. in 2. ſeſſ. Concil. Lateran. Iulio II.

Pontifex Maximus, Dei vicem gerens in terris. Sponſus Catholicæ Eccleſiæ. Præpoſitus ſuper gentes & regna, vt deſtruat errores, euellat luxum, eruat vitia, inſtituat moderationem, plantet virtutem, ædificet ſanctimoniam.

Egidius Viterbien. Auguſtinianus Theologus in Concil Lateranem Iulio II.

Vniuerſæ

Vniuerſæ Eccleſiæ Præpoſitus. Vnus, verus, atque legitimus Chriſti & Dei Vicarius, in quo illud propheticum rurſus impleatur: Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Sponſus Matris Eccleſiæ, quam ab æterno Chriſtus cæleſtis eius ſponſus vltronea ſanguinis effuſione, ſibi prouidit; prouiſam lateri ſuo indiſſolubiliter copulauit; copulatam innumera, pulcherrima, ac feliciſſima prole in perpetuum propagauit. In cuius poteſtate, iudicio, ſententia, omnia Chriſtianæ reipublicæ iura, ſingula bonorum perfugia, innocentum præſidia, pœnitentium merita, malorum ſupplicia, Orbis cenſura, omnis denique temporum præteritorum memoria, ratio præſentium, ſpes futurorum, poſita & defixa eſt,

Antonius Puccius in 9. ſeſſ. Concil. Lateranen. Leoni X.

Saluator, qui Eccleſiam Catholicam ſaluet de manibus vaſtantium, & populum Dei de manu perſequentium liberet: totius populi Chriſtiani verus Pontifex, quem religioſiſſimum omnes boni venerentur, potentiſſimum omnes hoſtes metuant.

Simon Begnius Epiſcopus Modruſien. in Concil. Lateranen. Leoni X.

Vicarius Dei, in quo Deus ſibi obedientiam incommutabilem reſeruauit, inſtar illius quam in ligno paradiſi Adæ poſuerat, vt imperaret mũdo, & ſoli Deo vnicè ſeruiret & obediret; & tantam obedientiam à ſubditis exigeret, quantam ipſe Deo præſtaret. Iudex omnium, quem Deus ſibi ſoli indicandum ſeruauit, à cuius obedientia, quod duo Imperia, totq; & tanta regna, & Chriſtianorum dominia receſſerunt, ad ſpurciſſimam ſectam Mahumedi, cum maxima iactura reipublicæ Chriſtianæ, & regentium ea venerunt.

Stephanus Archiepiſcopus Patracenſ. in Concil. Lateranen. Leoni X.

Chriſti Vicarius, totius populi Chriſtiani Paſtor. Pacis donator, Iuſtitiæ defenſor, à quo Orbis Chriſtianus pacem, concordiam & tranquillitatem expectet, legitimus Petri ſucceſſor.

Ioann. Bapt. Gargos Senen. Rhodiorum Orator in Concilio Lateranen. Leoni X.

Verus, vnicus, canonicus, & indubitatus Pontifex, totius Dominici gregis Paſtor,

Hieronymus Vich, Ferdinandi Regis Aragonum Orator in Concilio Lateranen. Iulio II.

Vnirerſalis Eccleſiæ Summus Pontifex, cuius officium eſt pro defendenda S.R.E. matris omnium fideliũ vnitate, & ſanctiſſima contra Catholicæ fidei, & Crucis Ieſu Chriſti hoſtes expeditione ſuſcipienda, Concilium Oecumenicum congregare.

Sigiſmundus primus Rex Poloniæ Iulio II. in literis ad Concilium Lateranen.

Chriſtianæ reipublicę primus, & Caput, vnus Paſtor, vnius Euangelici ouilis.

Balthazar del Rio in concil. Lateran. Leoni X.

Pontifex, cuius decreta, quamquam minimè omnium popularia, ſed ſeuera & improbis triſtia, maximam tamen inter mortales omnes habent auctoritatem.

Chriſtophorus Longolius in oratione ad Lutheranos tempore Leonis X.

Iudex, potens definire omnia quæ in controuerſiam veniunt, quorum magis ambiguũ, & difficilius eſt iudicium, cuius ſententia adeo ſit rata, vt ab ea prouocare non liceat quem præclariſſimæ nationes, & populi in ſolida, & antiqua pietate puritatis fidei perſiſtentes, Pontificem Maximum agnoſcunt, & tamquam Chriſti Vicarium, Petrique ſucceſſorem, vt par eſt reuereantur, eiuſque decretis obtemperant: quod omnes Catholici ſemper fecerunt, qui & ſi cæteris Epiſcopis par ſit ordine, tamen ſublimior eſt munere, & poteſtate.

Albertus Pius Carponum princeps in reſponſione ad primam Eraſmi Epiſt. eodem tempore.

Totius Eccleſiæ Catholicę concordi ſententia

Gaſpar Schatzigerus lib. 9. de Primatu Rom. Pont.

in Sede B. Petri præſidens omnibus Antiſtes.

Vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus. Ieſu Chriſti in terris Vicarius. Petri Apoſtoli ſucceſſor, non quia Bernardus ſic docet, non quia Cyprianus, aut Hieronymus, aut Auguſtin. ſed quia Eccleſia Chriſti ab initio, ſecundùm ſucceſſionem ſerie tracta, ad hæc vſque tempora ex ſcripturis ſic credidit, tenuit, docuit, & prædicauit. — *Ioannes Driedo de Eccleſiaſt. ſcripturis lib. 4.*

Catholicæ Eccleſiæ Primas, ad quem omnes cauſæ Eccleſiaſticæ deferendæ. Paſtor ſupremus omnium. — *Catherina Regina Angliæ, Henrici VIII. vxor.*

Caput vnicum, præter quod non aliud viſibile in terris, viſibilis corporis myſtici, pro cuius dignitate, & auctoritate ſatius mori, quam viuere. Saluatoris Dei Vicarius. — *Martyres Angli tempore Henrici VIII. Regis apud Sanderum, Clementi VII.*

Maximus Quercentum Princeps, & ſummus Sacerdos.

Qui iura & leges Diuumque, hominumque gubernat.

Enſe potens gemino, cuius veſtigia adorant

Cæſar, & aurato veſtiti murice Reges.

Non Italæ ſolum gentes, ſed tota per Orbem

Sparſa æternas grates Eccleſia ſoluit. — *Baptiſta Mantuanus Carmelita Iulio II.*

Totius Orbis princeps, verus Chriſti Vicarius, in excellentiſſimo humani generis faſtigio poſitus, cui corporis Chriſti myſtici, & Eccleſię ſub Chriſti vexillo militantis, poteſtas libera, ampliſſimaq; Iuriſdictio, & habenæ ſunt demandatæ, non quidem per internuncios, ſiue Prophetas, ſeu Apoſtolos, vel Sanctos alios, ſed ab ipſa prima veritate Ieſu Chriſto, vero Domino & Deo noſtro, dicēte Petro, & in eo omnibus ſummis Pontificibus: Quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis. Caput Eccleſiæ, cui reliqua membra Chriſti connectuntur, cui qui ſubeſſe recuſant iure merito ſchiſmatici appellantur. — *Bernardus Zanc. Archiepiſcopus Spalaten. in 1. ſeſſ. Concil. Lateranen. Iulio II.*

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, Sacroſanctæ Romanæ, ac Vniuerſalis Eccleſiæ ſummus Pontifex. — *Maximil. 1. Imp. Sigiſmundus 1. Rex. Poloniæ, Emanuel Rex Portugalliæ Iul. II. & Leoni X. in Concil. Lateranen. in epiſt. Idem Laurent. Lauredanus Dux, Venet.*

Summum Caput, & communis omnium Magiſter, ac Doctor, qui in rebus ponderoſis, & dubijs ſemper conſulebatur. — *Alexius Epiſc. Melfitanus in 3. ſeſſ. Concil. Lateranen.*

Totius reipublicæ Eccleſiaſticę vnicus, atque ſupremus Princeps, cui ſumma data poteſtas, ac diuinum iniunctum Imperium, cui intereſt Eccleſiam vniuerſam, vt armis oppreſſam erigere, atque amplificare, ita moribus deprauatam reformare, corrigere, illuſtrare. — *Chriſtophorus Marcellus ſeſſ. 4. Concil. Lateranen.*

Verus, vnicus, & indubitatus Pontifex, totius Dominici gregis Paſtor, vniuerſalis Eccleſiæ Rector Maximus, Vicarius Chriſti, & Beati Petri Apoſtolorum Principis verus ſucceſſor; cui tamquam vni capiti, vniuerſum Eccleſiæ corpus ſubditum eſſe conſpicitur.

Sigiſmundus I. Rex Poloniæ.
Emanuel Rex Portugalliæ.
Maxim. Sfortia Dux Mediol.
Staniſlaus Dux Mazoniæ.
Carolus Dux Sabaudiæ.
Franciſc. Marchio Mantuæ.
Florentinorum S. P. Q.
Ioachimus Marchio Brandeb.
Marchio Montisferrati.
} Miſſis Oratoribus qui obedientiam Leoni X. deferrent in Concil. Lateranen.

Petra veritatis, Vicarius Chriſti, & vices Beati Petri gerens in terris. — *Patriarcha Maronitar. Leoni X. in epiſt. & Ioan. Rendeus in tract. de formul. diſpenſationum.*

Omnium Epiſcoporum, Patriarcharum, & cæterorum Eccleſiæ Patrum ſpiritualium Pater ſupremus, atque ſummus. — *Iodocus Clichtoueus Neoportuen. in expoſit. Canon. Miſſæ.*

Papa, omnium Ordinarius, Pater Patrum, qui concurrit cum omni Prælato in iuriſdictione, & à nullo dependet, & contra quem nullus eſt ſuperior. — *Iaſon Maino ad L. Qui Romæ §. Sciamus in Pandectis de verb. obligat.*

Miſſi-

Militantis Eccleſiæ Monarcha, & Hierarcha primus & ſummus, & Iudex à nemine mortalium iudicandus; qui vt Papa vel Caput, id eſt, ſi vtatur auxilio membrorum, & faciat bona fide quod in ſe eſt, quo intelligat veritatem, de fide & moribus decernendo nequit errare.

Syluester Prierias in epit. reſponſ. ad Lutherum lib. 1.

Pontifex, cuius poteſtati ſpirituali, omnis humana creatura ſubeſt.

Petrus Bertrandus de origine iuriſdictionum quæſt. 4.

Papa, cuius in arbitrium collata eſt totius mundi cenſura.

Ioan. Reuchlin lib. de arte Cabaliſtica Leoni X. cuius authoritati totum librum ſubiecit.

Epiſcopus Eccleſiæ, quæ apud veteris Eccleſię Patres, præ cæteris Primatum obtinuit, vt quæ Cathedram Diui Petri habeat, cuiuſq; Epiſcopi Succeſſores Petri habiti ſint.

Martinus Bucerus in præparatorijs ad Concilium.

Pontifex, omnibus alijs qui ſe Pontifices gerunt, diuina voluntate ſuperior Monarcha, & Primas Eccleſiæ: cuius voluntati qui contraueniunt, quiq; ſeſe ab eius authoritate ſubtrahunt, à Schiſmatis reatu non excuſantur: atq; grauiſſimè peccant, qui in diſſenſionem ſeſe tradunt eo quòd poteſtas illius à Deo, ſit iam robuſtiſſimè ſtabilita, à conſenſu vno omnium fidelium, qui hodie illi in vniuerſo mundo ſubſunt.

Martinus Lutherus in Reſolutionibus quarundam propoſitionum, anno Domini 1519. Reſolutione 13.

Papa, cuius poteſtas in Eccleſia eſt ſuprema, & à ſolo Deo inſtituta: quæ à nullo puro homine, nec à toto ſimul mundo poteſt reſtringi, & à qua iuriſdictionis authoritate ſuperior eſt tota vniuerſali, Eccleſia, & Cõcilio; & cuius iudicium in his quæ ſunt Fidei, & ad humanam ſalutem neceſſaria, de eis ſententiando errare non poteſt: & cui ſoli, in Petro & in eis, omnibus eorum ſucceſſoribus, non vniuerſali Eccleſiæ, quæ dicitur omnium fidelium Collectio, Claues Eccleſiæ collatæ ſunt.

Iannes Tetzelius in poſitionibus Francofordiæ ad Oderam editis anno Domini 1517.

Primas Apoſtolorum, & Orthodoxorum primus dignitate Princeps, atque totius Eccleſiæ Primas.

Eraſmus Rotherodamus in ſcholijs ad op. S. Hieronymi ad Damaſum Papam, & in reſp. ad exhorta. Alberti Pij Carporum Principis.

Diuino iuſſu hominum voluntate, præſcriptione temporis, Primas omnium Eccleſiarum, cui iam olim protinus poſt pacatum Orbem, omnes Chriſtiani Orbis Eccleſiæ obtemperant.

Henricus octauus Rex Angl. lib. de 7. Sacrament. aduerſus Lutherum art. 2. Leoni X.

Verus & legitimus Iudex hæreticorum, vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex.

Carolus V. Imperator, in edicto VVormatien.

Supremus poſt Chriſtum, à quo velut à Summo Capite Eccleſia Chriſti profluxit.

Ioan. Roffen. Epiſc. martyr. in art. 25. contr. Luterum.

Patriarcharum Summus, qui plenitudine adminiſtrationis, regiminis & poteſtatis cæteros antecellit: quam in vniuerſum ſuper totum gregem Chriſtianum tenet.

Patres Concil. Colonien. anno 1536. in enchiridio Inſtitutionis Chriſtianæ.

Pontifex, cuius Primatus ſuper vniuerſalem Eccleſiam eſt à Chriſto.

Patres Concil. Senonen. anno 1528. can. 17.

Petri Nauiculæ, Summus Nauarchus.

Patres Concil. Treueren. anno 1548.

Chriſti Vicarius, qui in Eccleſia gubernanda, obtinet ſummam, ac præcipuam poteſtatē inter cæteros omnes Dei miniſtros, ſeu Imperatores, ſeu Reges, ſeu Principes, aut quocunque alio nomine nuncupentur.

Reginaldus Polus Cardinalis lib. de Summo Pont. cap. 8.

Succeſſor Petri, in ea perfectione poteſtatis, & dignitate Vicariatus Chriſti, qua ipſe B. Petrus à Chriſto in Eccleſia eſt ſublimatus.

Clemens Monilianus Cardinalis Catholicarum inſtitutionum. cap. 57.

Sedens in Cathedra Petri, ſuper quem Chriſtus ædificauit Eccleſiam ſuam pro cuius fide propriè ſupplicatur, Dux & Princeps retinendę Eccleſiaſticę vnitatis, cui vni oues ſuas omnes Chriſtus commiſit.

Stanislaus Hoſius Cardinalis, Epiſc. Varmien. lib. 2. contra Brentium, & in Confeſſ. Fidei Catholicæ, cap. 26.

Omnium Epiſcoporum totius Orbis, ex Apoſtolorum doctrina, Princeps, Primus Epiſcopus, ouium Chriſti Paſtor, ac omnium Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum Caput.
Aethiopum Imperator Paulo III. Papæ, per Damianum à Goes Equitem Luſitanum Oratorem.

Primus omnium Epiſcoporum: tempore, dignitate & poteſtate præſtantiſſimus, primi omnium Apoſtoli ſucceſſor, cui omnes obtemperare oportet.
Remundus Rufus in Molineum pro Pontifice Romano.

Primas Metropolitanorum, ſummus amplitudine iuriſdictionis, & ſolicitudinis omnium Eccleſiarum, tenens legitima ſucceſſione Cathedram S. Petri Apoſtolorum Principis, quem Chriſtus ſingulariter ouili ſuo præfecit, & cui confirmationem Fratrum impoſuit.
Ioan. Gropperus Cardinalis in capitibus inſtitutionis ad pietatem.

Totius Orbis Epiſcopus, Paſtor atque Rector.
Gaſpar Caſalius Luſitan. de cœna & calice Domini lib. 3. cap. 18.

Totius regiminis Eccleſiaſtici Primas. Vniuerſalis Eccleſiæ Pater. Sacerdotũ Princeps. Petri Succeſſor. Totius Orbis Epiſcopus.
Reges & Patres Angliæ apud Polydorum Virgil. de rebus Anglicanis.

Pater Patrum. Apoſtolorum Maximus. Petrus noſtri temporis.
Neſtoriani Orientales Iulio III. Romæ 1553.

Paulus dierum noſtrorum, qui eſt loco Chriſti Domini & Dei noſtri, ſedens ſuper Sedem Petri Apoſtoli. Pater vniuerſi populi Chriſtiani, ſicut Petrus Caput omnium diſcipulorum.

Plantator Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt Sedes Petri, & Caput omnium Eccleſiarum.
Siud Patriarcha Neſtorianorũ Orient. Iulio III. in profeſſione fidei Romæ 1553.

Legiſlator, quem Chriſtus terris excedens, Eccleſiæ ſuæ, ac reipublicæ Chriſtianæ, cum ſumma poteſtate præfecit, ſuique loco inter homines eſſe voluit.
Ioan. Geneſius Sepulueda lib. 2. de ritu nuptiarum & diſpenſatione.

Confirmator Fratrum: Ianitor Domus, aduerſus quam portæ inferi non præualerent.
Ioan. Heſſels Louanien. lib. de perpetua Cathedræ Petri firmitate.

Totius familiæ Chriſti Oeconomus & Seruus Prepoſitus, totiusq; ouilis Chriſti Paſtor & Caput.
Guilelmus Lindanus Epiſc. Ruremunden. lib. 4. Panopl. cap. 85. ex S. Cypriano.

Totius Orbis terrarum Pater, & Patriarcha, in Petri Apoſtolorũ Principis cathedra ſedens; ſummum dignitatis gradum, & iuriſdictionis amplitudinem diuinitus datam obtinens: omnium fidelium, & Epiſcoporum, & cæterorum Antiſtitum, quocumq; illi munere & poteſtate præditi ſint Pater, ac moderator. vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor, Petri ſucceſſor, Chriſtique Domini verus, & legitimus Vicarius.
Cathechiſm. Tridentin. de Ordinis Sacramento.

Oecumenicus totius Orbis Chriſtiani Paſtor.
Xyſtus Senen. lib. 6. Bibliot. Sanctæ annot. 72.

Vicarius Chriſti Dei.

Paulus de Caſtro Conſ. 414. Andræas Barbatia ad Beſſarionem de præſtant. Card. Aeneas Syluius epiſt. 288. Titus Veſpaſianus Stroza Orator Ducis Ferrariæ Innoc. VIII. in oratione. Iacob. Chriſtopolitanus in Pſal. 106. Nicolaus Tigrinus Orator Lucenſium Alexandro VI. Aegidius Viterbien. in Concilio Lateranen. Driedo de Script. Eccl. lib. 4. Franciſcus de Sylueſtris Ferrarien. in Comment. cap. 76. libri 4. contra Gentiles S. Thomæ Aquinatis. Thomas Morus in libello pro libro Henrici VIII. Regis Angli. Petrus Soto in aſſertione fidei Catholicæ circa articulos Confeſſionis VVirtembergen. Hieronymus Oſorius Epiſcopus Syluenſis lib. 1. in Gualterum Haddonum. Thomas Elyſius in clypeo piorum. Vitellotius Cardinalis in præfatione operum Ioannis de Turre Cremata Pio Quarto. Manutius in præfatione lib. Cardinalis Poli de Concilio.

Petri Succeſſor. Pater Patrum.

Hector Pintus in cap. 36. Ezechielis. Paulus de Palatio in 16. c. Matth. Franciſcus Vargas lib. de Epiſcopor. iuriſdiction. Georgius Ederus in præfatione partitionum Cathechiſmi Catholici.

Caput vniuerſalis Eccleſiæ viſibile. Omnibus Epiſcopis ſuperior.

Ioannes Hugo Seleſtadien. in tractat. de officio 4. Prælat. Nicolaus de Orbellis 4. ſent. diſt. 24. qu. 4. Gabriel Biel lect. 23. in Sac. Canon. expoſit. Ruardus Tapper art. 17. in explicat. Louanien. Ioan. Viguerius in lib. inſtitutionum. Clingius in locis communibus lib. 3. c. 12. Fridericus Nauſea Epiſc. Viennen. hom. 89. Ioannes Quintinus in Ariſtocratia. Franciſcus Titelmannus in 7. cap. Cantic. Franciſcus Turrianus lib. 3. de dogmaticis characteribus verbi Dei. Pammelius ad 55. epiſtolam Cypriani. Paulus de Caſtro ſuperius.

Ordinarius Paſtor totius mundi:
qui iuriſdictiooem habeat vniuerſalem.

Ludouicus Gomes ad Regulas Cancellariæ. Franciſcus de Victoria lib. de poteſtate Eccleſiæ qu. 2. propoſit. 4. Clemens Monilianus Cardinalis Catholicarum Inſtitutionum cap. 57. Martinus Cromerus Epiſcopus Varmien. lib. 1. de falſa Lutheranorum religione. Iudocus Rauenſtein Tiletanus cap. 23. Franciſcus Sonnius Epiſcop. Antuerpien. in demonſtrat. errorum Confeſſionis Caluin. Patres Concilij Colonien. anno 536. in enchiridio.

Petra Eccleſiæ.

Hieronymus Seripandus Cardinalis, in Commentarijs epiſtolæ Diui Pauli ad Galatas.

Primas, ſuper omnes vniuerſi Orbis Eccleſias.

Fridericus Nauſea ſuperius. Thomas Campegius Epiſcopus Feltren. de poteſtate Romani Pontificis cap. 22. Remundus Rufus in Molinaum. Laurentius Surius in appendice ad Chron. Naucleri.

Monarchus Eccleſiæ.

Michael Medina de Sacror. hominum continentia lib. 5. c. 43. Renatus Benedictus in 16. c. Matth. Alanus Copus dial. 1. c. 20.

Summus inter omnes, habens plenitudinem poteſtatis, pro cuius fide Criſtus orauit.	*Franciſc. Titelm. in 7. cap. Cantic. Angelus de Clauario in Summa Angelica. Hoſius Card. in Confeſſione Catholic.*
Legiſlator.	*Alanus Copus Parænesis lib. 7. cap. 17.*
Iudex omnium Chriſtianorum, tam paruorum, quam magnorum.	*Petrus de Ancharano ad 6. Decretal.*
A nemine iudicandus.	*Ioan. Hugo ſup. Thom. Campegius ſup. Marianus Socinus ad tit. decretal. de foro competen.*
Super Concilia eſt, quæ confirmat.	*Ioan. Ant. Delphinus lib. 2. de Eccleſ. Thomas Card. Caiet. lib. de auctorit. Papæ. Guillelmus Eyſengreinius Cent. 11. Marianus Socinus ad c. Qualiter & quando ext. de accuſat.*
Pontifex Eccleſiæ Catholicæ, quę vnica ſponſa Chriſti, Apoſtolorum ædificium, Spiritus Sancti domicilium, communis omnium mater, Apoſtolicorum dogmatum nutrix fideliſſima.	*Chriſtophor. Sanctotiſius Burgen. Ord. Eremitarum S. Auguſtini in Concilio Tridentino anno 1563.*
Pontifex, cuius eſt vniuerſam Eccleſiam à periculis liberare, & Concilium Oecumenicum indicere, atq; gregem Chriſtianum, ne factionibus hęreticorum ſciudatur, conſeruare.	*Melchior Luſius Amannus Orator Septem Cantonum Heluetiorum Catholicorum ad Patres Concilij Tridentini.*
Paſtor, cui omnium ouium à Chriſto commiſſarum exactiſſima reddenda eſt ratio, qui quanto in loco ſuperiori conſtitutus eſt, tanto in periculo maiori verſatur. In cuius protectionem afflicta Eccleſia commendata.	*Ioannes Baptiſta Burgos Valentinus Auguſtinianus, ad Patres Concilij Tridentini.*
Pontifex vnicus, qui in regno Chriſti vicaria poteſtate præſidet illi Eccleſiæ, extra quam qui eſt, penitus extra veram religionem cenſendus eſt.	*Ludouicus Maioranus Grauinas Canonicus Regularis, ad eoſdem.*
Orbis vniuerſi Magiſter ac Paſtor, cui claues regni cœlorum dedit, & ſuper illum Eccleſiam ædificauit, & quo alios docere & in vera religione confirmare poſſet, ne eius fides deficeret, pro eo Chriſtus Patrem orauit. Cui Fratrum curam commiſit, & vniuerſo Orbi præfecit. Caput corporis Eccleſiæ, Chriſti Vicarius, Petri ſucceſſor, in quo omnes Chriſtiani quaſi membra compacti corpus Chriſti referunt.	*Cæſar Ferrantius Sueſſanus ad eoſdem.*
Vices Chriſti capitis gerens in terris, ſub quo, qui non eſt, non eſt in corpore, & qui hunc ſpernit, ſpernit & Dominum, qui cum hoc non congregat, diſpergit, qui ab hoc ſegregatur de libro Eccleſiæ decidit, & iam non eſt Chriſti, ſed Sathanæ.	*Ambroſius Catharinus Politus Senen. Ord. Præd. in 2. ſeſſ. Concil. Trident.*
Totius Eccleſiæ nauis Præfectus.	*Dominicus Soto Segobien. Theolog. Ord. Præd. ad Patres Trident.*
Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex Maximus, cui poſt Deum par eſt eſſe Regem ſubditum, ſuper omnes in terris Eccleſias Primas, cuius Imperia nunquam detrectanda.	*Cardinalis Lotharingus, Archiepiſcopus & Dux Remen. Primus Franciæ Par. Caroli Regis Galliarum nomine ad Patres Concil. Trident.*

Ponti-

Pontifex, cuius prouidentia & auctoritate ſingulari, Concilia generalia indicantur. — *Antonius Marinarius Carmelita. ad eoſd.*

Princeps terræ ſupremus. Clauiger cœli, ſummus poteſtatum apex. — *Paulus Paſſota S. T. Profeſſor ad eoſdem.*

Supremus Eccleſiæ Paſtor, Petri ſucceſſor. Eccleſiæ Catholicæ Caput & Princeps, & Paſtotis Chriſti Vicarius. quem Concilia omnia iam inde ab illo primo Nicæno, quem antiqui Patres, quem Sedes omnes Patriarcharum & Epiſcoporum toto Chriſtiano orbe diffusè ſummum Chriſti Vicarium agnouere, à quo ſemper tamquam à Capite in membra, incorrupta ſemper ſinceră & integra fides in reliquum Eccleſiæ corpus promanauit, cui omnes Eccleſiæ Ordines, cui omnes Chriſtiani Principes, Tetrarchæ, Imperatores, tamquam ſupremo Eccleſiæ Principi, Chriſti vices gerenti, collum faſceſque ſubmiſerunt. — *Patres Concilij Trident. apud Petrum Fontidonium in oratione pro Concilio Trident.*

Primæ Sedis & Catholicæ, & vniuerſalis Epiſcopus, cui collapſos mores Eccleſiaſticorum Regum, Principum, & plebium, ad normam veræ pietatis & diſciplinæ reuocandi cura. — *Cornelius Epiſc. Bitontinus in Concil. Tridentin. pro Concione.*

Sanctiſſimus Dominus, cuius munus, atque præcipuum officium eſt Concilium Oecumenicum indicere, & reipublicæ Chriſtianæ non deeſſe. — *Didacus à Mendocia Caroli V. Imp. Orator ad Patres Concilij Tridentini. Idem Ioann. III. Luſitaniæ & Algarbiorum Rex in literis.*

Petri ſucceſſor, reliquorum Epiſcoporum, & dignitate, & auctoritate Princeps, ad quem cæteri, vt ad Caput referantur. — *Petrus Daneſius Orator Regis Gallorum ad eoſdem coram.*

Non minor Petro, dignitatis ſubſtantia, & officio, veriſſimus Chriſti Vicarius. — *Petrus Fragius Doctor Theologus ad eoſdem.*

A Deo vocatus Pontifex vt Aaron, cui in B. Petro dictum eſt; Tu vocaberis Cephaz in quo ſicut Nauclero hominumq; Piſcatore totius ſit regimen animantis, & vitalis inde fluxus in totum corpus deriuetur. — *Saluator Salapuſius Archiepiſcopus Turritanus in eodem Concilio.*

Eccleſiæ Orthodoxę Caput, omnia potens in eo qui nos confortat, cui Eccleſiæ ſalus & dignitas, omni dignitate prior, cui authoritas Concilij indicendi. — *Leonardus Aretinus Auguſtinianus ad Patres Concilij Trident.*

Præſidens generali Concilio, ſicut rector, Moderator & Caput totius Eccleſiæ militantis, velut ſucceſſor Petri Principis Apoſtolorum & Chriſti Vicarius in terris. Paſtor vniuerſalis vocatus in plenitudinem poteſtatis, ſuperior auctoritate vniuerſo grege Chriſti: cui competit generalem Synodum euocare, terminare, nec non ſummi Iudicis officio fungi. — *Ioan. Maria Verratus Carmelita ad Pium 4.*

A Deo tamquam Aaron vocatus, ſuper gentes & regna poſitus Pontifex Max. — *Maximilianus Beniamius Minorita ad Patres Concilij Tridentini.*

Plena poteſtate Sedis Apoſtolicæ defungens. — *Orator Alberti Ducis Bauariæ ad eoſdem.*

Tanta auctoritate, quanta maior in terris nuſquam eſſe poteſt. — *Laurentius Lauretus Venetus Carmelitanus ad eoſdem.*

Totius Chriſtianæ, Catholicæ, Apoſtolicæque reipubl. ſummus ac verus Pontifex. — *Bartholomæus Mariſcotus in Synodo Fauentiæ de vtilitate Concilij Tridentini.*

Summus Pontifex, & Paſtor ouilis Catholici Chriſti Vicarius. Petri ſucceſſor. — *Ioan. Faber Epiſc. Vienen. Paulo III. pro indicendo Concilio.*

Eccleſiæ Catholicæ Summus Præſul. — *Claudius Fernandez Quignonius Comes Lunen. Philippi Regis Catholici Orator ad Patres Concil. Trident.*

Summus Paſtor, cui Chriſtus Dominus in Petro, Eccleſiæ ſuæ gubernacula commiſit. — *Gaſpar Cardillus Villalpandeus ad eoſdem.*

Pontifex eius Eccleſiæ, quæ propter eminentiam & dotes, quas in Petro ſuſcepit à Domino, ſuper cunctas alias ſupremum Magiſterium & Ducatum obtinuit. Viſi- — *Gaſpar à Foſſo Archiepiſcopus Rheginus in Concil. Trident.*

bile

bile caput Eccleſiæ & miniſter, per quem illius molem vniuerſam ſuſtineret, & gregem ſuum viſibilem inuiſibilis ille gubernaret.

Apoſtolicæ dignitatis faſtigio Maximus Pontifex, cui reipublicæ Chriſtianæ cura & ſollicitudo diuinitus tradita.

Ferdinandus Martinez Maſcarenius Sebaſtiani 1. Portugalliæ & Algarbiorum Regis Orator ad Patres Tridentinos.

Lumen vniuerſam Eccleſiam illuſtrans, cui ante omnes alias grauiſſimas vrgentiſſimaſque curas, præcipua indicendi Oecumenicam Synodum, ſpinis ex agro Dominico reſecandis.

Antonius Maglitius Archiepiſcopus Pragen. & Gregorius Draſconit Epiſcopus Quinque Eccleſien. Oratores Ferdinandi Romanorum Imperatoris electi. ad Patres Concilij Tridentini.

Reipublicæ Chriſtianæ Pontifex Maximus, Parens Optimus, & tutor fidelis.

Franciſcus Ferdinandus Daualus Marchio Piſcariæ. Philippo II. Regis Hiſpan. Orator ad Patres eoſdem.

Fidelis Adminiſter vniuerſalis Eccleſiæ. verus Chriſti Vicarius, omnium animarum Paſtor & cuſtos, cui in Beato Petro Sanctarum clauium munus diuino numine traditum. Chriſtianæ religionis conſeruator.

Ioannes Strozius Coſmi Ducis Florentiæ Orator. ad eoſdem.

Dei maximi vices in terris gerens, ea dignitate, qua ne fingi quidem excelſior vlla poteſt.

Andreas Duditius Epiſcopus Tininien. & Ioan. Syluester Coloſuarinus Epiſcopus Chanadien. Nicolai Olahi Archiepiſcopi Strigonien. ac prælatorum, totiuſque Cleri Hungariæ Oratores. in Concilio Tridentino.

Parens omnium gentium quotquot Chriſto nomen dederunt, dabuntque olim. cui ſollicitudo omnium Eccleſiarum incumbit.

Franciſcus Richardotus Epiſcopus Attrebaten. in 8. ſeſſione Concilij Tridentini.

Vicarius Chriſti cui ab omnibus parendum; cui in Petro oues ſuas paſcendas regendaſque Chriſtus commendauit.

Ioannes Cardinalis Moronus in Concil. Tridentino.

Summus Chriſti Vicarius.
Petri nauiculæ gubernator & defenſor.
Petri Principis Apoſtolorum legitimus ſucceſſor.
Paſtorum & ouium Paſtor.
Clauiger cæli.
Eccleſiæ vniuerſalis Moderator.
Vigilantiſſimus gregis Chriſti Paſtor ſupremus.
Pater omnium Chriſti filiorum. quem omnes audiant; & ab eodem doceri, moueri, gubernari, moderari, & regi omnes ſuſtineant.
Conciliorum auctor, moderator, & confirmator.
Epiſcoporum Iudex.
Chriſtianorum omnium arbiter: cui omnium Eccleſiarum curam vicariam Chriſtus commiſit.

Camillus Campegius Theologus Dominicanus Inquiſitor Ferrarien.
Eugenius Piſaurenſis Theologus Eremita Auguſtinianus.
Ioannes Franciſcus Lombardus Theologus Neapolitanus.
Paulus Guidallus Medicus Tridentinus.
Petrus Fauonius Iuſtinopolitanus.
Franciſcus Vicedominus Theologus Minoritanus.
Antonius Cancius Archiepiſcopus Patracen.
Seraphinus Caballus Prouincialis Terræ Sanctæ Dominicanus.
Auguſtinus Loſcos Abbas Caſſinen.
Thadæus Peruſinus Auguſtinianus Eremita.
Franciſcus Orantius Theologus Minorita.
Antonius Monchiacenus Demochares Doctor Sorbonicus.
Hieronymus Ragazonus Epiſcopus Nazianzenus.
Didacus de Paxua. Andradius Luſitanus.
Ioannes à Ludegna Madritanus Dominicanus.
in Concilio Tridentino pro Concionibus.

Pontifex Maximus, cuius ſuprema poteſtas à Deo, à nullo conſenſu hominum pendet, cui in Petro Apoſtolo claues Regni cœlorum plenè & perfectè, non quemadmodum alijs per participationem quandam ab eo deriuatæ poteſtatis datæ. Paſtor Chriſtiani gregis, ad quem omnia ſpectant, quæcumque pertinent ad ſanitatem, ad curationem, ad directionem ouium, ſeu intra ſepta detinendæ eſſe videantur, ſeu ducendæ, vel curandæ, vel à reliquo grege ablegandæ, vel etiam acriore medicina ſanandæ.
Gaſpar Contarenus Cardinalis de poteſtate Pontificis.

Vniuerſæ Chriſtianæ reipublicæ Antiſtes.
Cynus Campanus Auximas Paulo IV. in orat.

Chriſti Seruatoris noſtri perſonam in terris agens, quem vniuerſi qui Chriſtianam religionem profitentur debeant venerari. Summum in Eccleſia gradum tenens. Summus Eccleſiæ & gentis Chriſtianæ Antiſtes. cuius arbitrio potentiſſimi Reges & cuncti Principes Chriſtiani parere debeant.
Alexander Leonardus Pio IV. in orat.

Pontifex, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum poteſtate & auctoritate referens.
Vbertus Follieta. in Comitio Cardinal. ante electionem Pauli IV.

Pontifex, ſumma in Chriſtianum populum auctoritate & poteſtate.
Ferdinandus Meneſius Sebaſtiani Portugalliæ & Algarbiorum Regis Orator. Pio V.

Catholicæ Dei Eccleſiæ Antiſtes. Chriſti Vicarius.
Ioan. Gometius de Sylua. eiuſdem Regis Orator. Gregorio XIII.

Chriſti Dei Pontificis in terris Vicarius.
Innicus Mendocius Batiræ Præfectus Comes Tendilæ Philippi II. Regis Hiſp. Orator. Pio IV.

Pontifex Paſtoralis faſtigij culmen, cœli proximè verticem attingens. Supernæ maieſtatis Chriſti Ieſu Dei noſtri verus in terris Vicarius. legitimus Petri ſucceſſor, vniuerſæ Orthodoxæ fidelium Eccleſiæ vnicus Pater. Summus Sacerdos, ſanctiſſimus Paſtor.
Ambroſius Spinula Genuenſ. reipubl. Orator. Pio IV.

Pontifex Maximus ſupremus omnium Princeps.

Catholicæ Dei Eccleſiæ Antiſtes, vim & numen immortalis Dei in terris referens.
Achilles Statius Rhodiorum militum Orator. Pio V.

Clauum in Eccleſiæ naui tenens, à cuius nutu pendent leges. cuius ad pedes Reges ipſi ſuppliciter ſe abijciunt. cuius arbitrio panditur cœlum, ſupra omne humanæ dignitatis faſtigium euectus, Dei vicem inter homines gerens. cum Summo Imperio tractans gubernacula Eccleſiæ, cuius voluntas pro lege, vox pro oraculo.
Ioannes Babo à Burdæſia. Franciſci II. Galliarum Regis Orator. Pio IV.

Supremus Regni cœlorum, hoc eſt Eccleſiæ Catholicæ Moderator, Paſtor & Iudex. cuius pedibus vniuerſus Orbis Chriſtianus aduolutus. Chriſti veri Dei partes & perſonam ſuſtinens. cui Regum ſceptra, & Imperatorum faſces ſubmittantur.
Petrus Fontidonius Segobien. S. T. D. Pio V.

Verùm totius Eccleſiæ Caput, ſine quo cætera membra diſſoluuntur. Verus Petri ſucceſſor, cui cœli claues datæ ſunt. cui Chriſtus Dei filius oues ſuas commiſit & credidit: & quem venire ad ſe ſuper mare relicta nauicula iuſſit, non vt nauem, hoc eſt Eccleſiam vnam, ſed vt mare, hoc eſt totum genus humanum gubernandum ſuſciperet. cui Reges Chriſtiani obediant.
Cincionius Comes, Philippi II. Britanniæ, Franciæ, Neapolis Regis & Hiſpaniarum Principis Orator. Paulo IV.

Verus Ieſu Chriſti in terris Vicarius.
Petrus Albretius, Antonij & Ioannæ Regum Nauarræ Orator. Pio IV.

Certiſſimus Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſor. Communis totius Eccleſiæ Chriſtianæ Paſtor ac gubernator.

Ieſu Chriſti vicem gerens in terris.

Curam omnium Chriſtianorum habens.
Petrus Barzius Senator Sigiſmundi Auguſti Regis Poloniæ Orator. Pio V.

Aucto-

Auctoritate in omnes præſtans.	
Communis totius Eccleſiæ Paſtor.	
Sacrorum omnium Princeps.	*Pomponius Cotta Orator Mediolanen. Pio IV.*
Dei Vicarius. Princeps & Parens Deo ſimillimus.	*Petrus Magnus Octauij Farneſij Ducis Placentiæ Orator Gregorio XIII.*
Pontifex eo loco collocatus, infra quem cæteri homines ſunt.	*Paulus Theupulus Venet. Orator eidem.*
Summus Eccleſiæ S. Dei Paſtor. verus in terris Chriſti Vicarius.	*Lucas Furnarius Genuen. Orator eidem.*
Optimus Maximus totius Eccleſiæ Paſtor.	*Auguſtinus Buccius Emanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis Orator eidem.*
Chriſtiani gregis Paſtor & Rector Summus Eccleſiæ Catholicę ſummam in cœlo & in terris poteſtatem à Domino Ieſu Chriſto obtinens.	*Melchior Luſſius Heluetiorum Orator eidem.*
Sanctę Romanę Catholicę & Apoſtolicę Eccleſię Pater. Paſtor. Pontifex.	*Ioan. Rodericus Santa Crucius Dux Naiaren. Philippi II. Hiſpan. Regis Orator eidem.*
Chriſti Vicarius. Petri ſucceſſor, ampliſſima in Chriſtianos omnes poteſtate.	*Martinus Berzenicius Stephani Bathorei tunc principis Tranſiluaniæ Orator eidem. & M. Antonius Muretus Caroli IX. Gallorum Regis Orator eidem. & Ioan. Baptiſta Guarinus Alfonſi Ateſtini. Ferrariæ Ducis Orator eidem.*
Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex in Sede Petri collocatus. Clauum tenens vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ. S.R.E. legitimus primus Paſtor Pontifex.	*Manriquez de Laza Dux Naiaren. Philippi II. Hiſpan. Regis Orator eidem.*
Orbis non Vrbis Epiſcopus. Chriſti Saluatoris Vicarius Paſtor. Petri iuſtus in Pontificatu ſucceſſor. Eccleſiæ vniuerſæ caput, vertex & coriphæus. Verè denique Oecumenicus qua late patet Chriſtianus orbis Patriarcha.	*Iohan. Molineus Belga eidem. & Iohan. Baptiſta Bernardinus Epiſcopus. Adiacen. Orator Lucen. eidem.*
Pontifex Romæ, & in Romana Sede orbem vniuerſum adminiſtrans.	*Antonius Motta Vliſſiponen. eidem in orat.*
Ad Petri nauis gubernacula regenda vocatus. Non vni Eccleſiæ ſed omnibus prælatus. Locum obtinens ſummi Sacerdotij.	*Conſtantius Cangelus Caſenas eidem in panegyrico.*
Sol Chriſtianitatis.	*Franciſcus Ferd. Galuanus in publica actione S. Inquiſitionis Conimbricæ Sixto V.*
Orbi regendo illuſtrandoque datus.	*Aldus Manutius eidem. in orat.*
Omnium populorum ac gentium, totiuſque Orbis Princeps & caput. Cuius maximo auguſtiſſimoque Imperio ipſi quoque ſic ſubiecti ſunt Principes, Reges, Imperatores, vt illum obſeruent. colant, adorent.	*Lucius Brancadorus Firmanus eidem in orat.*
Ad Eccleſiæ ſupremum culmen euectus.	*Ioan. Fernandez de Velaſco Magnus Caſtellæ Comeſtabilis Dux Feriæ, Comes Hari, Orator Philippi II. Hiſpan. Regis Sixto V.*
Vaſtæ nauis Eccleſiæ gubernator. Nauigij B. Petri clauum tenens. Ad ſummum humanæ celſitudinis culmen euectus. Ieſu Chriſti Vicarius.	*Ioannes Viuonius Marchio Piſonij. Henrici III. Galliar. Regis Orator eidem.*
Summus Sacrificator. Parens humani generis. Diuum hominumque internuncius, cum ſuperis homines, cum hominibus ſuperos concilians. In B. Petri Apoſtoli ſedens ſolio.	*Franciſcus Luxemburgus Dux Pinei. Henrici III. Regis Galliar. Orator eidem.*
Communis omnium parens. Supremus Sacerdos. B. Petri Apoſtoli ſucceſſor. Chriſti Vicarius. cunctorum Chriſtianorum Caput. Non Vrbis ſed Orbis & Eccleſiæ vniuerſæ Epiſcopus.	*Idem Henrici IV. ad Eccleſiam reducis, Galliarum & Nauarræ Regis Orator. Clementi VIII.*
Chriſti in terris Vicarius. Sacroſanctæ Eccleſiæ caput. Summus Paſtor. Apoſtolicæ poteſtatis hæres.	*Franciſcus Ruiz de Caſtro & Andrada. Comes de Lemos. Prorex Neapolit. Philippi III. Hiſpan. Regis Orator Clement. VIII. & Staniſlaus Minſlei Palatinus Lamicien. Regni Poloniæ Senator. Sigiſmundi III. Poloniæ & Sueciæ Regis Orator eidem.*

Sacrorum Antiſtes. Religionis Princeps. Chriſti vices gerens in terris.	*Antonius Viperescus Vicarius Baſilicæ Lateranen. Leoni XI. cum claues repræſentaret.*
	PAVLO QVINTO BVRGHESIO.
Pontifex Maximus. Verus Chriſti Vicarius. B. Petri legitimus in Eccleſia ſancta Dei, Apoſtolatuſque culmine ſucceſſor. Supremus Chriſtianæ religionis Antiſtes. Catholicæ fidei fundamentum. Sacrorum omnium arbiter. medendis vulneribus reipublicæ Chriſtianæ natus. Alter Moyſes.	*Ioan. Baptiſta Guarinus Orator Ferrarien. ita orat.*
Ieſu Chriſti Vicarius. Petri Apoſtolorum Principis legitimus ſucceſſor. Ad longè maximum digniſſimumque faſtigium cœlitus euectus.	*Oratores Lucenſium.*
Summus Chriſtianorum Pater. Chriſtianæ reipublicæ Præſes. Petri nauis gubernator, qui eam procul ab latentibus ſcopulis, longè ab ſyrenum cantu feliciſſimè propellat.	*Alexander Bolognetus Orator Bononienſium.*
Summus Chriſtianitatis Pontifex. Vniuerſæ Eccleſiæ Paſtor. In auguſtiſſima Sede collocatus. Dignitate proximè ad diuinam accedens.	*Iacobus Sonemberg. Heluetiorum Orator.*
A Deo prædeſtinatus, & vniuerſo orbi opportuno tempore cœlitus datus, qui rempublicam Chriſtianam ſumma cum prudentia & felicitate gubernaret.	*Franciſcus Contarenus Venet. Orator.*
Petri ſucceſſor. Clauiger cœli. Paſtor ouilis Chriſtiani.	*Aſcanius Card. Columna nomine Collegij S.R.E. Cardinalium cum claues Baſilicæ Lateranen. offerret.*
In Apoſtolici ſolij iura ſuccedens. ad nouo maximoque ſplendore Chriſtianam rempublicam illuminandam diuini ſpiritus igne accenſus. ob dignitatis amplitudinem Maximus. Vices Chriſti gerens. natus diuinæ crucis ſigna, inter victrices aquilas & dracones, ad ſempiternam ſacroſanctæ Eccleſiæ gloriam, debellatis Chriſtiani nominis hoſtibus ſtatuere.	*Vincentius Caraſa Prior Capuæ. religionis Equitum Hieroſolymitanorum Orator.*
Eccleſiæ Catholicæ ſponſus. Reipublicæ Chriſtianæ Caput. Orbis terrarum ſacrorumque Princeps. Vicarius Chriſti Optimus. Sacrorum omnium Antiſtes. Paſtorum Paſtor & ouium. Summus mortalium Sacerdos. Arbiter Chriſtiani orbis. dignitate & authoritate, proximè ad diuinam accedens.	*Manfredus Rauaſcherius Genuenſium Orator.*
Vnicus in terris Chriſti Vicarius. Certiſſimus Petri ſucceſſor. Eccleſiæ vniuerſalis Caput.	*Ioann. Gothofridus ab Eſchauſſen Epiſcopus Bambergen. Sacri Romani Imperij Princeps, Matthiæ Imper. Rom. electi Orator.*
Summus Pontifex, eo honore colendus, quo maior nullus cuiquam mortalium tribui poſſit, aut debeat.	*Et Paulus Volucki Epiſcopus Luceorien. Regni Poloniæ Senator. Sigiſmundi III. Poloniæ, Sueciæ, Gothorum & Vandalorum Regis Orator.* Romę 1613.
Pontifex, Pontificum Maximorum Optimus Maximus totius Orbis Epiſcopus, ac Epiſcoporum Epiſcopus. Eccleſiæ Caput.	*Carolus Gonzaga Cleuius, Dux Niuernenſium & Reteleorum. Par Franciæ, Campaniæ Prorex. Henrici IV.*
Vniuerſi hominum generis Parens. B. Petri Apoſtolorum Principis digniſſimus ſucceſſor.	*Galliarum & Nauarræ Regis Orator.* Romę 1608.
Domini ac Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti toto terrarum Orbe Vicarius vigilantiſſimus. Eccleſiæ Catholicæ Rector. Chriſti Domini in terris Vicarius. D. Petri Apoſtolorum Principis legitimus ſucceſſor. Orbis Chriſtiani, à ſummis omnium bonorum votis Summus Pontifex. Eccleſiæ vniuerſæ Caput & Pater.	*Alexander Vindocinenſis Princeps. Ludouici XIII. Franciæ & Nauarræ Regis Orator.* Romę 1615.

Præ-

Preſes Chriſtianę rei.
Arbiter Chriſtianorum.
Verus Chriſti Seruatoris Vicarius in terris.
Petri Principis Apoſtolorum in Sede Romana Succeſſor.

Gomeſius Suarez. à Figueroa & Corduba Dux Feriæ, ac Villalnæ Marchio, Philippi III. Hiſpaniar. & Indiarum Regis Orator. Romę 1607.

Caput Eccleſiæ vniuerſæ.
Parens & Paſtor omnium Chriſtianorum.
Magnus & vniuerſalis ſanctiſſimuſque totius Orbis Pater. Optimus. Maximus. Summus. Beatiſſimus.

Idati Maſumunæ in Imperio Iaponico Rex Voxu. in epiſt.

Primas Eccleſiæ Catholicæ.
Verus Succeſſor Petri.
Pater Patrum.
Paſtor Paſtorum.
Caput vniuerſale.
Doctor & Magiſter Eccleſiæ vniuerſalis.

Zach. Vartabied nomine Patriarchæ. Armen. & Mich. Maurus Marchio Orator Aluari Regis Gongi ex Æthiopia inferiore. Romę 1608.

Admirabilis. Colendiſſimus. Maximus & glorioſiſſimus Summus Princeps vniuerſalis omnium gentium, Regum, Principum, potentum, & Chriſtianorum vniuerſorum, per fidem vnitorum, in vno Ouili Sanctæ Eccleſiæ Matris fidelium. Generoſus Paſtor, cui in Petro Chriſtus dixit, Paſce oues meas.

Melchiſedech Patriarcha maioris Armeniæ, in litteris.

Cathedræ Petri poſſeſſor. Venerabilis Papa.
Princeps Romæ.
Gloria omnium Pontificum.
Supra omnes in ſupremo faſtigio exaltatus.
Beatiſſimus & ſanctiſſimus Dominus. Caput Romæ & totius vniuerſi.

Petrus Ioannis Patriarcha Maronitarum Antiochiæ. & Gregorius Amires Archiepiſcopus Edem. in litteris.

Sanctiſſimus & beatiſſimus Pater. Vniuerſitatis Papa.
Pater Benedictus.
Caput Patrum.
Sol Chriſtianitatis.
Nomen in quo ſitum eſt ædificium Eccleſiæ Eccleſiarum.
Dominus Pater Patriarcharum omnium qui ſunt in vniuerſo.
Habens claues Altitudinis & Profunditatis verè & exactè.

Elias Patriarcha Babylonis, inſeruiens ſedi Sancti Thadæi Apoſtoli, & cui crediti ſunt omnes greges Orientalium Chaldæorum. in litteris.

Pater vniuerſalis. Pater Patrum, & Rectorum. Lapis conſtitutus fundamento Eccleſiæ Dei. Vna petra ſolida, in quo poſiti ſunt Ordines Eccleſiaſtici à ſapiente Architecto ędificatore vniuerſi. Fundamentum Eccleſię. Caput ſublime totius Chriſtianitatis.
Verus Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper terram vniuerſam, per ſucceſſionem veram & legalem, quę ab illo deriuauit.
Summus Pontifex, cui Chriſtus neque fruſtra, neque vane dedit claues altitudinis & profunditatis, & greges rationales emptos ſanguine ſuo pretioſo commiſit.
Summus Pontifex.
S. Papa Romę.
Potentiſſimus, & Sapientiſſimus, & Maximus Principum.

Adam Archidiaconus Cameræ Patriarchalis Babylonis. Archimandrita Monachorum Chaldæorum. Romę coram.

Fundamentum fidei Chriſtianitatis.
Princeps ſuper omnes Principes, Reges, & Imper. totius mundi.
Benigniſſimus & amantiſſimus Magnus Pr. vniuerſi.
Locum tenens Chriſti.
Doctor fidei Chriſtianę, cui omnes Principes, Reges, & Imperatores obtemperant.

Scia Abbas Rex Perſarum in litteris.

Summus Sacerdos, à natura, à doctrina, ab vſu eximius & ſanctimonia, caſtitate, benignitate, prudentia, atque omni virtute conſpicuus: cui non deliberatione longa, nec ſuffragiorum moroſa trutina, ſed veriùs, impetu & inſtinctu numinis Pontificatus delatus. qui fluctibus armorum ſimul, & errorum merſos adiuuet, qui auctoritate ſua, omnibus ponere funeſta arma iubeat. qui attollere & deprimere potens. quem Europa, Aſia, Africa, quem America & ipſe nouus Orbis ſuſpiciunt, & ab eius oraculo ſolliciti omnes pendent.

Iuſtus Lipius Belga in nuncupatoria operum Seneca.

Romanus Antiſtes. *Quo nihil maius videt.* Titanis & Lunę globus.

Quem *ſumma mundi mens ſibi eſſe proximum iuſſit.*

Quem *maximarum Roma mater Vrbium Dantique mater nominis*

Quod viuit, & vetuſta ſpirat, omnibus pretulit mortalibus.

Iuſtus Rycleius Belga in panegyrica.

Aliquis Romanorum, cum inter publicos lætitię indices, tabellam Orbis terrę Coſmographicam pinxiſſet, pangebat, Paulo Quinto.

Audax mobilis ingeni
Vis, quæ diffita longe
Terrarum ſpatia æquoris
Interfuſa profundo,
Ipſas Oceani minas,
Tam late fluitantes,
Gyro compoſuit breui,
Hęc qui primus in Orbem

Solers exiguum intulit;
Hic me iudice maior
Mundo quem minuit, fuit,
At qui non breuiore
Terras gyro habiles regit,
Tam lateat ſpatiantes
Quam late micat Heſperus
Et quam Lucifer ardet

Flammę ſtella binominis
Quantus hic erit? ede.
Tanto ſcilicet hic amplior
Quanto limite nullo
Clauus, exuperat breuem
Hunc qui pingitur, Orbis.
Audin'Burgheſidum Pater
Hęc te linea duxit, qui

Sacerdotij Chriſti Caput. Verus Chriſti Vicarius. quicquid Roma non poſſedit armis, religione tenes. Primas Orthodoxę Eccleſię. Petri ſucceſſor.

Mich. Saragoſa de Heredia Valentin. Epiſc. Theanenſis. lib. de Sacerdot. dignit. excellentia.

Volui tantam nubem teſtium iſthic producere, vt omnibus euidens ſit, Romanum Pontificem, ſecundum ſacram ſcripturam, & Apoſtolicas traditiones, probata Concilia, Catholicę Eccleſię conſenſum, ſanctorum Patrum auctoritates, Imperatorum, Regum & Principum Chriſtianorum confeſſionem, atque ſuperiorum omnium ſeculorum pręſcriptionem, in Eccleſia vniuerſali Primatum obtinere. Sacram ſcripturam, qui Chriſtianus eſt, nemo negauerit. Apoſtolicas traditiones tanti omnes Orthodoxi faciunt, vt eas certiſſimę regulę loco habeant, in dogmaticis characteribus diſcernendis. Probatorum Conciliorum auctoritatem, etiam ipſi hoſtes Eccleſię adeo exiſtimant, vt Caluinus, Oecumenicum Concilium, optimum ſcripturę interpretem, agnoſcat. & illa quatuor prima ſe dicat cum Magno Gregorio ſupplicem venerari. Catholicę Eccleſię conſenſus, etiam apud hęreticos tam ingentis ponderis, vt ferè ſub nullo alio magis ruant. Sanctorum Patrum auctoritas; tanti apud Auguſtinum, vt quatuordecim tantummodo Epiſcoporum ſcita, ſatis eſſe indicauerit, ad Iulianum apoſtatam reuincendum. Imperatorum, Regum, & Principum Chriſtianorum confeſſionem, nec non omnium ſuperiorum ſeculorum pręſcriptionem, nemo niſi temerarius contempſerit: vt ex his certiſſimis argumentis, omnes aſpiciant, agnoſcant, fateantur, venerentur que Pontificem Romanum, verum Chriſti Vicarium, Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſorem, Eccleſię vniuerſalis Primatem. Maximè quod nullus incorruptior Iudex illius, teſtimonijs ſanctorum & antiquorum Patrum Gręcorum & Latinorum, qui partim vicini temporibus Apoſtolorum, partim vera & non interrupta ab illis ad noſtra vſque tempora deriuatione, ſinceram atque puram tum Euangelicę inſtitutionis intelligentiam, tum hierarchię Eccleſiaſticę diſpoſitionem, ex Chriſti Summi Pontificis voluntate, & ex perpetuo ordine Eccleſię hauſerunt, atque ſumma vitę innocentia, fide, ſanctitate & pietate exornati, omnibus naturę & litterarum ornamentis inſtructi, ſplendore diuini ſpiritus illuſtrati, iugi & magno labore integras ętates in ſtudio ſanctarum litterarum contriuerunt, & in intimos illius ſenſus penetrarunt; à quibus edocti, & ab omni odio, ira, aliiſque humanis affectibus remotiſſimi, vna cum toto Orbe Chriſtiano, iam inde ab ipſis Eccleſię primordijs, vſque ad annum Dominicę incarnationis MDCXVII. quo hęc ſcribebamus, Primatum Romano Pontifici detulerunt. Idque propter

Sacræ ſcripturæ, traditionum Apoſtolicarum, Conciliorum, conſenſus Eccl. Cathol. & SS. Patrum in deferendo Primatu Roman. Pontif. authoritas.

Teſtimonium Patrum veterum ac recentiorum.

D. Dionyſ. Conciliar.

propter apertiſſimam Chriſti inſtitutionem: & ſacram illam Hierarchiam Eccleſię, quam ab Apoſtolis acceptam Diuus Dionyſius litteris conſecrauit, in qua non ille modo, ſed totius Orbis Chriſtiani conſenſus, Summum Pontificem in ſummo loco, veluti Eccleſię Principem atque ſupremum Paſtorem collocauit; cui, Oecumenica Concilia, ſupremam in Eccleſia poteſtatem collatam eſſe agnouere; & omnes veteres Eccleſię, Gręcę, Africanę, Aſianę, Latinę, Syrę, Orientales, & Occidentales illi paruere, cuius ſigna qui deſeruere, & ab eius imperio deſciuere, velut oues percuſſo paſtore, in inuio errauerunt, & tandem per tot pręcipitia incertis curſibus vagantes, in luporum dentes inciderunt, ſub Turcarum vel tyrannorum laniena ſudantes. Concludo cum Vincentio Lyrinen. *Ille eſt verus, & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit; qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit: non hominis cuiuſpiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philoſophiam; ſed hæc cuncta deſpiciens, & in fide fixus & ſtabilis permanens, quicquid vniuerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſibi ſolum tenendum, credendumque decernit. Quicquid vero ab aliquo deinceps præter omnes, vel contra omnes ſanctos, nouum & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem, ſed ad tentationem potius intelligat pertinere.*

Oecumenicorum omnium que Eccleſiarum Primatū Rom. Pontif. non agnoſcentes ſchiſmatici.

Germanus Catholicus quis. Cap. 25.

Cęterum & veritas Dei in Euangelio non ſemel reuelata; & Eccleſię corpus non acephalum, eouſque per iuncturas adminiſtrationum ſuccreſcens; & diuina Patrum & Principum Chriſtianorum religio, tot ſęculis propagata; & Catholica fides, in Concilijs innumerabilibus declarata; & vniuerſaliter antiquitus Eccleſia Catholica, vnanimi ſenſu & conſenſu nationum & populorum, docuit, tradidit, tenuit, credidit, Pontificem Romanum eſſe Summum Eccleſię vniuerſalis Hierarcham; itaque ille erit verus Catholicus, qui in fide maiorum & vniuerſorum fixus & ſtabilis permanens, crediderit, & ore confeſſus fuerit, etiam PAVLVM QVINTVM feliciter ſuperſtitem, eſſe Patrem Patrum, Principem Paſtorum, Summum Monarcham Eccleſię non tantum illius, quę veritatis magiſtra, antiquę religionis ſchola, rectę & incorruptę fidei religioſiſſima ara, columna denique & firmamentum Chriſtianę pietatis, verum etiam vniuerſę, toto Orbe terrarum diffuſę. Quod ſi quis non recipiat, *neceſſe eſt, vt fides beatorum Patrum violetur: neceſſe eſt, vt omnes omnium ætatum fideles, omnes ſancti, omnes caſti, continentes, virgines; omnes Clerici, Leuitæ, & Sacerdotes; tanta confeſſorum millia, tanti martyrum exercitus; tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo; tot inſulæ, prouinciæ, Reges, Gentes, regna, nationes; totus poſtremo iam pene terrarum Orbis, per Catholicam fidem Chriſto capiti, per Romanum Pontificem incorporatus, tanto ſæculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, neſciſſe quid crederet, blaſphemaſſe pronuncietur.*

Qui Roman. Pontif. agnoſcit & confitetur.

Quanta eum recipiendi neceſſitas. Cap. 33.

CAPVT VII.

Pontifex Romanus, Concilio, & Cœtui Paſtorum iure diuino Prælatus.

VIncentius Lyrinenſis monebat, in ipſa Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſſe, *vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt etenim verè proprieque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit. Iſtud autem ita demum fiet, ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per Orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem vero ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos Sanctos Maiores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate, omnium vel pene certè omnium Sacerdotum pariter & magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.*

Credendum quod vbique quod ſemper, & quod ab omnibus creditum in Eccleſia. Cap. 3.

Ab his tribus fontibus, Primatum in vniuerſam Eccleſiam, Pontifici Romano aſſeruimus. Ab his iiſdem, omnibus Concilijs ſuperiorem fuiſſe, & eſſe, non eſt difficile demonſtrare. Vbique terrarum, omnibus ſęculis, omnes omnino Sacerdotes, pariter & magiſtri, non tantummodo ſinguli, verum etiam vniuerſi, agnouerunt, in Eccleſia Catholica, Sanctorum inter ſe communionem, cum proportione coniunctam. Quemadmodum enim in corpore humano, communio membrorum iuuat, ſymmetria autem ornat & conſeruat vniuerſam illius molem, adeo vt caput manui non dixerit, opera tua non indigeo: manus vero operis adminiſtra, non in capitis locum aut miniſterium aſſurgat; ſed illud quidem imperet, hęc vero & reliquę partes obtemperent, & à mutua vel in mutua coniunctione vim virtutemque participantes vel diſpertientes, ad vitam totius conſeruandam, ſeruata tamen proportione vniuſcuiuſque conſpirent: ita & in corpore myſtico, in quo omnes quotquot in Chriſto baptizati ſumus, membra ſumus de membro, communio Sanctorum, ſed quę cum dignitate vniuſcuiuſque coniuncta ſit, ab ipſo Eccleſię conditore inuecta eſt.

Pontificem Concilijs ſuperiorem eſſe, ab vniuerſitate, antiquitate & conſenſione.

Corporis humani, & myſtici comparatio.

Chriſtus ipſe in humanis agens, quamquam potuiſſet omnia vnus ipſe agere, tamen interrogare dignatus eſt; vnde ememus panes, vt manducent hi. Nec id ſolum, ſed & iuſſit diſcipulis, vt facerent turbas accumbere: & miniſterio eorum vſus, panes & piſces conquiſiuit, diſtribuit, reliquias recollegit, neque eos ſibi fore inutiles aſſeruit. Neque id tantùm in corporis, ſed etiam in ſpiritus alimonia, adeòque in myſtica coniunctione oſtendit, cum illos & viuens ante ſe mitteret, vt docerent, languoreſque tum animi, tum corporis curarent; & in cœlos aſcendens, dederit, *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores,*

Chriſtus per ſe ſufficiens miniſterio Apoſtolorum vtitur, & quare.

Ephes. 4.

ad

ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Christi; Secundum tamen operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate; cum vnicuique *ſecundum menſuram donationis ſuæ gratiam contulerit.*

Singulorum ſingula charismata ad vtilitatem Eccleſiæ deſtinata.

itaque quod Eccleſię dederit Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Paſtores, Doctores, alios habentes ſermonem ſcientię, alios ſermonem ſapientię, alios genera linguarum, interpretationem ſermonum, diſcretionem ſpirituum, gratiam ſanitatum, fidem, vaticinia, miracula, poteſtatem claudendi cœlum & aperiendi, & alia pręclara chariſmata; hęc omnia ad communem ECCLESIÆ vtilitatem deſtinauit, vt ſe inuicem mutua opera iuuarent, & vnus ex altero in augumentum ſpirituale proficeret: neque Doctor miniſtrantem contemneret, neque miniſter Doctori nihil ſe debere diceret, ſed eſſent, quod audirent, *ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, vnum corpus, & vnus ſpiritus, vocati in vna ſpe vocationis, ſoliciti inprimis ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* deindè curantes habere, *vndè tribuant neceſſitatem patienti; inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto illis donauit,* his ſpiritualia, illis temporalia, alijs ſpiritum conſilij, alijs ſpiritum fortitudinis, alijs oculos prudentię, alijs manus beneficentię, vt ſint *corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem vniuſcuiuſque membri, augmentum faciens in ædificationem ſui in charitate,* quę ſicut *non quærit quæ ſua ſunt,* ita etiam *non inflatur,* vt oculus dicat manui, *opera tua non indigeo, aut caput pedibus* vel oculis, *non eſtis mihi neceſſarij.* Hinc eſt, vt Eccleſia, ſiue ad fidem ſtabiliendam, ſiue ad Sacramentorum maieſtatem vindicandam, ſiue ad charitatem Chriſtianam vel diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituendam, eorum quos luminum loco Chriſtus eſſe voluit, nunquam poſt habuerit conſilium; ſed quos ſciret eruditione & pietate illuſtres, non tantum ſingulatim, ſed generatim in Comitium euocauerit, ſuffragio de rebus grauiſſimis ferendo: non immemor Dominicę vocis, quę iubet; *Ini Conſilium, coge Concilium.*

Cogenda Concilia ab Eccleſia & eius cauſæ.

Iſa. 16.

Neque enim ob aliud, quemadmodum in Oecumenica Synodo, Cornelius Epiſcopus Bitontinus pro concione oſtendebat, magno huic corpori Deus varias multiplicesque gratias, vt & membra diſtribuit; niſi vt quod in ſingulis diſperſa virtus non poteſt, in omnibus inuicta vnitas efficiat. Neque nemo neſciat, res arduas atque difficiles, ad vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam ſpectantes, in Concilio & cœtu Patrum, vbi ſuo quiſque loco ſententiam dicit, tractari prudentius, maturius deffiniri, probari ſolennius, & gratius à populo acceptari: adeo vt non temere dictum ſit, *Multitudo ſapientium, ſanitas cordis: ibi ſalus, vbi multa conſilia.* Sanè Apoſtoli, neque Matthiam in locum. Indę ſuffecerunt, neque ſeptem Diaconos in opus miniſterij elegerunt, neque quicquam grauius ſtatuerunt extra Concilium: Enimuero prima illa

Sapien. 6.

Ab exemplo Apoſtolorum.

iuris Eccleſiaſtici decreta, & fidei Chriſtianę rudimenta ediderunt, in Concilio. Miſſionem ad gentes, ex ſententia Concilij decreuerunt. Legalia ſynagogę, in Concilio antiquarunt. Manus ad accipiendum Spiritum ſanctum, credentibus, ex decreto Comitij impoſuerunt. Orbis terrarum prouincias prędicationi ſingulorum, in Concilio partiti ſunt. Doctrinam quam vbique ſeorſim ſinguli ſeminabant, in Concilio contulerunt: hancque vnicam normam tuendorum vel dogmatum, vel iurium, vel virium totius corporis, Eccleſię tradiderunt: ſcientes, neque Deum ipſum quicquam ſine conſilio feciſſe aut facere. quippè, qui cum hominem mundi miraculum fingeret, dixerit Verbo & Flamini coeſſentiali: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Cum etiam magnos gigantum auſus vellet reprimere, atque male olentes illos Pentapolitanos flammis exurere, in conſilium euocato Filio & Spiritui ſancto dixit: Venite, confundamus linguam eorum: nec niſi comitatus duobus comparibus Abrahamo apparuit, ad ſumendam vindictam de pollutis.

Et ipſius Dei.

Iam & Moyſen, ſeptuaginta Seniores ad ſententiam ferendam ex omni populo delegiſſe meminerant: eorumque numerum in ſynagoga perennaſſe aſpexerant; vt & ipſi collatis ſuffragijs decernerent, & Eccleſię ſaluberrimum Conciliorum morem pręſcriberent.

Moyſis.

Itaque non alibi felicius, quam in Concilijs, fides Catholica declarata, ſcripturarum delectus habitus, hęreſes damnatę, mores emendati, diſciplina reſtituta, charitas conſtabilita, rabies aduerſariorum repreſſa, tyrannis depulſa, ſchiſmata abolita, cultus diuini rationes amplificatę, gloria ſacrorum illuſtrata, Hierarchicus Ordo diſpoſitus, Summorum Pontificum dignitas vindicata, reſque publica vniuerſa Chriſtiana conſeruata.

Conciliorum vtilitas.

In Concilijs Niceno, Epheſino, Conſtantinopolitano, Chalcedonenſi, Symbolum Apoſtolorum anguſtum verbis, auguſtum ſacramentis, latiùs explicatum. In Concilijs Laodicenſi, Carthaginen. Romano, & Tridentino, ſcripturę ſanctę canonicę libri aſſignati. In Concilijs Oecumenicis, Antiocheno Lateranen. Nicęnis, Conſtantinopolitanis, Sardicen. Viennen. Conſtantien. & alijs hęretici conuicti. In Concilijs Gregorij VII. Alexand. III. Innocen. III. & IV. Clemen. V. Pauli III. & IV. Pij IV. & aliorum, mores tum populi, tum Principum, tum Sacerdotum emendati. In Concilijs Lateranen. Lugdunen. & Florentino vnio diſſidentium nationum coaluit. Ex Concilijs Lateranen. Lugdunen. & Viennenſis cura, Turcarum & Saracenorum arma & vires non ſemel fractę. In Concilijs, furor Chriſtianorum Principum in Eccleſiam exardeſcentium, extinctus: anathemate percuſſi, nec non ſceptris exuti tyranni, Conſtantinus VI. Leo III. Henricus III. Fridericus I. & II. Ladiſlaus & alij. In Concilijs, Symmachi, Benedicti, Gregorij, Alexandri III. Martini V. ſchiſmata Eccleſię ſublata, nec non conciliabula, ſeu latrocinia, Epheſinum ſecundum, Ariminenſe, Mediolanen. Piſanum, & alia diſſoluta. In Concilio Lateranenſibus, Niceno, Chalcedonen. Florenti-

Acta quorundam Conciliorum.

genti-

rentino, & alijs, Xyſto, Marcellino, Leoni, innocentia vindicata, alijs vero dignitas aſſerta; præſertim hęc, quam nunc oſtendere conamur. *Pontificem Romanum, Concilio, & cætui Paſtorum eſſe Prælatum.* Ita, Patres Florentini.

Teſtimoniū ſynodi Florentinæ de Rom. Pontifice. In decreto de vnione.

Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem, & ipſi in Beato Petro paſcendi & regendi vniuerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem datam eſſe.

Ita etiam Patres Lateranenſes,

Item Lateranenſis. Seſſ. 11. ſub Leone X.

Solum Romanum Pontificem tamquam ſuper omnia Concilia authoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius, & poteſtatem habere, nedum ex ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, dictis Sanctorum Patrum ac Romanorum Pontificum, ſed propria etiam etiam eorundem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat.

Pontifex Roman. omnibus Concilijs iure diuino ſuperior.

Iure merito, Pontificem Romanum, Oecumenicis Concilijs ſuperiorem eſſe confeſſi ſunt. Iure enim diuino, non tantum ſingulis, verum omnibus, tam coniunctim, quàm diuiſim, ouibus, agnis, & Eccleſijs, ſi mandris Prælatus eſt. Quodlibet ex ſacræ ſcripturæ teſtimonijs oſtendere.

I. Caput & vertex vniuerſalis Eccleſiæ.

In primis Iure diuino, Pontifex Romanus, *Caput* eſt, vniuerſalis Eccleſiæ, ſiue toto Orbe diffuſæ, ſiue in Concilio Oecumenico, in perſona Prælatorum coeuntis. Itaque non tantum loco, ſed etiam auctoritate antiſtat vniuerſali Concilio. Namque caput, & ſitu, & adminiſtratione antiſtat, & ſingulis membris, & toto corpori. Eam ob rem Chryſoſtomus Petrum Apoſtolorum Principem, *Apoſtolici chori* nominabat *Verticem*; quod is toto cætu Apoſtolico maior eſſet, & Concilio Apoſtolorum præſideret. Quamquam vero Paulus ei in faciem reſtiterit, Non ideo tamen illum in ordinem depreſſerit; charitate corrigente, non authoritate corripiente vſus, non ſecus, atque digitus caput pruriens ſcalpit, non Imperio, ſed miniſterio: vt vtrobique ſeruetur proportio, *ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, ad ædificationem corporis, quæ eſt in charitate*, à ſanctorum inter ſe communione.

II. Fundamētum.

Iure diuino, Pontifex Romanus, *Fundamentum* eſt vniuerſalis Eccleſiæ; in quo poſt Chriſtum, velut in Vicario angulari, tota ſuperſtructio ſpiritualis inædificatur, connectitur, ſuſtinetur, & conſeruatur. Preſtat itaq; vniuerſæ inædificationi, non minus quam Chriſtus vniuerſæ moli totius Eccleſiæ. Agnouerant eam in Petro præſtantiam Apoſtoli, namque & in Euangelijs & in epiſtolis & in Concilijs, & in ſuffragijs, & in ſententijs ferendis primus ei concedebant: quod animaduertit Cyrillus Alexandrinus.

In Theſaur.

III. Princeps.

Iure diuino, Pontifex Romanus *Princeps* eſt vniuerſalis Eccleſiæ, cui Chriſtus, & Petræ, & Oſtiarij, non vnius cęli ſed omnium cęlorum tam nomine, quam Principatum communicauit. Itaque pari poteſtate, quam Chriſtus, non tantum ſuper ſingulos cælos, ſeu Sanctos, ſed etiam ſuper omnes in vnum congregatos, præditus, vniuerſis eminebit. Vt pote cui etiam Principatus ſuper humerum eius; & cui ampliſſima ligandi & ſoluendi omnes fideles poteſtas.

IV. Præpoſitus Domus.

Iure diuino, Pontifex Romanus eſt *præpoſitus Domus*, quæ *columna & firmamentum eſt veritatis*. Itaque præcellit vniuerſam Chriſti familiam, ſuper quam à Domino eſt conſtitutus.

V. Coryphæus & confirmator Fratrum.

Iure diuino, Pontifex Romanus eſt *Coryphæus & confirmator Fratrum*; quod illius ſolius Fides numquam deficiat. Primogenitorum itaque prerogatiua, maior eſt omnibus fratribus, quos Eccleſię Chriſto vel genuit, vel in vnum adunauit.

VI. Paſtor totius gregis Chriſti.

Iure diuino, Pontifex Romanus *Paſtor eſt totius gregis Chriſti*, Itaque cætus Paſtorum, & Prælatorum, quamquam in Concilio congregatorum, cum ad gregem Chriſti pertineat, numquam erit ſuperior Principe Paſtorum, cui datum agnos & oues paſcere: adeoque Concilia conuocare, transferre, diſſolue re, confirmare, abrogare, diſpenſare, decernere id quicquid ad ſalutem gregis Chriſti ſpectat.

VII. Fons Sacerdotij.

Iure diuino, Pontifex Romanus *fons eſt Sacerdotij, & totius auctoritatis ſpiritualis*, cum omnes alij ſint *membra de membro*, vt Paulus docebat, ab vno ſupremo viſibili Hierarcho, velut à capite vel radice, poteſtatem Ordinis & iuriſdictionis participantes, & ei omnia quæcumque habent accepta ferentes. Itaque vt inferiores gradu, ita etiam minores auctoritate fuerint, non ſecus, quam ſeptuaginta ſeniores, vel Moyſe cuius portionem ſpiritus accepere, vel ſummo legis veteris Pontifice, ad quem omnia referebant, nec minus, quam barba Aaronis, aut ora veſtimenti eius vnguine odorifero è capite deſcendente imbuta, ipſo vertice Aaronis qui fons vnctionis.

VIII. Vicarius Chriſti. Super Matth.

Iure diuino, Pontifex Romanus eſt *Vicarius Chriſti*, cui Chriſtus, vt Chryſoſtomus animaduertebat, *quod Patris eſt, & ſuum, vbique terrarum vniuerſe conceſſit, & homini mortali omnium quæ in cælo ſunt auctoritatem dedit*: adeoque commune ſibi cum Petro tribunal eſſe declarauit, vt iudicia per eum iudicata, etiam in cœlis firma remaneant. Itaque non minus quam Chriſtus vniuerſali Eccleſiæ, & cœtui Apoſtolorum, atque diſcipulorum, adeoque vniuerſali Concilio, & congregationi Paſtorum prælatus eſt, maximè quod Chriſtus, ad exemplar ciuitatis ſupernę Hieruſalem, nunc iſtius de cęlo deſcendentis regimen conſtituit. Itaque ſicut in Hieruſalem illa quæ in cœlis eſt mater noſtra, vnus Princeps Agnus, Sacerdos in æternum, omnibus ſanctis ſuperior eſt, cui omnes cum ſingulatim tum vniuerſe, diuiſimque ac ſimul omnes ſubſunt, obtemperant, & caput inclinant: ad eum modum in Eccleſia eminere Vicarium Principem voluit, cui omnes ciues & domeſtici Dei, non tantum vt ſeparatim ſinguli, ſed etiam vt ſimul vniuerſi pareant, & tam vniuerſis, quam ſingulis Prælatum agnoſcant, venerentur, & fateantur.

Iure diuino, Pontifex Romanus eſt *omnium Chri-*

IX Chriſtianorum omnium Pater, Doctor, & Primas totius orbis.

Chriſtianorum Pater, & Doctor, & Primas totius Orbis, cui in Beato Petro Apoſtolorum Primo, regendi vniuerſalem Eccleſiam, Chriſtus ampliſſimam poteſtatem contulit. Itaque ſuperior omnibus ſuis filij, diſcipulis, participibus, Prælatis, Epiſcopis, Concilio denique ipſo Orbem vniuerſum repræſentante. Non eſt enim filius ſuper Patrem, neque diſcipulus ſuper Magiſtrum, neque particeps ſupra vnctum præ participibus omnibus, neque ſubditus Primate Principe, neque qui regitur ſupremo Rectore.

X. Legitimus Petri ſucceſſor, eiuſdemque, cum ipſo auctoritatis, ac dignitatis.

Iure diuino, Pontifex Romanus, *indubitatus eſt Petri ſucceſſor, pari dignitate iuxta & auctoritate cum Petro Chriſti Vicario præditus.* Itaque non minus quam ille omnibus Apoſtolis, etiam is omnibus & ſingulis Epiſcopis, cœtuique illorum præſtabit. Enimuero Petrus, ipſo quoque Chriſto ſuperſtite, cæteris coapoſtolis præerat, proque omnibus curam gerens, aut reſpondebat, aut requirebat. Cũ enim in primis Chriſtus diſcipulos, quem ſe vel homines vel illi ipſi dicerent, percontatus fuiſſet, Petrus tanquam os Apoſtolorum & caput, pro omnibus, *Tu es*, inquit, *Chriſtus filius Dei viui*. Rurſus, cum illos, an vellent ipſi quoque abire, interrogaſſet: Petrus pro ipſis ait: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Deinde, cum Chriſtus, vt omnes eſſent parati, eos moneret, quia qua hora filius hominis venturus foret, non putarent; Petrus pro illis: *Domine*, interrogauit, *an ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Item cum Chriſtus difficile oſtenderet diuitem intrare in regnum cœlorum, proindeque diuitias contemnere ſuaderet, Petrus qui claues regni cœlorum acceperat, de his quæ ibi ſunt iam confidit, *& pro orbe terrarum*, vt inquit Chriſoſtomus, *interrogat vniuerſa*, dicens; *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Iam vero Chriſto ad dexteram Patris in cœlos recepto, Petrus ſuper cœtum Apoſtolorum ſe eſſe ſuperiorem factis oſtendit. Patres Lateranenſes affirmabant, ſolum Romanum Pontificem, Conciliorum indicendorum, plenum ius & poteſtatem, ex ſacræ Scripturæ teſtimonijs, habere. Petrus eius Sacerdotij poſt Chriſtum Primus Pontifex Catholicus, iſtud iuris ſibi ineſſe monſtrauit, adeoque iure diuino Pontificem Romanum ſuperiorem Concilio œcumenico aſſeruit; quod.

CAPVT VIII.

Pontifex Romanus Conciliorum Auctor.

Petrus primus Concilium cogit.

SAcro myſtico Apoſtolorum numero vnus defuerat, poſtquam Iudas proditor, crepuiſſet medius, infelicis arboris ſuſpendium. Ibi Petrus inflammatus, *ſicut ille*, vt ait Chryſoſtomus, *cui à Domino commiſſum erat ouile, & vt princeps cæterorum*, centum & viginti viros animis præſentes eſſe iuſſit, & in medio fratrum exurgens, ad quid eos vocaſſet, renunciauit: exque Scripturæ veteris teſtimonijs, oſtendens, oportere ex congregatis viris teſtem vnum reſurrectionis Chriſti deligi, neceſſitatem cunctis impoſuit, cætus vniuerſalis efficiendi inque ſuffragia eundi. Paſtoris id primum officium eſt, oues & agnos congregare, adeoque gregem efficere. Summi quoque Pontificis Moſaici prærogatiua fuerat, Seniores Sacerdotij in vnum euocare, deque rebus grauiſſimis ſuffragia inquirere. Sane Iudæi & Sacerdotes eorum, eum ad Simonem Mathathię filium Summum Sacerdotium detuliſſent, conſenſerant, vt Dux eſſet ſuper eos, & vt cura illi eſſet pro ſanctis, & vt ab omnibus audiretur, & in nomine illius omnes conſcriptiones in regione ſcriberentur, & vt purpura & auro operiretur, & ne vlli ex populo aut ex Sacerdotibus liceret irritum facere aliquid horum, & contradicere his quæ ab illo dicerentur, *aut conuocare conuentum in regione ſine ipſo*: quod penes Summum Sacerdotem ius exiſtimarent eſſe. Concilij conuocandi. Non minoris auctoritatis eſſe voluit Chriſtus, nouæ legis Hierarcham. Itaque & huic quoque nec alij cuipiam poteſtatem indulſit, cœtum indicendi. Namque huic ſoli Clauigero cœleſti, ſumma poteſtas conceſſa, in omnes cœlos, ſeu in doctrina, ſanctitate & dignitatibus præſtantes viros. Ipſe enim ſolus poteſt omnibus ouibus, ſeu Eccleſijs matricibus, velut Paſtor ſupremus imperare, & ad ipſum ſolum, ea quæ ad totius ouilis Dominici ſtatum publicum pertinent, ſpectat cogitare, curare, diſponere.

1. *Machab.* 14. Idem munus demandatum ſummo ſacerdoti Iudæorum.

Solius Romani Pontif. Concilia indicere.

Non multum à temporibus Apoſtolorum, hæreſis Quartadecimorum exorta, Eccleſiam diuidebat. Orientalium nonnulli traditionem Ioannis Euangeliſtæ iactantes cum Iudęis paſcha celebrandum eſſe contendebant; ſapientiores, & traditionum Apoſtolicarum non ignari, diem Dominicum ei feſtiuitati deputabant. Oportebat, ad vnitatem Eccleſiarum redintegrandam Concilium non vnicum conuocari. Itaque Victor, pro ſua in omnes Metropolitas auctoritate, in primis Polycrati Epiſcopo Epheſino, vt ad Synodum omnes Aſiæ Epiſcopos euocaret, edixit, deinde idipſum Theophilo Cęſarienſi Metropolitano, Narciſſo Hieroſolymorum, Palmę Ponti, Irenęo Lugdunenſi, Bacchyllo Corinthio, ac denique per vniuerſum terrarum Orbem alijs Epiſcopis iniunxit; atque is ipſe Romam quamplurimis Italiæ Epiſcopis accerſitis, celebrauit: & ex calculo Concilij totius Aſiæ Eccleſias, decreto Pij non obtemperantes, literis grauiter obiurgatas, à communione Eccleſiæ ſecluſit. Nemo Principum Eccleſiæ, Victorem Pontificem, quaſi is auctoritatem iudicendorum Conciliorum ſibi temere arrogarę, ſed tantum quod in Orientales Eccleſias plus, quaſi ſeuerius animaduertiſſet, Irenæus eum admonuit; quod omnes ſcirent, *Capitis eſſe membra ſua colligere, & conuocare*, quem admodum Epiſcopi Meſiæ ſecundæ Leoni Auguſto perſcripſerant: & Canon Eccleſiaſticus, ab omnibus Grecorum antiquis hiſtoricis vno ore laudatus, prohibeat, *præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari*; atque *decreta abſque eiuſdem ſententia Eccleſijs ſanciri*. Propter quam rem Iſidorus Hiſpalenſis pronunciabat; *Nec vllam ſynodum ratam eſſe legimus, quæ non fuerit Apoſtolicæ ſedis auctoritate congregata, vel fulta.*

Concilium coactum à Victore Pontifice occaſione hæreſis Quartadecimanorũ. *Euſeb. l. 5. c. 25. Beda in Commentario de æquinoctio verno.*

Ab eo excommunicati Epiſcopi Aſiæ.

Capitis eſt membra colligere. *Socrat. lib. 2. cap. 11. & 13. Sozom. l. 3. c. 9. Theodoret. lib. 2. c. 22. in præfat. ad Concil.*

Concilium ſine Rom. Pontificis auctoritate minime ratum. *Aſt. 26. in hiſt. lib. 1. c. 16.*

Itaque

Conſtantinus Imper. quomodo indixerit Conciliū.

Itaque neque Conſtantinus Magnus, auſus eſt, præter voluntatem Sylueſtri Romani Pontificis, Patres ad Nicænam ſynodum inuitare: ſed quas inuitatorias Epiſcopis ſcripſit, eas hortatore Sylueſtro ſcripſit; adeoque in indicenda ſynodo Oecumenica authoritas Sylueſtri interceſſit: quemadmodum Patres ſextæ ſynodi, & Rufinus, ac Sozomenus affirmarunt, neque vnquàm aliquis ex Patribus Catholicis, vel Tyriam, vel Hieroſolymitanam, vel Antiochenam, ab Arianis Euſebianiſque aduerſus Athanaſium Alexandrinum coactas congregationes, nomine Oecumenicorum Conciliorum dignatus eſt; quod ſcirent, Concilium Nicænum, *ne præter ſententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrentur,* edixiſſe; ac Iulium Papam iure declaraſſe, *nefas fore pendente Romanæ indictione ſynodi, aliud interim à quocunque alio loco conuocari Concilium*; vt Magnus Athanaſius confeſſus eſt, neque paulò poſt, niſi auctore eodem Iulio Pontifice, Conſtantius & Conſtans Imperatores, Epiſcopos totius Orbis ad Sardicenſe magnum Concilium inuitarunt: quod & idem Athanaſius ſignificat, & quidam Epiſcoporum excuſantes, quod propter anguſtiam temporis ab Iulio pro celebranda ſynodo præſtituti, venire non potuiſſent, inſinuant. Synodum quoque Ariminenſem, pro ea parte qua illam Athanaſius vt vere Orthodoxam laudat, Conſtantius Imperator decernente Liberio Pontifice indicauit: cum is Orientales Epiſcopos Arianos Athanaſium accuſantes, & Ægyptios ſeptuaginta quinque, ex ſynodo, eundem excuſantes, audiuiſſet, neque rem tanti momenti, quanta erat cauſa Athanaſij, ſimul cum profeſſione conſubſtantialitatis filij Dei coniuncta, alibi poſſe quam in Concilio decerni, iudicaſſet, vt Lucifer Calaritanus profitetur. Theodoſius quoque Imperator, non ſua ſed Damaſi Pontificis auctoritate, ſecundam ſynodum Oecumenicam Conſtantinopoli conuocandam curauit: vt & Scriptor vitæ Damaſi peruetuſtus commemorat, & Patres tum ſextæ ſynodi, tum Concilij Chalcedonẽſis inſinuant, cum etiam hi, ſolius Leonis Pontificis non tantum conceſſione, ſed etiam vt Epiſcopi ſecundę Meſię Leoni Imperatori ſcripſerunt, iuſſione, ad Marciani & Pulcheriæ Imperatorum preces, Chalcedonem euocati confluxiſſent: indidemque collatis ſuffragijs, Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum gradu mouiſſent, & dignitate exuiſſent; quod is contra morem receptum, auſus eſſet, abſque ſedis Apoſtolicæ conſenſu ſynodum conuocare, quod numquam licuit, nunquam factum eſt, vt interloquebatur Lucentius Epiſcopus. Sanè & ad Epheſinam ſynodum, Theodoſius II. Imperator. nonniſi annuente Cœleſtino Pontifice, Patres euocauit, cumque illo de eadem conuocanda, per virum Illuſtrem Petronium, poſteà Bononienſem Epiſcopum egit, vt auctores vitæ illius à Sigonio reſtituti prodiderunt: & Iuſtinianus Imperator, decreto Vigilij Pontificis, ad Quintam ſynodum Oecumenicam, Epiſcopos acceerſiuit: quemadmodum & Conſtantinus Pogonatus Imperator, Agathone Pontifice auctore, ſextam quę Conſtantinopolitana III. in Trullo dicitur contra Monothelitas cognominatur, celebrari curauit: atque ſeptimam œcumenicam, quæ eſt Nicæna II. Hadrianus Papa, ad damnandos Iconoclaſtas, Conſtantino & Irene Imperatoribus, vt celebraret, indixit: eademque paribus ſententijs, pſeudoſynodum Conſtantinopolitanam à Copronymo indictam, vel etiam propterea damnauit, quod illa abſque voluntate Romani Pontificis, ſola poteſtate laica, collecta fuiſſet: ideoque latrocinij nomen meruiſſet.

Can. 10.

Apolog. 2. & Socr. lib. 2, c, 13

Itemque alij plures Imperatores.

In Apolog. & Socr. lib. 2, c. 16

Apud Luciferū Calarit. in fine, & tomo 9. Biblioth. SS. Patr.

Act. 18.

Act. 1.

Epiſt. Imperatorum & Leonis Papæ ante Concil. Chalced.

Act. 1.

Dioſcorus Patriarcha Alexand. abſque Apoſtolicæ Sedis auctoritate Concilium congens excommunicatus.

Euagrius c. 37.

Act. 4.

Act. 6.

Damnata itē Pſeudoſynodus Conſtantinopolitana.

Iam & octaua ſynodus Oecumenica, in cauſa Photij olim in Patriarchicum Conſtantinopolitanum intruſi, Conſtantinopoli collecta, Hadriano II. Pontifice iubente coacta fuit; vt Patres eius ſynodi actione I. & tertia agnoſcunt. Reliquæ poſteriores, Claromontana, ab Vrbano II. Lateranenſes ab Alexandro III. Innocentio III. Iulio II. & Leone X. Lugdunenſes ab Innocentio IV. & Gregorio X. Viennenſis à Clemente V. Florentina ab Eugenio IV. Tridentina à Paulo III. vel poſtulantibus, vel conſentientibus, vel & inuitis Chriſtianis Imperatoribus, & Principibus, non autem indicentibus conuocatæ ſunt: quod ad Imperatores, & Reges Chriſtianos, tutela quidem non verò auctoritas adminiſtrandæ Eccleſiæ pertineat: neque his, ſed Epiſcopis, atque inprimis ſupremo Epiſcoporum Romano Pontifici, curam ouium rationalium, totiuſque ouilis Chriſtiani regimen Chriſtus commiſerit. Itaque poſcere quidem poterunt Romanum Antiſtitem, qui Patres pro neceſſitate reipublicæ in vnum congreget, eiſque neceſſitatem veniendi imponat: quemadmodum Conſtantinus Sylueſtrum, Theodoſius Damaſum, Theodoſius & Valentinianus Cœleſtinum, Martianus & Pulcheria Leonem flagitarunt: *quo omnes*, ita Pulcheria Leonem interpellabat, *totius orbis Epiſcopi, Thraciæ atque Illyrici in vnam ciuitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant conuenire, vt illic ſancto Concilio de Catholica confeſſione, & de his Epiſcopis qui ante hoc congregati ſunt, ſicut fides & Chriſtiana pietas exigit, te authore decernant*. Theodorus Studita canonum & morum Eccleſiæ ſciens, iſtud auctoritatis indicendorum Conciliorum in Pontifice Romano agnoſcens, & ad idem remedij ad extinguendam hęreſim prouocans, hęc Leoni Sacellario Conſtantinopolitano ſcribebat; *Si quis autem quærat, quo pacto hæretici ex Dei Eccleſijs exturbandi ſint, & Nicephorus Patriarcha, qui nobiſcum in Concilio conuenit, idemque certamen ſubiuit, in ſuam ſedem reſtitui poſſit? Quando reliqui Patriarchæ coram conuenire nequeunt (quos tamen conuocare facile Imperatori eſſet) ſaltem adſit neceſſe eſt Occidentalis Eccleſiæ Pontifex, PENES QVEM EST COGENDI OECVMENICI CONCILII POTESTAS. Igitur hoc totum pacis & vnionis negotium, miſſis ad PRIMARIAE SEDIS ANTISTITEM literis, Imperator abſoluere poſſet. Sin verò id facere detrectat; quoniam, vt aiunt, Nicephorus Patriarcha vna nobiſcum à veritate aberrauit; iam opus erit, vt ex vtraque diſſidentium parte mittantur literæ ad Romanum Pontificem; & illinc expectetur certum de rebus Fidei decretum.*

Ad Imperatores tutela nō adminiſtrandæ Eccleſiæ pertinet auctoritas.

Romanum Antiſtitem ad Conciliū indicendam inuitatorijs licet.

In eadem edita extat epiſt. 1. Codice Vaticano num. 1431. interprete Nicolao Alemanno.

Penes Rom. Pont. cogendi œcumen. Concil. poteſtas.

Sciebat videlicet Studites, quæ Pontificis Romani, quæ Imperatoris Chriſtiani partes eſſent. Imperatoris flagitare, Pontificis imperare; huius cogere, illius inuitare; illius cum poteſtate, huius cum miniſterio ſynodum conuocare: niſi enim auctoritas ſęcularis cum Pontificia intercedit, vix poterunt Epiſcopi in vnum locum vnquam congregari, illudque antiquitus magis quam hoc tempore neceſſarium videbatur; tum quia ab Ethnicis periculum in itinere Epiſcopis imminebat; tum quia cum ij magna tunc paupertate premerentur, nec poſſent tantas impenſas facere, neceſſe erat illis commeatum ex publico Imperatorum & Principum ęrario miniſtrari; tum quia Ciuitates in quibus commode poterat celebrari Concilium, ſubditæ eſſent Imperatoribus; in quibus abſque illorum conſenſu, & executorio decreto, generales Conuentus haberi non poterant; maximè cum illi ſoleant eſſe principibus ſuſpecti.

Quæ partes Pontif. quæ Imper. circa Concil. celebrationem.

Recte itaque Studites, penes Romanum Pontificem, cogendi œcumenici Concilij poteſtatem eſſe aſſeruit; quod Chriſtus aſcenſurus in cœlum, non Tiberio Imperatori, ſed Petro piſcatori, adeoque cuicumq; eius ſucceſſori, Eccleſiam commendauerit; quodque Pontificis Romani multo latius pateat poteſtas, quam Imperatoris; & ad illum ſolum pertineat, controuerſias Fidei definire, leges pro diſciplina Eccleſiaſtica ſiue conſeruanda, ſiue inſtauranda, ſiue reuocanda ſtabilire, necnon ea omnia ſtatuere, quibus vnitas fidelium toto orbe diffuſorum augeatur, ad quæ omnia, cum executore opus habeat brachio ſęculari, conſueuerant Pontifices, ad indicenda Concilia, adminiſtris Imperatoribus, & Principibus vti, eaque de re literas ad illos dare, vt hi quoque datis ſuis literis Epiſcopos inuitarent, ſeu adeo permitterent, iuuarentque, quo intrepide & commodum accederent.

Chriſtus non Tiber. Imper. ſed Petro Eccleſiam commendauit.

Solus Pontif. Rom. controuerſ. fidei definire debet.

Confitentur iſtud Orientales Epiſcopi, Conſtantinopoli congregati, cum Damaſo perſcriberent: *Vos Concilio per Dei voluntatem ac nutum Romæ coacto, nos velut membra propria, per Imperatoris ſanctiſſimi literas accerſiuiſtis.* & iterum. *Mandato literarum ſuperiore anno à veſtra reuerentia poſt Concilium Aquileienſe ad Imperatorem Theodoſium miſſarum, ad iter duntaxat Conſtantinopolim vſque faciendum nos properauimus.*

Theodoretus lib. 5. c. 8. & 9. Ab exemplis.

Confitentur idipſum & ſecundæ Meſiæ Epiſcopi, Leoni Imperatori ſcribentes, iſta verba; *In Chalcedonenſium ciuitate multi ſancti Epiſcopi conuenerunt, per iuſſionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput eſt Epiſcoporum.*

In epiſt.

Confitetur & Martianus Imperator, quod Leoni Pontifici ſupplex fuerit, pro ſynodo indicenda, quam pro reparanda Orientalis Eccleſiæ pace neceſſariam iudicabat: quod ſciret Pontificis Romani tanquam Capitis Eccleſiæ eſſe, membra ſua colligere & conuocare. Ad hunc modum Leoni ſupplicabat: *Tuam ſanctitatem Principatum in Epiſcopatu fidei obtinentem rogamus, ad celebrandam ſynodum te auctore.* Iſtud iuris, & moris ſciens Theodoricus Italię Rex Arianus, (vt animaduertebat Sanderus) primum à Pontifice Romano impetrauit, vt per literas ſuas ſynodum indiceret; deinde cum Epiſcopi ſeptuaginta & amplius conueniſſent, Rexque iuberet illis acta Pontificis Romani diſcutere; illi vero talem ſynodum ſolius Regis auctoritate indictam rati, dicerent, Pontificem debere ſynodum congregare; annuit Rex, & ita iam factum affirmauit. Cum Epiſcopi non crederent, Theodoricus Symmachi literas exhibuit, Romanique Pontificis auctoritate illos eſſe euocatos oſtendit. Eundem morem ſciens, & Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Vigilium Papam interpellauit; *Petimus*, inquit, *præſidente nobis veſtra Beatitudine, de tribus capitulis quæri, & conferri.* Huic porro Vigilius reſcripſit: *Annuimus, vt de tribus capitulis, facto regulari conuentu, medijs ſacroſanctis Euangelijs, collatio habeatur, & Deo placitus finis detur*, ad quod cum Imperatoris opera quoque neceſſaria exiſtimaretur, hunc etiam vt Epiſcopos literis inuitaret, Vigilius admonuit. Iſtud iuris & moris Patrum quoque noſtrorum memoria, in indicenda ſynodo Tridentina ſeruatum eſt. Schiſmatis, diſſidijs, hæreſibus, erat Chriſtiani nominis diuulſa iam penè & lacerata vnitas: infidelium armis reſpublica Chriſtiana oppreſſa, Rhodus amiſſa, Hungaria à Turcis vexata, conceptum & meditatum contra Italiam, Auſtriam, & Illyricum terra marique bellum; cum impius & immitis Turca, nullo tempore quieſceret, Chriſtianorumque Principum inter ſe odia & diſſenſiones ſuam bene gerendæ rei occaſionem duceret. Ad hæc mala auertenda, cum Oecumenici Concilij celebrationem opportunum remedium cuncti cenſerent, illud in primis Carolus V. Imperator, Ferdinandus Rex Romanorum, Franciſcus Rex Galliarum, & alij Principes Chriſtiani, à Paulo III. flagitarunt; hic vero cum illorum & ſententias, & poſtulationes audiuiſſet, tandem poſt multas prorogationes, his verbis indixit:

Leo in epiſt. 44.

ib. 4. de Clauo Dauid. c. 3. ex actis 4. ſynodi ſub Symmacho.

Tomo 2. Concil. in fine 1. Colla. 5. Synodi.

Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ac Beatorum eius Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque ſubnixi, de venerabilium item fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Conſilio & aſſenſu, ſacrum Oecumenicum & generale Concilium in ciuitate Tridentina, loco commodo & libero, omnibuſque nationibus opportuno, ad Kalendas proximas Nouembris anni præſentis ab incarnatione Domini M D X L I I. incipiendum, proſequendum, & eodem Domino adiuuante, ad ipſius gloriam atque laudem, & Chriſtiani totius populi ſalutem abſoluendum, perficiendumque, indicimus, annunciamus, conuocamus, ſtatuimus atque decernimus; omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, quam alios quoſcumque, quibus iure, aut priuilegio in Concilijs generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis in vi iuriſiurandi, quod nobis & huic ſanctæ ſedi præſtiterunt, ac ſanctæ virtute obedientiæ, alijſque ſub pœnis iure, aut conſuetudine in celebrationibus Conciliorum aduerſus non accedentes ferri, & proponi ſolitis, mandantes, atque præcipientes, vt ipſimet (niſi forte iuſto detineantur impe-

In Bulla indictionis Concil. Trident.

impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur) aut certè per ſuos legitimos procuratores & nuncios, ſacro huic Concilio omninò adeſſe & intereſſe debeant. Supra autem dictos Imperatorem, Regemque Chriſtianiſſimum, necnon cæteros Reges, Duces, Principes, quorum præſentia, ſi alias vnquam, hoc quidem tempore maximè ſanctiſſimæ Chriſti Fidei, & Chriſtianorum omnium futura eſt ſalutaris, rogantes, atque obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius fidei veritas & religio & intus & extra grauiter iam oppugnatur, vt, ſi ſaluam volunt Chriſtianam eſſe rempublicam, ſi ſe Domino obſtrictos & obligatos pro maximis illius erga ſe beneficijs intelligunt, ne deſerant ipſius Dei cauſam & negotium; ipſimet ad ſacri Concilij celebrationem veniant, in quo ipſorum pietas, atque virtus communi vtilitati, ſalutique ſuæ, ac cæterorum, & temporali, & æternæ plurimum eſt profutura.

Sin autem (id quod nollemus) accedere ipſi non poterunt; at graues ſaltem viros Legatos cum auctoritate mittant, qui perſonam Principis ſui, quiſque, & cum prudentia, & cum dignitate poſſint in Concilio referre.

Inprimis verò, vt id curent (quod ipſis facillimum eſt) vt ex ſuis cuiuſque regnis, ac prouincijs Epiſcopi & Prælati ſine tergiuerſatione, & mora ad Concilium proficiſcantur: quod maximè quidem à Prælatis, Principibusque Germaniæ, Deum ipſum atque nos impetrare æquum eſt: vt cum eorum præcipuè cauſa, ipſiſque cupientibus Concilium indictum ſit, & in ea Ciuitate indictum, quæ ab eis eſt deſiderata, non grauentur ipſi ſua cunctorum præſentia id celebrare & ornare; quo melius, atque commodius quæ ad integritatem Chriſtianæ religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum, quæ ad Chriſtianorum inter ſe tam Principum, quàm populorum pacem, vnitatem, concordiamque pertineant, & quæ ad repellendos impetus barbarorum & infidelium, quibus illi vniuerſam Chriſtianitatem obruere moliuntur, ſint neceſſaria, Deo noſtris conſultationibus præeunte, & lumen ſapientiæ ſuæ, ac veritatis mentibus noſtris præferente, agi in dicto ſacro Oecumenico Concilio, & conſpirante omnium charitate conſuli, tractari, confici, ad optatoſque exitus deduci quamprimum, & quam optime poſſint.

Hæc Paulus III. cunctis Chriſti fidelibus edicebat, conſcius auctoritatis Paſtoralis, cuius eſt, *quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum, educere eas de populis, & congregare eas de terris*, ad vnum ouile, in quo Publica ſalus omnium curetur. Præter hæc.

Ezech. 34.

CAPVT IX.

Pontifex Romanus Conciliorum Oecumenicorum Præſes.

Præſes ouium in medio ouium.

ILlud prærogatiuæ illi Deus pollicebatur dicens: *Ego autem Dominus ero eis* ſcilicet Ouibus *in Deum, & ſeruus meus Dauid, Princeps in medio eorum*. Si Princeps, in medio ouium! Itaque & Præſes ouium. Namque nulla ouis, nullus grex, ſuper Paſtorem: quemadmodum nec vllum membrum nec omnia membra ſuper caput; nec vlla familia ſuper Patremfamilias; nec vlla ſponſa ſuper ſponſum; nec vlli remiges ſuper Proretam: nec vllum Imperium Monarchicum ſuper ſuum Monarchum: neque (vt propius accedam) Apoſtolorum chorus, aut vniuerſa congregatio credentium, ſuper Chriſtum: quem Deus pacis eduxit, non tantum *Paſtorem magnum ouium* vt Paulus appellabat, verum etiam *PRINCIPEM PASTORVM*, vt Petrus demonſtrabat. Si itaque Chriſtus, Princeps Paſtorum, tantæ auctoritatis, tantique iuris, vt & ſingulis Paſtoribus, atque Epiſcopis quos Deus poſuit regere Eccleſiam ſuam, emineat, & omnibus ſimul collectis præſideat; Pontifex autem Romanus, locum illius in vniuerſa Eccleſia, cum poteſtate Vicarij obtineat & impleat; pari iure, vt ſingulos antecellit ita & omnibus in commune congregatis præſidebit: & ipſe quoque, & *magnus Paſtor*, & *Princeps Paſtorum*: cui, non alteri cuipiam ex Apoſtolis, non alicui ex diſcipulis, nemini Imperatori, aut Regi terreno, ſed ipſi ſoli Chriſtus dixit, *Paſce agnos meos, paſce oues meas*: ſeu, quemadmodum Chryſoſtomus exponebat: *Eſto præpoſitus loco mei, & Caput fratrum tuorum*. Vt ſicut Caput inter cætera membra corporis, velut in quo viget plenitudo ſenſuum & rationis, obtinet Principatum, ſic & Petrus inter Apoſtolos, & non nemo ſucceſſorum ipſius, inter vniuerſos Eccleſiarum Prælatos prærogatiua præcelleret dignitatis, vtpotè omnium Præſes & Antiſtes: potis, non honorariè tantùm, ſed ex auctoritate, & in medium negotia proponere, & in ſententiam ſuam reliquos adducere: *Princeps in medio eorum*. Sic Petrus Primas Apoſtolici Senatus, ſiue vt Chryſoſtomus eum vocabat, *eius chori Princeps, auctoritate ſibi à Chriſto tradita qua omnes habebat in manu*, Concilio centum viginti virum, ſtatim ab aſcenſione Redemptoris, pro deligendo Apoſtolorum vnico, Hieroſolymis indicto; *exurgens in medio fratrum*, velut Princeps in medio eorum, rem ad deliberandum propoſuit, inque ſententiam ſuam omnes alios adduxit. Sic & paulò poſt, in alio Hieroſolymitano Concilio, cum de legalibus antiquandis, *magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus* Princeps in medio eorum, omnibus præfuit, vt Hieronymus Auguſtino, & Theodoretus Leoni I. ſcripſit. Namque primus ſurrexit, primus locutus eſt, primus quæſtionem definiuit, omneſque in eius ſententiam deſcendentes, Iacobo Hieroſolymitano Epiſcopo, iſtud honoris detulerunt, vt is decretum Principis omnium, explicarit atque publicarit. Sic etiam, antequam Apoſtoli in gentes proficiſcerentur, cum normam prædicationis in commune ſtatuerent, theſſeramque Chriſtianitatis, ſcilicet Catholicum ſymbolum ſententijs ſignarent, Petrus Princeps primus dixit; *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, vt Auguſtinus affirmat. Primus ſingulis Prouincias deſignauit; ac velut Primarchus, & Apoſtolici Ordinis Princeps, Principem Orbis Vrbem Romanam ſibi delegit, vt lux veritatis quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus diffunderet, cum & omnium natio-

Hebr. 13.

Magnus Paſtor, & Princeps Paſtorum Pont. Rom.

Petrus inter Apoſt. vt caput inter membra corporis.

Hom. 3. in Act. Apoſtol.

Act. 1.

Act. 15. Epiſt. 11. ad Auguſt. epiſt. ad Leon. I.

Serm. 115. de tempore. Cur in diuiſione Prouin. Petrus Romam ſibi delegerit.

nationum homines in vrbe eſſent; & quod nullæ gentes poterant ignorare, quæ Roma, didiciſſet. Priuilegij Pontificij non immemor Syluester, magno Nicæno Concilio cum auctoritate præfuit, cum Oſium Cordubenſem Epiſcopum, ſedis Apoſtolicæ Legatum illo miſit, qui vna cum Viro & Vincentio presbyteris Romanis, Collegatis, ante Imperatores & reliquos Patriarchas, nec non ante totius Africanæ Eccleſiæ Primatem, ac reliquos præſtantiſſimarum ſedium Epiſcopos, in aliena prouincia, & celeberrimo omnium conſeſſu, primus ſubſcripſit: quod locum teneret, & perſonam repræſentaret ampliſſimæ omnium poteſtatis. Conſtantinus Imperator, quamquam ad ornandum cœtum Concilio huic interſuiſſet; præſidis tamen neque locum, neque officium ſibi vſurpauit: Sed [a] humilem ſedem inter omnes elegit; [b] *nullas leges ante præmiſit, ſed liberum Sacerdotibus iudicium dedit*; quin & criminationes Epiſcoporum diſcernere recuſans reiecit, illud memoria dignum prolocutus: [c] *Mihi non eſt fas, cum homo ſim, eiuſmodi cauſarum cognitionem arrogare, præſertim cum & qui accuſant, & qui accuſantur Sacerdotes ſint. Deus enim vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à vobis rectè iudicamur; vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Vos nobis à Deo dati eſtis Dij; & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diſcernit.* Itaque ſatis habuit Conſtantinus in eo cœtu, attente audire, paci ſtudere, veritati fauere, fouere concordiam, tumultus comprimere, ac diſcrepantes à veritate reuocare; non autem ſuffragium ferre, vel cauſam ſententia definire, vel quampiam legem, ſiue ad fidei dogmata, ſiue ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentem, Patribus inconſultis præſcribere.

Probatur ex diuerſis Conc. Rom. Pontif. Concilijs præfuiſſe & primo Magno Nicæno per legatum. *Acta Concil. to. 1. concil.*

Quantũ Conſtant. Imp. Sacerdotibus detulerit in Concil. a *Euſebius l. 3. c. 10 vita.* b *Ambroſ. epiſt. 32 ad Valentinian.*

c *Sozom. lib. 1. c. 16. & Ruffinus lib. 1. c. 2.*

Conſtantinopolitano I. in cauſa Gregorij Nazianzeni, & Fidei Nicænæ congregato, neque Theodoſius Imperator, neque Damaſus Pontifex interfuit, aut Legatos eo deſtinauit. Quod tamen Theodoſius, litteras Damaſi Pontificis, indictionis eius Concilij Patribus miſiſſet, vt Patres illi ipſi apud Theodoretum Damaſo ſcribentes fatentur: & illi ipſi auctoritate Damaſi conuocati conueniſſent; & Damaſus eos Conſtantinopoli, Romam, vt ibi plenarium cum Epiſcopis Occidentalibus celebrarent Concilium euocaret: hi vero Orientales, quod propter grauiſſimas tempeſtates ab Arianis vbique per Orientem excitatas, Eccleſias ſuas tamdiu relinquere non poſſent, excuſaſſent; Romanamque Eccleſiam caput omnium Eccleſiarum, ſe autem illius capitis membrum perſcripſiſſent: atque Damaſo pro confirmatione Actorum ſupplices fuiſſent, eidem cœtui Damaſus quamuis actu non præfuerit, poteſtate tamen præfuit: præſertim cum illud Concilium conuocauerit, confirmauerit, ſuæque auctoritatis pondere œcumenicum reddiderit: vt Theodoretus reliquit.

Conſtantinopolitano. *Lib. 5. c. 5 & 8.*

Epheſino, in cauſa Diuæ Deiparentis Mariæ, cum blaſphemo Neſtorio, Theodoſius Iunior Imperator, quamuis Candidianum Comitem intereſſe iuſſiſſet; tamen, non vt conſultationibus Epiſcoporum ſeſe is immiſceret, ſed ex more, vt omnia ibidem ſumma tranquillitate agerentur curaret, quemadmodum is ipſe Imperator, ſuis ad ſynodum ſcriptis litteris conteſtatus eſt. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, Cæleſtini Pontificis vicem agens, plus minus trecentis Patribus præfuit, primumque locum obtinuit. Indè vero Arcadius Legatus, vbi aduenit: vt Proſper, Euagrius, & Creſconiana actionum Concilij collectio teſtantur.

Epheſino per legatum.

Act. Epheſin. tom. 1. c. 32.

In chron. lib. 1. cap. 4. *Act. 3 & 4.*

In Calcedonenſi, ſexcentorum fermè Patrum Synodo, Marcianus Imperator, & Pulcheria Auguſta, interfuere, & Cognitores iudices poſt ſuum diſceſſum reliquere, non ad oſtendendam potentiam, ſed ad fidem confirmandam, ſeu potius tuendam: ne factione Dioſcori Patres turbarentur, ſed omnia tuto & pacifice tractarentur. Quamobrem exemplum Magni Conſtantini, Imperator, ſe ſequi, in ſynodica palam profeſſus eſt; qui Nicæno Concilio intereſſe, non præeſſe, & auditoris non Doctoris, ouis non Paſtoris, Defenſoris non Diffinitoris partes ſuſtinere voluit: eaque propter & ipſe cum Auguſta, non cum Epiſcopis intra cancellos, ſed extra conſedit: dato primo ante omnes Epiſcopos loco, Leonis Papæ & Sedis Apoſtolicæ Legatis, Paſchaſino Lilybæi, ac Lucentio Aſculano Epiſcopis, nec non Bonifacio atque Baſilio, S. R. E. Cardinalibus presbyteris, Hi nomine Leonis Concilio præfuerunt, primum locum impleuerunt, & ante omnes Patriarchas & Epiſcopos primi in Dioſcorum ſententiam tulerunt, eique ſubſcripſerunt. Cum vero Anaſtaſius Imperator, aliquanto poſt, auctoritatem eius Concilij niteretur conuellere, & in ſuam ſententiam Macedonium Patriarcham Conſtantinopolitanum virum Catholicum pertraheret, Macedonius ei reſpondit: *Sine vniuerſali Synodo, cui magnæ Romæ Epiſcopus præſideret, nihil ſe facturum.* quod non Imperatoris, ſed Pontificis Romani eſſet Concilio præſidere.

Calcedonenſ. per legatos. *Act. Concil. Calcedonenſ.*

Marcianus Imper. non cum Epiſcopis intra Cancellos ſed extra conſedit legatis Pontif. primũ locum tenentibus. *Theodoretus Lector. lib. 2. Collectaneorum.*

Altero Conſtantinop. per legatos. *Act. Concil. 2. apud Baronium anno 553.*

Reſponſum Macedonij Patrum Conſtantinop. ad Anaſtaſ. Imp.

Iam tempore Iuſtiniani, Conſtantinopoli, centum ſexaginta Epiſcopi auctoritate Vigilij Papæ congregati, quod ſcirent illum iure ſupremo præſidem eſſe Conciliorum, inprimis Eutychio Patriarchæ Conſtantinopolitano auctores fuerunt, qui Vigilio hunc in modum nomine omnium ſcriberet: *Petimus præſidente nobis veſtra beatitudine, de tribus capitulis quæri & conferri.* deinde cum is detrectaret venire, viginti Legatos, in quibus Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus Patriarchæ, ac reliqui omnes Metropolitani Epiſcopi numerabantur, ad accerſendum, vt præſideret, ire iuſſerunt, cumque grauiſſimas rationes cauſaretur, iterum eoſdem Legatos, vna cum Imperatoris Iuſtiniani Legatis, Beliſario & ſex alijs exconſulibus & Patricijs, ad eum, vt Concilio præeſſet, deque tribus Capitulis ſententiam proferret, ſupplices miſerunt. Cumque adhuc recuſaret, ac multi ex Patribus, præſertim Primaſius Adrumentinus, & Illyriorum Epiſcopi, cœtum aliorum refugerent: hi

vero

vero ad euocandos illos, tres Epiſcopos deſtinaſſent, Primaſius noluit ad Concilium accedere: & cauſa n reſpondit; *eo quod Papa non eſſet præſens præſes in Synodo*. Zonaras in vita Iuſtiniani teſtatur, *ſub hoc Imperatore quintum Concilium eſſe coactum, centum ſexaginta Epiſcoporum, quorum PRINCEPS fuit Vigilius Papa Romanus, qui tunc Conſtantinopoli agebat*.

Vigil. PP. ipſemet.

Trullano Cōſtantinop. vbi Imp. legatis Pont. primum locum conceſſit. *Anaſtaſ. in Agathone. Zonaras in vita Conſtantini IV & Act Concil. Trullani.*

In Trullano Conſtantinopolitano Concilio, Conſtantinus Pogonatus Imperator, quamuis eminentiore loco cum ſuis Magiſtratibus conſediſſet: non tamen inter Patres primum locum vſurpauit, ſed eum Legatis Agathonis Papæ Petro & Georgio presbyteris. & Ioanni Diacono conceſſit, qui & primo loco præſederunt, & primi ſententiam dixerunt, atque primi omnium omnibus ſubſcripſerunt; Imperatore conſeſſum ornante, & ne quid turbatum aut diſcordiarum naſceretur procurante. Namque, vt Patres Concilij Chalcedonenſis agnoſcebant, *Pontifices quidem Romani, tamquam Caput membris, Concilijs præſidebant; Imperatores vero ad ornandum decentiſſime adſidebant; ſicut Zorobabel & Ieſus, Hierusalem renouare circa dogmata annitentes*.

Act. 3. Concil. Chalcedonenſ.

Niceno ſecundo per legatos cui non interfuit Imp.

Nicænam ſecundam Oecumenicam Synodum, in Iconoclaſtas collectam, neque Conſtantinus, neque Irene. Impp. viderunt. Magiſtratus tantùm ſuos, qui paci & concordiæ fauerent, non verò dogmaticis diſſertationibus præſiderent, aut ſententiam ſuam interponerent, eo miſerunt: Supremam inter Patres cathedram & dignitatem obtinentibus, Adriani Papæ, Petro Archipresbytero, & Petro S. Sabbæ Abbate, Legatis, qui primi ante omnes ſententiam proponebant, ſubſcribebant, renunciabant: nihil in res Synodicas vſurpante Imperatore. Præclare tunc monachi Palæſtinæ, Taraſio Patriarchæ Conſtantinopolitano, quid Imperatoris muneris eſſet, quo ve loco haberi debeat, reſcripſerunt, hunc in modum: *Secundas Eccleſiæ portant Imperatores: nam primum locum in Eccleſia Sacerdotes poſſident. Sacerdotium enim Imperij ſanctificatio eſt, & conſtitutio: & Imperium Sacerdotij fortitudo & firmamentum. De quibus ſapiens quidam Princeps, & in ſanctis Regibus beatiſſimus ait; Maximum donum Deus hominibus præſtitit, Sacerdotium & Imperium: Illud quidem adornans & regens cœleſtia, hoc vero gubernans iſta terreſtria*. Huius Sacerdotij; quod Pontificem Romanum, Patres vniuerſi, ſcirent ſupremum Hierarcham, primas Legatis illius in Concilio detulerunt: neque pſeudoſynodum Conſtantinopolitanam à Copronymo coactam, inter Oecumenica numerare ideò voluerunt; quod *non habuerit cooperatorium*, inquiunt, *vt hæc quæ nunc Nicææ celebratur, Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per prouinciales litteras, quemadmodum in Synodis fieri debet*. Monachi quoque Palæſtinæ, Patriarchas Orientis, quod neque ſextæ, neque huic ſeptimæ Oecumenicæ ſynodo, ob tyrannidem Saracenorum illic dominantium, potuerint intereſſe excuſantes, ad Oecumenicam Synodum ſatis eſſe ſcripſerunt, *cum ſanctiſſimus Apoſtolicus Papa Romanus concordauerit, & in eadem ſexta Synodo, inuentus ſit per Apocriſarios ſuos, & nunc ſimiliter fiet in iſta ſeptima*.

Præclare de Sacerdotio & Imperio ſententiæ.

Act. 6. Concil. 8 Nicæni.

Conſtantinopolitano, Oecumenico Octauo, in cauſa Photij, & Ignatij congregato, Baſilius Imperator vna cum pluribus Patricijs adfuit, atque pro ſe munus iudicis Cognitoris Bahani viro primario impoſuit: qui non quidem definiret, neque ſententiam ferret, ſed definienda proponeret, ſententias Patrum rogaret, atque tumultum cohiberet: primum locum inſidentibus, Donato Oſtienſi Epiſcopo, & Marino S. R. E. Diacono Hadriani II. Papæ Legatis. in ipſa vrbe Conſtantinopolitana, ſolenni ritu ab vniuerſo Clero, Patricijs, alijſque omnibus Palatinorum ordinibus, & cuncto populo cum cereis & lampadibus procedente, ſuſceptis. Tanta fuit in eo cœtu Adriani Papæ auctoritas, vt in prima actione nihil aliud ſanxerint, quam *vt in omnibus obediretur Romani Pontificis decretis*.

Act. Concil. 8. Conſtant. 8. per legatos. Colligitur potius ex Can. 2.

Quod reliqua poſteriora Concilia œcumenica attinet, ijs omnibus Pontifices Romani, non Imperatores aut Reges Chriſtiani præfuerunt: Claremontano, Vrbanus; Lateranenſi I. Alexander III. Secundo, Innocentius III. tertio Iulius II. & Leo X. Lugdunenſi I. Innocentius IV. ſecundo, Gregorius X. Viennenſi Clemens V. Conſtantienſi, Martinus V. Florentino, Eugenius IV. Tridentino, Pauli III. Iulij III. & Pij IV. Legati ac Nuncij, primum Ioannes Maria de Monte Epiſcopus Præneſtinus, Marcellus Ceruinus tit. S. Crucis in Hieruſalem, Reginaldus Polus Sanctæ Mariæ in Coſmedin, S. R. E. Cardinales, deinde Marcellus Creſcentius tituli S. Marcelli presbyter Cardinalis, Stephanus Pighinus Archiepiſcopus Sipontinus, & Aloyſius Lipomanus Epiſcopus Veronenſis poſtremo ſucceſſiuè, Hercules Gonzaga tituli Sanctæ Mariæ Nouæ presbyter Hieronymus Seripandus, tituli Sanctæ Suſannæ presbyter Ioannes Moronus Epiſcopus Præneſtinus, Stanislaus Hoſius Polonus Epiſcopus Varmienſis, tituli Sancti Laurentij in Paliſperna, Ludouicus Simoneta tituli Sancti Cyriaci in thermis presbyter, Bernardus Nauagerius tit. S. Nicolai inter imagines, & Marcus Sitticus tit. Baſilicæ XII. Apoſtolorum Diaconus, S. R. E. Cardinales. Hi primo loco ante omnes Imperatoris & Regum Oratores, nec non ante omnes Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos conſederant, primi omnia proponebant, ſententiam ferebant, decernebant, adeòque nomine Pontificis Romani vniuerſo cœtui præſidebant: quod is omnibus atque ſingulis antiſtet. Præter hæc.

Acta Conciliorum. Auctoritate aliorum Conciliorum, quibus vel per ſe vel per legatos præfuerūt Pontif.

CAPVT X.

Pontifex Romanus, Conciliorum præfinitor.

FVturum iſtud olim prænunciabat Propheta dicens: *Et erit in loco vbi dictum eſt eis: Non populus meus vos; dicetur eis: Filij Dei viuentis. Et congregabuntur filij Iuda,*

Oſea 1.

Iuda, & filij Iſrael pariter ſcilicet ex Iudęis & Geutibus in vniratem fidei congregatis, *& ponent ſibi Caput vnum, & adſcendent de terra,* ſcilicet. Ille quem ſibi Eccleſia vniuerſa Antiſtitem & Paſtorem eliget, Capitis loco in corpore myſtico eminebit: atque omuibus ac ſingulis ſpiritualibusj membris in vnam compaginationem collectis, pro ſummo conſilio atque imperio, quid credere, quid tenere, quid profiteri, quid agere debeant, pręſcribet, non minùs quam caput humanum ſubiecto, adiunctoque ſibi corpori. Quamobrem ſicut membra coeporea ad eapur aſſuegunt, vt ab eo vitam, ſenſum, lumen, motum, normam accipiant; ita filij Iuda, & filij Iſrael pariter, cum ſibi ſupremum Pontificem, vnum Caput vnius vniuerſalis Eccleſię poſueeint, ad eum aſcendent, ſententiam in rebus dubijs audituri: ipſe vero in eorum cœtu Oecumenico, pro ea quam obtinet dignitate, habebit poteſtatem opera supremę auctoeitatis exercendi. Si quis *ambulans* viator, *fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ,* fuerit in hoc corpore hierarchico, *non tenens Caput, EX QVO totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum, creſcit in augmentum Dei*; is ſolo nomine eſt membrum; re autem ipſa, à corpore eeliquo reciſum, putridum, vita priuum, nec niſi eadauer exangue vermibus deſtinatum: non minùs quam aliquis inueteri lege, qui *ſuperbyſſet nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrabat Domino Deo ſuo.*

Coloſſ. 2.

Deuter. 17.

Ad eum enim quoque eeliquos deſtinabat Deus; ſi quid difficilè & ambiguum iudicium perſpexiſſent, intee ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepeam: atque Iudicum intra portas ſuas vidiſſent veeba variari: *ſurge*, inquit, *& aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore,* ſupremus Saeerdos, *quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudidij veritatem*: Supremo Sacerdote cunctis prędidente, pręeunte, pręſeribente, & de tora controuerſia pręiudicium, ex poteſtate anteponente.

Spiritus iudicij ſedenti ſuper Iudicium Iſa. 28. & 59.

Nou mirum, ſi tanta in cœtu poteſtate pręſtare voluerit Deus Antiſtitem omnium ſacrorum. Namque huic ſoli promiſit; *Spiritum iudicij* affore perpetuo, *ſedenti ſuper iudicium*: neque Spiritum, qui erat in Chriſto Capite, & verba quę in ore eiuſdem poſuerat, vnquam recedere debere, ab ore eius ſeminis, Vicarij, à modo & vſque in ſempiternum. Itaque pro hac plenitudine peęſentiſſima & eminentiſſima Spiritus, iudicij, & verborum diuinorum, in ſupremo capite, tantę auctoritatis illum in Concilio iuſtorum ſtatuit, vt ipſe ſolus, ſolus, inter eos cuncta iuris ſupremi officia exereeat, neceſſitatemque cunctis imponat. Petrus Apoſtolorum Antiſtes, quod Cephaz ſeu Caput eſſet conctorum poſt Chriſtum, iſtud muneris in Comitio Apoſtolico exercuit.

Petrus poſt Chriſtũ cunctorũ caput. Act. 1.

Enimueeo ad complendum duodenarium Apoſtolorum numerum, cum loco Iudę pręuaricatoris ex verbis Prophetę inſtituendus eſſet alius, dicens illud, *Oportet impleri ſcripturam; &, Oportet ex his viris, qui nobiſcum congregati ſunt in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis vſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis*: non rantùm propoſuit, ſed etiam pręſceipſit faciendas eum etiam electionem vnius, ad ſolos vieos, Chriſti à baptiſmate Ioannis vſque ad diem aſſumptionis illius diſcipulos, ab ampliſſimo aliorum numeto, reſtrinxit: & ex his ſolis, non vero ex omnibus Chriſti ſequaeibus, vnum eſſe deligendum pręfiniuit.

Petrus in Concil. propoſuit & præſcripſit facienda ratione Iudæ præuaric. Act. 15.

Cum etiam intee Apoſtolos, ad conſultationem Chriſti fidelium maxima fieret conquiſitio, verum oporteret circumcidi credentes, & legem Moſaycam obſeruari; Petrus principali fretus auctoeitate, eunctis in Concilium euocatis pręſeripſit, cum reſpondit; *Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Cuius ſententiam ſubſecutus, Apoſtolicum ſupee ipſa quęſtione decretum Iacobus promulgauit.

Præſcripſit in concilio ratione circumciſionis.

Eadem principali auctoritate freti, Petri ſucceſſores, Romani Pontifices, Concilijs non tantum peouincialibus & Patriarchalibus, verum & œcumenicis, credenda atque agenda peeſcripſerunt.

Euſebius in Chron. & lib. 5. hiſt. cap. 24. Victor I. præſcripſit Cõcil. ſuper celebratione Paſchatis.

Victor I. cum videret iuſſu ſuo, in mateeia Paſchalis ſolemnitatis, in Palęſtina à Theophilo Cęſarienſi Metropolitano, & Nareiſſo Hieroſolymorum Epiſcopo, itemquę in Ponto à Palma Epiſcopo; in Gallijs ab Ireuęo Lugdunenſi, in Gręcia à Bacchyllo Corinthio, in peouincia Oſeoena, ac denique per vniuerſum ferme terrarum Orbem, Concilia fuiſſe collecta, ſuam cunctis ſententiam, vt ſcilicet, *omnes & ſinguli ex doctrina Petri & Pauli Apoſtolorum, Romanæ Eccleſiæ more, Dominico die Paſcha celebrarent,* pręſcripſit: inque Quartadecimanos Iudaizantes anathema ſtrinxit: non immemor oraculi ab Ignatio martyre prolati; *Si quis cum Iudæis celebraret Paſcha, particeps eſſet eorum qui Dominum & Apoſtolos illius occiderunt.*

Zephyrinus contra Cataphryges. Hieron. in Gaio. Euſeb. 6. hiſt. 14. Tertul. de velan. c. 1. & 13.

Zephyrinus deinde I. eum Romę in Concilio indicto, Gaius ſpectatiſſimę vitę & eruditionis vit, diſputatione valdè inſigni aduerſus Peoclum Montani diſeipulum, inter cathaphrygas celeberrimum, inſtitura, Montaniſtas omnes temeritatis ſuper noua prophetia defenda conuiciſſet, dignoſque quos Pontifex anathemate percellerer oſtendiſſet; omnibus Catholicis Epiſcopis vbique gentium in ſynodo connocatis, quid de Cataphrygis decernere deberent, edixit.

Cornelius quoad Nouatianos in alios. Euſeb. 6. hiſtor. 35. & ali. Cyprian. ep. 54. 55. 68.

Pari poteſtate Cornelius Papa, cum in ſynodo Romana, Nouatum damnaſſet, Nouatianoſque omnes ab Eeeleſia excluſos eſſe, lapſos autem poſt pœnitentiam recipi debere indieaſſet; Antiocheno & Carthaginenſi Concilijs, Synodicam decretalem, ſecundum quam de toto Nouatianorum errore decernerent miſit, illoſque Patres eo adduxit, vt hi omnibus lapſis qui ſe hactenus verè pœnitentes demonſtraſſent, aperuerint portas Eccleſię in qua communione ſanctiſſimę Euchariſtię, aliorumque Sacramentorum

robo-

roborati aduerſus ingruentes hoſtes redderentur fortiores. Porro quod Cornelius, ſic Sacerdotes lapſos pœnitentes ad Eccleſiam admittendos eſſe, vt tamen à Sacerdotali functione abſtinerent, & tantùm laica communione impartirentur, in Concilio Romano decreuiſſet; Baſilides autem & Martialis, alter Legionenſis, Aſturienſis alter Epiſcopus, lapſi non ſolùm in Eccleſiam recipi, ſed & præſidere in ea ſatagerent; Cyprianus conuocata Africanorum Epiſcoporum Synodo, ex Cornelij præſcripto decreuit, Epiſcopos lapſos, ab ordinatione Cleri, atque ſacerdotali honore probiberi: eaque de re totius Synodi nomine ad Legionenſem, & Aſturienſem Eccleſias dedit litteras, quibus quid, quaue ratione factum ſit comprehendit.

Cyprian. ep. 68.

Syluester in Arelat. Conc. contra Donatiſtas canones præſcribit.
Baldvinus in Optato, & Acta Concil. Arelaten.

In Arelatenſi ſexcentorum Patrum Concilio, in cauſa Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi & Donatiſtarum, ſub Conſtantino Imperatore coacto, Syluester Pontifex, non tantùm, miſſis illic Claudio & Vito presbyteris, Eugenio & Cyriaco Diaconis præfuit, verum etiam præſente Auguſto Canones præſcripſit. Ex his primus numeratur de obſeruatione Paſchæ Domini, vt ſecundum definitionem Romani Pontificis, vno die, & tempore per vniuerſum orbem celebraretur. In Gangrenſi Paphlagonum Synodo, grauiſſima aduerſus Euſtactum controuerſia agebatur. Is monachiſmo plus nimio fauens reliquos Chriſtianorum ordines adeo damnabat vt doceret, ſpem nullam apud Deum ſalutis omnibus Chriſtianis fore, niſi omnibus renunciarent diuitijs; ac non tantùm parentes, liberos, & hi illos, verùm vxores viros ſuos relinquerent. In ea concertatione, Syluester Papa, miſſo Oſio Legato primas tulit, hæreſiarcham gladio Apoſtolico percuſſit, nec non canones Apoſtolica auctoritate patribus præfiniuit, prælata ſententia de omnibus, & prælato anathemate in nouantes. Iam in negotio altiſſimo Sacroſanctæ Trinitatis, cum Arius, Euſebius, & alij ex Pauli Samoſateni Schola errones, Filium & Spiritum ſanctum maieſtate imminuerent, *Epiſcopus Romanus* verbis Sozomeni narro, *de controuerſia certior factus, ad Eccleſias Orientis litteras ſcripſit, vt vna cum Sacerdotibus & Epiſcopis occidentis, Trinitatem, & Conſubſtantialem eſſe, & gloria æqualem exiſtimarent. Quo facto ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis acquieuerunt; hæcque controuerſia de ſimili ac diſſimili Filio, & de Spiritu ſancto, an miniſter & natura diuerſus eſſet, finem habere viſa eſt.* Cumque eius definiendæ, trecenti & decem octo Patres Nicæam conueniſſent, inque commune multa contra Arium contuliſſent, Magnus Oſius ipſius Synodi princeps, theſſeram Fidei ſolemnem vniuerſo Orbi præſcripſit, omniaque hæreſis capita Arianæ ex Syluestri Papæ ſententia præſcripta prætruncauit: quemadmodum magnus Athanaſius confitetur. Non ignota fuit Patribus Nicænis, ea præfiniendi, præſcribendique auctoritas, Romano Pontifici, in Petro Primarcho, à Chriſto collata. Quamobrem, non quidem ſanxerunt, neque iſtud priuilegij primi decreuerunt, ſed ingenue profeſſi ſunt, quod etiam poſtea Patres Calcedonenſes confeſſi ſunt *antiquæ Romæ Archiepiſcopum, ſecundum canones, omnem in vniuerſam Eccleſiam habere Primatum, & honorem præcipuum.* non quidem quemadmodum alij Primates: hi enim ab homine & per hominem, Romanus autem ab ipſo Chriſto Deo obtinuit. prout olim Anacletus martyr diſerte ſcribebat. *Aliæ primæ ciuitates, quas vobis conſcriptas in quodam tomo mittimus, à ſanctis Apoſtolis, & à Beato Clemente prædeceſſore noſtro, ſiue à nobis, Primates & Prædicatores acceperunt: hæc vero ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro Primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſicut ipſe Beato Petro Apoſtolo dixit; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Item in Gangrenſi aduerſus Euſtactum. *Acta Concil. Gangren & ſecunda Synodi ſub Symmacho.*

Lib. 6. c. 22.

In Nicæno cõtra Arium & ſequaces.

Epiſt. ad Solitar. vitam agentes.

Petro & ſucceſſoribus Roman. Pontif. à Chriſto Primatus in Eccleſiam & poteſtas præſcribendi collata.

Actione 16.

Epiſt. 15.

Pro hac itaque ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem eminentia poteſtatis, Romano Primati à Chriſto attributa, Syluestri Pontificis in Concilio Nicæno Legatus, regulam Fidei Catholicæ omnibus præſcripſit, præiudicioque ſuo ſententiam Concilij anteuertens his verbis theſſeram Chriſtianitatis concepit: *Credimus in Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inuiſibilium creatorem. Et in Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei, natum ex Patre & vnigenitum, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, Lumen de Lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, & Conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt tam in cælis, quam in terra. Qui propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus eſt, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in cælos, venturus indè ad iudicandos viuos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum.* Hæc Syluester per Oſium.

Pater ex Nicæno ſub Syluestro.
Ita extat in ep. Athanaſij ad Iouinianum.

Pro eodem in vniuerſas Eccleſias Romani Pontificis Primatu, idem Oſius, Iulij in Concilio Sardicenſi œcumenico Legatus, vna cum Archidamo & Philoxeno Collegatis, ſecundum eiuſdem Iulij ſententiam iam antea in Concilio Romæ latam, Athanaſium criminationibus abſoluit, Marcellum Ancyranum, & Aſclepam Gazæ Epiſcopum innocentes repertos, ſedibus reſtituit, & Arianos fallaciarum, calumniarumque conuictos damnauit; trecentis & amplius Epiſcopis, in præfinitionem Iulij euntibus.

Ex Concil. Sardicenſi.
Athanaſ. ap. 2. Theodoret. lib 2. cap. 8.

Quamobrem Iulius Eccleſiæ Alexandrinæ ſcribens iure ſupremo inter alia commeminit; in rebus recens emergentibus, de quibus in Concilio agendum foret, *hanc conſuetudinem eſſe, vt primum Romano Pontifici ſcribatur, vt hinc quod iuſtum eſſet definiri poſſet*, cui præfinitioni omnes in Concilio ſubſcriberent.

Pro hoc ipſo Romani Pontificis in vniuerſos cætus Primatum Eccleſiæ Primatu, Patres in I. Conſtantinopolitano Concilio, Fidem Damaſi, eiuſque ſententiam Paulino Antiocheno Epiſcopo, ex Concilio Romano præſcriptam ſecuti, canonem circa confeſſionem Trinitatis perſonarum ſcripſerunt, & Anathematiſmos ab eodem, aduerſus omnes hæreſes tunc temporis Eccleſiam Orientalem potiſſimum infeſtantes promulgatos, pronunciarunt; eiuſque decreto ſcriptam à Gre-

Ex Conſtant. primo.
Can. 5. Concil. Conſtantinopol. & tom 1 Conc. in Damaſo.

gorio

gotio Nyſſeno de Spiritu ſancto additionem, actis Concilij, ac fidei ſymbolo adſcripſerunt, iſtis verbis; *Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum, & conglorificandum qui locutus eſt per Prophetas.*

Epheſino: Epiſt. Caleſtini ad Cyrill.

Pro hac eadem in Concilijs œcumenicis auctoritate, Celeſtinus I. Pontifex, Epheſino Concilio, id quod antea Cyrillo Patriarchæ Alexandrino, in cauſa Neſtorij, præſcripſit: vt niſi intra decem ab admonitione dies, Neſtorius prauas ſuas conciones confeſſione mandata literis execraretur, confirmaretque ſe eam de Chriſti Deique noſtri ortu fidem tenere quam tum Romana Eccleſia, tum Catholica religio prædicat, cætu piorum illum expellerent, & de corpore Eccleſiæ profligarent. Secuti ſunt Patres Antiſtitem decernentem, inq; hunc modum edixerunt; *Tum*

Euag. cap. 4.

Eccleſiæ canonibus, tum epiſtola ſanctiſſimi Patris noſtri & collegæ Cæleſtini, Epiſcopi Eccleſiæ Romanæ, neceſſario compulſi, ad hanc ſeueram ſententiam, idque non ſine crebris lachrymis contra Neſtorium pronunciandam venimus. Iſtud porro Cæleſtini Pontificis ſcitum, tanto promptius amplexi ſunt, quod legerent Cyrillum, presbyteris & populo Conſtantinopolitano, ex poteſtate Vicaria hæc ſcripſiſſe; *Niſi Neſto-*

Epiſt. ad Clerum & popul. Conſtantinop.

rius ad terminum à ſanctiſſimo Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo Cæleſtino præfixum, nouis ſuis dogmatibus abſtineat, & ſcripto anathemate deteſtetur, quæ apud vos & locutus eſt, & libellis inſeruit, ſiue vt insererentur ſubornauit; nihil cum Sacerdotibus Dei habiturus ſit commercij, ſed omnino futurus eſt alienus.

Item ex alijs actis tempore Leonis Papæ. Act. 7. Concil. Calcedon. Euagr. lib. 2. cap. 4. Epiſt. Leonis 49

Ad eandem Pontificis Romani in præſcribendo Concilijs auctoritatem, Marcianus Imperator reſpiciens, primo loco epiſtolam Leonis Papæ ad Flauianum, in Concilio Chalcedonenſi legi præcepit, & tum ſecundum eam, tum ſecundum Nicænorum Patrum doctrinam, de incarnatione Domini credendum eſſe declarauit. Deinde in cauſa Dioſcori, Paſchaſinus Vicarius Sedis Apoſtolicæ, hunc in modum edixit: *Papa vrbis Romæ, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum præcipit, vt Dioſcorus Alexandrinorum Archiepiſcopus non ſedeat in Concilio.* Et Lucentius collega ipſius addidit: *quia cum perſonam iudicandi non haberet, præſumpſit, & ſynodum auſus eſt facere ſine authoritate ſedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.*

Petrus Eccleſ. fundamentũ Petra fidei, Ianitor cœli.

Cumq; ab Euſebio Dorylei Epiſcopo accuſaretur, à Leonis Papæ Legatis concilio conſentiente, dignitate Epiſcopali, ac miniſterio Sacerdotali exutus eſt: primo omnium Paſchaſino iſtis verbis ſubſcribente: *Paſchaſinus Epiſcopus Eccleſiæ Lilibetanæ vice Beatiſſimi, atque Apoſtolici vniuerſalis Eccleſiæ Papæ vrbis Romæ Leonis, ſancta Synodo præſidens in Dioſcori damnatione, conſenſu vniuerſalis Concilij ſubſcripſi.* Eandem Dioſcori damnationem, Paſchaſinus, Lucentius, & Bonifacius Leonis Papæ Legati cum renunciarent, hæc ad Synodum dixerunt; *Sanctiſſimus, ac Beatiſſimus Papa, Caput vniuerſalis Eccleſiæ Leo, per nos vt Legatos ſuos, ſancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & Petra fidei, & cæleſtis Regni ianitor nuncupatur, Epiſcopali dignitate Dioſcorum nudauit, & ab omni Sacerdotali opere fecit extorrem. Alijs Epiſcopis qui Flauianum damnarunt, ſedes Apoſtolica veniam tribuit, quia contra voluntatem geſſiſſe, quæ patrata ſunt, approbantur: ita vt nunc vſque adhæreant, & Beatiſſimo Papæ, & vniuerſali ſanctoque Concilio. Qua de re ſacroſanctæ communionis conſecuti ſunt medicinam.*

Inter Epiſcopos, Theodoretum Cyri, & Maximum Antiochiæ, aliqui nolebant aſſidere. Cæterum ipſe Senatus, quamquam in alijs de rebus fidei doceri cupiebat, tamen in negotio Theodoreti, reclamantibus licet multis, & præcipuè Ægyptijs Epiſcopis, ſententiam Leonis audiuit, ac *Theodoretum in Concilium ingredi, & proprium locum recipere voluit, quod is proprium locum recepiſſet, à ſanctiſſimo Epiſcopo inclytæ vrbis Romæ.*

Anatholius quoque Conſtantinopolitanus Epiſcopus de Maximi cauſa iſta dixit; *Definimus nihil horum valere, quæ in ſecunda ſynodo Epheſina ſunt facta, niſi circa Maximum Antiochiæ Epiſcopum, quoniam & ſanctiſſimus Leo Romanus Archiepiſcopus in communionem eum recipiens præeſſe eum Antiochenſium iudicauit Eccleſiæ.*

Teſtimonium Patrum de auctoritate Pontif. Rom. circa præfinitionem Conciliorum.

Hæc & alia tum in Fidei declaratione, tum in diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſanctione, Leonis Papæ prædecreta, tantum abeſt vt ſexcenti Patres, fere omnes Aſiatici, non modo non audierint, vt etiam vnanimi ore omnes acclamarint: *Deus nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem prouidit & Romanæ Eccleſiæ Papam ad victoriam præparauit. Poſt Deum Leo iudicauit. Qui contradicunt, Romam ambulent. Vt Leo, ſic credimus. Ex his quæ geſta ſunt, vel ab vno quoque depoſita, perpendimus, omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum, ſecundum Canones, antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari.*

Pont. Archiepiſcopus, vel Patriarcha vniuerſalis Cuſtos vineæ Domini, Pater Patrum Caput omniũ & Primus.

Hæc Epiſcopi, Patres, & Magiſtratus in Concilio Calcedonenſi, Leoni Papæ quem, vel *Archiepiſcopum*, vel *Patriarcham vniuerſalem*, vel cum *cui vinea vniuerſæ cuſtodia à ſaluatore commiſſa eſt*, vel *Patrem Patrum*, vel *Caput omnium & Primatem*, ſe vero *filios*, & *membra*, in omnibus tum libellis, tum epiſtolis, tum ſententijs, agnouerunt, atque appellarunt: cum etiam illud honoris & auctoritatis, in eodem Pontifice, Valentinianus Imperator colendum ſuſcipiendumque Theodoſio Auguſto, data ante Calcedonenſem ſynodum epiſtola ſuaſiſſet ſcribens; *Fidem à noſtris maioribus traditam, debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis Beato Apoſtolo Petro intemeratam, & in noſtris temporibus conſeruare: quatenus beatiſſimus Romanæ ciuitatis Epiſcopus, cui PRINCIPATVM SACERDOTII SVPER OMNES antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide & Sacerdotibus iudicare, Domine ſanctiſſime Pater, & venerabilis Imperator. Hac enim gratia, ſecundum ſolemnitatem Conciliorum, & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellus appellauit, propter contentionem quæ orta eſt de fide.*

Valentiniani Imp. teſtimoniũ de Rom. Pontif.

Patres II. Cõſtant. Synodi. Act. 8. Synod. & Caſſiodor.

Ad hunc ſuper omnes Sacerdotij Principatum, Patres ſecundæ Conſtantinopolitanæ Synodi intuentes, non auſi ſunt de Tribus Capitulis, ante ſententiam Vigilij Papæ, aut

cogno-

7. 1. de diuinis lectionibus. Euagr. lib. 4. cap. 37.

cognoſcere, aut decernere: ſed Eutychio Patriarchæ Conſtantinopolitano auctores fuere, qui has preces Vigilio porrigeret: *Scientes quantorum bonorum cauſa eſt pax Dei, ideo feſtinantes vnitatem conſeruare, & Apoſtolicam Sedem V. Beatitudini manifeſtum facimus, quod ſeruamus fidem à Chriſto Apoſtolis traditam, & à S. Patribus maximè in ſanctis quatuor ſynodis explanatam.*

Suſcipimus & epiſtolas præſulum Romanæ Sedis Apoſtolicæ.

Diuerſa Vigilij Pap. decreta à Patribus approbata.

Et ideo petimus, præſidente nobis veſtra beatitudine, de tribus capitulis quæri & conferri. Reſpondit Vigilius; *Annuimus vt de tribus Capitulis, facto regulari conuentu, medijs ſacroſanctis Euangelijs collatio habeatur; & finis detur placitus Deo.*

Nec vero tantùm, vt ſynodus quinta celebraretur conſenſit, ſed etiam conſtitutum ſuum, ſeu decretum in cauſa trium capitulorum Patribus, & Imperatori Iuſtiniano præſcripſit, decernens errores quidem Theodori, Ibæ, & Theodoreti, ſi qui eſſent, reijciendos eſſe, & anathematizandos: perſonis autem nullam debere inferri contumeliam, quas Synodus Calcedonenſis recepiſſet. Edixit præterea, quæcumque contra hanc ipſius ſententiam à quibuſcumque dicerentur, aut ſcriberentur, nullam haberent auctoritatem. Subſcripſerunt Conſtituto, ex Oriente, Italia, & Africa, ſexdecim Epiſcopi, tres S. R. E. Diaconi. In eadem Synodo Vigilius Ruſticum, & Sebaſtianum propter hæreſes eaſdem, ex Beati Petri auctoritate, à Diaconorum honore alienos decreuit; nec non Origenem tot Patrum auctoritate oppugnatum damnauit, omnibus Patribus in eius ſententiam euntibus: præſertim cum varijs de cauſis, prius Conſtitutum, quòd non tam de fide, quàm perſonis ageretur, correxiſſet.

Act. 18. Synodi 6. General. Quantum Patres Trullani Concil. Agathonis Papæ relationi detulerint.

Ad eundem Principatum Romani Pontificis, Patres Concilij Trullani attendentes, fatebantur: in primis; *Antiquæ Romæ, & Apoſtolicæ ſummitatis Pontificalis Antiſtes, pro ſe literarum paginam, eoſque qui eius perſona præſcriberent, Sacerdotes conſtituit.*

Cumque tum Agatho, tum ſynodus Romana conteſtarentur, haud ſe mittere Legatos ad diſputandum de quæſtione controuerſa, tamquam de re incerta, ſed ad docendum quæ eſſet Apoſtolicæ ſedis traditio, adeo vt nihil præſumerent augere, minuere vel mutare; & quicumque eandem fidem confiteri noluerint, eos perpetuæ damnationis reos eſſe declararent: Patres huic præiudicio acquieſcentes, ex præſcripto Agathonis Monothelitarum hæreſim condemnarunt.

Georgium Patriarcham Conſtantinopolitanum eius hæreſis conſcium emendarunt, & in reliquos duræ ceruicis anathema ſtringentes, hæc confeſſi ſunt; *Tamquam ipſius diuini Petri vocem Agathonis relationem ſupermirati ſumus fautorem.*

Summus nobiſcum concertabat Apoſtolorum Princeps; illius enim imitatorem & ſedis ſucceſſorem habuimus fautorem, & diuini Sacramenti myſterium illuſtrantem per literas.

Confeſſionem à Deo inſcriptam illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatum diem à veſpertinis partibus extulit. Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.

Act. 2. Syn. 7 General. Patres II. Nicænæ Synodi Adriano PP. titulum vniuerſalis deferunt.

Ad hunc ipſum Petri Apoſtoli in Romano Pontifice Principatum Patres ſecundæ Nicænæ Synodi cum Tharaſio Conſtantinopolitano Patriarcha, & Conſtantino, ac Irene Imperatoribus aſpicientes, literas Adriani Pontificis, *de cultu imaginum* ad Auguſtos, & Patriarcham præſcriptas primum legerunt, encomijs, & elogijs eas plurimis laudauerunt, eiſque ſuſceptis, atque ſubſcriptione probatis, conſenſerunt: quanquam nonnihil in eis eſſet, quod Tharaſium offenderet; cui orientales Imperatores in ſuis literis titulum *vniuerſalis* detulerant.

Reprehendebat Adrianus Conſtantinum, & Irenem, quod *contra ſacrorum Canonum inſtituta, ſeu ſanctorum Patrum decreta* id egiſſent: monebatque ne amplius id facerent; vel nuncupationi aſſenſum præberent; *niſi alieni eſſe vellent à fide Orthodoxa & ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ cenſeri rebelles.*

Iconoclaſtarũ conuenticulum pſeudoſynodus iudicatur eo quod non interueniſſet auctoritas Rom. Pont. *Actione 6.*

Cæterum cum ante hanc œcumenicam ſynodum Copronymus Imperator, conuenticulum Conſtantinopoli contra ſacras imagines congregaſſet, & iconoclaſtæ illud ſeptimum Generale nominarent, Patres huius vere ſeptimæ Synodi, pſeudoſynodum fuiſſe iudicarunt: quod *qui in illa congregati fuere, non habuiſſent Cooperatorium, vt hæc quæ nunc celebrantur, Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per prouinciales literas, quemadmodum in ſynodis fieri debet.*

Act. 2. Nicænæ Synod. Patres Octauæ ſynodi iuxta libellum Nic. PP. cenſent.

Ab hac eadem conſuetudine, Patres Octauæ ſynodi non recedentes, ſtatim in limine iuſſerunt recitari libellum à Nicolao Pontifice Romano contra Photium olim compoſitum, ab Adriano verò ſucceſſore, ſedis Apoſtolicæ Legatis, qui Concilio præſiderent datum, cui ſubſcribere tenerentur quicumque ex ſchiſmaticis Photij fautoribus, in Eccleſiæ Catholicæ communionem recipi deſiderarẽt: quo in primis continebatur approbatio immaculatæ fidei Apoſtolicæ Romanæ ſedis: itemque anathematizatio omnium hæreſum, & maximè Iconomachorum, atque etiam Photij alienæ ſedis inuaſoris.

Ex decreto Nicolai Pont. Ignatius ſedi per Baſil. Imp. redditus.

Lecto libello, omnes illum laudarunt, probarunt, ſubſcripſerunt, ac ab hac præſcriptione de Photianis iudicarunt, deque dogmatibus Catholicis cenſuerunt; maximè quod Baſilium Imperatorem pro Cõcione interloquentem, cauſamque reſtitutionis Ignatij à ſola voluntate Pontificia reddentem, audiſſent; *Neque enim*, dicebat ita *vt ſacratiſſimus Patriarcha ad proprium regrederetur thronum, imperij mei opus vel excogitatio facta eſt, ſed multum ante ſanctiſſimus, & beatiſſimus Papa Nicolaus, quæ circa illum erant certiſſimè diſcens ſynodicè decreuit, reddi ius proprij throni, & anathema cum tota ſancta Romanorum Eccleſia pronunciauit contra reſiſtentes huiuſmodi decreto, atque ſententiæ. Hoc autem nos olim ſcientes, & pauentes iudicium anathematis promulgari, obſecundare ſynodico iudicio Romanæ Eccleſiæ neceſſarium duximus. Et huius rei gratia reddidimus ei proprium thronum.*

Exemplo Baſilij Imperatoris, Patres quoque, ex formula ab Adriano Papa tranſmiſſa, hæc profitebantur.

Profeſſio Patrum octauæ ſynodi circa decreta Pont. Rom.

A ſedis Apoſtolicæ, in qua immaculata eſt ſemper Catholica ſeruata religio, & ſancta celebrata doctrina, fide, atque doctrina ſeparari minimè cupientes, & patrum & præcipuè ſanctorum ſedis Apoſtolicæ præſulum ſequentes in omnibus conſtituta; anathematizamus omnes hæreſes ſimul cum Iconomachis: anathematizamus etiam Photium qui contra ſanctas regulas, & ſanctorum Pontificum Romanorum ſacra decreta repente de curiali adminiſtratione ſæcularique militia ſublatus, ſuperſtite Ignatio Patriarcha, in Conſtantinopolitana eſt, peruaſorie, imo tyrannice à quibuſdum ſchiſmaticis, vel anathematizatis atque depoſitis inſtitutus Eccleſia, donec Apoſtolicæ ſedis ſanctioni inobediens perſeuerans, eius ſententiam tam de ſe, quam de Patriarcha noſtro Ignatio ſpreuerit, & conciliabuli acta, quod ſe auctore contra ſedis Apoſtolicæ reuerentiam congregatum eſt, anathematizare diſtulerit.

Sequimur autem ſanctum ſynodum, & amplectimur, quam beatæ recordationis Papa Nicolaus, cui & ipſe, Domine Coangelice ſumme Pontifex Hadriane ſubſcripſiſti, ante ſacratiſſimum Petri Apoſtolorum eximij corpus celebrauit: ſimul, & quam tu ibi ſuper ipſum nuper egiſti, & omnia quæ in his ſtatuta ſunt ſecundum decreti veſtri moderationem, venerabiliter conſeruabimus: recipientes quod recipiunt, & damnantes omnes, qui in illis damnati ſunt; & præcipuè iam dictum Photium, & Gregorium Syracuſanum, parricidas videlicet, qui contra ſpiritalem patrem ſuum linguas exerere minimè formidarunt: itaque perſeuerantes in ſchiſmate ſequaces eorum, nec non & qui in illorum communionis ſocietate permanſerint, communionis omnes gratia eum ipſis indignos, ſi tamen vobis non obedierint, iudicamus.

Etenim quorum ſe quis communioni miſcuit, ipſorum ſimilem meruit in iuſtificatione, vel damnatione ſententiam.

Synagogas verò malignantium, imo ſpeluncam latronum, & conuenticula ſanguinum, & fabricatorum mendacij, atque inuentorum peruerſorum dogmatum, quæ ſub Michaele Imperatore bis contra beatiſſimum Patriarcham Ignatium, & ſemel aduerſus ſedis Apoſtolicæ principatum factioſè conſpirauerunt, inſolubilibus Anathematis vinculis innodamus, & defendentes ea, vel ipſa geſta eorum celantes, & non potius ſi hæc inuenerint concremantes, & Anathematizantes, vſque ad ſatisfactionem, & obedientiam, dignos eadem Anathematis ſententia iudicamus.

Porrò de venerabiliſſimo Ignatio Patriarcha noſtro & de his qui ex parte ipſius ſunt, quod auctoritas Apoſtolicæ ſedis veſtra decreuit, tota mente ſequimur, & religioſa deuotione veneramur, atque pro noſſe & poſſe noſtro pia intentione, ac ſpirituali conſtictu defendimus. Quoniam ſicut prædiximus, ſequentes in omnibus Apoſtolicam ſedem, & obſeruantes omnia eius conſtituta ſperamus, vt in vna communione, quam ſedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur, in qua eſt integra & vera Chriſtianæ religionis ſodalitas, promittentes etiam ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, id eſt, non conſentientes ſedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria. Huic profeſſioni ſubſcribebant trecenti & ſeptuaginta Patres, octauæ œcumenicæ ſynodi, poſtquam eis Hadriani Papæ ad Baſilium Imperatorem lecta fuiſſent hæc mandata: *Volumus, per veſtræ pietatis induſtriam, illic numeroſum celebrari Concilium, cui noſtri quoque miſſi præſidentes, & culparum perſonarumque differentias, liquidò cognoſcentes iuxta quod in mandatis acceperunt ſingulorum liberè diſcretiones exerceant. In quo videlicet ſacrato cætu, execrando vanitates Concilij, quod aduerſus ſedis huius actum eſt prorſus iniuriam, cuncta decernimus exemplaria prorſus à ſuis poſſeſſoribus ablata in mediumque delata, contemplantibus cunctis, igne cremari; necupereſſe apud quemlibet ex his omnibus ſaltem iota vnum, aut vnum apicem niſi forte quis totius Clericatus imò totius nominis Chriſtiani dignitate, Anathemate percuſſus carere voluerit. Non enim nos tam deteſtandum collegium, niſi Ariminenſi ſub Conſtantio, vel Epheſino à Dioſcoro congregato latrocinio comparandum decernimus.* Obtemperarunt decreto trecenti & ſeptuaginta Epiſcopi, cumque *Patriarchas honorandos, & præcipuè ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ* decreuiſſent, addiderunt; *Nec oportere ſententiam dicere, etiam in ſynodo vniuerſali, contra ſummos Seniores Romæ Pontifices*: quod optimè ſcirent huius *ſententiam, præiudicium eſſe, non tantùm in terris, verum etiam in cælis*, quemadmodum S. Hilarius ex verbis Chriſti ad Petrum colligebat.

Decretum Patrum de Rom. Pont. Canone 21.

Huius principatus conſcij ſuccedẽtes Pontifices, Symmachus & Gelaſius in tot Romanis, Alexander III. Innocentius III. Iulius II. Leo X. in Lateranenſibus, Innocentius IV. & Gregorius X. in Lugdunenſibus, Clemens V. in Viennenſi. Martinus V. in Conſtantienſi, Eugenius IV. in Florentino, Paulus III. Iulius III. & Pius IV. in Tridentino Concilijs, tum de rebus fidei, tum de moribus, ſententias præſcripſerunt, dixerunt, Anathemata tulerunt, pœnas reliquas Eccleſiaſticas in flagitioſos ſtrinxerunt, adeoque omnia iuriſdictionis ſupremæ munia exercuerunt, vt Ioannes Barclaius, aliquando ex erroneum ſenſu, habuerit, *Vim Conciliorum aliquot* (ſcribit de ſe Barclaius) *ita eludere, vt diceret paruifacienda illa ſuffragia: neque enim liberas illic fuiſſe voces*; (Auxentius Mediolanenſis, quem S. Hilarius ſatanæ Angelum, hoſtem Chriſti, vaſtatorem perditum & Antichriſtum vocabat, idem de Concilio Nicæno iactabat) *ſed aut viribus Pontificijs ducta, aut earum partium amore cæcatas*: Adeoque integra ſex Eccleſiæ ſæcula (vt Andreas Eudæmon Ioannes Cydonius Soc. Ieſu Theologus, in ſcriptis Ioannis Barclai, pro Guillelmo patre aduerſus Cardinalem Bellarminum editis animaduertit) erroris arguere; Concilia, Pontifices, Epiſcopos, Canones nullo loco habere; Pontificij iuris interpretes contemptui ducere; adeoque Pontifices, Concilia, Epiſcopos magna tantùm nomina truci maieſtate à Bellarmino, & reliquis ſcriptoribus coacta, meras nugas, eloquentiam eneruem dicere: atque adeo feneſtram iam ſatis agnoſcere, qua ſibi fauere hæreſes omnes poſſint, & de ſuis iudicibus ferre ſententiam. Quaſi verò, vel *Spiritus iudicij, ſedenti*, huic ſupremo iudici Eccleſiæ, *ſuper iudicium*: vel Chriſtus cætui Epiſcoporum, qui promiſerat; *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*: vel

Aſtruitur hæc poteſtas ex multis alijs Concil. & nouiſſimè ex Trident.

In Parænſi. ad Lectorem.

Barclaij impudentia. Hiſt. Eccl. anno 369.

Ad Lectorem.

Refutantur impia Barclai dicta.

idem

idem Concilio Patrum, qui etiam dixerat; *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic ego ſum in medio eorum*; ex pollicitatione diuina non adſit: vt & Pontifex humano arbitrio, non verò diuino impulſu, de grauiſſimis rebus decernat; & hi *qui filij Dei ſunt*, non *Spiritu Dei*, ſed humanis affectibus *agantur*: adeoque nonniſi ad ſpeciem illud præſcribant, *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*: & quaſi non libere vel in commune conferant, ſi quid de quæſtione facti dubium eſt, vel ſuffragia ferant, aut, calculum adferant Patres in Concilijs, vbi rectè decretum Spiritu ſancto illuſtrante perſpexerint.

CAPVT XI.

Pontifex Romanus Conciliorum Confirmator.

Petrus à Chriſto poteſtatẽ fratres cõfirmandi accipit

PRo Chriſto, vicarij officio fungi debebat Petrus Romanorum Pontificum primus. Pro illo itaque cum Chriſtus, ſciens quod iſtum ſemper Deus exaudiebat, oraſſet; ne eius fides deficeret, poteſtatem illi communicauit, fratres confirmandi: ſcilicet, eorum ſcitis, in commune pro fide, vel diſciplina Eccleſiaſtica prolatis, robur, firmitatem, & auctoritatem pro ſuprema auctoritate adijciendi. Surgentis Eccleſiæ faciem deuenuſtare voluerat, in Africa, Priuatus Hæreticus. Eum vt à grege Dominico effugarent Epiſcopi Africani, nonaginta ex eis apud Lambeſitanam Coloniam ad Concilium conuenerant, atque concordibus ſententijs damnatum, Fabiano Papæ detulerant. Fabianus porrò Pontifex, iudicium eorum probauit, & pro Apoſtolica poteſtate calculo quoque ſuo damnauit, ac infamia notatum, Eccleſiaſtica communicatione priuauit, vt Cyprianus Cornelio præſcripſerat. Paucis poſt annis, cum Nouatianam hæreſim quæ lapſis pęnitentibus indulgentiam negabat, Patres in ſynodo Carthaginenſi triumphaſſent, & poſt iteratam Feliciſſimi, ſchiſmatis Africani auctoris, eiq; adhærentium damnationem & excommunicationẽ, de lapſis illud ſalubri moderamine (ne vel ipſi deſperatione deficerent, vel rurſus Eccleſiaſtica diſciplina ſolueretur) ſtatuiſſent, vt traheretur diu pęnitentia, & examinatis ſingulorũ cauſis & caſibus, ſecundum eorum lapſus differentiam, poſt præſcriptum tempus, & modum pęnitentiæ, in Eccleſiam reciperentur: Cornelius Pontifex in ſynodo Romæ habita, actiones illorum probauit firmiuſque ſtabiliuit: vt idem Cyprianus teſtatur, his precibus Stephanum Pontificem compellans;

Confirmationes Conciliorum per Pontifices Rom. Epiſt. 55.

Epiſt. 52. 55. 68 & lib. 3. ep. 13.

Marcianus Arelate conſiſtens, Nouatiano ſe coniunxit, & à Catholicæ Eccleſiæ vnitate, atque à corporis noſtri, & Sacerdotij conſenſione diſceſſit, tenens hæreticæ præſumptionis prauitatem, vt ſeruis Dei pænitentibus, & dolentibus, & ad Eccleſiam lacbrimis, & gemitu & dolore pulſantibus, diuinæ pietatis, & lenitatis paternæ ſolatia & ſubſidia claudantur, nec ad fouenda vulnera admittantur vulnerati, ſed ſine ſpe pacis, & communicationis relicti, ad luporum rapinam, & prædam diaboli proijciantur. Cui rei noſtrum eſt conſulere & ſubuenire, frater chariſſime, qui diuinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes, ſi cenſuram rigoris peccatoribus exhibemus, vt tamen lapſis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis, & miſericordiæ diuinæ medicinam non denegemus. Quapropter facere te oportet pleniſſimas literas ad coepiſcopos noſtros in Gallijs conſtitutos, ne vltra, Marcianum pertinacem & ſuperbum, & diuinæ pietatis, ac fraternæ ſalutis inimicum collegio noſtro inſultare patiantur. Dirigantur in prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te literæ; quibus abſtento Marciano alius in eius locum ſubſtituatur, & grex Chriſti qui in hodiernum ab illo diſſipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur. Marcianus ſententiam non dicat, ſed accipiat nec hic agat quaſi ipſe iudicauerit de collegio Sacerdotũ quando ipſe ſit ab vniuerſis Sacerdotibus iudicatus: ſeruandus eſt enim anteceſſorum veſtrorum beatorum martyrum Cornelij & Lucij honor glorioſus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis, frater chariſſime, honorificare, & ſeruare grauitate, & auctoritate tua debes, qui Vicarius, & Succeſſor eorum factus es. Illi enim pleni Spiritu Dei, & in glorioſo martyrio conſtituti, dandam eſſe lapſis pacem cenſuerunt, & pænitentia acta fructum communicationis, & pacis negandum non eſſe, literis ſuis ſignauerunt, quam rem omnes omnino vbique cenſuimus. Scilicet tantæ auctoritatis fuiſſe exiſtimabant Pontifices Romanos, vt quod neque Carthaginenſis in Africa, neque Fauſtinus Lugdunenſis, aut aliquis alius in Gallijs, in Gallicanas, & præcipuè in Arelatenſem Eccleſiam, & plebem poterat, vt Marcianum Epiſcopatu abdicaret, aut robur decretis Concilij adderet, ſolus Cornelius, Lucius, & Stephanus, pro ſua grauitatẽ & auctoritate poſſent, ideoque (quod & Magdeburgenſes fatentur.) *Stephanum officij ſui admonebant*: adeoque Primatum in Eccleſias vniuerſas, inque Concilia, & Patres, in eo eminere agnoſcebant.

Centur. 3. c. 7.

Euſeb. in Chron. & 7. hiſt. 23. 24.

Surrexit in eodem tempore Paulus Samoſatenus Antiochienſium Epiſcopus, impia dogmata quæ aliqua ex parte à Sabellio mutuatus fuerat; diſpergens. Nullam in diuinitatis ſubſtantia perſonarum diſtinctionem admittebat; ſed ſicut vnum Deum, ita pariter vnam perſonam, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum eſſe dicebat, totamque Eccleſiæ de Sanctiſſima Trinitate doctrinam, cum Iudæis, atque Sabellio auferebat. Præter hæc Chriſtum hominem tantum, ſed iuſtitia præditum, verbumque Dei in eum veniſſe, & ſolum operatum eſſe, & ad Patrem qui illud ſpirauerat rediiſſe, cum Artemone hæreſiarcha blaſphemabat. Aduerſum impium, cum penè infiniti Epiſcopi cum presbyteris & diaconis Antiochiæ conuenientes, ſententiam damnationis tuliſſent, & ante omnia catholicam fidem de Filio Dei, quam per maiorum traditionem ab Apoſtolis acceperant ſcripto concepiſſent, ad Dionyſium Pontificem Romanum vniuerſa detulerunt. Is porrò cum & hæreſim & reliqua Pauli ſcelera ac ſacrilegia, turpitudines, rapinas, fraudes, luxuriam, faſtumque in ſedendo, ac incedendo; nec non intolerabilem impietatem, qua in locum pſalmorum, & cantuum Eccleſiaſticorum, in media Eccleſia, ſolemni Paſchalis die inanes cantilenas in laudem ſuam paratas, à mulierculis cantari iuſſerat,

Dionyſ. PP. confirmat decretum Patrũ cõtra Paulum Samoſat.

iuſſerat, ex Synodica Patrum Antiochiæ congregatorum intellexiſſet, eorum decretum auctoritate Apoſtolica firmauit, Paulumque profanum de medio ſuſtulit, vt S. Athanaſius ſcribebat. Cum autem Paulus, poſt damnationem, ex domo Epiſcopali Eccleſiæ Antiochenæ nollet exire, Imperator Aurelianus ea de re rogatus, reſcripto edixit, vt eadem domus illis tribueretur, quibus Vrbis Romæ, & Italiæ Epiſcopi, ac Chriſtiani per literas tribuendam præſcriberent. Ita tum demum Paulus eiectus eſt, præualente Romani Pontificis auctoritate, quam etiam ipſi Ethnici tanti faciebant, vt Epiſcoporum ſententias tunc primum ratas eſſe iudicarent, cum eas Pontifex Romanus confirmaſſet.

Lib. de Synod.
Euſeb. l. ſup.

Aliquot deinde poſt annis, cum ducenti Epiſcopi, Arelate in Gallijs ad Concilium à Syluestro Pontifice vocati, ſecundum Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum, contra Donatum & ſchiſmaticos pronunciaſſent, & tum de obſeruatione Paſchatis, tum de moribus, & nonnullis ad rectam Eccleſiaſticam diſciplinam informandam canones ſanxiſſent, eaſdem Syluestro miſerunt, qui illos auctoritate Apoſtolica firmaret, & in vniuerſis Eccleſijs promulgaret.

Syluester ap-probat acta Conc. Arelat. vide Concil. Arelaten.

Trecenti quoque & decem octo Patres, vocatione Syluestri Papæ apud Nicæam Bithyniæ congregati, quamquam *Vitus & Vincentius Syluestri loco & nomine ſynodo*, vt Cedrenus teſtatur *præfuiſſent*; iſque, vt Theodoretus narrat, *poteſtatem illis conceſſerat, actis illius Concilij aſſentiendi*; tamen quod ſcirent, Canonem Eccleſiaſticum apud Socratem iubere, *ne abſque ſententia Romani Pontificis decreta vlli Eccleſiæ ſanciantur*, Syluestro hunc in modum ſcripſerunt: *Quicquid conſtituimus in Nicæno Concilio, precamur veſtri oris conſortio confirmetur*. Syluester porrò in Synodo ducentorum ſeptuaginta, & amplius Epiſcoporum intra thermas Domitianas, hæc pro ſumma auctoritate edixit; *Quicquid in Nicæa Bithyniæ conſtitutum eſt ad robur ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, à ſanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo, noſtro ore confirmamus. Omnes qui auſi fuerint diſſoluere definitionem ſancti & magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum eſt, ſub præſentia piiſſimi & venerandi principis Conſtantini Auguſti, Anathematizamus, Et dixerunt omnes; Placet.*

Acta itidem Nic. Concil. in compēd. hiſt. lib. 1. cap. 7. Ad. Concil. Nicæn. Tom. 1. Concil.

Iam in ſynodo œcumenica Sardicenſi, plus minus trecenti Epiſcopi, tantùm Romano Pontifici, in confirmandis, vel infirmandis Conciliorum ſententijs detulerunt, vt etiam canonem ea de re promulgarint. In hunc modum Oſius Epiſcopus dixit: *Quod ſi aliquis Epiſcopus adiudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, vt iterum iudicium renouetur; ſi vobis placet, ſancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur vel ab his qui examinauerunt, vel etiam ab alijs Epiſcopis, qui in propinquo morantur, Iulio Romano Epiſcopo. Et ſi iudicauerit, renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talem cauſam, vt ea non refricentur, quæ acta ſunt; quæ decreuerit Romanus Pontifex, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, ſtatuatur: Synodus reſpondit, Placet*, & iterum Oſius Epiſcopus dixit; *Placuit autem, vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit & iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint, ſi appellauerit qui deiectus eſt, & fugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri, ſi iuſtum putauerit vt renouetur iudicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur; qui in finitima & propinqua prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis definiant.*

Item Synodi Sardicenſis Iulius Pap. Canone 3. & 4.
Can. 7.

Quod ſi is, qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi, quid velit, & quid æſtimet.

Et ſi decreuerit mittendos eſſe qui præſentes cum Epiſcopis iudicent; habentes eius auctoritatem à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio.

Si verò crediderit Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo conſilio ſuo iudicauerit.

Secuta eſt deinde Synodus Oecumenica Conſtantinopolitana. Hanc, in his quę ſpectant ad fidem Orthodoxam, confirmatam fuiſſe à Damaſo Papa, Photius tradit in libello de ſeptem Synodis: cum illi omnes Orientales, quid in Synodo confectum eſſet expoſuiſſent, & tandem confirmationem his verbis, apud Theodoretum relatis poſtulaſſent: *Quibus rebus tamquam legitimè & ſecundum canones conſtitutis, obſecramus veſtram reuerentiam, vt congratuletur.* Voluerunt etiam hac in parte, debitam ſedi Apoſtolicę reuerentiam tribuere, cui in ſancta Eccleſia primas partes deferri agnoſcerent, vt Damaſus Pontifex illis reſpondebat.

Patres ſynodi Conſtant. petunt Confirmationem à Damaſo Papa. Lib. 5. c. 8. & 9.

Cum vero tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum, nonnulli monachi in monaſterijs Nitrię Ægypti, hęreſes Origenis ſeminare ſtuderent, & Theophilus Alexandrinę ſedis Epiſcopus, collecta Synodo, ex omnium ſententia eoſdem errores, eorumque ſectatores condemnaſſet, omneſque Origenis ſtudioſos diligenter perquiſitos, ex Ægypto expuliſſet, Anaſtaſio Pontifici Synodicam ſcripſit, vt actorum in eo cœtu confirmationem ab eo obtineret. Cumque Anaſtaſius partim ex ea Synodica, partim ex Sancti Hieronymi ſcriptis Romam miſſis, quę de Origene in Synodo Alexandrina ſancita erant intellexiſſet, ſententiam Synodi probauit, *noxium caput ſtatim percuſſit, & ſibilantis hydræ ora compeſcuit, dum Apoſtolica auctoritate earumdem Origenis hæreſeon damnationem promulgauit*, vt S. Hieronymus Pammachio atque Marcellę perſcripſit.

Anaſtaſ. Papa probat ſententiam Synodi contra Origenis ſtudioſos. Habetur inter epiſt. S. Hieron.
Epiſt. 78.

Ferè eodem tempore, Synodus prouincialis, in Macedonia collecta, Innocentio Pontifici per Legatos pro confirmatione rerum geſtarum ſupplex fuit: cuius etiam Patres Innocentius in reſcripto redarguit, quòd certa quędam ſedis Apoſtolicę mandata, repetere compellerent. Cum verò anno inſequente, ſcilicet Chriſti. 415. Dioſpoli ſeu Liddę Palęſtinorum, Eulogius Cęſarienſis Metropolitanus cum Ioanne Hieroſolymitano Epiſcopo, Concilium in cauſa Pelagij hęreſiarchæ conuocaſſet, indidemque Pelagium, hæreſes ſuas falſo damnantem, & fidem

Innoc. ep. 17. Quomodo Innoc. ſe circa diuerſas Synodos habuerit. Lib. 2. cont. Iulian. c. 1. & 2. Retract. c. 47. & 2. de peccato original. 8. & 9.

dem Catholicam ſimulatè profitentem, minus propriè abſoluiſſet, & acta purgationis Pelagij, ad Innocentium Papam, confirmanda retuliſſet, Innocentius ea voluit confirmare. Qua re Auguſtinus accepta, librum ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum ſcripſit, ne putaret, Pelagio velut abſoluto, eius quoque dogmata ab Iudicibus approbata fore, cum illius abſolutionis acta Pontifex Romanus noluiſſet confirmare. Anno inſequente, cum Aurelius Primas Africæ, Carthagine, & Siluanus Numidiæ Primas apud ciuitatem Mileuitanam, in eadem Pelagij, & Cæleſtij controuerſia Synodos celebraſſent, neque vtrumque hæreſiarcham condemnaſſent, Iulium Epiſcopum ex Synodalibus decretis miſerunt, qui Innocentium Pontificem Romanum, confirmationem actorum depoſceret, quam etiam Aurelius, Alipius, Auguſtinus, alijque Epiſcopi, ſingularibus ſcriptis Innocentio litteris flagitabant: *Vt ſtatutis*, inquiebant, *noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur authoritas*. Conſcius auctoritatis Innocentius, inter cætera reſcripſit; *Patres olim, non humana ſed diuina decreuere ſententia, vt quicquid in diſiunctis remotiſque prouincijs ageretur, non prius ducerent definiendum, quàm ad illius ſedis notitiam perueniret, vbi tota eius authoritate iuxta quæ fuerit pronunciatio confirmaretur.*

Aug. ep. 90. 92. 93. 95. 106.

Scientes, quòd per omnes prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent, præſertim quoties fidei ratio ventilatur: quod arbitror omnes fratres & Coepiſcopos noſtros, nonniſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſijs in commune prodeſſe.

Factum ab eo reſcripto, *quo fas erat atque oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem reſpondere. vt Cæleſtius B. Papæ Innocentij litteris non eſt auſus obſiſtere; imò ſe omnia quæ ſedes illa damnaret, damnaturum eſſe promiſit*, vt Auguſtinus teſtatur.

Lib. 2. cont. Pelag. & Cæleſt. cap. 7. Ser. 2. de verb. Apoſt. & lib. 2. cap. 3. contra duas epiſt. Pelagianorum.

Neque prius, (quamquam multa contra Pelagianos acta eſſent Concilia) hæreſis Pelagiana, à Concilijs damnata, inter Chriſtianos reiecta eſt, quam Innocentius Pontifex Romanus actis Conciliorum robur addidiſſet.

Ita demum, vt Auguſtinus fatetur, *per Papæ reſcriptum, cauſa Pelagianorum finita eſt, totoque orbe poſt eius damnationem damnati ſunt; ac litteris Innocentij tota de hac re dubitatio ſublata eſt.*

Papæ Reſcripto cauſa Pelagianiſtarū finita.

Ab hac præſcriptione, habuit Auguſtinus Iuliano Pelagiano fidenter iſta opponere: *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominusglorioſiſſimo martyrio coronare. Cur Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Nihil enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Concilijs, niſi quod antiquitus Apoſtolica ſedes & Romana, cum cæteris tenet perſeueranter Eccleſia. Huic vide quid reſpondeas qui cum Irenæo, Cypriano, Hilario, Ambroſio conſidet, etſi poſterior, tempore prior loco.*

Ab eadem præſcriptione, habuit S. Proſper Collatori apponere: *Tunc Pelagianorum machina fractæ ſunt, quando Beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſſit*: Enimuero

Lib. contra Collatorem.

Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta caput mundo quicquid non poſſidet armis
Relligione tenet.

Vt idem Proſper Aquitanicus in carminibus de ingratis, de Pelagio pangebat.

Iam Innocentio Pontifice defuncto, cum iterum ducenti ſeptemdecim Epiſcopi Carthagine conuenientes, Cæleſtium & Pelagium damnaſſent, ad Romanum Pontificem Zoſimum ſynodalia decreta confirmanda miſerunt; *quibus probatis*, ait Proſper, *per totum mundum hæreſis Pelagianorum damnata eſt*. Cumque & alij Antiſtites, alibi in Africa Synodos in eadem controuerſia celebraſſent, *Africanorum Conciliorum decretis*, inquit idem Proſper, *beatæ recordationis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium Antiſtitum armauit.*

Zoſimus acta Synod. Carthag. confirmat.
In Chronic. & cont. Collat. cap. 41.

Ad hunc modum, *Innocentius & Zoſimus Apoſtolicæ ſedis Antiſtites*, vt Poſſidius Calamenſis Epiſcopus in vita S. Auguſtini narrabat, *ſuis diuerſis temporibus Pelagianiſtas notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis litteris ad Africanas Orientis & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt.*

Cap. 17.

Et hoc tale de illis Eccleſiæ DEI Catholicæ prolatum iudicium, etiam piiſſimus Imperator Honorius audiens, ac ſequens, ſuis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere conſtituit. quod omnes reputarent, iudicium ſedis Apoſtolicæ, eſſe iudicium Eccleſiæ Dei Catholicæ *inque verbis Apoſtolicæ ſedis*, vt S. Auguſtinus ſcribebat, *tam antiquam atque fundatam, certam & claram eſſe Catholicam fidem: vt nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano*: nec non *Auctoritate Papæ*, quemadmodum Gennadius Maſſilienſis presbyter appellabat, eſſe *regularem*, quæ ad regulas fidei conſtituendas ſufficeret, canoneſque ſanciendos.

Epiſt. 157.
In verbis Apoſtol. ſedis fides catholica certiſſimè fundata.

Alexandrini quoque Concilij Patres, à Cyrillo Alexandriæ Epiſcopo in controuerſia Neſtorij Patriarchæ Conſtantinopolitani, congregati, tantùm huic *regulari* ſedis Apoſtolicæ *auctoritati* detulerunt, vt ferè nihil aliud quàm quod Cæleſtinus ſcripſerat, in Neſtorium decreuerint, neque aliam de fide Incarnationis Domini confeſſionem, quàm eam quæ à Cæleſtino miſſa fuerat, in acta retulerint, atque Neſtorio Conſtantinopolim deſtinarint. Namque iſta Cæleſtinus præſcripſerat; *Quod ſi Neſtorius in inceptis perſiſtat, dilucida in eum feratur ſententia. Vulnus enim eiuſmodi exſcindendum: quippè quod non ſolùm vni membro damnum, ſed compagi corporis Eccleſiæ vniuerſæ plagam infligit. Nam quorſum cum ijs qui inter ſe mutuo conſentiunt, verſatur is qui ſolus ſibi videtur rectè ſapere, à noſtraque diſſentit fide? Proinde noſtra ſe ſciant in communione manere ij omnes, quos ille ſibi repugnantes, communione (vt putabat ipſe) priuauit, intelligantque noſtra eum communione frui non poſſe, ſi conſtitutioni aduerſatus Apoſtolicæ, in hac peruerſitatis via permanſerit.*

Quantum Patr. Alexand Conc. auctoritati ſedis Apoſtol. detulerunt.
Cæleſt. Cyril.

Igitur

Igitur adiuncta tibi noſtræ ſedis authoritate, ipſe qui Vice noſtra poteſtateque fungeris ſententiam hanc ſumma ſeueritate pronunciabis, vt ni intra decem ab hac admonitione dies, prauas ſuas conciones confeſſione mandata litteris execretur, confirmetque ſe eam de Chriſti Deique noſtri ortu fidem tenere, quam tum Romana Eccleſia, tum ſanctitas tua, tum etiam Catholica Religio prædicat; tu Eccleſiæ ipſius curam prouidentiamque ſuſcipias; diſcatque ſe omnibus modis noſtro cœtu pellendum, qui ne medentium quidem auxilium admittere voluit, ſed indeſinenter ad ſuam perniciem, eorumque omnium qui illi commiſſi ſunt, proteruè, ac velut peſtifer morbus procurrere properat, de Eccleſiæ corpore profligatus.

Patres Conc. pronunciant ſecundum litteras Cæl. PP.

Has Cæleſtini litteras, Patres in Concilio Alexandrino audiuerunt, & ſecundum illas aduerſus Neſtorium pronunciantes, eaſdem Neſtorio per quos Epiſcopos, ac totidem Alexandrinæ Eccleſiæ miniſtros, Conſtantinopolim miſerunt. Neque tantùm hi, verùm & alij multò plures Epheſi in Concilio œcumenico in eadem cauſa congregati, iiſdem Cæleſtini litteris ſubſcripſerunt, & Neſtorio damnato, multiſque pro Orthodoxa confeſſione ſancitis, iſtis verbis Cæleſtino pro confirmatione Actorum Concilij ſupplicarunt; *Quoniam neceſſitas poſtulauit vt quæ conſecuta ſunt in hac ſancta Synodo, omnia ad cognitionem ſanctitatis tuæ referrentur, neceſſariò ſcribimus.* Has litteras cum accepiſſet *Cæleſtinus*, vt refert Cyrillus, *ſcripſit conſona Synodo, & omnia illius geſta confirmauit.* Poſt huius Concilij, à *Cæleſtino* vt Epiſcopi Europæ, Ioannes Heracleæ, Theophyonius Aphrodiſiadis, Theotegnus Cyclenſis, & Babilas Epiſcopus nouæ Theodoſiopolis Leoni Imperatori ſcribebant, *Succeſſore ſancti & venerandi, & cuſtodis clauium Regni cælorum Petri* confirmationem tum demum audacter profitebantur Epiſcopi, *Rectè ſapimus ſemper, & ſicut ſapit Apoſtolica Romanorum ſedis Eccleſia.*

Approbat acta Concil. Epheſ. Tom. 1. Concil.

Epiſt. 29.

Tom. 2. Concil.

Leo PP. confirmat acta Synodi contra Eutychem

Neſtorio profligato, cum Eutyches presbyter ac Monachorum Conſtantinopolitanorum Archimandrita, duas in Chriſto naturas negaret & Valentini hæreſim prædamnatam ſuſcitaret; ſeque ſoli ſcripturæ diuinæ inhærere velle, nec curare quid in Synodo contra ipſum à Flauiano Patriarcha indicta ageretur, affirmaret, adeoque propter praua dogmata à Patribus damnatus, ac presbyteratu & monaſterij adminiſtratione priuatus, & qui ei communicarent, excommunicationi pariter ſubijcerentur: iſque *ad ſedem Apoſtolicam, per libellum, doloris ſui querimoniam miſiſſet*; Leo Pontifex iuris ſui ſciens quid in Synodo Conſtantinopolitana actum eſſet, vt ei Flauianus ſignificaret, cum his verbis admonuit: *Facti tui noſſe volumus rationem, & vſque ad noſtram notitiam cuncta deferri, quoniam nos, qui ſacerdotum Domini matura eſſe volumus iudicia, nihil poſſumus incognitis rebus in cuiuſquam partis præiudicium definire, priuſquam vniuerſa quæ ſunt veraciter audiamus.* Fecit certiorem Leonem Flauianus, ſimulque damnationem ab eadem Synodo in Eutychetem prolatam confirmari petijt: quorum *geſtorum Epiſcopalium cum ad illum documenta prolata ſunt, tunc omnia illa quæ fallaciam querelarum Eutychetis velamine tegebantur, quam eſſent deteſtanda, patuerunt; definitiſſimumque fuit, in ſedis Apoſtolicæ communionis numero non futuros eos, qui conabantur antiqua Catholicæ fidei fundamenta conuellere.*

Ep. 1. 7. 8. 9. 18. 27.

Iam in eadem controuerſia, ſexcenti trigintaPatres Calcedonem ad ſynodum coeuntes, non tantum Leonis *ad Synodum congruentibus ſcriptis, quibus* (vt ipſe Leo Pulcheriæ Auguſtæ ſignificabat) *fraternitas aduocata cognoſceret, quam formam ſeruare in hac dijudicatione deberet, ne vlla temeritas, aut fidei regulis, aut canonum ſtatutis, aut benignitatis remediis obuiaret*, ſubſcripſerunt, verùm etiam eidem ſcripſerunt; *Rogamus, vt tuis decretis noſtrum honores iudicium, & firmitas tua, filiis, quod decet adimpleat.* Epiſt. 49.

Cumque etiam Marcianus Imperator eiuſdem Concilij actorum confirmationem expetijſſet, hæc illi Leo reſcripſit; *Conſtitutionibus Synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ & hæreticorum damnatione placuerunt, libens adieci ſententiam meam; quæ vt in notitiam omnium Sacerdotum, Eccleſiarumque perueniat, veſtræ clementiæ præceptio ordinare dignetur. Ad veſtræ enim deuotionis pertinet palmam, ſi malum quod in ſuis ducibus eſt oppreſſum etiam in quibuſcumque reliquiis deleatur. Quod faciliùs clementia veſtra arbitretur implendum, ſi per vniuerſas Eccleſias definitiones Synodi Calcedonenſis Apoſtolicæ ſedi placuiſſe doceantur.*

Eandem rem Pulcheriæ Auguſtæ Leo Papa his verbis ſignificauit; *Quod piiſſimus Imperator, ad omnes Epiſcopos qui Calcedonenſi ſynodo interfuere, voluit me ſcripta dirigere, quibus, quæ illic de fidei ſunt regula definita, firmarem, libenter impleui: ne fallax cuiuſquam ſimulatio ſententiam meam haberi vellet incertam; cum per Conſtantinopolitanum Epiſcopum, cui lætitiam meam largiter indicaui, in omnium potuerit notitiam peruenire quod ſcripſeram.* Scilicet omnes Epiſcopi Orthodoxi, ſententiam Romani Pontificis de actis Synodalibus expectabant, neque ſe prius ad obſeruationem canonum obligari cenſebant, quam Pontifex Apoſtolicæ ſedis, pondus auctoritatis ſuæ addidiſſet: cuius niſi confirmatio accederet, etiam duorum Oecumenicorum Conciliorum decreta, in cauſa Primatus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ inuito Pontifice Romano edita, infirma ac nullius momenti eſſe iudicabant. Ab hac Leonis confirmatione, tum demùm Marcianus Imperator pro firmitate & executione Chalcedonenſis Concilij ſanctionem edidit, neue cui amplius liceret publicè de fide diſſerere inhibuit: addito hoc aureo programmate; *Nam verè impius atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot Sacerdotum ſententiam opinioni ſuæ aliquid tractandum reliquit; & iniuriam facit religioſiſſimæ ſynodo, ſi quis ſemel iudicata ac rectè diſpoſita reuoluere, & diſputare contendit.* Epiſt. 69.

Aureum Imp. Martiani programma. Act. 3. Synod. Calcedonen.

Secuta eſt Quinta Conſtantinopolitana, de tribus Capitulis, ſynodus. Eam, nedum Catholici, verùm nec hæretici Eutychiani illi qui hæſitantes dicebantur, pro Oecumenicâ recipiebant, antequam illam Vigilius per litteras confirmaſſet, & condemnationi trium Capitulorum conſenſiſſet: quemadmodum

Conc. Conſt. V. per Vigilium PP. approbatum. Lib. 4 c. 37. lib. de ſectis act. 6.

Eua-

Euagrius, & Leontius meminerunt. Enimuero ſciebant, ſecundum canones verum eſſe, id quod aliquando Gelaſius Papa Epiſcopis Dardaniæ ſcripſerat; *Vniuſcuiuſque ſynodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, nullam exequi ſedem præ cæteris oportet, quam primam: quæ & vnamquamque ſynodum & ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem B. Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper, & retinet.*

Zonaras in vita Conſtantini Pogonati. Patres flagitant confirmationem actorum ab Agathone PP. *Act. 18. Sextæ ſynodi.*

Propter hunc Principatum, & ſextæ ſynodi, *cuius fuere principes Agathonis Papæ Romani Legati*, Patres, Agathonem flagitarunt, vt is tamquam *Primæ ſedis* ita ſcribunt in epiſtola ſynodali, *Antiſtes vniuerſalis Eccleſiæ, ſtans ſuper firmam fidei petram*, Acta eorum confirmaret. Non potuit Agatho morte præmatura ereptus deſiderio Patrum & Imperatoris eandem confirmationem poſtulantis ſatisfacere. Sed iſtud officij Leoni ſucceſſori reliquit: qui cum ſynodi atque Imperatoris litteras & geſta accepiſſet, ea his verbis confirmauit; *Quia ſancta vniuerſalis & magna ſexta ſynodus definitionem rectæ fidei (vt dictum eſt) plenißimè prædicauit, quam & Apoſtolica ſedes Beati Petri Apoſtoli (cuius, licet impares, miniſterio fungimur) veneranter ſuſcipit: idcirco & nos, & per noſtrum officium hæc veneranda ſedes Apoſtolica, concorditer ac vnanimiter his quæ definita ſunt ab ea, conſentit, & Beati Petri authoritate confirmat, ſicut ſupra ſolidatam petram quæ Chriſtus eſt, ab ipſo Domino adeptas firmitatem.*

Act. 7. & 8. Synod. Idē & Patres ſeptimæ, & octauæ ſynodi ab Hadriano.

Propter hunc ipſum ſedis Apoſtolicæ Primatum, Taraſius Epiſcopus Conſtantinopolitanus cum reliquis Patribus ſeptimæ Oecumenicæ ſynodi, Hadriano I. Papæ, ſynodalem cum recapitulatione omnium rerum in ſynodo Nicæna ſecunda geſtarum, pro confirmatione earum ſcripſit: & tum Ignatius Patriarcha, tum Baſilius Imperator, miſſa Legatione ad Hadrianum ſecundum, Octauæ ſynodi, quæ Conſtantinopoli aduerſus Photium congregata fuerat, & confirmationem, & definitionem in his quæ indefinita remanſerant, & diſpenſationem in his quæ de non recipiendis promotis à Photio, vel qui ſubſcripſiſſent pſeudoſynodo aduerſus Nicolaum Papam, ſtatuta eſſent, poſtulauere: memores illius quod S. Gregorius aliquando ſcribebat; *ſine Apoſtolicæ ſedis auctoritate atque conſenſu, nullas, quæcumque acta fuerint in ſynodo, vires habeat.* Eas porro, vt poſteriora Concilia, atque etiam nouiſſimum Tridentinum haberet, placuit Patribus acta eorum ad ſedem Apoſtolicam referre, & robur à Romano Pontifice illis impetrare. Ad eum modum, Cardinalis Moronus & Simoneta Pium IV. Romæ in Conſiſtorio ſecreto, die XXVI. Ianuarij anno Domini M.D.LXIV. reuerſi à ſacro Concilio Tridentino interpellarunt.

Lib. 7. Ind. ill. 2. epiſt. 69. Similiter & Patres Conc. Trid. à Rom. Pont.

Act. Concil. Trident. Petit io Patrū Conc. Trid. à Pontif.

Beatiſſime Pater. In decreto ſuper fine Concilij œcumenici Tridentini, pridie nonas Decembris præteriti publicato, ſtatutum fuit, vt per ſanctitatis veſtræ & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legatos & Præſidentes peteretur nomine dicti Concilij à ſanctitate veſtra confirmatio omnium & ſingulorum, quæ tam ſub fel. recordat. Paulo III. & Iulio III. quam ſub ſanctitate veſtra in eo decreta definita ſunt. Quapropter nos Ioannes Cardinalis Moronus, & Ludouicus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati & Præſidentes eramus, volentes exequi quod in dicto decreto ſtabilitum fuit, humiliter petimus nomine dicti Concilij œcumenici Tridentini, vt ſanctitas veſtra dignetur confirmare omnia & ſingula, quæ tam ſub fel. recor. Paulo III. & Iulio III. quam ſub ſanctitate veſtra in eo decreta & definita ſunt.

His auditis ſanctitas ſua, voluit videre & legere decretum Concilij, quod conceptum fuit iſtis verbis: *Illuſtriſſimi Domini, Reuerendiſſimique Patres, Placetne vobis, vt ad laudem Dei omnipotentis, huic ſacræ œcumenicæ Synodo finis imponatur, & omnium & ſingulorum, quæ tam ſub fel. recordat. Paulo III. & Iulio III. quam ſanctiſſimo Domino noſtro Pio IV. Romanis Pontificibus in ea decreta & definita ſunt, confirmatio nomine ſanctæ huius ſynodi per Apoſtolicæ ſedis Legatos & Præſidentes à Beatiſſimo Romano Pontifice petatur?* Reſponderunt; *Placet.*

Reſponſio Pōtif. cum confirmatione actorum nec non mandato pro illorum obſeruatione. *Epiſt. Pij IV pro confirm. Act. Conc. Trid.*

Viſo & lecto tenore ſuperioris decreti, & habitis ſuffragijs S. R. E. Cardinalium, Pius IIII. reſpondit, hunc in modum: *Petitioni nomine Concilij œcumenici ſuper eius confirmatione per dictos Legatos nobis factæ, annuentes, omnia & ſingula, quæ in dicto Concilio, tum ſub fel. recor. Paulo III. & Iulio III. prædeceſſoribus noſtris, quam Pontificatus noſtri tempore decreta & definita ſunt, auctoritate Apoſtolica etiam de Venerabilium fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio & aſſenſu, matura cum illis deliberatione præhabita, confirmamus, atque ab omnibus Chriſti fidelibus recipi, & inuiolabiliter obſeruari mandamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen.* Hæc Pius IIII. ab authoritate Pontificia decreuit, Patrumque Tridentinorum erga ſedem Apoſtolicam reuerentia laudata, diplomate etiam edicto actiones eius Concilij probauit, inque virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis à ſacris canonibus conſtitutis alijſque grauioribus, etiam priuationis arbitrio illius infligendis, vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus ſuis, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs quibuſuis Eccleſiarum Prælatis, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & dignitatis eſſent, etiamſi Cardinalatus honore præfulgerent mandauit, vt eadem decreta & ſtatuta, in Eccleſijs ſuis, ciuitatibus, & diœceſibus, in iudicio, & extra iudicium diligenter obſeruent, & à ſubditis quiſque ſuis, ad quos quomodolibet pertinent inuiolabiliter faciant obſeruari.

Recurſus Orientaliū antiſtitū ad ſedem Romanā illam omniū præpoſitam, ſummam ac Principalem vocantes pro confirmatione per ipſos actorum.

Sancta Tridentina Synodus, pro ſua erga ſedem Apoſtolicam reuerentia, antiquorum Conciliorum veſtigijs inhærens, cum decretorum ſuorum omnium confirmationem à Pio IIII. petijt, exemplo ſuo, non tantùm Europæi orbis ſed & Orientis Antiſtites & Patriarchas promouit, vt hi Prouincialium, & illi diœceſanarum Synodorum confirmationem, à Romanis Pontificibus expetierint, & expetant; non immemores etiam illius, quod olim Sophronius Hieroſolymitanus Patriarcha, cum propter tyrannidem Saracenorum, vt aliqui nunc Turcarum, Romam non

poſſet

poſſet venire Stephano Hieroſolymitanæ diœceſis primo Epiſcopo iubebat; *De finibus terræ, ad terminos eius ambula, donec ad Apoſtolicam ſedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt peruenias:* is vero Dorenſium Epiſcopus, eſt aliorum Epiſcoporum, & omnium fere Chriſtianorum precibus impulſus, Romam veniens, Martino Pontifici cum de Monothelitarum errore à Concilijs & Patribus damnato verba faceret, hæc in libello ſupplici exponebat; *Annunciemus hæc omnia OMNIVM PRÆPOSITÆ, dico autem, SVMMÆ VESTRÆ ET PRINCIPALI SEDI ad medicinale conſultum emerſi vulneris. Quippè quoniam hoc poteſtatiue olim & ab antiquitus facere per Apoſtolicam ſiue Canonicam conſueuit auctoritatem, dum aperta lucubratione non ſolùm claues regni cœlorum creditæ ſunt ei, atque ipſe tantummodò ad aperiendum, eas fidelibus quidem dignè, minimè autem Euangelii gratiæ credentibus iuſtè claudere, magnus ſecundum veritatem & Princeps Apoſtolorum meruit Petrus; ſed etiam & paſcere primus iuſſus eſt oues totius Catholicæ Eccleſiæ, & confirmare exagitatos conſortes ſuos & ſpirituales meruit fratres, vtpotè diſpenſatiuè ſuper omnes, ab eo qui propter nos incarnatus eſt Deus, poteſtatem accipiens & Sacerdotalem auctoritatem. Quod ſciens Patriarcha Sophronius, me ad hanc Apoſtolicam, magnamque direxit ſedem.* Scilicet pro medicinali conſulto, in grauiſſimis rebus, à nonnullis Concilijs propoſito, & ab Apoſtolica ſede quærendo; quod huius *Apoſtolicæ ſedis Præſul*, vt eſt Eulalius Syracuſanus Epiſcopus in tertia Synodo ſub Symmacho perorabat, *ſtatutis Synodalibus conſueuerit tribuere firmitatem.*

Lib. de dogmatib. Chaldæorũ. Legatio Patriarchæ Babilon. ad S.D.N. Paul. V. pro Confirmatione actorũ ſyn. & correctione errorum circa veram fidem.

Hæc dum Romæ ſcriberemus, opportune adlatæ ſunt Synodicæ Eliæ Patriarchæ Babilonis, & eius obedientiæ Archiepiſcoporum ad ſanctiſſimum D. N. D. Paulum Papam V. vna cum ſermone Timothei Archiepiſcopi Amed de recta fide, ab eiſdem in ſynodo recognitus, receptus & ad ſedem Apoſtolicam pro confirmatione miſſus. Res eſt. Contigit (narrabat Petrus Stroza, ſanctiſſimo D. N. Paulo V. à ſecretis ad Principes litteris) ita diſponente diuina prouidentia, vt inter eos pauperes, quibus anno primo ſui Pontificatus, ſanctiſſimus D.N. Paulus V. ſolemni ritu pedes lauit quinta feria maioris hebdomadæ, duo reperirentur Chaldæi, vnus Monachus, alter laicus qui ſanctorum Apoſtolorum limina viſitaturi, paulo ante Romam venerant. Hi poſtea domum reuerſi, cum renunciaſſent Eliæ Babylonis Patriarchæ, cuius obedientiæ ſubiacebant, quanta paterni amoris ſignificatione eos ſummus Pontifex excepiſſet, eiuſque nomine nonnulla munera illi attuliſſent & libellum reddidiſſent profeſſionis Fidei, quæ Orientalibus ad vrbem venientibus credenda, confitendaque proponitur; ipſe tanta in ſe ſuoſque commotus charitate, quamprimum Legatos ad ſummum Pontificem decreuit, qui ei gratias agerent; vtque communem Patrem, ac Dominum agnoſcerent, & illius obedientiæ ſubiectum ſe eſſe ſignificarent. Profitebatur enim Patriarcha, vnum idemque cum ſancta Romana Eccleſia de Fide ſentire. Nam Chaldæi ſedem Babylonis ab Apoſtolica ſede conſtitutam; & ſubinde Fidei doctrinam ab eadem accepiſſe, conſtanter aſſerunt. Et quamquam manifeſtiſſimis implicati ſint Neſtorij erroribus, atque hæreſibus; oſtendere nihilominus omni ſtudio contendunt, differentiam inter nos & ipſos conſiſtere, in verbis tantummodo, non autem in ſenſu verborum. Legati ſtatim ac iter ingreſſi ſunt, in latrones inciderunt. Itaque alios decernere oportuit. Multis & hi quoque calamitatibus afflicti, etſi Romam peruenerint; nihil egerunt: imo, legationem ſuam ſuſpectam reddiderunt. Perterriti enim, quia audiuiſſent quàm execrabile eſſet, & quàm odioſum Neſtorij nomen, vt Neſtorianæ hæreſis inuidiam declinarent nonnullas abſtulerunt paginas ex libris, quos ad recognoſcendam doctrinam fidei quam profitentur, & Eccleſiaſticos eorum ritus obtulerant: ita perſuaſi, à ſubdolo quodam interprete Neophyto antea Hebræo. Propterea dimiſſi re infecta redierunt. Quod cum in eorum reditu Patriarcha poſtea intellexiſſet, & ex his quæ Legatis in vrbe acciderant, cognouiſſet negotium imprudentia eorum perturbatum, inuerſumque fuiſſe, ſtatuit, inito cum Epiſcopis ſuis conſilio, denuo Legatum mittere; qui non tantùm officia obedientiæ, atque obſeruantiæ ſummo Pontifici debita præſtaret, ſed rationem Fidei quam Chaldæi profitentur redderet; ac ſi error aliquis in eorum profeſſione reperiretur, correctionem ab eo humiliter poſtularet. Legatio demandata fuit Adæ Archidiacono Cameræ Patriarchalis, Monachorum Chaldæorum Archimandritæ, viro docto & prudenti. Is ad vrbem, anno tertio à diſceſſu priorum Legatorum venit, & ſanctiſſimo D.N. litteras Patriarchæ ſuæ reddidit; & cum illis Fidei profeſſionem, atque commentarium à ſe iuſſu Patriarchæ ſui compoſitum, de conciliatione dogmatum Chaldæorum cum Fidei Catholica: poſtulauitque ſumma animi demiſſione, vt cuncta diligenter examinarentur, expenderentur, & pro neceſſitate ſaluti eorum conſuleretur.

Quomodo Legatus Romã veniens exceptus iuſſu Põtif. & in rebus fidei instructus fuerit.

Conſuluit planè opportune pro ea qua in gregem Chriſtianum inflammatus eſt charitate Paulus V. Namque eius iuſſu, Petrus Stroza, cum primum libellum profeſſionis Fidei ab Elia miſſum, & commentarium iuſſu eiuſdem Patriarchæ Babylonis, de conciliatione Chaldæorum dogmatum cum Orthodoxa veritate, quam ſancta Catholica Apoſtolica Romana Eccleſia docet ab Adamo Archimandrita compoſitum vidiſſet atque in vtroque nonnulla animaduerſione digna notaſſet, Legatum, zelo inſtaurandæ vnitatis flagrantem, aggreſſus, ex ſacris œcumenicis Concilijs, & ex ſanctorum, probatiſſimorumque Patrum monumentis, de ineffabilibus myſterijs noſtræ Fidei illum erudiuit, atque eam veritatis lucem manuduxit, vt is habuerit Commentarium eruditum, ex ſenſu iam Catholico, de Fide Catholica ad fratres ſuos Chaldæos ſcribere, Pontificemque vigilantiſſimum amplius promouere, qui Eliam datis litteris purioris doctrinæ admoneret, & ad vnitatem confeſſionis Orthodoxæ adduceret.

Adamo

Adamo ad Patriarcham reduce, quod hic neceſſario reuocandam eſſe Synodum non ignoraret, ſtatim Archiepiſcopos, quorum conſilio Legationem ad ſedem Apoſtolicam decreuerat, in vnum congregandos eſſe cenſuit, vt reſponſum Apoſtolicum, quod ad omnes pertineret communiter reciperent; & ſi quid vlterius neceſſarium eſſet, omnes pariter communicatis ſententijs, coniunctiſque animis atque ſtudijs exequerentur. Locum Synodo opportuniſſimum, in media fere Meſopotamia ſtatuit, ciuitatem Amed: tempus ſanctiſſimos natalis Domini dies. Sed conuenire ante Kalendas Martias non potuerunt. Nam cum Patriarcha accerſiuiſſet Cuſtodem Monaſterij Franciſcanorum Alepi, Fratrem Thomam Nouarienſem, vt conuentui intereſſet, pro duobus religioſis viris, qui hac de cauſa dati fuerant Legato comites in eius ab vrbe diſceſſu, confirmaturi poſtmodum certo teſtimonio apud ſanctam Apoſtolicam ſedem, quæ acta fuiſſent; ipſe ad eos proficiſci diù renuerat. Verebatur enim, ne temere impudenterque feciſſe videretur, ſi alieno ſe immiſcuiſſet negotio. Propterea Alepo autem egredi nolebat, quam intellexiſſet ſummi Pontificis voluntatem: cui Patriarcha in ipſo Legati reditu ſuum hoc deſiderium per litteras ſignificauerat; ac ſimul quid eum impulerat, vt hoc poſtularet. At vrgente acrius ſemper Patriarcha, Cuſtos denique obſequi coactus eſt. Etenim niſi ad eos properauiſſet, conteſtabantur Archiepiſcopi, ſe ad proprias Eccleſias redituros atque infecta re, Apoſtolicum Breue obſignatum ad ſummum Pontificem remiſſuros. Igitur Kalendis Martij M.DC.XVI. omnes Amed conuenientes, die ſequenti ſynodum inchoarunt, & quotidie vſque ad VII. Kalend. Aprilis continuarunt, hac ratione, vt ſingulis diebus poſtquam primo conuentu lecta fuerunt, quæ ſcripſit ad eos ſummus Pontifex, & quæ de erroribus Neſtorij, Theodori, ac Macarij ex Actis Conciliorum miſit; mane poſt conſuetam orationem diſputaretur in Eccleſia, occluſis ianuis de vno capite ex controuerſis; veſperi autem ad orationem reuerſi, vnuſquiſque ſententiam diceret. Recognouerunt pariter eodem pacto, omnia de Fide à Legato ſcripta Romæ: cunctiſque demum ſedulo & accuratè expenſis, examinatiſque ſummo Pontifici reſcripſerunt, ſeque eius dicto audientes profeſſi, omnia Catholicæ & Apoſtolicæ eius doctrinæ contraria reijcientes, ſe à ſedis Apoſtolicæ dogmatibus nolle recedere, quantum ad voluntatem conati ſunt oſtendere: litteraſque pro confirmatione, vel correctione actorum, præſente Cuſtode Alepi ſignatas, eidem dederunt, traſmittendas ſanctiſſimo.

Ex lib. Synodal Chaldæan. Synodi celebratio pro receptione & executione reſponſi Apoſtolici.

Acta ſynodi.

Reſcribũt Archiep. summo Pont. pro cõfirmatione, vel correctione actorum.

Eas ex Caldaico à pio & erudito viro Iſaac Sciadrenſe Maronita in ſacra Theologia Magiſtro, Collegij eiuſdem nationis alumno, Latinè redditas, viſum iſtic ſubiungere, præmiſſa prius epiſtola Alepi Cuſtodis, ad eundem ſanctiſſimum D.N. Paulum Quintum data. Ita habet

Cuſtodis Monaſterij Franciſcani Alepi legati à Synodo deſtinati ad S.D.N. Paulum V. litteræ.

Beatiſſime Pater.

In rebus magnis, memoriaque dignis, conſilia primum, deinde acta, poſtea euentus ſpectari, commune adagium eſt. Sed hinc nimium præceps videtur qui intrare contendit, vbi alios cecidiſſe conſpexerit: & vehementer infrænis vocatur, cui, alio pereunte, timor non incutitur: imo præſumptionis vitio meritò notatur, dum ſe in aliena ingerit, minimè vocatus.

In culpa enim eram, obnoxiuſque crimini, ſanctiſſime Pater: ſed reuera, quid criminis, quidue culpæ adſcribendum eſt ei, qui non ſuo, ſed alieno ducitur arbitrio? Veritatem enim dicam. Quamprimum à Deo miſericordiarum Patre cælitus mihi dono conceſſum eſt, vt ab ore ſanctitatis veſtræ Apoſtolicam benedictionem, tamquam à ſuprema totius ſanè orbis maieſtate procedentem reciperem; ſtatimque vt huius ſacræ miſſionis munus, Angelicique muneris edictum ad me peruentum, deſtinaretur, dirigereturve perficiendum; factum eſt (mirabile quidem dictu) vt ab extremis his terrarum partibus, naſcentiſque ſolis finibus; tantæ benedictionis gratiam, vimque ſentirem; adeo quod nec interioribus afflatibus reſiſtere, nec in exteriora pericula animum intendere potui, quin ad dirigentis votum, in res tanti momenti me reciperem: etſi in decreto voluntatis meæ hoc firmiter propoſuerim, & per epiſtolas Domino Petro Strozæ hinc directas, ſemper idem proteſtatus ſim.

Sed in veritate comperi, Beatiſſime Pater, quod ſpiritus vbi vult ſpirat; & neſcit homo vnde veniat, aut quò vadat, ſicut Dominus inquit, & de animantibus dicitur; vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur.

Abij igitur immaturo tempore; ſed vt innui, venia dignus.

Et profectò cenſuerim me fregiſſe votum, violaſſe propoſitum, præuaricaſſe pactum, niſi etiam altiori obtutu animaduertiſſem, quod veræ obedientiæ ſpiritus legem neſcit, terminis non arctatur; nec ſuæ profeſſionis contentus anguſtijs, largiore voluntate fertur in latitudinem charitatis.

Quinimo, niſi tunc me extra tecta tuliſſem, & ad ardua illius hyemis tempora, contra fratrum amicorumque voluntatem, me vltro etiam tradidiſſem; ſanè conuocatam ſynodum omninò fruſtraſſem, & illorum bonam voluntatem, caſſam ſine dubio reddidiſſem: & quod caput eſt, (non obſtante Primi Viſer contra noſtros formidabili edicto) nec tecta relinquere amplius, nec portis erumpere ſeriùs valuiſſem.

Mandauerat enim iſte ſub irreuocabili capitis pœna, ne quis ex noſtris extra Alepi fines exire præſumeret, ac verſus Perſarum Regem, propter imminentia bella greſſus dirigere auderet omninò, eo quod audierat (vt Conſulum interpretes ex ipſiuſmet ore nobis retulerunt) ex noſtris multos, & Religioſos præcipuè illò abiſſe, Perſarum Regem ex Chriſtianorum Principum conſenſu adijſſe, & multa contra Dominum ſuum Regem machinatos fuiſſe.

Quare miſericordiarum Patri Deo gratias ago, qui feliciora principijs his tempora dedit, quàm humanæ mentis ratio excogitare valuerit. Sed multò magis ſine intermiſſione ei grates infinitas rependere debemus, quia & tanti negotij media ſuaui ſuæ gratiæ aura temperauit, & finium ſinus cumulatiori ſuæ benedictionis dono repleuit; volens tandem tot animarum agmina, ad lumina ſurgere vitæ & complacita benignitate, optatis ſanctitatis veſtræ annuere votis; vt à ſolis ortu vſque ad occaſum, ſancta Eccleſia

filios in vnum congregaret: vt ibi potiùs ipſa tamquam oliua fructifera creſcat, vbi mundus ſicut arbor infructuoſa decreſcit.

Nam adhuc habet, quo creſcat, donec impleatur illud; Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum: & inde quaſi aurora conſurgat, vnde tamquam ſol electa occabuit. Nam adhuc habet quo conſurgat, vt Iſaias teſtatur; Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domus Domini (id eſt Eccleſia) in vertice montium; & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Omnes enim gentes venient, & Ieſum Chriſtum Eccleſiæ ſponſum adorabunt, vt ſexto iſto tempore Prophetarum voces in aures Eccleſiæ vehementius perſtrepunt.

Eccleſia mõs Domus Domini dicitur.

Et Turcæ, & Arabes, & Mauri, & Barbari, & Hæretici, & ſchiſmatici, & infideles omnes in vnitatem ſanctæ Fidei venient, ad Montem Domus Domini, quæ eſt Eccleſia, confluentes: vt omnis lingua tandem confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Non omnes tamen capiunt verbum iſtud, ſanctiſſime Pater; ſed ſi mecum ex Hieruſalem per mediam tranſiſſent Samariam, & paululum iuxta fontem Iacob contemplantes demorati eſſent, liceret vtique mihi hic eos affari; Vos dicitis, quia adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit. Ecce dico vobis; leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem: & qui mittit, mercedem accipit &c. ſexto enim menſe metimus: ſextum Apocalypſis ſignaculum aperitur, tempuſque Eccleſiæ ſextum adeſt.

Notent ergo myſtica Domini verba; ſacra Euangelij ſignent myſteria; & temporum arcana mentis acumine perſpiciant, ſi velint, Secretario ibi innuente; hora autem erat quaſi ſexta: & inuenient hæc ipſa eſſe glorioſa ſponſæ Agni tempora.

Sed quod ponderatione valdè dignum exiſtimamus, eſt; quod meſſis quidem vaſtiſſima inuenitur, operarij autem pauci. rogare ergo Dominum meſſis debet Eccleſia, vt mittat operarios in meſſem ſuam.

Nam ſancto veritatis dictante ſpiritu, ſine dubio factum eſt, ſanctiſſime Pater, vt annis iam elapſis ſanctitas veſtra religioſis omnibus Apoſtolica auctoritate mandaret, vt diuerſa linguarum idiomata addiſcerent: tamquam velit (vt optimus Pater familias) operarios primum linguæ falce aptare: deinde intuitu mercedis conducere: poſtea obedientiæ merito in meſſem hanc magnam mittere.

Miſiſti tandem: & ecce primitiarum fruges adueniunt, meſſiſque maturæ ariſtæ in aream Domini congregantur. Sicque (vt vnde digreſſi ſumus reuertamur) etſi in Oriente Eccleſia ipſa occubuit; ecce nunc diebus tuis, Beatiſſime Pater, quaſi aurora conſurgit.

Chaldæorum Eccl. Magis Dominũ adorare venientibus comparatur.

Nam & Chaldæi ipſi poſt Iudæorum paſtores veniunt patria voce clamantes; & venimus adorare Dominum. Conuenientes igitur omnes populi in vnum, & Reges conueniant ad Domini præſepe, vt ſeruiant Domino; & intrantes ſanctæ Eccleſiæ Romanæ caulam, adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei, quia ſine dubio, (vt D. Pauli propheticis verbis vtar) plenitudo gentium intrabit ſanè: vt tandem ſecundum Domini promiſſa, fiat vnum ouile, & vnus Paſtor. O verè felix vnitas, & glorioſa ſocietas, vbi fides vna, veritas vna, & Chriſtus vnus omnium paſtor erit, in ouili vno credentium.

Quaſnam ergo Domino noſtro Ieſu Chriſto gratias referemus, ſanctiſſime Pater, qui tot tantaque Eccleſiæ ſuæ, cui tu præes, à ſæculis promiſſa dona, his diebus conceſſurus eſt; Nam dum eorum, quæ hiſce oculis vidi, auribus audiui, ac proprijs contrectaui manibus, recordor; miror, obſtupeſco & excedens mente prægaudio, opprimor lachrymis, magnæ illius Apocalypſis tubæ iterans voces; Gaudeamus, & lætemur, quia venerunt nuptiæ Agni & vxor eius præparauit ſe.

Nunc enim præparata eſt Agni ſponſa, vt filias in vnum collectas recipiat; & præparata eſt Domus Domini Eccleſia in vertice montium, propter diù deſideratam Chriſtianorum Principum concordiam & pacem; vt eleuetur in proximo etiam ſuper omnes infidelium colles iugo Chriſti colla eorum ſubmittens: & hic veniente optata nuptiarum agni ſolemnia, læta ſcilicet Chriſti cum Eccleſia ſponſa connubia, filiarum vnio, ouium Chriſti congregatio, infidelium conuerſio, Nuptiarum conuocatio: ite ad exitus viarum, & quoſcumque inueneritis vocate ad nuptias.

O aurea tempora, cuius iam initiata principia videmus.

O deſiderabiles nuptiæ, quarum diſcumbentes iam compelluntur intrare. Gaudeamus igitur, & lætemur, quia iam nuptiarum gaudia Agni Chriſti venerunt. Ecce prima intrat, & meritò (vt in typo inuenti Magorum) antiquiſſima Chaldæorum natio, poſt Iudæorum paſtores, id eſt, Eccleſiæ Romanæ Prælatos: candida fidei amicta nuptiali veſte, quam nunc omni adhibita diligentia dealbare curauit; vti ab exemplaribus his quæ ipſi ſanctitati veſtræ, ſacroque Cardinalium Senatui contemplanda mittunt, conijcere licet. Digni ergo ſunt, vt digniori etiam loco excipiantur.

Iudæorum Paſtores Eccleſiæ Rom. Prælati dicti.

Nam Neſtorium, & Theodorum, & omnia illorum deteſtanda dogmata, lecto ſanctitatis veſtræ libro coram Domino Elia Babylonis Patriarcha, in ſynodo ſuorum Archiepiſcoporum, iuxta Tigris fluuium, in ciuitate Amed congregata, deteſtabilioribus quàm credi poteſt verbis execrati ſunt. Meritò igitur relictis furibus & mactatoribus, Paſtorem verum & paſcua inuenient. Et quo hilari vultu, quaue prompta animi deuotione cum ſancta Romana Eccleſia ſenſerint, benedicentes quicquid ipſa benedicit, & è contra maledicentes, quicquid illa maledicit, & ſuſcipientes quicquid tamquam fidei Magiſtra ipſa docet & ſuſcipit, fateor me enarrare non poſſe; quare, & duplicem eſſe reportaturos benedictionem à ſanctitate veſtra non dubito.

Refert acta ſyn. & deuotionem Antiſtitum erga Rom. Eccleſ.

Qualem item reuerentiam, deuotionem, & obedientiam, à maiori vſque ad minimum erga te magnum huius domus Patremfamilias, & illuſtriſſimorum filiorum tuorum cœtum habeant, incredibile eſt dictu.

Quali affectu, amore, & charitate Agni ſponſam cui coniunctus es, ò ſanctiſſime Antiſtes, proſequantur, ſine admiratione referre non poſſunt. nam cùm & me eius inutilem ſeruum charitate, amore & affectu complexi ſunt. Faxit

Deus,

Deus, vt pares eis etiam valeam aliquando rependere voces ſicut eorum deuota fides, amor ſyncerus, & prompta obedientia, quam erga ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam ſeruant, promeretur. Verboſus nimis fui; & timeo ne benignas ſanctitatis veſtræ aures diu tædio affecerim.

Placido ergo vultu indulge ſanctiſſime Pater, & peccatorem hunc tua ſancta benedictione iterum benedicas, Amen. Datum Alepi Syriæ die ſept. Maij. Anno 1616.

Sanctitatis Veſtræ.

Humilimus Seruus
Fr. Thomas à Nouaria Ord. Min.

Epiſtola Synodica Patriarchæ, & Archiepiſcoporum Chaldæorum ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum.

PAVLVM PAPAM V.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſanctitatis.

Sanctiſſime Pater Papa Paule Quinte.

Pontifex Romanus Pater vniuerſalis.

A Minimo filiorum tuorum humili Elia, per gratiam Dei patriarcha Babilonis, ſalus.

Magnum autem laborem ſumpſimus ſuper nos, ò Pater vniuerſalis, ob præcepta ſanctitatis veſtræ: & in hoc labore oſtenditur multitudo charitatis, quæ eſt nobis vobiſcum. Quamquam enim à temporibus primorum Patrum noſtrorum erat nobis amor ad inuicem: ſed magis hoc tempore, per filium noſtrum Dominum Thimotheum perfectus eſt, & habuit finem, & oſtendit nobis omnia, quæ à vobis attulit, & valde nobis placuit ſententia veſtræ ſanctitatis; & etiam nos ita fatemur vobiſcum; ante omnia obſeruantes rectam confeſſionem duarum naturarum perfectarum in Chriſto; quæ eſt Deitas eius, & humanitas eius, & obſeruamus proprietates naturarum, quibus repellimus è medio confuſionem, perturbationem, & mutationem, & variationem.

Profeſſio fidei Antiſtitũ ſynodi ad Normam Eccleſ. Roman.

Et obſeruamus etiam numerum Perſonarum Trinitatis, trino modo; & vnam vnitatem veram, & ineffabilem fatemur in vno Filio vero vnius Dei Patris veritatis. Et quicumque ſentit, & dicit duos Chriſtos, vel duos Filios, vel in vna ex cauſis, vel in vno ex modis excitat quaternitatem, hunc anathematizauimus, & anathematizamus, & membrum reprobum à toto corpore Chriſtianitatis reputatur à nobis. Non enim mutatum eſt verbum per incarnationem, neque induxit quaternitatem ſuper perſonas Trinitatis.

Ideo aſſentimur ſententiæ ſanctæ Eccleſiæ Romæ, vt fateamur vnam perſonam verbi in Chriſto; tamquam arbor, quæ inſeritur in arbore extranea à natura ſua: & manifeſtum eſt, quod ſubſiſtentia illius prędictæ arboris determinat ambas naturas: & ſic credimus.

Et vocamus MARIAM Genitricem Dei qui eſt ex Deo, ſine confuſione naturarum, & ſine mutatione proprietatum perfectarum naturarum.

Item fatemur, ſpiritum ſanctitatis procedere à Patre, & à Filio, tamquam ex vna proceſſione, & vna ſpiratione.

Et quicumque fatetur, Filium priuum eſſe ſpiritus ſanctitatis, anathema ſit.

Et quicunque terminat orationem in nomine Filij, & ſpiritus ſanctitatis; & non credit, quod in nomine Filij, Deitatem & humanitatem Chriſti ſimul ſignificet; anathema ſit.

Et quicumque confitetur in homine, ſimplicem, vel paulatim perfectum eſſe, vel accidentaliter, & non ſubſtantialiter cum plaſmatione carnis vnitum ei verbum, & eſſe in ſæculum; anathema ſit.

Et quicumque non fatetur, Chriſtum eſſe Deum perfectum, cum omnibus ſuis proprietatibus, præter generationem actiuam; anathema ſit.

Et quicumque non fatetur, Chriſtum eſſe hominem perfectum in omnibus ſuis proprietatibus, præter peccatum; anathema ſit.

Ecce in his omnibus, & in pluribus his aſſentimur Eccleſiæ ſanctæ Romæ; & anathematizamus quemcumque, qui non aſſentitur huic ſententiæ.

Et ſi dixeritis, Neſtorium non aſſentiri huic ſententiæ; manifeſtum eſt enim ipſum mortuum eſſe, & non poſſe reſurgere de ſepulchro, & mutare nos à noſtra ſententia.

Et nos refutamus quodcumque eſt in libris noſtris ſi non conuenit cum hac ſententia. Verùm nomen Neſtorij adhæſit nobis, & non poſſumus illud reijcere, quantumuis contendamus, vt ſcripſimus ad veſtram ſanctitatem, cum Fide Domini Timothei, etiam de hac re, ex noſtris libris antiquis Syriacè, & Arabicè. Et hæc facta ſunt per ſubſcriptiones omnium noſtrum.

Subſcriptio Antiſtitum ſynod.

Ego Elias per gratiam Dei Patriarcha Orientis, ſubſcripſi.

Ego imbecillis Gabriel Archiepiſcopus Heſno, ſubſcripſi.

Ego imbecillis Elias Archiepiſcopus Sebert, ſubſcripſi.

Ego imbecillis Ioſeph Archiepiſcopus Inſulæ, ſubſcripſi.

Ego humilis Timotheus Archiepiſcopus Ieruſalem & Amed, ſubſcripſi.

Ego Abraham Epiſcopus Vehdonfores, ſubſcripſi.

Item ego Ioannes Ieſu Archiepiſcopus loci Ciuitatis Van, veni poſt Congregationem, & ſubſcripſi.

Et hæc omnia ſcripſimus coram Patre Thoma veſtro; & de multis alijs rebus monuimus eum, vt diceret pro nobis ſanctitati veſtrę; quia valde placuerunt nobis conuerſationes eius; & parui, & magni noſtrum percuſſi ſunt amore eius, & non ſatiati ſunt amore eius; & propter bonos mores eius, & modos pulchros eius, dignus eſt dignitate honoris à Paternitate veſtra; & volumus ipſum eſſe Mediatorem omnium negotiorum noſtrorum, & veſtrorum, in Ieruſalem, & in omni loco.

Submiſſio ipſorum Pont. Romano.

Et etiam ecce nos tradidimus omnia negotia noſtra, quæ ſunt in Ieruſalem, Domino Timotheo; & quodcunque facit, acceptum eſt apud nos omnes, quia omne bonum, quod vultis facere nobiſcum; in Ieruſalem volumus fieri, & monebitis fratres veſtros, vt multiplicent amorem erga filios noſtræ profeſſionis, ſicut etiam nos diligimus eos.

At nos multo tempore permanſimus, & miſimus Alepum, & duximus Patrem Thomam ad Ciuitatem Amed; & fecimus congregationem hanc; & miſimus ad ſanctitatem veſtram hęc ſcripta; ideſt, hanc epiſtolam, & fidem Domini Timothei; & Commentarios, quos fecit aduerſus verba Neſtorij, & Theodori, quæ vidit Romæ; & exemplar, quo demonſtrat, quomodo adhærere fecerunt nobis inimici noſtri nomen Neſtorij, Arabicè, & Syriacè.

ET SI FVERIT ALIQVID, QVOD NON PLACET VOBIS EX HIS, QVAE MISIMVS; FACIEMVS VT PLACEAT VOBIS: quia ſcimus, non fuiſſe contentionem vnquam, nec apud nos, neque apud vos aduerſus inuicem; ſed hoſtes noſtri miſerunt contra nos blaſphemias ad vos.

Petunt ſibi mitti profeſſionem fidei, bonam ad Indos docendos

Item rogamus vos, vt ad nos mittatis bonas literas, propter profeſſionem noſtram, & aduentum noſtrum in Indiam, omni modo; quia in Ormos, & in Goa, & vltra, valde tribulant nos ſcrutantes de Fide: & homines noſtrarum regionum non ſunt periti omnes; & hac de cauſa tribulant eos valde, vel accipiunt ab eis pecunias, & deinde dimittunt eos: & vnus ſacerdos ex Amed ciuitate mortuus eſt propter anguſtias, in quas redactus ab eis fuerat; & nos, omne quod faciemus, mittemus in Indiam, vt etiam ibi multiplicetur lætitia in hac noſtra concordia.

Nunc autem DEVM rogamus, & Filium eius æternum oramus, & ſpiritui ſanctitatis Omnipotenti ſupplicamus, vt confirmetur ſedes veſtra in generationem generationum, ob gloriam totius Chriſtianitatis: vt ſanctitate veſtra mediante, ſit nobis fiducia apud maximum Paſtorum Ieſum Chriſtum; cui, & Patri ſuo, & ſpiritui eius ſancto gloria indiuiſibilis in omnibus generationibus ſæculorum ſæculorum, Amen.

Commendamus vobis fratres noſtros Maronitas interpretes, quia valde laborauerunt in hoc miniſterio. Datum in Ciuitate Amed Anno milleſimo nongenteſimo vigeſimo ſeptimo Græcorum. Die Veneris octauo menſis Martij.

Humilis PACCVS ex AMED, Scriptor.

Hæc Patriarcha Babylonis, cum Archiepiſcopis Orientis, Paulo Quinto, Pontifici vigilantiſſimo, & Diui Pauli Apoſtoli vero imitatori ſcribebat; non aliud à ſede Apoſtolica præcipuè expetens, quam acta ſynodica ad eum miſſa, vel confirmari, vel emendari; quod ſciant, quia.

CAPVT XII.

Pontifex Romanus, Moderator eſt Conciliorum.

DEſiderabantur nonnulla, in ea deliberatione Orientalium ſynodica. Itaque Pauli Doctoris gentium exemplum ſecutus Paulus V. cum omnibus omnia ſe debere, ac fieri exiſtimaret, benigno ſinu, accurrentes Chaldæorum reliquos complexus, non tantùm lac, verùm & ſolidum doctrinæ Orthodoxæ cibum, illis volens miniſtrare, nonnulla quidem laudanda probauit, aliqua verò emendare, moderarique curauit, ſcripto eis iſthoc Apoſtolici pectoris reſcripto.

Venerabili Fratri Eliæ Patriarchæ Babylonis PAVLVS PAPA V.

Reſponſũ SS. D. N. Pauli V ad Patriarch. Babylonis, & alios Antiſt.

Venerabilis frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Repleti ſumus conſolatione, ſuperabundamus gaudio, quod tamdiu deſideratum reſponſum literis noſtris, ad te, dilecto communi Filio Adæ, tunc tuæ Cameræ Patriarchalis Archidiacono, Legato tuo datis, tandem accepimus. Primùm quidem toto noſtri cordis affectu, Deo miſericordiarum, & Patri totius conſolationis gratias agimus; quia, & ex literis tuis, & ex his quæ diligenter, & accuratè nobis ſcripſit dilectus filius, pius ac religioſus Dei ſeruus, Thomas Nouarienſis, Ordinis Seraphici Patris Franciſci Frater; qui mandato noſtro ex Alepo veniens Amed, interfuit ſynodo, à fraternitate tua, cum venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis obedientiæ tuæ ſubiectis habitæ, vidimus veſtram pietatem, venerationem, cultum, deuotionem, obſeruantiam erga ſanctam Beati Petri ſedem, non modò conſeruatam, ſed mirificè auctam eſſe. Præcipuè verò cor noſtrum valde lætatum eſt, ex teſtimonio, quod declarare voluiſtis, quàm amanter, & ex animo receperitis doctrinam Catholicæ Fidei, ab hac ſancta ſede, Nobis in ea nullis noſtris meritis præſidentibus, nuper vobis traditam; Cum, vt ſcribis, Legatum tuum, hac potiſſimùm de cauſa, poſt eius ad vos reditum cum noſtris literis, ordinatum à Te Archiepiſcopum, decreueris communi conſilio nominandum Timotheum; vt ſicut per humilitatem noſtram renouatur nunc in Apoſtolica ſede nomen Doctoris Gentium; ſic eius dilectiſſimi diſcipuli nomen in Adam apud vos renouaretur; & hoc ſymbolo, Doctoris ac diſcipuli, alacritas recipiendi, & neceſſitas retinendi ſanam doctrinam, in vobis demonſtraretur. Hoc autem tanto maiori quidem iucunditate atque lætitia nos affecit, quanto idipſum reipſa laudabiliter præſtatis; dum poſt expoſitionem veſtræ de Fide ſententiæ, ſingillatim à vobis factam ex conformitate, vt arbitramini, & conſenſu cum ſancta Romana Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, dicitis; Quod ſi eſt aliquid in ea, quod nobis non placeat, facietis, vt placeat.

tiſt. ſynod. quo de fide plenius inſtruuntur, & eorum errores ipſis apertè explicantur.

Laudamus ſane vos plurimum; ac firma fiducia executuros opere, quod ſcripto polliciti eſtis, vos admonebimus, quòd indigere correctione, aut ſaltem declaratione videtur in veſtra ſynodica epiſtola; vt conformis, & conſona ſit omni ex parte, ſicut deſideratis, veſtra Fidei profeſſio cum Catholica veritate, quam ſancta Romana Eccleſia omnium aliarum mater, & magiſtra docet, & profitetur.

Peruerſum, damnatumque dogma Neſtorij, atque Theodori Mopſueſteni, vt ſancti Patres in quinta vniuerſali Synodo nos docuerunt, totum in hoc conſiſtebat, vt ambigua, falſaque ſignificatione vocis Perſonæ, redargutiones ſapientium declinarent, ſimplicium mentes deciperent.

Error in vſu vocis perſonæ.

Propterea ipſi oretenus veritatem perſonæ in Chriſto Domino recipientes, diuiſionem nihilominus inter naturam diuinam, & naturam humanam ponebant. Vnamquamque enim naturam eſſe cum ſua propria ſubſiſtentia, peſſimè affirmabant; ſicut videre potuiſtis ex actis eiuſdem quintæ ſynodi, ad vos miſſis. Magna itaque cautione opus eſt in vſu vocis Perſonæ, quando de Neſtoriano damnato dogmate agitur. Suſpectum autem admodum eſt eius ſignificatum; eoque magis, quod facile cum commento vocis Perſonæ abhinc reprobato confunditur.

Igitur, cum vos dicatis in ſynodali epiſtola ad nos miſſa: Obedientes ſumus ſententiæ Eccleſiæ ſanctæ Romæ, quia confitemur vnam Perſonam verbi in Chriſto, ſicut arbor, quæ inſeri-

tur

tur cum aliena arbore aliena à natura ſua: *Illud dictum*, confitemur vnam perſonam verbi in Chriſto, *redditur valde ſuſpectum ex verbis ſequentibus, ſcilicet*; ſicut arbor, quæ inſeritur cum aliena arbore aliena à natura ſua; *nam ex comparatione hac facile inferri poſſet, in Chriſto reperiri duas ſubſiſtentias cum duabus naturis; cum vtraque arbor, & quæ inſeritur, & altera in qua illa inſita eſt, habeant quodammodo propriam ſubſiſtentiam; & hoc pacto, in peſſimum damnatiſſimumque dogma Neſtorij, & Theodori recideretur, qui peruerſè, ſubdolèque, vnitatem Perſonæ cum duabus ſubſiſtentijs in Chriſto Domino noſtro ponebant.*

Multò quoque grauior adhuc euadit ſuſpicio, quia affirmatis, hanc, quam modo confitemini, Perſonæ *vnitatem in Chriſto, eandem credidiſſe, ac profeſſos eſſe ſemper; ita vt aſſeratis, nullam vnquam fuiſſe inter nos diſſenſionem.*

Si enim ſcribitis: Scimus, non fuiſſe vnquam contentionem, neque apud nos, neque apud vos aduerſus inuicem; ſed hoſtes noſtri miſerunt contra nos blaſphemias apud vos. *Planè credimus, vos ita ſcripſiſſe, ſtudio conciliandæ maioris & conſtantioris beneuolentiæ, atque charitatis inter nos. Verùm res aliter ſe habet. Eccleſia namque ſancta Catholica Apoſtolica Romana, veſtram de diſpenſatione verbi Dei incarnati dogma, Neſtorianum eſſe apertè declarauit; eaque de cauſa vos ſeparatos eſſe ab ea vniuerſus Chriſtianus orbis nouit. Et ipſe Adam, poſt diuturnam, continuamque vnius anni, & amplius diſputationem, hoc ipſum confeſſus eſt, agnitoſque errores alacriter abiurauit, & anathematizauit; atque inſuper magna cum pietatis & doctrinæ ſuæ laude, libellum eruditiſſimum de Orthodoxa fide, & ſermonem aduerſus hæreſes diſſentientes à veritate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, poſtea compoſuit, quibus ſcripturis à vobis poſtmodum in ſynodo receptis, & approbatis, vos quoque ſubſcripſiſtis.*

Dum itaque confitentes vnam Perſonam verbi in Chriſto, affirmatis, eodem modo ſemper hanc Perſonæ vnitatem intellexiſſe, ſuſpectam admodum facitis veſtram fidei confeſſionem. Nam manifeſtum eſt, vos ante reditum venerabilis fratris Archiepiſcopi Timothei, non vnam Perſonam, *ideſt, vnam* ſubſiſtentiam, *ſicut nos, ſed vnum* Parſopa, *vt Neſtorius, & Theodorus, impiè ac peruerſè commenti ſunt, in Chriſto Domino poſuiſſe.*

Oportet igitur, ſi deſideratis, vt proculdubio nobis perſuademus, verè, ritè, ac ſtabiliter vos ad ſanctam Romanam Eccleſiam matrem veſtram adiungere, & ab ipſa in gremio ſuo, vt vehementer optat, amanter recipi, duo faciatis.

Præſcribit quid ab eis pro ipſorum cum Rom. Eccl. vnione expectat.

Primum, vt diſertis, claris, & apertis verbis confiteamini, vnam eſſe in Chriſto Deo & homine cum duabus naturis ſubſiſtentiam; *& illam eſſe diuinam; quam vnitatem ſubſiſtentiæ & Perſonæ credere profiteamini ad ſenſum ſanctæ Romanæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ; ſicuti etiam, quod Beatiſſima Virgo verè ſit Mater Dei.*

Alterum quod facere debetis, eſt, vt declaretis agnouiſſe errores, quibus implicati longo tempore habiti eſtis Neſtoriani, ideoque anathematizauiſſe Neſtorium & Theodorum, omneſque alios hæreticos à ſanctis Patribus damnatos, præcipuè in Epheſina, Chalcedonenſi, & Quinta, & Sexta vniuerſalibus Synodis. Quorum perditorum hæreticorum nomina, & doctrinam, neceſſe eſt vt ex veſtris libris eradatis: Noſque de his omnibus per authentica documenta in ſcriptis, certiores faciatis. Quæ omnia cum perfeceritis, vt confidimus; firma, & conſtituta erit veſtra cum ſancta Romana Eccleſia vnitas, atque communio. Tunc omnia amoris & charitatis officia vobis alacriores, promptioreſque præſtabimus: optatum ſacellum in Eccleſia ſanctiſſimi ſepulchri Redemptoris noſtri Hieroſolymis commodius obtinebitis; & difficultates, quas in Indijs patiuntur homines nationis veſtræ remouebuntur. Nam cum intellexerit Chariſſimus in Chriſto filius noſter, Philippus Hiſpaniarum Rex potentiſſimus, vos coniunctos nobiſcum eſſe, & ſanctæ Apoſtolicæ ſedi verè obedientes; nullo pacto permittet vobis detrimentum, aut iniuriam inferri; præſertim à nobis hac de re efficaciſſimè requiſitus.

Vt autem cuncta, quæ neceſſaria ſunt, ritè ac facilè exequi valeatis, dedimus eidem dilecto filio religioſo, ac prudenti viro Thomæ Franciſcanæ familiæ Fratri ſacerdoti, tui ac tuorum amantiſſimo, certam formulam, ex qua profeſſionem Fidei, & damnatorum hæreticorum anathematizationem conſcribatis, & ad nos mittatis. Ipſe, pro ſua pietate atque prudentia, diligenter vobis omnia declarabit de noſtro deſiderio. Quare illi eandem prorſus fidem adhibebis venerabilis frater, quam ſi nos loquentes audires. Cæterum Fraternitatem tuam amantiſſimè hortamur, & inſtantiſſimè requirimus, vt quemadmodum eximius zelus tuæ pietatis, & ſacerdotalis tua prudentia nobis pollicetur; ad DEI gloriam, & commiſſi curæ tuæ gregis ſalutem, tuamque veram laudem, & peculiare noſtrum ſolatium, ſanctum hoc negotium perficere cum auxilio diuino ſtudeas certus, quod præterquam quod acceperis vberem mercedem tuorum paſtoralium laborum ab æterno Patre familias; Noſtram quoque ſibi charitatem ita tibi deuinxeris, vt ſemper deſideraturi ſimus occaſionem gratificandi tibi ac tuis in omnibus, quæ cum Domino poterimus, vt reipſa experieris. Dilectum filium Thomam venientem iterum ad vos, Fraternitati tuæ commendatum ex ſe ſatis eſſe ſcimus; nihilominus tibi ex animo, & quàm diligentiſſimè commendamus, & benedictionem noſtram Apoſtolicam tibi, ac cæteris venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Monachis, & Clero, cunctiſque Chriſti fidelibus obedientiæ tuæ ſubiectis peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum, die feſto eius ſolemnitatis, ſub Annulo Piſcatoris, III. Kal. Iulij M DC XVII. Pontificatus noſtri Anno Tertiodecimo.

Petrus Stroza.

Hæc Paulus Quintus, Chaldæorum Eccleſiæ imponebat, explicabatque, pro auctoritate Apoſtolica, in vniuerſa Concilia attributa; qua poteſt in eis dubia declarare, formulas loquendi ſiue interpretari, ſiue definire, omniaque ad hanc immobilem Petram ſuæ Fidei, dirigere, probare, moderari. Enimuero, *Romano Pontifici*, vt S. Baſilius confitebatur, *datum à Domino eſt, quod adulterinū eſt, à legitimo & puro diſcernere, ac Fidem Patrum ſine vlla ſubtractione prædicare*. Si cui vero, vt non nemini Pontificum Romanorum, Paulo etiam, hoc tempore præcipuè à Domino dictum eſt, quod etiam olim Hieremiæ dictum eſt: *Si ſeparaueris pretioſum a vili, quaſi os meum eris. Con-*

Ep. ſ. 52. Rom. Pont. datam à Domino puritatem diſcernēdi.

Hierem. 15.

uer-

uertentur ipſi ad te, & tu non conuerteris ad eos. Et dabo te populo huic in murum æreum, fortem, & bellabunt aduerſum te, & non præualebunt; quia ego tecum ſum, vt ſaluem te; & eruam te, dicit Dominus. Ore itaque Dominico, Paulus Quintus, Chaldæis locutus eſt: murumque æreum & fortem, ac ſaxum ſtabilitate perpetua fundatum ſe præſtitit, in hac Fidei palæſtra: cum Satan veterator, ad occulta bella & tela conuerſus, ſubdola perſonæ ſignificatione, qua olim non paucos proſtrauerat, triumphos deſignabat de Confeſſione illius. Bellarunt aduerſus illum aliquoties datis literis, ſed non præualuerunt; propter Deum illi adſtitem; qui cupiens eius ſalutis, ſagitas potentis acutas, cum carbonibus deſolatorijs, quos malignus more pyroporum fulgere volebat, detexit, obtudit, exarmauit, carboneſque à carbunculis diſcernere docuit, ac pretioſum à vili oſtendens, ſpem illi ipſi tum de conſtantia propria, tum de Orientalium vniuerſorum conuerſione fecit, non falſa voce prædicens; *Conuertentur ipſi ad te, & tu non conuerteris ad eos*; ſcil. non declinabis ad eorum Parſopa viliſſimum, ſed in confeſſione Perſonæ vnius perſeuerabis: doctus Perſonam præ Parſopa deligere, neque à maiorum poteſtate degenerare, quibus etiam ſolemne, pretioſum à vili ſeparare, & Conciliorum ſcita moderari. Separauit Petrus, pretioſum à vili, in Concilio impiorum; quando Principes Iudæorum, & Seniores, & Scribæ in Hieruſalem, & Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali, poſtquam ille claudum ex vtero, in ſolo nomine Ieſu Chriſti, ſurgere & ambulare iuſſiſſet, in Comitio congregati, edixiſſent, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu: adeoque poteſtate Pontificia, præiudicare conabantur Apoſtolis. Tunc Petrus, ſciens quantum, & quando deferre deberet maieſtati Concilij, quantum verò diuinæ iuſſioni, diſcreuit pretioſum à vili, illudque ore Dominico dixit; *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate.* Dedit exemplum Pontificibus ſuis ſucceſſoribus, qui decreta Conciliorum moderarentur, & vel explicarent ſi quid difficile emerſiſſet, vel emendarent, ſi quid mendi, à mendaciorum parente irrepſiſſet. Factum eſt, vt Eleutherius Pontifex, in epiſtola contra Seuerianorum hæreſim memorabat, *vt finitima Epiſcoporum iudicia, Romanæ ſedis auctoritate finiantur, ſicut ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus multorum conſenſu Epiſcoporum iam definitum eſt.*

Suſpecta vocis perſonæ ſignificatio.

Act. 4.

Deo obediendum potius quam hominibus.

Finitima Epiſcoporum iudicia Rom. ſedis auctoritate finienda.

Sic Pius Papa, celebrandum quidem ſacrum Paſcha, ſed non cum Iudæis Quartadecima Luna, quod Orientales ex Concilijs diuerſis cupiebant, at verò die Dominica, quod Apoſtolica traditio, & vſus Eccleſiæ Romanæ habuerat, decreuit, Iudaizanteſque ab Orthodoxis ſecreuit. Sic Fabianus Papa, Africani Concilij, de peregrinis iudicijs non admittendis decretum, à Cypriano relatum, probauit; vt etiam authoritatem ſedis Apoſtolicæ ſaluam eſſe voluerit. *Ibi cauſa agatur, vbi crimen admittitur*, admiſit: tamen etiam adiunxit: *Si Epiſcopus accuſatus ad ſedem Apoſtolicam appellauit, id ſtatuatur, quod eiuſdem ſedis Pontifex cenſuerit.* Sic Cornelius Papa, Carthaginenſium Patrum de lapſis recipiendis iudicium, moderatus eſt, vt æquo oculo, & diuinam clementiam, & Eccleſiaſticam cenſuram reſpexerit: cum eius *temperamenti moderamen Epiſcopi* Africani *tenere quærentes, diu & quidem multi*, [vt ipſi Clero Romano ſignificabant] *& quidem cum quibuſdam Epiſcopis vicinis, & appropinquantibus, & quos ex alijs prouincijs longe poſitis perſecutionis ardor eiecerat, ante conſtitutionem Epiſcopi* Romani, *nihil innouandum putauiſſent.* Ingenue fatebantur; *Nobis differendæ huius rei neceſſitas maior incumbit, quibus poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani, nondum eſt Epiſcopus, propter rerum & temporum difficultates conſtitutus, qui omnia iſta moderetur, & eorum qui lapſi ſunt, poſſit cum auctoritate & conſilio habere rationem.* Conſtitutus tandem *Cornelius*, quemadmodum S. Cyprianus memorat, *Sacerdos pacificus, ac iuſtus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis decreuit, eiuſmodi homines, lapſos, ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem cleri atque ſacerdotali honore prohiberi.*

Pius Fabian.

Cyprian. lib. 1. ep. 3. Fabian. ep. 3. ad Hilarium Epiſc.

Apud Cyprian. lib. 2. ep. 7.

Cornelius. lib. 4. ep. 4.

Hoc temperamentum decreto Concilij Cornelius adhibuit, vt lapſos ad Eccleſiam quidem admiſerit, ab Altari vero excluſerit. Liberius quoque Pontifex, cum in aduerſis tam Catholicorum, quam eorum qui Catholici videri volebant, conuentibus, diuerſas fidei formulas concipi, & alios quidem filium Dei ὁμοούσιον, ſeu conſubſtantialem, alios verò ὁμοιούσιον, ſeu ſimilem in ſubſtantia Patri profitentes, audiſſet: Inter vile, & pretioſum diſcrimen fecit, & homoiuſij vocabulum reijciens, homouſion admiſit: quod ſciret hoc nomen formidini eſſe Arianis. Namque Euſebius Nicomedienſis, Anteſignanus illorum reſcripſerat; *Si Dei filium increatum dicimus*; ὁμοούσιον, *conſubſtantialem cum Patre, incipimus confiteri*: vt Ambroſius recitabat. Itaque cum controuerſia de conſubſtantiali, ſimili, & diſſimili, ex aduerſis formulis ſynodalibus, in dies creſceret. *Epiſcopus Romanus de ea certior factus*, Sozomenus ſcribebat, *ſcripſit ad Eccleſias Orientis literas. vt vna cum Sacerdotibus & Epiſcopis Occidentis Trinitatem & conſubſtantialem eſſe, & gloria æqualem exiſtimarent. Quo facto, ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis acquieuerunt, hæcque controuerſia finem habere viſa eſt.* In Africa, occaſione Carthaginenſis, & Tranſmarini Conciliorum, de Donatiſtis reuertentibus ad Eccleſiam, recipiendis, inter Epiſcopos variè certabatur. Alij ad ordines, & honores admittendos, alij reijciendos cenſebant. Patribus Concilij Africani cui præſidebat Athanaſius *placuit, vt literæ mitterentur, maximè ad ſedem Apoſtolicam, vt nouerit, habere Africam, magnam neceſſitatem, vt ex ipſis Donatiſtis, quicumque Clerici correcto Concilio ad Catholicam vnitatem tranſire voluerint, in ſuis honoribus ſuſcipiantur.*

Liberius.

3. de fide ad Gratian.

Lib. 6. c. 22.

Concil. Afric. can. 35.

Audiuit ſanctiones Conciliorum Athanaſius, & benigniore vſus moderatione, nonnulla indulſit, nonnullis modum adhibuit: tanquam poteſtatem habens, ligandi & ſoluendi, claudendi & aperiendi. Cum verò indidem in Africa, Patres Concilij Mileuitani, aduerſus Pelagium plurima ſtatuiſſent, & *antiquæ regulæ formam ſecuti*, vt Innocentius

Apud Auguſt. epiſt. 93.

Innocentius.

Papa

Papa illus in reſcripto laudabat, *quam toto orbe nouerant eſſe ſernatam, ſeſentes quod per omnes prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent, præſertim quoties fidei ratio ventilatur; exemplo omnium fratrum, & Coepiſcoporum, noniſi ad Petrum, ideſt ſui nominis, & honoris auctorem retuliſſent, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſijs in commune prodeſſe*: cum primum Acta ſynodalia Innocentius accepit, aliquá probauit, aliqua explicauit, ſicque hæreſim Pelagianam iugulauit. Idem honoris atque iuris Theodoro Papæ deferebant Primates, & Epiſcopi trium prouinciarum Africæ, Numidiæ, Byzacij, & Mauritanicæ, poſtquam illum *Patrem Patrum, & ſummum omnium Præſulum Pontificem*, ſalutaſſent. *Magnum & indeficientem*, ſcribunt, *omnibus Chriſtianis fluenta redundantem, apud Apoſtolicum ſedem conſiſtere fontem, de quo riuuli prodeunt affluenter, vniuerſum largiſſimè irrigantes Orbem Chriſtianorum, cui etiam in honorem Beatiſſimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam in requirendis Dei rebus, quæ omninò, & ſolicitè debent, maximè vero iuſtèque ab ipſo Præſulum examinari vertice Apoſtolico; cuius vetuſta ſolicitudo eſt, tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis ſancitum eſt, vt quicquid quamuis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur prouincijs, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ ſedis veſtræ fuiſſet deductum, vt huius authoritate, iuxta quæ fuiſſet pronunciatio, firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diuerſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta ſalutis.*

Theodorus quomodo acta Conciliorum ſua auctoritate moderati ſint.

Hæc Patres Africani, Romano Pontifici ſcribebant, Moderatorem actionum ſuarum agnoſcentes. Poſſem alios omnium ſæculorum adducere; niſi certum omnibus eſſet, Romano Pontifici diuinitus datam eſſe poteſtatem, Conciliorum decreta temperandi, explicandi, necnon, quod demonſtrabo, ſi res poſtulauerit, antiquandi. Namque.

CAPVT XIII.

Pontifex Romanus Iudex Conciliorum.

Matth. 16. Soli Petro datæ claues.

SOli Petro Chriſtus dixit; *TIBI DABO CLAVES REGNI COELORVM*. Itaque ſoli Petro; non alicui Apoſtolorum, aut diſcipulorum, dedit & infallibilem ſcientiam, de rebus Fidei & morum diſcernendi, & irrefragabilem potentiam de ſcitis, citra ipſum ſancitis decernendi, atque quod improbum cognouerit, reprobandi. Id enim *CLAVES* Regni cœlorum, apud ſacræ Scripturæ myſteria ſcientes, ſignificant. Sanè ipſe Chriſtus, vtrumque inſinuabat, cum Legiſperitis *væ* æternum denunciabat: *quia*, inquit, *tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis*. ſcilicet Clauem ſcientiæ tulerant, cum decreta hominum erronea, ab his quæ à mente veritatis proficiſcebantur ſecernere, vel contempſerant, vel etiam neglexerant. Quod verò neque ipſi ad vſum veri luminis introire voluerant, neque alios introire cupientes ingredi tolerabant, quinimò aditu prohibebant, clauem poteſtatis in manibus eorum agnoſcit; ex qua, pro Concilij auctoritate, vtpotè primas cathedras in Synagogis inſidentes (quod illis ipſis Chriſtus exprobrabat) onerabant homines oneribus quæ portare non poſſunt, & mentam, rutam, & omne olus decimabant, iudicium verò, & charitatem Dei præteribant, ſcilicet quiſquilias Sanhedrinas, legi ſupremæ, anteponebant; & qua pœnis, qua cenſuris propoſitis, neceſſitatem edictorum Concilij ſeruandorum miſeris imponebant; nihil penſi, iudicium & charitatem Dei ducentes.

Quid claues.

Luc. 11.

Tulit vtramque clauem, Regni cœlorum Clauiger Petrus, tunc cum illum, vnico ouili Eccleſiæ, ouium & Agnorum Paſtorem Chriſtus præpoſuit: namque non extra ordinem, quemadmodum plurimi in Eccleſia, quibus Ioannes dicebat; *non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos: vnctio enim ſpiritus docet vos de omnibus*: neque talem qualem reliqui Apoſtolorum, qui ad Petrum aſcendebant, vt cum eo ſeorſim conferrent, num in vacuum currerent, aut cucurriſſent, ſcilicet dignam probari ad Lydium Petri lapidem, contra quem nullæ fuligines tenebratoris præualerent; ſed ordinariam, certam, ſolidam, perennem, inexhauſtam, ſummam, plenam, indeficientem, falli & fallere neſciam, erroribus impermixtam, & quæ à ſolo Dictatore Spiritu ſancto, ſpiritu veritatis, contra ſpiritum mendacij natam ſe eſſe glorietur, de rebus, ad oues, agnos, & vniuerſum ouile Catholicum pertinentibus ſcientiam Petrus accepit, potens ab eius plenitudine, atque certitudine, vniuerſos, non tantum filios, ſed & fratres confirmare, adeoque omnibus oſtendere, quid amplectendum, quid reijciendum, quid ſequendum, quid perſequendum; ne erroris humani caligine aliqua inuoluti dicant, malum bonum, bonum malum: quod in alijs quibuſdam Deus arguebat.

Vtramque clauem tulit Petrus.

Scientiam rerum à ſolo dictatore Spiritu ſancto ſpiritu veritatis.

Poteſtatis quoq; in vniuerſum gregem.

Sed neq; etiam extra ordinem, neq; in vnam nationem, neque in vnam Eccleſiam tantùm, quemadmodum reliqui Apoſtolorum, vſum clauiũ, non ipſas claues à Chriſto adepti; aut cæteri Epiſcoporum, in partem ſollicitudinis vocati; ſed parem cum ſcientia ordinariam poteſtatem, in omnes oues & agnos, inque vniuerſum gregem & ouile, Chriſtus illi contulit, cum illi plenitudinem paſcendi detulit; vt potis ſit ab hac auctoritate in omnes etiam Paſtores & cœtus Paſtorales, omnia quæ facere viderit *in augmentum corporis* Catholicæ Eccleſiæ, *in ædificationem ſui, in charitate*. Quam itaque agnouiſſet, gregi Dominico herbam peſtiferam, vel minimè ſalutiferam, ab aliqua congregatione Paſtorum, vel Pſeudopaſtorum eſſe propoſitam; vel ſi quod vel fœnum & ſtipulam, *omnis* quæ *vento circumfertur doctrinæ*; vel *ferrum* aliquod, aut pondere grauitatis intolerabile, aut propter æruginationem erroris, inter *teſtimonia* Dei quæ *credibilia nimis* non referendum, nec ferendum, aut acumine adſcititio, in iugulum ſimplicium præparatum, non autem *aurum & argentum*, non *eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ*, purga-

Apoſtoli vſũ clauium non claues à Chriſto adepti.

Epheſ. 4.

Pſalm. 118.

purgatum ſeptulum; non *mandata* dilecta *ſuper aurum & topazion*, perſpexiſſet, ſuper fundamentum Apoſtolicum ab aliquo minus ſapiente, vel maligno architecto ſuperædificari, poterat Petrus pro auctoritate poteſtatis, reijcere, reprobare, atque abrogare. Ita reiecit Conciliabuli Hebraici denunciationem, qua Principes Sacerdotum, ne in nomine Ieſu vlli hominum Apoſtoli loquerentur, edixerant. Ita etiam doctrinam illorum, qui *ab Iudæa deſcendentes, docebant fratres: quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſaluari*, antiquauit. Ita & Pius Pontifex Orientalium, de Paſchate Domini ſecundum legem Moyſi celebrando, ſanctiones abrogauit, controuerſiamque hac de re ſuſceptam prudenter ſedauit; ita vt omnes fratres, Romam ex tunc dicerentur, quod conſentientibus animis Romani Pontificis ſententiam ſequerentur. Iam cum Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, prætextu quodam pietatis, quod quæcumque hæreticorum eſſent, deberet Eccleſia abominari: baptiſmum ab hæreticis collatum nullius momenti diceret, & Epiſcoporum Africæ, atque Numidiæ collecto Concilio, canonem de illis rebaptizandis, ex ſententia Concilij promulgaſſet, Stephanus illum reprobauit.

Petrus auctoritate poteſtatis vſus.

Idē Pius Pont. de celebratione Paſchatis.

Rem narrabat Vincentius Lirinēſis. *Mos iſte*, inquit, *ſemper in Eccleſia viguit, vt quò quiſque floreret religioſior, eò promptius nouellis adinuentionibus contrairet. Vnum aliquod exemplum, & hoc ab Apoſtolica potiſſimum ſede ſumemus, vt omnes luce clarius videant, Beatorum Apoſtolorum beata ſucceſſio quanto vi ſemper, quanto ſtudio; quanta contentione defenderit ſuſceptæ ſemel Religionis integritatem. Quoniam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, primus omnium mortalium contra diuinum canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem, ac inſtituta maiorum, rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantum mali inuexit, vt non ſolùm hæreticis omnibus formam ſacrilegij, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præbuerit erroris. Cum ergo vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua verſum ſacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur: tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apoſtolicæ ſedis Antiſtes, cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit: dignum, vt opinior, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci authoritate ſuperabat. Denique in epiſtola, quæ tunc ad Africam miſſa eſt, idem his verbis ſanxit: Nihil nouandum, niſi quod traditum eſt.*

Cap. 9. Stephan. PP. ſuper quæſt. an ab hæreticis baptizati forent rebaptizandi.

Cum verò Cyprianus, Agrippino, & in ſede, & in opinione ſucceſſiſſet, atque ſemel, & iterum, conuentu Africanorum & Numidiæ Epiſcoporum indicto, contra maiorum traditiones canonem de hæreticorum baptiſmate, pari omnium ſuffragio confirmaſſet: tamen quod ſciret antiqui iuris & moris eſſe, omnia Conciliorum quorumcunque ſcita, à primæ ſedis Pontifice poſſe probari, vel improbari, rem vniuerſam ad Stephanum, ſed modeſta ſignificatione, detulit. *Sciant* enim, moneo verbis Hieronymi, *Cyprianum, hæc quæ de ſcripturis ob hæreticos rebaptizandos in epiſtolis ſuis reliquit, non cum anathemate eorum qui ſe ſequi noluerant, edidiſſe: ſiquidē in communione eorum permanſit qui ſententiæ ſuæ contraierant: ſed hortatum potius fuiſſe propter Nouatū: & alias tunc hæreſes multas cognoſcentes, ne quiſquā ab eo ſine damnatione erroris ſui reciperetur.*

In dialogo aduerſus Luciferianos.

Sermonem denique ſuum, quem ſuper hac re ad Stephanum Romanum Pontificem habuit, tali fine complevit: Hæc ad conſcientiam tuam, frater chariſſime, & pro honore communi, & pro ſimplici dilectione protulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ, & fidei veritate placere, quæ & religioſa pariter, & vera ſunt.

Cæterum ſcimus, quoſdam quod ſemel imbiberunt, nolle deponere; ſed, ſaluo inter collegas, pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint vſurpata, retinere. Qua in re nec vim cuique facimus, aut legem damus, quin habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum: vnuſquiſque ſit præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus. Porro ipſe & Cyprianus Iuliano ſcribens, hæc teſtabatur: *Hæc tibi breuiter pro noſtro mediocritate reſcripſimus, frater chariſſime, nemini præſcribentes & præiudicantes, quo minus vnuſquiſque Epiſcoporum, quod putat, faciat, habens arbitrij ſui liberam poteſtatem.*

Nos quantum in nobis eſt, propter hæreticos, cum collegis noſtris & Coepiſcopis non contendimus; cum quibus diuinam concordiam, & Dominicam pacem tenemus: maximè, cum & Apoſtolus dicat, 1. *Cor.* 11. *Si quis autem putatur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Seruatur à nobis patienter & firmiter, charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotij.* Cum vero in Concilio ſuffragia ferrè deberent eius Coepiſcopi, eos, primus dicens, hunc in modum hortatus eſt: *Supereſt*, inquit, *vt de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus proferamus: neminem iudicantes, aut à iure communicationis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit; quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt alterum iudicare.*

Fratrem, collegam, & Coepiſcopum, Stephanum Pontificem, quod ambo eſſent Chriſtiani, ambo presbyteri, ambo Epiſcopi, inque poteſtate ordinis æquales, appellabat; non tamen Epiſcopum Epiſcoporum, aut poteſtate iuriſdictionis, quoad ouium adminiſtrationem, & fratrum confirmationem, parem ſe Epiſcopo Epiſcoporum venditabat, ſed id honoris Romano Pontifici, quem ſciret Epiſcopum Epiſcoporum, ab ipſo Domino, non à ſe conſtitutum, deferebat, hæcq; illi ſcribebat; *Ad quædam diſponenda*, inquit, *& Concilij communi examinatione limanda, neceſſe habuimus, frater chariſſime, conuenientibus in vnum pluribus Sacerdotibus, cogere & celebrare Concilium, in quo multa quidem prolata atque tranſacta ſunt, ſed de eo vel maximè tibi ſcribendum, & cum tua dignitate, ac ſapientia conferendum fuit, quod magis pertineat, & ad Sacerdotalem auctoritatem, & ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem pariter, ac dignitatem, de diuinæ diſpoſitionis ordinatione prouenientem.*

Ep. 72. 73. 74.

Maxi

Maximè, Stephano Pontifici, propter ſupremam in Eccleſia Sacerdotalem, qua Romanus Pontifex alijs, propter vnitatem capitis cum Eccleſia Catholica, antiſtat auctoritatem, ſcribendum eſſe Cyprianus exiſtimauit, vt is pro grauitate officij, & ſapientia errare neſcia, probaret, vel reprobaret, quæ Patres Africani non ſemel ſtatuiſſent.

Cæterum Stephanus, quod ſemel reſcripſerat, iterum ſcripſit; vt *ſi quis à quacumque hæreſi ad Eccleſiam veniret, nihil innouaretur, ſed illud ſeruaretur quod traditum eſſet, videlicet vt manus illi in pœnitentiam imponeretur.* Cum autem iterum numeroſiorem, octuaginta & ſeptem ex Africa, Numidia & Mauritania Epiſcoporum ſynodum Cyprianus collegiſſet, atque ſemel conceptam ſententiam, de rebaptizandis hæreticis ſtabilire conatus fuiſſet: Stephanus illam improbauit, tantumque effecit, vt & multa millia Epiſcoporum ſuæ ſententiæ aſthæſerint, & Africani Epiſcopi qui Cypriano conſenſerant, aliud priori contrarium decretum, vt Hieronymus meminit, ediderint, & ipſe demum Cyprianus opinionem mutauerit, quemadmodum Auguſtinus affirmat, *Conatus eſt Cyprianus,* refert Hieronymus, *contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena: & idcircò hæreticorum baptiſma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ vrbis Epiſcopum, qui à Beato Petro vigeſimus ſextus fuit, ſuper hac re Africanam ſynodum direxit. Sed conatus eius fruſtra fuit. Denique illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem reuoluti, nouum emiſere decretum.*

Auguſt. cont. Creſcont. l. 3. c. 2. Hieron. cont. Luciferian. Aug. epiſt. 48. ad Vincent.

Ita Cypriani conatus fruſtra tūc fuit, quod Stephanus Romanæ vrbis Epiſcopus, decreta tot Conciliorum, auctoritate Principatus ſui abrogaſſet: & Epiſcopos ad nouum emittendum decretum impuliſſet. Sed & Donatiſtarū ſeptuaginta Epiſcoporum, in cauſa Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi, fruſtraneus conatus fuit: cum Melchiades Romanus Pontifex, ſententiam illorum improbaſſet. Res eſt.

Melchiades PP. in cauſa Donatiſt.

Cæciliano ritè creato Epiſcopo, Donatus, Lucillæ potentis fœminæ pæcunia potens, Maiorinum illi per ſchiſma oppoſuit, inque eandem ſedem intrudere conatus eſt. Clerus & populus, Cæcilianum retinebant: Donatiſtarum ſeptuaginta ferè Epiſcopi, conciliabulo Carthagine coacto, illum abſentem, non vocatum, non conuictum condemnauerant: ac tandem multis interiectis, contra Eccleſiaſticum canonem, ad Conſtantinum Imperatorem prouocarant.

Conſtantinus Imp. de cauſa Epiſc. iudicare recuſauit. *Epiſt. 166. cont. Julian. Pelagian. lib. 1. cap. 2.*

Conſtantinus, vt meminit Auguſtinus, *non eſt auſus de cauſa Epiſcopi iudicare: ſed eam diſcutiendam atque finiendam Epiſcopis delegauit.* Delecti ex Italia tres, ex Gallia quindecim, Romam conuenerunt: cum quibus, *Melchiade Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo præſidente, Reticius iudex interfuit. Cauſa à iudicibus Epiſcopis, quibus præfuit Melchiades Romanæ vrbis Epiſcopus, cognita*, tandem Melchiades, decretum conciliabuli Carthaginenſis improbauit, hiſque verbis pro auctoritate pronunciatis, controuerſiam definiuit: *Cæcilianum ſuæ communioni Eccleſiaſtica integro ſtatu retinendum meritò eſſe cenſeo:* vt Optatus Mileuitanus referebat. Sanctus Auguſtinus eam diffinitionem admirabatur, atque ſummis laudibus efferebat: *Qualis,* inquit, *ipſius B. Melchiadis vltima eſt prolata ſententia? quàm innocens? quàm integra? quàm prouida, atque pacifica? qua neque collegas, in quibus nihil conſtiterat, de collegio ſuo auſus eſt remouere, & Donato ſolo, quem totius mali principem inuenerat, maximè culpato, ſanctitatis recuperandæ optionem liberam fecit: cæteris paratus communicatorias literas mittere, etiam ijs quos à Maiorino ordinatos eſſe conſtaret: ita vt quibuſcumque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet, eum confirmari vellet, qui fuiſſet ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda prouideretur. O virum optimum! O filium Chriſtianæ pacis, & patrem Chriſtianæ plebis. Conferte nunc iſtam paucitatem, cum illa multitudine Epiſcoporum; neque numerum numero, ſed pondus ponderi comparate. Poſſet Cæcilianus, non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret, & Romana Eccleſia, in qua SEMPER APOSTOLICAE CATHEDRAE VIGVIT PRINCIPATVS, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe coniunctum, vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.* Tanti fuit, & iudicium, & communicatio, Melchiadis, vt ſeptuaginta Epiſcopis Africæ, & Numidiæ præſtaret; non aliam ob rem, quàm propter Principatum Apoſtolicæ cathedræ, qui ſuper omnes Eccleſias, atque Epiſcopos, in Eccleſia Romana, non tantum poſt Nicænum Concilium, ſed ſemper SEMPER VIGVIT: à quo Romanus Pontifex, velut PATER CHRISTIANÆ PLEBIS, & Caput corporis Catholici, poterat, & obſtantia vnitati & charitati Eccleſiaſticæ reſcindere, & filios diſperſos in vnum congregare, membraque diuiſa redunire; adeóque ſolus non alius communicatorijs litteris datis, cæteros quoſcunque Eccleſiæ adiungere.

Melchiades improbat decretum Conciliab. Carthag. *Et cont. epiſt. Parmenian. lib. 2. cap. 5. lib. 1. cont. Parmen. epiſt. 162.*

In Eccl. Rom. ſemper viguit Apoſt. Cathedræ principatus.

Rom. Pont. Pater Chriſtianæ plebis.

Pari auctoritate vſus eſt etiam Iulius, in cauſa Athanaſij Epiſcopi. Antiochiæ, Tyri, & Mareote conuentibus celebratis Euſebiani, Alexandrinum Primatem Athanaſium, atris calculis damnauerant: ac inſuper Romam contra illum multas calumnias & criminationes perſcripſerant. Quoniam verò *Eccleſia Romana*, vt Socrates ſcribit, *priuilegium præter cæteras obtinebat; cum Iulius intellexiſſet, contra Athanaſium Antiochiæ pſeudoſynodum fuiſſe celebratam, ſcripſit, eos contra Eccleſiæ canones egiſſe, quod illum ad Concilium non vocaſſent: quippe cum Canon Eccleſiaſticus vetet, præter ſententiam Epiſcopi Romani Concilia celebrari.* Addit Sozomenus: *Iulius, certior factus, non tutum eſſe Athanaſio in Aegypto vitam agere, eum ad ſe accerſiuit. Ad illos autem qui Antiochiæ in vnum conuenerant (nam forte fortuna id temporis eorum acceperat epiſtolam) ſcripſit atque adeo incuſauit, quod clam, contra fidem Concilij Nicæni nouas res moliti fuerant: quodque contra leges Eccleſiæ ipſum ad Concilium non vocarant. Nam legem eſſe, ad Sacerdotij dignitatem ſpectantem, quæ pronunciat, Acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani conſtituuntur, ea autem quæ Tyri & in Mareote aduerſus Athanaſium decernebantur, irrita eſſe.*

Iulius Pap. in cauſa Athan. Epiſc. *lib. 2. cap. 11. & 13.*

lib. 3. cap. 9.

Acta irrita quæ præter ſententiam Epiſc. Rom.

Nonaginta, non minus, Euſebiani Epiſcopi Antiochiam confluxerant, & literis aduerſus Athanaſium, Paulum Conſtantinopolitanum Marcellum Ancyræ, & Aſclepam Gazæ, Epiſcopos, ad Iulium miſſis ſubſcripſerant.

Lib. 3. cap. 7.

Eodem enim tempore, refert Soaomenus: Paulus etiam Conſtantinopolitanus Epiſcopus fortè Romam acceſſit, & Marcellus quoque Epiſcopus Ancyræ, & Aſclepas Gazæ Epiſcopus: qui cum doctrinæ Arianæ aduerſaretur, in crimen vocatus eſt ab Arianis quibuſdam, quod altare euerterat: & fuit propterea abdicatus: cuius locum in Eccleſia Gazæ adminiſtranda obtinuit Quintianus. Item Lucius Epiſcopus Adrianopolis ab alijs accuſatus, ſua quam regebat Eccleſia ſpoliatus, Romæ ætatem degit.

Acta in cauſa Athan. contra Euſebianos.

Quorum criminationes cum Epiſcopus Romanus intellexiſſet, & omnes fidei Concilij Niceni conſentientes reperiſſet, in communionem recepit, ac ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit, ſcripſitque ad Epiſcopos Orientis, eoſque incuſauit, quod inconſulto de hiſce viris iudicaſſent, Eccleſiaſque perturbaſſent, cum decretis Concilij Nicæni ſtare nollent. Deditque mandatum, vt quidam illorum, omnium nomine ad diem conſtitutum accederent, perſpicuè declaraturi, ſententiam quam his tulerant, æquam iuſtamque eſſe. Quin etiam minatus eſt, ſe de reliquo, non paſſurum eos inultos eſſe, niſi nouis rebus ſtudere deſiſterent. Athanaſius autem & Paulus ad ſuas ſedes reuertuntur, litteraſque Iulij Epiſcopis Orientis mittunt.

Quibus illi grauiter commoti, Antiochiæ in vnum conueniunt, & epiſtolam verbis elegantibus ornatam, & diſertè, vt Rhetorum mos eſt, compoſitam, ad Iulium ſcribunt, eamque plenam ironiæ, & minarum non expertem grauiſſimarum. Nam quanquam literis ſuis fatebantur, Eccleſiam Romanam primas apud omnes ferre, vtpotè quæ Apoſtolorum ſchola, & pietatis Metropolis iam ab initio fuiſſet: tamen indignati ſunt, ſe poſteriores ideò ferre, quod magnitudine Eccleſiæ ſuperarentur.

Addit ipſe Athanaſius, qui non ignarus hæretici furoris Romam conceſſerat: Epiſcopus Romanus Iulius Synodum iuſſit fieri, vbicunque vellemus, inquit, vt tuto & crimina obijcerent, & inuicem ſibi obiecta refutarent. Id enim Euſebianorum Legati, cum ſe vinci animaduerterent, poſtularant.

In epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, & Apol. 2.

Deinde presbyteros ſuos Elpidium & Philoxenum cum literis ad Euſebianos miſit, certum diem definiens, vt aut præſentes ſe ſiſterent, aut cognoſcerent, ſe omnibus modis ſuſpectos haberi. Iſta præterea Iulius ex Concilio Romano quinquaginta Epiſcoporum ſcribebat: Si, vt dicitis, Athanaſius & alij, omninò in culpa fuerunt, oportuit ſcribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iuſtum eſt, decerneretur. Epiſcopi enim erant, & non vulgaris Eccleſiæ, qui iſta patiebantur, ſed quam ipſi Apoſtoli ſuamet opera ad fidem inſtruxerant. Cur imprimis nihil nobis de Alexandria ciuitate ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis, hanc conſuetudinem eſſe, vt primum nobis ſcribatur, vt hinc quod iuſtum eſt, definiri poſſet? Quapropter ſi iſtic huiuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit. Hæc Iulius, pro ſua authoritate iudicabat, & monebat.

Cæterum Euſebiani, vbi ſemel audiſſent Eccleſiaſticum conſeſſum fore, vbi nec Comes affuturus eſſet, neque ſatellites pro foribus excubarent, nec ex Cæſaris præſcriptis omnia fierent; quibus rationibus, & non alijs Epiſcopos vicerant, imo qui ſine hoc præſidio ne loqui quidem auderent: ita inhorruerunt, & metu quidem contracti ſunt, vt Presbyteros detinerent vltra diem condictam, cauſificationem interim turpem fingentes. Presbyteros certè ſuos dimiſerunt, cum abſurdiſſima excuſatione. Romæ verò congregati Epiſcopi propè quinquaginta Euſebianos vt ſuſpectos, timenteſque ſe ſiſtere non receperunt, & quæ ab ipſis ſcripta eſſent, pro vanis habuerunt; nos autem receperunt, noſtramque communionem amplexi ſunt, atque vt Soaomenus addit, ad Orientis Epiſcopos reſcripſerunt, ſe nunquam ab Athanaſij & Pauli communione refugiſſe, neque iam velle ab ea refugere: præſertim cum Iulius Epiſcopus Romanus cauſa eorum accuratè cognita, illos neutiquam condemnaſſet.

Lib. 3. cap 4.

Liber. Pap. acta Concil. Arim. damnat.

Iam cum illi ipſi Euſebiani & Semi-Ariani, tum indidem Antiochiæ, tum poſt regulas Sardicenſium & Ariminenſium Patrum, tum Sardicæ, quam Arimini varias fidei formulas concepiſſent eaſque Catholicis ſubſcribendas obtruderent, viſum eſt nobis, ſcribit ſanctus Baſilius conſentaneum, vt literas ad Epiſcopum Romanum mittamus, quo res noſtras conſideret, & iudicij ſui decretum interponat, vt quia difficile eſt de communi, & Synodali decreto aliquos illinc mitti, ipſe authoritate ſua in re vtatur, delectis viris, qui Acta Concilij Ariminenſis ſecum ferant, ad ea reſcindenda, quæ illic violenter acta ſunt.

Epiſt. 52.

His Orientalium Epiſcoporum lectis litteris Pontifex Liberius, regulæ Ariminenſi, recentioribuſque ibidem per vim actis contradixit, cunctaque perperam acta ex Apoſtolica poteſtate condemnauit: quamquam ea omnia Imperiali auctoritate Conſtantij Auguſti niterentur: qui ea & Arimini à Patribus extorſerat, & Epiſcopis ex Synodo Seleucienſi reuertentibus, ad ſubſcribendum tradiderat. Quamuis autem Auxentius Epiſcopus Mediolani, & Valens, & Vrſatius ex Pannonia oriundi, impenſè laborarent, opinionem Arij in illam Imperij partem traducere: tamen eorum conatus haud quaquam ſucceſſit ex ſententia. quandoquidem Sedis Romanæ Antiſtes, & alij Epiſcopi & Sacerdotes, ſtudioſè præcauerunt, & illius hæreſis germina amputarunt. Eccleſia enim verſus ſolem abeuntem ſita, quoniam Patrum decretis ritè gubernata erat, omnino à contentione & copioſis verborum argutijs, quæ inde naſci ſolent, libera & vacua fuit, vt Sozomenus enarrabat.

Sozom. lib. 2. cap. 19.

& lib. 3. c. 12.

Ita Liberius Pontifex, cum 90. Epiſcopis & ſacerdotibus Synodi Romanæ decernebat, atque Epiſcopis Illyrici denunciabat: Numerum Epiſcoporum qui erant Arimini congregati, inquit, præiudicij vim habere non debere; præſertim cum Formula illa compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano, cuius ſententia præ cæteris omnibus erat expectanda, neque Vincentio, neque alijs, ei conſentientibus: cumque illi ipſi qui in fraudem illecti à veritate deflexiſſe viſi eſſent, poſt ad meliorem mentem denuo traducti, planè teſtarentur hanc formulam ſibi magnoperè diſplicere. Hac Ariminenſi poſteriore, & alijs alibi conceptis formulis, Conciliabulorumque decretis, ab Apoſtolica Sede damnatis,

non

non nemini in manifeſto ſemper fuit, Romanum Pontificem in quaſuis congregationes Eccleſiæ ius habere, atrum, aut album calculum ſententijs illorum addere: quemadmodum etiam idem Liberius addidit, cum in varijs Synodis, varia de nomine Perſonæ & hypoſtaſis ſancirentur. Res eſt, prout narrabat Gregorius Theologus. Cum eſſentia vna, & tres hypoſtaſes à Græcis piè dicerentur, quod alterum diuinitatis naturam, alterum perſonarum trium proprietates declararet: ac ſimili quidem modo apud Romanos intelligerentur: cæterum ob linguæ illius anguſtiam verborumque inopiam hypoſtaſim ab eſſentia diſtinguere non poſſent, eamque ob cauſam in illius locum perſonarum induxiſſent nomen, ne tres ſubſtantias admittere viderentur, res tandem profectò ridicula, vel potius miſeranda contigit. Diuerſæ fidei ſpeciem præbuit leuis illa circa vocis ſonum contentio.

In encom. Athanaſ. orat. 21.

Idem Liber. acta Alexand. Synodi partim probat, partim improbat auctoritate poteſtatis ſupremæ.

Hic deinde alij Sabellij errori adſtipulari viſi ſunt, quod tres perſonas dicerent: alij Arij impietatem amplecti, quod reiectis perſonis, tres hypoſtaſes nominarent: quorum vtrumque pertinax contendendi ſtudium effinxerat. Cumque poſtea non parua, vt in contentione fieri ſolet, moleſtiæ cauſa ſemper accederet, eo tandem res deducta eſt, vt periculum eſſet, ne orbis terrarum fines vna cum ſyllabis à ſe inuicem diſtraherentur, & abrumperentur. Quæ cum Athanaſius, beatus planè vir, & verè homo Dei, magnuſque animarum diſpenſator oculis auribuſque perciperet, tam ſtultam & abſurdam Orthodoxæ fidei ſectionem diſſimulandam ac negligendam ſibi non putauit; verùm medicinam morbo quamprimum attulit. Nam vtraque parte leniter & humanè accerſita, verborumque ſententia diligenter & accuratè perpenſa, poſteaquam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam quidquam inter ſe diſſidentes, ita negotium tranſegit, vt nominum vſum ipſis concedens, rebus eos conſtringeret. Non diuturna fuit hæc eorum concordia. Enimuero Ariani, & Semi-Ariani nomine hypoſtaſeos abutebantur, & venenum aureo Græci vocabuli, velut poculo propinabant.

Quamobrem plurimi Latinorum, inter quos S. Hieronymus, & Paulinus illud exhorrebant. Oportuit tandem, neque tamen in ſuo Pontifice Liberio, Alexandriæ Synodum conuocari. Cuius actorum, Liberius, ab Athanaſio certior factus, cum illi profeſſionem fidei ſuæ, quam ab Athanaſio & reliquis exigebat miſiſſet, nonnulla quidem probauit, reliqua autem improbauit: potens iudicare de actis Synodicis; potens reprobare prophanas vocum nouitates. *Non diſſimile omnino* huic eſt, quod nuper Paulus Quintus, doctus & ipſe cognoſcere, atque potens improbare, eaſdem prophanas vocum nouitates de Synodo Chaldæorum iudicauit.

Epiſt. ap. Athi.

Iudicium SS. D.N. Pauli V. de Syn. Chaldæorum. *Petrus Strozza de dogmatib. Chald.*

Fortè à Neſtorij Commentarijs, vel ex Ibæ ad Marim Perſam damnata epiſtola ad Syriacum idioma ab eodem auctore conuerſa, vel ex Theodori Mopſueſtini ſcriptis hauſerunt dogma execrandum de vnitate voluntatis, atque operationis in Chriſto.

Quod vt ſubtili verborũ inuolucro obumbrarent, nomen *Proſopon*, quæ vox communiter ſignificat vniuſcuiuſque faciem, aliquantum in *Parſopa* Syriacum immutarunt, & pro *perſona* illud poſſe accipi exiſtimantes, vnum *Parſopa* in Chriſto confitebantur. In explicatione enim diſpenſationis Verbi Dei incarnati, tria adhibent nomina: *Chiane*, *Chnuma*, & *Parſopa*, ideſt, Naturam, hypoſtaſim, & perſonam: atque in Chriſto duas eſſe Chianas, duaſque Chnumas, & vnum Parſopa, ſeu id quod oculis cernitur vnicum eſſe dicebant. non ſecus, quam Spiritus ſancti Parſopa, columbam & ignem, ſub quibus ſpeciebus apparuit; & Patris æterni Parſopa, ignem illum quo ſuccenſum rubum minime comburi Moſes videbat: ita etiam Chriſti Domini Parſopa, humanum ipſius aſpectum, quo viſibilis apparuit, appellabant, hac in re ſuperiores hæreſiarchas ſecuti, qui in Chriſto duas naturas, vnam virtutem, & duas quidem intimè, vnam perſonam extimè commiſcebantur. Sic Theodorus Mopſueſtenus blaſphemabat: *Quando naturas diſcernimus, inquit, perfectam naturam Dei, Verbi dicimus, & perfectam perſonam; nec enim ſine perſona eſt ſubſiſtentiam dicere: perfectam autem & hominis naturam, & perſonam ſimiliter. Quando autem ad coniunctionem reſpicimus: vnam perſonam tunc dicimus.*

Scilicet, duas ſubſiſtentias, & illas reipſa, & eſſentialiter diſtinctas, vnam vero perſonam, nonniſi extrariè, ſeu extimè, quod idem eſt, quod duas Chianas, duaſque Chnumas, & vnam Parſopa, ab latente falſa vocis perſonæ cum Parſopa, ſeu ſubſiſtentiæ cum apparitione confuſione. Perſpexit intimè Paulus Quintus, pro ea qua in rebus Fidei eſt acrimonia, Chaldaicum Neſtorianum commentum. Quamobrem, ex doctrina Apoſtoli Pauli, *prophanas vocum nouitates deuitandas* eſſe ſciens, *Parſopa* eorum in Synodica tranſmiſſa damnauit, & nomen *perſonæ*, non qua exteriorem aſpectum; ſed qua *ſubſiſtentiam* ſignificat, illis contendum propoſuit: Agathonem anteceſſorem ſuum imitatus, qui ſexto Oecumenico Concilio hanc formulam præſcripſerat, vt omnes confiterentur: *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Dominum verum noſtrum, vnum de ſancta & conſubſtantiali, & vitæ originem præbente Trinitate; perfectum in Deitate, & perfectum eundem in humanitate: Deum verè, & hominem verè, eundem ex anima rationali & corpore: conſubſtantialem Patri ſecundum Diuinitatem: & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem: per omnia ſimilem nobis abſque peccato: ante ſæcula quidem ex Patre genitum ſecundum Deitatem: in vltimis autem diebus eundem propter nos, & propter noſtram ſalutem de Spiritu ſancto & Maria Virgine, propriè, & veraciter Dei Genitrice ſecundum humanitatem. Vnum eundemque Chriſtum Filium Dei vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, inſeparabiliter, indiuisè cognoſcendum, nuſquam extincta harum naturarum differentia propter vnitionem: ſaluataque magis proprietate vtriuſque naturæ: & in vnam perſonam, & in vnam ſubſiſtentiam concurrentem. Non in duas perſonas partitum, vel diuiſum, ſed vnum,*

Vox Parſopa à S.D.N. Paulo V. damnata

Profeſſio fidei ab Agath. P. in V. Oecum. Concil. præſcripta.

Oſe. 8.
Iob. 39.

eundemque Filium vnigenitum, Deum Verbum, Dominum Ieſum Chriſtum: iuxta quod olim Propheta de eo, & ipſe nos Dominus Ieſus Chriſtus erudiuit, & Sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum. Hæc eadem PAVLVS QVINTVS, QVASI AQVILA SVPER DOMVM DOMINI excubans, Chaldæis cum confitenda proponeret, memor præcepti olim ſibi dati, *In gutture tuo ſit tuba, quaſi aquila ſuper domum Domini*, voce rotunda, quæ longe, lateque apud Orientales exaudiretur, Synodicum illorum Patſopa damnauit. Namque & illius quoque acutum cernens AQVILA, *ad præceptum* ſpiritus ſcrutatoris; *eleuatur: in arduis* Theologiæ *ponit nidum ſuum; in petris*, præſertim verò in petra Petro anteceſſore *manet, & in prærupt is ſilicibus, atque inacceſſis rupibus*, in doctrina ſcilicet illorum qui aliquando eminentiſſimi Eccleſiæ vertices, *commoratur & de longe oculi eius proſpiciunt*, penetrantes ad interiora compagum Patſopæ & perſonæ, hypoſtaſis, ſubſiſtentiæ, atque eſſentiæ. Hæc occaſione perſonæ & hypoſtaſis, adducere volui, quod non abſimilia Patſopæ & perſonæ forent, adeo vt de vtriſque ex æquo potuerit ſedes Apoſtolica olim, nunc, & ſemper ſtatuere: cui peculiaris poteſtas, de Conciliorum decretis ſtatuere. Sed adhuc ad anteriora ſæcula reuertamur.

Lib. 7. cap. 9.
lib. 5. cap. 8.

Sozomenus & Socrates, primo Conſtantinopolitano Concilio attribuunt *decretum, vt Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſecundum Epiſcopum Romanum primas obtineret*. Prolatum fuerit ab vniuerſis Patribus, vel non; ſed tantum ab aliquibus Orientalibus Epiſcopis, qui abſoluto Concilio Conſtantinopoli remanſerant, & abſente Timotheo Alexandrino, quem ſcirent ſibi propter prærogatiuam ſedis ſuæ (ex antiqua enim inſtitutione, Alexandrina ſecunda fuit poſt Romanam) aduerſaturum id canonis de Eccleſia Conſtantinopolitana, ediderint, non habeo definire. Iſtud certum, quod in Concilio Oecumenico Chalcedonenſi contigerat. Dioſcoro ab Alexandrina ſede deiecto, cum nullus adhuc fuiſſet ſuffectus, Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, totius fraudis inuentor, abſentibus Leonis magni Legatis, clandeſtinè atque doloſè, Patres aliquot in eam ſententiam adduxerat, vt decernerent, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ primum poſt Romanam locum. Iſtud vbi accepiſſent Apoſtolicæ ſedis Legati, in Comitium cum Epiſcopis venientes, præſentibus ipſis quoque Iudicibus cognitoribus publicè reclamarunt. Fruſtra tunc illi egerunt. Namque fauentibus iudicibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ priuilegijs; itum eſt in ſententiam Anatolij: nihilominus, Legatis aduerſariam proteſtationem interponentibus, quod canones, contra Nicæni ſacroſancti Concilij canones ederentur. Sciuit hoc Leo magnus maximæ ſedis Antiſtes. & tandem pronunciauit: *Conſenſiones Epiſcoporum Canonum apud Nicænum conditorum regulis repugnantes, vnita nobiſcum veſtra fidei pietate, in irritum mittimus, & per authoritatem Beati Petri Apoſtoli, generali prorſus definitione caſſamus.*

Leo magnus de primatu Conſtātinop. Eccleſ.

Epiſt. 53.

Quod vero non ignoraret, Anatolium faſtu tumidum, Marciani Imperatoris fauorem ambire: & qua à Proterio Alexandrino, qua à Maximo Antiocheno Epiſcopis, quorum ille ſecundum à Romano, hic tertium locum ex ſanctione Nicæna obtinebat, vrgeretur, vt Anatolij temeritatem, in arrogando ſuper duas Apoſtolicas Eccleſias honore reprimeret; datis communibus toti Catholico orbi litteris, ſcitum de hac re Calcedonenſium Patrum abrogauit, & Marciano Imperatori ſcripſit, ne permitteret antiquos Eccleſiæ & Nicæni Concilij canones violari.

Epiſt. 52. Præclarum Leon. PP. ad Marcia. Imp. ſcriptum.

Multum, inquit, *Anatolius Epiſcopus proprio detrahit merito, ſi illicito creſcere optat augmento. Habeat, ſicut optamus, Conſtantinopolitana ciuitas gloriam ſuam, ac protegente dextera Dei, diuturno Clementiæ veſtræ fruatur imperio. Alia tamen ratio eſt rerum ſæcularium, alia diuinarum, nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit vlla conſtructio. Propria perdit, qui indebita concupiſcit. Satis ſit prædicto, quod veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu, Epiſcopatum tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur Regiam ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem.*

Act. Conc. Eph.

Tandem cum Anatolius tumorem quo erectus fuerat demiſiſſe videretur, Marcianus publica ſanctione omnibus notum fecit, nihil penitus innouandum eſſe de priuilegijs antiquitus conceſſis Eccleſijs, quin etiam omnia reddidit, quæcumque ex Anatolij ambitione, de primatu Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, Patres Calcedonenſes præſumpſiſſent.

Idem de prærogatiua Eccleſ. Hieroſ.

Eiuſdem momenti fuit, Epheſini Oecumenici Concilij de prærogatiua Eccleſiæ Hieroſolymitanæ conſtitutum. Iuuenalis eius Eccleſiæ Epiſcopus, quanquam ſciret Cæſarienſem Epiſcopum totius Syriæ Paleſtinæ eſſe Primatem, ac tum ex traditione, tum ex Concilij Nicæni decreto eam dignitatem illi deberi, tamen, cum graui Eccleſiæ Cæſarienſis præiudicio, vſurpare Primatum tentauit, & vniuerſam penè Synodum in ſua vota adduxit. Solus Cyrillus Alexandrinus Apoſtolicæ Sedis Legatus reſtitit; Leo vero poſtmodum, ne conſtitutum executioni mandaretur interceſſit. quod in præiudicium aliarum Eccleſiarum latum eſſet.

Epiſt. 62.

Niceta in Ignatio.
Nicolaus in cauſa Ignatij contra Photium.

Triſtiora ſunt quæ adiungo. Photius Michaelis III. Conſtantinopolitani Imperatoris Secretarius, Ignatij Patriarchæ Sedem ambiebat. Non defuerant occaſiones, Imperatorem, in innocentem concitandi. Bardam, fratrem Theodoræ, offenderat Ignatius: quod eum & redarguiſſet, & Eccleſiæ ingreſſu illi interdixiſſet, & à Sacrati corporis & ſanguinis Chriſti participatione, die Sacro Epiphaniæ eundem reieciſſet: propterea, quod is vxorem legitimam ſine cauſa repudiaſſet, & cuidam cognatæ conſueſcens, in inceſtu perſeueraret. Offenderat & Michaelem Imperatorem, quod Theodoram Auguſtam eius matrem, è Palatio ab eo eiectam, attondere, & velare, & habitu monaſtico induere recuſaſſet. Offenderat & Gregorium Syracuſanum Epiſcopum, quod eundem propter facinora quamplurima anathemate percuſſiſſet, atque dignitatem illi ſecundum canonem abrogaſſet. Hi tres odio contra eundem æſtuantes,

re

re cum Photio ambiente communicata, Patriarchali officio ei promiſſo, concilium Epiſcoporum intra Palatium conuocauerunt, & criminibus multis innocenti Ignatio obiectis ſeu impoſitis, non conuictum, reclamantibus multis Epiſcopis, dignitate exuerunt, ac Photium cathedræ præpoſuerunt. Re ad Nicolaum delata: quod Imperator miſſis Romam Legatis, id poſtularet, Nicolaus Legatos ſuos, qui Concilio præſiderent, Conſtantinopolim deſtinauit. Trecenti decem octo Epiſcopi conuenerant, & Synodum Oecumenicam dici volebant, ſiue propter præſentiam ſedis Apoſtolicæ Legatorum, ſiue propter tantam multitudinem conuentarum. Conuenit inter eos, Legatis Pontificijs præuaricantibus, vt Ignatij damnatio, quam vnicam Michael & Photius deſiderabant, probaretur. Nicolaus Pontifex, ſtatim atque iſtud intellexit, *Synodum*, ſed *Latrocinalem* appellauit, omniaque eius iniquè facta condemnauit.

Nicol. I. epiſt. 9. ad Michaelem Imperatorem.

Iudicium Nicolai PP. de Synodo contra Ignatium habita.

Inter alias cauſas, cur *Latrocinalem* dixiſſet, quia *litterarum ſedis Apoſtolicæ exemplar legatis præceptam falſificaſtis*, ait. *In ea enim epiſtola ad originale exemplar ſcilicet collata, eam nonnulla addita, multa mutata, plura ſubtracta reperiuntur, per omnia* exprobrabat Pontifex, *talis à vobis effecta eſt, vt aut nihil, aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comminiſtri noſtri Ignatij diſpoſuiſſe cauſa videamur. Siquidem cum nos inter alia commemoraſſemus, quod multoties conueatas factus fuerit Sanctorum Patrum, à quibus & deliberatum ac obſeruatum extitit, qualiter abſque Romanæ ſedis, Romanique Pontificis conſenſu, nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur. Vos eraſiſtis*, abſque *& interpoſuiſtis*, cum, *& alia addita, quibus ſignificaretur, ita deliberatum fuiſſe à Sanctis Patribus, vt cum ſedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ veſtræ conſenſu omnis rei finis debeat omninò proferri, cum hoc fieri nulla ratione valeat nullo prorſus exemplo geſtum pateſcat: præſertim cum hæc Apoſtolica ſedes ſemper in ſana doctrina perſtiterit, veſtra vero Eccleſia, quantum ad præſulatum pertinet, infirmante capite ſæpè languerit, ac per hoc iſta quieuerit adſciſcere quouis modo conſenſum, cuius peſſimum execrabatur, non immeritò ſenſum. Poſt hæc autem, quicquid de iam fati fratris & comminiſtri Ignatij tyrannica expulſione: quicquid de violatis paternis definitionibus: quicquid de Photij ſcripſeramus irregulari promotione, ſaltu quodam aſtutiæ tranſcendentes, etiam Sanctorum Patrum inſtituta, quæ Sancti Spiritus afflatu ſunt edita, ne ad concilij peruenirent notitiam contexiſtis, & velut in quodam ſilentij iudiciario ligata, dum diuinitus attributa talenta fuerint, abſcondiſtis.*

Nouiſſimus epiſtolæ locus, in quo nos quidem Legatos noſtros commendantes, amplitudinem tuam deprecati fueramus, de ipſis inter alia dicentes,

Et cum in conuentu Eccleſiæ ſederint, pro Eccleſiaſticis definitionibus, nihil à vobis, vel ab alijs, alienius contrarietatis impetum ſentiant. vos verò protinus ſubintuliſtis, quaſi nos ſic continuatim ſubiunxiſſemus, perhibentes: A vobis enim quæ huiuſcemodi ſunt depoſitionis, & ſtatuta ſint, & definita. *Hoc præcepto, veſtra vtinam Deo placens ſagacitas, innuere volens,* quæcumque à Legatis noſtris ſtatuta fuerunt & definita, nos ſtatuiſſe & definiſſe per omnia dignoſcamur. *qui tamen verſiculus nec à nobis prodijt, nec eis, præter quod ad ſacras imagines pertinet, & id quoque irreprehenſibiliter definiendum, ſiue ſcripto, ſiue verbo terminare quidquam vel deliberare præcipimus, &c.*

Nihil aliud, Michael Imperator, Photius, Barda, Gregorius & alij Ignatio iniurij quærebant, quam Romani Pontificis auctoritate acta eius conciliabuli probari, quod ſcirent Canonem Eccleſiaſticum decreuiſſe, *nulla acta ab eo improbata, probari.*

Improbauit itaque Nicolaus ea omnia, quod & abſque Romanæ ſedis Romanique Pontificis conſenſu Conciliabulum Conſtantinopoli conuocatum Patriarcham legitimum depoſuiſſet, atque de laicorum habitu alterum, contra Pontificum Romanorum decreta, & canones conciliorum ſuffeciſſet, & poſtea id quod Oecumenicum dici volebat, Legatos corrupiſſet, modiſque indignis habitos præuaricari coegiſſet.

Iam cum Photius, totius mali inuentor, duos libros Actorum Synodicorum, alterum contra Ignatium Patriarcham, alterum contra Nicolaum Pontificem, ſcripſiſſet: de his certior factus Hadrianus Nicolai ſucceſſor, conuocato apud Sanctum Petrum Concilio Photium cum ſuo conciliabulo, compliciбuſque ſuis tertio anathemate percuſſit, ac pro foribus graduum nefandi dogmatis libros, cunctorum pedibus conculcatum, exuſſit. Demum Baſilio Imperatori, qui conuocaret Concilium edixit: *in quo Sacrato cætu*, iubebat Hadrianus, *execrando vanitates concilij, quod aduerſus ſedis huius actum eſt prorſus iniuriam, cuncta decernimus exemplaria prorſus à ſuis poſſeſſoribus ablata, in mediumque delata, contemplantibus cunctis, igne cremari, nec ſupereſſe apud quemlibet ex his omnibus ſaltem iota vnum, aut vnum apicem: niſi fortè quis totius Clericatus, imo totius nominis Chriſtiani dignitate, anathemate percuſſus carere voluerit.*

Hadrianus cõtra eundem Photium & ſuum conciliabulum.

Epiſt. Hadriani ad Baſil. Imper.

Non enim nos tam deteſtandam collegiam, niſi Ariminenſi ſub Conſtantio, vel Epheſino à Dioſcoro congregato latrocinio comparandam decernimus.

Meminit Hadrianus latrocinij Epheſini, quod meritò huic Conſtantinopolitano comparandum. S. Flauianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ab Eutychete hæreſiarcha reus peragebatur. Ad illum condemnandum, quod non ſatis virium Theodoſio iuniori Imperatori: Dioſcorum Alexandrinum, eiuſdem notæ cum Eutychete hominem, vt cum decem Metropolitanis Epiſcopis, quos ipſe deligeret Epheſum conuolaret, & Conuentu indicto præſideret, accerſiuit. Quod verò ſciret, nullum fore Concilium, quantumuis Oecumenicum, abſque Romani Pontificis authoritate; *hanc reuerentiam diuinis detulit inſtitutis, vt ad ſanctæ diſpoſitionis effectum*, inquit Leo, *auctoritatem ſedis Apoſtolicæ*, ſed doloſè *adhiberet*. Siquidem, cum intelligeret, Leonem Pontificem Romanum, Eutycheti aduerſaturum, illum quidem inuitauit, ſed tempus adeò breue deſignauit, vt nonniſi magno incommodo poſſet accedere.

Latrocinium Epheſinum.

Epiſt. 13. & 15.

Syno-

Synodo conuocata, cum authoritate Imperatoris Dioſcorus præſideret: neque Leonis, ad Flauianum, de incarnatione verbi data epiſtola, neque eiuſdem datæ ad Synodum præfinitionis litteræ, quamquam admiſſæ lectæ fuiſſent: ſed omnia more non Eccleſiaſtico, ſed aulico, tyrannicè per minas, vim, carceres, exilia, verbera, mortes extorquerentur, & Fide Orthodoxa, per factionem Dioſcori, & ſceleſtiſſimi Barſumæ Archimandritæ operam proculcata, Eutyches quidem abſolueretur, Flauianus verò damnatus, plagis contuſus, & catenis conſtrictus, in exilium perductus, ibi multis alijs præſſuris & ærumnis confectus, paulò poſt nobiliſſimam pro egregia Fidei defenſione, ac generoſa à Synodali decreto ad Romanum Pontificem, prouocatione, martyrij coronam promeruiſſet; *Leo Pontifex*, Synodum Occidentalium Epiſcoporum Romæ habita, omnia quæ more prædonum perfidi Eutychiani, tam aduerſus Fidem Orthodoxam, quam contra Flauianum, aliuſque ſanctiſſimos Antiſtites præſumpſerant, *Pontificio decreto reſcidit, irritaque penitus eſſe declarauit*, vt Hilarius diaconus, Pulcheriæ Auguſtæ ſignificauit. Ab hoc Leonis inuicto animo, Valentinianus Imperator, Eudoxia eius coniux, & Placidia mater, qui per idem temporis Romæ, viſitandi ſacra Apoſtolorum limina gratia, interfuerant, animos ſumentes ad Epheſina tyrannicè facta exhorruerunt, adque illud facinus immane deſtruendum ſinguli ſingulas Theodoſio iuniori ſcripſerunt litteras: monentes, ne permitteret, Fidem Catholicam, & innocentiam Flauiani violari.

Leo reſcindit acta Conciliab. Epheſ.

Extant in præambul. Concil. Chalcedonenſ.

Par huic pſeudoſynodus, trecentorum triginta octo Epiſcoporum Orientalium, Conſtantinopoli in templo SS. Deiparentis, ad Blachernas, à Conſtantino Copronymo Imperatore indicta. Imperator propria auctoritate, nulla præuia Antiſtitum electione aut examinatione, Conſtantinum Monachum, Sylæi antea Epiſcopum, virum non minùs impurum quam impium, poſtquam ad Sedem Conſtantinopolitanam euexiſſet, omnes ad ſanciendum decretum impulit, vt ſacras imagines quilibet *idola*, earumque cultores *idololatras* nuncuparet. item non ſolum nullos Sanctos, ſed nec ipſam Deiparam Virginem poſt obitum aliquid iuris ad intercedendum pro nobis habere, vel aliquo modo poſſe nobis prodeſſe: at neque Apoſtolos, vel Martyres, aliuſque Confeſſores, aut Virgines, *Sanctos* appellari. & hoc ipſorum Conciliabulum, *Septimæ Oecumenicæ Synodi* nomine attributo vocari. Additi ſunt anathematiſmi, cùm in omnes Orthodoxos ſacrarum imaginum cultores, cum maximè in Sanctos Germanum Conſtantinopolitanum olim Patriarcham, Gregorium Cyprinum, & Ioannem Damaſcenum, cum impij Sycophantæ dicere non erubuerint, Orthodoxos omnes eſſe Neſtorianos, Arianos, Dioſcorianos, Eutychianos atque Seuerianos, ſeipſos autem ſex Oecumenicarum Synodorum iudices profiteri. Audiuit Stephanus III. Romanus Pontifex maleſanorum væſaniam, neque tulit: ſed omnia Imperatoris & Conciliabuli acta reſcidit, atque irritauit. Quamobrem poſtea Patres ſeptimæ Oecumenicæ Synodi, ſub Adriano Pontifice, & Conſtantino ac Irene Auguſtis, apud Nicæam, pro ſacrarum imaginum veneratione congregati, cum illam à Copronymo celebratam, nomine ſeptimæ Oecumenicæ indignam eſſe pronunciauiſſent, poſt primam quam ex materia cauſam afferebant: 1. *Qui in Synodo priore congregati fuere, vt cum Propheta loquar, inter ſacrum & profanum non diſtinxerunt, inter purum & impurum diſcrimen non ſtatuerunt. Imaginem enim Domini Dei noſtri cum imagine ſimul Satanæ, idolum appellarunt*, ſecundam hanc addiderunt, 2. *Quomodo autem magna & vniuerſalis, in quam neque omnes conſenſerunt, & reliquarum Eccleſiarum præfecti non admiſerunt, ſed anathemate eam deuouerunt?* Non habuit cooperatorium, vt hæc quæ tunc celebratur, Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, *neque per Vicarios, neque per Prouinciales litteras, quemadmodum in Synodis fieri debet: quin etiam neque concordantes ſibi habuit Orientis Patriarchas, Alexandrinum inquam & Antiochenum, & vrbis ſanctæ ſummos Pontifices, neque cum illis etiam myſtas, & Sacerdotes.* Sciebant videlicet, ad Oecumenicum Concilium, & vniuerſos ad quos pertinet negotium accerſiri, & caput vniuerſitatis Roman. Pontif. præeſſe Concilio, illudque probare debere: ad hoc vt vniuerſale dicatur. Neque enim tale poterit vnquam appellari, ſi vel non omnes quorum intereſt conueniunt, aut conſentiunt, vel Caput vniuerſitatis ſanctionibus contradicit. Hinc etiam Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus, ab Henrico Vandalorum & Alanorum Rege, rationem fidei Orthodoxæ poſtulatus, *cauſam Fidei omnibus communem ſine vniuerſitatis conſenſu tractari non debere*, reſpondit, *ſeque fratribus ſuis, & præcipuè Eccleſiæ Romanæ, quæ Caput eſt omnium Eccleſiarum, vt in Africam veniant, ſcripturum* dixit: Præcipuè *Romana Eccleſia, quæ CAPVT EST OMNIVM ECCLESIARVM*, inquit, quod eius Pontificis calculo, tractatus vniuerſitatis probentur, vel improbentur; fremente licet vel refragante, tam ſæculari imperio, quàm conuenarum comitio.

A Stephano irritantur acta Conciliabul. Conſtātinop. de cultu Imaginum.

Adrian. 6. Synodi 2. Nicæn.

Cauſæ à Patribus 7. Oecum. Syn. allegatæ cur iſtud Conciliab. indignum eſſet nom. 7 Oecumen. Synod.

Victor. lib. 2. de perſecut. Vand.

Rom. Eccle. ſ. caput omniū Eccleſ.

Fremebat Conſtantius pro Acacianis, qui inter alias blaſphemias, nomen hypoſtaſis in perſonis diuinis, Conſtantinopoli acto Conciliabulo abdicarant: tamen Liberius nihili eius terriculamenta duxit, & impia ſcita à diuinitatis Chriſti hoſtibus ſancita, intrepidè abrogauit. Frendebat Heraclius, indidem collecto conuentu, in quo ad ſtabiliendam Monothelitarum cui fauebat hæreſim, publicum ſuum edictum, quod *Ecthesin*, id eſt, expoſitionem nominauerat, publicauerat.

Liber. PP. contra Coſtantium Imper.

Seuerinus tamen Pontifex eam approbare recuſauit, Ioannes vero IV. Romæ collecta Synodo, illam vna cum ipſa Monothelitarum hæreſi reprobauit, adeoque Imperatoris audaciam fregit, vt is Ecthesin ſuam eſſe negauerit, ac omnia Conſtantinopoli acta, in Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum reiecerit. Ringebatur & Iuſtinianus iunior, cum Græcis *Quiniſextam dictam* Synodum, ſeu potius *Conciliabulum* coegiſſet: neque Sergium Pontif. ad confirmandos canones

Seuerinus & Ioannes contra Heracliū.

Sergius contra Iuſtinian. Iuniorem. *Paul. Diac. l. 6. hiſtor.*

nes

nrs impellere potuiſſet. Enimuero fabricatores impietatis, quod auctoritatem Apoſtolicam, pondus rebus Eccleſiaſticis ſcirent adferre, vt eam ad corroboranda quæ inaniter ſtatuerant ſubriperent, apud Iuſtinianum Imperatorem egerant, vt eoſdem canones ad Sergium Papam mitteret, confirmandos. Cæterum Sergius, *mori prius, quam nouitatum erroribus conſentire paratior*, ipſos reijciendos decreuit. Ab hoc Sergij decreto, trium ſedium Patriarchalium Antiſtites, animati, nunquam induci potuerunt, vt eos reciperent, cum etiam nec ipſi, nec eorum Legati conciliabulo interfuiſſent. Neque minus conſtanter egit Conſtantinus Papa, aduerſus eundem Iuſtinianum, & poſtea Philippum Imper. Conſtantinopolim euocarat Iuſtinianus, & controuerſiæ de canonibus ad Quintam & Sextam Synodum ſuperadditis, finis quandoque imponeretur, ac Quiniſexta Synodus à Sergio condemnata, tandem ſtabiliretur. Repugnauit Conſtantinus confirmare; & ipſe, potius *occumbere, quam ſuccumbere* paratior. Cum autem biennio poſt, Philippus Imperator, Ioannes pſeudomonachi ſuaſu, numeroſiſſimo Orientalium Epiſcoporum collecto Conuentu, Sextam Synodum œcumenicam, & in ea ſancitam de duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus ſententiam damnaſſet, contra verò, condemnatam in ea Monothelitarum hæreſin, & impium de vnica voluntate & operatione errorem confirmaſſet, atque ex præſcripto Synodi, profeſſionem fidei hæreticam & execratione dignam, ad Conſtantinum Papam confirmatum miſiſſet; non ſolùm eam Conſtantinus reſpuit, ſed & quas nefandus Imperator ſanctas ſex Synodos œcumenicas pictura effigiatas Conſtantinopoli abradi præcepiſſet, ipſe Romæ in Eccleſia Sancti Petri eleganti formâ depingi curauit: & acta pſeudoſynodi Conſtantinopolitanæ reprobauit. Non minor Conſtantino, Leo III. in alia pſeudoſynodo Conſtantinopolitana reſcindenda. Taraſius Patriarcha Ioſephum quendam exauctorauerat, quod Theodotem ſuperinductam Conſtantini Auguſti pellicem coronaſſet. Nicephorus Imperator, quod mœchiam Conſtantini excuſare conaretur, vnam & alteram Synodum Conſtantinopoli coegit. Probatum adulterium Conſtantini, quaſi per diſpenſationem, viuenti vxori aliam ſuperinducere liceret. Ioſephus, tanquam ſi foret innocens, nulliuſque tranſgreſſionis reus, in priſtinum Sacerdotij gradum reſtitutus.

Conſtantin. PP. aduerſus eundem & poſtea Philippũ Theophan. & Anaſtaſ.

Leo contra Niceph. Imp. & Mœcho-ſynod.

Anathemati ſubiecti, qui erroribus illorum non acquieſcerent. Canones pernicioſi ſanciti, ſcilicet, viuente adhuc legitima priore coniuge, poſſe ex diſpenſatione aliam induci, iſtudque matrimonium debere dici legitimum. Leges diuinas aduerſus Reges nihil poſſe. Epiſcoporum vnumquemque in ſacros canones, præter ea quæ in illis ſtatuta ſunt diſpenſando poteſtatem habere.

Epiſt. 33. & ſeq.

Tituli dati Pontif. à Studita.

Significauit iſta Theodorus Studita, Leoni III. Romanorum Pontifici: quem cum *Sanctiſſimum, Summum Patrem Patrum, Æqualem Angelis, Beatiſſimum, & Apoſtolicum Papam, Archipaſtorem Eccleſiæ quæ ſub cœlo eſt, Diuiniſſimum omnium capitum Caput, à Deo ordinatum Paſtorem ouium Chriſti, Clauigerum regni cæleſtis, Coryphæum beatitudinem, Luminare œcumenicum, Fontem Orthodoxæ Fidei, purum & incontaminatum, Apoſtolicum Caput, & Patrem Coryphæum* ſalutaſſet, enixius rogabat, vt manum Orientali Eccleſiæ porrigeret, atque *Mæchoſynodum* cenſura percelleret.

Si enim iſti, inquit, *arrogata ſibi authoritate, hæreticam Synodum cogere veriti non ſunt, qui ne Orthodoxam quidam abſque cognitione veſtra (vt antiquitus mos obtinet) cogere potuerunt: quanto æquius neceſſarium fuerit, à DIVINO TVO PRINCIPATV legitimam Synodum conuocari, vt Orthodoxum dogma, excluderet hæreticum?* Conuocauit Leo Romæ Synodum, in qua pro *diuino* in Eccleſiam *principatu*, Mæchianorum conſtituta antiquauit.

Iam & per idem temporis, cum Patres Concilij Aquiſgranenſis, morem Hiſpanorum, & Gallorum ſecuti, Symbolo Conſtantinopolitano, has quatuor ſyllabas, FILIOQVE addidiſſent, eumque hac auctione poſſe in Eccleſia cani decreuiſſent: Leo idem à Carolo Imperatore certior factus, velut *cuſtos antiquitatis*, (cum nec adhuc iſtud Symbolum, in Eccleſia Romana caneretur) permiſit quidem cani Symbolum; additamentum autem, ne caneretur prohibuit, adque eum modum de actionibus Synodi iudicauit.

Act. Concil. Aquiſgran. Leo de additamento FILIOQVE in Symbolo.

Neque ſegnius ſe poſtmodum, contra pſeudoſynodum Conſtantinopolitanam, iuſſu Leonis Armeni Imp. coactam idem ipſe Leo Pontifex, eiuſque ſucceſſores Stephanus & Paſchalis geſſere.

Idem Leo Stephanus, & Paſchalis Pont. contra Leon. Arm. Imp.

Nicephorum Patriarcham palam confeſſorem, Imperator, ſede eiecerat, inque eius locum Theodotum Caſſiteram, hominem nihili, & totum carnis luxurijs, ac voluptatibus deditum intruſerat. Is porro Synodo hæreticorum conuocata, impiam illam ſub Conſtantino Copronymo habitam confirmarat, & Orthodoxam Nicænam poſteriorem anathemate damnauerat. Cæterum Leo Pontif. ingens authoritatis, conſurgens, ſcita impiorum prophana igni addixit: Stephanus ſucceſſor pari poteſtate, eadem damnauit; Paſchalis deinde, ne Legatos quidem Theodoti pſeudopatriarchæ, Romam propius accedere ſuſtinuit; omnium rerum ſciens à Theodoro Studita, qui Paſchali hos titulos, *Princeps Sacerdotum primus, Vniuerſalis, ſupremum lumen, Apoſtolicum Caput, à Deo præpoſitus, Paſtor ouium Chriſti, Ianitor regni cœlorum, Petra fidei ſuper quam ædificata eſt Catholica Eccleſia. Romanæ autem iſtos, ſupremus thronus, in quo Chriſtus fidei Claues poſuit: aduerſus quem non præualuerunt vnquam, nec præualebunt vſque ad conſummationem portæ inferi, ora ſcilicet hæreticorum: fons Orthodoxæ veritatis: aduerſus omnem hæreticam procellam tranquillus portus Eccleſiæ vniuerſæ: electa ciuitas refugij ſalutis*, adſcribebat.

Quibus titulis Studita. Rom. Pontif. & Rom. Eccl. inſigniuit.

Non impar ſuperioribus, de quo mihi iterum ſermo, Nicolaus I. Papa. Lotharius Imperatoris filius, Rex Galliarum, Græcanico Conſtantini Auguſti exemplo, Teutpergam Reginam reiecerat, & Waldradam ſuperinduxerat, priore viuente. Iſtud adulte-

Nicol. I. contra Conciliabulũ Metenſe & Lothar. Gall. Regem.

rium

rium vt probaretur, Theutgardus Treuirenſis, & Guntarius Colonienſis Epiſcopi, Concilium Epiſcoporum Metis iuſſu Nicolai indixerant. In eo, antequam ſedis Apoſtolicæ Legati aduenißent, iudicium peragere volentes, Reginam in medio aſtare voluerunt, falſos teſtes audierunt, confeßionem à Theutperga vi extortam examinarunt, approbarunt, & iuxta ea quæ audierant, hanc quaſi legitimè conuictam condemnarunt, & non eſſe Lotharij vxorem decreuerunt; Waldradam autem perinde ac legitimè Lothario deſponſam, eidem pro coniuge aſſignarunt. Interim Legati ſedis Apoſtolicæ aduenientes, muneribus, & pecunia corrupti, in ſententiam Epiſcoporum iuerunt: vt autem ſummus Pontifex rectè peractum eſſe iudicium exiſtimaret, vtrique Epiſcopo Iudici impoſuerunt, qui Romam pergerent, & quid de hac controuerſia decreuiſſent, Nicolao Pontifici renunciarent. Comparuerunt ambo coram Nicolao; qui rei indignitate permotus, Concilium Epiſcoporum in Baſilica Lateranenſi habuit, & hæc quæ omnibus Galliarum Epiſcopis reſcripſerat, decreuit; *De Synodo, in Metenſium Vrbe, à Theutgardo & Gunthario Archiepiſcopis congregata abolenda Synodum, quæ nuper, id eſt, ſub piiſſimo Imperatore Ludouico, per Indictionem vndecimam, menſe Iunio, in Metenſium vrbe, ab Epiſcopis, qui noſtrum præuenerant iudicium, collecta eſt, quique Apoſtolicæ ſedis inſtituta temere violarunt, ex tunc, & ex nunc, & in æternum iudicamus eſſe caſſatam; & cum Epheſino latrocinio reputatam, Apoſtolica auctoritate in perpetuum eſſe ſancimus damnandam; nec vocari Synodum, ſed tanquam adulteris fauentem, Proſtibulum appellari decernimus.* Et quia Rodoaldus Portuenſis Epiſcopus ſedis Apoſtolicæ, tam Conſtantinopoli in cauſa Ignatij, & Photij: quam in Concilio Metenſi in cauſa Lotharij

Item contra præuaricatores Epiſc. Regis Legatus, præuaricatus fuerat, Nicolaus Pontifex, conuocata ſanctiſſimorum Epiſcoporum numeroſa & venerabili Synodo in Baſilica Conſtantiniana, auctoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Principum, & omnium ſimul Sanctorum, quorum regulas & decreta Rodoaldus multipliciter violauit, nec non ſui Apoſtolatus iudicio eum depoſuit, & à corpore & ſanguine Chriſti excommunicauit: Sanctorum Patrum ſtatuta, & præcipuè Sancti Felicis exemplum ſecutus, qui Vitalem & Miſerum Epiſcopos ex auctoritate, & à cœtu fidelium ſecreuit, eo quod huic apoſtaſiæ in Conſtantinopolitana vrbe olim par omnino piaculum perpetraſſent. Eadem ſententia & Zachariam Anagninum, & Ioannem Ficodenſem Epiſcopos, illum quod Conſtantinopoli, iſtum quod Metis, cum Rodoaldo præuaricati eſſent, Nicolaus, in frequenti Patrum conſeſſu, percuſſit, & acta quibus ſubſcripſerant Synodica reprobauit.

Ioannes PP. VIII. contra Conciliabulũ Conſtantin. quod octauũ dicebant in ſauſ. Photij. *Eadem planè auctoritate &* conſtantia, Ioannes Papa VIII. pſeudoſynodum Photianam, quam pro Octaua Oecumenica Photius haberi volebat, condemnauit. Res eſt. Theodorus Santabarenus homo verſutiſſimus, à Photio miſſus, vna cum Baſilij Imperatoris, & Patriarchæ Hieroſolymitani Legatis Romam veniens, Ioanni Papæ impoſuerat, vt is Photium, quem olim ipſe Archidiaconus reprobauerat, ad communionem Eccleſiaſticam admiſerit, & propter Apoſtolici pectoris robur emollitum, fœminæ nomine audierit, quod hoſtem eum quem Nicolaus & Hadrianus, Pontifices feliciter proſtrauiſſent, ipſe erexiſſe, & lupum ouili Chriſtiano non tantùm immiſiſſe ſed perfeciſſe viſus eſt.

Namque is iam ſedis ſecurus, inprimis litteras Ioannis ad Imperatores vitiauit, quædam quidem ex eis eraſit, quædam in rem ſuam inſcripſit, quædam contrario ſenſu inſeruit; hoc planè fine quaſi Ioannes octauam Synodum œcumenicam damnaret, Photiumque ſanctis exæquaret.

Deinde, quod in octaua Synodo, cubitalibus literis ſua ſcelera notata eſſe ſciebat, ad eam reprobandam, eodem in loco Conſtantinopoli pſeudoſynodum celebrauit, Legatos ſedis Apoſtolicę peruertit. Commonitorium eis datum pari falſitate vitiauit; ad abrogandam contra ſe Synodum illos & reliquos induxit; octauum Oecumenicum Concilium condemnauit: à Symbolo fidei, *filioque* reiecit, & occultè Romanam Eccleſiam ſuggillauit. Iſtud cum primum Ioannes, vt actum erat accepiſſet, conuocata Synodo in Baſilica Principis Apoſtolorum pſeudoſynodi actiones reprobauit, & libro Euangelij accepto, ſuggeſtum conſcendens, omnibus audientibus ita dixit: *Quicumque non habet Photium damnatum diuina ſententia, ſicut ipſum reliquit Nicolaus & Hadrianus ſanctiſſimi Papæ prædeceſſores mei, ſit anathema.* Eadem ſeueritate, Eugenium Legatum & ſocios illius percuſſit, atque dignitate ſacerdotali priuauit: & ad extremum, Conſtantinopolim Marinum Legatum miſit, qui coram Baſilio Imperatore Concilio Epiſcoporum conuocato, omnia à tribus præuaricatoribus Legatis, & à pſeudoſynodo acta irritaret, atq; damnaret: quemadmodum Synodicè irritauit, ac damnauit: eoq; Imperatorẽ impulit, vt is exules Confeſſores reuocauerit, & actis Marini Synodici ſubſcripſerat, anathemate dicto priori ſubſcriptioni à Photio extortæ, & Photio ſacrilego. Eugenius in eandem cauſ.

Agnoſcebat Imperator in Pontifice Romano Iudiciariam in omnes cętus poteſtatem, ſecundum quam ei liceret, ſanctiones Synodales, vel probare, vel reprobare. Eadem auctoritate & reliqui ſucceſſores Pontifices Romani præſtantes, vt alios omittam, Eugenius IV. Baſileenſe, & ante hunc, Bonifacius VIII. Pariſienſe, & Patrum memoria Iulius II. & Leo X. Piſanum, conciliabula improbarunt; vtpotè quod penes illos ius & fas eſſet, ſcita quæcumque diſcernendi: & ſi quæ, vel non radio lucis, ſed atramento atræ mentis, vel liuore aut furore iniquitatis ſcripta deprehendiſſent reprobandi: propter claues ſcientiæ, atque potentiæ, à ſupremo Principe Paſtorum illis attributas. Rectè, ſanctus Bernardinus Senenſis ſuo tempore concinnabatur: *Cum Papa ſit Chriſti Vicarius, & gerat vicem Dei in terris, habet plenitudinem poteſtatis, & illud quod facit, præſumitur facere auctoritate Dei. Ideo ipſo approbante aliquid, & nos approbare debemus. Imo ipſius ſententiæ eſt magis ſtandum, quàm ſententiæ totius mundi.* Nam

Eug. IV. Baſileenſe Bonifac. VIII. Pariſienſ. Iul. II. & Leo X. Piſanum Conciliab. improbarunt.

S. Bernardin. Senen. de poteſt. Pont. aurea ſententia, in Manuali par. 3. ſerm. 3.

CAPVT.

CAPVT XIV.

Pontifex Romanus, nec falli nec fallere ſciens.

Pont. Rom. Vicarius eſt Agni Paſtoris. *Apoc. 5.*

VIcarius eſt Agni Paſtoris; qui quod *Oculos ſeptem*, multò plus lucidiores ſole, inque omnes vias hominum proſpicientes, inconniuenter apertos habeat, falli non poteſt; quod verò & Agnus innocens, & Paſtor diligens eſt, fallere neſcit; Scilicet à plenitudine ſeptiformis radij doctus *ſcrutari profunda Dei*, & ab vbertate inflammati amoris, indoctus in præceps quemquam ſuorum impellere; ſolens ab ore *in quo dolus inuentus non eſt*, nonniſi flammantem verbi Dei gladium vibrare; *viuum* ab ipſo *Vita, veritate, & via*,

Mth. 4.

Viæ non erroris ducem, veritatis non mendacij lumen, vitæ non mortis auctorem, *omni gladio ancipiti*, ad recidendas diſpungendaſque veteratoris fraudes *penetrabiliorem: vſque ad diuiſionem* non tantum, lucis à tenebris, ſed etiam *animæ ac ſpiritus pertingentem, cogitationum cordis diſcretorem*, eo quod, *non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius*, quem Ioannes ſeptem oculis acre cernentem aſpexit. Talem Agnus Paſtor, mittens diſcipulos ſicut oues, cum ouilis vnici adminiſtrationem poſt ſe relinqueret, Paſtorem Agnorum & Ouium voluit eſſe Petrum. *Lapidem vnum, ſuper quem ſemptem oculi ſunt.* Petram ſolidam, *aduerſus quam portæ inferi non præualerent*. Patrem familias, à quo reliqui fratres confirmarentur.

Zachar. 3. Paſtor Petrus Lapis ſuper quem ſeptem oculi ſunt. Paterfamilias Caput oculis plenum. Doctor. *2. Pet. 1. & 2. & 3.*

Caput oculis plenum, quibus datum fuit *ſpeculatores fieri magnitudinis, virtutis, & præſentiæ Ieſu Christi*: Doctorem qui confidenter diceret: *& habemus firmiorem Propheticum ſermonem; cui, benefacitis, attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.*

Lucerna.

Lucernam, potentem detenebrare *magiſtros* illos *mendaces, introducentes ſectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negantes ſuper inducentes ſibi celerem perditionem*. Cenſorem, ſcientem diſcernere *difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*.

Cenſor.

Cuſtos ſemel traditæ doctrinæ.

Cuſtodem ſemel traditæ doctrinæ, *ſinceram mentem* Fidelium, *in commonitione excitantem, vt memores ſint eorum quæ prædixit verborum, à ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum, præceptorum Domini & Saluatoris.*

Paſtor diligēs. Sollicitus. Circumſpectus.

Paſtorem ouium tam diligentem, vt & ipſe potius cruci affigi, quam aut decipere, aut deſerere elegerit; tam ſolicitum, vt polliceretur ſe daturum *operam, & frequenter habere* cunctos *poſt* ſuum *obitum, vt horum memoriam* retinerent, quæ ab ipſo *in commonitione* acceperant: tam circumſpectum & intimè videntem, & vt & abdita myſteriorum Dei, & ſecreta inſcrutabilis cordis, & decipulas auro oblitas, & præſtigijs, ac fallacijs obumbratas, ipſe vnicus ante omnes, & magis quàm omnes perſpexerit, edixerit, prædixerit: in confeſſione diuinitatis Filij Dei, in antiquandis obſeruationibus legis, in detegendis fraudibus Ananiæ & Saphiræ, in prouidendis verſutijs Simonis, in præſcribendis fidei Canonibus, in Conciliorum definitionibus in prædicendis futuris, verax, perſpicax, acer, cautus, falli nec fallere ſcius, verus Aquilæ pullus.

Verax, perſpicax, acer acutus, falli, & fallere neſcius.

Simulationis reum Petrum, nonnemo nimius Paulini honoris, magis quàm Petri, vel prudentiæ, vel auctoritatis cupiens, peragit; quaſi is, tum temporis, cum Iudæorum cibis cum Iudæis veſcebatur, Iudæis, quaſi Iudaizaret imponere, ac perindè eos fallere voluiſſet. Falſus opinione ſua, quiſquis iſta de Vicario Veritatis opinatur.

Eduliorum, mundorum vel immundorum, vſus, non inter mortifera erat. Petro, linteamen mundorum & immundorum animantium cælitus demiſſum, cum hac adhortatione, *Occide & manduca; & vide ne quid immundum dixeris*, oſtenſum erat.

Defenditur Petrus à Calumnia impoſturæ quando cum Iudæis Iudæorum cibis veſcebatur.

Petrus, ex Iudæis aſſumptus; quamquàm omnium, & gentilium, & Iudæorum, maximè tamen Iudæorum curam ſuſceperat. Legalium vſus, non mortiferorum præſertim, nondum abrogatus fuerat.

Itaque; quemadmodum Paulo, quanquam gentilium Tutelari, licebat, & Timotheum circumcidere, & more Nazaræorum circumcidi, recepto vſu, ad ritus Hebraicos purificari; adeoque non aduerſarium ſe genti Hebræorum oſtendere, ſed Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret fieri; longè ampliùs Petro, Iudæorum præcipuè Patrono licebat, cum contribulibus conuerſari, contribulium cibo veſci, & nonnihil à gentilium conuerſatione ſeſe ſubtrahere, donec illis ſatisfaceret, quibus & ipſe Chriſtus & amplius tribuerat dicens, *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*. Simulatio, non ſimulatio, ſed inſtructio fuit: in rebus non mortiferis poſſe Iudæis, vt Iudæos lucrifaceret, communicaſſe. Simulatio, nec ſimulatio fuit; tantiſper donec illi *quorum eſt adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium & promiſſa, & patres ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem*, poſſent per ſepeliendæ paulatim ſynagogæ cineres, in melius & perfectius tabernaculum introduci, nonnullas ſtricturas iam morientis candelabri toleraſſe.

Simulatio, non quæ deceptio, nec quæ deſtructio, nec quæ illuſio fuit, ſed innocens, pura, & ſimplex facti actio; non cenſuræ definitio: quam qui deceptionem dixerit; dixerit etiam deprecationem in Chriſto, tunc cum vel Hieroſolymam nolle ſe aſcendere renunciauerat, & tamen aſcenderat: vel cum hortulanum ſe Magdalenæ oſtenderat, qui tamen hortulanus non fuerat.

Facti res, non cenſuræ, liciti, non liciti, in ædificationem non in deſtructionem agebatur, quam nec Paulus refugeret, qui *omnibus omnia factus, vt omnes Chriſto lucrifaceret*: neque Chriſtus damnaret, qui etiam primum quidem publicanis & peccatoribus, quamquam id Phariſæi arguerent vt peccatores ſaluos faceret conuiuebat, adeoq; peccatorum amicus libenter audiebat: deinde diſcipulis, vt ſimplices velut oues, & prudentes ſicut ſer-

pentes eſſent, ſcilicet & neminem fallerent & à nemine falli tolerarent, & prudenter omnibus omnia fierent, cumque infirmis infirmarentur, cum lugentibus plangerent, cum non manducantibus carnem oleribus veſcerentur, præcipiebat; & ante omnes, agnorum ac ouium Vicario Paſtori, Romano Pontifici, hæc ſub nomine Paſtoris officia iniungebat.

Zach. 3.

Quia ecce lapis quem dedit Deus *coram Ieſu* Petrus: *ſuper lapidem vnum, ſeptem oculi ſunt*, ad perſpiciendum, & *ecce ego calabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum*, ad non fallendum. Ab hac diuini radij cælatura, non nemo Petri ſucceſſorum Romanus Pontifex, in his quæ ad Fidei veritatem, & diſciplinam Eccleſiaſticam ſanciendam, in vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratione efformatus, quod habeat ſibi ſuæque ſedi perpetuo adſtitem Veritatis & Iuſtitiæ ſolem, quodque ſeptem & ipſe oculis acre cernentibus ſeptiformis ſpiritus ſit inoculatus, nec fallere nouit, neque falli poteſt: quemadmodum cœtus Paſtorum abſq; Protopaſtore vel præſente, vel præſcribente, decipi & decipere poteſt; quemadmodum Ariminenſe ſexcentorum Epiſcoporum, Epheſinum ſecundum, Conſtantinopolitanum non vnum; Baſileenſe, & Piſanum Concilia; in rebus grauiſſimis, falſa & fallere nata, Orbi clariſſimum fecerunt.

Rom. Pont. Petri ſucceſſor in his quę ad fidei veritatem pertinent neque fallere nouit neqȝ falli poteſt.

56.

Soli Petro, & poſt eũ Rom. Pont. legitimè infallibilitatis priuilegiũ à Chriſto conceſſum

Soli Petro, & poſt eum, omnibus Romanis Pontificibus legitimè ſedentibus, *infallibilitatis* quod vocant priuilegium, à Principe paſtorum Chriſto Deo conceſſum; vt in rebus Fidei, morum doctrina, & vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratione, certiſſima, veriſſima, nullaque fallaciæ nota inumbrata decreta, veritatis ipſius radio ſcribant, edicant & ſanciant.

2. Pet. 3.

Non vnus, nec ſemel, illi quos Petrus venturos prædicebat, *in deceptione illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, fontes ſine aqua, nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur, ſuperba vanitatis loquentes, in deſiderijs carnis luxuriæ eos qui paululum effugiunt, quique in errore conuerſantur pellicientes*, à fulguratione illius qui ſe in Angelum lucis transfigurare ſolet malè ſyderati, imponere volebant oculis Romanis; atque fallaciæ decipulis, caput oculatum induere. Veruntamen fruſtra rete iecerunt ante oculos pennatarum Aquilarum Romanarum; oculato alite dolos draconis antiqui, oculato capite compagum, ac medullarum intima ſcrutante: oculato ſerpente, virgas præſtigiatrices deuorante, inq; virgam directionis, virgam regni Chriſti recurrente & oculato lapide technas omnes erroris cuiuſque perſpiciente; & vſque ad portas ipſas inferi, aduerſus veritatis ſolem obiectas penetrante, ne vnquam præualere poſſint in Eccleſiam Chriſti ſuper Petrum erectam. Hi præ cæteris, monitu Petri pectus ſignarunt, illo velut Regio ſigillo, vt *præſcientes cuſtodiant, ne inſipientium errore traducti excidant à propria firmitate. ſed creſcant in gratia, & in recognitione Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti*.

1. Theodoretus Renato presbyt.

Ab hac prærogatiua, Theodoretus, veritatis ſtylo Renato presbytero ſcripſit; *Tenet iſta* S. Romana *ſedes gubernacula cunctis orbis Eccleſiarum, cum propter alia, cum quia ſemper hæretici fætoris expers permanſit*.

Neque vllus vmquam, qui contraria ſentiret, in ea ſedit; quin potius Apoſtolicam gratiam inuiolatam cuſtodiuit.

2. Tarracon. Epiſc. Hilario Pont.

Ad eandem prærogatiuam Tarraconenſes Epiſcopi reſpicientes, Hilario Pontifici ſcripſerunt; *Ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam, inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur*. Ad Theodoreti prolatam confeſſionem, & ſeptuaginta Epiſcopi, in Concilio Romano ſub Gelaſio I. attenti, teſtati ſunt: *Romana Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis, cæteris Eccleſijs prælata eſt; ſed Euangelica voce Domini Primatum obtinuit Matth. 16. Eſt ergo prima Petri Apoſtoli ſedes Romana Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid huiuſmodi*.

3. LXX. Epiſcopi in Concil. Rom. ſub Gelas.

Præclara de Eccleſ. Rom. prærogatiua quoad infallibilitatis priuilegium.

4. Gelaſius Anaſtaſ. Auguſto.

Hoc eſt enim; vt Gelaſius Anaſtaſio Auguſto ſignificabat, *quod ſedes Apoſtolica magnopere cauet, vt quia mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla rima prauitatis, nulla prorſus contagione maculetur. Nam ſi (quod Deus auertat, quod fieri non poſſe confidimus) tale aliquid proueniret*, vt aliqua ruga vel macula deformaretur, *vnde cuiquam reſiſtere auderemus errori? vel vnde correctionem errantibus poſceremus?* Itaque illa ſola Eccleſia, *lilium eſt ſine macula*; eo quod, vt Orientalis Eccleſia Symmacho Epiſcopo Romano confitetur, Romanus Pontifex *quotidiè à ſacro Doctore* ſuo *Petro docetur, oues Chriſti per totum habitabilem mundum* illi *creditas paſcere*, & eo quod, vt Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcop. Hormiſdæ Papæ ſcribebat, *non poteſt prætermitti ſententia Domini dicentis; Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & hæc rerum probantur effectibus, quia in ſede Apoſtolica inuiolabilis ſemper Catholica cuſtoditur religio*. ſiue, vt etiam Eulalius Carthag. & reliqui Afri Epiſcopi Bonifacio ſcribentes aliquantum immutarant; *quia in ſede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catholica ſeruata religio*. Placet iſtud *lilium immaculatum* Religionis Romanorum Pontificum, & iudicij falli & fallere inſcij, ex alijs Patribus oſtendere.

5. Orient. Eccl. Symmacho PP.

6. Ioan. Conſt. Epiſcop. Hormiſdæ PP.

7. Afri Epiſcopi Bonifacio.

8. Sergius Cyprienſis Epiſcopus. In epiſt.

Sergius Cyprienſis Epiſcopus, poſtquam Patrem Patrum, Archiepiſcopum & vniuerſalem Papam, Theodorum Romanum Pontificem appellaſſet, addit; *Chriſtus Deus noſter ô ſacer vertex firmamentum à Deo fixum & immobile, atque tituli formam lucidiſſimam fidei, veſtram Apoſtolicam ſedem conſtituit. Tu es enim, ſicut diuinum veraciter pronũciat verbum, Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ confirmatæ ſunt*.

S. Agatho Papa, Conſtantino IV. Auguſto. 9.

Hæc, inquit, *Apoſtolica Petri Eccleſia, nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt; cuius auctoritatem, vtpotè Apoſtolorum omnium principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes in cunctis ſecutæ ſunt, omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam eius doctrinam amplexi. Hæc eſt vera Fidei regula, quam & in proſperis & in aduerſis viuaciter tenuit, ac defendit hæc ſpiritualis mater veſtri tranquilliſſimi Imperij Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam, à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probabitur, nec hæreticis*

ticis

ticis nouitatibus deprauata ſuccubuit, ſed vt ab exordio Fidei Chriſtianæ percepit, ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata fide tenus manet, ſecundum ſaluatoris pollicitationem; Ego pro te Petre rogaui; vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

10. Occident. CXXV. Epiſc. actiõ 4. actione ſextæ Synodi. Occidentales, centum viginti quinque Epiſcopi, non minus verè quàm fidenter, eidem Conſtantino Imperatori. *Lumen Catholicæ atque Apoſtolicæ Fidei, per beatos Petrum & Paulum Apoſtolorum principes, eorumque diſcipulos & Apoſtolicos ſucceſſores, gradatim vſque ad noſtram paruitatem, Dei opitulatione ſeruatum eſt, nulla hæretici erroris terra caligine tenebratum, nec falſitatis nebulis confædatum, nec intermixtis hæreticis prauitatibus velut caliginoſis nebulis perumbratum, immune atque ſincerum, & ſi is radijs perluſtratum, pijſſimis conatibus conſeruare caput veſtrum à Deo coronatum faſtigium. In hoc enim tam APOSTOLICAE SEDIS, quàm noſtri exigui famulatus prædeceſſores, vſque hactenus non ſine periculis deſudarunt, nunc decretali commonitione cum Apoſtolicis Pontificibus conſulentes, nunc Synodali definitione, quæ veritatis regula continebat omnibus innoteſcentes, & terminos quos tranſgredi nefas eſt, vtque ad animæ ipſius exitum conſtanter defendentes.*

Hanc veram & Apoſtolicam confeſſionem nunc vſque nobiſcum ſeruat Romana Eccleſia. Scilicet nulla hæretici erroris terra caligine tenebratam, nec falſitatis nebulis contædaram, nec intermixtis hæreticis prauitatibus velut caliginoſis nebulis perumbratam, ſed ab his immunem, atque ſynceram, & ſuis radijs perluſtratam.

11. Vualafridus Strabo. De rebus Eccleſ. cap. 22. Vualafridus Strabo. *Romanorum morem, ideo*, inquit, *in ſacris rebus iam multæ gentes imitantur, quia & tanti magiſterij ex apice Apoſtolico primordijs clarent, & nulla per orbem Eccleſia, æque vt Romana, ab omni face hæreſeon cunctis retro temporibus pura permanſit.*

12. Berno Augien. lib. de rebus ad Miſſam ſpectãtibus. Berno Augienſis; *Cum Romanorum presbyteri*, inquit, *ab Henrico Imperatore interrogarentur, cur poſt Euangelium, (vt in alijs Eccleſijs fiebat) Symbolum non canerent; me*, inquit Berno, *aſſiſtente, audiui eos huiuſmodi reſponſum reddere, videlicet, quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando vlla hæreſeos face infecta, ſed ſecundum S. Petri doctrinam, in ſoliditate Catholicæ fidei permaneret inconcuſſa, & ideo his magis neceſſarium eſſe, illud Symbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando vlla hæreſi potuerunt maculari.*

13. Ex vero, clerus Romanus reſpondebat. Namque ſi ſolam Conſtantinopolitanam Ec-
Leo PP. IX. cleſiam reſpiciamus, Leo Papa nonus Michaeli Patriarchæ Conſtantinopolitano ſcribens, ad ſua tantum tempora, quindecim aut amplius Epiſcopos Conſtantinopolitanos, quorum aliqui Ariani, alij Macedoniani, Neſtoriani, Eutychiani aut Monothelitæ fuerant, numerabat; & Petro Antiocheno Epiſcopo diſertè ſignificabat; *Venerabilis*, ait, *& efficax Chriſti oratio, obtinuit, quod fides Petri hactenus non defecit, nec defectura creditur in throno illius vſque in ſæculum ſæculi; ſed confirmabit corda fratrum varijs concutienda fidei periclitationibus ſicut vſque nunc confirmare non ceſſauit.*

Tom. I.

Non abſimilia Rupertus Tuitienſis aſſirmabat. *Romana Eccleſia, ſuper Apoſtolicæ fidei Petram altius fundata firmiter ſtetit, & tam Græcia quàm totius orbis hæreticos ſemper confutauit, & de excelſo fidei tribunali data ſententia iudicauit. Tantis hæreſibus fermentata eſt Græcia, vt mirum videri non debeat hoc, quod de fermento immolat. Tantæ è contra ſinceritatis ſemper fuit ſancta Romana Eccleſia, vt cui deeſt ſcripturarum notitia, vel argumentandi facultas, ſola illi de azymo contra Græcos ſufficere debeat eius auctoritas. Nam Conſtantinopolitana non ſolùm hæreticos, ſed & hæreſiarchas protulit multos. Beata verò Romana Eccleſia, quòd in fundamento ſuo petram illam excepit, quam in ſuo veritas ore laudauit, & beatificauit, tali ſtructura ſuper illam ædificata eſt, vt contra omnes hæreſes perſtaret murus inexpugnabilis, & quæcumque mundi ex parte periclitata fides ad illam confugit, mille clypeos ex ea, omnemque armaturam fortium, qua ſe defenderet, pendentem & præparatam inuenit.* 14. Rupert. Tuit. lib. 2. de diuin. offic. c. 22.

S. Bernardus Abbas Innocentio Papæ paria ſcribebat. *Oportet*, ait, *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt.* 15. S. Bernardus epiſt. 190.

Dignum namque arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua ſedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt, Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur; & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.

S. Thomas Aquinas, æqualia ſuperioribus demonſtrabat. *Sola Eccleſia Petri [in cuius partem venit tota Italia, dum diſcipuli mitterentur ad prædicandum] ſemper firma fuit in fide.* 16. S. Thom. Aquin. Opuſ. de Symb. Apoſt.

Cumque in alijs partibus vel nulla fides ſit, vel ſit commixta multis erroribus; Eccleſia tamen Petri, & fide viget, & ab erroribus munda eſt, quia Dominus dixit Petro: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.

Guido Carmelita, eadem cum S. Thoma oſtendebat. *Conſtat, quod Dominus Petrum, & in Petro Petri ſucceſſores, poſuit omnium fidelium Caput; cui ait Dominus Lucæ 22. Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, tu autem aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Ita quod in directione & confirmatione fidei, Petro & Petri ſucceſſoribus eſt ſtandum. Sic quod Petri fides non deficiet, à ſede Apoſtolica, nec à Romana Eccleſia Chriſti ſponſa, quæ tota pulchra eſt, & labes hæreſis ſeu macula non eſt in ea.* 17. Guido Carmelit. in ſumma de hæreſib.

Nam Chriſtus cum Petri ſucceſſoribus adeſt, per ſuam gratiam eos dirigens & confirmans in fide; vt eorum doctrina & regimine perſeueret ſedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, ſine ruga aut macula hæreticæ prauitatis.

Æneas Syluius, eadem Boemis inculcabat; *In his quæ ſunt Fidei, nunquam reperta eſt Apoſtolica ſedes erraſſe, aut adulterinis acquieuiſſe dogmatibus. Hoc etiam auſim dicere, Romanus præſul indubitatus, nemo vnquam inuentus eſt falſæ doctrinæ publicus aſſertor.* 18. Æneas Syluius. epiſt. 130.

Dionyſius Carthuſianus, cauſam eius rei aſſignabat. *Chriſtus orauit pro Petro, vt non deficeret fides eius: quoniam Petro ſpecialiter fuit Eccleſia committenda.* 19. Dionyſ. Carthuſianus, in Lucam, artic. 48.

Vnde quod dicitur, Vt non deficiat fides tua, exponitur, vt non deficiat fides Eccleſiæ tibi committendæ. Sicque ex his verbis ſumitur argumentum,

quòd fides Romanæ Eccleſiæ, quam in ea Petrus plantauit, ſit vſque in finem duratura.

20\. Syluester Prierias & Ioann. Tezelius. *in epithomo reſponſ. ad Luth. lib. 1. & in poſitionibus anno 1517.*

Syluester Prierias, & Ioannes Tezelius Luthero opponebant: *Iudicium Papæ in his quæ ſunt Fidei, & ad humanam ſalutem neceſſaria, de eis ſententiando, errare non poteſt. & Papa vt caput, id eſt, ſi vtatur auxilio membrorum, & faciat bona fide quod in ſe eſt, quo intelligat veritatem, de fide & moribus decernendo, nequit errare, & Concilium ſine Papa, non habet irrefragabile iudicium.*

21\. Thomas de Vio. *in tractat. de inſtitut. Rom. Pontif.*

Thomas de Vio Caietanus, rationem eius rei reddebat. *Romanus Pontifex errare non poteſt, ſententialiter definiendo de fide Chriſtiana: quoniam in huiuſmodi definitione conſtruitur fides vniuerſalis Eccleſiæ, & per eam ædificatur Eccleſia Chriſti ab ipſo Chriſto ſuper Petram ſedis Apoſtolicæ ædificata. Impoſſibile eſſe autem conſtat, vniuerſalem Eccleſiam errare in fide. Neque aliquis mirari debet, de tali tantaque diuinæ gratiæ aſſiſtentia ſuo in terris Vicario: Cum Caiphæ Pontifici Synagogæ minus legitimo; ac perſecutori ipſius Chriſti aſtiterit ad prophetandum, ratione Pontificatus, teſtante Ioanne Euangeliſta, dum dicit: A ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, quod Ieſus erat moriturus pro gente. Ioan. 11. Cur enim Ioannes hoc docuit? cur reuelauit? niſi vt diuinam aſſiſtentiam peculiarem Pontifici eſſe, reuelaret.*

22\. Ioan. Roffenſis Martyr. *lib. de Primat. Rom. ſed. art. 25.*

Ioannes Roffenſis Martyr. *Solius Petri ſedes ad hunc vſque diem abſque hæreſeos aliqua nota, manet inuiolata, ſolidiorque quolibet ſaxo perdurat.*

23\. PP. Synod. Treuirenſis. *anno 1549.*

Patres Synodi Treuirenſis. *Quando vera in Ieſum Chriſtum fides fundamentum eſt, & petra illa, de qua Saluator noſter dixit Matth. 16. ſuper eam ædificandam eſſe Eccleſiam ſuam, aduerſus quam inferorum portę nunquam præualituræ eſſent. [præualerent autem, ſi Eccleſia errare perniciosè poſſet, aut docere noxia] fateri oportet, Eccleſiam in fide & veritate radicatam, & fundatam errare non poſſe.*

Nam & in confeſſo eſt, teſtantibus nimirum ſanctæ Eccleſiæ patribus, ac reipſa clamante, Chriſti Apoſtolos Petrum & Paulum, Dei ſanctum Euangelium in ſanguine quoque ipſorum ſignatum, Romanæ Eccleſiæ reliquiſſe, atque in illius fidem Eccleſias omnes, quæ vbique ſunt fideles in toto orbe terrarum, religiosè conſpiraſſe, atque ſocietate Sacramenti confœderatas & coniunctas eſſe. Itaque cum ad nos per Epiſcoporum ſucceſſionem perpetuo continuatam ea fides peruenerit, non dubitamus, hanc vnam eandemque eſſe, atque adeo veram fidem quæ ab Apoſtolis ipſis in veritate eſt tradita, & vſque nunc religioſe ſemper cuſtodita, & in Catholica Eccleſia ſemper conſeruata. Nihil proinde aliud credendum, tenendum, aut docendum eſt, niſi quod ſancta Romana tenet & docet Eccleſia, omnium conſentientium Eccleſiarum mater & magiſtra. Eum vero qui à fide Catholica & Romana Eccleſia recedit, neceſſe à veritate & capite deficere.

24\. Hoſius Card. *in Confeſſ. Cathol. Fid. c. 28. & lib. 2. contra Brentium.*

Hoſius Cardinalis Epiſcopus Varmienſis. *Sola Romana Eccleſia, quam ab exordio fidei Chriſtianæ normam accepit, in ea ſemper illibata permanſit. Defecit Hieroſolymitana Eccleſia, cui præſedit Iacobus: defecit Achaia. vbi Andreas; defecit Aſia, vbi Ioannes; defecit India, vbi Thomas; defecit Perſis, vbi Iudas; defecit Aethiopia, vbi Matthæus; defecit Phrygia, vbi Philippus; defecit Græcia, vbi Paulus.*

Sola fuit, & eſt, Eccleſia Romana, ad quam, ſicut præclarè ſcribit Cyprianus, numquam acceſſum habere potuit perfidia. Quæ mille iam quingentis & amplius annis, ita eſt Catholica ſemper & Apoſtolica habita, numquam vt vlla fuerit hæreſeos labe maculata. Si enim Caiphas [Ioannis 11.] qui ſedebat in cathedra Moyſi, quamuis eſſet impius, non deſtituebatur dono Prophetiæ; certè multo minus eo deſtitui credendus eſt, qui ſedet in Cathedra Petri, ſuper quem Chriſtus ædificauit Eccleſiam ſuam, pro cuius fide propriè ſupplicatur,

25\. Gaſpar Contarenus Cardinalis. *libell. de poteſt. Pontif.*

Gaſparus Contarenus Cardinalis. *Fides Petri [Lucæ 22.] nititur Chriſti oratione, quæ ineſſicax nulla ratione eſſe poteſt. Quapropter cum Pontifex Romanus Petri ſucceſſor ſit, ius hoc declarandi & diſcutiendi ea quæ pertinent ad Fidei Chriſtianæ dogmata, Romani Pontificis nullo hominum conſenſu, ſed diuinitus ei tributum eſt.*

26\. Franciſcus Titelmanus. *in 7. c. Cantic.*

Franciſcus Titelmanus in illa verba, Caput tuum vt Carmelus. *Caput Eccleſiæ duplex conſideramus, alterum primum & principale, quod eſt Chriſtus, Epheſ. 1. alterum ſecundarium & Vicarium, cui Dominus tradidit vniuerſalem & plenariam poteſtatem ſoluendi atque ligandi ſuper vniuerſitatem omnium Chriſti fidelium.*

Papa Pater Patrum.

Qui propter ſui eminentiam, PAPA, id eſt PATER PATRVM ab Eccleſia meruit nominari. Voluit enim ſponſus à ſponſa abſcedens, non ſolùm ipſe caput eius inuiſibile remanere, verùm etiam aliud viſibile caput ſuo loco ei aſſignare, ne quaſi acephala poſſet ab hoſtibus irrideri.

Huius Capitis locum poſt Chriſti aſcenſionem primus tenuit Simon Petrus, quem totius Apoſtolici collegij Caput & Principem Dominus conſtituit Matth. 16. Luc. 22. & Ioan. 21.

Poſt hunc verò alij quoque eiuſdem Capitis locum obtinuere, qui in eius locum diuina vocatione & Canonica electione fuerunt ſubrogati; per quos illa Petri nauicula, inter fluctus & procellas turbulenti ſeculi extitit gubernata, & in fidei rectitudine hactenus non ſine peculiari Dei munere conſeruata, vt manifeſtè pateat, non inanem fuiſſe ſermonem Domini quo dixit Petro; Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.

Quod quidem non ſolum ad ipſam illam ſingularem Petri perſonam pertinere arbitrandum eſt, verùm etiam ad vniuerſos poſteros & ſucceſſores illius, qui ſecundum diuinam & Canonicam electionem, ad huius Paſtoralis regiminis vniuerſalem curam fuerint aſſumpti; quemadmodum, & cætera dicta Petro, iſtis quoque dicta intelliguntur, iuxta ſanctorum, & Orthodoxorum Patrum enarrationem.

27\. Conradus Brunus, & Ioan. Bunderius. *lib. 1. de Seditionibus c. 5. in Compend. tit. 31.*

Conradus Brunus, & Ioannes Bunderius. *Romana Eccleſia, Apoſtolica dicitur; quia ab ipſis Apoſtolis Petro & Paulo, verbo & exemplo inſtituta ac roborata eſt; quia Apoſtolorum fidem, doctrinam & auctoritatem hactenus tenet; nec vnquam in fide aut bonis moribus deuiauit.*

28\. Ioan Heſſels. *lib. de perpetua Cathedra Petr. firmitate c. 2. & 3.*

Ioannes Heſſels à Louanio. *Chriſti promiſſio, quod Petrus rupes eſſet planè immobilis, ſuper quam tam firmiter conſtrueretur ipſius domus Eccleſiæ, vt portæ inferi, hoc eſt, tribunalia, iudicia, principatus diaboli ſectatorumque eius ei præualere nequirent; quàm verax eſſet cœpit oſtendere, quando orante Chriſto indefectibilis fides vni Petro conceſſa eſt: & hac via omnibus Chriſti diſci-*

pulis

pulis promiſſum, ipſo videlicet Petro confirmaturo Dei inſtitutione omnes fratres ſuos.

Quod enim dicit Chriſtus, Confirma fratres tuos, non tam eſt imperantis aliquid, vnde vel obedientia laudaretur, vel inobedientia puniretur (incerto interim manente euentu obedientiæ, vel inobedientiæ) ſed eſt Chriſti ordinantis atque inſtituentis confirmatorem fratrum in fide.

Sicut eſt illud quod dixit Deus piſcibus, Creſcite, & multiplicamini.

Vnde per Petrum eiuſque ſedem, & hucuſque confirmabuntur fideles.

Nec ſolum promiſſum eſt à Chriſto, quod per hunc Paſtorem inſuperabilis eſſet à portis inferi Eccleſia; quodque contra hæreſes vniuerſas in fide firma perſiſteret; verum etiam adiecit, ſe eius regimen ratum habiturum: Quodcumque, inquiens, ligaueris ſuper terram, ligatum erit, & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, ſolutum erit, & in cælis.

Requiritur enim non ſolum, vt paterfamilias atque paſtor domum, & oues ab hoſtibus extrinſecus oppugnantibus tueatur, ſed etiam vt intus prudenter gubernet, & paſcat ſuos.

Hæc autem non pro Eccleſia duntaxat, & omnibus tempore Petri viuentibus ſunt dicta, ſed & pro tota Eccleſia Chriſti in finem vſque ſęculi duratura teſtante Chriſto: ſuper hanc Petram ędificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non praualebunt, ſiue nunquam praualebunt aduerſus eam.

Vnde etiam ad Petri ſucceſſores tranſeunt; vt compleatur quod dictum eſt diſcipulis: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad ſęculi conſummationem. Hæc maxima eſt fidelium conſolatio, qua ſecuri ſunt, per Petrum eiuſque ſucceſſores, ſemper fidei doctrinam propugnandam, atque cuſtodiendam, ſeque errare non poſſe in fide, dum Petri cathedram ſequuntur, quod ſemper Petri ſucceſſores immaculatam fidem cuſtodierint.

29. Franc. Turrianus. *lib. 3. de dogmaticis characteribus.* Gaſpar à Foſſo. *in orat. ad Patr. S. Concil. Tridentini.*

Franciſcus Turrianus. *Chriſtus, propter firmitatem fidei numquam defecturæ, Simonem, Petrum appellauit, vt magni Doctores, Gregorius agnomento Theologus, Baſilius, Cyrillus, & alij interpretati ſunt.* Propter quorum authoritatem, confidenter aliquando Gaſpar à Foſſo Archiepiſc. Rheginus dixit. *Sola Eccleſia Romana, numquam fuit erroribus deprauata.*

30. Franc. Forerius.

Franciſcus Forerius Vlyſſiponenſis, claudat iſtud agmen Patrum, Fidei Romani Pontificis, indeficientis, & infallibilis aſſertorum. Iſta commentatur, in illa apud Iſaiam Dei verba, *Hoc fœdus meum cum eis. Hoc* inquit Dominus, *eſt fœdus meum, quod ego cum eis ferio, id eſt, iſtę ſunt promiſſiones fœderis, nempè vt non auferat ſpiritum ſuum, & mentem ſuam à Tſione, id eſt, ab Eccleſia, non quæ initio fuit tantum, ſed quæ in futurum erit; neque ab ore ipſius, à Paſtoribus videlicet, & Rectoribus eius, qui tum erant, & ſucceſſoribus ipſorum in ſempiternum. Hoc ſummopere neceſſarium erat; alioqui partum profuiſſet redemptio. Oportuit itaque vnam eſſe Eccleſiam, in qua perpetuo ſpiritus Domini reſideret, quæ decipi in rebus ad ſalutem neceſſarijs nequaquam poſſet. Hæc eſt Eccleſia Romana, quæ à tempore Apoſtolorum perpetua Pontificum ſerie ſpiritum hunc Domini habuit, licet aliqui ex eis perditè viuerent. In qua etiam ſemper idem fuit ſenſus, eadem fides, eadem ſemper fuerunt Dei verba. Hoc eſt ipſum fœdus, quod ſi quis neget fœdus Dei abnegat, & infringit, & veniſſe Deum negat; Nempè enim ſi veniſſet, & abiiſſet, & ſic rem non diſpoſuiſſet, aduentus eius parum admodum vtilitatis nobis attuliſſet, dum quiſque ſenſum ſuum pro ſenſu Chriſti aſſerret, & tot eſſent ſententiæ quot capita; vt nunc in quibuſdam prouincijs magno cum animi dolore, magno etiam totius Reipublicæ Chriſtianæ malo, experimur. Ad Tſion autem referenda ſunt verba hæc, & promiſſiones iſtæ. Quod ſi ad Redemptorem referre velis, idem ſenſus eſt. Semen enim Chriſti, Apoſtoli ſunt ipſius, & ſemen ſeminis eius ſunt ſucceſſores eorum in Eccleſia Catholica, & Apoſtolica. Et propter hanc promiſſionem Sancti Patres aduerſus hæreticos decertantes, perpetuam in Eccleſia Romana ſeriem Pontificum narrant, qui ſemper eumdem ſenſum habuere, quod in Eccleſijs ſuis hæretici oſtendere non valent.*

Siquidem negare non poſſunt, aliud ſe, aliud Patres ſuos docuiſſe, & credidiſſe: neque Pontifices, qui ante quinquaginta annos Eccleſias Germaniæ gubernarunt, ſpiritum illum, quem nunc Nouatores ſpirant, habuiſſe: & Patres iſtorum fidem eandem, quam Apoſtoli, & ſucceſſores eorum tenuerunt, vt ex ſerie Pontificum, & fidei, & Conciliorum patet, tenuiſſe.

Ergo hæretici non ſunt Eccleſia Chriſti, quæ eumdem ſpiritum, & eadem verba ſemper habuit: & quę docet, vt id credamus, quod ſemper, quod vbique, quod omnes; & à nouatoribus in fide caueamus; & Nouatores, deceptores, illuſores exhorreamus, quos Romana Eccleſia, ne falleretur, neue fallere poſſet, ſemper exhorruit.

Poſſem aliorum Patrum, & veterum, & recentiorum teſtimonia pro hoc *Infallibilitatis priuilegio*, Romano Pontifici, in rebus ad Fidem, diſciplinam, & vniuerſalis Eccleſię adminiſtrationem pertinentibus diuinitùs conceſſo adferre; niſi iam Orbis conſenſu receptum ſit, etiam Oecumenica Concilia, non aliunde, quam à Romano Antiſtite quemadmodum *firmitatem*, ita etiam *infallibilitatem* obtinuiſſe: quod Romanus Pontifex; Eccleſiæ vniuerſalis Oecumenicus Paſtor, ſeptenario ſpiritus diuini perpetuo ſedi Apoſtolicæ aſſiſtentis radio illuſtratus, & in diligentiam Petri anteceſſoris ſuccedens; ab oratione Chriſti quem ſemper exaudiebat Deus, habet, ne eius fides defectum patiatur; & ab officio Confirmatoris fratrum iniuncto, non potis eſt Fratres decipere: quin potius deceptores detegere, conuincere, profligare.

Sicut Oecumenica Concilia nō aliūde quam à Rom. Pont. firmitatem ita & infallibilitatem obtinuerunt.

Initio ſurgentis Eccleſiæ, Montanus, cum ſocijs, fraudibus & dolis conatus eſt Aniceto Pontifici illudere.

Montanus ab Aniceto PP. detectus. *Tertullian. aduerſ. Praxeam, c. 1. & de præſcript. c. 52.*

Cum enim Sathanas, per Gnoſticorum, & aliorum hæreticorum turpitudines, nihil aduerſus Eccleſiam profeciſſet, ad contraria arma conuerſus, per ſpeciem ſanctitatis eam ſubuertere conatus eſt. Itaque Montanum & ſocios excitauit, qui in omnibus pietatem pręſe ferrent, & donis prophetiæ ac miraculorum ornati apparerent: atque adeo non ſolum ſcripturas omnes cum Catholicis reciperent, ac de patre, Filio & ſpiritu ſancto paria cum Eccleſia ſentirent; ſed & diſciplinam Eccleſiaſticam arctiſſimè ſeruare, ac ieiunia, continentiam, martyria aliaque omnia quæ in pretio apud Catholicos eſſent diligentiſſimè excolere curarent.

His quamdiu tales, neque per confeſſio-

nem,

nem, hactenus Aniceto perſpectam, Fidei corruptores, Anicetus literas pacificas dedit. Cæterum, quamprimum ex Praxea Catholicæ tunc religionis viro, ex Aſia vbi iam Montaniſtæ errores ſeminabat reduce, errores, & impoſturas phanaticorum hominum intellexiſſet, pacificas quas initio nondum detectis dederat, ne eis vniuerſæ Eccleſiæ, quaſi à Catholica Rumana fuiſſent recepti imponerent, reuocauit; & non minus quam Petrus Simonis Magi præſtigias, ille Montani pſeudoprophetias detexit; doctus Angelum lucis, & eius æmulatorē diſcernere, & nec falli, nec fallere.

Eleutherus Valentinum & Marcionē reuelauit.

Tertul. de præſcription, c. 30.

Fere eodem tempore, Valentinus, & Marcion, ex Platonica ſchola philoſophi, ac hæreſiarchæ peſtilentes, per multas philoſoqhiæ ſubtilitates, puritatem Fidei inficere, atque Eleuthero Pontifici imponere nitebantur.

Hos, quamdiu fidem Catholicam ſimulabant, aliquantum Eleutherus tolerauit, verum cum ex ſcripturis, non modicis, veteratores eſse cognouiſſet, inquietam eorum curioſitatem, qua reliquos quoque fideles vitiabant reuelauit, & ab Eccleſia in perpetuum illos eiecit: doctus, & ipſe nec falli, nec fallere.

Optatus contra Parmen. lib. 1.

Praxeas, Tertullianus, & Conciliab. de rebaptizādis hæret. à Zepherino PP. detect. & damnat.

Eadem tempeſtate, & Praxeas ex Montaniſta primum Catholicus, deinde apoſtata, Monarchicorum, Patropaſſianorum, & Praxeanorum anteſignanus, ſublatenti veneno hçreſeos cupiebat Zephrinum Pontificem corrumpere. Vidit Zephrinus in poculo aureo noxam latere, & impoſtorem Romæ detexit, damnauit. Nec tantum iſtum, ſed & Tertullianum iam apoſtatam, erronem, & in errorem alios ſeducentem pari acrimonia aſpexit; inſoleuş falli & fallere, ab hac ſede, quæ domus, columna, & firmamentum veritatis. Sed nec ſingulorum tantummodo, verum & cœtuum fallacias diſcreuit, adeoque omnes alios falli & fallere promptos, oſtendit. Agrippinus Carthaginenſis Epiſc. à Tertulliano adhuc inter Catholicos conuerſante ſeductus, collecto Epiſcoporum Africæ atque Numidiæ concilio, canonem de rebaptizandis hæreticis ſtatuerat. Pietatis erat prætextus, quod quæcunque eſſent hæreticorum, deberet Eccleſiá execrari: adeoque hæretici ad Eccleſiam reuertentes baptizari. Retexit Zephyrinus, malignum ſub hoc velo occultum. Itaque nec falli, nec fallere ſciens, antiquam ſaluberrimam Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem, ex Apoſtolica traditione venientem ſeruandam decreuit, & baptiſmum hæreticorum, ſecundùm Eccleſiæ Catholicæ formam collatum, ratum haberi iuſſit: cætu Epiſcoporum falſo, ipſe *infallibilitatis priuilegio* fultus: non minus quam Victor ante illum, qui in orientalium Epiſcoporum, de celebrando Quartadecima Luna Paſchate ſententia, peſtem Iudaicam abditam perſpexit, retexit, damnauit; & traditionis Apoſtolicæ tenax, *nihil nouandum*, ſed quemadmodum traditum eſt Occidentali Eccleſiæ, ab Orientalibus quoque ſeruari præcepit: nec falli, nec fallere ſciens. Secuta eſt Nicæna ſynodus Victoris infallibile oraculum, hæcque Alexandrinæ Eccleſiæ ſcripſit; *Orientales, in Paſchate celebrando, ſequentur deinceps Romanos*. Ad eum modum, ab infallibili Pontificis Romani iudicio, *vicit Victor, vicit veritas, vicit Romani Pontificis auctoritas*;

Cyprian. epiſt. 71. 71.

Victor Iudaicam peſtem in ſententia de celebratione Paſchatis ab Orientalibus lata retexit, & damnauit.

Theodoret. lib. 2. c. 9. & lib. 3. de fabul. hæret. c. vlt.

cum Orientalium Epiſcoporum Concilia, plurimo tempore errauiſſent: vt Theodoretus aſfirmabat. Non minus pariter, & Africana numeroſiſſima, & frequentiſſima à Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo collecta Concilia, in materia de baptiſmate hæreticorum errauerunt, illudque prophetæ pronunciatum *Errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa*, verum eſſe oſtenderunt, ſcilicet, eos qui ſe à matrice, quemadmodum Cyprianus appellabat, Eccleſiarum Romana ſede, & ab eius capite, omnium Chriſti membrorum antiſtite, Romano Pontifice per aliquem errorem ſecernunt, loqui, & docere falſa: Sola Eccleſiarum parente, & Magiſtra nec falli, nec fallere ſcia. Non iſtud latuit poſtea Cyprianum; qui veritate coactus, ſcripſit; *Ad Romanam Sedem, perfidia non habet acceſſum*; poſtquam agnouiſset Cornelium, Lucium, & Stephanum, Apoſtolici depoſiti Cuſtodes, adamante fortius ſtetiſſe; nulloque aut pietatis prætextu, aut multitudinis errantis conſenſu, ab illo Pontificibus Romanis ſolemni; *Nihil nouandum; ſed quod ſemel traditum, ſeruandum*, dimoueri potuiſſe: adeoque eos ſolos propter *infallibile iudicium*, ſaxum fundamentarium immobile, reliquos Pontifices quantumuis innumerabiles ſuperſtructores eſſe falli, & fallere potentes. Fruſtra hic vel Donatiſtarum in Africa, vel Meletianorum in Ægypto, vel Euſebianorum, Arianorum, & Semiarianorum in Oriente, & Occidente, cætus Epiſcoporum innumerabilium aduocauero; quibus tam falli pronum, quam fallere promptum: Pontifices Romanos tantum produxero, quorum *infallibile pectus*, aduerſus omnes Sathanæ fallacias obduruit.

Conc. Afric. in materia de baptiſmate hæreticorum errones.

Id. 3. Epiſt. 3.

Vitalis Antiochenorum pſeudo Epiſcopus, hæreſis Apollinaris patronus, ad dicendam fidei cauſam à Damaſo vocatus, formulam fidei, quæ prima fronte ſana videretur, edidit, Damaſoque imponere tentauit. Acceptans eam Damaſus, quod fraudibus ſublitam agnoſceret, Paulino Antiocheno Epiſcopo cognoſcendam miſit; ſimulque Fidei confeſſionem præſcripſit, ſub qua tum Vitalis, tum alij hæretici impoſtores, in communionem reciperentur.

Damaſus. tom. 1. Conciliorum, & Theodoret. ibid. 5. c. 10. 11.

Neque multò poſt, cum Vitalis ex ſua Fidei profeſſione, mentem quàm in Chriſto æque vt carnem profitebatur, per mentem, diuinitatem ſignificari poſſe oſtenderet, Damaſus, amentis impietatem detexit, eamque, & Apollinarem, Vitalem, & Timotheum, atque omnes eorum ſectatores damnauit, non mentem, ſed animam rationalem in Chriſto neceſſario eſſe confitendam decernens. *Non diſſimili acrimonia*, hoc tempore, quo hæc ſcribimus, PAVLVS QVINTVS, ſubtiles verborum argutias, à Chaldæis in Synodica tranſmiſſas, peruidit, & neque ſibi imponi ſuſtinuit, neque alijs imponere aliqua tolerantia erroris voluit; ſed damnata vocum prophana nouitate, hanc illis formulam Fidei præſcripſit.

Perſpicacia S.D.N. Pauli.

Profeſſio Fidei ad Babylonis Patriarcham miſſa. Ad Omnipotentis Dei laudem, & ad perpetuam rei memoriam.

Infraſcriptam profeſſionem Fidei facit Reuerendiſſimus Dominus Elias Patriarcha Babylonis

nis, cum Archiepiſcopis & Epiſcopis nationis Chaldæorum, qui obedientiæ ſuæ ſubiecti ſunt; vt coniuncti perpetuo & firmiter cum ſancta Romana, Apoſtolica, Catholica Eccleſia permaneant, ſicut ſemper ex animo deſiderauerunt. Propter quam cauſam miſerunt ſuperioribus annis eorum Fidem ad ſanctiſſimum in Chriſto Patrem, ac Dominum noſtrum, Dominum PAVLVM diuina prouidentia Papam Quintum, vt eam recognoſceret; illoſque moneret, ſi aliquis in ea error, aut receſſus eſſet à ſecta Fide, quam Eccleſia ſuncta Romana docet omnium aliarum Mater, & Magiſtra.

Reſponſo autem ſemel atque iterum accepto à ſanctiſſimo Patre; ac iuxta eius admonitionem damnatis deteſtatiſque erroribus, quorum cauſa hactenus Chaldæi appellati fuerant Neſtoriani, & vt ſeparati ac diſiuncti à communione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Apoſtolicæ vniuerſaliter habiti, Catholicam, Orthodoxamque Chriſti Fidem, in hunc qui ſequitur modum profitentur, videlicet.

In nomine Patris, & Filij; & Spiritus ſancti vnius Dei.

Ego Elias per miſericordiam Dei humilis Patriarcha Babylonis, toto corde credo, & ore confiteor, quod vnus eſt verus Deus, omnipotens, incommutabilis, incomprehenſibilis, ineffabilis & æternus. Pater ſcilicet, Filius & Spiritus ſanctus, vnus in eſſentia, trinus in perſonis. Pater ingenitus, Filius à ſolo Patre genitus, Spiritus ſanctus à Patre, Filioque æternaliter procedens; non ſicut à duobus principijs, aut duabus ſpirationibus, ſed ab vtroque, tamquam ab vno principio, & vnica ſpiratione. Pater non eſt Filius, aut Spiritus ſanctus: Filius, non eſt Pater, aut Spiritus ſanctus: Spiritus ſanctus non eſt Pater, aut Filius: ſed Pater, tantùm Pater eſt, Filius tantum Filius eſt, & Spiritus ſanctus tantùm Spiritus ſanctus eſt. Nullus alium, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate, ſed abſque initio ſemper eſt, & abſque fine. Pater eſt generans, Filius naſcens, Spiritus ſanctus procedens; conſubſtantiales, coæquales, coomnipotentes, & coæterni. Hæ tres perſonæ ſunt vnus Deus, non tres Dij; vna eſſentia; vna ſubſtantia; vna immenſitas; vnum principium; vnus creator viſibilium omnium & inuiſibilium, corporalium & ſpiritualium. Qui quando voluit, vniuerſas condidit creaturas ſua bonitate, quas & valdè bonas voluit. Et ideò reprobo, & anathematizo omnes hæreſes, & hæreticos, ſentientes & docentes contraria.

Firmiter etiam credo, & profiteor, quod vnigenitus Dei Filius Patri conſubſtantialis, ſemper cum Patre, & Spiritu ſancto exiſtens, in plenitudine temporis, quam diuinæ miſericordiæ conſilium inſcrutabile diſpoſuit, vt nos à peccato Adæ, & cæterarum culparum noſtrarum ſordibus mundaret, & à morte, & inferno liberaret. Incarnatus eſt de Spiritu Sancto in immaculato vtero Beatiſſimæ Mariæ ſemper Virginis; ac veram, & integram hominis naturam aſſumpſit, corpus videlicet, & animam rationalem, in vnitate Perſonæ, id eſt, ſubſiſtentiæ diuinæ: tanta vnitate, vt vnus & idem Chriſtus ſit Deus & homo; Dei Filius, & hominis Filius: ita quod vna natura non confunditur cum altera, nec vna tranſit in alteram, nec vna miſcetur alteri, nec altera vaneſcit; Sed in Perſona atque ſubſiſtentia omninò vna, ſunt duæ perfectæ naturæ, diuina ſcilicet & humana; ſaluis earundem proprietatibus; duæ voluntates, & duæ operationes; ita vt Chriſtus ſit tantùm vnus; & ſicut formam ſerui Dei forma non adimit, ità formam Dei ſerui forma non minuit.

Qui enim verus Deus eſt, idem verus eſt homo: Deus per id, quod in principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; & per id quod de quinque panibus quinque millia hominum ſatiauit: quod Samaritanæ aquam ſalientem in vitam æternam promiſit; quod Lazarum quatriduanum à mortuis reſuſcitauit.

Homo per id, quod eſuriuit, ſitiuit, fatigatus eſt, in ligno crucis clauis affixus eſt. Vnus & idem; ſecundum Diuinitatem æqualis æterno Patri, immortalis, impaſſibilis; ſecundum vero humanitatem minor Patre, mortalis, & paſſibilis.

Inſuper firmiter credo, & prædico eundem Dei Filium Incarnatum, verè natum eſſe ex Maria ſemper Virgine, & ideò ipſam Virginem fateor veram Dei Matrem atque Genitricem. Item, verè paſſum, verè mortuum & ſepultum, verè cum anima deſcendiſſe ad inferos, ad liberandas animas Sanctorum Patrum quæ in Limbo detinebantur, alligato inſatiabili homicida: ſubindè verè ex mortuis reſurrexiſſe, & per quadraginta dies Apoſtolos docuiſſe de Regno Dei; moxque ad cælos aſcendiſſe, ſedereque ad dexteram Patris. & venturum eſſe in fine ſæculorum, ad iudicandos viuos & mortuos. Ideoque cum ſancta Romana Eccleſia firmiter teneo, & credo Symbolum Fidei, à trecentis decem & octo Patribus in Concilio Nicæno, & à centum & quinquaginta in Concilio Conſtantinopolitano traditum, ac ſemper in Eccleſia vſque modo inuiolate cuſtoditum; videlicet.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium.

Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo. Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato; paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria, iudicare viuos & mortuos: cuius Regni non erit finis.

Et in Spiritum ſanctum, Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per prophetas. Et vnam ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum: & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Item amplector, ſuſcipio, & approbo ſacroſanctam Synodum Nicænam primam, trecentorum decem & octo Patrum; & profiteor, ac ſequor, quicquid illa decreuit; & reprobo, ac damno, quicquid illa damnauit; & maximè impiam hæreſim

reſim Arianorum cum ipſo auctore Ario, qui affirmare auſus eſt; Filium Dei non eſſe ab æterno ex ipſa Patris ſubſtantia genitum, ſed ex tempore, atque ex nihilo procreatum.

Item amplector, ſuſcipio, & approbo ſanctam Synodum Conſtantinopolitanam primam, centum & quinquaginta Patrum; & credo, quicquid illa decreuit; & reprobo, quicquid illa reprobauit; & maximè impiam hæreſim Macedonij, cum ipſo auctore: qui affirmare auſus eſt, Spiritum ſanctum non eſſe Patri & Filio coæternum, & conſubſtantialem, atque ideò non eſſe Deum, ſed creaturam.

Item amplector, ſuſcipio; & approbò ſanctam Synodum Epheſinam primam ducentorum Patrum; & credo, quicquid illa decreuit; & reprobo, quicquid illa reprobauit; maximè impiam hæreſim Neſtorianam cum ſuo auctore Neſtorio, qui duas perſonas in Chriſto conſtituens, aſſerebat, non eſſe à Verbo Dei carnem aſſumptam in vnitatem ſubſiſtentiæ, & perſonæ; ſed per ſolam inhabitationem, inſtar templi ſanctificatam: & Chriſtum non eſſe dicendum Deum incarnatum, ſed hominem Deiferum: nec Beatam Mariam eius Genitricem dicendam eſſe Deiparam, ſed Chriſtiparam; ipſumque Neſtorium ob tam impias blaſphemias, præcipuè damno, & anathematizo.

Item amplector, ſuſcipio, & approbo ſanctam Synodum Chalcedonenſem, ſexcentorum triginta Patrum, quartam in ordine vniuerſalium Synodorum; & credo, ac ſequor quicquid illa reprobauit, atque damnauit: & maximè impiam hæreſim Eutychetis, & Dioſcori Alexandrini, cum ipſis auctoribus, qui affirmare auſi ſunt; non eſſe in Chriſto poſt vnionem verbi cum carne, duas integras, perfectas, inconfuſas & impermiſtas naturas, cum vnitate hypoſtaſis, ſiue perſonæ. Et reprobo ſecundam Synodum Epheſinam; imo potius latrocinium, quod factione eiuſdem Dioſcori, occiſo Beato Flauiano Epiſcopo Conſtantinopolitano, Legatis ſummi Pontificis Romani fugatis, & Epiſcopis cæteris terrore armorum ad aſſentiendum compulſis, Euthychianam hæreſim impiè confirmauit.

Item amplector, ſuſcipio, & approbo Synodum Conſtantinopolitanam ſecundam, centum ſexaginta quinque Patrum, quintam in eodem ordine vniuerſalium Synodorum; & credo, quicquid illa decreuit; & reprobo quicquid illa reprobauit: & maximè deteſtabiles errores, ac blaſphemias non ferendas, in myſterium ineffabile Incarnationis Verbi Dei, Theodoro Mopſueſteno prolatas, & in eadem Synodo cum ſcelerato eiuſdem Theodori Symbolo recenſitas atque damnatas: quem Theodorum Mopſueſtenum damno, & anathematizo, in omnibus adhærens ſanctorum Patrum ſententiæ, contra Ipſum in eadem Synodo latæ.

Item amplector, ſuſcipio, & approbo Synodum Conſtantinopolitanam tertiam, ducentorum octuaginta nouem Patrum, ſextam in eodem ordine: & credo, quicquid illa decreuit: & reprobo, quicquid illa reprobauit; & maximè impiam hæreſim, Sergij, Pyrrhi, Pauli, Petri, Cyri, Macarij, ac Theodori, qui vnam tantùm in Chriſto voluntatem, & operationem ſtatuentes, vnam quoque duntaxat naturam cum Eutychianis aſſerere conabantur.

Item amplector, ſuſcipio, & approbo ſanctam Synodum Florentinam, amplius quam centum & quadraginta Patrum: & credo, quicquid illa decreuit, de proceſſione Spiritus ſancti, à Patre & Filio; de conſecratione panis azymi, vel fermentati; de Purgatorio, & beatitudine animarum, de Primatu Summi Romani Pontificis: nec non de Sacramentis, & libris Canonicis; & reprobo, ac damno, quicquid illa reprobauit, atque damnauit.

Præterea amplector, ſuſcipio, & approbo quæcumque alia Concilia, quæ recipit, & approbat ſacroſancta Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia; & maximè ſanctam Oecumenicam generalem Synodum Tridentinam nouiſſimè celebratam: ac damno, & reprobo omnes hæreſes, & auctores earundem, quas, & quos reprobat, & damnat dicta ſancta Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia.

Nec non quicquid illa tenet & docet, cum omni deuotione, & reuerentia ſuſcipio, & amplector.

Illos quoque Doctores, & ſanctos Patres, quos eadem Romana Eccleſia approbat, reuerenter ſuſcipio.

Teneo, & confiteor, ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem, in vniuerſum Orbem tenere Primatum: & ipſum Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe Beati Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ eſſe caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere; & ipſi in Beato Petro, paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, cuius Eccleſiæ vnitatem, tanti faciendam eſſe affirmo, vt nullos extra eandem Eccleſiam Catholicam exiſtentes, æternæ vitæ participes fieri poſſe confitear.

Inſuper promitto, me tamquam obedientiæ filium, ordinationibus, præceptis; cenſuris, ac iuſſionibus ſanctiſſimi Domini noſtri D. PAVLI Diuina prouidentia Papæ Quinti, & ſucceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, & ſedis Apoſtolicæ, ſemper, & fideliter obtemperaturum.

Hanc veram Catholicam Fidem, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, inuiolatamque vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè, Deo adiuuante, retinere & confiteri, atque à meis ſubditis, ſeu illis; quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem Elias Patriarcha Babylonis ſpondeo, voueo, ac iuro; ac Deo gratias ago, qui per ſuam miſericordiam, lumine ſuæ claritatis, errores, in quibus hactenus verſati ſumus & ex quibus Neſtoriani fuimus habiti, mihi detegere dignatus eſt. Quos iterum damno, & deteſtor, & cum authoribus eorum Neſtorio, atque Theodoro anathematizo, atque reijcio; daboque operam, quantum in me erit; vt nomina, & doctrina eorum ex noſtris libris deleantur, & reſcindantur.

Hæc Paulus Quintus, pro vigilantia Paſtorali ſanciebat, & vno intuitu acris oculi, intima ſecretorum inſcrutabilis cordis Chaldæorum penetrans, ne vel falleretur vel falleret proſpiciebat: ad inſtar aquilæ & draconis gentilitiorum inſignium, quorum illa vltra mare etiam cadauer ſentit, & inconniuenti

oculo

oculo ſolem in tota intuens atomos illius poteſt numerare; hic vero oculorum lapideis pupillis, tanquam ignis fulgentibus, nocturnas tenebras & imagines depellit, potens minutias etiam minutiſſimas, nocte denſiſſima ſepultas diſcernere. Sic PAVLVS QVINTVS, putentia Arij, Macedonij, Neſtorij, & Theodori cadauera, quæ miſeri Babylonij excapulabant, quamuis toto Oceano diuiſa, acerrimo iudicio preſenſit; & à contemplatione ſolis iuſtitiæ; ad peruidendas hæreſeos tenebras obtutum reflectens, neque falli potuit; neque fallere Chaldæos voluit; ſed male excineratos hæreſiarchas, *Infallibili Apoſtolicæ ſedis radio* diſcreuit, percuſſit, damnauit.

Verè prudens, inſtar ſerpentis; verè perſpicax aquilæ ad modum; verè Agni Paſtoris, Vicarius Paſtor intelligens & diligens, nec falli, nec fallere ſcins. Sed ad veteres Pontifices reuertamur.

Siricius & Anaſtaſius PP. *Hieron. in apolog. aduerſ. Ruffin. & epiſt. 66.*

Siricius & Anaſtaſius hic occurrunt, cauti ad verſutias Melaniæ & Ruffini. Hi ab Hieroſolyma reuertentes, cum Romanorum oculos, propter indolentiam ſtoicam, perfectiſſimæ, & ad omnes numeros abſolutæ vitæ Chriſtianæ, quam ex libris Origenis didicerant, in ſe conuertiſſent, Origenis errores ex libro Periarchon cæperant diuulgate.

Ruffinus, ſuo ſuppreſſo nomine, Latinum fecerat, multiſque dolis appoſitis, mali operis peior interpres, peſſimuſque præfator, adeo profecerat, vt permultos clericorum in errores Origenis præcipites dederit, inque periculum caſus, Romanam Eccleſiam adducere potuerit; Niſi Deus, & ſanctam Marcellam, quæ verſutias detegeret excitarit, & Siricium Pontificem, ne in errorem traheretur præſeruarit. Namque is eo tempore, quo Ruffinus Catholicam præſeferebat diſciplinam, quoue nondum liquebat, an is periarchon tranſtuliſſet, neque adhuc hæreticus plane detectus eſſet, quinimò negaret, Periarchon ſua opera in Latinum conuerſum eſſe, poſtulanti, communicatorias tantummodo litteras dedit; non vero errores à Ruffino hauſit; quos nullos, in eo qui Catholicum ſe clamaret, quique adeo fama conſpicuus fuerat, ex probitate animi ſui, neſciens mala exiſtimare de alijs, poſſe inueniri exiſtimaret. Ab hac pectoris Apoſtolici innocentia, habuit Hieronymus Ruffino exprobrare, & tamquam rem omnium certiſſimam opponere. *Scito*, ait, *Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam, huiuſmodi præſtigias non admittere*.

Epiſt. 3. contra Ruffin.

Anaſtaſius Origenis errores damnat. & impoſtorem Ruffinum detegit. *Hieron. in apolog.*

Namque non admiſit. Siricio enim prępropere ſublato, cum Anaſtaſius ſucceſſiſſet, tantum abeſt vt decipi potuerit, vt etiam peſtem detexerit, ac pro Apoſtolica ſollicitudine, ſtatim noxium caput percuſſerit, & ſibilantis hydræ ora compeſcuerit; dum Apoſtolica auctoritate, earundem Origenis hæreſeon damnationem promulgauit. Ab Anaſtaſij litteris, quas per Orbem Catholicum ea de re ſcripſerat, Orientis & Occidentis Epiſcopi collectis Synodis, pari ſententia Origenem damnarunt. Ruffinum quoque quæ ad cauſam dicendam vocatus non veniſſet, & in apologia, cui fidei ſuæ profeſſionem adiunxerat, in ea errorum Origenis, quorum vehementer accuſabatur, nullam prorſus mentionem feciſſet, quodque ad obiecta crimina minimè reſpondiſſet, Anaſtaſius impoſtorem reuelauit, demonſtrauit, condemnauit: doctus, *in ſecreto calami* dolis exaratæ apologiæ, & *ſub vmbra* fictæ profeſſionis Fidei, *dormientem Behemoth*, ne falleret, cognoſcere, extrahere, confodere. *Lib. 19.*

Manichei Damaſo PP. detecti.

Iam in eodem *ſecreto calami*, Manichæos, quod ſuper mattas arundineas, in memoriam Manetis arundine excoriati accubarent, Mattarios dictos, cum non ſemel puritati Romanæ illudere voluiſſent, non vnus Pontificum, ſibi atque vniuerſo cætui, ſollicitus retexit. Fuerunt hi, omnium hæreticorum verſutiſſimi; quandoquidem, vt ait Leo Papa, cum diabolus in cunctis peruerſitatibus multiformem teneat principatum, arcem tamen ſibi in Manichæorum ſtruxiſſe inſania videbatur, vbi non vnius prauitatis ſpeciem, ſed omnium ſimul errorum impietatumque mixturam generaliter poſſideret. Quod enim in Paganis profanum, quod in Iudæis cæcum, quod in ſecretis magiæ artis illicitum, quod denique in omnibus hæreſibus ſacrilegum, atque blaſphemum eſſet, hoc in iſtos quaſi in ſentinam quandam confluxerat. Romam, Damaſo ſedente penetrarant, inque domo Conſtantij, cuiuſdam prædiuitis Maniehæi conſentus agebant. Detexit impoſtores Damaſus, falli & fallere neſcius; atque Valentiniano Imperatori auctor fuit, qui conuentus edicto vetarit, iuſſeritque eorum Doctores graui cenſione multari, & domus vbi conuentus fierent fiſci iuribus addici; reuelante Damaſo *faciem indumenti Leuiathan*.

Manichei omnium hæreticorum verſutiſſimi & perverſiſſimi.

Innoc. PP. ſententi. Concil. Tolet. de Bigamia irritat.

Innocentius quoque Pontifex, non minus cautus fuit, ne falleretur, neue falleret, Patres Concilij Toletani ſtatuerant, coniugium ante baptiſmum initum, ſic per baptiſmum obliterari, vt ducens aliam poſt baptiſmum, bigamus minimè efficeretur. Errorem, quem & S. Hieronymus aliquando tenuerat, ſed poſtea reuocarat; Innocentio comprobandum obtrudebant, adeoque in eundem trahere cupiebant. Peruidit machinas Sathanæ Pontifex, & non modo non probauit, verum ſententiam Concilij irritauit; ab oculatu ſpiritu, nec falli, nec fallere ſcius. Alias ordinationes eiuſdem Concilij, quod ad fidem non pertinerent, tolerandas eſſe putauit; ne grauiorem pati Eccleſia Hiſpaniæ ſciſſuram cogeretur; cum diù multumque in ſacris ordinibus corruptio diſciplinæ, tantopere illam exagitaſſet, vt in ſchiſma vlcus eruperit.

Epiſt. 24. tom. 1 Concil.

Ad hanc Pontificis Romani, in decretis Fidei *infallibilitatem* ijdem Patres Toletani aſpicientes, ſanxerunt: *Si quis in errore Priſcilliani ſectam ſequitur, vel profitetur, vt aliud in ſalubri Baptiſmo contra ſedem S. Petri faciat, anathema ſit*.

Pelagij & Celeſt. à Innoc. PP. damnati.

Pelagiani, id temporis, cæterorum more hæreticorum, in vulgus diſperſerant, quaſi Innocentius Pontifex Pelagio communicaſſet. Cæterum is integritatem fidei incorruptæ adeo ſeruanit, vt Pelagium atque Cæleſtium damnauerit. Cumque Pelagius virginem Demetriadem litteris ad errorem pulſaſſet,

ſet, Hieronymus Demetriadi præſcripſit: *vt ſancti Innocentij*, ait, *qui Apoſtolicæ cathedræ & Anaſtaſij ſucceſſor, & filius eſt, teneas, fidem nec peregrinam doctrinam recipias*. Simile quiddam Auguſtinus, Iuliano Pelagiano ſcripſit; *Puto*, inquit, *tibi eam partem Orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes; iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Nihil enim potuit vir ille ſanctus Africanus reſpondere Concilijs, niſi quod antiquitus Apoſtolica ſedes & Romana cum cæteris tenet perſeueranter Eccleſiæ*. Certè, *Cæleſtius*, vt alibi teſtatur Auguſtinus, Beati Papæ Innocentij litteris non eſt auſus obſiſtere; imò ſe omnia, quæ ſedes illa damnaret, damnaturum eſſe promiſit, propter ingentem ex *infallibilitate* authoritatem. Res eſt.

Epiſt. 8.

Lib. 1.

Lib. 2. contra Pelagium, & Cæleſt. cap. 7.

Innocentio defuncto, Zoſimus ſucceſſerat. Huius ſedis exordio, Cæleſtius Pelagij anteſignanus, in Concilio Carthaginenſi ab Epiſcopis Africanis damnatus, Romam ſe contulit, aduerſus accuſatores quærelas illaturus. Quod vero non ignoraret, ſe quoque à Zoſimo damnandum, ſi qualis eſſet detegeretur hæreticus; ea arte libellum concinnauit, vt licet ſatis indicaret ſe negare peccatum Originale, non poſſet tamen à Zoſimo reijci, quod ſubſcripſiſſet; *Si fortè (vt hominibus) quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtra*, ait, *ſententia corrigatur*.

Ex Auguſtino in diuerſis locis

Quomodo Zoſimus ſe à Cæleſtio falli nõ ſiuerit.

Zoſimus ne falleretur, Cæleſtium, an epiſtolæ ab Innocentio aduerſus errores Pelagij ſcriptæ aſſentiretur, interrogauit. Cumque hic non auderet obſiſtere, imo damnare, quæ Innocentius damnauerat promitteret; neque tamen propterea illum à vinculo excommunicationis adhuc ſoluendum exiſtimauit, ſed ad Africanos Epiſcopos ſcripſit, qui Romam, ſi quid contra Cæleſtium eſſet tranſmitterent. Auguſtinus demonſtrabat, Zoſimum minimè erraſſe, cum libellum illum Cæleſtij dixiſſet Catholicum; nimirum, propter conteſtationem Cæleſtij, de ſententia corrigenda, & damnandis erroribus. Propter eandem conteſtationem, à Pelagio his verbis conceptam; *Hæc eſt fides quam ſemper tenuimus; in qua ſi minus perite, aut parum caute aliquid forte poſitum eſt, emendari à te cupimus, qui Petri & fidem & ſedem tenes*.

Defenduntur Zoſimus Clerus Roman. & Auguſt. à calumnijs Iuliani Capuani.

Zoſimus, Pelagium Catholicum, accuſatores vero illius calumniatores, interlocutoria quam vocant ſententia pronunciauit; quem tamen poſtea impoſtorem detectum anathemate percuſſit: fruſtra Iuliano Capuano Zoſimum, Clerumque Romanum, atque Auguſtinum præuaricationis accuſante; quaſi illi ipſi olim cum Pelagio ſenſiſſent, ac poſtea ſententiam mutaſſent: cum tamen nunquam Pelagio, quam diù erraret, conſenſiſſent, ſed potiùs erronem ad litteras Innocentij reuocarent. Impudentiam Pelagianorum in hac calumnia Auguſtinus confutauit, iſtudque Pelagianis obiecit: *Quomodo ab iſtis fidei deſertoribus & oppugnatoribus gratiæ, Romani Clerici præuaricationis arguuntur ſub Zoſimo Epiſcopo, quaſi aliud ſenſerint in damnatione poſteriore Cæleſtij, & Pelagij, quam quod ſub Innocentio in priore ſenſerunt? Quia vtique cum litteris venerabilis Innocentij de paruulis, niſi baptizarentur in Chriſto, in æterna morte manſuris, Catholicæ fidei clareret antiquitas, profecto Eccleſiæ Romanæ præuaricator potius eſſet, quicumque ab illa ſententia deuiaſſet*. Itaque, quod Poſſidius Calamenſis Epiſcopus memorabat; *Innocentius & Zoſimus Apoſtolicæ ſedis Antiſtites, ſub diuerſis temporibus Pelagianiſtas notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis litteris ad Africanas, Orientis & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt. Et hoc tale de illis Eccleſiæ Dei Catholicæ prolatum iudicium, etiam piiſſimus Imperator Honorius audiens, ac ſequens, ſuis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere conſtituit*.

Lib. 2. contra duas epiſt. Pelagianorum c. 4.

In vita S. Auguſtini cap. 17.

Tanti etiam faciebat Auguſtinus, Zoſimi Pontificis iudicium vt cum illius verba hæc, *Chriſti illud propagatione contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omninò natorum, antequam per baptiſmum liberetur non tenetur obnoxius*, pronunciaſſet addiderit; *In his verbis Apoſtolicæ ſedis*, ait, *tam antiqua atque fundata, certa & clara eſt Catholica fides, vt nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano*.

Epiſt. 157.

Falſi illi, qui Zoſimum, quaſi deceptus fuiſſet, accuſabant. *Pelagius*, vt idem teſtatur Auguſtinus, *feſellit Palæſtinum iudicium: propterea ibi videtur eſſe purgatus: Romanam Eccleſiam, vbi eum eſſe notiſſimum ſcitis, fallere vſquequaque non potuit. Recoluit enim beatiſſimus Papa Zoſimus, quid imitandus præceſſor eius de ipſis ſenſerit geſtis. Attendit etiam, quid de illo ſentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum aduerſus eius errorem pro veritate Catholica ſtudia conſonantia concorditer flagrare cernebat*. Quapropter, *Africanorum conciliorum decretis ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium Antiſtitum armauit*, vt Proſper contra Collatorem oſtendebat.

Lib. 2 c. 8. contra Pelagium, & Cæleſtium.

Cap. 41.

Neſtorius etiam, vt Cyrillus Alexandrinus Ioanni Patriarchæ Antiocheno ſignificabat, *Romanorum quoque aures corripere & occupare poſſe arbitrabatur*.

Epiſt. 13.

Neſtorius, & Cæleſtius à Cæleſtino PP. detecti.

Scripſit enim enormia quædam, congerens in epiſtola prolixa ad Dominum meum, ait, *piiſſimum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum Cæleſtinum, & ſcriptis etiam ſuis hoc inſeruit contra eos qui diuerſa à ſe ſentiunt, quod non horreſcant, cum S. Virginem Deiparam eſſe dicunt. Deindè & quaterniones expoſitionum ſuarum miſit, quibus lectis, qui in magna Roma pij reperiuntur Epiſcopi, multis habitis conſeſſibus, reclamarunt diſerte, dicentes eum omninò periculoſam renouare hæreſim. Lectis itaque in Concilio cum expoſitionibus, tum epiſtolis, præſertim in quibus non eſt Sycophantiæ locus (habent enim illius ſubſcriptionem S. Romana Synodus, quæ manifeſta ſunt, notauit. Quanquam & ad tuam pietatem ſcripſit: quibus etiam obediendum eſt neceſſariò, ab illis qui vniuerſæ Occidentis communioni adhærent. Exemplaria namque ſcripſerunt, ad pientiſſimum Rufum Theſſalonicenſium Epiſcopum, & alios quoſdam ſapientiſſimorum, qui in Macedonia ſunt, Epiſcoporum, qui & ſemper illius adhæſere ſententijs*. Scripſerunt

autem

autem nihilominùs & ad Iuuenalem pientiſſimum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopum. Eſt itaque pietatis tuæ conſiderare, quid conducat. Nos enim illius ſequemur iudicia, veriti ne à tantorum virorum communione deficiamus, qui nullis alijs de cauſis indignantur, neque ob res minutas, ſed propter ipſam fidem, & quæ vbilibet ſunt Eccleſias, populique ædificationem motus iſtos excitarunt. Hæc omnia ſcribebantur auctore Cæleſtino, *per quem*, vt S. Proſper in elogium referebat, *omnes Orientales Eccleſiæ gemina peſte purgata fuerunt: quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antiſtiti, glorioſiſſimo fidei Catholicæ defenſori, & execrandam Neſtorianam impietatem Apoſtolico auxiliatus eſt gladio: eodemque Pelagianos, dum cognatis confœderarentur erroribus, iterum proſtrauit.*

Contra Collatorem propè finem.

Hic enim venerabilis memoriæ Pontifex, cui ad Catholicæ Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis non examen iuſtitiæ, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum: Cæleſtium, quaſi non diſcuſſo negotio, audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus iuſſit extrudi. Nec verò ſegniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberauit, quando quoſdam inimicos gratiæ ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam.

Ita Cæleſtinus, neque à Neſtorio, neque à Cæleſtio, à tenebrione ſubmiſſis potuit decipi; ſed negotium in tenebris perambulans detenebrauit, cunctumque Chriſtianum orbem in ſuam ſententiam adduxit; quod omnes ſcirent, Apoſtolicæ ſedis comites eſſe veritatem, iuſtitiam, iudicium, atque infallibilitatem.

Contra Collatorem.
Iulianus Pelag. à Xyſto rejectus.

Neque hac in cauſa Cæleſtino inferior Xyſtus. Idem ille Proſper narrabat; quod adiungo. *Iulianus Pelagiani erroris aſſertor, correctionis ſpem præferens, molitus eſt in communionem Eccleſiæ irrepere. Sed his inſidijs Xyſtus Papa Diaconi Leonis hortatu occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus patere permiſit, & ita omnes Catholicos defectione fallacis beſtiæ gaudere fecit, quaſi tunc primum ſuperbiſſimam hæreſim Apoſtolicus gladius obtruncaſſet.*

Non minor Xyſto, Leo ſucceſſor, ab Eutychete monachorum fallaciſſimo, falli non potuit.

Eutyches, dum nimium ſummo odio in Neſtorij hæreſim ferretur, terminum rapido ſuo curſui imponere neſciens, & Valentini hæreſim reſuſcitans, aſſeuerauit; Deum Verbum, nihil humanum ex Virgine ſumpſiſſe, ſed immutabiliter conuerſum, & carnem factum, ſolum per Virginem traieciſſe. Flauianus Conſtantinopoleos Epiſcopus, erronem vocauit, & venire, atque Fidei rationem reddere nolentem condemnauit. Hic porrò non ignarus, in eam partem vniuerſam Eccleſiam Catholicam inclinaturam, in quam ſummus eius Pontifex propenderet, Leoni Antiſtiti per fallacias imponere tentauit, adque ſedem Apoſtolicam per libellum doloris ſui quærimoniam miſit.

Verſipellem Eutychetem, Leo PP. damnat.

Fruſtra laborauit. Namque Leo acutum cernens, Flauianum, qui facti ſui in Concilio Conſtantinopolitano acti rationem redderet, & quid de Eutychete cenſeret, vt ſignificaret, admonuit: illud ſolenne Pontificibus Romanis præſcribens: *quoniam nos, qui ſacerdotum Domini matura volumus eſſe iudicia, nihil poſſumus incognitis rebus, in cuiuſquam partis præiudicium, definire, priuſquam vniuerſa quæ geſta ſunt veraciter audiamus.* Ab hac cautela, verſipellem Eutychetem detexit, & infallibili iudicio peſtilentem damnauit: *definitiſſimum*, ſcribens, ſibi eſſe, *in noſtra communione non futuros eos, qui conantur antiqua Catholicæ Fidei fundamenta conuellere.*

Epiſt. 8. ad Flauian.

Tunc demum Patres Concilij Calcedonenſis, ad falli & fallere neſcium Eccleſiæ oculum, reſpicientes, Leoni acclamarunt; *Deus nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem prouidit, & Romanæ Eccleſiæ Papam ad victoriam præparauit.*

Epiſt. 27. ad Anaſtaſ. Theſſalonicen. act. 16. Concil. Calcedonen.

Tunc etiam Leo Pontifex iure merito Deo gratias habuit, vſus his verbis ad Theodoretum ſcriptis: *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui nullum nos in noſtris Fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit, ſed quæ noſtro prius miniſterio definierat, vniuerſæ fraternitatis irretractabili firmauit aſſenſu; vt verè à ſe prodiſſe oſtenderit, quod prius à prima omnium ſede firmatum, totius Chriſtiani orbis iudicium recepiſſet; vt in hoc quoque Capiti membra concordent.*

Epiſt. 61.

Leone Magno, non etiam minor Hormiſda, Anaſtaſij Imperatoris & Eutychianorum fraudes perſpexit. A Vitaliano Scytha Catholicæ fidei defenſore, armis perterritus, ad Manichæorum perfugia, Anaſtaſius homo Manichæus confugiens, Vitaliano, à quo pacem petebat promiſerat, Macedonium Conſtantinopolitanum, & Flauianum Antiochenum Epiſcopos ab exilio reuocaturum, Conciliumque pro pace Eccleſiarum celebraturum; ad quod etiam Romanum Pontificem inuitaret. Quod verò verſute ſimularet, Oecumenicam Synodum, Heracleæ, ad Kalendas Iunij ſe indicere finxit, atque ad eam Hormiſdam Papam inuitauit. Hormiſda, vt Synodus celebraretur, non conſenſit, ſed Legatos Conſtantinopolim deſtinauit: qui, num ſeriò, an verò ſimulate res ab Imperatore ageretur explorarent, ſimulque ab eo ex Commonitorio poſtularent, vt Neſtorij & Eutychetis hæreſes damnaret, Synodum Chalcedonenſem vna cum ſcriptis S. Leonis Papæ ſuſciperet; nominaque Dioſcori, Petri Mogi, Petri Fullonis Acacij, & aliorum hæreticorum, aut qui eorum communione polluti fuiſſent, è ſacris Diptychis auferri iuberet. Anaſtaſius porrò cum verſuto animo, confeſtim omnibus quæ Hormiſda peteret, vno excepto de Acacio à Diptychis eradendo acquieſcere ſimulaſſet, & ad Pontificem, Oratores laicos Theopompum Comitem Domeſticorum, & Seuerinum Comitem ſacri Conſiſtorij, cum literis humanitatis, & beneuolentiæ pleniſſimis miſiſſet, ac inſuper Fidei Confeſſionem, cum approbatione ſanctæ Synodi Chalcedonenſis ad eum ſcribens, de Acacio verò ſe iudicio Pontificis, ac futuræ Synodi ſtare velle ſponderet, Hormiſdam quidem ad ea laudanda tunc impulit. cæterum poſtquam Oratores, defenſores hæreſis Eutychianæ Romæ detecti fuiſſent, nec leui conatu ad ſuas ipſorum partes Pontificem adducere tentaſſent, adeoque fraudibus, & dolis Imperatorem hucuſque egiſſe conſtaret:

Cedren. in Anaſt. & epiſt. 4. 5. 6. Hormiſdæ.
Hormiſdæ PP. prouidentia, & Conſtantia contra hæreſes.
Hormiſ. PP. prouidentia, & conſtantia contra hæreſes.

ret; Hormiſda, ſupra ſolidam Petram fundatus, conſtanter ſtetit, neque falli ſuſtinens, Oratores Auguſtales, re infecta excedere Vrbe iuſſit; ne amplius fictis verborum pollicitationibus ſimplicitati cautæ illuderent, neue puritatem Romanam contaminata Acacij communicatione pollucrent. Tanta verò côſtantia iſtud decretum ſibi ſeruandum propoſuerat Hormiſda, vt cum poſteà Anaſtaſio ſublato, Iuſtinus & Iuſtinianus Augg. & Epiphanius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, de tolerandis in Diptychis Epiſcoporum Orthodoxorum nominibus, qui Acacio Schiſmatico communicauerant, Legatos & literas miſiſſent; id nullà ratione poſſe concedi reſpondit; quod talium communione vniuerſa ſimul inficeretur Eccleſia: ac periculum eſſet, ne fraudulentis aduerſariorum technis in communionem erroris traheretur. Quod memorabant: Eccleſias Ponti & Aſiæ, totiuſque ferme Orientis, nullis minus aut perſuaſionibus adduci poſſe, vt nomina ſuorum Epiſcoporum è ſacris tabulis tollantur, indeque maximum ſchiſma in Eccleſia Catholica conflandum timerent: poſſeque, temporum rerumque qualitate conſiderata, expunctis Acacij, & aliorum hæreticorum, vel auctorum tumultuum nominibus, cæterorum tolerari; Hormiſda fallaciarum ſciens, reſcripſit; populos qui id expeterent, ad remedia ſalutaria eſſe cogendos, non verò in voluntatibus deprauatis ſequendos.

Hormiſd. epiſt. 71. & ſeq.

Niceph. lib. 14. cap. 46.

Egit & alterum de fallacijs triumphum, Hormiſda, ab *infallibilitatis* iudicio. Theodoſio iuniore imperante ingenti terræ motu, plurimæ Vrbes, & muri Conſtantinopolis, cum quinquaginta ſeptem turribus, corruerunt: ac fames, & aëris peſtifer odor, multa hominum iumentorumque millia deleuit. Cum autem in ſex menſes lues traheretur, & vniuerſo ferme orbe concuſſo, innumerabilibus terra marique horrendis caſibus Orientis pars maxima, Occidentiſque regiones plures affectæ fuiſſent, accidit Conſtantinopoli, vt cum Theodoſius Imperator, vna cum Proclo Epiſcopo, vniuerſoque populo, præ metu ruinarum ædificiorum in campo habitarent, ac die quadam motu eo vehementius graſſante, cuncti ſimul ex intimo corde cum multis gemitibus miſericordiam diuinam implorarent: ſuperna repente vi puer ſpectantibus omnibus de media turba in ſublime extra viſum hominum raptus, ruſumque priore per aërem via in eundem locum demiſſus, Patriarchæ, Imperatori, vniuerſæque multitudini in precibus proſtratæ, retulerit, ab Angelis ſe diuinum Triſagion in hunc modum decantatum audiuiſſe; *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere noſtri*, & vt ipſi eodem modo concinerent monuerit. Iſtud ſtatim atque populus, iubente Patriarcha, pſallere cæpit, terræ motus omninò quieuit: puer animam efflauit: Theodoſius verò & Pulcheria Auguſta, vt per totum Orbem hymnus ille diuinus decantaretur, edita Conſtitutione decreuit: à quo tempore Eccleſia illum accepit. Triginta totos ſeptem annos, ſine vlla admixtione, in Eccleſia canebatur; donec Petrus Cnapheus cognomento Fullo, poſt eiectum Calendionem in ſedem Antiochenam intruſus, addi-

Alter Hormiſdæ PP. de fallacijs ab infallibilitatis iudicio triumphus.

tione vitiaſſet. Is ſimul ac thronum aſcendit, hæreſim Eutychianam & Sabellianam quam diù occultauerat euomuit, eique hymno, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, adtexuit, *Qui paſſus es pro nobis*, vt paſſionem Sanctiſſimæ Trinitati affingeret. Stâtim atque iſta Felix III. Pontifex Romanus accepit, fraudem ſublatentem intellexit, detexit, damnauit: *infallibilèque* decretum de nulla additione ad hymnum admittenda vulgauit: quod ex illa, æque Patri ac Filio, ſpirituique ſancto, perpeſſio tribueretur, & vna tantum Trinitatis perſona fore indicaretur. Sepultam blaſphemiam, poſt quadrageſimum ſextum annum, Leontius Scytha cum alijs eius gentis Monachis, Conſtantinopoli ſuſcitare conatus, non ſufficere affirmabat, vt quis Synodum Calcedonenſem; & epiſtolam S. Leonis ad Flauianum, Cyrilli ſcripta contra Neſtorium ſuſciperet, ſed oportere quoque confiteri, *Vnum de trinitate Chriſtum eſſe Crucifixum*.

Epiſt. Felicis Pap.

Intellexit dolum, Pontifex Hormiſda, & *infallibili radio* detexit: non immemor, quod non ſolum Eutyches hæreſiarcha eiuſdemque diſcipuli, eandem vocis nouitatem in Synodo Calcedonenſi introducere conati eſſent, ſed & impius Anaſtaſius Imperator illam omnibus recipiendam propoſuiſſet: nec tamen illam, aut Eccleſiaſtica conſuetudo, aut Sanctæ Synodi Patres admiſiſſent, aut S. Leo in epiſtola expreſſiſſet. Itaque, quamuis in alijs benè cognitis Orthodoxis, à quibus omnis impoſturæ ſuſpicio procul abeſſet, ea ſententia tolerabilis videri potuiſſet: quia tamen ab occultis Eutychianis, ad impugnandum Concilium Calcedonenſe, quaſi imperfectum eſſet, & cui minus tuto credi poſſet, introducebatur: ad explodendum receptum in Eccleſia nomen *Perſonæ*, & ad enunciandum, ſic vnum de Trinitate in carne natum & paſſum; vt nulla habita proprietatis vocum diſtinctione, ſicuti Deum, ita diuinitatem natam, & paſſam aſſererent, Chriſtumque ex duabus naturis, non in duabus naturis conſtare, edicerent: Hormiſda fraudes reuelauit, & tam Epiphanio Patriarchæ Conſtantinopolitano, quam Iuſtino & Iuſtiniano Augg. flagitantibus, num liceret, vnum ex Trinitate Chriſtum natum & paſſum, aſſerere, reſcripſit: *Nouam & ambiguam huiuſmodi ſententiam propter multiplices fraudes ſub ea latentes non eſſe admittendam: tum præſertim abſque illius vſu, doctrina de Verbi incarnatione iam ſatis à maioribus elucidata fuiſſet.*

Epiſt. 68.

Abhorrebant occulti Eutychiani, dicere, *vnam Trinitate perſonam, eſſe paſſam in carne*. Cum verò *vnum ex Trinitate* pronunciarent, per vnum, ſeu vnitatem, vel ſingularitatem, ſubſtantiam, & non perſonam, vel ſi perſonam diuinam, tamen expertem humanæ naturæ, quam poſt vnionem duarum naturarum in Chriſto negarent, intelligebant. Quamobrem eadem ratione, qua olim Felix, ne Triſagiò, *Qui crucifixus es pro nobis* adderetur contradixit: etiam huic nouitati ſubdolæ Hormiſda contraiuit: exemplo quod à maioribus ipſe acceperat, poſteris relicto: non propter gratiam Imperatorum Regumve, quantumlibet importunè inſtantium, non

Inuicta Hormiſdæ Pap. conſtantia.

preci-

precibus quorumlibet magnorum Antiſtitū, vel etiam Synodorum, non cuiuſuis dignæ cauſæ prætextu, quo magnarum etiam prouinciarum reſtitutio expectaretur, debere Romanos Pontifices, Chriſtianæ religionis Depoſiti cuſtodes, vel minimum aut conniuere, aut deflecti, cum accepta à Patribus fides vel læditur, vel in ambiguitatis anguſtias adducitur, aut traditio antiquatur, ſeu illibata Sanctorum communicatio, nulla hactenus ſorde contaminata, polluitur.

Non caligauit, neque deflexit; paulò poſt Ioannes Secund. Pontifex, de eadem quæſtione pulſatus. Neſtoriani hæretici ſ eum illam ſententiam, qua diceretur, *vnus de Trinitate eſſe paſſus in carne*, propter Eutychianos hæreticos, dolis fidem Catholicam inuadentes, reiectam eſſe audirent: perinde, ac ſi ſecundum ſuam ipſorum doctrinam duplex aſſereretur eſſe Chriſti perſona, ſicut & naturæ duæ diuina atque humana, & ſic videtur dici paſſus homo, vt negaretur Deus eſſe paſſus in carne: ad eum modum argumentabantur: Si non eſt paſſus vnus de Trinitate in carne: ergo nec natus idem in carne: ergo nec verè ac propriè dici poteſt Maria Dei genitrix, quæ fuerat hæreſis præcipua Neſtorij.

Origeniſtæ quoque, è latebris Palæſtinæ, poſt centum annos quibus latuerant, emergentes, ab illa eadem nouitate reiecta, negabant, *Chriſtum vnum de Trinitate fuiſſe*. E contra, Orthodoxi aduerſus Neſtorianos & Origeniſtas depugnantes, ſicut aſſerebant, piè ſanctéque dici, vnum de Trinitate eſſe paſſum in carne, ita nefas eſſe dicebant, negare ſanctiſſimam Virginem Mariam verè proprieque Matrem Dei nuncupandam. Neſtorianæ ſententiæ potiſſimi aſſertores, monachi Conſtantinopolitani cognomento Acæmetæ, cum ab Imperatore Iuſtiniano, agente Epiphanio eiuſdem Ciuitatis Epiſcopo vrgerentur, Ioannem Pontificem interpellauerunt, ne ſententiam ſemel ab Apoſtolica Sede exploſam, recipi pateretur.

Iuſtinianus etiam Imperator, pariter, Epiphanio authore, Legationem ad Ioannem adorauit, & *Caput omnium Dei Sacerdotum, cunctarumque Eccleſiarum* illum appellans, confeſſionem ſuæ Fidei, cum approbatione quatuor Oecumenicarum Synodorum, quas aduerſarij ab eo contemni ſparſerant, illi miſit, quidquid de illa ſententia cenſeret, interrogauit.

Non ignorauit Ioannes, Hormiſdæ anteceſſoris iudicium, quod ſententiam illam, de vno ex Trinitate paſſo in carne, non velut hæreticam reieciſſet, ſed vt nouam atque ſuſpectam, ne ſub ea Scytharum Monachorum Eutychianorum fallaciæ occultarentur, proſcripſiſſet. Quamobrem, cum & perſonæ mutatæ eſſent, & tam Neſtoriani quam Origeniſtæ, auctoritate Apoſtolica abuterentur, Hormiſdæ Pontificis, Ioannes ſucceſſor, ad omnem ſubdolam captionem cautus, Romæ Concilio habito, ex veteri Catholicæ Eccleſiæ præſcripto, ſententiam illam, ſed cum hac additione, ſeu interpretatione, admiſit, probauitq; Scilicet.

Interpretatio ſeu declaratio ſententiæ de

Vnam perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis dici Chriſtum, eundemque natum & paſſum in carne, vereque, ac propriè Mariam Virginem Dei Matrem dici & eſſe. In confeſſione porrò Fidei, quam Iuſtinianus Imperat. Ioanni miſerat, quod iuxta exhortationem Ferrandi Carthaginenſis Diaconi, qui ſuper eodem argumento ad Seuerum Scholaſticum Conſtantinopolitanum ſcripſerat, addita multa eſſent, ad obſtruendos aditus impiæ calliditati, eam Ioannes auctoritate Apoſtolica laudauit: præſertim cum ea legeret: *Omnipotentis Dei vnam eſſe ſubſtantiam, tres perſonas: ex quibus vna perſona, ideſt, Filius, Deus permanens, homo factus, natus & paſſus ſit, neque Patre, neque Spiritu ſancto pariter incarnato: quamuis opus noſtræ redemptionis tota fuerit Trinitas operata.* Ab hoc *infallibili Sedis Apoſtolicæ iudicio.* tunc demum Eutychiani, Neſtoriani, Acæmetæ, & alij incarnationis Dominicæ hoſtes proſtrati, didicerunt, Romanum Pontificem neque falli ſcientem, neque fallere ſolentem: ac in vniuerſam Eccleſiam Catholicam, ſicut auctoritate, ita & oculo acerrimo, vigilantiaque præſtantem.

vno ex Trinitate in carne paſſo.

Ex lib. 8. c. de ſum. Trinit.

Agapetus, & Syluerius Pontifices, non impari acrimonia, Anthimi Patriarchæ Conſtantinopolitani verſutias perſpexerunt. Hic Seuerianæ hæreſis factus reus, cum ab omnibus Orthodoxis velut nefandus vitaretur, ita ſe comparauerat, vt in omnibus apparere videretur Catholicus: dum non ſolum Chalcedonenſe Concilium probauit, ſed etiam coram Iuſtiniano Imperatore *deceptibilibus rationibus vſus. promiſit ſe omnia facere, quæcunq; Summus Pontifex magnæ Sedis Apoſtolicæ decerneret: & ad ſanctiſſimos Patriarchas ſcripſit, ſe ſequi per omnia Apoſtolicam ſedem:* vt Patres ſecundæ Synodi Conſtantinopolitanæ, in ſententia prolata renunciabant.

Quomodo Agapetus Anthimi Patriar. Cōſtantinop. errores detexerit & Iuſtinia. Imp. ad veram fidem reduxerit. *Actione 4.*

Agapetus Conſtantinopolim profectus, ne à vulpe illa falleretur, neque in conſpectum, neque in comunione voluit illum admittere, niſi prius libello confeſſionis oblato, Catholicum ſeſe probaſſet & Cathedræ Romanæ reconciliaretur.

Iuſtinianus Imperator, necdum compertum habuerat Anthimum eſſe hæreticum. Itaque Theodoræ coniugis Auguſtæ fallacijs deceptus, ſocium erroris Agapetum efficere volens, comminationibus exilij etiam adiunctis, poſtulabat, qui Anthimum reciperet. Cæterum ille oculo aquilino pollens, neque deceptis erronibus cæcis, ducatum præſtare ſuſtinuit, neque vnquam à ſententia dimoueri potuit; eoque Iuſtinianum conſtantia falli neſcia adduxit, vt permiſerit inquirere ex Antimo, *Num duas in Chriſto naturas confiteretur.* Cumque ab eodem Pontifice, coram ipſo Imperatore, interrogatus Anthimus, duas in ipſo naturas tenuiſſet confiteri, tunc idem Iuſtinianum fraude comperta, *humiliauit ſe ſedi Apoſtolicæ, & adorauit beatiſſimum Papam Agapetum*, vt loquitur Anaſtaſius. *Anthimus* autem, vt Liberatus refert, *pallio Imperatoribus reddito, diſreſſit, & Papa ex Imperatoris conſenſu, Menam ſua manu conſeruauit Antiſtitem.* Hunc in modum *Agapetus Romanæ ſedis Pontifex, Iuſtinianum in Eutychis ſectam delapſum, ad veram reduxit fidem. & Anthimum Patriarcham Conſtantinop. damnauit*, vt Aimonus memorabat. *Pari conſtantia*: & acri-

Liberatus in Breuiario, & Anaſtaſ. in Agapeto.

Cap. 21.

Lib. 2. de geſtis Franc. cap. 16.

Sylueriꝰ PP. ob constantiā in exilium actus.

& acrimonia Syluer. Agapeti ſucceſſor, nunquam adduci potuit, vt verſipellem Anthimum admitteret, & *Auguſtæ petenti, vt eum in ſedem Conſtantinopolitanam reuocaret, reſcripſit: Auguſta Domina, rem hanc nunquam faciam, vt reuocem hominem in damnata perfidia permanentem. Auguſta igitur Beliſario præcepit, vt Syluerium in exilium ageret*, & Vigilium Anthimi reuocationem pollicentem intruderet. Potuit tunc Vigilius, viuente Syluerio, nondum verus Pontifex, quicquam errasse, & indignum aliquid, vel ſcripſiſſe, vel conceſſiſſe Antimo erranti; cæterum mortuo Syluerio, canonicè Sedi Apoſtolicę præfectus, ſtatim ac legitima electione Petri Thronum conſcendit, ab hac Fidei petra Sacerdotale robur in tantum accepit, vt planè ad confutandas hæreſes viſus ſit habuiſſe Apoſtolatum diuinitus. Namque Iuſtiniano Imperatori, & Mennæ Patriarchæ, ſe fidem Catholicam in omnibus ſemper illibatam ſeruaſſe, atque in poſterum ſeruare velle cum ſcripſiſſet, ſpem omnem Theodoræ & alijs, de reſtituendo Anthimo, quod pollicitus fuerat ademit: cumque omnia à prædeceſſoribus aduerſus verſipellem geſta comprobaſſet, ipſum eundem Anthimum & alios hæreticos, ac ſchiſmaticos excommunicauit: neque Auguſtæ reuocationem illius enixè flagiranti auſcultauit, ſed reſcripſit: *Abſit hoc à me, Domina Auguſta. Prius locutus ſum male, & inſipienter, nunc autem nullo modo tibi conſentio, vt reuocem hominem hæreticum, & anathematizatum.*

Vigil. epiſt. 2.

Conſtantia Vigilij poſtquam canonicè electus fuiſſet.

Aim. ſup. c. 32

Propterea Conſtantinopolim à Beliſario adductus, in faciem cæſus, ab altari auulſus, fune in collum iniecto per orbem circumductus, inque ergaſtulum coniectus, inediam, pædorem, ſqualorem, & reliquas carceris contumelias prius pati maluit, quam cæcutientibus præire, & cum ceſpitantibus palpitare. Falſus hac in parte tam Liberatus, quam ex eo nonnemo Nouatorum, qui Vigilium criminatur, quaſi is ad Theodoram ſcribens, & ad Epiſcopos hæreticos, ipſorum hæreſim confirmaſſet, & anathema his qui duas in Chriſto naturas confiterentur dixiſſet. A falſo vulgi rumore hæc Liberatus acceperat, multaque abſurda ſibique repugnantia ijs inſeruerat: quæ nec Theodora Vigilio, cum de reſtitutione Anthimi cum ea altercaretur, neque Theodorus Cæſarienſis Epiſcopus, aut Menna Conſtantinopolitanus, vterque à Vigilio excommunicationi ſubiectus, neque ipſe Iuſtinianus furore aduerſus Vigilium ſuccenſus, neque Quinta Synodus, quod ad eam accedere renueret, in eundem commora illi vnquam obiecit: & Patres Sextæ Synodi teſtantur, *nomine Vigilij, ad Iuſtinianum & Theodoram ab hæreticis confictas fuiſſe litteras*: cuiuſmodi iſtas quas Liberatus recitat fuiſſe, non eſt dubitandum. Sed & ſi verè illas ſcripſiſſet Vigilius, fecit viuente Syluerio: quo tempore, nemo iure dixerit, illum ſchiſmaticum, alienæ ſedis emptorem & inuaſorem, verè potuiſſe dici Pontificem, quamuis in ſede Petri ſederit violenter intruſus: ob eam rem à Syluerio Pontifice, ex ſententia Palmaris Concilij anathemate damnatus. Falli, errare, fallere, & in errorem alios trahere potuit, Vigilius nondum Pontifex; Pontifex,

Aſtruitur Vigilius ab impoſturis calumniatorum

Action. 18.

Errare potuit Vigil. nondū verus Pontif.

in alium virum à canonica electione mutatus, nec voluit, nec potuit: quin potius, Conſtantinopoli agens, aduerſus Theodoram Auguſtam auctoritate Pontificia inſurgens, excommunicationis ſententia eam perculit, eademque pœna omnes hæreticos Acephalos, Seuerianos, & Eutychianos affecit, vt memorat ſanctus Gregorius. De tribus Capitulis, quod res de perſonis, non de Fide, cum Catholicis, non aduerſus hæreticos ageretur, pro varietate emergentium Eccleſiæ neceſſitatum, variè primum ſenſit: donec in Quinta Synodo, propter grauiſſimum quod metuebatur Orientalium ſchiſma, condemnaſſet. Facundus Hermianenſis in Africa Epiſcopus, & alij trium Capitulorum defenſores, malè Vigilium ſuggillabant, quaſi is ob timorem Imperatoris à cæptis reſilijſſet, & damnationi ſubſcripſiſſet: immemores ſummæ Vigilij conſtantiæ, cuius ſpecimen inſigne edidit, vbi non cum Catholicis, ſed pugnandum ſibi fuit aduerſus hæreticos, cum quibus ſciret minimè eſſe diſſimulandum.

Lib. 2. epiſt. 36.

Res eſt. Patres Synodi Calcedonenſis, Theodori Mopſueſt. præconia recitata audiuerant, & Ibæ epiſtolam in nonnullis receperant, atque Theodoretum, quod in communionem Catholicam rediſſet, & ſcripta aduerſus Cyrillum retractaſſet, laudauerant. Aliqui poſtmodum, conſultum eſſe dignitati Concilij Oecumenici volentes, quod minimè perſpicuum fuerat declarabant; ſcilicet non propterea debere inſerri, quaſi Patres illius Concilij, ſcripta Theodori, Ibæ & Theodoreti, quæ errores inſertos haberent, approbaſſent. Itaque cum Theodorum ex ſuis ipſius ſcriptis fuiſſe hæreticum demonſtrarent, pariterque damnarent; itemque Ibæ epiſtolam, ob blaſphemias in ea contentas, vt hæreticam reprobarent: ac denique Theodoreti, aduerſus Cyrillum ſcripta reijcerent, tria illa Capitula damnabant. Pelagius, & ante illum Vigilius, conſenſu Patrum Quintæ Synodi adductus, Iuſtinianus Imperator, & complures alij, eam ſententiam ſecuti ſunt: maximè quod ferè vniuerſus Oriens, hæc tria Capitula condemnaret. Occidentales porrò, honori Patrum eiuſdem Concilij Calcedon. magis ſe conſulturos putantes, eadem tria Capitula defendebant: quod exiſtimarent, à damnatione illorum, veluti per cuniculos aditum patefactum videri, ad inuadendum Calcedon. Concilium: cum, quæ in eo acta eſſent, iterum ad examen reuocarentur. præterea, quod ſi concederetur, vt in communione Catholica defunctus aliquis poſſet damnari, pateret oſtium vt ex ſuis ſcriptis vnuſquiſque Eccleſiæ ſcriptor, poſt obitum ſæpe poſſet, vt hæreticus condemnari: cum haud facilè ſit reperire aliquem, qui quantumlibet titulo ſanctitatis, atque doctrinæ refulſerit, non ſit erroris arguendus. Itaque ne damnarentur, tum ſcriptis, tum voce, obſiſtebant.

Narratio de tribus Capit. ex qua apparet Vigilij PP. defenſio.

Africana, & aliæ Occidentales Eccleſiæ, eius ſententiæ fuerant. Eas Eccleſias, cum ſchiſmate diuidendas fore metueret Vigilius, ſi contra 3. Capitula in priori ſententia perſtitiſſet, Conſtitutum pro tribus Capitulis edidit, & publicauit. Sed cum poſtea grauiori damno, vniuerſum Orientem ab Eccleſia

Roma-

Romana propterea diuiſum cerneret, ſententiam mutauit, & Patribus Quintæ Synodi conſenſit, haud magis arguendus, vel erroris, vel leuitatis, quàm Paulus Apoſtolus veritatis, cum poſtquam de abroganda circumciſione ſuffragium tuliſſet, deindè noua ſuborta cauſa Timotheum circumcidit: ac rurſum priora ſecutus, Petrum ad tempus diſſimulantem redarguit, pro ratione temporis circumſtantiarum omnibus omnia factus vt omnes lucraretur. Sic & Vigilius, nouis emergentibus cauſis, in re quæ nihil præiudicij afferre poterat Orthodoxæ Fidei, ſententiam ſæpè mutauit, & quintæ Synodo ſubſcripſit, hac etiam vrgentiſſima ratione adductus, ne ſi eam damnaſſet, videretur Originis erroribus aliquo modo fauiſſe. Namque in ea rata habita eſt damnatio Origenis, & eius errorum, qui tum temporis in Oriente inualeſcebant magnopere.

Defenditur ſimiliter Deodatus PP. à calumniatoribus ratione cognationis ſpiritualis.

Deus dedit Pontificem, Nouatores criminantur, quaſi is primus decreuiſſet, ac decernendo errauiſſet: *ne parentes, qui proprios filios etiam ignari ſuſcepiſſent ex baptiſmo, amplius in ſocietate iugali vna viuerent, ſed vt fieret ſeparatio, & mulier dotem reciperet, ac poſt annum alteri nuberet*. Cæterum, quod affinitatem ſpiritualem attinet, non primus Deodatus, ſed ante eum Iulius, Innocentius & Cæleſtinus, à primitiuæ Eccleſiæ, martyrum vſu docti, eam accepere: quemadmodum Deodatus iſtis verbis confitetur. *Inuenimus*, inquit, *in Archiuis huius Apoſtolicæ Sedis iam multa contigiſſe Eccleſiæ Iſauriæ: & Epheſiorum ſimulque Hieroſolymæ, & etiam aliarum Ciuitatum: Epiſcopis etiam earum Ciuitatum, ab hac Apoſtolica ſede volentibus ſcire, ſi viri & mulieres redirent ad proprium thorum. Beatæ memoriæ Sanctiſſimi Patres, Iulius, Innocentius, & Cæleſtinus, cum Epiſcoporum plurimorum, & Sacerdotum conuentu, in Eccleſia B. Petri Apoſtolorum Principis prohibentes, talia præſcripſerunt; vt nullo modo iam in coniugio ſe reciperent mulieres, aut viri, qui quacunque ratione ſuos ſuſceperunt natos, ſed ſeparent ſe: ne tale vitium peccati innoteſcat per mundum, & vniuerſorum error acreſcat*. Hæc Deus dedit reſcribebat ad ſuperiores Pontifices, vſque ad Iulium, referens originem. Huius porro Iulij temporibus, qui extremis Conſtantini Magni annis Sedi Apoſtolicæ præfuerat, ſi hoc in Eccleſia ſeruabatur, profectò ita antiquum eſt id, vt ad primitiuam Eccleſiam martyrum pertinere videatur. Itaque falſi Nouatores, qui ſpiritualis cognationis ad Deodatum referunt originem. Falſi, & in extrema ſanctionis, iſta, *ac poſt annum alteri nuberet* particula: cuius, nec Gratianus, nec Iuo, nec Platina, neque aliquis antiquorum, ſed nec liber Pontificalis meminerit, ſed eam aliquis male ſartor aſſuerit. Neque minùs falſi, in recitando decreto, ex quo vt aliquid monſtri exiſteret, ſublatis medijs, ita extrema coniunxerunt, vt aliam omninò, planèque alienam ſententiam reddiderint, vt Andreas Eudæmon, Ioannes Cydonius Societatis Ieſu Theologus detegebat. Sic enim Centuriatores canonem reddiderunt. *Decretum fecit, ne liceret eam ducere, quam quis ex ſacro fonte leuaſſet, Ne parentes, qui proprios filios ex baptiſmo, etiam ignari ſuſcepiſſent, amplius in ſocietate iugali vna viuerent: ſed vt fieret ſeparatio, & mulier dotem reciperet, & poſt annum alteri nuberet*. At in decreto Papæ Deus dedit, duo continentur. Alterum, quod iubentur ex ſuperiorum Pontificum reſponſis, quo ad thorum, coniuges ij ſeparari, qui filios ſuos è ſacro fonte ſuſcepiſſent.

Explicatio decreti Deodati PP.

Prohibentes, inquit, *talia perſcripſerunt, & confirmarunt, vt nullo modo iam in coniugio ſe reciperent mulieres aut viri, qui quacunque ratione ſuos ſuſceperunt natos, ſed ſeparent ſe, ne ſuadente diabolo tale vitium peccati inoleſcat per mundum, & vniuerſorum error accreſcat*. Altera eius decreti pars eſt de ijs, qui ſuſcepto alterius filio, ex baptiſmo cognationem cum parentibus eius ſpiritualem contraxerunt. Namque eos vetat cum ſuſcepto parente matrimonio coniungi. Quod ſi matrimonium fortè contraxerint: quod contractus ille irritus planè ſit, ad pœnitentiam atque ad diuortium excommunicatione compelli, ac mulierem repetita dote poſt annum alteri nubere, virum item alteram ducere ſi voluerit. Poſterioris huius partis hæc verba ſunt.

Scitis, quia quomodo ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, ita ſunt ſeptem dona baptiſmi, à primo pabulo ſacrati ſalis, & ingreſſus ſanctæ Eccleſiæ, vſque ad confirmationem Spiritus ſancti per chriſma. Ab hoc primo Spiritus ſancti dono, vſque ad ſeptimum, nullus Chriſtianus Commatrem ſuam in coniugio recipere debet, & qui præſumpſerit, anathematis vinculo religetur in perpetuum, niſi pœnitentiam egerit dignè. Mulieres vero cum ſeparatæ fuerint, pro hac illicitate à proprijs viris, totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt: & poſt annum expletum, recipiant alterum virum: ſimiliter & vir vxorem. Quamobrem, vt in canone confingendo, ita etiam in originatione cognationis Deodato aſſignanda falſi ſunt, non minus, quàm in alio errore, quem Bonifacio V. affinxerunt.

Redarguitur Brightmannus mendacij contra Bonif. V.

Thomas Brightmannus Anglus, Caluiniſta, hæc in Apocalypſeos Apocalypſi mentiebatur. *Bonifacius V. adiunxit*, inquit, *nos per Chriſtum, ab originali tantum peccato liberatos eſſe: Legem nihil amplius à nobis requirere, quàm quod viribus noſtris vel ſaltem adiumentorum diuinæ gratiæ præſtando ſumus*.

Brightmannus à Centuriatoribus imponere doctus, hæc Bonifacio Quinto affinxit. Namque illi de ſuo, hanc voculam *ſolo* Bonifacio adiunxere: cum hic Eduino Anglorum Regi ſcribens, non habeat nec *ſolo*, nec *tantùm*. Iſta habet: *Accedite ergo ad agnitionem eius, qui nos creauit; qui in vobis inſufflauit ſpiritum, qui pro veſtra redemptione filium ſuum vnigenitum miſit, vt vos ab originali peccato liberaret*.

Hæc Bonifacius Quintus, qui quod aliorum peccatorum non meminerit, cauſa fuit, quia peccatum originale eſt principale, & propter quod delendum, principaliter Chriſtus mortuus eſt. Vndè, quod nos, *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, legimus, Græcè habetur, Τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, id eſt peccatum illud mundi, hoc eſt peccatum originale, quod vnum ſolum commune eſt toti mundo.

mundo. Nam plurimi nullum aliud peccatum habent, vt pueri. Altera pars, nimirum, *nihil aliud à nobis exigi, quàm quod vel naturæ viribus, vel Deo adiuuante præſtare poſſimus*, Catholicum dogma eſt, iam olim ab Origene, Baſilio, Chryſoſtomo, Cyrillo, Hilario, Hieronymo, Auguſtino, & Patribus Concilij Arauſicani ſtabilitum, non primo à Bonifacio inuentum.

Aſtruitur pariter & Honorius PP. ab iis qui hæreſim Monoth. ipsũ probaſſe falſo aſſerunt.

Falſi etiam ſunt omnes, qui Honorium Pontificem, vel falſum fuiſſe, vel alios feſelliſſe, vel in Sexta Synodo à Patribus damnatum eſſe affirmant: quaſi is hæreſim Monothelitarum probaſſet, atque de duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus, dogma Catholicum reprobaſſet. Res eſt, Athanaſius Iacobitarum hæreticorum Patriarcha, cum apud Heraclium Imperatorem de fide verba habuiſſet, Antiochenum Patriarchatum in præmium ab Imperatore acceperat, ſi Calcedonenſi Concilio ſubſcripſiſſet. Vir acris, ſed nequam ingenij, vt omnibus Orientalibus dominaretur Eccleſijs, ſtatim ac pollicitationem accepit, Catholicæ fidei ſe aſſertorem ſimulauit, & vafre duas in Chriſto naturas confeſſus, verbis doloſis vnicam tantùm Chriſti voluntatem Imperatori inſinuauit, adeòque hominem decepit. Cyrus Phaſidis Lazorum Metropolitanus, poſtea ad Patriarchium Alexandrinum translatus, & Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus, eiuſdem cum Athanaſio ſententiæ, in errore magis confirmarunt Imperatorem; vt iam triplici funiculo tertio Patriarcharum vinctus, miſerrimè corruerit, multiſque calamitatibus Eccleſiam affecerit. Inuentum iſtud fuit improbrorum Eutychianorum. Quod enim totus fermè Oriens, quamplurimis hæreticis, & inter hoc Neſtorianis, & Apollinaritis ſcateret, illi commenti ſunt vnicum dogma, in quod omnes nominati hæretici pariter conuenirent, ſicque pax inter eos ſanciretur: dum vnica tantùm in Chriſto voluntas eſſe affirmaretur. In id enim conueniſſe Apollinariſtas, certùm eſt, qui locò animæ vel intellectus, Verbum in Chriſto ponerent: itemque Neſtorianos, qui conſtituerent vnionem Dei & hominis, ſecundum ſolùm affectum & voluntatem: & Eutychianos, qui vnam in Chriſto naturam aſſererent. Quapropter res ita ſe habebat, vt pulchro pacis velamine, error impius obtegeretur, & extirpatione hæreſis, ipſa illa propagaretur: cum Monothelitæ ſe Calcedonenſis Concilij defenſores, hæreſim verò tam Neſtorij, quàm Eutychetis, Apollinaris, & aliarum euerſores affirmarent: eorum tamen conatus de vnica voluntate, ad tollendam duarum naturarum in Chriſto vnitarum differentiam, & ad inſtaurandam hac via hæreſin Eutychianam, ac denique ad ſociandos ſibi alios Orientales hæreticos tenderent. Sergius & Heraclius, multò tempore, apud ſuos Catholicorum nomine perſeuerarunt, nec niſi poſt multos annos eorum vafricies fuit detecta. Detegendi occaſionem dedit, Cyrus Patriarcha Alexandrinus. Is enim ſimulato prætextu, quod omnes Ægyptios hæreticos, Catholicis poſſet coniungere, ſi *duarum voluntatum, & duarum operationum* voces ſupprimerentur, & *Dei virilis voluntas & operatio* diceretur, ex qua duarum in Chriſto naturarum exacta profeſſio ederetur, qua etſi non voces, res ipſæ tamen expreſſæ haberentur, Synodum Alexandriæ habuit, & nouem capitulis totum dogma complexus, Sergium, vt illud probaret adduxit. Sophronius monachus, poſtea Hieroſolymitanus Patriarcha primus errorem detexit, & tum Cyrum, vt illa capitula aboleret, tum Honorium Romanum, tum Sergium Conſtantinopolitanum, ne ea probarent admonuit. Sergius quoque litteris Sophronij excitatus, Honorio, omnia hactenus acta ſignificauit, ſimulque inſtaurauit, optimum fore ad pacem inter omnes Hæreticos conciliandam, ſi de nouis eiuſmodi vocibus, *vna* vel *duabus voluntatibus & operationibus*, ab vtraque parte omninò taceretur. Hæc, quia nihil habere aduerſarium, Concilij Calcedonenſis *de duabus in Chriſto naturis indiuiſe & inconfuſe coniunctis*, aſſertioni contra Eutychetem promulgatæ viderentur: non potuerunt ab Honorio recuſari: præſertim quod Sergius in ſuis Honorium ad litteris, eandem Concilij Calcedonenſis Orthodoxam doctrinam, & S. Leonis epiſt. profeſſionem inſeruerit; ac demum Honorij cenſuræ ſeſe ſubijcere teſtatus ſit; dicens: *ſi quid ipſe minùs vel amplius in ijſdem ſuis litteris dictum eſſe cognouiſſet*: quodque dum hæc ſcriberet, ne leuis quidem ſuſpicio hæreſis de Sergio eſſet, quem omnes iſto tempore, non tantùm Orthodoxum credebant, ſed & magnæ æſtimationis Epiſcopum habebant; adeò vt Sophronius, multa in eius laudem, tunc ſcripſerit, & preces illius vehementius popoſcerit. Præter hæc, non poterat culpæ adſcribi de vtraque voce ſilentium, imò laudari potiùs debuit; quod & velut pacis ſignaculum eſſet appoſitum; & alioqui, omnis vocum nouitas ſoleat eſſe in Eccleſia ſuſpecta; & ſatis ſuperque conſultum fidei Catholicæ, de Verbi Dei incarnatione videretur, ſi quis in Chriſto duas confiteretur naturas, indiuiſè, inconfuſè, & inconuertibiliter coniunctas. Sed & neque eo res progreſſa, vt non ſine ſcandalo, hæ nouæ voces, de *vna* vel *duabus voluntatibus & operationibus* prætermitti poſſent. Namque Monothelitæ, nondum ſeſe ad plenum prodiderant; ſed Catholicorum nomen & communionem præferebant; donec Conſtantinus Imper. *Typum* ab eis fabricatum publicaſſet. Itaque & Sophronius, quamuis Cyro reſtiterit, Sergio tamen, propter bonum pacis, eiuſmodi vocum ſilentium ſuadenti, acquieuit: neque tamen vel minimam hæreſis ſuſpicionem, ob eiuſmodi conſenſionem vnquam adductus fuit: & Honorius his omnibus rectè conſideratis, ad Sergium tanquam ad hominem Catholicum, & valdè pium, reſcripſit, atque paria ſe cum illo *de nouarum vocum ſilentio*, non autem de *vna voluntate aut vna operatione* ſentire ſignificauit: clariſſimè profeſſus: *Vnum operatorem diuinitatis & humanitatis Chriſtum Ieſum. hoc eſt, ipſum in vna ſubſiſtentem perſona, operatum, ſecundum duplicem operationem duarum naturarum, humanæ atque diuinæ.* Rem ipſam apertiſſimè enunciauit; cuius nouas voces, ob iam exorta ſcandala, & propoſitam futuram pacem, meritò tunc

Rei geſtæ narratio.

Ext in 6. Syno. artic. 12.

reti-

Cyro Patr. Alex. hæreſia ab Honorio PP. ſilentium impoſitum.

reticendas putauit. Cumque Cyrus temerarius, pręter id, de tacendis ab vtraque vocibus controuerſis conſtitutum, nimis procaciter vnam in Chriſto iactaret voluntatem, Honorius non ſegniter agens, Cyro talia prędicanti ſilentium impoſuit: impoſitioneque de voce vtraque, tam vnius, quam duarum voluntatum, & operationum, ſilentij, quam prudentiſſimè heręſim deſtruxit, definiens, pro vna operatione oportere vnum operantem Chriſtum Dominum in duabus naturis veridicè confiteri, & pro duabus operationibus, ipſas potius duas naturas, id eſt, diuinitatis, & carnis aſsumptę, in vna perſona Vnigeniti Dei Patris, inconfusè, indiuisè, atque inconuertibiliter prędicare propria operantes.

Non vnitatẽ operationis, ſed operantis definijt Hon. PP. confiten.

Inſinuauit planiſſime, non conuenire perſonæ vnitatem operationis, ſed operantis: quemadmodum, & Ioannes Damaſcenus de his agens, docet non dici poſſe ratione vnius perſonæ vnam voluntatem, ſed vnum volentem; ſicut nec vnam operationem, ſed vnum operantem, in duabus ſcilicet naturis: quas dum Honorius aſſeruit, indiuiſe, inconfuſe, atque inconuertibiliter coniunctas, duas planè neceſſario introduxit voluntates atque operationes. His, nihil magis Catholicum, nihilque illis temporibus ad pacem Eccleſiarum conſeruandam, dici potuerat vtilius. Falſi itaque olim Sergius, Pyrrhus, ac Paulus, alijque Monothelitæ, qui ex epiſtola Honorij ad eundem Sergium data, quaſi is vnam voluntatem in Chriſto aſſereret, & duas negaret. Namque clariſſimè, quemadmodum duas naturas, ſic etiam duas voluntates Chriſto attribuit: alteram ſcilicet diuinam, alteram humanam. De *humana*, cum à Sergio, *num in Chriſto eſſent duæ voluntates contrariæ*, interrogaretur, reſcripſit: non eſſe duas contrarias, quemadmodum in nobis poſt peccatum, nempè vna carnis, altera ſpiritus. Namque in Chriſto caro nihil abſolutè appetebat contra rationem. Itaque ſi duas voluntates contrarias pernegauit, & vnam tantum voluntatem ſpiritus Chriſto aſſignauit, de *humana* intellexit, præter quam, aliam *diuinam* in Chriſto agnouit: vt Ioannes Papa Imperatori Conſtanti demonſtrabat, & Sanctus Maximus Martyr eiuſdem ſeculi ſcriptor defendebat.

Pergit author Hono. PP. ab impoſturis calumniatorum tueri.

Falſi & illi, qui Honorium propterea quaſi is in epiſtola ad Sergium ſcripta. errorem illius *de vna voluntate* probaſſet, in ſexta Synodo, damnatum mentiuntur. Extant adhuc Honorij ad Sergium, Dei magno beneficio integra conſeruata ſcripta: ex quibus vnuſquiſque an Honorius impia Sergij dogmata probauerit, probè poteſt cognoſcere, & impoſturam de illius damnatione Synodica detegere. Extat etiam adhuc in actis ſextæ Synodi, Sophronij ad Sergium Conſtantinopolitanum, eodem argumento quo Honorij ſcripta epiſtola, in Patrum conceſſu lecta, & approbata, mirum vt ſit, vnum fuiſſe damnatum, alterum vt Orthodoxum ſalutatum, propter eiuſdem argumenti pares epiſtolas. Extat & ſententia Synodica in errones promulgata: in qua ſancta Synodus profitetur illorum hæreticorum damnationem ſuſcipere, quos Agatho Pontifex in Epiſtola ad Imperatorem prædamnarat.] At tantum abeſt, vt in ea Agatho Honorium prædamnauerit, vt contra ſæpius confidenter affirmauerit: *Apoſtolicam Sedem Romanam, nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexiſſe, nec hæreticis nouitatibus ſuccubuiſſe. aut à tramite Apoſtolicæ traditionis deuiaſſe; omneſque eiuſdem Eccleſiæ Pontificis ipſius Agathonis prædeceſſores, ſemper, & in proſperis, & in aduerſis ſynceram fidei regulam viuaciter tenuiſſe ac defendiſſe: ſed & viriliter aduerſus quaſcunque hæreſes, ac præcipuè contra iſtam Monothelitarum inſurrexiſſe: adeo, vt non aliud permiſerit Legatis ſuis ad Synodum Oecumenicam miſſis definire, quam ſecundum traditionem Apoſtolicæ Sedis, vt ab ijſdem prædeceſſoribus ſuis Pontificibus inſtituta eſſet*, quæ omnia adeo intrepide proferre non eſſet auſus Agatho, ſi Honorius de hæreſi ſuſpectus nuperrimè innotuiſſet. Extat & Conſtantini Pogonati Imperatoris, & Synodi ſextæ ad Concilium Romæ congregatum epiſtola, in qua Agathonis ad ſe datam miris laudibus vna cum Patribus effert; commendat, atque eam ſe, ac totam Oecumenicam Synodum, quod eſſet omnino conſentiens veritati ſuſcepiſſe ſcribit, quod neque Imperator neque Synodus feciſſet, ſi Honorius ſententia Synodica condemnatus fuiſſet. *Porro, quo ad nomen Honorij* in actis vulgatis ſextæ Synodi attinet; *Theodorus* Conſtantinopolitanus Epiſcopus Monothelitarum ſocius, antequam Synodalia acta vulgarentur, aut etiam Romam mitterentur, cum ſuum nomen inter hæreticos à Synodo damnatos, in ijs actis deſcriptum reperijſſet, Catholicus volens videri, illud eraſit, & pro ſuo nomen Honorij ſcripſit: multiſque in locis acta Synodica, & præſertim in eo, quaſi Honorius in epiſtola ad Sergium, ipſius erroribus adhæſiſſet, & propterea à Synodo damnatus fuiſſet, vitiauit: cum tamen in eadem epiſtola, ſi iudicium redintegraretur, nihil tale poſſit inueniri. Voluit impoſtor, & falſarius, lituram hanc & alias, nomine Honorij inſerto reſtituere, tum vt ſeipſum numero damnatorum eximeret, tum vt leuiorem Monothelitarum ſuorum culpam, quaſi exemplo Romani Pontificis quem ſequi deberent ipſi peccaſſent, leniorem redderet. Accedit, pro innocentia Honorij, quod is Heraclium Imperatorem, vt Pyrrhum Patriarchã Conſtantinopolitanum Monothelitam ſede deiectum in Africam relegaret, poſtularit: neque vllus Catholicus Epiſcopus nedum Eccleſia vel prouincia tota, ab eius communione ſeſe vnquam ſegregauerit: quinimo Romæ, & in toto orbe Catholico pro Orthodoxo habitus fuerit; cum tamen eo tempore, quo *Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus Synodicam direxiſſet ad Apoſtolicam Sedem iuxta conſuetudinem, & nec operationes, nec voluntates in Chriſto declararet, accenſus populus vel clerus proiecit eam, vt etiam nec Eugenium Papam dimitteret Miſſas celebrare, niſi promiſiſſet minimè eam Synodicam velle ſuſcipere.* Honorio Papæ ſemper communicauit, atque eius memoriam, Eccleſia honorificè cuſtodiuit, ipſumque in Orthodoxæ fidei obſeruatione perſeueraſſe ſemper prædicauit. Libet Agathonis Papæ, ad Conſtantinum Quartum Imperatorem verba attexere, quæ ſunt ipſa ipſiſſima.

Origo impoſturæ à Theo Conſt. Epiſc. Monothelita Baro. an. 681.

Pontificale in vita Eugen.

Litteræ Agathonis pro defenſione Honorij PP.

Hæc, inquit, *Apoſtolica Petri Eccleſia, nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt: cuius authoritatem (vtpotè Apoſtolorum omnium Principis) ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes in cunctis ſecutæ ſunt, omneſque venerabiliter Apoſtolicam eius doctrinam amplexi.*

Hæc eſt vera fidei regula, quam in proſperis, & in aduerſis vinaciter tenuit ac defēdit, hæc ſpiritualis mater veſtri tranquilliſſimi imperij Apoſtolica Chriſti Eccleſia: quæ per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit: ſed vt ab exordio fidei Chriſtianæ percepit, ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata fide tenus manet: ſecundum Saluatoris pollicitationem, Ego pro te Petre rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Hæc Imperatori Agatho ſcribebat, non minus verè, quam conſtanter, id quod prædeceſſorum ſuorum temporibus euenerat prædicans, & futura prænuncians. Vel in ea Monothelitarum controuerſia, euidens eſt, Pontifices Romanos, à ſubdola hæreticorum verſutia minimè falli potuiſſe.

Seuerinus P. Ecteſi Heraclij minimè falſus.

Honorio defuncto, Heraclius Imperator, ſemel à Deo auerſus, & animo induratus, ad ſtabiliendam eam hæreſin, edictum, quod *Ecteſin*, id eſt, *expoſitionem* nominauit, promulgauerat; impiam quidem illam, ſed ita concinnatam, vt fallere poſſet quempiam incautum. Eam probandam, Seuerino Pontifici Romano miſit: qui tantum abeſt, vt decipi potuerit, vt etiam fallacias perſpexerit, & vna cum vniuerſo Clero Romano negotio communicato, ecteſin deteſtatus, anathemati ſubiecerit, & neque falli, nec fallere ſciens, pſeudoſynodum, à Sergio Conſtantinopolitano, pro impio edicto confirmando celebratam damnauerit: clariſſimo argumento, non Patriarchis, non cœtibus, ſed ſoli Romano Pontifici, *infallibilitatis priuilegium* à Chriſto eſſe collatum: cum in hoc de vna voluntate edicto, trium Eccleſiarum Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, & Conſtantinopolitanus, vna cum Imperatore, atque vniuerſo fere Oriente, non ſemel in Synodis coeunte, errauerint.

Ext. in Synodo Lateran. ſub Martino.

Non minus clarum eſt, quod adiungo. Cum ab auctoritate Apoſtolicæ ſedis, omnes Eccleſiæ Occidentales, hereſim Monothelitarum deteſtarentur, maximè quod & Ioannes Seuerini ſucceſſor, ecteſin Heraclij condemnaſſet; & Heraclius Imp. propter eam exécrabilis omnibus factus, ſuam eſſe negaſſet, auctoremque illius Sergium Conſtantinopolitanū, qui nomine Imperatoris ediderat, indicaſſet, Pyrrhus Conſtantinopol. S. Maximi diſputationibus conuictus, Romam concedens, oblato fidei Catholicæ libello Theodoro Papæ, eandem hæreſin eiuraſſet, Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ex litteris Theodori, & Africanorum Conciliorum ad ſe datis, vniuerſam Occidentalem Eccleſiam aduerſum ſe concinnatam perſpiciens, hæreſiſque Monothelitarum damnationem publicè in valuis affixam eſſe videns ad dolos conuerſus, auctor fuit Imperatori Conſtanti, edictum, quod

Theodori PP. perſpicacitas qua, & vſus Martinus ſucceſſor

Typum vocarunt, proponere: in quo quidem, ſpecioſo pacis nomine prætenſo, ſilentium, non iam de *vocum, vnius vel duarum voluntatum, & operationum*, quod Honorius prohibuerat, ſed de tota controuerſia, tum ijs qui vnam, quam his qui duas voluntates, & operationes in Chriſto aſſererent, imponebatur: ea caliditate, vt aliquo modo, vel ſaltem ſilentio, de duabus voluntatibus, & operationibus in Chriſto, ſententia damnari videretur: & Chriſtus, non ſolum in humana eius natura, ſed etiam in vtraque, omnino ſine voluntate, & operatione, hoc eſt, abſque natura & eſſentia eſſe denunciaretur; atque ea via, hæreſis Manichæorum introduceretur. Theodorus Pontifex, ſtatim atque hæc omnia, & Pyrrhum quoque relapſum eſſe cognouiſſet, collecta Romæ Synodo, verſutias hæreticorum detexit, neque amplius eſſe locum, *ſilentio vocum*, animaduertens, Monothelitarum fallacias, quæ tempore Honorij antecesſoris necdum apparuerant, aperuit: duas in Chriſto voluntates, & duas operationes neceſſariò confitendas eſſe edixit, atque eos qui vnam tantum, vel voluntatem, vel operationem Chriſto aſſignarent, adeoque & Paulum, & Pyrrhum eiuſdem Eccleſiæ olim Patriarcham in errorem relapſum, tanta diritate anathematis gladio percuſſit, vt ad ſepulchrum Principis Apoſtolorum accedens, de ſanguine Chriſti ex calice deſtillato in atramentum, depoſitionem Pyrrhi excommunicati conſcripſerit: exemplumque Martino ſucceſſori reliquerit, qui ſtatim inito Pontificatu, perfidiam Imper. & hæreticorum reuelauit, & tam Typum Imperatoris ex fallacijs conſutum, quam Sergium, Pyrrhum & Paulum Conſtantinopolitanos præſules, & Cyrum Alexandrinum, & reliquos verſipelles hæreticos Eccleſiaſticæ cenſuræ addixit, Patrum Concilio ad eam rem conuocato. Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, & Sergius, Pyrrhus ac Paulus Conſtantinus Epiſcopus vna cum impijs ipſorum ſcriptis, nec non Ecteſis Heraclij, & Typus Conſtantis Imperatoris huic gladio Eccleſię ſuccubuere, euidentiſſimo documento, Pontificibus Romanis fruſtra fucum obtrudi: quod illorum oculus, Aquilinus ſit oculus, etiam vltra terminos Oceani olida quæque perſpiciens, atque perſentiens. Habuit Sanctus Maximus Martyr, propterea hæc Marino Diacono de Eccleſia Romana, ſcribere: *Omnes termini terræ*, inquit, *& quicunque vbique terrarum Chriſtum Dominum pura mente, & Orthodoxa fide confitentur, quaſi ad ſolem æterni luminis ad Sanctiſſimam Romanorum Eccleſiam, & eius confeſſionem, & fidem intenti, reſpiciunt: ex ipſa rutilantem ſplendorem recipientes ſpiritualium, & ſanctorum dogmatum: quemadmodum, ſex illæ ſanctæ Synodi diſertis verbis, & magna cum religione expoſuerunt, apertiſſimè pronunciantes fidei Symbolum. Ab initio enim aduentus incarnati Verbi, vniuerſa vtique terrarum Chriſtianorum Eccleſiæ, à Sancta Romanorum Eccleſia originem habuerunt, & fundamentum ſolum, & maximum, contra quod nullo pacto portæ inferi præualebunt, iuxta ipſiuſmet Saluatoris promiſſionem, vt habet ſcilicet Claues, Orthodoxa in ipſum Fidei, & Confeſſionis, & aperiat illis, qui*

Ext. in Synodo Lateranenſ. ſub Martino, & Theophanes in Miſcellan.

Elogium S. Maximi de Eccleſ. Rom.

Extant in Codic. Vatican. num. 333. 336. 337.

ad ipſam

ad ipſam Romanam Eccleſiam cum pietate accedunt, veram, & realem, & ſolam pietatem quærentes: eſt claudat è contra, & obſtruat omne os hæreticum, quod loquitur iniquitatem in cœlum. Hæc S. Maximus: qui propter confeſſionem fidei lingua imminutus, lingua reciſa, articulate locutus eſt: & poſtmodum in exilio concluſus: & die obitus diuinitus præcognito, defunctus, tres lucidas faces ingenti ſplendore illuſtratas à cœlis promeritus inque martyrum album, tam ab Orientali, quam ab Occidentali Eccleſia inſcriptus, Orthodoxæ fidei, & paternarum traditionum in omnibus vſque ad mortem cuſtos tenaciſſimus, atque etiam Romana Eccleſia obſeruantiſſimus, de Eccleſia Romana ſcribebat; quod præter veterum Pontificum, vſque ad annos Domini 657. Romæ ſuccedentium, etiam ſui temporis, Honorium, Seuerinum, Ioannem, Theodorum, Martinum, Eugenium, Vitalianum Pontifices, antiquæ Fidei retinentes, nec falli, nec fallere poſſe, vbi de rebus Fidei, aut morum ſcita hiſcenda ſunt, cognoſceret.

De S. Maximo.

Defenditur Leo 2. à calumnijs.

Leonem II. aliqui producunt, quaſi is, Imperatori Conſtantino IV. & Eruigio Regi atque Epiſcopis Hiſpaniæ ſcripſiſſet, & Honorij damnationem ſæpius repetijſſet, adeoque in alterum contrariorum incidiſſet: nimirum, vel Honorium anteceſſorem, per iniquiſſimam conditionem, neceſſitate temporum coactus, damnaſſet: vel acta legitima ſextæ Synodi, & quæ de ſcriptis Honorij tum Maximus, tum Ioannes Pontifex cenſuerant ignoraſſet. Cæterum, & hi omnes falſi, quod plurimis, euidentiſſimis argumentis appareat, illas Leonis II. epiſtolas, adulterinas eſſe: adeoque indignas, quæ olim, & in tom. 2. epiſtolarum Romanorum Pontificum, & in 3. tom. Concil. circumferrentur: quemadmodum Cardinalis Baronius ſatis abundè demonſtrabat. Enimuero Honorius, neque macula hæreſeos tinctus, neque in Synodo condemnatus fuit, aut vero condemnari potuerit, vt ſuperius oſtendimus.

Io. item VII.

Ioannem etiam VII. alij adiungunt; quem potius Apoſtolici ſpiritus hæredem, aduerſus omnes Imperatorum, & Epiſcoporum Orientalium Epiſcoporum contra fidem, & morem Eccleſiaſticum conatus prudenter reſiſtentem, & pericula Eccleſiæ præuertentem, ſummis laudibus attollerent. Græcorum artes, huic vni rei valde nimis laborabant, vt Eccleſiam Romanam ſibi aliquando ſubijcerent, inque communionem errorum detraherent. Itaque cum tyrannicæ Romanorum Pontificum confirmationi, Imperatores tandem renunciaſſent, alia via iugum imponere voluerunt, ſcilicet vt Orientales in collegium S.R.E. clericorum allegerentur, ex quibus, opera Exarchorum, crearentur Pontifices, erronibus futuri aſſentientes, & in errorem alios trahentes. Creatus fuit Ioh. VII. natione Græcus, Platonis filius: ſed tamen ſtatim ab aſſumptione, vno eodemque ſuperiorum Pontificum ſpiritu repletus; adeoque neque falli, nec fallere ſciens. Siquidem cum ad ipſum Iuſtinianus Rhinot. Auguſtus, duos Metropolit. Legatos deſtinaſſet, vt ſancitos Sergij temporibus Conſtantinopoli ſextæ Synodi nomine canones examinaret, & quos Catholicæ diſciplinæ reperiſſet conſentientes condemnaret, cæteros pro arbitrio reijceret; tametſi non iniuſta petitio eſſe videretur; verum tamen fraudem hæreticorum introſpiciens, Concilio Epiſcoporum conuocato recuſauit. Non (quod aliqui accuſant) damnauit: quia tunc temporis, non recepiſſe, ſatis videri poterat condemnaſſe: neque decebat, aut prudentiam Pontificiam, Imperatorem commouiſſe, aut dignitatem Sedis Apoſtolicæ, vel quid minimum, quod in non legitima Synodo ſtatutum eſſet, aut cognoſſe, aut probaſſe. Maximè quod Ioannes, Romam, ab Iuſtiniano eodem Imperatore ideo tranſmiſſum quendam Callinicum haberet, quod is primus auſus eſſet, abſque conſenſu Romani Pontificis, vniuerſale Concilium conuocare, atque in eo contra traditiones maiorum, & Eccleſiaſticam diſciplinam, canones edere. Ne itaque Pſeudoſynodum, pro Synodo legitima reciperet, noluit cognoſcere; recuſauit probare vel improbare; doctus verſutias veteratorum, ipſe aliquando inter eos verſatus, intimè penetrare. Quanquam vero Ioanni VII. Siſinnius I. Syrus, & eo poſt viginti dies repentina morte abſumpto, Conſtantinus I. pariter Syrus ſucceſſiſſet, & Conſtantinopolim ab eodem Iuſtiniano Imperatore accitus, per dolos, & fraudes tentatus fuiſſet, vt aliqua ratione in caſſes Monothelitarum incideret; falli non potuit, & conſtitutiones antiquorum Patrum acerrimè defendit. Alios Pontifices ſuccedentium ſeculorum poſſem adducere, niſi Orbi teſtatum ſit, omnes omnino ſemel traditæ doctrinæ retinentes, vſque ad PAVLVM QVINTVM feliciter ſuperſtitem, aduerſus portas inferorum, qua clam, qua propalam inſurgentes, vigilantiam attuliſſe, & quadrato huic, moueri neſcio fundamentali lapidi firmiſſimè inhæſiſſe: Factum ab hinc, quod.

Græcorum verſutia ſed vana.

Omnes omnino Pontif. Rom. hucuſque ſemel traditæ doctrinæ tenaciter ſemper inhæſerunt

CAPVT XV.

Pontifex Romanus, à nemine mortalium iudicari poteſt.

MOneri, & velut Pater obſecrari poteſt; *quoniam, & ipſe circumdatus infirmitate;* in multis deficere poteſt; iudicari, non poteſt. Paulus quanquam in tertium cœlum raptus, vas electionis ad portandum nomen Domini in gentibus à Deo deſtinatus, tantæ in Eccleſia authoritatis, vt, & in virga ad quoſdam veniret, & nonnullos traderet Sathanæ in interitum, cum alijs verò ne cibum quidem ſumere iuberet; vbi ad Petrum Apoſtolorum Principem, veniſſet, non ei diem ad cauſam dixit, non quicquam iudicij in eum exercuit, non cœtum Apoſtolorum conuocauit, non Principem aliquem aut Imperatorem appellauit contra eum ſed ardentiſſima charitate pro ijs qui ſcandalum patiebantur inflammatus, monere, quamquam non delinquentem, ſatis habuit. Res eſt. In Hieroſolymitano Concilio, Petrus & Paulus, inter ſe partiti fuerant, non quidem populos, neque iuriſdictionem, ſed peculiarem quandam rationem tutelæ nationum: vt Petrus, licet eſ-

Papa moneri & obſecrari poteſt iudicari non.

Paulus Petrum monuit nō iudicauit.

B. Leo ſerm. 3. de ſua aſſumpt.

cet eſſet *de toto mundo vnus electus, qui & vniuerſarum Gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponeretur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen regeret Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus;* tamen ſpeciali quadam prærogatiua, diceretur Apoſtolus eorum qui ex circumciſione, Paulus autem eorum qui ex Gentiliſſimo. Honoris cauſa, datum eſt Petro. Quemadmodum enim Chriſtus ipſe, qui venit omnes homines ſaluos facere, & apud quem non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci, propter excellentiam tituli appellatur à Paulo *miniſter circumciſionis*; eo quod *horum erat*; vt idem Paulus ait, *adoptio filiorum, gloria, teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa; Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.*

Narratur hiſtoria.

Sic tamen dictus eſt miniſter circumciſionis, vt etiam eſſet Paſtor omnium ac Saluator: eodem modo, & Petrus ſic circumciſionis adminiſter eſt appellatus, vt tamen à Domino conſtitutus eſſet vniuerſi gregis Paſtor ac Moderator. Pro hac Paſtorali ſollicitudine, venerat poſtmodum Antiochiam. Ibi, rebus inter Gentiles, & Iudæos ex animi ſententia compoſitis, abſque vlla cuiuſpiam offenſione, cum Gentibus edebat. Acciderat, vt eodem venirent aliqui, Hieroſolymis ab Iacobo miſſi. Tum temporis, Petrus, à Gentilibus Chriſtianis ſe aliquantum ſubtrahens, fidelibuſque Iudæis adhærens, ſe Iudaicè viuere ſimulauit. Huic ſimulationi cæteri qui Antiochiæ erant Iudæi conſenſerant, vſque adeo vt Barnabas Pauli collega idem fecerit, & Gentiles ad id faciendum eodem exemplo quodammodo cogerentur. Cauſa fuit eius facti. Cum enim Petrus in peculiarem tutelam Iudæos ſuſcepiſſet, iuſtum erat, illis magis intimè adhærere, cum eis conuerſari, & ea quæ legis nondum antiquatæ fuerant, præſertim quæ non mortifera cenſebantur obſeruare in præſentia illorum, ne forte tenelli animi eorum nondum à legalibus planè diſſueti, offenderentur atque deficerent. Fecerat, & Paulus ad exemplar. Quanquam enim peculiare patrocinium gereret eorum qui ex Gentibus, tamen cum inter Iudæos fideles venisſet, Iudaicos ritus cum ſibi ad profectum Euangelij viſum eſt opportunum obſeruauit. Timotheum enim ex parte Gentili natum circumcidit: ſibi ipſi iuxta morem Nazaræorum, in Cenchreis caput totondit, ac demum Hieroſolymam reuerſus, antequam templum ingrederetur, ſe vna cum illis purificauit. Tanto promptius erat facere Petro, id omne quod ad ritus non mortiferos ſpectabat, præſertim cum plenaria ſuper vniuerſam Eccleſiam poteſtate fungeretur; nec niſi non adhuc mortua legis obſeruabat, & vtilitas publica id extorquebat, & Eccleſiæ, magis lapſantem, nedum ægre cohærentem pacietem hoc cemento glutinabat, & operi non illicitò operam dabat, nec ſcandalum puſillorum cogitabat, & in gratiam ſuorum clientum, citra præiudicium vniuerſi gregis ſibi concrediti veſcebatur. Verum quia minus perfecti, ex re alioqui iuſta, recta & charitate refecta, præſertim à ſupremò Eccleſiæ Primarcho facta, ad Iudaiſmum deflectebant; ideo Paulum, qui Gentilium curam ſuſceperat, pro

Quomodo Petrus non peccauerit ſe Iudaicè viuere ſimulans.

ſuorum clientum cura ſollicitus, defectionis radicem præſcindere volens, Petro Apoſtolorum Principi, ſine offenſa quantum in eo erat veſcenti, at Gentilibus nonnullam, quam Theologi *paſſiuam*, ſcandali occaſionem, in re ex natura ſua non iniqua acceptam, non ſummouenti, in faciem reſtitit: exemplo memorando, Romanum Pontificem moneri, non iudicari debere. Neque enim Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus poſtmodum de circumciſione diſceptaret, vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe Primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & poſteris ſibi potius oportere, nec deſpexit Paulum, quod Eccleſiæ primus perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit. Iudicari tamen à quoquam non potuit. Soli enim Petro, inter omnes, & in omnes dictum, *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cælis, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis.* Itaque ſolus Petrus, & poſt eum nonnemo Romanus Pontifex, quemadmodum Paſtor, ita, & Iudex eſt omnium Paſtorum, & Iudicum, qui omnes ſolus poſſit iudicio ſuo, vel ligare, vel ſoluere. Solus etiam Romanus Pontifex, eſt omnium Chriſtianorum Monarchus, Mortalium ſupremus, Primæ Sedis quæ à nemine iudicatur Præſul, Chriſti in terris Vicarius, Concilijs iure diuino Prælatus, Auctor & Iudex Conciliorum, viſibilis corporis myſtici Eccleſiæ Caput, Regni cœlorum Regius Sacerdos, neque falli, nec fallere ſciens, omnium Cenſor, ſponſus ſponſæ ſine ruga, & ſine macula, totius ouilis Dominici omnium Agnorum, & ouium Paſtor, Domus quæ columna, & firmamentum eſt veritatis ſupremus Paterfamilias, Ciuitatis ſanctæ de cœlo deſcendentis Princeps, Nauis melioris Nauarchus, & in ſumma, toto iure, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, ſiue ſingulariter diſcretis, ſiue in vnum collectis, tam Imperatoribus, Regibus, Principibus, quam Patriarchis; Epiſcopis, & reliquis Paſtoribus ſuperior. Quamobrem ſicut remiges Nauarchum, ciues Principem, familia Patrem, oues Paſtorem, ſponſa maritum, Leuitæ Sacrorum Antiſtitem, cæci videntem, Ducem, falſi fallere, & falli neſcium, populi aut Proceres Regem, membra caput, cætus ſuum Præſidem, Inferiores ſuperiorem non iudicant ita nemo Pontificem Romanum iudicauerit, omnibus mortalibus iure ſupremo ſuperiorem. Recte, Nicolaus I. Pontifex Michaeli Imperatori opponebat, *Inferior Sedes, ſuperiorem abſoluere non poteſt. Sola ergo potior inferiorem, conuenienter abſoluit. Hinc liquido peruidetur, quia quem non poteſt abſoluere, non poteſt iudicio inferior potiorem ligare. Vnde Propheta ait Iſaiæ 10. Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum, qui trahit eam. Sole clarius exhibuimus, non poſſe quemquam qui minoris authoritatis eſt; eum qui maioris poteſtatis eſt, iudicijs ſuis addicere, aut proprijs diffinitionibus ſubiugare.* Cæterum aſſeruimus, & demonſtrauimus, id quod etiam Thomas Campegius Epiſcopus Feltrenſis aliquando ſcripſit, *Romanum*

Pontif-

Petrus à Paulo monitus.

Petri modeſtia.

Soli Petro ligandi, & ſoluendi poteſtas data. Matth. 16.

Rom. Pontif. excellentia.

Pont. omnibus mortalibus ſuperior. Iudicari à nemine poteſt. In epiſt. ad Michaelem Imp.

De poteſt. Rom. Pontif. 22.

Pontificem ſaperiorem eſſe, aedum ſingulis particularibus Eccleſijs, ſed etiam ipſi vniuerſali Eccleſiæ, ſi de congregatione fidelium ſine Romano Pontifice ſit nobis ſermo, & eadem ratione Generali Concilio vniuerſalem Eccleſiam repræſentanti, ſi contigeret Concilinm à Romano Pontifice diſſidere. Sicut enim minus rectè diceretur, ſingulas oaes Paſtorem habere, non aatem vniuerſas, & ſingulos Regem habere, non antem Reganm, aat populam; ſic nec rectè dici poteſt, ſingulas Eccleſias Caput habere, non vniuerſalem Eccleſiam. Cum itaque Paſtor authoritate, & poteſtate maior ſit grege cuius eſt Paſtor, & Petrus, & eius ſucceſſores Romani Pontifices, Paſtores ſint Dominicis gregis, ex eo qnod dictnm eſt Petro, Ioannis vltimo, Paſce oues meas: *ſabſequitur, Romanum Poatificem, Petri ſucceſſorem fore, vniuerſali Eccleſia, & Coacilio Generali illam repræſentante ſuperiorem.* Propter hanc ſupra Concilia authoritatem; probat, vel reprobat, ſanctiones Conciliorum, præſcribit ſententias Concilijs, abſoluit, & ſuis Eccleſijs reſtituit Epiſcopos, quos ſynodus damnauerat, aut expulerat: ac denique omnia ſolus cum authoritate ſacit, quod Patres, ſynodicè determinant: adeoque ipſos Patres dijudicat, ipſe à nemine mortalium ſed à ſolo Deo iudicandus. Quemadmodum enim terreni Principes, illius ſibi iudicium reſeruant, cui vices ſuas commiſerint; ſic congruere videbatur, Dominum Ieſum, nemini mortalium, aut Priucipum, aut Paſtorum, ſuper Vicarium ſuum, pro cuius fide vt non deficeret orauit, & cui Fratrum confirmationem demandauit dediſſe iudicis poteſtatem, ſed ſibi ipſi ſuper eundem, iudicium reſeruaſſe, quod ipſe clariſſimè in perſona ſerui, quem ſuper familiam ſuam conſtitueret Dominus iudicauit, dicens: *Si autem dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo, Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conſeruos ſuos, manducet autem, & bibat cum ebrioſis, veniet Dominus ſerui illius, in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diaidet eam, partemque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & ſtridor dentium;*

Rom. Pontif. ſuperior vniuerſali Eccleſia, & Concilio generali illam repræſentante.

Auctoritas eius ſupra Concilia.

Pont. à ſolo Deo iudicandus.

Matt. 24.

Ad hanc Romani Pontificis in vniuerſa Eccleſia prerogatiuam, Patres ſynodi Synueſſanæ, reſpicientes, Marcellinum Pontificem, qui metu mortis, actu externo, contra Dei charitatem peccauerat, indicare noluerunt. *Tempore enim Diocletiani, & Maximiani Augustorum*, vt & Nicolaus I. Michaeli Imperatori memorabat, *Marcellians Epiſcopus Vrbis Romæ, qui poſtea inſignis martyr effectus eſt, adeo compulſus eſt à Paganis, vt in templum eorum ingreſſus, grana thuris ſuper prnaas imponeret, cuias rei gratia collecto nnmeroſorum Concilio Epiſcoporum, & inquiſitione facta, hoc idem Pontifex ſe egiſſe confeſſus eſt. Nallus tamea eorum proferre ſcatentiam in eum anſus eſt, dum ei ſæpiſſimè omnes perhiberent. Tuo ore iudica cauſam tuam, aoa noſtro indicio, & iternm; Noli, aiunt, audiri in noſtro iadicio, ſed collige in ſinu tao cauſam tuam, & rurſus, qaoaiam ex te, inqainnt, iuſtificaberis, aat ex ore tuo condemaaberis, & iterum dicunt; Prima Sedes aon indicabitur à qaoquam. Tu reus, tu Iudex; noli à nobis iadicari, ex ore tuo iuſtificaberis, & ore tao condemnaberis.*

In epiſt. & in 1. tom. Concil.

Patres Conc. Synuæ Marcellinũ Pont. iudicare noluerunt.

Tanti exiſtimarunt trecenti Epiſcopi, & triginta Presbyteri, authoritatem Romani Pontificis, & quamquam, & teſtibus conuictus, & cinere caput conuolutum habens Marcellinus, peccati reus eſſe videretur, tamen non prius, quam clamaſſet, *Peccaui coram vobis, & non poſſum eſſe in ordine Sacerdotum, quoniam auarus me corrnpit: tunc ſabſcripſerunt in eius damnationem, dicentes; quia ore ſuo anathematizatus accepit maranatha. Nemo enim vnquam iudicauit Poatificem, aec præſul Sacerdotem ſuam; quoaiam prima Sedes no iudicabitnr à qaoquam.*

Ad eandem Romani Pontificis prærogatiuam, ſynodus Romana ſub Syluestro I. aſpiciens ſanxit; *Nemo iudicabit primam Sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede iuſtitiam deſiderant temperari. Neque ab Augaſto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à popalo iudex iudicabitar. Et ſubſcripſerunt 284. Epiſcopi, & 45. Præsbyteri, & 5. Diacones, & duo ſequentes id eſt Acolythi, & Auguſtus Conſtantinus, & mater eius Helena. Et fixit Canonem hunc Sylueſter Epiſcopus in vrbe Roma, & omnibus Epiſcopis uſperſit. Actum in Traianis Thermis 3. Kalend. Iunij Domino Conſtantino Auguſto tertiam, & Priſco Coſſ.*

Canon. Conc. Ro. ſub Syluestro I. de prima Sede non iudicanda.

canone 20.

Ad hanc ipſam prærogatiuam, Patres ſynodi Romæ in Baſil. Heleniana, in atrio Soſſoriano congregati, intuentes cum quidam contra Sixtum Papam tentaſſent quędam mali rumoris obijcere (ſtupri ſacræ virgini illati calumnia laborabat) Valentiniano Imperat. coram audiente, edixerunt; *Non licere aduerſus Summum Pontificem dare ſententiam.* Quod cum Imperator accepiſset, *ſurrexit, & in arbitrio prędicti Pontificis tribuit iudicare iudicium ſuum.*

Sixti PP. arbitrio datur iudicare iudicium ſuum.

Extr. in epiſt. Nicolai ad Michaelem, & in actis eius Concil. Anaſtaſius Bibliothec. in l. de Rom. Pontif.

Tunc demum Sixtus, voluntariæ ſeipſum purgationi ſubijciens, in eadem ſynodo, præſente Valentiniano Imperatore, cum vniuerſo Clero atque Senatu, & quinquaginta Epiſcopis innocens declaratus eſt; Baſſus autem, & Martinianus calumniatores condemnati, atque proſcripti, bonis eorum Eccleſiæ adiudicatis.

Iam cum Dioſcorus Alexandrinus, ab Epheſino Latrocinio Alexandriam reuerſus, auſus fuiſset in S. Leonem Papam excommunicationem iaculari; inprimis vix decem Epiſcopos, eoſdemque coactos, in horrendi facinoris conſortium pertrahere potuit; cum tamen ei aduerſus Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum Ægyptij, Thraces, & Palęſtini Epiſcopi adhæſiſsent, deinde ad Patres Concilij Calcedonenſis omnium numeroſiſſimi re delata, *non auſi ſunt inquiſitionem facere vtrum iuſtè, an iniuſtè Dioſcorus ipſam excommunicationem dictaſſet, non planè ſed intantum hanc præſumptionem deteſtati ſunt*, vt Michaeli Imperatori Nicolaus I. ſcribebat, *vt Dioſcorum inter cætera, idcirco potiſſimum ſine vlla reſtitutione damnauerunt, quia in contumacia permanens erga primæ Sedis Romanæ priuilegium, reſpicere, à ſuis ſuperſtitionibus, vt ſeruaretur à prima Sede Apoſtolica, noluit, & ponens in cælo os ſuum, & lingua eius tranſeunte ſuper terram excommunicationem in Sanctam Leonem dictanit: ita vt in ſententia contra ipſum prolata, hoc videantur memorare præcipuè dicentes; Quoniam ſecundis exceſſibus, priorem iniquitate valdè tranſcendit. Præſumpſit enim, & excommunicationem dicta-*

Dioſcorus Alex. damnatus à Concil. Chalced. propter excommunicationem in Leon. P. dictatam.

Liberatus c. 12. & Act. Synod.

re aducr-

re aduerſus Sanctiſſimum, & Beatiſſimum Archiepiſcopum magnæ Romæ Leonem. Iſtud planè, abſque omni controuerſia, in eo vlti ſunt, quia cum eſſet inferior, potiorem quibuslibet conatus eſt laceſſere contumelijs, teſte Anatolio Conſtantinopolitano præſule, qui dicit: Propter Fidem non eſt damnatus Dioſcorus; ſed quia excommunicationem fecit Domino Leoni. Nec tantum ſexcenti Patres, ſed, & Marcianus Imperator, cauſam Leonis cognoſcere noluit, ſed pariter abſque omni controuerſia, Dioſcorum damnauit, cum anathema Dioſcoro Patres ingeminarent.

Gelaſij PP. ad Fauſtū legatum de prærogatiua Sedis Apoſtol. cōtra Euphe. Patr. Conſt.

Gelaſium I. Euphemius Patriarcha Conſtantinopolitanus, diriſſimo conatu, nitebatur ſuo ſibi iudicio ſubijcere, atque Eccleſiæ vnitatem diuidere. Fregit Gelaſius hominis temeritatem, ac Fauſto Legato, quid preſumentis veſaniæ opponeret in Commonitorio expreſſit. *Non eſt,* ait, *mirum, ſi iſti Sedem Beati Petri Apoſtoli blaſphemare præſumunt, qui talia portenta vel corde gerunt, vel ore diffundunt, & nos inſuper ſuperbos eſſe pronūciant: cū eis Prima Sedes, quicquid eſt pietatis; nō deſiſtat offerre, illi eam ipſo proteruo ſpiritu ſubiugare ſe poſſe confidant. Sed captos mente facere iſta, non mirum eſt. Sic phrænetici ſolent medicantes quoſque, vel vt hoſtes putare, vel cædere. Quæro tamen ab his: Iudicium quod prætendunt, vbi nam poſſit agitari; an apud ipſos, vt itidem ſint inimici, & teſtes, & iudices? Sed tali iudicio, nec humana debent committi negotia, nedum diuinæ legis integritas. Si quantum ad religionem pertinet? non niſi Apoſtolicæ Sedi iuxta Canones debetur ſumma iudicij totius. Si quantum ad ſæculi poteſtatem? illa à Pontificibus, & præcipuè à Beati Petro Vicario debet cognoſci quæ diuina ſunt, non ipſa eadem iudicare. Nec ſibi hoc quiſquam potentiſſimus ſæculi (qui tamen Chriſtianus eſt) vendicare præſumit, niſi forſitan perſequens religionem. Quid tamen dicerent, ſi non chartis ſuis in omnibus vincerentur? Ineptias itaque ſuas ſibi ſeruent; niſi reſipiſcant potius cogitantes Chriſti vocem non eſſe ſuperfluam, quæ confeſſioni Beati Petri Apoſtoli inferni portas numquam præualituras aſſeruit. Quapropter non veremur, ne Apoſtolica ſententia reſoluatur, quam, & vox Chriſti, & maiorum traditio, & Canonum fulſit auctoritas, vt* TOTAM *potius* ECCLESIAM SEMPER IPSA DIIVDICET.

Petrus Altinus Epiſcop. à Patribus condemnatus quod ſibi in Rom. Pontif. iudicium arrogare præſumpſiſſet.

Tom. 2. Concil. Ennod. lib. pro Symmacho Theodorus Lector Collect. l. 2

Iam etiam, cum Laurentiani ſchiſmatici, Symmachum Papam Romanum, multis calumnijs apud Theodoricum Regem Arianum operaſſent; Rex verò tyrannica poteſtate, contra ſanctiones Canonicas, Petrum Altinæ ciuitatis Epiſcopum, qui de criminibus Symmacho impoſitis cognoſceret, viſitatorem Apoſtolicæ Sedis miſiſſet; pro Symmacho, Ennodius diaconus, conſtanter ſtetit, & reſtit, illud ex vſu Eccleſiæ perpetuo, & regulis Euangelicis affirmans; *Pontificem Romanum, Deus, ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio: voluitque Beati Petri ſucceſſores cælo tantum debere innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inuiolatam exhibere conſcientiam; ipſis verò quicquid vbique Fidelium eſt, ſubmiſit.* Sed prę ſtat integram ſententiam Ennodij recitare.

Ennodij ſententia.

Viſitatores, inquiebant aduerſarij, & alijs Epiſcopis, dedit ipſe Symmachus: & iuſtum eſt, vt facti ſui lege teneatur. Non vos, ait Ennodius, in hoc titulo falſitatis ſucceſſo: diu mendacijs adhęrentia verba non arguo. Dico tamen latorem iuris, definitionis ſuæ, niſi velit, terminis non includi: & niſi Princeps faſtigij ſumma moderetur, fruſtra ad illud quod dederit, ius vocatur. Lex probitatis & mentis eſt, quæ hominem viuentem ſine lege caſtigat: propriè moribus impendit, quam neceſſitati non debet diſciplinam. Aliorum fortè hominum cauſas Deus voluit per homines terminare, ſed Sedis iſtius Prę ſulis ſuo ſine quęſtione reſeruauit arbitrio. Voluit B. Petri ſucceſſores cęlo tantum debere innocentiam; & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inuiolatam exhibere conſcientiam. Nolite timere eas animas de inquiſitione non habere formidinem, quas Deus prę cęteris ſuo reſeruauit examini. Dicas forſitan; omnium animarum talis erat in illa diſceptatione conditio. Replicabo: vni dictum; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiàm meam, & quęcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlis. Et rurſum, Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem Sedis eius ſanctam, toto Orbe venerabilem: dum illi quicquid fidelium eſt, vbique ſubmittitur; dum totius Orbis Caput eſſe deſignatur. De qua mihi videtur per Prophetam; ſi hęc humiliabitur, ad cuius confugietis auxilium? & vbi relinquetis gloriam veſtram? Nolite itaque Symmachum preſſuris veſtris grauare. Si reus eſt, mihi credite, cum ceſſauerit humanę impugnationis miniſterium, diuinum mox ſuccedet arbitrium. Iſta Ennodius.

Romani quoque Catholici; rei iniquitatem exhorreſcentes, ne Petrus Altinas ſubſellia aduerſus Symmachum erigeret, apud abſentem adhuc Regem egerunt, tantumque effecerunt, vt is culmen Apoſtolicæ Sedis reueritus, neque Synodum indicere voluerit, ſed Symmacho qui conuocaret permiſerit, potiuſque protectorem quam perſecutorem eiuſdem Sedis ſeſe exhibuerit. Mirum valdè mirandum tunc accidit, nullum Epiſcoporum, aut ad Synodum accedere; aut cauſam Symmachi cognoſcere voluiſse, antequam Theodoricus Rex litteras Pontificis, quibus Synodum indicebat, ſeque iudicio Epiſcoporum ſubmittebat, exhiberet. Tunc demum, centum, & quindecim Romam conuenerunt, atque Symmachum innocentem criminum pronunciarunt, Petrum autem Altinenſem Viſitatorem à Theodorico miſsum, quod ſibi in Romanum Pontificem iudicium arrogare preſumpſiſset, condēmnarunt. Sanè Theodoricus Rex, & ſi hęreticus Arianus, & barbarus Gothus, à Patribus conſultus, quid in cauſa Symmachi agi vellet; reſpondit; *In Synodi eſſe arbitrio, in tanto negotio ſequenda præſcribere; nec aliquid ad ſe præter reuerentiam de Eccleſiæ negotijs pertinere,*

Reſponſum Theod. Reg. etſi Arriani in cauſa Symmach. PP.

Falſum de Honorio PP.

Honorium, quod ſexta Synodus iudicauerit, falſum eſt, cum etiam falſiſſimum ſit, ipſum hęreſi Monothelitarum vnquam ſubſcripſiſse: imò conſtet eam condemnaſse, vt ex S. Maximi monachi eius contemporanei Gręcis epiſtolis, & dialogo contra Pyrrhum Patriarcham Conſtantinopolitanum hęrethicum Monothelitam, & ex alijs argumentis ſupra oſtendimus. Emanuel Gallica homo Gręcus, qui pau-

qui paulo poſt Concilijs Lugdunenſis ſecundi, ſub Greg. X. celebrati tempora vixit, & inſignem librum pro Latinis contra omnes Græcorum hæreſes ſcripſit. Honorium Pontificem Catholicum ſemper fuiſſe confirmauit. Anaſtaſius Bibliothecarius, vulgata ſextæ Synodi exemplaria, à Græcis corrupta, eiuſque canones, in quibus Honor. condemnatur, ſuppoſitos eſſe, ex Theophane Iſauro Græco hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptore oſtendit. Maximè quod de Sede Apoſtolica, ſciret illam eſſe omnium vocem in Synodis; *Prima Sedes omnes iudicat, & à nemine iudicatur.*

In Compend. 6. Synodi.

Leon. III. nepotes Hadriani anteceſſoris, parum habuerunt exoculaſſe, lingua imminuiſſe, & plagis innumeris proſcidiſſe, atque ſeruitiuum cuſtodiæ tradidiſſe: niſi etiam, quamquam interceſſione SS. Apoſtolorũ, oculos & linguam per miraculum recepiſſet, calumnijs obruerent. Criminibus cognoſcendis, aut vero diluendis, Carol. Magnus Imp. numquam acceſſiſſet Romam niſi ipſe Leo compuliſſet. Itaque Leone inuitante, flagitante, permittente, Romæ in Eccleſia S. Petri, omnes Italiæ, & Franciæ Antiſtites, nec non Francorum, & Romanorum Optimates congregauit, vt crimina Leoni obiecta examinatentur. Tũc omnes Antiſtites conclamarunt, *ſe Apoſtolicam Sedem, quæ eſt Caput omnium Dei Eccleſiarum iudicare non audere; cum ex antiquo more omnes illa iudicet, & à nemine iudicetur.* Leo Pont. ſua ſponte, ſine quæſtione; ambone conſenſo, coram omnibus iureiurando ſuper Sancta Dei Euangelia facto, ab obiectis vt ſeſe purgaret, ita dixit: *Ego Leo Pont. S.R.E. à nemine iudicatus, neque coactus, ſed mea voluntate impulſus, purgo me præſentibus vobis coram Deo, & Angelis eius qui cõſcientiam norũt: & B. Petro Principe Apoſt. in cuius conſpectu conſiſtimus neq; ſceleratas res quas mihi obijciunt perpetraſſe, neque perpetrari iuſſiſſe, Deum teſtans, in cuius iudicium venturi ſumus, & in cuius conſpectu conſiſtimus. Et hoc facio, nõ legibus vllis obſtrictus, neque hanc cõſuetudinẽ aut decretum in S. Eccl. ſucceſſoribus meis, & fratribus Coepiſc. imponere cupiẽs, ſed vt certius iniquis vos ſuſpicionibus liberẽ.*

Quid Patres Carolo Mag. in cauſa Leon. III. *Anaſtaſ. Biblioth. in Leone.*

Nicolaum I. Photius pſeudopatriarca Conſtantinopol. & Michael Balb. Imper. Orientis pari temeritate, atque inſania auſi fuere iudicio conuenire, atque condemnare. Enimuero Photius, à Nicolao damnatus, præſidente Michaele, conciliabulum collegit, falſos homines quaſi Vicarios Orientalium Sedium formauit accuſatores muneribus armauit, & mendacijs inſtruxit: teſtes eos adſciuit, quos & accuſatores oppoſuit: iudices nonnunquam, & in accuſati perſonam immiſit, exceſſus quoſdam quaſi præfati Summi Pontificis finxit, eique impegit, & ſicut putabat, damnatione ſimul, & anathemate puniuit: cunctis qui aderant, exceptis perpaucis, & his fautoribus impietatis clamantibus *non eſſe iuſtum: in ſummum, & primum Pontificem, & præcipuè ab inferiori quolibet ſententiam proferri, cum id nec Canon quiſquã admittat, nec aliqua Eccleſiæ conſuetudo fieri doceat.* Verum ille falſarius, falſorum exceſſuum aduerſus inſontem, abſentem, & inuictũ, mendacem codicem compilauit; milleque circiter Antiſtitum ſubſcriptiones falſas interſeruit, ſibi nemine prorſus conſentiente, vel ſubſcribente ex illa numeroſa Epiſcoporum multitudine, niſi vno, & viginti præſulibus hæreticis. Vnde iam profuſius ſancti habitus viri eum fugiebant, & quaſi ſqualorem quendam declinabant, alterum *Dioſcorum* hunc appellãtes, & præcurſorem Antichriſti, imò ipſum Antichriſtum exiſtimantes; quem ſc. hominem peccati, filium perditionis, Apoſtolus appellaſſet; qui profectò extolleretur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Placet in memoriam reuocare, quæ Baſilij Imperatoris, & Ignatij Patriarchæ Conſtantinopol. Baſilius Spatharius, & Ioannes Cæſareæ Cappadociæ Metropolita, nuncij, ad Hadrianum Nicolai ſucceſſorẽ, in deteſtationẽ Photiani de Nicolao Iudicij egerint. Iſta inprimis exponebant.

Iniquum Photij pſeudopat. Conſt. in Nicolai I. Iudicium. *Anaſtaſ. in præfat. 8. Synodi.*

Photiũ. ſancti habitus viri vitant.

Deuotiſſimus veſter filius Imperator Baſilius, & Patriarcha munere veſtro reſtitutus Ignatius, dum Eccleſia Conſtantinopolitana, per interuentum veſtrum, inuaſorem Photium pepuliſſent, in archiuio eius, librum ſumma falſitate congeſtum, contra ingenium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſanctiſſimique Papæ Nicolaĩ reperere; quem bullatum, quaſi verè contagium, à ſua Orbe penitus pepulẽre, vobiſque, vtpotè ſummo Capiti, cui Chriſtus cælo terraque ſoluendi atque ligandi poteſtatem tribuit, remiſere. Quem, precamur, ſuſcipientes rimamini, & fraudulentiam, quam inſontibus Conſtantinopolitanis noſter verſipellis Photius inferre potuit, ex hoc quod in hanc Sanctam Romanam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiuſcemodi, audacem linguam exacuit, prorſus aduertite: & quid Eccleſia Dei de hoc latrocinio ſit ſentiendum, quod ſub nomine Concilij furtim ab eo confictum eſt, palam omnibus promulgate. Ad hęc vtrarumq; partium conſenſu, Pontifex reſpondit; *Contra Sedem Apoſtolicam Pontificemque ipſius, quam Photius vocem non habuit, ſententiam fortè præcipitare potuit, iudicium verò librare non potuit, qui à Sede Apoſtolica bis iudicatus, biſque damnatus eſt. Et quia vires ſuas Photius tranſcendens, in SS. Pontificem noſtrum Nicolaum falſa garrire non timuit; os ſuum nimirum in cælum poſuit, & linguam ſuam vt in terram pertranſiret, exeruit; ideoque Conciliabuli ipſius librum perſcrutandum admittimus, vt auctor illius, & fabricator mendacij, & inuentor peruerſorum dogmatum tertio iudicètur.* Egreſſus Metropolita librum exhibuit, & in terram præcipitauit, imprecatorie illi dicens; *Tu maledictus Conſtantinopoli, ſis Roma iterum maledictus. Te miniſter Diaboli Photius, nouus Simon, mendacij compilator aptauit. Te miniſter Chriſti Nicolaus, nouus Petrus, veritatis amator attriuit.* Et Spatharius, calce, enſeque ſuo librum percutiens ait, *Credo, quod in hoc opuſculo Diabolus habitat, quia per os complicis ſui Photij, ea quæ per ſe dicere nequit, eructat. Nam & ſubſcriptionem Baſilij noſtri Imperatoris, poſt ſubſcriptionem Michaelis, quem ebrioſiſſimum noctè ſcribere ſuaſit, falſiſſimè continet; quam non eius eſſe, reſtitutio Ignatij declarauit; & ſatisfactio noſtra (ſi vobis placuerit) iureiurando firmabit. Neq; enim vnius ſẽper Catholici Baſilij nomẽ non potuit falſo ſuis feralibus commentis inſerere, qui mutato charactere potuit multorum abſentium Epiſcop. nomina cum paucis complicibus ſuis deſcribere: quorum videlicet Epiſcoporum vniuerſitas, tam immunis eſt huius ſubſcriptionis, quam tenoris ignara, Siquidẽ nullus Con-*

Nunciorum Baſ. Imp. & Ignat. Patr. Conſt. cum Hadr. Pontif. in deteſtationem Photiani Iudicij tractatus.

Reſponſio Had. PP. ad nuncios.

Proſequuntur Nuncij.

lius Conſtaatinopolitanorum, quando illud Conciliabulum collectum fuiſſet, quia renera aon fuit, agnoait. Sed quia Conſtantinopolim, Comproainciales, velat Regiam Claitatem, pro diaerſis negotijs, inſtar iſtias Vrbis aſcendant: pernicaciſſimus Photius mendacium ſuum veritatis medicamento (ſicat ei à primauo fuerat inſtitatum) liaiuit, dum in locum quorundam ſchiſmaticorum Epiſcoporum, Ciues quidem aliquorum illorum, ſed transfugas (vt fama vulgatum eſt) muneribus excacatos ſubſcribere fecit. Inde eſt, quod ſubſcriptioaum iſtius videntar diuerſi characteres, & qaidam eorum acutiori penna, quidam groſſa, noanulli verò deceptum ſimulantes groſſiori mana membranam luquinantes deſcribunt; vt videlicet fraude præſentium, ſimplicitati abſentium illudatur: & illud credat facilias vniuerſitatis eſſe veriſſimum, quod diſſimilibas litteris fecerit ſalſitas eſſe diuerſum. At vos illicò ſubſcriptionum multitudinem, librum reſerantes videbitis, fraudem verò, niſi Conſtantinopolim (vt omnis illa Eccleſia deprecatur) miſeritis, minimè cognoſcetis. Iudicio inſtituto, Hadrianus, fraudes cognouit, deceſſoriſque ſui litteras relegens, ſiniſtram ipſius famam purgauit: deinde Photium cum ſuo Conciliabulo, complicibuſque ſuis, tertio, anathemate percuſſit. Ad extremum verò cęterorum ſubſcriptionibus ſententijs roboratis, pro foribus graduum Baſilicæ S. Petri, nefandi dogmatis librum, cunctorum pedibus conculcatum exuſſit. Quem nimirum rogus, vt fomentum quoddam ignis, & cepit, & penè antequam ſemiuſtum credi potuiſſet, eum magno fœtore, piceoque odore conſumpſit, & cum fortè focus inundatione pluuiæ naturaliter debuiſſet extingui, ad pluuiam quaſi ad olei guttas flamma conualuit, & in laudes Dei, Sanctique Papæ Nicolai, ſimulque Hadriani Pontificis, miraculi ſtupor, tam Latinorum quam Grecorum corda reſoluit. Decretum, vt Conſtantinopoli quoque, liber Photij, & epiſtolæ blaſphemæ Michaelis Imperatoris in publico exurerentur. Patres octauæ Oecumenicę ſynodi, quia illud tam abominandum Photij crimen ſupra modum deteſtabantur, non ſimplici atramento, ſed, horrendum dictu ipſo Saluatoris ſanguine calamum tingentes, ita damnarunt Photium, & iubente Baſilio Imperatore, in medio ſynodi librum eius igne exuſſerunt.

Photius ab Hadr. tertiò excommunicatur.

Mirum dictu de Photij libro in ignem proiectio.

Saluatoris ſanguine damnationē Photij ſcribunt Patres.

Iam, & iſtud quod adiungo, inſigne eſt. Contra Sedem Apoſtolicam aliqui Epiſcopi in Conciliabulo Conſtantinopolitano auſi fuerant ſententiam dicere. Hos quomodo habuerint Patres VIII. ſynodi, ex Act. 7. facilè eſt cognoſcere. Iſta fatebantur Hadriano: *Qui hanc temeritatem non vltima damnatione dignam cenſet, neque Euangelium, neque Apoſtolum nouit. Etenim Dominus dicit;* Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum. *Et Apoſtolus;* Omnia ſecundum ordinem fiant. *Quam proiecta ſunt ergo audaciæ, qui contra Apoſtol. Eccl. Magiſtram & pręſidem reliquarum, rictus pandunt, omniſque generis conuitia ructant. An ex ſententia Pauli hæc ordine fiunt, quando ſecundi in primos exurgunt. Vnuſquiſque noſtrum quem ordinem ſecutus ſit, intelligat. Hac ſanctione, tertia ſynodus Ioannem Patriarcham Antiochenum damnauit, quod contra digniorem Sedem Alexandrię Eccleſiæ, PRIMA CATHEDRA non approbant; ſententiam ferre ſit auſus. Quarta autem ſynodus Oecumenica, ea de cauſa Dioſcorum eiecit, cenſuitque vt ne vnquam throno ſuo reſtitueretur: Quod, & ipſe PRIMAE SEDIS priuilegia, canoni, ſupra memorato contraria auſus oppugnarit: quippè qui cum eſſet vltimus, PRIMO tamen reluctaretur, atque in Papam Leonem Magnum præfractam ac temerariam damnationis ſententiam pronunciarit: cum nulla eſſet illi poteſtas Synodi cogendæ, vt in eodem Concilio Apoſtolici Vicarij teſtantur. Ad horum igitur exempla, quicumque in illo impio conciliabulo, contra Sedem Apoſtolicam vel os aperire, vel manum protendere auſi ſint, iuſtam vltionem non effugiant.*

Patres VIII. ſynod. Hadr. P. contra Conciliabulū Conſt.

Execrabile eſt, atque mirabile & iſtud quod adiungo. Steph. VII. Pont. odio in defunctum Formoſum anteceſſorem flagrās, non alia de cauſa, quam quod ex Epiſcopatu Portuenſi translatus fuiſſet, cadauer defuncti è ſepulchro extrahens, atque in Sede Romani Pōtificatus Sacerdotalibus veſtibus indutū collocans, cum tanquam viuēti exprobaſſet, quod nimia ambitione ex Portuenſi Epiſcopio Sedem Apoſtolicam occupaſſet: illud ipſum damnatum, ſacriſque mox exutum veſtimentis, ac tribus digitis mutilatum quibus benedicere moris eſt, in Tiberim iactauit: cunctoſque quos idem Formoſus ordinauerat, gradu depoſitos iterum ordinauit. Non tulit Deus iudicium quanquam à ſucceſſore in Formoſum factum, ſeu potius tyrannicum factum.

Vltio diuina propter Stephani VII. tunc Pſeudopapæ in Formoſum Iudicium.

Namque & Baſilicam Lateranenſem, ab altari vſque ad portas, ſanctuario tantummodò in quo ipſa Sedes Pontificis eminebat, integro relicto, ſolotenus proſtrauit, & miraculo inſigni innocentiam Formoſi indicauit. Namque eius corpus à piſcatoribus inuentum, & ad Sancti Petri Baſilicam deportatum, in loculo poſitum, imagines Sanctorum venerabiliter ſalutauerunt. Cæterùm quanquam multa neſaria crimina Stephanum infamarent, nullus tamen fuit principalium Sedium Epiſcopus, qui ſe ab eius communione ſubtraheret, aut illum in iudicium vocare auderet; quod omnes probè ſcirent, *Prima Sedis Pontificem, minorum Sedium non ſubiacere iudicio*, ſed Dei reſeruatum eſſe arbitrio.

Nullus Stephan. licet flagitioſiſſimum iudicare auſus.

Non minùs execrandum eſt Iudicium, quod poteſtate Tyrannica, in Ioannem XII. Otto inſtituit. Is nonnullis Epiſcopis rogantibus Romæ, apud S. Petrum, Concilium Epiſcoporum Italiæ, nonnullorumque Germanorum, & totius Cleri procerumque Vrbis celebrauit, atque in eo Ioannem legitimum Pontificem, multorum criminum reum peregit, & Pontificatu abdicauit.

Execrandum Ottonis Imp. tyrannica poteſtate in Ioh. XII. Pont. iudiciū. Luitprand. l. 6. c. 6. & 7.

Non vnum peccatum, in ea Pſeudoſynodo Epiſcopi commiſerunt, Inprimis, quod abſque Ioannis, quem vt verum vniuerſalem Pontificem, datis ad eum litteris agnoſcebant, conſenſu, contra illum Concilium coegiſſent. Deindè, quod Imperatorem, hominem laicum, vt Ioannem condemnaret, poſtulaſſent. Tertiò, quod ab Ioanne Papa omnes excommunicati, ſimplici rogatione Imperatoris, alium Sedi Apoſtolicæ intruſiſſent, & de vero ſuo Paſtore ſententiam depoſitionis, de facto tuliſſent; cum nunquam auditum ſit, vt ab Orthodoxis Epiſcopis,

Prima

Prima Sedes, ipſeque Romanus Pontifex iudicaretur: neque id in accuſationibus aduerſus Marcellinum, Symmachum, alioſque præſumptum eſt. imò & in Concilijs tam prouincialibus, quàm Oecumenicis declaratum ſit, *Sedem Apoſtolicam à nemine poſſe iudicari, & in his quæ ad mores ſpectant, totam cauſam Deo reſeruandam eſſe*. Accedit & illud,

Hæreticum dogma.

quod hæreticum dogma eſt, quod ipſi in litteris ad Ioannem poſt eius in ipſos latam excommunicationem reſcriptis, diſertè profeſſi ſunt, aſſerere, propter peccata auferri à Pontificibus clauium poteſtatem, ac ligandi atque ſoluendi à Deo traditam facultatem. Itaque ſpurium & ſacrilegium iſtud de Iohanne iudicium fuit, merito ab omnibus bonis execrandum: quemadmodum ab ipſis Romanis fuit execratum. Enimuero Ottone Roma abeunte, in Baſilica S. Petri paulò poſt Concilio Epiſcoporum conuocato, poſitis in medio SS. Euangelijs, præſidente ipſo Summo Pontif. Ioanne XII. præſentibuſque plurimis Epiſcopis, ac Cardinalibus, tam presbyteris, quam diaconis, omnium vna voce damnatum eſt Pſeudoconcilium pro Leonis ſubrogatione, & Iohannis abrogatione ab Ottone celebratum, ipſeque Leo curialis, ac neophytus, & periurus, ſchiſmaticus intruſus, perpetuo anathemati cum ſocijs, atque fautoribus ſuis ſubiectus eſt, decretumque, vt *minor maiori ſuo gradum tollere non præſumat*.

Concil. Rom. Ott. iudiciũ damnat, & Leon. Ioanni ſubrogatum excommunicat.

Eadem execratione dignum fuit, Henric. IV. de Gregor. VII. Pontifice iudicium. A Sede Apoſtolica, ac Synodo Romana excommunicatis, Henricus ſcienter communicabat: Epiſcopatus quoſdam ſub Eccleſiæ Romanæ dominio, perſonis etiam ipſi Gregorio ignotis, conferre præſumebat, & contra Simoniacam labem, atque clericorum luxuriam decreta promulgata contemnebat, & quæ Sedis Apoſtolicæ Legatis pollicitus fuerat, implere negligebat. Gregorius, vt contemptum vlciſceretur Henrici, Legatos alios in Germaniam miſerat, qui Regi denunciarent, vt ſecunda feria ſecundæ hebdomadæ in quadrageſima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus quæ obijcerentur cauſam dicturus; alioquin ſciret, ſe abſque omni procraſtinatione eodem die de corpore Sanctæ Eccleſiæ Apoſtolico anathemate abſcindendum eſſe. Henricus, vehementer permotus, ſtatimque abiectis cum graui contumelia Legatis, omnes Regni ſui Epiſcopos & Abb. Wormatiæ, Dominica Septuageſimæ conuenire præcepit, vt cum eis de Gregorio deponendo iudicium inſtitueret. Illis adeò periculoſis temporibus, præter S. Gebehardum Archiepiſcopum Saltzburgenſem, atque Altmannum Patauienſem, Adalbetonem wirtzburgenſem, Herimannum Metenſem, Meginuuardum Friſingenſem, in toto Regno Theutonico, nullus Catholicus Epiſcopus inuentus eſt, qui ſcilicet pro Gregorio, aduerſus Regem apertè ſtare voluerit. Ad hoc conuenticulum, cum ampliſſimo numero Epiſc. & Abb. conueniſſent, adfuit & Hugo Candidus Cardinalis, ante paucos dies, propter eius ineptiam & mores inconditos, à Gregorio de ſtatione ſua motus, atque tragædiam ſcenicis figmentis conſimilem, de vita & inſtitutione Papæ à ſe per calumnias concinnatam, recitauit. Eius exanctorati auctoritate reliqui permoti, ſententiam in Gregorium, quaſi enormibus probris vitam commaculaſſet, promulgarunt: quod Pontifex non eſſet, nec aliquando fuiſſet, nec in poſterum eſſe poſſet. Lymphatico edicto, præter Saxonicos Epiſcopos, cæteri ſubſcripſerunt: Adalbero wirtzburgenſis & Herimannus Metenſis Epiſcopus aliquandiù reſtiterunt, aſſerentes contra canonum ſcita eſſe, vt Epiſcopus aliquis abſens, abſque generali Concilio, ſine legitimis accuſatoribus & teſtibus, necdum probatis criminibus, quæ obijcerentur condemnaretur; nedum Romanus Pontifex, aduerſus quem nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi cuiuſquam recipienda eſſet accuſatio. Sigefredus Archiepiſcopus Moguntinus, Willelmus Traiecten. & Robertus Babenbergen. Epiſcopi, pertinacius omnes Regis conatus tuebantur, quos vna cum Rege Henrico, & cum reliquis ſchiſmaticis, Gregorius Pontifex, in Concilio centum & decem Epiſcoporum Catholicorum Romæ damnauit: cum etiam illi Papiæ conciliabulo in dicto Gregorium anathematizaſſent. In ea rerum perturbatione, Principes quid facturi eſſent ancipites, Iuriſperitos, num eſſet pro excommunicato habendus Pontifex, conſuluerunt, atque ab vniuerſis reſponſum tulerunt; *Romanum Pontificem à nemine iudicari, multò magis excommunicari poſſe: eos vero qui talia præſumpſiſſent, excommunicatos eſſe, quod os in cælum poſuiſſent*. Ab hoc oraculo edocti, cum furentis Regis contumaciam frangere, vel flectere, atque aliqua ratione Pontifici reconciliare conarentur, in ſe etiam receperant, acturos cum Gregorio, vt ipſe Concilium Auguſtæ indiceret, atque ipſe ſe ſuo iudicio, vel abſolueret innocentem, vel abdicaret nocentem. Canuſium, Tuſciæ, iuit Gregorius, de Henrico Rege occurrente cogniturus. Cumque illum tertio & quarto ſupplicem, certis conditionibus abſoluiſſet, & ad Generale Concilium reliqua diſtuliſſet, ipſe à nemine Principum, vel Epiſcoporum coactus, ſpontè, hunc in modum innocentem ſe eſſe oſtendere voluit. Vbi miſſarum ſolemnia celebraſſet, præferens manu corpus Dominicum, ad Regem palam ait, *Ego iam pridem à te tuiſque fautoribus inſimulor, Sedem Apoſtolicam per Simoniacam hæreſim occupaſſe, & alijs criminibus vitam maculaſſe. Quo igitur ſatisfactionis compendio, omnem omnibus ſcandali ſcrupulum auferam, Deum precor, vt ſuo me hodiè iudicio, vel abſoluat ſubiecti criminis ſuſpicione, ſi innocens, vel ſubitanea morte interimat, ſi reus*. & mox partem Dominici corporis accepit, & comedit. Qua liberrimè abſumpta, cum populus innocentiæ Pontificis congratulatus, in laudes Dei aliquandiù conclamaſſet, ad Regem conuerſus, *Fac*, inquit, *fili, ſi placet, quod me facere vidiſti*. Rex; poſt dilationem impetratam, recuſauit eo modo ſe purgare; reuera quidem, tam inopinata re attonitus & ad tam horrendi examinis neceſſitatem æſtuans; prætextu autem, quod abſentibus accuſatoribus ſuis nihil virium habituram diceret, quamcunque

Simile Henrici IV. Regis de Greg. VII Regis de Gregor. VII. iudicium.

Conciliabulum Vvormatiæ ab Hen. Reg. contra Greg. PP. conuocatum.

Hugo Candidus propter ineptiam & mores inconditos Cardinalatu priuatus & excommunicatus.

Acta Conciliabuli.

Iuriſperiti Principibus conſulti reſpondent Pont. uſ. Rom à nemine iudicari, multo minus excommunicari poſſe.

Voluntaria Greg. PP. per ſumptionem Euchariſt. purgatio.

Henr. Rex recuſat eandẽ purgationem

pro experienda innocentia ſua ſatisfactionem. Hæc Lambertus Schaffnaburgen. recitabat; ac iſtud pariter memorabat, quod neque Henricus Rex, neque Cætus ille Epiſcoporum Schiſmaticorum quamquam in Gregorium, tam procacem ſententiam dixiſſent, deponere auſi ſunt: ſed ad eum ſcripſere, vt is ſeipſum dignitate Pontificia abdicaret. nimirum conſcij, *Pontificem Romanum, à nullo mortalium iudicari, aut poſſe, aut debere*. In hac ſententia tamdiù ſchiſmatici perſeuerarunt, quoad Guibertum Rauennatem, toties in Concilijs damnatum, Pſeudopontificem ſibi elegiſſent, adoraſſent, & iureiurando illi ſeſe auctoraſſent. Decem & nonem tantummodò numerabantur falſi Epiſcopi; qui id ſceleris perpetrarunt.

Schiſmatici non audent Pontif. deponere.

Inter eos eminebat Hugo nomine, candidus facie, nigerrimus mente, Cardinalis olim, ſed dudum pro ſuis ſceleribus iuſtè excommunicatus & abiectus. Hic damnatus damnatum, periurus periurium, parricida laudauit parricidam prophanus prophanum Guibertum. Eorum opera, Brixini, in loco horrido & aſperrimo, in medijs niualibus alpibus, vbi fames aſſidua, frigus penè ſempiternum, & vix nomen Chriſtianitatis, Eccleſiæ principalis iura, ſummi ſacerdotij priuilegia, ſanctorum Patrum inſtituta, canonicaque decreta euacuare conatus eſt Henricus. Namque illo impulſore prophano Hugone, Gregorio, quem iam Hildebrandum nec Apoſtolicum ſed falſum Monachum appellabat, ſcripſit litteras blaſphemiæ plenas, in quarum fine adiecit.

Conciliabulū Brixinenſe.

Blaſphemæ Henrici litteræ.

Tu igitur hoc anathemate, & omnium Epiſcoporum noſtrorum iudicio damnatus, deſcende. vendicatam tibi Sedem Apoſtolicam relinque, alius in ſolium Beati Petri aſcendat, qui nulla violentia religionem palliet; ſed Beati Petri ſanam doctrinam doceat. ſubſcripſit. *Ego Henricus Rex Dei gratia, cum omnibus Epiſcopis noſtris tibi dicimus, Deſcende deſcende.* Quamquam autem & Regibus Chriſtianis, & Epiſcopis vniuerſis, & Romanis ciuibus, Henricus, ne amplius Gregorium ſequeretur perſcripſiſſet, nullus illi voluerat auſcultare, aut Guiberto obedire. Sed omnes palam acta Conciliabuli Brixinenſis execrabantur, & Guibertum quidem nouum Simonem Magum, Henricum nouum rediuiuum Neronem, falſos Epiſcopos Chore, Dathan & Abyron, toties periuros, totieſque anathemate damnatos nuncupabant: firmum habentes omnium ſæculorum decretum; *Pontificem Romanum, à nullo iudicari poſſe, aut debere*. Sanctus Anſelmus Lucenſis, & S. Anſelmus Cantuarien. Epiſcopi, pro Sede Apoſtolica conſtanter & ſteterunt, & egeruut, & ſcripſerunt, clariſſimis argumentis oſtendentes, *Sedem Apoſtolicam, & eius Antiſtitem, omni humano iudicio ſuperiorem eſſe*.

Omnes execrantur acta Conciliabuli.

Sedes Apoſt. & eius Antiſtes omni humano iudicio ſuperior.

Porro, cum Henrici Regis, Henricus peſſimi patris peior filius, à Paſchali Pontifice, per vim, & cædes, prauilegium (ita vocabant) de conferendis beneficijs extorſiſſet; ac propterea Paſchalis Pontifex quaſi Eccleſiaſticæ libertatis proditor, in iudicium vocandus eſſet: nemo tamen Epiſcoporum aut Prælatorum, quanquam ingens numerus Lateranum confluxerat, cognitionem cauſæ, aut damnationem perſonæ Pontificiæ vſurpauit; ſed ipſe Paſchalis, publico in cætu, Archiepiſcoporum XII. Epiſcoporum CXIV. Cardinalium presbyterorum XV. Diaconorum Cardd. VIII. Abbatum & Clericorum diuerſi Ordinis innumera multitudine præſente, hæc ſponte in ſe dixit; *Poſtquam Dominus de ſeruo ſuo fecit quod voluit, & me, populumque Romanum tradidit in manus Regis, videbam quotidiè paſſim fieri rapinas, & incendia, cædes & adulteria. Hæc & huiuſmodi mala cupiebam auertere, ab Eccleſia, & populo Dei: & quod feci, pro liberatione populi Dei feci; feci autem vt homo quia puluis ſum & cinis. Fateor me male egiſſe; ſed rogo vos omnes orate pro me ad Deum, vt indulgeat mihi. Illud autem malum ſcriptum, quod in tentorijs factum eſt, quod pro prauitate ſui prauilegium dicitur, condemno ſub perpetuo anathemate. vt nullius vmquam ſit bonæ memoriæ: & rogo vos omnes, vt hoc idem faciatis. Tunc ab vniuerſis conclamatum eſt; Fiat fiat.* Dominus vero Papa ſubiunxit, quod Gotfredus Viterbienſis Notarius Imperatoris notauit.

Paſchalis ob priuilegiū de conferendis beneficijs ab Henr. V. Rege ſibi extortum ſcriptum in Conc. Lateran damna, & dignitatē Pontificiam depoſuit nemine cognitionem cauſæ ipſius vel damnationem vſurpare audente.

Vſpergen. in Chron.

Me quoque Pontificem non fore, iuſſa date.
Peccatis mala veſtra meis veniſſe notaui,
Officijs me deſtitui dignum reputaui,
Me quoque depoſui, ne pereatis ait.
Hæc ait, & mitram reijcit, mantumq; relinquit.
Ordinet Eccleſia, ſine me, quicquid placet, inquit.
Moreque Pontificis iudicet ipſa ſibi.
Copia Pontificum; non ita (dixit) erit.
Extortum Papæ ſcriptum contra rationem
Vritur: & priſcum tibi conciliamus honorem.
Tolle pater mantum; Curia tota monet.
Rurſus in Henricum IV. noua bella gerentur.

Hæc Patres, in cauſa grauiſſima Paſchalis, & audierunt, & egerunt; non auſi iudicare, aut multare, quem ſibi diuina virgula reſeruauit: quin, neque, ſponte à Pontificatu abeuntem, permittere, aut tolerare abire volentes; cuius iudicium, & abdicationem, ſoli Deo reſeruatam eſſe ſatis ſcirent. Satis habuerunt, Patres, Paſchalem, vt priuilegijs Sedis Apoſtolicæ conſuleret, fatentem ex hac formula audire; *Amplector omnem diuinam ſcripturam, ſcilicet veteris & noui Teſtamenti, Legem ſcriptam à Moyſe, & à SS. Prophetis. amplector quatuor Euangelia, ſeptem Canonicas epiſtolas, & epiſtolas glorioſi Doctoris B. Pauli Apoſtoli. Sanctos Canones Apoſtolorum. Quatuor vniuerſalia Concilia, ſicut quatuor Euangelia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe. decreta SS. Patrum Romanorum Pontificum, & præcipuè decreta Domini mei Papæ Gregorij, & beatæ memoriæ Papæ Vrbani. quæ ipſi laudauerunt, laudo: quæ ipſi tenuerunt, teneo: quæ confirmauerunt, confirmo: quæ damnauerunt damno; quæ repulerunt, repello; quæ interdixerunt, interdico; quæ prohibuerunt, prohibeo in omnibus, & per omnia, & in his ſemper perſeuerabo.*

Profeſſio fidei à Paſchale in Concil. edita.

Gregorij & Vrbani potiſſimum meminerat Paſchalis, in ea profeſſione, quod hi præcipuè plura ſanxiſſent, contra Imperatores, rem ſibi Eccleſiaſticam vſurpantes. Quorum decretis, ne priuilegium extortum quicquam præiudicii afferret, placuit & iſtud educere,

quod

quod Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus ex ſententia Paſchalis, & Concilij pronunciauit; *Priuilegium illud quod non eſt priuilegium (neque vero debet dici priuilegium, ſed prauilegium) pro liberatione captiuorum & Eccleſiæ, à Domino Papa Paſchali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc Sac. Concilio cum eodem Domino Papa congregati, canonica cenſura, & Eccleſiaſtica authoritate, iudicio S. Spiritus damnamus & irritam eſſe iudicamus, atque omninò caſſamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat, penitus excommunicamus.* Edixerunt iſta, ſed non priùs, quàm ipſe Paſchalis, *condemno ſub perpetuo anathemate, & rogo vos omnes, vt hoc idem faciatis,* dixiſſet: quod non ignorarent, *Pontificem Romanum à nullo mortalium iudicari, aut condemnari poſſe.*

Synod. Priuilegium Henrico datum reſcindit, & damnat ad inſtantiam Paſchal. PP.

Quomodo Alexand. III. Pont. Frider. Oenobardi Imp. audaciã fregerit.

Iam Henrici peſtilentiſſimi, longè peſtilentior nepos, Fridericus Oenobardus, odio in Alexandrum III. inflammatus, cum Pontificem legitimum iudicare, atque præfracta tyrannide Pontificatu deijcere conaretur; eamque ob rem Concilium ex quinque Regnis Epiſcoporum, tyrannica poteſtate indixiſſet; Alexander audaciam eius vt frangeret, hæc reſcripſit: *Longè à conſuetudine prædeceſſorum ſuorum, inquit, receſſiſſe videtur, & dignitatis ſuæ terminum exceſſiſſe Imperator, dum ſine conſcientia Romani Pontificis Concilium conuocauit, & nos ad præſentiam ſuam, quaſi homo ſuper nos poteſtatem habens, conuenire præcepit. Sanè Beato Petro, & per eum ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ cuius ipſe per Deum magiſter extitit & fundator, hoc priuilegium legitimè à Domino Ieſu Chriſto ſanctiſque Patribus traditum eſt; & per proſpera & aduerſa etiam cum ſanguinis effuſione, cum oportuit, vſque ad hæc tempora conſeruatam, vt vniuerſarum Eccleſiarum cauſas ipſius auctoritate diſcuteret, ac finiret, ipſa vero nullius iudicio vnquam ſubiaceret.*

Hæc, & alia plura, pro iure ſuo, Alexander, Friderico opponebat; quando tres de tota vniuerſitate Eccleſiæ ſeducti, quos ab vnitate Catholica ſeiunxerat ambitio, Imperatori, & congregationi Epiſcoporum, iudicium ſuper Pontificem deferebant. Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus, inter alios, pro Alexandro decertans, multa in eam rem ſcribebat: cum interim Galliarum, Hiſpaniarum, Anglorum, Hieroſolymorum & aliarum nationum Reges ac Principes, Friderici temerarios auſus deteſtarentur, & Alexandrum Pontificem venerarentur. Ex tot Regnis, non plures, quàm circiter quinquaginta Archiepiſcopi ac Epiſcopi, Papiam ad Pſeudoſynodum conuenerant. Sciebant enim reliqui, non Imperatoris eſſe Concilia indicere, neque inferiorum Antiſtitum de Summo Pontifice decernere.

Omnes Reges & Principes Frid. temerarios auſus deteſtati.

De Phil. Gall. Reg. Lud. Bauaro, & alijs Pont. Rom. iudicare volentibus. Ex diuerſis,

Recentiora adiungerem, de Philippo Galliarum Rege, aduerſus Bonifacium VIII. in Pariſienſi conciliabulo; de Ludouico Bauaro & F. Petro Corbario Antipapa, aduerſus Ioannem XXII. in tumultibus; Romano, Piſano, & Alemanno; de Cardinalibus Gallis ſchiſmaticis, contra Vrbanum VI. in ſucceſſione Fundana; de alijs itidem Cardinalibus, contra Eugenium IV. in Baſileenſi ex tunc Pſeudoconcilio; de ſucceſſoribus eorundem aduerſus Iulium II. in tumultuario concurſu Piſano: niſi execrationes in eos, ſuis temporibus ab vniuerſa Catholica Eccleſia prolatas, ad infamiam eorum augendam, maluiſſem ſepelire obliuione ſempiterna, quam ſuperiorum temporum monſtra, contra legitimos Pontifices olim nata, totieſque maledictis damnata excitare. Tam certùm mihi, Pontificem Romanum, canonicè electum, quamdiù Pontifex eſt, à nullo mortalium iudicari poſſe; quam etiam non incertum, eum qui non legitimè Petri Cathedram aſcendit, vel etiam qui ambigua ſuffragatione, in ſchiſmate emergente, aduerſus alium tam dubiè aſcendit, vt de eius & alterius aſcenſu, res in medio, apud non paucos, ſed apud Eccleſiam Catholicam poſita ſit, iudicio Eccleſiæ Catholicæ ſubiacere. Non ſemel, Patres in Concilijs, violentos Sedis Apoſtolicæ inuaſores iudicarunt, atque demerita cenſura percuſſerunt. Neque ſemel, ijdem, ad omnem è mentibus fidelium de ambigua duorum electione ſcrupulum eximendum, ſuffragia competitorum ad trutinam reuocarunt. Quemadmodum etiam in Concilijs Piſano, & Conſtantienſi, Gregorium XII. Benedictum XIII. & poſtea Ioannem XXIII. in ſchiſmate electos, quod conditioni in electionibus appoſitæ, & iureiurando interpoſito, de relinquendo ſtatim ab aſſumptione Pontificatu, ſi alter competitorum ſeſe eodem abdicaſſet, in ſe propter ſchiſma tollendum receptæ, non ſatisfeciſſent, adeoque propter præcedentia Sacramenta, iure merito, Pontificatu, qui veri Pontifices fuerant, vel ad Pontificatum iure prætenſo, qui non aſcenderant legitimè, ſeſe aut exutos eſſe oſtendiſſent, aut certè reipſa exuiſſent, adeoque iam quaſi non Pontifices, ſed priuatos homines, ſcilicet Petrum Lunam, Angelum Corrarium, Balthaſarem Coſſam, ad ſubſellia ſua Conſtantiana euocarunt, criminationes aduerſus illos ſuſceperunt, audierunt, examinarunt, & tandem criminum conuictos, iamque ex vi iuſiurandi ab illis ipſis concepti, à ſeipſis ipſis exauctoratos, non Pontifices amplius, condemnarunt: cum, quamdiù aliqui ex eis legitimi Pontifices eſſent, neque aſſumptionem, neque actiones, neque fidei profeſſionem, neque mores quamuis tantò faſtigio indignos eorum, ſub virgulam cenſoriam vocaſſent, ſcientes, Pontificem Romanum, quamdiù Pontificatu ſeſe non ipſe abdicat, omni cœtu ſuperiorem, à nullo inferiore poſſe iudicari. Neque huic ſcito, aliquid contrarium, aut egerunt, aut ſanxerunt, aut vero ſancire potuerunt: quemadmodum Duualius Doctor Sorbonicus, nouis Dioſcoris, Vigorio & Richerio oſtendebat. Non egerunt quidem. Namque Pontifices illius temporis, ſub hac conditione eligebantur, vt vnuſquiſque Pontificatu ſuo decederet, ſi alij in ſchiſmate ſubrogati, iuri ſuo prætenſo renunciarent: vel etiam ſi euidens Eccleſiæ vtilitas illud expoſceret. Itaque nullius electio tam rara & abſoluta fuit, vt altero eorum iuri ſuo prætenſo volente ex pacto decedere, aliquis abſolutè, & citra omnem ambiguitatem, Pontifex præſideret. Quamobrem,

Patres in Concil. Sed. Apoſt. inuaſores, vel ambigua ſuffragatione electos iudicarunt, & damnarunt, & tatio.

neque abſolutè, ſed *in ſua* tantùm *obedientia*; ſcilicet non certò, & indubitanter Pontifices, à pleriſque ſalutabantur. Itaque nihil aduerſus canonem, *de non iudicando Pontifice*, egerunt; cum aduerſum Gregorium, Benedictum, & Iohannem, Iudicium inſtituerunt; quod neminem eorum, ex vi iureiurandi à ſingulis olim interpoſiti, Pontificem certùm, indubiumque exiſtimarent. Nihil etiam aduerſarium ſcito illi ſanxerunt; ſed tantummodò, Concilium, Pontifice dubio & incertò, ſuperius eſſe renunciarunt: quod accidit, quando ſchiſmate pernicioſo laborat & vexatur Eccleſia, & contendentium iura omni ex parte dubia ſunt. Tunc enim nullus dubitauerit, quin in Eccleſia ſuprema poteſtas ſit, ad dubios illos Pontifices, vel alterum eorum deponendum, aut aliquem in eorum locum ſufficiendum. Sed nec quidem aliquid illi ſcito contrarium ſancire (ſi quis abſolutè, Concilium ſupra Pontificem eſſe, ſauxiſſe illos contenderet) potuerunt: quod ſchiſmate in Eccleſia graſſante, Concilium, res fidei deffinire non poſſit, ſed tantùm ſchiſma extinguere, certumque ac verum Pontificem eligere. Deinde, quod antequam Gregorius, & Ioannes, iuri ſuo, in Patrum cœtu renunciaſſent, pro Pontificibus, in ſua obedientia ſinguli, & ipſi ſe gerebant, & ab omnibus habebantur; adeoque Patres illi, ante illorum abdicationem, & Martini V. aſſumptionem, cum non niſi tertia pars Eccleſiæ nullo apud eos certò & indubitato Pontifice, conueniſſet, Concilium Oecumenicum tunc ad canones ſanciendos repræſentare, & perindè, neque *Concil. ſupra Pontif. eſſe*, definire; cum etiam ſi Oecumenica congregatio ſine Pontifice fuiſſet, ſine Pontifice, quin neque cum Pontifice, contra Pontificem ſtatuere potuerunt. Præclarè, in non diſſimili negotio, Deſiderius Caſſinenſis Abbas, Epiſcopi Aſtenſi oppoſuit: *Sedes Apoſtolica*, inquit, *Domina eſt noſtra, non ancilla, nec alteri ſubdita, ſed omnibus prælata; & ideò nulla omninò ratione ſub iugum à quoquam mitti poteſt. Quod à Nicolao Papa factum eſt, iniuſtè profectò ac temere præſumptum eſt. Non tamen cuiuſque ſtultitia, aut temeritate amittit Eccleſia dignitatem ſuam, neque vos id ſentire vlla ratione debetis, neque fauente Deo, vltra continget, vt ex Alemanni Regis nutu Papa Romanus ordinetur.* Addo, vel in ordinem redigatur, vel in eum aliqua ſanctio à congregatione quamuis numeroſiſſima, quamuis etiam aliquo Pontificum, præuaricante, vel præſumente ſtatuatur. Quamobrem, & Martinus Quintus poſtea indubitatus Pontifex, non omnes eius Concilij Conſtantienſis actiones, ſed eas tantùm quæ *conciliariter fuerant decreta*, probauit. ſcilicet eas, quæ præuio, examine, mutua, & matura Patrum omnium collatione; conſentientibus, atque vltrò cedentibus Pontificatu, ijs qui olim veri, ſed non adeò vt oportebat indubitati Pontifices extiterant; & præcipuè quæ poſt ſublatum ſchiſma, & nouam ſui ipſius aſſumptionem, ſubſecutæ ſunt, confirmauit. Inter has non fuit ea conſtitutio, de ſuperioritate Concilij abſolutè, ſuper Pontificem abſolutè: quod etiam Pius II. olim Æneas Syluius, dum illam conſtitutionem aliquando contra Eugenium in Baſileenſi tunc conciliabulo adduxiſſet, diſerta confeſſione retractatoria affirmauit: quanquam actionem de abdicatione Gregorij & Ioannis legitimorum Pontificum, non improbaſſet. Nam ijs, non auctoritate Concilij, ſed ipſorum ſpontanea ceſſione, Pontificatus abrogatus eſt. Non enim commodior, aut iuſtior ſeſe ratio dabat, quam perſuadere ſingulis, ipſi ſeſe inſignibus Pontificatus nominequе volentes exuerent. Præſtitum id tandem à Ioanne poſt fruſtratoriam promiſſionem, poſtquam fugam ad nouas ſpes captandas inierat, pridie Kalen. Iunij ſeſſ. XII. Nec diù poſt IV. Nonas Iulij ſeſſ. XIV. Carolus Malateſta, Gregorij cum ampliſſimis mandatis Legatus, eius ſe nomine Primatu abdicauit. Benedictus aliquoties ſollicitatus, quod animum præfractè obſtinaſſet, ante VII. Kalen. Auguſti ſeſſ. XXXVII. grauiſſimo excommunicationis fulmine percuſſus, ſupremo quod ſibi arrogauerat, in terris imperio ſpoliatus eſt. Illegitimè ſibi arrogantem Pontificatum, Benedictum abdicarunt: illis vetò vt in ſe ſententiam ferrent, atque ſpontè decederent detulerunt, veram, quamuis non certam in ijs Pontificiam prærogatiuam reuerentes; non ignari, Pontificem, quamdiù Pontifex legitimus & indubius eſt, non poſſe à Concilio iudicari; aut condemnari.

Pontifice dubio & incerto electo Concilium ſuperius eſt.

Schiſmate in Eccleſia graſſante Concil. res fidei definire non poteſt.

Deſiderius Caſſinen. de prærogatiua Sede Apoſt.

Greg XII. & Iohan. XXIII. in ſchiſmate cum Benedicto XIII. electi ſponte ſe abdicarunt.

Benedictus excommunicatus per Concil. & Pontificatu abdicatus.

Cauſa fidei, nonnulli, Concilio ſubijciunt Pontificem. Sed ſi verum, vt veriſſimum eſt, orationes Chriſti non in irritum cecidiſſe, ſed ſemper illum à Deo exauditum eſſe: Chriſtus vero, ne Romani Pontificis fides deficeret enixè orauit: & ab hac Saluatoris oratione, nemo hactenus Pontificem Romanorum in fide Orthodoxa errauit, neque in poſterum errabit: conſectaneum eſt, nunquam tale tribunal contra Romanum Pontificem erigendum fore. Contra PAVLVM QVINTVM feliciter ſuperſtitem, certitudine ipſa certiùs, non erigetur. Eius enim ad Pontificatum aſſumptio, *Domini eſt aſſumptio, & ſancti Regis Iſrael* electio, diuino calculo ſignata, atque comprobata. Quod de S. Cornelio aliquando Cyprianus martyr, & de Gregorio VII. ſanctus Anſelmus Lucenſis, hoc de PAVLI QVINTI aſſumptione vniuerſa dicit Eccleſia: *Factus eſt Epiſcopus de* DEI *&* CHRISTI *eius iudicio, de clericorum penè omnium, & vt verius dicam omninò omnium teſtimonio: de plebis quæ tunc aderat ſuffragio; de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cum nemo ante ſe factus eſſet: cum Leonis XI. id eſt cum locus Petri, & gradus Sacerdotalis cathedræ vacaret. Cæterùm ad hoc Sacerdotij ſublimè faſtigium, cunctis religionis gradibus aſcendit, nec vim fecit, vt Epiſcopus fieret; ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus acciperet.*

An cauſa fidei Pont. Roman. Concil. ſubiectus.

De aſſumptione Pauli V. ad Pontificatum

Epiſcopatum porrò vniuerſalis nactus Eccleſiæ, non eſt quod metuat, aut metuere debeat inſolens iſtud tribunal. Eas enim virtutes, quæ illum ſenſibus Patrum Infuderunt, cumulato fœnore adauxit; Fide Orthodoxa ſine ruga, & macula; charitate in Deum, Eccleſiam, & gregem ſibi creditum inflammata; prudentia falli & fallere neſcia; iuſtitia, quam

nulla

nulla, aut liuoris nebula fuſcauit, aut aſpectus perſonarum vmbra obſcurauit; clementia, quam nullæ nocendi artes, fellitis aliquorum ſenſibus exquiſitæ, ad truculentiam, vel etiam maleuolentiæ ſtudium impellerent; ſincero pietatis arcano, nonniſi puritate & virginitate candidato; Innocentia ad omnem pietatis iuſſionem præparata nec niſi religioni colendæ, amplificandæque conſecrata; & in ſumma adminiſtrandæ Chriſtianæ rei tanta cura, vt non niſi publica omnium commoda, profuſus in omnes Pater & arbiter æſtimet, proprioque cenſu neglecto, ſine inuidia ſordium, diuitias quidem morum ſibi referat, cæteris autem felicitatem, ab aureo ſuo Pontificatu conferat: memor illius memorandi, quod aliquis dignum auro ſcripſit: *Tende ad meritorum celſa veſtigia, vt priores tuos quos æquas honore, virtute etiam tranſcendas. Supra omnium humeros, atque ora, reſpice te volitare. Talem igitur te præbe, vt dignus genere, dignus Vrbe,* dignus Orbe, *dignus collegij Iudicio, dignus trabeis æſtimeris.*

Pauli V. Pontif. elogia.

CAPVT XVI.

A Pontifice Romano, nulla prouocatio.

Pœnæ à Paulo V. contra appellantes ad vniuerſale Conc. latæ.

NOn temere PAVLVS QVINTVS veſtigia ſuperiorum Pontificum ſecutus, auctoritate Apoſtolica edixit: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint: Vniuerſitates verò, Collegia, & Capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdicimus ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium, ad vniuerſale futurum Concilium appellantes: nec non eos quorum auxilio, conſilio, vel fauore, appellatum fuerit.* PAVLO QVINTO ad iſtud anathema pronunciandum, Pius ſecundus præiuit, qui hanc quam adiungo ſanctionem vulgauit.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.
Ad futuram rei memoriam.

Sãctio Pij II. Pont. contra prouocantes ad futurum Concil.

Execrabilis, & priſtinis temporibus inauditus, tempeſtate noſtra inoleuit abuſus, vt à Romano Pontifice, Ieſu Chriſti Vicario, cui dictum eſt in perſona Beati Petri, Paſce oues meas, &c. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; nonnulli ſpiritu rebellionis imbuti, non ſanioris cupiditate iudicij, ſed commiſſi euaſione peccati, ad futurum Concilium prouocare præſumunt. Quod quantum ſacris canonibus aduerſetur, quantumque reipublicæ Chriſtianæ noxium ſit, quiſquis non ignarus iurium, intelligere poteſt. Namque vt alia prætereamus, quæ huic corruptelæ manifeſtiſſimè refragantur, quis non illud ridiculum iudicauerit, quod ad id appellatur, quod nuſquam eſt, neque ſcitur quando futurum ſit? Pauperes à potentioribus multipliciter opprimuntur, remanent impunita ſcelera, nutritur aduerſus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, & omnis Eccleſiaſtica diſciplina, & hierarchicus ordo confunditur.

Volentes igitur hoc peſtiferum virus, à Chriſti Eccleſia procul pellere, & ouium nobis commiſſarum ſaluti conſulere, omnemque materiam ſcandali ab ouili noſtri Saluatoris arcere, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, cunctorumque Prælatorum, ac diuini & humani iuris interpretum Curiam ſequentium, conſilio & aſſenſu, ac certa noſtra ſcientia, huiuſmodi prouocationes damnamus, & tanquam erroneas, ac deteſtabiles reprobamus, caſſantes, & penitus annullantes, ſi quæ hactenus taliter interpoſitæ inueniantur, eaſque tanquam inanes, ac peſtiferas, nullius momenti eſſe decernimus, ac declaramus. Præcipientes deinceps, vt nemo audeat quouis quæſito colore, ab ordinationibus, ſententijs, ſiue mandatis quibuſcunque noſtris, ac ſucceſſorum noſtrorum, talem appellationem interponere, aut interpoſitæ per alium adhærere, ſeu eis quomolibet vti,

Si quis autem contra fecerit, à die publicationis præſentium in Cancellaria Apoſtolica poſt duos menſes, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerit, etiamſi Imperiali, Regali, vel Pontificali præfulgeat dignitate, ipſo facto ſententiam execrationis incurrat, à qua niſi per Romanum Pontificem, & in mortis articulo, abſolui non poſſit. Vniuerſitas verò ſiue Collegium, Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto, & nihilominus tam Collegia & Vniuerſitates, quam prædictæ, & alia quæcunque perſonæ, eas pœnas, ac cenſuras incurrant, quas rei maieſtatis, & hæreticæ prauitatis fautores incurrere dignoſcuntur. Tabelliones inſuper ac teſtes, qui huiuſmodi actibus interfuerint, & generaliter, qui ſcienter conſilium, auxilium dederint vel fauorem talibus appellantibus, pari pœna plectantur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrorum, voluntatis, damnationis, reprobationis, caſſationis, annullationis, decreti, declarationis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Mantuæ anno Incarnationis Dominicæ 1459. 15. Kal. Februar. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Hæc Pontifex Pius, contra temerarios prouocatores ſanciebat. nec temere.

Nemo Apoſtolorum vel Iudæorum à Chriſti ſententia prouocauit.

Nemo Apoſtolorum, ſed nec aliquis Hebræorum, quamuis aduerſarum partium eſſent, à Chriſti ſententia prouocauit. In adulteram adductam, vt qui innoxius eſſet, primus eam lapidibus impeteret, decretum pronunciatum, nullus, alicuius vitij accuſauit. Alijs Saluatoris eiuſdem edictis, robur ſuum ſterit; neque vllus vſpiam, quantumuis hoſtis, impugnauit. Chriſto in cœlos aſſumpto, cum Petrus vniuerſi Ouilis curam aſſumpſiſſet, nullus Coapoſtolorum, nemo diſcipulorum, aut Chriſti fidelium, ab eius ſanctionibus, ad alia ſubſellia proſilijt. Electionem Epiſcoporum, publicationem Euangelij inter Gentes, abrogationem legalium renunciat; Simonem Magum damnat, ANANIAM & SAPHIRAM extinguit, bona in commune ex fide & comportari, & diſpertiri iubet, Apoſtolos deſignat & mittit, doctrinam ad ſe à Coapoſtolis delatam examinat, probat; & in ſumma, omnia alia in ſalutem ouium, cum poteſtate decernit; omnes obſequuntur, nullus refragatur, nemo aut Cæſarem, aut Pontificem Hebraicum, aut cœtum vel Synhedrinum, vel Eccleſiæ appellat. Non quis ille,

Nemo etiam poſt Chriſtũ à Petri ſanctionibus appellauit.

neque

neque agnus, qui vocem Paſtoris, ad cognitorem alium vocat. Non Chriſti diſcipulus ille, qui in ius, præcepta Vicarij pro Chriſto

Nõ eſt membrum quod contra caput conſurgit.

præceptoris trahit. Non membrum illud corporis Eccleſiæ, qui cum Capite viſibili, de eius arbitrio contendere patat. Non ſponſa illa, quæ contra ſponſi voluntatem conſurgit. Non filius ille familias, qui Patri negotium faceſſit. Non ciuis ille nouæ Hieruſalem de cœlo deſcendentis, qui Principem eius ciuitatis ad tribunal raptat. Non remex ille myſticæ nauis, qui in Proretam, Iudicium cogit. Non Regio Sacerdoti communicat, quinimo Iudicium Dei ſibi accerſit ille, qui iudicium ſupremi Hierarchæ recuſat. Namque & huic nouæ legis Archimyſtæ, idem ſupremum ius, quod Sacerdoti Moſayco ſupremo omnium

Deut. 17.

puto: *Qui ſuperbi: erit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael: cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat*

Rom Pontif. omniũ Chriſtianorum ſupremus.

ſuperbia. Idem ius & auctoritatem eſſe Romano Pontifici, quod olim Moſayco ſummo ſacerdoti, non temere affirmaui. Namque eſt, & Chriſtianorum Monachus, & Paſtor Oecumenicus agnorum & ouium, & Caput vniuerſalis Eccleſiæ, & Iudex iudicum, & omnium mortalium ſupremus, & cętui Paſtorum omnibus modis Prælatus, & Domus, Nauis, Ciuitatis, Regni cœlorum Regalis Sacerdotij ſummus Pater familias Nauclerus Princeps, Clauiger, Antiſtes, Chriſti Vicarius. Falſi illi, qui rempublicam Chriſtianam, in Eccleſiaſticam, & ciuilem, ita partiuntur, vt ſocias, atque omnino diſparatas, non verò in vnum corpus mixtas, vnam rempublicam Chriſtianam facientes, in qua Eccleſiaſtica ſpiritum, ciuilis referret corpus, mentiantur. Catholici, qui verè Catholici; cum Paulo Apoſtolo

Omnes in vnum corpus in vno ſpiritu baptizati ſumus. Rom. 12.

gloriantur; *Sicut corpus vnum eſt, & membra multa haber, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt; ita & Chriſtus. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi.* ſcilicet, ſiue Imper. ſiue Reges & Principes, ſiue mancipia quantumuis abiecta: *& omnes in vno ſpiritu potati ſumus.* Itaque cum reſpublica Chriſtianorum vnica ſit, non minus quam vnum corpus: & in ea Summus Pontifex locum rationis, & ſpiritus, ſeu capitis dirigentis, ac de toto corpore decernentis, (& quid niſi Monarchi Chriſtianorum?) obtineat; Monarchico Iudicio, ſcilicet extremo proculdubio vniuerſas controuerſias iudicat, & de toto negotio ad eum modum præſcribit, vt ſas amplius non ſit ad aliud tribunal prouocare; quemadmodum nefas eſt corpori & ſenſibus, à capitali directione recedere; & ſubditis Regijs, ad alium Regem, qui de ſententia Monarchi cognoſcat, accurrere; & ouibus, ad non Paſtorem contra Paſtorem; & filijs contra Patrem ad non patrem; & nautis aduerſus Nauclerum, ſi ille ſupremus & Proreta & Dominus ad remiges; & ciuibus aduerſus Principem Monarchum, ad ciues; & vt verbo dicam, inferioribus à ſupremo omnium Iudice: ad inferiores iſtius, à quo ipſi in partem ſollicitudinis vocati ſunt, appellare. Ex v. Duualius Doctor Theologus Sorbonicus diſſerebat. 1. In cauſa appellationis, appellans à poteſtate & iuriſdictione eius à quo appellat, eximitur. At in nullo caſu poteſt quis à iuriſdictione & poteſtate Rom. Pontiſ. eximi: alioqui non eſſet amplius illius ouis, ac per conſequens nec Chriſtianus: cum Chriſtus in quoſcunque Chriſtianos Petro dederit poteſtatem his verbis: *Paſce oues meas*, non has aut illas, non huius aut illius regionis, ſed in vniuerſum, *oues meas*, id eſt, omnes qui CHRISTIANÆ religioni nomen dederunt, vt eleganter 3. de conſideratione ad Eugenium docet Bernardus. Secundo. Per appellationem recedit appellans ab obedientia & communione eius à quo appellat. Atqui nulli Chriſtiano, in quacunque dignitate ſit conſtitutus, ab obedientia Sum. Pontiſ. & communione cum eius Sede licet recedere. *Quiſquis* enim extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit; peribit regnante diluuio, vti Hieron. Damaſum Sedis Apoſt. Rectorem alloquitur. Tertio. A Monarcha, Monarchico, I. e. extremo Iudicio iudicante, neſas eſt appellare. At Pontifex Rom. eſt ſupremus Eccleſiæ Monarcha. Extremo igitur Iudicio quaslibet cauſas ita terminabit, vt fas amplius non ſit, ad vllum aliud tribunal prouocare. Quarto. Iudex, à cuius Iudicio prouocatur, Iudicem ad quem ſit prouocatio parti condemnatæ dare, aut deſignare non debet. Sic enim ageret in ſeipſum, abiretque in rem iudicatam, contra communem iuris regulam. Atqui ſolius Pontiſ. Romani eſt Concilia Oecumenica indicere, congregare, & confirmare, atque eorum decretis robur tribuere. Itaq; ſi ab eius Iudicio ad Concilij tribunal ſit prouocatio, debebit Pontifex ipſe contra ſeipſum agere; in rem à ſe abſque fraude ſibi facta, iudicatam abire: arma, quibus emendetur & corrigatur ſuppeditare: & quod amplius eſt, iſta omnia contra ſe ſuumque Iudicium definita nouo ſuo calculo confirmare, quod certè vniuerſum iuſtitiæ ordinem, præclariſſimamque hierarchiam omninò peruertit & deſtruit. Iſta Duualius demonſtrabat: quod ſciret, Roman. Pontificem ſupremum eſſe Eccleſiæ vniuerſalis Iudicem, nemini mortalium ſubiectum, à nemine poſſe iudicari: & ea propter in cauſis fidei & morum, ad eum modum vniuerſis & ſingulis præſcribere, vt Chriſtianus non fuerit, quicumque ab eius decretis aliorſum, quam ad eiuſdem tribunal, (ſi præocupatus, & non ſatis de aliquo facto informatus, ſeu quemadmodum aiunt, per ſubreptionem aliquid decreuiſſet ad fraudem ex priori iudicio factam retegendam & declarandam) prouocauerit. Ad quem modum Auguſt. olim, Donatiſtis quærentibus, quaſi Pontif. Melciades, cauſam Cæciliani cum Donato, non ex æquo iudicaſſet, permittebat, ſcribens: *Ecce, putemus illos Epiſcopos qui Romæ iudicarunt, non bonos Iudices fuiſſe! Reſtabat adhuc plenarium vniuerſalis Eccleſiæ Concilium, vbi etiam cum ipſis Iudicibus cauſa poſſet agitari: vt ſi malè iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur.* Facti, in quo non nemo decipi facile poteſt, non iuris, quæſtio fuit inter CÆCILIANVM, atque DONATVM. In hac Melciadem, non

Duualij doct. Sorbon. Theologi de iuriſdict. Pont. aſſertiones. Lib. 4. quaſt. poſtremo.

Epiſt. ad Glorium & Eleuſium.

ex

ex æquo hunc condemnaſſe, illum verò abſoluiſſe, poſt centum, & amplius annos conqueſti ſunt Donatiſtæ. His Auguſtious non quidem concedebat, quaſi inſtum ſed tamquam minus malum permittebat, qnod potuiſſeot à XIX. Epiſcopis Romæ indicantibus, ad plenarium Conciliom, ſed in quo Melciades præſideret, & reliqui XVIII. pariter cum alijs iudicareot, potius quam ad Conſtantinom Imperatorem prouocaſſe. Cæterum iſtud ſi feciſſent, non à Poutifice ad Coocilium, ſed ab eodem non plenè informato, ad eundem melius informaodum, prouocaſſent. Quod quidem leuius malum fuiſſet, quam vel horrendum illud ſchiſma, quo tota Africana Ecclefia miſerrimè deperijt accendere, vel ad Imperatorem hominem laicum, potius quam ad vniuerſale Concilioin Ecclefiæ prouocationem interponere. Enimuero, cum profani, exemplo Pauli Samoſateni, qui primus viam aperuerat, vt ab Epiſcoporum iudicio Imperator adiretur, Conſtantinum interpellaſſent, neque Imperator audire ſuſtiuuit, ſed vehementius in eos commotus exclamauit; *O rubidu furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.* Ac præterea Catholicis Epiſcopis ſcribens, aduerſus eiuſmodi appellantium impudentiſſimam temeritatem vehemeotiſſimè inuectus ſummopere doluit, ac veniam ab Epiſcopis flagicauit, quod aliquando in alienam meſſem falcem miſiſſet, ſcilicet quod *poſt Melciadis Romani Epiſcopi iudicium aliud aliorum Epiſcoporum iudicium, non quia iam neceſſe erat, ſed eorum peruerſitatibus cedens, & omnia cupiens tantam impudentiam cobibere dediſſet.* vt Auguſtinus, Ruffinus, & Optatus meminerunc. Ita tum temporis, noo paſſus eſt Conſtantinus retractari Melciadis ſententiam, quod eſſet, vt Auguſt. poſteà laodabat, *vltima, innocens, integra, prouida, pacifica; à Patre Christianæ plebis, ac Romana Eccleſia, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus* prolata qua tandem *finitum eſt iudicium.* Damnatus io Coocilio Calcedonen. Dioſcorus, quod Leonis Papæ ſenteotiam, io Concilio Epheſino legi atq; acceptari prohibuiſſet, atque ad eam retractaodam latrocinium Epheſinum coegiſſet. Laudati patres Nicæni, qui Sylueſtri, Conſtantinopolitani qui Damaſi, Epheſini, qui Cœleſtini Calcedonenſes qui Leonis, Conſtantinopolitani qui Vigilij, Trullani qui Agathonis, Nicæni qui Hadriani, Conſtantinopolitani qui Hadriani ſecundi, Lateranenſes qui Alexandri III. & Innocentij III. Lugudenſes qui Innocentij IV. & Gregorij X. Viennenſes qui Clementis V. Conſtantienſes qui Martini V. Florentini qui Eugenij IV. Lateranenſes qui Iulij II. & Leonis X. Tridentini qui Pauli III. Iulij III. & Pij IV. tam de Fidei, quam de morum controuerſia ſententias, quamqnam præſcriptas quandoque nunquam aut in examen iuridicum vocarunt, aut cenſoriæ virgulæ ſubiecerunt, aut aliqua de cauſa retractaront. Damnatus in Concilio octauo Photius, quod à ſententia Romanorum Pontificum ad Canones prouocaſſet: ibidemque à Patribus pronunciatum, *ne quis audacter ſententiam in Romanum Pontificem dicere auderet.* Laudati Patres Quintilineburgenſes, Hermanno Rege præſente coogregati, qui ex multis Sanctorum Patrum decretis oſtenderunt, Eccleſiam Romanam Primatum ſuper omnes obtinere, nullique eius iudicium licere, aut retractare, aut iudicare, proindè excommonicationem à Gregorio VII. in Henricum Regem & Henricianos prolatam iuſtam eſſe. Damnatus in eadem ſyoodo Gunibertus Babenbergenſis, & reiecto in illom ſolemoi illo, *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum,* deriſus; qood in media ſynodo blaterare non erubuerit, Romanos Pontifices huoc ſibi Primatum adſcripſiſſe, non diuinitus conceſſum hæreditaſſe, videlicet, vt nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio ſubiaceant. Oſtenderunt Patres, quod cum hoc generaliter io omnibus Eccleſiaſticis ordinibos obſeruandum deputetur, ne maior à minore iudicetur, iſtud Vicario Chriſti non poſſe denegari, quem omnes & ſinguli Catholici pro Domino & Magiſtro venerantur. Laudatus Carolus Magnus, qui illud memorandum ſanciuit; *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem; vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia denotione toleremus.* Damnati Frædericus Oenobarbus, qui io Alexandſi III. Frædericus eius nepos qui in Honorij III. Gregorij IX. Innocentij IV, Philippus Pulcher qui in Bonifacij VIII. Lodouicus Bauaros, & Michael Cæſenas, qui in Ioannis XXII. Sigiſmundus Dux Auſtriæ, Greg. Heiburgus Archiepiſcopus Moguntinus, Frędericus Comes Palatinos Rheni, Frędericus Marchio Brandeburgicus, qui io Pij II. Platina, qui in Pauli II. Schiſmatici Piſani conciliabuli qui in Iulij II. oonnulli noſtro tempore refractarij, qui in Pauli V. & aliorum Pontificum decreta nimis temerarij, ad Concilium, quale ipſi vellent, & quale oumquam ab Eccleſia condita fuit celebratum, prouocarunc, nimirum vt ipſi quos ex re ſua videreot congregareot, omnibus poteſtatem veniendi & diccodi, & decernendi concederent, ipſi vniuerſo cætui præſidereot, pręſcriberent, & tum multitudine ſuffragiorum, tum terrore armorum cuncta peruincerent, & ſeotentiam quamuis iuſtificatam, ſi modo contraria eorum ſenſui, vel cenſui retractatent, cum tamen, ſi de rebus fidei agatur, non niſi ad Principes Eccleſiarum Epiſcopos, non verò ad omnes Eccleſiaſticos, neque ad Principes laicos, negotium pertineat, vt Patres Chalcedonen. liberrimè conclamarunt. *Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt.* Theodoſius etiam Imperator Patribus Epheſinis ſcripſit; *Illicitum eſt enim, qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Si verò controuerſia ſit de moribus, vel de Eccleſiaſtica diſciplina, rectè Athanaſ. ſolitariam vitam agentibus ſcripſit, *à condito æuo nunquam auditum eſſe, vt iudicium Eccleſiæ, aut ſuam authoritatem ab Imperatore accipiat, aut eius decretu pro iudicio agnoſcat.* Non enim Imperatori, ſed Eccleſiaſt. Paſtori, Chriſtus cognoſcendi pecoris ſui vultum,

Donatiſtæ ſententia Cōcilij ad Imp. appellant.

Quid Cōſtantinus Imper. illis reſponderit.

Opt. lib. 2.

Epiſt. 162. & 163.
Opt lib 1 cont. Parmenian.
Act. 2. & 3. Chalcedon.
Damnatus in Concil. Chalcedon. Dioſcorus ob latrocinium Epheſinum cōtra ſententiam Pontif. Rom.

Damnatus Photius ob prouocationem ad canones.
Canon. 21.

Damnatus Gunibert. Bamberg. blaterans Pontif. Rom. hunc primatum ſibi adſcripſiſſe.

Memoranda Caroli Mag. Sanctio de Rom. & Apoſt. Sede.

Diuerſi alij diuerſo tempore damnati ad Concilia prouocantes.

Theodoſ. Imp. ſcripſit ad Patres Epheſinos.

vultum, aut ſcientiam, aut potentiam dedit. Confidenter Hoſcius Cordubæ Epiſc. iſta Imperatori oppoſuit, *Ne præcipe*, inquit, *nobis Imperator in hoc genere, ſed ea potius à nobis diſce. Tibi enim Deus Imperium commiſit, nobis autem in ea quæ ſunt Eccleſ. concredidit.* Pari conſtantia Ambroſ. Valentiniano Imperatori dixit; *Nolite grauare Imperator, vt putes te qui ijs quæ Domini ſunt, aliquod Imperiale ius habere, publicorum tibi mænium ius commiſſum eſt; non ſacrorum. Imperator in Eccleſia eſt, non ſuper Eccleſiam, & iudicia Eccleſiaſtica non ad Imperatores, ſed ad Epiſcopos pertinent.* Eadem animi magnitudine, & S. Martinus Turonenſis Epiſcopus Maximo Imperatori in faciem dixit; *Nouum eſſe, & inauditum nefas vt cauſam Eccleſiæ iudex ſæculi iudicaret.* Non impari fiducia & Gelaſius Anaſtaſio Imperatori ſcripſit. *Noſti*, inquit, *fili clementiſſime, quod licet præſideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis. Noſti etiam ex illorum te pendere iudicio non illos ad tuam redigi poſſe voluntatem.* Sanctus etiam Auguſtinus docebat; *Piorum Regum eſſe Eccleſiam defendere, ſeuerisq; legibus, ac pœnis hæreticos ab Eccleſia damnatos coercere, non cauſas Eccleſiaſticas, aut Eccleſiaſticorum cognoſcere.* Sed neque Concilia indicere, neque in ſententiam Summi Paſtoris inquirere, neque quoquomodo ab eius iudicio ſupremo ſeſe ſubtrahere, ſed potius vocem illius audire, & maturo iudicio decretis obtemperare: cum etiam *ſententia iudicis, quamuis iniuſta, ſit metuenda*: vt S. Gregorius admonebat; & *Sedis Romanæ Præſulem, Deus, ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio*, vt Concilium Romanum ſub Symmaco decernebat: atque *is de omnibus omnium Eccleſiarum Præſulibus, de eo verò nemo iudicaret*, vt Patres octauæ Synodi agnoſcebant: necnon idem vniuerſæ Eccleſiæ, atq; omnibus ouibus & agnis, Principibus & populis, Synodis & ſingulis emineat; quem ſolum *ſolum tanquam ſuper omnia Concilia authoritatem habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius & poteſtatem habere, nedum ex ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat*, vt Pr. Lateranenſes teſtantur. Quod ſi verum, vt longè veriſſimum eſt, quod iudicium de cauſis Eccleſiaſticis, non ad Principes ſæculares, neque ad omnes Eccleſiaſticos, ſed tantum ad *Epiſcopos quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*, pertinet: fruſtra pſeudo Chriſtiani ad tale Concilium prouocant, in quo Imperator, vel Rex aliquis præſideat, & Ieſum vinctum iterum ſuo tribunali ſiſtat: vel in quo multitudine, non potiori iure iuriſdicundi vincat, inque ipſum ſuum, ac vniuerſorum Caput ſententiam damnationis ferat. Fruſtra etiam, ad Epiſcoporum Concilium appellant, in quo oues & agni, de ſuo & vniuerſorum Paſtore, ordine præpoſtero cognoſcant; ſine quo neque in vnum coire, neque cætui aut intereſſe, aut præeſſe, neque quicquam in medium aut proponere aut definire poſſunt: ipſe verò propter Principatum Apoſtolicæ prærogatiuæ, potis & ſolens ſit, omnes ex authoritate vocare, vocatis præſidere, præſcribereque, adeoque Conciliorum decreta probare, improbare, acta & iudicia aut reſcindere, aut ad ſuum tribunal reuocare, ac perinde ſupremam manum omnibus imponere. Sanctè, Iulius II. Pontifex, ex occaſione temerariorũ quorundam, hanc quam adiungere viſum, ſanctionem pronunciauit.

Hoſius Cordub. Imperatori.

Ambroſ. Valentiniano. *Epiſt. 33. & orat. de tradend. Baſilicis.*

S. Martinus Max. Imp.

Gelaſius PP. Anaſtaſ.

Sulpitius li. 2. hiſtor. in epiſt.

Auguſtini dictio. *Epiſt. 46. 50. & 165.*

Rom. Pontif. iudicium ſuo arbitrio reſeruauit Deus

Seſ. 11.

Iudiciũ Eccl. non ad Principes ſæculares neque ad omnes Eccleſiaſticos, ſed ad ſolos Epiſcop. ſpectat.

Iulius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Anno Dom. 1509. Sanctio Iulij II. Pap. contra temerarios prouocatores.

Suſcepti regiminis nos cura ſollicitat, vt eorum malitijs & audacijs, quorum ſceleris cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas animas occupantes (diſcordiarum fautore, ac ſchiſmatum inuentore, & alumno, humani generis inimico procurante) eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ ſibi à iure interdicta, & à ſanctis Patribus etiam in Congregatione fidelium, pro huius ſanctæ Sedis dignitate, & Eccleſiæ vnitate ſeruandis, ad ſchiſmatis occaſionem tollendam (quo in Dei Eccleſ. pernicioſior morbus vix inueniri poteſt) Spiritu ſancto cooperante, non minus prouide & ſalubriter, quam neceſſariè, decreta & ſtatuta eſſe nouerint, damnata audacia, & exquiſitis artibus & fraudibus attentare temere conentur, & eis contrauenire contendant, nunc nouorum editione iurium, nunc antiquorum innouatione & declaratione, nunc v. extenſione, & nouarum pœnarum adiectione, prout ſalubriter expedire conſpicimus, ſolicitis ſtudijs obuiare curemus.

Sanè licet olim fel. rec. Pius Papa II. prædeceſſor noſter, de Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, cunctorumque Prælatorum, ac diuini & humani iuris interpretum, Curiam Romanam ſequentium, in dieta, ſeu congregatione Mantuana exiſtentium approbatione, matura prius & graui præmiſſa diſcuſſione, & de eorundem congregatorum vnanimi conſilio & aſſenſu, ac ex certa ſcientia, prouocationes ad futurum Concilium efficaciſſimis & palpabilibus rationibus, tanquam erroneas & deteſtabiles damnauerit, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & interdicti pœnis præceperit ne qua perſona cuiuſuis dignitatis ſiue etiam vniuerſitas aut Collegium, quouis quæſito colore, ab ordinationibus, ſententijs, ſeu mandatis quibuſcumque ſuis, ac ſucceſſorum ſuorum appellationem huiuſmodi interponere auderet, & contrafacientes, vna cum fautoribus ſuis, & conſilium auxiliumue præſtantibus (ſiue hi tabelliones eſſent, ſiue teſtes, ſiue aduocati, ſiue alij quicumque) non ſolum pœnis & cenſuris prædictis, ſed etiam ijs quæ læſæ maieſtatis, & hæreticæ prauitatis reis imponuntur, obnoxios eſſe ſtatuerit.

Leonardus tamen Lauredanus Dux, Rogati, ac Generale Conſilium, & commune Venetiarum, omneſque & ſinguli patritij, & ciues Communis eiuſdem, vna cum Prouiſoribus, Poteſtatibus, Commiſſarijs, & reliquis Officialibus ſuis (quorum auctoritate, induſtria, conſilio, opera, aut fauore ciuitates, oppida, caſtra, & arces, ad nos & ſanctam Romanam Eccleſiam legitimè pertinentes, occupatæ fuerant, aut detinebantur) de Fratrum noſtrorum conſilio, à nobis requiſiti, & moniti, vt intra certum terminum, ſub pœnis tunc expreſſis nos & ſanctam Apoſtolicam Sedem, plenè, & omni ex parte, in conceſſa ſibi auctoritate & libertate, cum obedientia recognoſcerent, & redintegrarent, ac Rauennam, Ceruiam, Ariminum, Fauentiam, Sarſinam ciuitates cum oppidis, caſtris, terris, & diſtrictu ipſarum cumque

Leonar. Lauredan. Venet. Dux.

Caſtra-

Cæſenaten. Forlinien. ac Immolen. territorijs, caſtris, oppidis, terris, & locis quæ occupabant, integrè & expeditè, nobis & dictæ Romanæ Eccleſiæ, cuius iuris eſſe noſcebantur, relaxarent, atque inde recederent, nec impedirent, quominus illorum ciues & habitatores, ad piæ matris ſuæ Romanæ Eccleſiæ obedientiam reuerterentur, omnes eorum fautores ab auxilij in talibus præſtatione deterrendo. Ita quod requiſitioni, monitioni & mandato noſtro huiuſmodi non parentes, maioris excommunicationis ſententia de ſimili conſilio eo ipſo innodati cenſerentur, à qua præterquam in mortis articulo conſtituti, per alium quam per Romanum Pontificem, etiam prætextu cuiuſcumque facultatis, cuicumque pro tempore conceſſæ, abſolui non poſſent (quam quidem excommunicationis ſententiam, in huiuſmodi non paritionis euentum, iteratis etiam vicibns aggrauauimus) paternis monitis, & ſalutaribus iuſſis obſequi, prout debebant, indebitè recuſantes, ceu qui iuri proprio diffidunt, & ſuperioris mandata contumaciter obaudiunt, vt quæ minus iuſtè vſurparunt, indebitè, etiam cum animarum ſuarum detrimento retineant, ad prohibitum, atq; damnatum remedium confugientes, à requiſitione, monitione, & mandato, ac ſententijs, cenſuris & pœnis prædictis, nulla Conſtitutionis Pij prædeceſſoris hoc expreſsè vetantis habita ratione, ad futurum Concilium, temere, vt accepimns, prouocarunt.

Ioan. Bentiuolus Bononiæ tyrannus.

Prout etiam perditionis filij, quoudam Ioannes Bentiuolus, & eius nati, cum eos à tyrannica oppreſſione dilectæ ciuitatis noſtræ Bononiæ expellere decreuiſſemus, damnabiliter feciſſe dicuntur, videlicet, ad futurum Concilium prædictum appellaſſe & prouocaſſe. Nos igitur, quam deteſtanda ſit peruerſitas attendentes, qui proprijs innixi commodis, & nefarijs cupiditatibus mancipati, ſalubria decreta Patrum & ſuperiorum iuſſa ſpernentes, inconſutilem Chriſti tunicam ſcindere, ac etiam ſciſſionis cauſam habere contendunt, & Eccleſiæ vnitatem diuidere, prædictæ ſanctæ Sedis Apoſtolicæ principatum tollere, & contra tot ſanctorum Patrum, & ſacrorum Conciliorum decreta, temere & damnabiliter, magna audacia venire non erubeſcunt, & contrafacere non verentur, aſſerentes inter cætera, conſulentes, perſuadentes determinantes, ſeu determinationi huiuſmodi intereſſentes, ſola conſilij præſtatione, ſeu perſuaſione, deliberatione, aut determinatione, quod aliquibus caſibus, à Romano Pontifice, ſeu eius ſententia, vel decreto, ad futurum Concilium generale appellari poſſit, dicta Pij prædeceſſoris Conſtitutione non ligari, niſi in ipſa actuali appellatione, & illius interpoſitione, vel ſcripturæ compoſitione ſe immiſcuerint, ne de cætero tali aſſertione ſe excuſare, ac tale quid in poſterum præſumere impune valeant, opportunam tam immani & periculoſo morbo medelam adhibere volentes; hac generali, & in perpetuum valitura Conſtitutione ex certa noſtra ſcientia, & poteſtatis plenitudine, de venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, conſilio promulgata, ſancimus, Conſtitutionem Pij prædeceſſoris præfatam, tam citra, quam vltra montes, & in vltramontanis partibus, quo ad omnes, tam Eccleſiaſticas, quam ſæculares perſonas, etiam Regali dignitate, ac Cardinalatus honore fulgentes, Capitula, vniuerſitates, communitates & Collegia, Congregationes & Synodos, ac parlamenta, valuiſſe, valere, & perpetuo valituram declaramus, cum ſuppletione Solemnitatis cuiuslibet, etiam publicationis omiſſæ (cuius in illa edenda, vel publicanda defectus prætendi poſſet, quæ iuxta illam fieri requirebatur) eamque ex præterito, nunc & in poſterum inuiolabiliter obſeruari mandamus, ipſius violatores, cuiuſcumque dignitatis exiſtant, pœnis & cenſuris in eadem expreſſis, quocumque tempore ſubiacere ſtatuentes, contraria conſuetudine, ſeu potius corruptela non obſtante. Decernentes, & declarantes, vltra pœnas impoſitas, (quas ipſo facto dictos violatores & contrauenientes incurrere volumus) ipſos & eorum quemlibet, pro veris & indubitatis Schiſmaticis, & inconſutilis tunicæ Domini noſtri Ieſu Chriſti violatoribus & diſſipatoribus, ac de Catholica fide malè ſentientibus, habendos & reputandos: pœniſque canonicis & legalibus contra tales impoſitis ſubiacere, & cum Dathan & Abiron partem & damnationem habere ipſaſque etiam pœnas, & earum quamlibet omnes illos incurrere volumus, cuiuſcumque conditionis exiſtant, & gradus prærogatiua fulgeant, qui in Senatu, conſilijs, parlamentis, congregationibus etiam Synodalibus & prouincialibus, vel alias quomodolibet, tacitè, vel impreſsè, voce vel ſcripto, per ſe vel alium, (cuiuſcumque timoris vel reuerentiæ velamine, vel prætenſa excuſatione, & ſuperioris mandato non obſtantibus) decreuerint, conſuluerint, ſeu deliberauerint, vel aliorum dicta approbauerint, conſilium, aut vocem dederint, vt ad futurum vniuerſale concilium, à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, contra prædictam Conſtitutionem appellare liceat, poſſit, vel debeat, dictas pœnas ad ipſos & eorum quemlibet contrauenientem in præmiſſis, tenore præſentium extendentes, & locum habere declarantes, omni ambiguitate ceſſante.

Annullat prouocationes per Leonard. Ducē & Conſilium Venetū & quoſcumq; alios factas.

Et nihilominus prouocationes & appellationes, tam per Leonardum Ducem, Rogatos. Conſilium, & commune Venetiarum factas huiuſmodi, quam per quoſcumque alios prædictos pro tempore faciendas, & inde ſecuta quæcumque (vtpotè contra Pij prædictam ac præſentem Conſtitutionem attentatas) nullas prout ſunt, & inualidas, nulliuſque roboris vel momenti fuiſſe, & pro tempore fore, auctoritate, ſcientia & poteſtate ſimilibus, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, ac pro potiori cautela, caſſamus, & annullamus. Et vltra ſupradictas pœnas, (quas contra Conſtitutionis huiuſmodi violatores in ſuo robore permanere decernimus) loca quæcumque, ad quæ virlatores ipſos declinare, & in quibus ſcienter ſtare pexmitti contigerit, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, decernentes, illud, quamdiù ipſi violatores inibi ſcienter ſteterint, vt præfertur, & per triduum poſt eorum inde diſceſſum, firmiter obſeruari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, declarationis, mandati, ſtatuti, decreti, voluntatis, extenſionis, caſſationis, annullationis & ſuppoſitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nono. Kal. Iulij, Pontificatus noſtri anno ſexto.

ProfeſſioPrę-lat. Gallican. in Conc. Lateran. ratione. Conciliab. Piſam.
Seſ. 9 Concil. Lateran.

Ab hoc Iulij II. oraculo moti Prælati Gallicani, quamquam aduerſis eundem Piſis ad Conciliabulum conuolaſſent, & iudicia eius retractare pertentaſſent, tamen ad cor reuerſi, in Concilio Lateranenſi, ſe male egiſſe confeſſi ſunt ac deinceps profeſſi, *ſe talem gerere voluntatem erga Sedem Apoſtolicam, vt ab illius vnitate nunquam voluerint, nec in futurum velint diſcedere: nec ſchiſmaticos vnquam fuiſſe, ſed vnam Eccleſiam Catholicam ſub vno Pontifice maximo coluiſſe, & obſeruaſſe. Itemque expreſsè renuntiare congregationi Piſanæ, tam diſſolutæ; adhærere autem Concilio Lateranenſi, & petere abſolutionem, quatenus opus ſit à ſanctiſſimo D. Papa Leone.* Ab hoc eodem Iulij II. & aliorum Pontificum de non interponendis ad futurum Concilium appellationibus ſcito, Henricus IV. Rex Galliarum, eam quam ſuaſu hereticorum, qui iuuenilibus eius annis illudebant, à Sixto V. & Gregorio XIV. ad Concilium prouocationem interpoſuerat, abiurata hæreſi, reuocauit atque condemnauit, neque prius quieuit, quam ea abnegata, cum Summo Pontifice reconciliaretur, miſſo in eum finem Cardinale Perronio, qui totum negotium ex fide, & ex voto Regis geſſit: non ignarus doli & fraudis hæreticorum, qui mentione Concilij inieriecta, rem in longum protrahere, & tum Sedi Apoſtolicæ, tum Regi regnandi cupido illudere conabantur, prompti etiam ſolennes cauſationes, in Concilium, ſi coactum fuiſſet, conferre, vel quod non omnes conueniſſent, quorum cauſa vertebatur: vel præpoſtere, & partium Pontificiorum ſtudio rem tranſegiſſent, qui pro Catholica Religione decreuerent: vel paucos, longè plures obtuiſſent, adeoque vim veritati intuliſſent, ſi tum multitudine, tum præſtantia, & dignitatibus Catholici Hugonotos ſuperaſſent. Namque iſtud omnibus hæreticis in more, Concilium conclamare; at poſtquam coactum fuerit, auctoritatem, & integritatem Concilij eleuare.

Henric. IV. Rex Gall. abiurata hæreſi reuocat prouocationem ſuam ad Cōcil. contra Sixt. V. & Gregor. XIV.

CAPVT XVII.

Ad Pontificem Romanum, in cauſis Fidei Catholicæ, prouocatio.

Paulus aſcendit Hieroſol. viſitare Petrū tanquam ad ſupremæ authoritatis Paſtorem.
Gal. 1.

EXemplo præiuit Apoſtolus Paulus; qui quamuis Euangelium non per hominem, neque ab homine accepiſſet, ſed in tertium cœlum raptus arcana quæ non licet homini loqui didiciſſe, Hieroſolymam tamen aſcendit *videre Petrum*, apud quem *quindecim diebus* manſit. Neque id ſemel, ſed *& poſt annos quattuordecim* ſecundo, neque temere, aut fortuito, ſed *ſecundum reuelationem*, neque velut ad coæqualem, aut ſalutandi tantum cauſa, ſed ead eum, cui præcipui Apoſtolorum qui *videbantur columnæ eſſe*, velut lapidi fundamentario innitebantur, & ab eius ore in Conciliis pendebant, vt cum eo Euangelium ſeorſum conferret, ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet; vt ipſe ingenuè confitetur.

In epiſt. ad Leon.

Theodoretus iſtud agnoſcebat, cum Leoni Pontifici perſcriberet: *Paulus*, ait, *præco veritatis, tuba Sanctiſſimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt iis qui Antiochiæ de inſtitutis legalibus contendebant, ab ipſo afferret ſolutionem.* Hieronymus magis clare cauſam, cur aſcenderit ad Petrum, reddit: ſcilicet *non vt oculos, genas, vultumq; eius aſpiceret, vtrum macilentus an pinguis; adunco naſo eſſet an recto; & vtrum frontem veſtiret coma, an vt Clemens in periodis eius refert, caluitium haberet in capite, nec enim puto Apoſtolicæ fuiſſet grauitatis, vt poſt tantam triennij præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aſpicere. Sed his oculis aſpexit, quibus & modo in epiſtolis ſuis videtur: non tam diſcendi ſtudio, qui & ipſe eundem prædicationis haberet auctorem, ſed honoris Priori Apoſtolo deferendi*, vt ad eam formulam prædicandi & confeſſionis, velut ad lydium lapidem deferret. Oecumenius, aſcendiſſe, ait, *tanquam ad maiorem*. Chryſoſtomus, tanquam ad *os Apoſtolorum & Principem*. Ambroſius, tanquam ad *primum inter Apoſtolos, cui Saluator delegauerat curam Eccleſiarum*. Hieronymus, tanquam ad *ſupremæ authoritatis Paſtorem*. Voluit enim Chriſtus, vna cum legis veteris in nouam tranſlatione, Sacerdotij quoque hierarchicum ordinem in nouum transferri: ac proindè *tranſlato Sacerdotio*, vnum in Eccleſia cum ſuprema poteſtate præſidere, ad quem omnes aſcenderent, ſiue diſcendi gratia, quod diuinitus aſſecuti non fuerint; ſiue probandi cauſa, ſi quid per reuelationem Spiritus acceperint; ne, cum de fide, aliiſue rebus ad ſtatum religionis Chriſtianæ ſpectantibus controuerſia exoritur, Eccleſiam, quæ vnitatis compagine in hoc iuncta *eſt*, vt idem omnes ſapiant, in multas diuidi neceſſe ſit. Cæterum non difficile ſcinderetur, ſi tot eſſent ſententiæ, quot voluntates; neque aliquis Summus inter omnes emineret, cuius labia cuſtodirent ſcientiam, & de cuius ore omnes legem requirerent. Itaque & in noua lege, illud vetus innouauit, quemadmodum Theodoretus vulgauit; *Si iudicando non poſſis inueſtigare verum, aut probare, ſit ne corpus leproſum, neque diſcernere poſſis an vitiligo ſit, an lepra; ne damnaueris, neque iudices ex coniectura; ſed ad locum diuinum confuge, & Sacerdoti rem expone, aut ei cui in totum deducendi populi cura commiſſa fuerit; & quod ille iuſſerit, exequere. Quod ſi quis inflatus ſuperbia, reſponſis Pontificis, aut iudicis obtemperare noluerit; morte mulctetur, & ſit alterius vtilitatis exemplar. Quod ſi Paulus præco veritatis, tuba Sanctiſſimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt iis qui Antiochiæ de inſtitutis legalibus contendebant, ab ipſo adferret ſolutionem, multò magis hi qui abiecti ſunt & puſilli ad Apoſtolicam Sedem debent accurrere, vt Eccleſiarum vlceribus medicinam à Petri ſucceſſore accipiant.* Neque enim aliunde accurrere aut facile, aut ſecurum, aut licitum. Non facile. Si enim oriatur quæſtio Fidei, & vel ad Eccleſiam, vel ad futurum Concilium, aliquis aſpiciendum exiſtimet: iſtud quidem fuerit, vel difficile, vel non poſſibile. Eccleſia enim admodum lata eſt: neq; vna eſſe eius per tam diuerſa loca diffuſæ ſententia, facile & certo à quolibet percipi poteſt: & illi ipſi qui hoſtes Eccleſiæ acerrimi ſunt, ſe de Eccleſia, vel Eccleſiam Chriſti eſſe conſtantiſſimè mentiuntur. Concilij quoque Oecumenici

Gal. 2. c.

Quantum referat in Eccl. aliquem Summum inter omnes eminere.

Exemp. ex vet. leg.

Non facile aliūde quam ab Apoſt. Sedem medicina Eccleſiarū vulneribus inueniri poteſt, & quare.

congre-

congregatio, in longum extenditur: neque alicui Fidelium, ſed ſoli Romano Pontifici, cuius eſt indicere, præſidere præſcribere, cognoſcere, decernere, probare, & improbare, innititur. Pro hoc enim vnico Chriſtus orauit, *ne eius fides deficeret*: ac ipſe vnicus, omnes Fratres accurrentes ſolidaret. Aliquis recentium Theologorum, non indoctè raciocinabatur. Chriſtus pro Petro orauit, propter Eccleſiam, quę ſe ad illum debet tamquam ad caput conuertere, vel vt vxor ad virum ſuum. Itaq; vt illud quod Dominus à principio dixit: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam*, non de Adam & Eua tantùm dixit, ſed idem in futuro de cæteris omnibus legitimis coniugibus dictum eſſe voluit: ſic quod de Petri fide non defectura, & de Eccleſia ſorore & ſpouſa caſta firmanda dixit, idem in futuro de vnoquoque ſucceſſore Petri, & de Eccleſia fratrum Catholica ſuſtentanda, & perpetuo ſtabilienda intelligi voluit, ſecundum promiſſionem ſuam de ædificanda Eccleſia ſupra Petrum: quem propter firmitatem Fidei numquam defecturæ, Petrum appellauit: vt magni Doctores, Gregorius cognomento Theologus, Baſilius, Cyrillus, & alij interpretati ſunt. Neque, cur Petro ſucceſſerit, & vſque ad conſummationem ſæculi perpetuo ſuccedat Epiſcopus Apoſtolicus, reliquis vero Apoſtolis non ita (neque enim Alexandriæ Epiſcopus Apoſtolicus Beato Marco ſemper ſucceſſit, aut Hieroſolymis Beato Iacobo, aut Ioanni Epheſi) alia cauſa eſt, præter quam, diuina prouidentia, ac ſapientiſſimo conſilio vnum eſſe voluit Chriſtus totius Eccleſiæ caput, quod ita ſanum eſſet, vt reliqua corporis ex eo connexi membra ſanitate firmare poſſet, ſi ſanis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſermonibus, vt Apoſtolus ait, acquieſcere vellent. Quod quidem effecit, orando pro eo, & pro fide Eccleſiæ Catholicæ cui præfuerat. Quam quidem prærogatiuam vnius Capitis ſupra reliqua omnia, quia non conueniebat cum alijs communem eſſe, non ſic pro aliorum fide, neque pro fide Eccleſiarum quæ eis commiſſa ſunt, rogauit, ita vt eas ſuper fidem huius, aut illius Apoſtoli ædificaret. Neque enim aliquando dixit, de Ioanne, aut fide eius: ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, id eſt Epheſinam: aut de Marco, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, id eſt Alexandrinam; in qua Gregorius, Sergius Cappadox, Lucius, Dioſcorus, Thimotheus, Aelurus, Moggus & alij hæretici ſederunt: aut de aliqua alia; vel Conſtantinopolitana, quam Macedonius, Acatius, Sergius, Pirrhus, Paulus, Petrus, Anaſtaſius, Photius & alij, vel Antiochena, quam Paulus Samoſatenus, Eulalius, Euzoius, Ioannes, Domnus, Petrus Gnapheus, Macarius, & reliqui; vel Hieroſolymitana, quam Ioannes Origeniſta, Saluſtius, Arſenius, Heraclius, Ilarius, & plerique veteratores erroribus polluerunt, imbuerunt atque tandem euerterunt. Pro ſolo Petro, quem Orbis vniuerſi Magiſtrum, ac Paſtorem præpoſuit, ne illius fides deficeret, orauit, vt is omnes alios docere, & in vera religione confirmare poſſet; reliqui vero

Turrianus lib. 3. de dogmaticis characteribus.

Petrus propter firmitatem fidei nunquam defecturæ à Chriſto accepit.

Diuina prouidentia ſucceſſit & ſuccedet vſque ad finē mundi epiſ. Apoſtolicus. alijs vero Apoſtolis non ita contigit, & ratio.

omnes, ad omnem perturbationem & confuſionem in Eccleſia tollendam, ordinemque hierarchicum ſeruandum, ad ipſum; eiuſque ſucceſſores omnia referrent, vt Gaſpar Fertantius Sueſſanus Patribus Tridentinis demonſtrabat. Factum ſemper à ſæculis. Ab initio enim conſtitutis diœceſibus. (ita Ioannes Antonius Delphinus oſtendebat) cum Petrus iubente Deo ſuam cathedram poſuiſſet Romæ, quicumque vbiuis gentium conſtituebantur Epiſcopi, tam in Aſia, quam in Africa, & in Europa, nonnullis adhuc viuentibus Apoſtolis, Cathedram Eccleſiæ Romanæ peculiari honore proſequebantur vt primam: ad quam in rebus Fidei controuerſis alijſque arduis vniuerſæ Eccleſiæ negotijs recurrebatur. Operæ pretium eſt iſtud ſingulatim ad memoriam reuocare.

Lib. 2. de Eccl.

Qualis ſemper fuerit ad Sedes Apoſtol. in rebus Fidei controuerſis & alijs arduis Eccleſ. negotijs recurſus.

Dionyſius Areop.

Dionyſius Areopagita, Paulum præceptorem ſubſequitur. Hic enim ad lapidem fundamentalem, doctrinam quam à Paulo didicerat explorare volens, Romam venit, vbi *Beatam Clementem Pontificem ſanctæ & ſummæ Apoſtolicæ Sedis iam apicem gubernantem inuenit*. Neque priùs ab eo in Gallias dimiſſus eſt, quam Fidei profeſſionem Apoſtolicæ regulæ congruere probaſſet, vt Hilduinus in Areopagitæ non obſcure inſinuat.

Corinthij.

Sub eodem Clemente, diſſenſione non modica inter eos qui Corinthi erant Fratres facta, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia potentiſſimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians, quam in recenti ab Apoſtolis receperat traditionem. vt S. Irenæus teſtatur non obſcuro indicio, Corinth. in rebus Fidei ad Sedem Apoſtolicam prouocaſſe, atque Eccleſiam Romanam, iam tum ab initio, in rebus Fidei definiendis, inque moderandis longinquiſſimis Eccleſijs auctoritatem ſuam interpoſuiſſe. Tanti apud omnes Orientales, Clementis epiſtola, quam *ex Romana Eccleſiæ perſona exarauerat*, fuit, vt Euſebius referat, cum veterum tum ipſius memoria, plurimis in Eccleſijs lectam atque vſurpatam, non minùs quam ſi vna cum Canonicis cenſeretur.

Lib. 3. cap. 3.

Lib. 3. cap. 12.

Clementis porro ſucceſſorum, Sixti, Teleſphori, Higini, Pij, Aniceti temporibus, cum necdum omninò antiquata fuiſſent apud eos qui ex circumciſioue fideles legalia, ac ferè omnes Orientales in hac ſalubria de celebrando Paſchate, hærerent, tamen Epiſcopi ex parœcijs Aſiæ, vt Irenæus apud Euſebius teſtatur, *ad Epiſcopos Romanos accedebant*, vt à ſupremo totius gregis Chriſtiani Paſtore & in rebus dubijs certitudinem, & in certiſſimis confirmationem poſtularent. Polycarpus Smirnenſis Epiſcopus quamquam ex conuerſatione cum Apoſtolis magnam apud omnes exiſtimationem conſecutus eſſet, ad Anicetum tamen aſcendit, neque tamen huic, vt conſuetudinem Aſiaticam vllo modo obſeruaret perſuadere potuit: quod Anicetus ſciret, penes Apoſtolicam Sedem authoritatem eſſe de negotijs Fidei decernendi. Per idem temporis, Hegeſippus Apoſtolorum diſcipulus, Romæ vſque ad Eluutheri Pontif. hæſit. qui quod videret Pontifices Romanos Fidei ſemel traditæ retinentes eſſe, & ad præſcriptum Apoſtolicæ doctrinæ Orientalibus reſpon-

Epiſcopi Aſiæ de celebrat. Paſch.

Lib. 5. hiſtor. cap. 24.

Polycarp.

Iren. lib. 3. c. 3. & lib. 5. c. 24.

Hegeſippi Apoſtolorum diſcip. teſtimonium.

Apud Euſeb. hiſtor. Eccl. lib. 4. cap. 22.

reſpondete iſtud habuit confiteri; *Nulla Epiſcoporum Sedes ſurreſſione ab Apoſtolis deducta, nulla Ciuitas, in qua non ita obſeruata eſſent omnia, vt lex præſcripſerat, docuerant Prophetæ, & Dominus ipſe prædicauerat.* Iam cum in eodem negotio celebrandi Paſchatis, Eccleſiæ Orientales præcipuè laborarent, & exemplo illarum plurimæ aliæ in partes ſcinderentur; *Martyres, qui circa Lugdunum, & Viennam mortem pro Chriſto ſubibant, cum adhuc tenerentur in vinculis, litteras exarabant Eleuthero Epiſcopo Romano; vehementer eum rogantes, vt pax & concordia in Eccleſijs conſtitueretur*: vt Euſebius memorabat. quin & *Irenæus*, vt Hieronymus meminit, *Photini Epiſcopi, qui Lugdunenſem in Gallia regebat Eccleſiam, presbyter, à martyribus eiuſdem loci, ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones Legatus Romam miſſus, honorificas ſub nomine ſuo ad Eleutherum Epiſcopum protulit litteras*; ibidem diutius commoratus, *omnium doctrinarum curioſiſſimus explorator non moles ædificiorum vrbem circumeundo contemplabatur, ſed Apoſtolicæ Eccleſiæ fidem, ritus, mores, ac diſciplinam, quam illi Petrus & Paulus Apoſtolorum principes traditiones integras & illibatas, vt ab Apoſtolica traditæ fuerant, vigillantiſſimè cuſtoditas & integerrimè conſeruatas, ad eas omnes, quos ſcriptis exagitat exindè prouocauit hæreticos, quos ſciret eo ſolo tam patenti teſtimonio, (ſi quæ in eis reliqua eſſet ratio veritatis) poſſe conuinci*: vt Tertullianus agnoſcebat, & ipſe S. Irenæus fatebatur iſtis verbis: *Maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem & annunciatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes; confundimus omnes eos qui quoquomodo vel per ſui placentiam malam vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam; præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſè eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles: in qua ſemper ab his qui ſunt vndique conſeruata eſt ea quæ eſt Apoſtolis, traditio.* Hæc Eleutheri temporibus S. Irenæus docebat & ſcribebat. Eleuthero per martyrium conſummato, Victor ſucceſſit; quo tempore, *ad Sedem Apoſtolicam perlatum eſt aliquos Afrorum in Sacramentis diſcrepare, & ob id contentiones & æmulationes inter eos fieri. à quibus ſi ſe auertere neglexiſſent*, Victor his verbis comminabatur, *ab Apoſtolicæ Sedis & totius Eccleſiæ communione*, inquit, *vos pelli non dubitetis*. Tanta fuit apud toto mari remotos Afros, Pontif. Rom. authoritas, vt ad eum, omnes de rebus Fidei controuerſias deferre neceſſè habuerint, & hic propter totius Eccleſiæ regimen, ſibi in Petro iniunctum potuerit neceſſitatem amplectendæ definitionis, per excommunicationem ab vniuerſa Eccleſia imponere. quemadmodum etiam Orientalibus ſuo ſummo iure, in cauſa Paſchatis impoſuit. Orientales etenim ac nonnulli Occidentales, non intermittebant, Sedem Apoſtolicam de hac controuerſia interpellare. Victor Romanus Pontifex non intermiſerat, rem in medium toties propoſitam decernere, & Theophilo Cæſarienſi Antiſtiti, vt in Concilio Palæſtino Epiſcopos congregaret, adque ſententiam ſubſcribendam illos adduceret, committere. Conſtitutum; vt non alio die aliquando, quum Dominico, Myſterium Domini reſurrectionis à mortuis celebraretur; vtque eodem die, Paſcha, vbique peragetur, quemadmodum à temporibus Apoſtolorum Romæ, & in omnibus Occidentalibus iam peragebatur: nec quicquam Polycrate, nomine Aſianorum Epiſcoporum, contrariam conſuetudinem auctoritate maiorum & introductam & toleratam aſſeuerantium, obſiſtente. Res erat. Blaſtus quidam Montaniſta, latenter volens Iudaiſmum introducere, Paſcha, non aliter niſi ſecundum legem Moyſi, decima quarta menſis cuſtodiendum eſſe dicebat, eadem tempeſtate. Reliqui Phryges, qui ſe à Leucio animatos mentiebantur, & à Proculo inſtitutos gloriabantur, Montanum, Maximillam, & Priſcillam ſequuti, eodem errore tenebantur, & multiplices de Paſchate controuerſias excitantes, ex neceſſitate, non vero ex permiſſione, quemadmodum vſque modo, decima quarta Luna Paſcha celebrari debere contendebant. Irenæus vna cum reliquis Galliarum Epiſcopis, quamquam die Dominico Paſcha celebrandum eſſe decerneret, Victorem monuerat, vt exemplo Aniceti, vellet adhuc Aſianos in Paſchatis celebratione tolerare. Namque Polycarpo perſuadente Catholicis Aſianis ille permiſerat, vt more Iudaico nondum planè ſepulto, cum Iudæis peragerent. Idem ipſum & Polycrates, apud Victorem depoſcebat. Cæterum Victor, indicans ſatis datum fuiſſe Synagogæ funerandæ; ac perſpiciens, niſi obſiſteret, Iudaicos ritus poſſe planè non difficile, imò iam ex Montaniſtarum dogmatibus reſtitui; minimè, aut hortatores, aut deprecatores Epiſcopos exaudiuit: ſed tempus adeſſe vnitatis Eccleſiaſticæ, in vnitate rituum reformatorum ſtabiliendæ animaduertens, ex poteſtate ſibi in Petro à Chriſto tradita, rem vniuerſam definiuit, inque recalcitrantes Aſianos excommunicationis ſententiam ſtrinxit, ac totius Aſiæ Eccleſias cum alijs finitimis, tamquam alterius fidei & opinionis ſimul omnes, à communitate Eccleſiaſtica amputauit: quod nouum dogma ex ſecta Montaniſtarum, & aliorum hæreticorum ſchola inducerent.

Iam cum ijdem Montaniſtæ, non tantum propheriæ nomine multis Orthodoxorum imponerent, verùm etiam in Marcionis delirium declinantes, eſcas à Deo creatas, quaſi à malo principio proceſſiſſet, intantum repudiarent, vt nonniſi pane & aqua veſcerentur, cætera autem ciborum abominarentur; intantumque mali error proſerpſiſſet, vt & martyres nonnulli, in carceribus cum reliquis poſiti, nonniſi pane & aqua viuere ſuſtinerent, ac reliquos condemnarent, eorumdem Socij qui in ijſdem vinculis Gallicanis tenebantur, non aliundè rem ad Fidem pertinentem, quam ad Sedem Apoſtolicam referendam exiſtimarunt. Itaque propter eas quæſtiones, Romam, S. Irenæum miſerunt, deprecantes pro more Eccleſiaſtico, in ambiguis difficultatibus conſilium. Eleutherius,

quod

Martyres circa Lugdunum & Viennam Eleuthero PP.
Lib. 5. cap. 3. & 4. in Catholog.

Aduerſ. Valent. c. 5. lib 3. cap. 3.

Afrorum Epiſcop.
Epiſt. 2. ad Afros.

Quid Victor PP. in materia celebrat. Paſchatis.
Euſeb. lib. 5. c. 22

Origo controuerſ. celebrat. Paſchatis.
Tertullian. præſcript. cap. 33. & Euſeb ſupra cap. 14. 15.

Definit Victor iſtam controuerſiã excommunicatis inobedientibus.

Reſcribit Eleutherus contra Montaniſtas de eſcis.
Euſeb. 5. hiſtor. c. 3. 4. & Hieron. in Iren.

quod ad cum huius rei plena deciſio attineret Epiſcopis Galliarum reſcripſit, ne quis eſcam aliquaudo repudiaret vt malam: quæ à Deo vſibus humanis creata eſſet, nec quicquam cum malo principio commune haberet.

Origenis & Tertullian. ad Rom. Eccleſ. recurſus. *Euſeb. lib. 6. cap. 12.*

Sancto Irenæo contemporaneus Origenes; atque huic apud Latinos non impar Tertullianus, quod ſcirent Sedem Apoſtolicam in rebus Fidei difficillimis conſulendam; ille, *Zephyrino Romanam Eccleſiam gubernante, Romam iter ſuſcepit; quod ſibi (quemadmodum & Irenæo) admodum erat in optatis, Eccleſiam Romanam planè antiquiſſimam viuere*. hic vero non alibi, quam ad Romanam Eccleſiam hæreticos quoſcunque pronocabat. *Indè* enim, inquit, *nobis auctoritas præſto eſt*. & hæc vnica & ſola *felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt*: eo fini, vt ad eam hauriendam omnes accurrerent.

De præſc.

Origenes iterum Romam. *Euſeb. 6 hiſtor. cap. 28. 29.*

Ad hanc eandem Eccleſiam, idem ipſe Origenes, vt Fabiano Pontifici rationem ſuæ Fidei exponeret, temporibus Philippi Imperatoris ſecundo acceſſit; profeſſionemque Fidei à ſe conſcriptam, illius ſupremi Antiſtitis cenſuræ ſubiecit: Dionyſio Alexandrino Epiſcopo potiſſimum perurgente.

Oriētales Epiſcop. ad Fabianum.

Ad hoc ipſum Fabianum Romorum Pontificem Orientales Epiſcopi, quid de Chryſmate aut nouo conficiendo, aut vetere exurendo fieri deberet, vniuerſum negotium detulerunt; iſtudque ab eodem audierunt: *Exigit dilectio veſtra Sedis Apoſtolicæ conſulta, quæ vobis denegare non poſſumus. Hoc autem & prædeceſſores noſtros multarum regionum Epiſcopis egiſſe liquet: & nos qui in eadem Sede, Domino largiente, collocati ſumus, agere debere, fraterna charitas, & obedientia debitum compellit*.

Cyprian. cum Epiſc. Africæ

Ad Fabiani ſucceſſorem, Cornelium, S. Cyprianus. cum vniuerſis Africanis Epiſcopus quid de rebaptizandis hæreticis, & lapſis pœnitentibus recipiendis in Concilijs decreuiſſent, retulerunt. Neque ipſi ſoli, ſed etiam aduerſarij, à Fortunato pſeudoepiſcopo deſtinari, quod penes Romanum Pontificem, ſummam rerum Fidei non ignorarent reſidere, ad eundem prouocarunt, illamque exclamationem Cypriano extorſerunt; *Pſeudoepiſcapo ſibi ab hæreticis conſtituto, Romam nauigare audent; & ad Petri chatedram atque Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis & profanis litteras ferre; nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum*. Ad Cornelij porro ſucceſſorem, Lucium Pontificem, Hiſpaniarum, & Galliarum Epiſcopi, pro varijs in cauſa Fidei, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ negotijs non ſemel ſcripſerunt, pluraque reſcripra, tum ipſi, tum Felix presbyter, & Aelius Diaconus, & plebs Legionenſis atque Emeritenſis, ab eodem acceperunt. Huic cum Stephanus I. in Pontificatu ſucceſſiſſet, ad eundem S. Cyprianus in cauſa lapſorum accurrit, vtque Cornelij & Lucij anteceſſorum honorem ſeruaret, neque decreta Patrum immutaret obſecrauit. Neque in hac tantummodò, ſed & in rebaptizandorum controuerſia eundem conſuluit; atque exemplo illius vniuerſa Eccleſia, à ſuprema Romana Sede decretum expectauit. Quin, neque Orthodoxi tantùm, ſed & rebaptizatores tanti faciebant Romani Pontificis authoritatem, vt & ipſi Legatos ad Stephanum deſtinarint, poſtulantes, vt de toto negotio, pro ſuprema qua præſtaret dignitate decerneret. Decreuit tandem, *nihil eſſe nouandum*, ſed quod *ſemel traditum eſt, ſemper eſſe ſeruandum*. Quo diuulgato, vt Dionyſius Alexandrinus illi ſignificabat, *omnes Orientales Eccleſiæ, quæ antea fuerant propter errorem peruerſitatem nonnulla diſſenſiono diſtractæ, ad concordiam denuò redactæ ſunt. Iam ſcito, frater*, ita Stephano ſcribebat. *omnes Eccleſiarum Præſides quæ vbique locorum ſunt, ſummo animorum conſenſu conſpirare, & ab pacem hanc præter omnium expectationem conſtitutam, incredibili lætitia affici Demetrianum dico Antiochiæ Epiſcapum: Theoctiſtum Cæſareæ; Mozabanem Aeliæ; Marinum Tyri: Heliodorum Laodiceæ; Helenum Tharſi; & cunctas Ciliciæ Eccleſias; Firmilianum etiam, & totam Cappadociam. Illuſtriores ſolùm Epiſcopos perſtrinxi nominatim; ne vel litteræ videantur aliquanto prolixiores, vel nominatim enumeratio lectori ſatietatem & moleſtiam afferat. Syria porro vniuerſa & Arabia, quibus* VESTRA DOCTRINA, & CONSILIO SEMPER *magno adiumento fuiſtis, & quibus etiam modo ſcripſiſtis epiſtolas. Meſopotamia quoque Pontus atque Bithynia, & ne longum faciam*, OMNES VBIQVE *gaudio exultant, & vno animorum conſenſu. ac fraterna charitate Deo gloriam impertiunt*.

Lib. 1. epiſt. 8.

Hiſp. & Gall. Epiſcop. *Tom. 1. Con & lib 5. epiſt Roman. Pontiſ.*

Epiſt. 67.

Stephanus I. reſcribit in cauſa conſultationis lapſorum. *Annal. anno. 256.*

Dionyſ. Alex. Staphano PP. renuntiat ex eius reſcripto Eccleſ. Orientalibus inter ſe diſſidentibus pacem allatam.

Hæc Dionyſius Alexandrinus Stephano renunciabat; iam & ipſe ab Oraculo Apoſtolico, quod conſuluerar, non amplius inter rebaptizatores, ſed voci Romani Pontificis adeo attentus, vt nouis ſubindè dubijs emergentibus, non ad alienum, ſed ad hunc ſolùm vnicum Paſtorem ſibi ſemper confugiendum eſſe putauerit. Acciderat, aliquem ab hæreticis, non ſecundum Catholicæ Eccleſiæ ritum baptizari. Hunc, quamquam libere baptizare potuerit, tamen abſtinuit, *& Xiſti Pontificis Romani ſententiam requiſiuit: veritus ne per errarem laberetur*: vt Euſebius memorabat. Sed & cum eodem tempore, Ptolemaide Pentapolis, Sabellianæ hæreſes noua germina pullulare cæpiſſent, de eadem re pariter idem Dionyſius ad Sixtum Pontificem retulie. more ſcilicet recepto Eccleſiæ, quo, cum nouitium aliquod dogma, vel noua aliqua emergeret hæreſis, Epiſcopi eius regionis diligenter curarent, vt cuncta quamprimum Romano Pontifici examinanda mitterentur. Non abſimili modo & Patres Antiocheni de Pauli Samoſateni profanis nouitatibus recens erumpentibus ad Dionyſium Romanum retulerunt. Cum enim ex regionibus finitimis propè infiniti conueniſſent; & à Malchionis, Eccleſiæ Antiochenæ preſbyteri egregia diſputatione, Paulum Samoſatenum eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopum nonos errores introducere accepiſſent, Dionyſio Romano ſignificarunt, qui de tota re cognoſceret.

Quam ſedulū ad Rom. Pontif. recurſum habuerit Dionyſ. *Lib. 7. cap. 8.*

Et cap. 5.

Patres Antiocheni in cauſa Pauli Samoſat. hæret. *Euſeb. l. 7. c. 28 & 24.*

Cum vero Paulus ab Epiſcopis Antiochiæ congregatis condemnatus, poſt damnationem,

nem, domo Epiſcopali eiuſdem Eccleſiæ Antiochenæ excedere nollet: ac iudices Epiſcopi Imperatorem Aurelianum, qui profanum reſcripto eijci iuberet, interpellarent: Imperator, quanquam ethnicus edixit: illi domam tribuendam eſſe, cui Chriſtiani Italiæ, & Vrbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam præſcriberent. Nimirum, vſque adeo toto Orbe clariſſima erat Romani Pontificis auctoritas: vt & ipſi gentiles, id demum id à Chriſtianis vniuerſis credendum tenendumque arbitrentur, quod illa ſtatuiſſet.

Aureliani Imper. Ethnici iudicium de auctoritate Rom. Pont.

Dionyſij Pontificatum Felix ſucceſſor excepit. Hunc, quod ſuper fidei documentis, Benignus Epiſcopus requiſiuiſſet, eius ſolicitudinem & officium ille laudauit, ac ſcripſit, id quod verum ſemper fuit. *ſemper enim*, inquit, *dubia & maiora negotia terminum ab hac ſancta Sede, à tempore Apoſtolorum, qui eam ſuis documentis inſtruxerunt, accipere conſueuerunt*.

Benigno Epiſcop.

Alex. quid Fœlix PP. reſpondet. *Epiſ. 3.*

Aliquanto poſt, Syluester, Petri Apoſtoli cathedram conſcendit. Cuius temporibus cum Arius grauiſſimam Chriſtoque penitus aduerſariam hæreſim in Oriente diſſeminaret, atque Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus eum in patrocinio haberet, Alexander Alexandrinus Epiſcopus, quanquam omnibus qui vbique fuerunt Catholicæ Eccleſiæ comminiſtris, præcipuè tamen Syluestro Romano Pontifici nouitatem blaſphemam renunciauit; ac ſimul, ne quemquam ab Eccleſia, & Fide Catholica alienum, ſi Romam conceſſiſſet, ad communionem admitteret, flagitauit. *Nam par eſt*, inquit, *vt nos qui ſumus Chriſtiani, omnes qui contra Chriſtum loquantur, animoque ſint ab eo ab alienato, tamquam Dei hoſtes, & corruptores animarum deuitemus: neque id genus hominibus, ſicut præcepit Beatus Ioannes, vel Aue dicamus, ne quando illorum peccatis communicemus.*

Alexander epiſcop. Alexãd. in cauſa Arrij ad Syluest. PP. recurrit. *Tom. 1. Conc.*

Iam Patres Concilij Sardicenſis, Iulio Pontifici Romano, pro confirmatione Actorum ſcribentes, iſtud auro dignum cenſuerunt: *Ne aut lupi ſchiſmatici furtum faciant & rapiant per inſidias, aut canes hæretici rabido furore exciti inſani oblatrent, aut certè ſerpens diabolus blaſphemiarum venenum effundat: hoc optimum & valdè congruentiſſimum eſſe videtur, ſi ad CAPVT, id eſt ad Petri Apoſtoli Sedem, de ſingulis quibuſque prouincijs Domini referant ſacerdotes.* Optimè, & ex re omnium Orthodoxorum iſta edixerunt. Nam & hæretici, non ignari eius moris, vt fraudulentis ſuis dolis Sedi Apoſtolicæ imponerent, ad eandem non dubitabant ſua commenta referre. Antiochiæ enim id temporis Arriani congregati, cum varias Fidei formulas concepiſſent, eaſdem Iulio tranſmiſerant, nec non reliquis Occidentalibus Epiſcopis] eaſdem obtruſerant. At quod in eis venenum lateret, neque Conſubſtantialis nomen, quo vnico peſtilentiſſima blaſphemia proſternebatur, expreſſum inueniretur, & Romæ ab Iulio, & exemplo Iulij, ab omnibus Occidentalibus damnatæ ſunt.

Patres Concil. Sardicen. Iul. Pont. rationem fidei reddunt. *Tom. 1. Conc.*

Sozom. lib. 3. c. 10. & Athanaſ. de Synodis.

Cum autem Patres Sardicenſes, metuerent, ne propter Nicænæ Fidei declarationem male apud Eccleſiam audirent. *Oſius & Protogenes, qui principem locum inter Epiſcopos Occidentis qui Sardicæ conuenerant, obtinebant, veriti, ne quibuſdam viderentur decreta Concilij Nicæni innouare, ſcripſere ad Iulium, & teſtati ſunt, ſe illa quidem rata habere, ſed quo faciliùs intelligerentur, eadem pluribus verbis explicaſſe, eo conſilio, ne Arrianis, qui breuitate formula Fidei in eo Concilio edita abutebantur, facultas ex verbis daretur, imperitos in abſurdam aliquam opinionem rapiendi.* Ad eum modum Principes Epiſcopi, rationem Fidei reddebant Pontifici Romano, vniuerſam rem arbitrio illius relinquentes.

Sozom. ſupra cap. 11.

Eadem tempeſtate, cum Orientales Eccleſiæ, non tantùm à ſchiſmate, verùm etiam à nouitatibus errorum laborarent, inprimis *Euſtathius Antiochenus, vna cum multis Epiſcopis, apud Liberium beatum Romæ Epiſcopum, Legatum agebat*, vt illum rebus Fidei difficillimis conſuleret. deindè S. Baſilius quid ex ſententia omnium Epiſcoporum tunc fecerit, his verbis ſignificauit: *Viſum eſt nobis*, inquit, *conſentaneum, vt litteras ad Epiſcopum Romanum mittamus, quo res noſtras conſideret, & iudicij ſui decretum interponat; vt quia difficilè eſt, de communi & Synodali decreto aliquos illinc mitti, ipſe authoritate ſua in re vtatur, delectis viris qui Acta Ariminenſis Concilij ſecum ferant, ad ea reſcindenda quæ illic violenter acta ſunt.*

Orient. Eccl. Præſules apud Liberium PP. ratione ſchiſmatis & nouitatum. *Epiphanius hæreſ. 71.*

Baſilij ſcripta ad tranſmarinos Epiſc. Pontif. Rom. vti Capiti vniuerſalis Eccleſiæ aſſidentes. *Epiſ. 52.*

Cum autem contendendi ſtudio diſſenſiones magis, ac magis in dies creſcerent, & Orthodoxi quidem, Filium & Spiritum Sanctum Patri Conſubſtantialem, reliqui vero diſſimilem, alij vero ſimilem affirmarent; Baſilius, quod ſciret inter Occidentales Epiſcopos, Caput Vniuerſalis Eccleſiæ, Romanum Pontificem, cui præſto ex Italia, Gallijs, Hiſpania, Sicilia, plurimi adſiſtebant, eminere, illis cum eo congregatis habuit cuncta denunciare, & hæc præcari; *Cum ad hunc modum habeant res noſtræ, debebant continuè à veſtra dilectione ex ſinceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos & oppreſſos inuiſerent, & multò crebrius amica ad nos veſtræ deſtinari litteræ, quibus vel in propoſito confirmaremur, vel, ſi qua in re offendamus, corrigeremur. Non enim negamus, innumeris nos erroribus obnoxios eſſe, cum homines ſimus, & in carne viuamus: parati hac in re veſtram inſtitutionem amplecti. Sinè itaque Caput vos ipſos vniuerſalis Eccleſiæ reputatis: non poteſt pedibus dicere Caput, non eſt mihi opus vobis. Sinè in reliquum vos Eccleſiaſticorum membrorum ordinem collocatis: non poteſtis nobis dicere, qui in eodem vobiſcum corpore conſtituti ſumus, non eſtis nobis neceſſarij. Sinè autem volueritis ad nos proficiſci, & per vos ipſos infirma noſtra ſcrutari, an vera ita habeant vt auditis, vel ex falſis adiectionibus grauiora ſint de nobis ad vos relata delicta, fiat & hoc. Parati namque ſumus, obuijs manibus veſtrum excipere aduentum, noſque ipſos diligenti ſiſtere examini dumtaxat in ijs, quæ ſiunt, ſuperiores habeat charitas. Sinè veſtro iudicio, locum quemdam deſignare placuerit, in quo & quod nos concernit, viſitationis debitum implebimus, & quantùm fieri poteſt noſtri experientiam offeremus, vt & præterita curentur, & nullus deinceps calumniæ locus relinquatur: per nos licebit, vt & hoc fiat.*

Epiſ. 77.

Hæc

Scrib't Pont. Eccleſijs Orient. quid de Trinitate credentium. Lib. 6. cap. 22.

Hæc Sanctus Baſilius traſmarinis Epiſcopis, Romano Pontifici, vtpotè Capiti vniuerſalis Eccleſiæ aſſidentibus. *Qua de controuerſia, Romana Pontifex*, vt Sozomenns teſtatur, *certior factus, ſcripſit ad Eccleſias Orientis litteras, vt vna cum Sacerdotibus & Epiſcopis Occidentis, Trinitatem, & conſubſtantialem eſſe, & gloria æqualem exiſtimarent. Quo facto, ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis, acquieuerunt, hacque controuerſia finem habere viſa eſt.*

Apud Athan. in fragmento epiſt.

Coæqualis Baſilio, & ipſe quoque Magnus Athanaſius, in eadem de Sacroſancta Trinitate controuerſia, idem egit. Vſiæ & hypoſtaſis nomina apud Græcos, ſubſtantiæ & perſone apud Latinos, in vſum abibant. Ea varij varie accipientes, alteri alteros, vel Sabellianiſſimi, vel Arrianiſmi criminabantur.

Athanaſ. controuerſiam de vſia & hypoſtaſi ad Rom. Pont. refert vti & errorem Apollinaris circa Incarn. Nazian. in encomio Athanaſ. orat. 21.

Athanaſius, iuſſu Liberij Papæ, Concilio Epiſcoporum Alexandriæ indicto, quamquam vnam vſiam & tres hypoſtaſes à Græcis, non minus quam vnam ſubſtantiam & tres perſonas à Latinis poſſe dici decreuiſſet, rem tamen vniuerſam, quod grauiſſima eſſet, ad Liberium retulit, deque recens ſurgente Apollinaris circa incarnationem Domini errore certiorem fecit. Non imprudenter, neque immerito Sedi Romanæ rem definiendam reliquit.

Quamquam enim Athanaſius, vtraque parte leniter & humane accerſita, verborumque ſententia diligenter & accurare perpenſa, eos concordes, nec quantum ad doctrinam inter ſe diſſidentes, reperiſſet: ad eumque modum negotium tranſegiſſet, vt nominum vſum ipſis concedens, rebus eos conſtringeret; necquicquam tamen efficere potuit, vt Latini tres hypoſtaſes, æque ac Græci confiterentur.

Acacius Beræenſis ad Cyrill. Alexandrin.

Beatus Paulinus Antiochenus Epiſcopus, etſi re ac virtute ab eorum ſententia & fide qui tres hypoſtaſes profitebantur, non recederet; tres tamen hypoſtaſes palam dicere recuſabat. Sectabatur autem hic pijſſimos Occidentis Epiſcopos; propterea quod Romanæ linguæ anguſtia, ſicuti Græca phraſis, tres hypoſtaſes dicere commodè non ferat.

Epiſt. 52.

Sanctus Hieronymus pariter, adeo nomen hypoſtaſis exhorrebat, vt etſi Damaſi iudicio ſeſe ſubmitteret; *Si*, inquit, *rectum putatis, tres hypoſtaſes cum ſuis interpretationibus debere nos dicere, non negamus*: tamen monebat, *ſed, mihi credite, venenum ſub melle latet*, ac ſubinde inclamabat: *Ita me inceſſabilis inimicus poſt tergum ſecutus eſt, vt maiora in ſolitudine bella nunc patiar.*

Et epiſt. 57.

Hinc enim præſidijs fulta mundi Ariana rabies fremit, hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia, ad ſe rapere me feſtinat. Nunc, proh dolor! poſt Nicænam fidem, poſt Alexandrinum iuncto pariter Occidente decretum; trium hypoſtaſeon, ab Arianorum Præſule, id eſt, Euzoyo, *& Campenſibus*, id eſt, Meletianis, *nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui quæſo, iſta Apoſtoli prodidere? quis nouus Magiſter Gentium Paulus ſic docuit?*

Hieron. in materia fidei ad Damaſum Pap. confugit ſe eius iudicio ſubijcit.

In hac rerum perturbatione Hieronymus cum Antiocheni Epiſcopi, Meletius Orthodoxus, & Vitalis Apollinaris ſectator, & Euzoyus Arianorum anteſignanus, ab eo confeſſionem trium hypoſtaſeon exigerant: & is in nouitio nomine aliquid fraudis latere putaret, ad Romanum Pontificem confugiendum ſibi eſſe cenſuit: quem ſciret in rebus Fidei ab omnibus eſſe conſulendum. Ad hunc modum, Damaſo ſcribebat. *Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam & deſuper textam, minutatim per fruſtra diſcerpit: & Chriſti vineam exterminat vulpes: vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi: ideo mihi CATHEDRAM PETRI, & FIDEM APOSTOLICO ORE LAVDATAM cenſui conſulendam: inde nunc animæ meæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neque verò tanta vaſtitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretioſa margarita potuit inquiſitione prohibere. Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Profligato à ſobole mala patrimonio, APVD VOS SOLOS, INCORRVPTA PATRVM SERVATVR HAEREDITAS. Ibi ceſpite terra fæcundo, Domini ſeminis puritatem centeno fructus refert; hic obruta ſulcis frumenta in lolium auenaſque degenerant. Nunc in Occidente Sol iuſtitiæ oritur; in Oriente autem, Lucifer ille qui ceciderat, ſupra ſydera poſuit thronum ſuum. Vos eſtis lux mundi; vos Sal terræ; vos aurea vaſa, & argentea; hic teſtacea vaſa, vel lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimæ ſalutis; A PASTORE, PRAESIDIVM OVIS flagito. Faceſſat inuidia: Romani culminis receſſet ambitio: cum ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulos Crucis loquor. Ego nullum Primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam Petram, ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc Domum: agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Ego interim clamito; Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus, tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi vnus hoc aſſereret. Nunc, aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obteſtor Beatitudinem tuam, per Crucem Domini, per neceſſarium Fidei noſtræ decus, per paſſionem Chriſti: vt mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices. Noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt. Diſcernite, obſecro: non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubetis. Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam, per Crucifixum, mundi ſalutem, per homouſion Trinitatem, vt mihi epiſtolis tuis, ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur authoritas.*

S. Hieron. encomia de Sede Romana.

Hæc Damaſo, Hieronymus exæſtuans ingerebat; promptus ei Epiſcoporum communicare, quem Damaſus communione Eccleſiaſtica dignum oſtendiſſet: promptus & nomen hypoſtaſeos, aut reticere, aut vſurpare, ſi ita Damaſus iuſſiſſet. Paulino communicare Hieronymum, Damaſus præcepit. Ille verò, talem Fidei formulam coram Athanaſio edidit, *Ego Paulinus Epiſcopus ſic ſentio, quemadmodum traditum accepi à Patribus; eſſe & ſubſiſtere Patrem perfectum, & ſubſiſtere Filium*

Hieron. Damaſus Paulino communicare præcipit. apud Epiphan. hæreſ. 77.

perfe-

perfectum, & ſubſiſtere Spiritum Sanctum perfectum. Quapropter etiam recipio præſcriptam interpretationem de tribus hypoſtaſibus, ſeu ſubſtantijs, & vna eſſentia, itemque eos, qui ſic ſentiunt. Pium eſt enim ſentire, ac confiteri Trinitatem in vna Deitate. Huic Epiſcopo, cum Hieronymus communicaſſet, & Fidei formulæ ab eo conceptæ ſubſcripſiſſet, tunc demum ab oraculo Damaſi Spiritu ſumpto; habuit cunctis accuſatoribus præſcribere.

Epiſt. 77.

Sabellianæ hæreſis & impietatis arguor, inquit, *tres ſubſiſtentes, veras, integras, perfectaſque perſonas indefeſſa voce pronuncians. Si ab Arrianis! merito. Si ab Orthodoxis! Qui huiuſmodi arguunt Fidem, Orthodoxi eſſe deſierunt. Aut ſi eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Aegypto, hoc eſt cum Damaſo, Petroq; condemnent. Quid vnum hominem, exceptis ſocijs criminantur? Si riuus tenuiter fluit! non eſt aluei culpa, ſed fontis.* Non erubuit ſanè Hieronymus, omnigenis doctrinis eruditus, hæretici nomine audire, tunc cum ei Damaſus, confeſſionem Trium in vna Diuinitate, perfectè ſubſiſtentium perſonarum præſcripſiſſet, atque neceſſitatem in ea Fidei controuerſia decreto ſuo impoſuiſſet. Cæterum, cum etiam librum contra Heluidium de Beatę Mariæ virginitate perpetua idem Hieronymus ſcripſiſſet, in quo neceſſarium ei fuerat, ad virginitatis beatitudinem prædicandam, multa de moleſtijs dicere nuptiarum: eundem librum Damaſo Pontifici, viro egregio, atque in ſcripturis erudito, Virgini, & Eccleſiæ Virginis Doctori, probandum, vel improbandum detulit. ratus, non ad alium debere recens erumpentium errorum cognitionem & confutationem deferri quam ad ſupremum Paſtorem, doctum, lupinos vlulatus, à balatu ouillo diſcernere.

Suum de B. Virg. librum Damaſi Pap. cenſuræ ſubijcit.
Hieron. in apolog. pro libris aduerſus Iouinian.

Hieronymo contemporaneus Ruffinus, etiam ſuam Symboli explanationem Damaſo Pontifici cognoſcendam, cum hac ſubmiſſione miſit; *Si quid parum caute poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri, & Fidem, & Sedem tenes.* Iam & Vitalis Antiochenus Epiſcopus, cum Apollinarij impietatem diſſeminare vulgaretur, eoque nomine apud Damaſum male audiret, ad eundem, Fidei formulam tunc primum à ſe ſcriptam deſtinauit. Manifeſto argumento oſtendens, Romanum Pontificem eſſe illum Propheticũ coryphæũ, qui *ſederit conflans, mundans, & diſcernens argentum* à ſcoria; veram ſcilicet & Orthodoxam doctrinam, ab adulterina falſitate.

Idem facit Ruffinus de ſua Symboli explanat. *apud Hieron. tom. 4*
Vitalis Antiochen. fidei ſuæ formulã Rom. Pont. deſtinat.
Elias Creten. in Greg. Nazianzen. epiſt. 2.

Illuſtrius eſt, ex triſtiore, quod adiungo. Conſtantius Imperator optimi patris peſſimus filius, Arianam rabiem præſidio mundi armauerat; & quicquid contra fidem Orthodoxam irarum velut aquarum æſtuoſo gurgite collegerat, non magis ſacrilege quam impudenter effundens, illud acre Sancto Hilario Pictauienſi extorſerat. Iſta conſtantiſſimè tyranno obijciebat; Proclamo, inquit, tibi Conſtanti, quod Neroni loquuturus fuiſſem; quod ex me Decius & Maximianus audirent: Contra Deum pugnans, contra Eccleſiam ſæuis: Sanctos perſequeris, prædicatores Chriſti odis, religionem tollis, tyrannus non iam humanorum, ſed diuinorum. Hæc tibi atque illis ſocia, atque communia ſunt; at verò nunc propria tua accipe. Chriſtianum te mentitis, Chriſti nouus hoſtis es: Antichriſtum præuenis, & arcanorum myſteria eius operaris. Condis fidem, contra fidem viuens. Doctor profanorum es, indoctus piorum. Epiſcopatus tuis donas, bonos malis demutas. Sacerdotes cuſtodiæ mandas; exercitus tuos ad terrorem Eccleſiæ diſponis; Synodos contrahis, & Occidentalium Fidem ad impietatem compellis: concluſos vna vrbe minis terres, fame debilitas, hieme conficis, diſſimulatione deprauas; Orientales autem diſſenſiones artificioſè nutris, blandos elicis, fautores inſtigas. Veterum turbatores; profanus nouorum es. Omnia ſæuiſſima, ſine inuidia glorioſarum mortium peragis. Nouo inauditoque ingenij triumpho de diabolo vincis, & ſine martyrio perſequeris. Plus crudelitati veſtræ Nero, Deci, Maximiane debemus: Diabolum enim per vos vicimus. Sanctus vbique beatorum martyrum ſanguis exceptus eſt: dum in his dæmones rugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur; eleuari ſine laqueis corpora, & ſuſpenſis pede fœminis veſtes non defluere in faciem, vri ſine ignibus ſpiritus, confiteri ſine interrogantis incremento fidei. At tu omnium crudelium crudeliſſimè, damno maiore in nos, & venia minore deſæuis. Subrepis nomine, blandimento occidis, ſpecie religionis impietatem peragis, Chriſti fidem, Chriſti mendax prædicator extinguis. Non relinquis ſaltem miſeris excuſationes, vt æterno ſuo iudici pęnas, & aliquas laniatorum corporum prætendant cicatrices, vt infirmitas defendat neceſſitatem. Sceleſtiſſime mortalium, omnia perſecutionis mala ita temperas, vt excludas & in peccato veniam, & in confeſſione martyrium. Sed hæc ille pater tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere ſine contumacia, iugulare ſine gladio, perſequi ſine infamia, odire ſine ſuſpicione, mentiri ſine intelligentia, profiteri ſine fide, blandiri ſine bonitate, agere quod velis, nec manifeſtare quæ velis. Hæc quidem Conſtantio accerrimè in Eccleſiam ſæuienti, S. Hilarius exprobrabat. Quæ dum gererentur, & Ariana rabies præſidijs fulta mundi fremeret impunè, tres potiſſimum rami ab ea pullulare; Macedoniani, Ætiani, & Eudoxiani. Macedoniani, à Macedonio Conſtantinopolitanæ Sedi intruſo, dicti, homouſion reſpuebant, atque eos qui inter Patrem & Filium ſubſtantiæ diſſimilitudinam prædicabant deteſtantes, mediam viam tenebant, Filiumque Patri ſimilem ſubſtantia iactabant. Inſuper nouam hæreſim amplexi, Spiritum Sanctum nihil ad Patris ac Filij diuinitatem & gloriam pertinere blaſphemantes Pneumatomachi, hoc eſt, Spiritus Sancti oppugnatores, & Semiarriani, magis quam Catholici dici elegerant. Ætiani vna cum Eunomianis, non modo homouſion, ſed etiam homæuſion reijcientes, heterouſion inducebant: hoc eſt Filium alterius ſubſtantiæ à Patre, adeoque primam & eximiam Patris creaturam, Spiritum autem Sanctum ante alias creaturas à Filio fabricatum blatterabant. Eudoxiani, vt inquit Hieronymus, pietatè verbis ſonabant, & inter tanta illa præconia nemo venenum inſertum

Quid Conſtantio Imp. Arriano in Eccleſ. accerrimè ſæuienti S. Hilarius exprobraret.

Rami tres ab Arriana perfidia euerſi. *Tom. 1. Concil. in hiſt. Concil. I. Conſtantinop.*

Macedoniani homouſion reſpuebant.

Ætiani heterouſion inducebant.

Eudoxiani Vſiæ vocem abijciebant.

inſertum putabat: cum Filium Deum ex Deo, & Patri ſimilem, nec, creaturam vt ſunt cæteræ creaturæ, conclamarent: ſed vſiæ nomen, ſpecie, quod in ſcripturis non inueniretur, & multos ſimpliciores nouitate ſua ſcandalizaret, abijcerent: dicentes, nihil haberi debere curæ de vocabulo, cum ſenſus eſſet in tuto. Accedebant, & Apollinariſtæ, qui Chriſto carnem è ſinu Patris decerptam, mentis ac rationis expertem affingebant. Sabelliani, qui perſonas in diuinis confundebant; Photiniani, qui fidem Syrmienſem ac Nicænam condemnabant; ac non pauci alij, qui Fidem per manus maiorum traditam adeo erroribus nouitijs inficiebant, vt Hilarius habuerit ſcribere, *Fidem* factam ſuiſſe *temporum, non Euangeliorum, dum tot fides, quot voluntates exiſterent*. Retulit eam rem ad Damaſum Theodoſius Imperator: quem cum ſciret, Fidei Symbolum intemeratum ſemper cuſtodiuiſſe atque ſeruaſſe, auctor fuit Gratiano, & Valentiniano CoAuguſtis, qui, hanc legem ſciſcerent: *Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus religione verſari, quam Diuum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat, quamquam Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum virum Apoſtolicæ Sanctitatis*. Præter hæc, vt Theodoretus recitabar, *Gratianus toto Imperio potitus, ſcripſit legem, qua iubebat Sanctas Eccleſias tradi his, qui Damaſi (is erat Epiſcopus Romanus) communionem amplexarentur*.

Sabelliani Photiniani.

Lex Gratiani, & Valentiniani Auguſtorum de Pon. Roman. Religione ſequenda. *C. de Summa Trinit. & fide Catholica.*

Lib. 5. hiſt. c. 2.

Per idem temporis, *cum in chartis Eccleſiaſticis, Damaſum Romanæ Vrbis Epiſcopum* Hieronymus *iuuaret*, quemadmodum ipſe refert, *Orientis atque Occidentis Synodicis conſultationibus*, inquit, *reſpondi*. Nimirum ex toto Orbe Chriſtiano, non tantum priuatæ, verum etiam Synodicæ de rebus Fidei conſultationes, ad Romanum Pontificem ex more deferebantur, vtpote à cuius vnius ore omnes penderent, & à quo certiſſima oracula, ſinguli ac vniuerſi tam in Oriente, quam in Occidente expectarent. Sanè, & Ambroſius de ſeipſo inprimis omnibus teſtabatur: *In omnibus*, ait, *Romanæ Eccleſiæ formam, & typum ſequimur*, deinde omnes monebat: *Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſeruat*. Præter hæc Siricio Papæ teſtimonium perhibebat. *Fideliter*, ait, *commiſſam tibi ianuam ſeruas, & pia ſolicitudine Chriſti ouile cuſtodis, dignus quem oues Domini audiant, & ſequantur*. Inſuper *Iouinianum, Auxentium, & reliquos quos Siricius damnauit, ſecundum iudicium illius ipſe quoque damnabat*, veteris moris ſciens, & retinens, à *Rectore Domus Domini* (ita Damaſum vocabat Ambroſius) *quæ columna & firmamentum eſt veritatis*, veritatem eſſe quærendam, accipiendamque.

Ex toto orbe Chriſtiano de rebus fidei conſultationes tam priuatæ quam Synodicæ ad Rom. Pontif. ex more delatæ. *Ep. 11. ad Ageruchiam ep. ad Pammachium. ep. ad Siricium Papam.*

In Timoth. c. 3.

Siricio, Anaſtaſius ſucceſſit. Hunc quod in rebus Fidei Germaniæ, & Burgundiæ Epiſcopi conſuluiſſent, eis hunc in modum reſcripſit: *Exigit dilectio veſtra, vt ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ, veſtris deberemus reſpondere conſultis. Et quamuis ſuccincte hoc agere feſtinaremus, denuo tamen ob has vel alias neceſsitates, quaſi ad Caput mittere charitatiue non dubitetis*.

Anaſt. P. Burgund. & German. Epiſc. conſuluerunt *in epiſt.*

Cum verò in Africa, in cauſa Donatiſtarum plurimi Patres ad Concilium conueniſſent, decreuerunt, quod adiungo: *Placuit, vt litteræ mittantur ad Fratres, & Coepiſcopos noſtros, & maximè ad Sedem Apoſtolicam, in qua præſidet venerabilis frater, & collega noſter Anaſtaſius, vt nouerit habere Africam magnam neceſsitatem, vt ex ipſis Donatiſt. quicumque Clerici correcto conſilio ad Catholicam vnitatem tranſire voluerint, in ſuis honoribus ſuſcipiantur*.

Conc. Afric. 35

Anaſtaſius porrò Africanis Epiſcopis, quod ex re fuerat reſcripſit. Quod reſcriptum quo animo in Concilio Carthaginenſi audierunt, placet ex eorum verbis cognoſcere. *Recitatis*, aiunt, *litteris Beatiſsimi fratris, & Conſacerdotis noſtri Anaſtaſij, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, quibus nos paternæ ac fraternæ ſollicitudine charitatis ac ſinceritate adhortatus eſt, vt de hæreticorum, & Schiſmaticorum Donatiſtarum inſidijs, & improbitatibus quibus Africanam Eccleſiam Catholicam grauiter, vexant, nullo modo diſsimulemus: gratias agimus Domino noſtro, quod illi optimo ac Sancto Antiſtiti ſuo, tam pie curam pro membris Chriſti, quamuis in diuerſitate terrarum, ſed in vna compage corporis conſtitutis, inſpirare dignatus eſt*. Ita tum ad Sedem Apoſtolicam, quamuis è remotiſſimis Orbis terrarum partibus, tamquam ad Caput vniuerſale, membra in vnitatem corporis myſtici conſpirantia, Fidei negotia referebant. Ab ijſdem remotiſſimis mundi partibus, Innocentij I. Pontificis temporibus, vt Auguſtinus meminit, *ex duobus Concilijs, Carthaginenſi, & Mileuitano, miſſæ ſunt relationes ad Apoſtolicam Sedem*. Et quidem Patres Carthaginen. quid nouitatis Pelagius, & Cæleſtius ſeminarent, quidue ipſi contra Nouatores decreuiſſent Innocentio ſignificarunt, deprecantes, *vt ſtatutis*, aiebant, *noſtræ mediocritates etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas*. Patres verò Meleuitani, cauſam reddentes ſcribebant; *Arbitramur, adiuuante miſericordia Chriſti, qui te, & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis Tuæ de ſanctarum ſcripturarum auctoritate depromptæ, facilius eos, qui tam peruerſa ſentiunt eſſe ceſſuros*. Laudauit Innocentius Patrum Mileuitanorum ſtudium, quod *antiquæ regulæ formam ſecuti*, Sedem Apoſtolicam *ſuper anxijs rebus, quæ ſit tenenda ſententia conſuluerint. Scientes*, inquit, *quod per omnes prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent, præſertim quoties Fidei ratio ventilatur, quod arbitror omnes Fratres, & Coepiſcopos noſtros, nonniſi ad Petrum, id eſt ſui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſsit omnibus Eccleſijs in commune prodeſſe*. Ita tum Innocentius, ait Auguſtinus, reſcripſit, *quo fas erat atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem*, adeo, vt *Cæleſtius, Beati Papæ Innocentij litteris non eſt auſus obſiſtere; imo ſe omnia quæ Sedes illa damnaret, damnaturum eſſe promiſit*. Tunc vt ſcripſit Proſper. *Pelagianorum machinæ fractæ ſunt, quando Beatæ memoriæ Innocentius, neſandi erroris capita, Apoſtolico mucrone percuſsit*. Cæterum Innocentio defuncto, cum Pelagianorum hæreſes repullularent, *Concilio apud Carthagi-*

Reſcribit Anaſt. Epiſc. Africanis cõſulentibus in cauſa Donatiſtarum.

Ep. 106. 91. & 92. & 91.

Conc. Carthaginenſ. & Mileu. relationes ad Sedem Apoſt. miſſæ ſub Innoc. I. pro ipſius auctoritate actorum obtinenda.

Auguſt. l. 6. c. 7 cont. Pelagium, & Cæleſtium. cont Collatorẽ. & in Chron.

Decreta Carthaginenſ. & aliorum Conciliorum Zozimos PP. ſententiæ ſuæ robore validat. Cynoſura, S. Auguſt. Rom. Eccleſ. *lib. 1. cap. 1. ad Bonifacium P. cont. duas ep. Pelegianorum.*

thaginem habito CCXVII. Epiſcoporum, ad Pontificem Zozimum Synodalia decreta perlata ſunt. Quibus probatis per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt. Aliorum etiam *Africanorum Conciliorum decretis, Beatæ recordationis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antiſtitum*, qui de vniuerſo negotio ad Sedem Apoſtolicam velut ad petram ex qua exciſi eſſent aſpexerant. Iam, & S. Auguſtinus, non aliam in caligionoſo errorum nubilo Cynoſuram, quam in Sole tabernaculum Dei cnm hominibus, Romanam Eccleſiam aſpiciebat. *Hæc*, inquit, *quæ duabus epiſtolis* Pelegianorum *iſta diſputatione reſpondeo, ad tuam potiſsimum dirigere Sanctitatem, non tam diſcenda, quam examinanda, & vbi forſitan aliquid diſplicuerit emendanda, conſtitui.* Acta quoque Collationis cum Donatiſtis tanti poſtea in Eccleſia Africana habita, vt diebus ieiuniorum populis congregatis in Templis prælegerentur, ad eundem Bonifacium Romanum Pontificem miſit, nihil magis depoſcens, quam vt Bonifacius auctoritate Apoſtolica probaret vel improbaret, quæ is aduerſus hæreticos feruenti ſpiritu pronunciaſſet. Hæc Sol omnium Doctorum, & omnium ſcientiarum Oceanus, Auguſtinus, ad Sedem Apoſtolicam referebat.

De ijs quæ cont. Hæreti. eos tunc pronunciarat iudicium Boniſac. repetit.

Auguſtino non inferior Alexandrinus Cyrillus recens Neſtorij Conſtantinopolitani, de generatione Domini errorem erumpentem, non ad aliam Petram quam ſuper quam Chriſtus ædificauit Eccleſiam, referendum refellendumque putauit. Cum enim Epiſcopus quidam Dorotheus nomine, Conſtantinopoli, eadem quæ Neſtorius ſapiens, & ſentiens, vir quæſtus cauſa adulationi impenſe deditus, linguaque ad temeritatem vſque promptus, Neſtorio in cathedra Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ inter ſacra ſedente, magna elataque voce inclamare, ſi quis Mariam Deiparam dixerit, anathema ſit, auſus eſſet, atque hanc blaſphemiam Neſtorius, & audire ſuſtinuiſſet, & ſcriptis homilij defendere voluiſſet, adeoque profana nouitate plurimos offendiſſet, & magnum tumultum in Eccleſia Orientali excitaſſet, Cyrillus Alexandrinus ad Cæleſtinum Romanum rem detulit, ſimulque admonuit, quod Neſtorius ea ſtuduit effutire, qua abſurda, & rationi diſſentanea, & ab Apoſtolica, & Euangelica fide, quam maiores, inquit, noſtri magna ſemper conſtantia tenuerunt, nobiſque perindè ac pretioſam quandam Margaritam tradiderunt, non parum diſcrepantia ſunt. Neque id tantum fecit, ſed & homilias, quas Neſtorius pro concione non infrequenter habuit, & hucuſque habere non deſtinebat, tamquam euidens quoddam doctrinæ illius argumentum ad Cæleſtinũ miſit, non auſus primo Neſtorium, aut Synodicis litteris cõmoneſacere, aut communione Eccleſiaſtica indignum pronunciare, quam Cæleſtino vniuerſa ſignificaſſet. *Quamuis*, inquit, *ita ſe res habeat*, nimirum, *vt, & Chriſtus à Neſtorio conuitijs appetatur, & populus Conſtantinopolitanus aſſiduè magis magiſque corrumpatur, non prius tamen illius communionem confidenter deſerere auſi fuimus, quam hæc ipſa pietati Tuæ indicaremus. Digneris proindè quid hic ſentias declarare, quo liquido nobis conſtet communicarene nos cum illo oporteat; an verò libere eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui eiuſmodi erroneam doctrinam fouet ac prædicat. Porrò Tuæ integritatis mens, & ſuper hac re ſententia, non modo Deoque piiſſimis deuotiſſimis Macedoniæ Epiſcopis, ſed totius quoque Orientis Antiſtibus perſpicuè per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis anſam dabimus, vt omnes vno animo in vna ſententia perſiſtant, rectæque Fidei, quæ iam impugnatur, opem ferant.* Reſcripſit Cæleſtinus, ad ſe pertinere, idque vnum aſſiduè mente verſare, quo pacto fideles, vt in ſuſcepta ſemel Fide conſtanter retinenda perſeuerent, adiuuare poſſet. *Interim*, inquit, *noſtrarum partium eſt, vt illum*, Neſtorium, *in præcipitium proximè adductum, vel in ipſo verius præcipitio, vnde eum prolabi neceſſe eſt, iam conſtitutum, ſi qua ratione poterimus, à lapſu prohibeamus: ne ſi opem non tulerimus, ipſum ad caſum impuliſſe videamur. Sanè Ieſus Chriſtus Dominus noſter, cuius generatio in quæſtionem adducitur, pro vna duntaxat oue laborandum eſſe oſtendit, dum eam ne lupis diſcerpenda obiectaretur, proprijs humeris impoſitam reportare dedignatus non fuit. Iam qui pro vnius oniculæ ſalute adeo enixe laborandum eſſe docuit; quantum pro ipſomet Paſtore nos laborare cupit? Qui tamen Paſtor, & nominis, & profeſſionis ſuæ oblitus, ſemetipſum in rapacem lupum transformauit, gregem quem ſeruare debuerat, modis omnibus diſperdere conuitens. Hunc nos igitur ab ouibus arcere oportet, niſi, vt optamus, ad bonam frugem ſeſe receperit: ſi qua tamen huius rei ſpes adhuc reliqua eſt. Deſideramus enim, vt conuertatur, & viuat: niſi concreditorum ſibi vitam iam dudum ipſe perdiderit. Quod ſi in pertinacia ſua perſtiterit, aperta mox condemnationis ſententia in illum feretur. Etenim vulnus, quod non vnum aliquod membrum tantum lædit, ſed vniuerſum Eccleſiæ corpus conſauciat, primò quoque tempore excindere oportet. Vniuerſi proinde, quos illa tamquam ſibi obſiſtentes, a communione, vt putauit, ſummouit, in noſtra ſocietate ſe permanere intelligat: ac ſciat, ſeipſum communionem poſthac nobiſcum habere non poſſe, ſi doctrinæ Apoſtolicæ aduerſatus, peruerſam hanc viam contumaciter vrgere perrexerit. Quamobrem NOSTRAE SEDIS AVCTORITATE adſcita, NOSTRAQVE VICE, ET LOCO, CVM POTESTATE VSVS, eiuſmodi non abſque exquiſita ſeueritate ſententiam exequeris; nempè, vt niſi decem dierum interuallo, ab huius noſtræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam ſuam conceptis verbis anathematizet, eamque de Chriſti Dei noſtri generatione fidem in poſterum confeſſurum ſe ſpondeat, quam, & ROMANA, & tuæ Sanctitatis Eccleſia, & vniuerſa denique religio Catholica prædicat, illicò Sanctitas tua illi Eccleſiæ proſpiciat. Is verò modis omnibus ſe à noſtro corpore ſegregatum eſſe intelligat; vt qui omnem medentium curam aſpernatus, nec non inſtar peſtiferi morbi per vniuerſum Eccleſiæ corpus inſano modò graſſatus, tam ſeipſum quam cæteros omnes ſibi commiſſos in extremum exitium præcipitare ſtuduerit. Eadem hæc, & ad ſanctos quoque fratres, & Coepiſcopos noſtros, Ioannem, Rufum, Iuuenalem, & Flauianum perſcripſimus, quo noſtra imò vero diuina Chriſti Domini ſententia pluribus de eo ſit manifeſta.* Hæc S. Cæleſtinus decernebat; quod ad illum ſolum pertineret, de Fi-

Epiſt. Cyril. ad Cæleſtinum P. tom. 1. Concil.

Cæleſtin. PP. Cyrill. Alex. de errore Neſtorij tunc erumpente commonefacit vt ſtatuat quid facto opus.

Quid ſuarum partium ea in re Pont. eſſe reſpondeat. *Cæleſtinus, Cyrillo ibid.*

Cyrillo Cæleſtin. contra Neſtorium ſuam poteſtatem, & auctoritatem tradit.

de Fide cognoſcere; & tandem peſtifero errore ſcatentia membra, mucrone Apoſtolico, ne reliquos inficerent, præſcindere.

Monetur Rom. Pontif. S. Flauiani litteris de Eutychetis peruerſis dogmatibus.

Neſtorio vix dum proſtrato, cum Eutyches Conſtantinopolitanus monachus, abſconditum in ſe languorem malæ ſectæ retinens, Apollinaris, & Valentini hæreſes renouaret, Orthodoxamque Fidem lædens, blaſphemaret; ante inhumanationem quidem Saluatoris Noſtri Ieſu Chriſti duas naturas eſſe diuinitatis, & humanitatis, poſt vnitionem verò vnam naturam factam, ac iſtud quoque adijceret, Corpus Domini, quod ex Maria factum eſt non eſſe noſtræ ſubſtantiæ, neque humanæ conſperſionis; ſed tamen humanum vocandum, non tamen nobis conſubſtantiale, neque genitrici eius ſecundum carnem: cum inquam iſtas nouitates Eutyches aſſerere, atque in multos impietatem propriam inferre præſumeret, S. Flauianus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, Leonem magnum Vrbis ſenioris Romæ Pontificem totius rei admonuit, ſimulque quid in eo negotio geſſerit, vna cum litteris tranſmiſit: vel hac potiſſimum de cauſa, quia idem *Eutyches paſſus iuſtam canonicam damnationem, cum debuiſſet ſecundis ſaluare priora, & per pœnitentiam perfectam, multaſque lachrymas placare Deum, noſtrumque cor*, ait Flauianus, *vehementer contriſtatum in eius ruina, per veram, ſanare pœnitentiam; non ſolum hoc non fecit, ſed etiam per omnia conturbare ſanctam, quæ apud nos eſt Eccleſiam feſtinauit, propoſitiones iniuriarum publicè ponens, & maledictionibus plenas; ſuper hæc & preces offerens piiſſimo, & Chriſti amantiſſimo Imperatori, & eaſdem arrogantia, & petulantia plenas, per omnia diuinas regulas conculcare conatus eſt. Sed his ita geſtis, litteræ nobis datæ ſunt veſtræ Sanctitatis, per admirabilem Comitem Panſophium per quas ſumus edocti, quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia atque calliditate, dicens iudicij tempore libellos ſe dediſſe appellationis, & nobis, & hic conuenienti ſancto Concilio, & appellaſſe veſtram Sanctitatem: quod nequaquam ab eodem factum eſt. Sed etiam in hac parte mentitus eſt, tamquam per fallaciam mendacijs ſubrepere ſe ſanctis veſtris auribus putans. Commotus itaque, Sanctiſſime Pater, in his omnibus quæ ab eo præſumpta ſunt, & ob ea quæ in nos, & ſanctiſsimam Eccleſiam facta ſunt, atque ſiunt, pro conſueta fiducia fiducialiter age, ſecundum quod Sacerdotio competit; propriamque faciens communem cauſam, & ſanctarum Eccleſiarum diſciplinam, ſimul decernere damnationem aduerſus eum regulariter factam, & per propria ſcripta dignare. Confortare autem & piiſſimi, & Chriſto deditiſsimi noſtri Imperatoris Fidem. Cauſa enim eget SOLVMMODO VESTRO SOLATIO ATQVE DEFENSIONE, quæ debeatis CONSENSV PROPRIO ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæreſis quæ ſurrexit, & turbæ quæ propter eum factæ ſunt facillimè deſtruentur, Deo cooperante per veſtras ſanctiſsimas litteras. Remouebitur autem, & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam vbique ſanctiſsimæ turbentur Eccleſiæ.*

Epiſt. Flauiani ad Leonem P.

Quas Rom. Pont. partes eſſe dicat.

Hæc S. Flauianus, S. Leoni ſignificans, ingenuè fatebatur; ad Romanum Pontificem debere cauſas fieri ab omnibus deferri, atque ad eum ab omnibus poſſe prouocari; ipſumque vnum vnicum, pro ſacerdotij ſupremi auctoritate, poſſe communem omnium cauſam propriam facere: hæreſes ac nouitates emergentes atque auctores earum damnare; Orthodoxos omnes, etiam Imperatores in Fide confortare: diſciplinam ſanctarum Eccleſiarum ſancire; conſenſu proprio atque defenſione, ad tranquillitatem cuncta perducere; turbas propter hæreſes factas deſtruere; Concilia ne à quocquam aut indicantur, aut ineantur præuertere: & ne vniuerſæ vbique turbentur Eccleſiæ, pro Paſtorali ſolicitudine ex auctoritate curare.

Quid Leo Epiſcopis Siciliæ. — epiſt 4 ad Epiſcop. Sicil.

Ad hanc Petram Fidei, quod Epiſcopi Siciliæ, Sacramentum Baptiſmi numeroſius in die Epiphaniæ, quam Paſchali tempore celebrantes, non reſpexiſſent, habuit Leo Pontifex eis exprobare; *Quam*, inquit, *culpam nullo modo potuiſſetis incidere, ſi vnde conſecrationem honoris accepiſtis, inde legem totius obſeruantiæ ſumeretis: & Beati Petri Apoſtoli Sedes, quæ vobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis eſſet Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.*

Quid Martiano Aug. & alijs. — Ep. 62. & 63. — Epiſt. 65. — Epiſt. 61.

Cæterum, ne reliqui Orthodoxi aliqua ratione à Catholica Fide per Nouatores ſeducerentur, idem Leo, in Oriente, Martianum Auguſtum imprimis monuit; *Quicquid pietas veſtra de hac conſultatione cognouerit, ad meam iubeat mox notitiam peruenire, vt in diuinis myſterijs nulla diſſonantiæ culpa naſcatur*; & iterum: *Ad meam notitiam iubeat peruenire, vt Dei cultus nullo errore lædatur.* Idem Theodoreto, & Coenſi Epiſcopo præcepit; huic quidem, *nequid*, ait, *poſsit de ſtatu fidei me latere.* Illi vero; *In hoc quoque*, ſcripſit, *tuæ vigilantiæ ſolicitudine volumus adiuuari, vt tua relatione currente, quid apud Eutychianos ac Neſtorianos, Religionis doctrina Dominica proficias, Apoſtolicam Sedem feſtines inſtruere.* Propter eandem quoque cauſam, ſcilicet, Fidei negotia cognoſcenda, in Oriente, *Iulianum Epiſcopum* ait, *in ſpeculis propter fidem illic eſſe conſtitui*, ſcilicet vt ab illius certiſſima relatione in momento ſciret, an quid nouarum opinionum, contra veterem doctrinam irreperet. Cum autem Theodorus Foroiulienſis Epiſcopus, de pœnitentia his qui in extrema laborarent impertienda ad eundem retuliſſet; eam quidem petentibus non negandam eſſe reſcripſit, veruntamen quid conſuetudinis Eccleſiaſticæ eſſet, illum edocuit: nimirum Epiſcopos primum conſulere debere ſuos Metropolitanos: quos ſi eadem contingeret ignorare, tunc demùm Summum Pontificem eſſe conſulendum.

Epiſt 68. de pœnitentia moribundis danda. — epiſt 91.

De diuerſis alijs ad Sedẽ Apoſt. recurrentibus. — Simplicius ep. 18. 12-13.

Leoni ſucceſſit Hilarus. Hunc etiam Tarraconenſes Epiſcopi in cauſis Fidei interpellantes, ei ſcripſerunt. *Ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam: inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Hilari Pontificatum cum excepiſſet Simplicius, ac eius temporibus Petrus Mogus, Eutychianam hæreſim conaretur ſuſcitare, adeoque plurimos Alexandriæ latitans ſeduceret, Timotheus Solofaciolus Alexandrinus Patriarcha, ſimplicio nouitatem renunciauit, atque obſecrauit, vt apud Imperatorem ageret, quo longiùs in exilium pelleretur. Imperator porro Zeno, cum per id temporis, ad decipiendos Ca-

Euagr lib. 3 c. 4. Theodor Lector Collectan. l. 2.

dos Catholicos de Fide edictum, quod *henoticon* ſeu *vnitiuum* appellari voluit, promulgaſſet, Ioannes Talaida Soloſacioli ſucceſſor, primum eidem Simplicio, deinde eo defuncto Felici III. Romano Pontifici negotium apetuit: atque hic Concilio Romæ habito, Legatos Conſtantinopolim deſtinauit, litteraſque ad Zenonem Imperatorem dedit, fortiſſimas ad redarguendum, & efficaciſſimas ad perſuadendum, de prodita Catholica Fide in Oriente.

Epiſt. diuerſæ Gelaſij.

Eandem fidem, cum & Anaſtaſius Imperator in Oriente, publicato edicto conuelleret, & in Dalmatia ac Piceno plurimi Epiſcoporum Pelagiana hæreſi commaculari ſuſtinerent, nec quicquam ea de re Sedi Apoſtolicæ ſignificaſſent, horum quidem oſcitantiam Gelaſius Felici ſuccedens Apoſtolica auctoritate, vel propterea maxime redarguit, quod ſuam prouinciam paterentur, à Seneca quodam carioſo ſene, homine rudi, illiterato; atque ipſius etiam intelligentiæ communis prorſus extraneo: qui & amplius vna eademque congregatione puellis ſacris monachos miſcebat; tantam vim aſſerens homini etiam ſine Dei adiutorio ineſſe liberæ voluntati, vt ſi vellet poſſet inter adoleſcentulas verſari, contrectare, & tamen nullatenus inquinari. Anaſtaſium verò Imperatorem, de rebus Fidei temere tractantem, liberrimè increpauit, illudque Principibus legendum protulit: *Noſti fili clementiſſime, quod licet præſideas humano generi dignitate, rerum tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis: quanta potius Sedis illius Præſuli conſenſus eſt adhibendus, quem CHRISTI VOX PRAETVLIT VNIVERSIS, quem Eccleſia veneranda confeſſa ſemper eſt, & habet deuota PRIMATEM?* ſcilicet admonebat, non ad Imperatorem, ſed ad Pontificem Romanum pertinere res Fidei Orthodoxę, aut cognoſcere, aut definire, maximè, quia *hoc eſt*, vt eidem Anaſtaſio idem Antiſtes confidenter ſcribebat, *quod Sedes Apoſtolica magnopere cauet, vt quia mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla rima prauitatis, nulla prorſus contagione maculetur.* Propter hanc Sedis Apoſtolicæ prærogatiuam, & Epiſcopis per Lucaniam, Brutios, & Siciliam nonnihil à formula Fidei Romanæ degenerantibus, audacter ingerebat idem Gelaſius: *Indignum eſt*, ait, *quemquam Pontificum hanc obſeruantiam refutare, quam Beati Petri Sedem, & ſequi videat, & docere; ſatiſque conueniens eſt, vt totum corpus Eccleſiæ in hac, ſibimet obſeruatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.* Propter eundem Principatum, *Gennadius Maſſilienſis Eccleſiæ presbyter, de fide ſua ſcripſit librum ad eundem Gelaſium*; quod moris Eccleſiæ ſcientiſſimus, noſſet, ad Sedem Romanam cuncta Fidei negotia eſſe referenda. Ex Oriente quoque Ioannes Orthodoxus Epiſcopus Alexandrinus, Apologiam aduerſus Pelagianos; & ex Occidente S. Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus ſua ſcripta, ad eundem Gelaſium miſit: qui aut probaret, aut reprobaret. Neque tantum hi, verum etiam vniuerſa Eccleſia Orientalis, nouationes in fide Anaſtaſij Imperatoris iterum væſanientis, ad Sedem Apoſtolicam retulit, illudque memorandum Symmacho Pontifici ſcripſit; *Quotidie à Sacra Doctore Petro, doceris oues Chriſti per totum habitabilem mundum tibi creditas paſcere.* Cum vero idem Imperator Anaſtaſius Macedonium Patriarcham Conſtantinopolitanum vehementer vrgeret, vt Synodum Chalcedonenſem anathemate damnaret, atque edicto ſubſcriberet; ille *ſine vniuerſali Synodo cui magna Roma Epiſcopus præſideret, nihil ſe facturum dixit*, non ignarus etiam illius, quod pluſquam LXX. Epiſcopi in 4. Synodo ſub eodem Symmacho congregati, Regi Theodorico reſponderunt; *Papam debere Synodum conuocare: quia eius Sedi, primum Petri Principatus, deinde Conciliorum auctoritas, ſingularem in Eccleſijs tradidit poteſtatem*, de rebus Fidei præſertim cognoſcendi. Cum autem Anaſtaſius Imperator in hæreſi in quam delapſus fuerat perſeueraret, duaſque in Chriſto naturas, Deitatis videlicet, & humanitatis, Eutychen hæreſiarcham ſequens denegaret, Hormiſdam Pontificem qui Symmacho ſucceſſerat Orthodoxi monuerant. Is porrò direxit Euodium Ticinenſem Epiſcopum, alioſque cum eo Conſtantinopolim Legatos, cum Catholicæ Fidei inſcripto, quatenus Anaſtaſium ad Eccleſiæ gremium reduceret. Cæterum profanus, Legatos, naui fragili impoſuit, mandauitque, ne vſpiam per totam Græciam ad aliquam ciuitatem accederent. Quam eius impiam temeritatem diuina vltio continuò ſecuta eſt. Nam cum iam ſeptimum, & vigeſimum Imperij annum ageret, ictu fulminis interijt. Anaſtaſio adhunc modum extincto, cum Iuſtinus Orthodoxus imperium ſumpſiſſet, auctoritatem ſuam ad Hormiſdam Papam Sedis Apoſtolicæ, per Gratum Illuſtrem nomine direxit: petens à Sede Apoſtolica, vt pax Eccleſiarum per ſchiſmata, & errores ſublata redintegraretur. Miſit tunc Hormiſda Legatos, ex omni parte, fide, & textu libelli pœnitentiæ munitos, qui Epiſcopum Conſtantinopolis, & Clerum cum Papa conſentire fecerunt. Ad hunc modum Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus Hormiſdæ Summo Pontifici ſcripſit: *Certus ſcito, quod omnes à te repudiatos hæreticos renuo, & ego pacem diligens, ſanctiſſimas Dei Eccleſias, id eſt, ſuperioris veſtra, & nouella iſtius Romæ, vnam eſſe accipio: Illam Sedem Apoſtoli Petri, & iſtius Auguſtæ Ciuitatis, vnam eſſe definio, Non poteſt prætermitti ſententia Domini dicentis, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur euentibus, quia in Sede Apoſtolica inuiolabilis ſemper Catholica cuſtoditur religio. Quapropter ſequentes in omnibus Sedem Apoſtolicam, prædicamus omnia quæ ab ipſa decreta ſunt: & propterea ſpero, in vna communicatione vobiſcum, quam Apoſtolica Sedes prædicat, me futurum: IN QVA EST INTEGRA DEVOTIO CHRISTIANAE RELIGIONIS ET PERFECTA SOLIDIDAS.* Inter hæc inimicus homo, ei puriſſimo tritico infelix lolium ſuperſeminauit, ac monachos quoſdam Scythiæ, occultè Eutychianos excitauit, vt Triſagio adderent, vnum de Trinitate Crucifixum eſſe. Hæc res, quod videretur Concilij Calcedonenſis decreta poſſe labefactare, & multis hæreſibus viam aperire; Victor quidam inter eoſdem Monachos Synodi

Gelaſ. PP. Anaſt. Imper. de primatu Sed. Apoſt.

Gelaſ. Epiſc. per Lucaniã Brutios, & Siciliam de vnitate fidei cum Rom. Eccleſ.

Diuerſi ſcriptores deſcripta ſuis Sed. Apoſt. iudiciũ requirunt. Photius in bibliotheca.

Theodorus Lector Collectan. lib. 2.

Patrum 4. Synod. Theod. Regi reſponſum de poteſtate Rom. Pont. Paulus Diac. in vita Anaſtaſ.

Iuſtinus Imp. Legatum ad Pon. Hormiſdam dirigit pro pace Eccleſ. & tollendis morb. Pontificale in vita Hormiſdæ.

Scythiorum monachorum error.

nodi

nodi Calcedonenſis profeſſor repugnauit. Monachi errones, Eutychiani, ad Legatos Apoſtolicos in Oriente agentes appellationem interpoſuerunt; ſi ſecundum Victorem decreuerunt, neque aliqua in Eccleſia nouitatem introduci voluerunt: illi porrò ad Hormiſdam Romanum Pontificem prouocarunt. Vbi cum nihil ſe poſſe proficere vidiſſent, & Africanis Epiſcopis, illud additamentum neceſſariò hymno Triſagij addendum, perſcripſiſſent, ab eis reſcriptum tulerunt, *id debere teneri, quod ſacroſancta Romana tenet Eccleſia. Id enim, quod duorum magnorum luminarium* (ſcribebat nomine omnium aliorum S. Fulgentius) *Petri ſcil. Paulique verbis, tanquam ſplendentibus radijs illuſtrata, eorumque decorata corporibus, Romana, quæ mundi caput eſt, tenet, & docet Eccleſia; totus cum ea Chriſtianus Orbis, & ad iuſtitiam nihil hæſitans credit, & ad ſalutem non dubitat confiteri.* Neque tantum Africani, ſed etiam Eoi Epiſcopi, ad Sedem Apoſtolicam reſpexerunt, & in his de Sanctiſſima Trinitate excitatis dubijs, ab Hormiſda inſtrui poſtularunt.

Patres reſpondent tenendũ quod Rom. tenet Eccleſ. in rebus dubijs circa fidẽ. *Euagr. l. 4. c. 3.*

Marcell. in Chron. ep. Hormiſd.

Quibus ille ſe Legatos miſſurum ſpopondit ac interim illis, & Iuſtino Imperatori reſpondit; *Non opus eſſe, vt,* inquit *ſtabilitatem fidei veſtræ, intentionis potius quam rationis ſequaces, procaci verborum nouitate confundant. S. Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vnus eſt Deus. Hanc Iſrael iuſſus eſt adorare. Huius inſeparabilis, & indiſcreta ſubſtantia non poteſt diuidi, non poteſt ſacrilega diuiſione ſeparari, ſeruata tamen proprietate ſua vnicuique perſonę.* Hæc ad explodendam Scythiorum Monachorum arrogantiam, aſſerentium, non dicendum, vnam perſonam de Trinitate in carne crucifixam, ſed, vnum de Trinitate id præſtitiſſe. Quam blaſphemiam illi Conſtantinopoli ferentes, poſſeſſorem Epiſc. impulerunt, vt auſus eorum Hormiſdæ ſignificaret, ſimulque de libris Fauſti Regienſis in Gallia Epiſcopi conſuleret. De Pſeudomonachis Hormiſda reſpondit; illos non meliora Romæ feciſſe, ſed circa ſtatuas Imperatoris incedentes, plebem ſeducere contendiſſe: dumque ſuper ijs iudicium inſtitueretur, & Legati reuertentes expectarentur, Roma clam profugiſſe. De libris Fauſti reſcripſit, neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Eccleſiaſticæ diſciplinæ: qui ambiguitatem in rebus fidei poſſent gignere, aut religioſis præiudicium comparare. *Fixa,* inquit, *ſunt à Patribus, quæ fideles ſectari debeãt inſtituta. Siue interpretatio, ſiue prædicatio, ſeu verbũ ædificatione populi cõpoſitũ, ſi cũ fide recta, & doctrina ſana concordat, admittitur: ſi diſcordat, aboletur.* Cæterum, quod ijdem Pſeudomonachi Conſtantinopoli turbas iterum magis ac magis ciere non intermitterent, & Neſtorianam hæreſim non diſſimulanter propagarent. Iuſtinianus Imperator non amplius in re tanti momenti conniuendum exiſtimans. Hypathium Epheſinum, & Demetrium Cæſarienſem Metropolitanos ad Ioannem Pontificem deſtinauit, iſtudque ſui conſilij Epiphanio Conſtantinopolitano Epiſcopo ſcripſit: *In omnibus,* inquit, *ſeruato ſtatu vnitatis ſanctiſſimarum Eccleſiarum cum ipſo ſanctiſſimo Papa veteris Romæ; ad quem ſimilia hiſce perſcripſimus. Nec enim patimur, vt quicquam eorum quæ ad Eccleſiaſtica ſpectant ſtatum, non etiam ad eiuſdem referatur beatitudinem; cum ea ſit* CAPVT *omnium ſanctiſsimorum Dei Sacerdotum: vel eo maximè, quod quoties in his locis hæretici pullularunt; & ſententia, & iudicio illius venerabilis Sedis coerciti ſunt.* Idem, & ipſi Ioanni Romano Pontifice ſcripſit, atque in Codicem legum inſeri mandauit: *Nec patimur quicquam,* ait, *quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit, quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ* CAPVT *eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum.* Procopius, cur ex Byzantio ad Romanum Antiſtitem Legati veniſſent, Chriſtianorum altercationis ſedandæ cauſa; cauſam reddit; quod *Chriſtianæ fidei diſciplinam, ſi alij vnquam, Romani præcipuè ſunt venerati.* Neque Procopium ratio fefellit. Ioannes enim traditæ à maioribus fidei incorruptæ integerrimus Cuſtos, ex more maiorum, quatuor Conciliorum Oecumenicorum ſeruandam eſſe fidem, & tum B. Mariam verè, & propriè Dei genitricem eſſe prædicandam, ac vnam perſonam de Trinitate carnem ſumpſiſſe, & in carne mortem obijſſe, ſed id hymno Triſagio addi minimè oportere decreuit, occaſionemque Iuſtiniani Imperatori, & Orientalibus Epiſcopis dedit, qui in cauſis difficillimis, ad Pontificem Romanum tanto libentius accurrerent. Quemadmodum etiam tunc temporis, inter alios Africani Epiſcopi acceſſerunt.

Reſcribit. Hormiſda contra Pſeudomonachos & libros Fauſti.

Iuſtin. Imp. ad Ioh. Pont. contra Pſeudomonach. deſtinat. *Liber. in breu. c. 20.*

Iuſtinian. Pp. Caput omniũ ſanctiſſimorum Sacerdotum vocat.

C. de fide Cathol. & ſumma Trin.

Idem Caput omnium Eccleſiarum. *l. 2. de bello Gothorum.*

Ioan. PP. fidei corruptæ integerrimus cuſtos.

Res eſt. Pace Africanis Eccleſijs reddita, Reparatus, Florentinian. & Datianus, ac cæteri ducenti, decem, & ſeptem Epiſcopi, Carthagine in Baſilica Fauſti congregati, Synodo celebrata, Caium, & Petrum Epiſcopum, & Liberatum Diaconum Legatos cum Synodica ad Ioannem Romanum Pontif. miſerunt. Conſulebant poſt fidei profeſſionem tranſmiſſam, quomodo Arrianorum Sacerdotes ad Catholicam fidem ſuſcipi oporteat, vtrum ne in ſuis honoribus, an in laica communione. Item, vtrum paruuli ab Arrianis baptizati, ſoleant, vel debeant, ad clericatum, ſi petierint applicari, orabant etiam, vt quicunque forſan Epiſcopus, aut præsbyter, ſiuè diaconus, aut cuiuslibet, inferioris ordinis Clericus, ſine illorum epiſtola Romam venerit, & non approbauerit ſe pro vtilitate SS. Eccleſiarum fuiſſe directum, ſimilis hæretico iudicaretur, neque Romanæ Eccleſiæ communione dignus exiſteret. Reſcripſit Agapetus ſucceſſor (nam Ioan. in viuis eſſe deſierat) his, in eorum fidei profeſſionem vſus verbis: *Noſtra auctoritate firmamus, laudamus, amplectimur: ſtudiumque fidei veſtræ Patrum noſtrorum regulis conueniens confirmamus atque roboramus, per quod iam, & vnitas prouenit Eccleſiæ, & reliqua Catholica membra Eccleſiæ ad eius compagem Chriſtianitatis conſtantia reditura confidimus. Conſtituentes, vt ſi quis Catholicæ noſtræ fidei contraire tentauerit, quam pro ſubmouenda hæreticorum ſuſpicione paternis regulis conſentaneam præſenti definitione firmamus, ſanctæ communionis efficiatur extraneus.* Quod vero conſultationes eorum attinet, decreuit, vt Arrianorum Epiſcopi, præsbyteri, & reli-

Afric. Epiſc. Pontif. Rom. ſuper diuerſis per legatos conſulunt.

Reſcribit Agapetus tunc Pont.

qui ex Clero ad Eccleſiam venientes, benigne quidem reciperentur, non tamen dignitatibus aut officijs fungerentur. Quanquam autem Iuſtinianus Imp. pro reducib. intercederet, Agapetus tamen nec quicquam contra ſcita Patrum voluit concedere, illud flagitanti opponens; *Si*, inquit, *adhuc recuperando honoris ambitionibus excitantur, & pro lucro S. Fidei, humanę glorię pati damna formidant; ipſi pronunciant, necdum ſe à vitijs & errore diſcedere, & nos magis velle ſuis exceſſibus implicare.* Eadem tempeſtate.

Eutherius Luſitan. Epiſc. Pp. conſulit.

Eutherius, Luſitanorum, ſeu Gallecorum Epiſcopus, Syluerium in exilium ab Iuſtiniano electum, in cauſa eorumdem Arrianorum, & Priſcillaniſtarum conſuluit. Formulam baptiſmi Euangelicam illi corrumpebant, & iuxta eandem corruptelam, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* recitabant. Pro Syluerio Vigilius, formulam corruptam, ex verbis Euangelij reſtituit, &, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* debere dici decreuit: atque hæc de Primatu Rom. Eccleſ. vbique cognito addidit:

Vigil. ep. 1.

Vigil. de prærogatiua Eccleſ. Rom.

Nulli vel tenuiter ſentienti, vel pleniter ſapienti dubium eſt, quod Eccleſia Rom. fundamentum, & forma ſit Eccleſiarum: à qua, omnes Eccleſias principium ſumpſiſſe, nemo rectè credentium ignorat. Quoniam licet omnium Apoſtolorum par eſſet electio, Beato tamen Petro conceſſum eſt, vt cæteris præemineret. Vnde, & Cephas vocatur, quia Caput eſt, & Principium omnium Apoſtolorum: & quod in capite præceſſit, in membris ſequi neceſſe eſt. Quamobrem S. R. E. eius meritò Domini voce conſecrata, & Sanctorum Patrum auctoritate roborata, Primatum tenet omnium Eccleſiarum: ad quam tam Summa Epiſcoporum iudicia, & negotia, atque querelæ, quam & maiores Eccleſiarum quæſtiones, quaſi ad Caput, ſemper referenda ſunt. Conformiret ad iſta Vigilij ſcita, Imperator

Sanctio Iuſtiniani Imper. de Rom. Pôt. In authent. Collat. 2. tit. 4. Collat. 9. tit. 6. Iuſtinian. ab Agapet. ad veram reductus fidem. L. 2. c. 16. de geſtis Francor.

Iuſtinianus, *Summi Pontificatus apicem apud Romam nemo eſt qui dubitat*, pronunciauit. Deinde illud edixit; *Sancimus, ſecundum quatuor Synodorum definitiones, SS. Senioris Romę Papam*, PRIMVM ESSE OMNIVM SACERDOTVM.

Agnouit ſane reipſa Iuſtinianus, in rebus fidei, primum eſſe omnium Sacerdotum Rom. Pontif. Enimuero in Eutychis ſectam delapſus, paſſus eſt ſibi rectam fidem ſuaderi ab Agapetho, qui, vt Aimonius memorat, *illum ad veram reduxit fidem, & Antimum Patriarcham Coſtantinopol*, eius, & aliarum hæreſum excitatorem *damnauit*. Deinde, cum nonnulli maleſani, Origenis errores in Oriente diſſeminarent, ac Pelagius Sedis Apoſt. Legatus Coſtantinopoli agens, Mennæ Patriarchæ ve eos condemnaret auctor fuiſſet, Iuſtinian. vniuerſum negotium, cum ſubſcriptionibus Epiſcoporum, qui tunc ad condemnationem errorum conuenerant, ad Vigilium retulit. Cumq;

Vigil. Pp. interpellat Iuſtinian. contra Theodorum Cæſar. Epiſc. Acephalum. Liberat. ca. 23.

Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſc. ſecta Acephalus, Origenis defenſor acerrimus, ex hac cauſa controuerſiam de tribus capitulis mouiſſet, & Synodum Calcedonenſ. non occulte, ſed propalam ſiggilaret, adeoq; fidem Orthodoxam ſubuertere niteretur, Iuſtinianus tandem poſt multa tentata, Vigilium hac de re interpellauit: maxime, quod Epiſcopi, quos ille ad ſubſcribendum trium capitulorum dánationi coegerat, illam cautelam adſcriberent. *ſi Vigilius Rom. adprobaret*: & aperte Imp. dixiſſent, non eſſe iuris Imperatorij, aut fidem ſancire, aut fidei, profeſſionis formulam præfinire, aut aliquos ab Eccl. corpore anathematis mucrone recidere, ſed totum id ad primum omnium Sacerdotum pertinere. Perſpectum nempe habebant, id muneris Rom. Pont. eſſe fidem ſtabilire, fidei formulas ſcribere, anathemare ferire, controuerſa Conciliorum cognoſcere, & tum de rebus, tum de perſonis ſententiam ferre.

Imp. Facundi Africani ſcripta fractus integram cõtrouerſiam ad Vigil. Pp. defert.

Præclare Facundus African. ſcribebat; *Melius eſt*, inquit, *vt Imperator ſemet intra limitem ſuum contineat; quem cum tranſgreditur, perdere multos poteſt lucrari neminem. Ná & ſuas officinas habent vel artifices; omniaque ex propoſito doceri videmur. Nunquá n. de textrina perſonare incudes audiuimus, & ignem illic in fornacibus anhelare. Nunquam comperimus à ſudore quęſitum, quę cuiuſque fabricæ proportio latitudinis conueniret, & quod vtriſque conueniens congrueret altitudo: quoniam illa integre ſcire poſſunt, quæ ab ipſis artis ſunt præceptoribus inſtitutæ ſcholæ. Ideo incontemptu ſunt diuinæ literæ, quæ nec ſuam ſcholam, nec magiſtros habeant: vt de quibus peritiſſime diſputare ſe credat, qui nunquam didicit.* Hæc Facundus quibus adeo Imp. fregit, vt habuerit, edicta de tribus capitulis ſcripta, è publicis locis quibus affixerat detrahere, & integram rem ad Vigilium Pontificem deferre, qui in Concilio Coſtantinopoli ea de cauſa congregato, tam de Origeniſtarum, quam de Theodori Mopſueſteni, Theodoreti & Ibæ ſcriptis cognoſceret. Exemplo Iuſtiniani, & Apollinarius Patriarcha Alexandrin. & Eutychius Cõſtantinopolitanus Mennæ ſucceſſor, omnia de fide emergentia, ad eundem Vigilium referenda eſſe cenſuerunt, quod & Patres Quintæ Synodi præſtiterunt, omnium nominibus ſcribentes Eutychio Patriarca, hunc in modum.

Patres V. Synodi Vigilio Pp. de tribus capitulis. Tom. 2 Concil. Colla. 1 Synod. Conſtantinopol.

Scientes quantorum bonorum cauſa eſt pax Dei, cuſtodiens corda, & ſenſus fidelium, & colligens eos, vt vnum idemque ſapiant in recta fidei confeſſione, & ad perficienda diuina mandata, & propitium Deum faciens in his quæ recta ſunt concordantibus: ideo feſtinantes vnitatem conſeruare, ad Apoſtolicam Sedem veſtræ beatitudinis manifeſtum facimus, quod nos ſemper & ſeruauimus, & ſeruamus, fidem ab initio traditam à magno Deo & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto SS. Apoſtolis, & ab illis in omni mundo prædicatam, & à SS. Patribus explanatam, & maximè ab his, qui in ſanctis quatuor Synodis congregati ſunt, quos per omnia, & in omnibus amplectimur & ſuſcipimus. Suſcipimus autem & amplectimur & epiſtolas Præſulum Romanæ Sedis Apoſtolicæ, tam aliorum, quam Leonis ſanctæ memoriæ, de recta fide ſcriptas, & de quatuor Concilijs. vel vno eorum. Cum igitur prædicta omnia & ſeruauimus & ſeruamus, & in his nobis ipſis inuicem conſentimus, neceſſarium eſt conferri de tribus capitulis, vnde quibuſdam quæſtio nata eſt. Et ideo petimus. PRÆSIDENTE NOBIS VESTRA BEATITVDINE, *ſub tranquillitate & Sacerdotali manſuetudine, propoſitis SS. Euangelijs, communi tractu eadem capitula in medio proponenda, quæri & conferri, & finem quæſtioni imponi Deo placitum, & conuenientem his quæ à ſanctis quatuor Concil. de-*

finita

Reſcribit Vigil. Pp.

ſinita ſunt. Reſcripſit Vigilius inter alia. *Prædictis poſtulationibus, veſtrum deſiderium cognoſcentes, annuimus, vt de tribus capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, facto regulari conuentu, ſeruata æquitate, medijs SS. Euangelijs, collationem cum vnitis fratribus habeatis, & finis detur placitus Deo, & conueniens, his quæ à ſanctis quatuor ſunt definita Concilijs: ſcientes vtique, ſicut & communis profeſsionis teſtimonio declaratur, memoratarum Synodorum in omnibus reuerentiam cuſtodiri.* Quod acta eius Concilij

Acta Concilij non prius recepta, quam à Vigilio approbata.

attinet, non prius ab Orthodoxis recepta ſunt. quam illa Vigilius propter vnitatem Eccleſiarum conſeruandam approbaſſet. Tunc enim primum, inter Oecumenica Concilia numerata eſt ea Synodus: cum primum, eo tempore quo Vigilio aduerſabatur, inter latrocinia haberetur. Cum autem Vigilio de-

Pelagius cõtra Ligures Venetos Iſtrios, & alios.

functo, Ligures, Veneti, Iſtrij, & in his Paulinus Aquileienſis, vna cum Mediolanen. & alijs Epiſcopis, ſe à communione Pelagij, propterea quod Quintam Synodum recepiſſet, ſubtraxiſſent: & Pſeudoſynodum, inuito Pelagio, aduerſus eundem celebraſſent, Pelagius, Narſeti, vt eos coerceret perſcripſit, iſtudque ſcripſit: *Nec licuit aliquando, nec licebit alicui particularem Synodum congregare. Sed quoties aliqua, de vniuerſali Synodo aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendam de eo quod non intelligunt rationem, aut ſponte ij qui ſalutem animæ ſuæ deſiderant*, AD APOSTOLICAM SEDEM *pro recipienda ratione conueniant; aut ſi forte (ſicut de talibus ſcriptum eſt; Peccator, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit) ita obſtinati & contumaces extiterint, vt doceri non velint, eos ab iiſdem Apoſtolicis Sedibus, aut attrahi ad ſalutẽ quoquo modo neceſſe eſt, aut ne aliorum perditio eſſe poſsint, ſecundũ canones per ſeculares cõprimi poteſtates.*

Magnus Greg. controuerſias de rebus fidei ad Sed. Apoſt. referri vult.

Pelagio ſecundo Magnus Gregorius ſuccedens, pari vigilantia ſuper vniuerſam Eccleſiam in rebus Fidei incubuit; ac in primis Galliæ Epiſcopos admonuit; *ſi quam vero contentionem*, ait, *quod longe faciat diuina potentia, & Fidei cauſa euenire contigerit, aut negotium emerſerit, cuius vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine, iudicio Sedis Apoſtolicæ indigeat; examinata diligentius veritate relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem; quatenus à nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari.* Idem Ioanni Rauennatum

L. 4 ep. 52.

Epiſcopo ſcripſit; *vt grauiora quæque Fidei negotia, ad Sedem Apoſtolicam referret.* Felici

Ep. 22. l. 22.

quoque Epiſcopo Siciliæ, *de tribus, Apoſtolicam Sedem prædeceſſorum exemplo conſulenti, ex authoritate Sedis Apoſtolicæ* reſpondit; ac Dominicum Carthaginenſem Epiſcopum, quod

Ep 31. l. 7. Ep. 32.

Sedem Apoſtolicam diligendo, ad officij ſui recurreret originem, laudauit nec non Quirtinum, & cæteros in Hibernia Epiſcopos, inquirentes; *Vtrum Sacerdotes ac plebes, quæ Neſtorianæ hæreſeos errore confuſæ ſunt, cum ad matrem electorum omnium Catholicam Eccleſiam reuertuntur, baptizari debeant; an certe ſolius veræ fidei confeſsione eiuſdem matris Eccleſiæ viſceribus adiungi;* quid agere deberent, inſtruxit. Contigit tunc de immerſione ab aliquibus in baptiſmate vſurpata, in Hiſpanijs dubitari. Hanc rem quod Fidei eſſet, cum Leander Hiſpalenſis ad Gregorium retuliſſet, reſcripſit: *De trina vero merſione baptiſmatis, nil*

Lib. 9.

Reſcriptum Greg. Mag. de trina immerſione. Lib. 1. ep. 41.

reſponderi verius poteſt, quamquam quid ipſi ſenſiſtis; quia in vna Fide, nihil officit, ſancta Eccleſiæ conſuetudo diuerſa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus: vt dum tertio infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quod ſiquis forte etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione æſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit baptizando ſemel in aquis mergere: quia cum in tribus perſonis vna ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate in aquam, vel ter, vel ſemel immergere; quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in vna poteſt diuinitatis ſingularitas deſignari. Sed quia nunc vſque ab hæreticis infans in baptiſmate tertio mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo; ne, dum merſiones numerant, diuinitatem diuidant; dum que quod faciebant faciunt; ſe morẽ noſtrũ viciſſe glorientur. Hęc de trina, vel vnica merſione. Cęterũ quod etiã ſciret rem Fidei eſſe, Vtrũ

Iudæos adultos ad fidem compelli vetat.

quis perſuaſus, an coactus ad fidẽ veniret; ideo Virgilio Arelatenſi, & Theodoro Maſſilienſi conſulentibus, Apoſtolica auctoritate prohibuit, *nec Iudæos adultos ad Fidem compellerent.*

Honorio PP. ſcribit Sophr. de Cyro Alex. negãtem Chriſto duas voluntates, & duas operationes.

Grauiora ſunt, quæ adiungo, Cyrus Alexandrinus Epiſcopus; ſiuè volens, ſiue fingens ſe velle omnes Aegyptios hæreticos Catholicæ Eccleſiæ coniungere, ſynodo Alexandriæ habita, duas voluntates, & duas operationes in Chriſto negauit, eaque ratione omnibus hæreſibus viam aperuit. Eam rem cum Sophronius monachus, poſtea Patriarcha Hieroſolymitanus intellexiſſet atque Cyri aſtum peruidiſſet, quod ſubdole ad Eutychianiſmum inclinaret, & tum Apollinariſtis, tum Neſtorianis aperte præiret, & vel Diuinitate, vel anima Chriſtum ſenſim exuere diſponeret, ad Honorium non Imperatorem, quod Photianæ Bibliothecæ interpres A. S. ſcribit, ſed Pontificem Romanum negotium detulit. vtque Fides antiqua de duabus voluntatibus, & operationibus Chriſti retineretur, neque vlla nouitas profana introduceretur obſecrauit. Quod vero perſpectum haberet, ex eius auctoritate, totum negotium Fidei dependere, hæc ad calcem epiſtolæ Honorio ſcripſit: *Veſtram quæſo paternam Sanctitatem, has à mea*

Tom. 3. Concil.

humilitate ſuſcipientem iure ſynodico litteras, paternis oculis conſpicere, & fraternis obtutibus cernere; & ſi quid per ignorantiam offenſum eſt, ſiue per obliuionem prætermiſſum eſt, aut per feſtinationem minus animaduerſum eſt, aut per compendium minus expreſſum eſt, & nullatenus memoratum, aut per immobilitatem linguæ eſt tacitum, aut per linguæ grauitatem, & vocis nimiã exilitatem, aut per ſermonum agreſtium infirmitatem & nobis nolentibus ſiluit; adiectionibus & dictionibus adimplere, ex paterna procedentibus plenitudine, & emendationibus corrigere, & robur amiciſſimum tribuere, fraternis operatum ſtudijs, paterniſque irrigatum propoſitis, vt neq; quod in eis deeſt, imperfectum ſemper appareat; neque quod infirmum eſt, & per ignorantiam fortaſſis fefellit; inualidum iugiter maneat, & per totam vitam ægrotet. Hæc Sophronius Honorio; cui

Idem. & Sergius Patr. Cõſtant.

etiam Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus, eadem omnia quæ Alexandriæ contigerant, & quomodo Sophronius Cyro Alexandrino reſtiterat ſignificauit: *Rationabile ſimul*, ait, *& neceſſarium iudicauimus, de his quæ particim memorata ſunt, cognitionem dare veſtræ fra-*

cra-

ternæ atque vnanimi beatitudini, per exemplaria quæ à nobis directa ſunt, & adhortamur vos Sacratiſsimi hæc omnia legere, & Deo placitam, ac pleniſsimam charitatem, quæ in vobis eſt, nunc quoque ſequentes; ſi quid forte imperfecte eſt dictum, amplius minuſue inueneritis, hoc per datam vobis à Deo gratiam adimplere, atque per ſanctas Syllabas veſtras, vna cum veſtra optabili ſoſpitate, quæque ſuper his vobis fuerint placita, ſignificare. Neque tantum Patriarchę, ſed & Heraclius Imperat. licet à pſeudo epiſcopis ſeductus, id honoris Sedi Apoſtolicæ tribuit. Cum enim Sergium Conſtantinopolitanum, & Cyrum Phaſcidis Epiſcopum, vtrum Chriſtus duas voluntates, & operationes an vnam ſolam haberet, interrogaſſet; & illi Chriſtum vnam ſolam habere reſpondiſſene, *eorum ſententiam ad IoannemPapam Romanum perſcripſit.* Hanc Ioannes improbauit, & congregara ſynodo Monothelitarum hæreſim deteſtatus eſt. Quod vbi Heraclius intellexiſſet, Hecteſin, quam in fauorem Monothelitarum ſuo nomine vulgari paſſus eſt,ſuam eſſe negauit. Porro, cum Monothelitæ Cypriorum quoque Eccleſiam inficere conarentur, Cyprij Epiſcopi Sergio Metropolitano ſuo auctore congregati ſynodicam de nouatoribus Theodoro Ioannis ſucceſſori ſcripſerunt, & aduerſus Monothelitas auxilium in rebus Fidei implorarunt. His verbis nomine omnium Sergius Theodorum compellabat.

Zonaras in Heraclio, & Cedren. in comp. hiſtor.

In eaodem cõtrouerſiam Heracl. Imp. Ioann. PP.

Sanctiſsimo, & Beatiſsimo à Deo honorabili Domino meo, Patri Patrum, Archiepiſcopo & Vniuerſali Papæ Domino Theodoro, Sergius humilis in Domino, ſalutem, Firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque tituli formam lucidiſsimam Fidei, veſtram Sedem conſtituit, ò Sacer vertex, Chriſtus Deus noſter. Tu enim es ſicut diuinum veraciter pronunciat verbum, Petrus & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ confirmatæ ſunt. Tibi & claues cœlorum commiſit, atque ligare & ſoluere poteſtatiue, quæ in terra, & in cœlis ſunt promulgauit. Tu profanarum hæreſum depoſitor exiſtis, vt Princeps & Doctor Orthodoxæ & immaculatæ Fidei. Igitur,ne deſpicias, Patrum tuorum, Pater, Fidem æſtuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam,nec non periclitantem. Reſolue nebulam inſipientium, lumine tuæ diuinæ ſcientiæ, ò Sanctiſsime. Abſcinde blaſphemias & iactantiam vaniloquorum, nouiter emergentium hæreticorum doctorum. Hęc & alia plura Theodoro, Cyprij Epiſcopi; quæ poſtea in Concilio Lateranenſi, Primicerius Notariorum Theophilactus, ſancto Martino Pontifice in eadem cauſa præſidente recitauit. Non diſſimilia, Primates & Epiſc. trium prouinciarum Africæ, Numidiæ, Byzacij, & Mauritaniæ, eidem Theodoro ſcripſerunt. Paul. Conſtantinopol. Epiſc.vt Monothelitarum, hæreſim magis propalaret, typum, ſeu Ecteſim illam profanam ſuper ianuas magnæ Eccleſiæ propoſuerat. Permouit ea inſolentia maximum in modum, African. præ cæteris Epiſc. Quamobrem Columbus primæ Sedis Epiſc. Concilij Numidiæ, & Stephan. primæ Sedis Epiſc. Concilij Byzaceni, & Reparat. Epiſc. primæ Sedis Concilij Mauritaniæ, & vniuerſi Epiſcopi eorundem Conciliorum, atque ex Proconſulari Prouincia Carthaginen. ſexaginta octo Epiſc. in vnum conuenientes, Theodoro Pap. vt profanas vocum nouitates expungeret, & Sanctorum Patr. intemeratam doctrinam cuſtodiri iuberet, ſupplices fuerunt. *Patrem Patrum, & ſummum omnium Præſulum Pontific.* Theodorum appellabant, iſtudque ſolenne præſcripſerant; *Magnum & indeficientem omnibus Chriſtianis fluenta redundantem apud Apoſt. Sed. conſiſtere fontem, nullus ambigere poſsit; de quo riuuli prodeunt affluenter, vniuerſum largiſsime irrigantes Orbem Chriſtianorum, cui etiam in honorem Beatiſsimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam,in requirẽdis Dei rebus; quæ omnino, & ſolicite debent, maxime vero inſteque ab ipſo Præſulum examinari vertice Apoſtolico; cuius vetuſta ſollicitudo eſt, tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis namque regulis ſancitum eſt, vt quicquid, quamuis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur prouincijs, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductũ; vel eius auctoritate, iuſta quæ fuiſſet pronunciatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium; & per diuerſas totius mundi regiones, puritatis incorruptæ maneant fidei ſacramenta ſalutaris.* Præter hoc Patres,etiam Victor Carthaginen. Epiſc. Theodoro Papæ, quid à Monotheliris in Oriente nouaretur ſignificauit, iſtud addens; *Veſtrum eſt frater ſanctiſsime, Canonica diſcretione ſolicite contrarijs Catholicæ fidei obuiare.* Cæterum Theodoro defuncto,cum Martinus ſucceſſiſſet, & Monothelitarum hæreſis adhuc inter Orientales graſſaretur, Sophronius Patriarcha Hieroſolymit. Stephanum Hieroſolym. diœceſis primum Epiſc. qui vniuerſa Martino renunciaret Romam mittens, hæc ad eum locutus eſt. *De finibus terræ ad terminos eius ambula, donec ad Apoſtolicam Sedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, peruenias.* Stephan. porro Dorenſis Epiſc. non tantum à Sophronio, ſed a Reuerendiſſimis Epiſc. & pene omnibus Chriſtianis populis miſſus, Romam veniens, hæc in relatione de Monothelitarum errore; Martino, Concilioque Lateranenſi ſcripſit, & dixit; *Annunciemus hæc omnia, omnium præpoſitæ,dico autem, ſummæ veſtræ, & principali Sedi, ad medicinale conſultum emerſi vulneris. Quippe quoniam hoc poteſtatiue olim,& ab antiquitus facere per Apoſtolicam, ſiue Canonicam conſueuit auctoritatem, dum aperta lucubratione non ſolum Claues Regni cœlorum creditæ ſunt ei, atque ipſe tantummodo ad aperiendum, eos, fidelibus quidem digne, minime autem Euangelij gratiæ credentibus iuſte claudere, magnus ſecundum veritatem, & Princeps Apoſtolorum meruit Petrus, ſed etiam & paſcere primus iuſſus eſt oues totius Catholicæ Eccleſiæ, & confirmare exagitatos conſortes ſuos & ſpiritualis meruit fratres, vtpote diſpenſatiue ſuper omnes, ab eo qui propter nos incarnatus eſt Deus, poteſtatem accipiens, & Sacerdotalem auctoritatem. Quod ſciens Patriarcha Sophronius, me ad hanc Apoſtolicam,magnamq; direxit Sedem.* In eodem Lateranenſi Concilio, Abbates, presbyteri & monachi,ex Laura Sabæ, & ex varijs Græciæ, & Aſi. prouincijs confluentes, cum Martin. *Patrem Patrum,Sacerdotem Sacerdotum,terque beatiſſimum Pontif.* ſalutaſſent, profeſſionemque Fidei ſuæ aduerſus Monothelitas illi obtuliſſent, cognitionem cauſæ nouatorum perurgebant, ſcribentes in li-

Cypriorum Epiſc.ad Theodorum PP. ſynodica de nouatoribus Monothelitis Epiſt.

Similiter Primates, & Epiſcopi Africæ.

Scripta Patrũ diuerſorum Conciliorum ad Theodorũ PP. Ext. tom. 2. Concil.

Victor. Carthaginen. eidem Theod.

Stephan Hieroſ. & Stephanus Doren. Epiſcopi ad Martinum Pp & Concil. Lateranenſe miſsi contra Monothelitas.

Diuerſi ex varijs Græciæ & Africæ locis à Martino Pp. cognitionem cauſæ nouatorũ perurgent.

libello; *Omnium corda poſt Deum in vos pendent, ſummum Eccleſiar. ſcientes vos Caput à Chriſto Deo noſtro præpoſitum.* In ipſo illo Concilio S. Maurus Epiſc. Cæſenatenſis, pro Mauro Rauennatum Epiſc. Legatus *toto Orbe Apoſtolicum, & Vniuerſalem Pontificem* Martinum appellans, formulam Fidei contra eoſdem Monothelitas & alios nouantes editam, illi cognoſcendam repræſentauit: non aliunde, quod, à Sede Apoſtolica, expectans, de Fide Catholica ſententiam. Multo ampliora, Conſtantin. Imper. cognomento Pogonat. fecit, eadem hæreſi Monothelitarum totum Orientem adhuc peruadente. Dono etenim Pontifici, quem in viuis putauerat eſſe, non tantum quid nouatores agitarent ſignificauit, verum etiam opem à Sede Apoſtolica flagitauit, hoc præſcripto titulo; *Dono Sanctiſsimo ac beatiſsimo Archiepiſc. antiquæ noſtra Romæ, & Vniuerſali Pap.* Inter alia, ſcribebat; *Cognoſcere facimus veſtram paternam beatitudinem, quod dum ordinatus eſſet Theod. ſanctiſsimus, & beatiſsimus Patriarcha, à Deo conſeruanda huius noſtra Regia Vrbis, ſuggeſſit noſtra Serenitati, ſuſpectum ſe eſſe, dirigere conſueta ſynodica ad veſtram paternam beatitudinem, ne forſan non recipiantur, ſicut & ſub prædeceſſoribus eius Patriarchis factum eſt.* quorum nimirum profeſſionem erroneæ Fidei, Pontific. Romani reijciebant.

Conſtantinus Pogonat. Im. Dono Pontif. quē tunc adhuc viuere putabat præclare ſcribit ratione hæreſis Monothelitarum teme dium aliquod à Rom. Pont. efflagitans. Tom. 3. Concil.

Sed quia magis prauidit adhortatoriam epiſt. facere ad veſtram paternā beatitudinem, quod & direxit; eius per omnia ſcientiā habet veſtra paterna beatitudo; & nos prauidimus, per præſentē ſtram piam Sacram, de huiuſmodi epiſtola non vti multiloquio. Sed poſteaquod directa eſt eadem epiſtola ad veſtram paternam beatitudinem interrogauimus eundem ſanctiſsimum & beatiſſimum Patriarcham, & Macarium ſanctiſsimum & beatiſsimum Patriarcham Ciuitatis Theopolitanę; quanam eſſet difficultas, quæ peruenerat inter veſtram paternam beatitudinem, ſeu veſtrā Apoſtolic. Sedem, & ipſos, olim omnibus expletis, quæcumque ſunt de immaculata noſtra & incommutabili Chriſtianorum Fide, tam per doctrinam Sanctorum Apoſt. quamq; per deffinitiones Sanctarum quinque Synodorum, & doctrinam Sanctorum, ac probabilium Patrum, & omnibus hæreſibus iam manifeſtatis atque condemnatis, & nullo deinceps remanente modo; quo poſſit diuiſio aut ſchiſma ſanctæ, & immaculatæ noſtræ Fidei inſerri: ſatisfecerunt nobis ijdem Sanctiſſimi Patriarchæ, quod verba quædam nouitatis intromiſſa ſunt, aliquibus quidem ex imperitia hæc introducentibus, aliquibus vero incongrue ſerutantibus incomprehenſibilia opera Dei: & quia ex quo hæc moueri cæperunt, & vſque hactenus, vtraq; Sedes inter ſe minime conuenerunt, vt inquirentes ſibimet ſatisfacerent pro veritate. Propter viles igitur inquiſitiones, non ſit infinita contentio, ne nobis inſultent pagani, & hæretici, neque in nobis vſquequaque locum accipiant ſemina aduerſarij. Cadens namque ab humano genere quod ei ſeruiebat, & confuſus per apparitionem Domini noſtri, propterea nunc non quieſcit hæc ad ſuam conſolationem facere. Sed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti veri Dei noſtri, etiam in his confundatur per ſtudium veſtræ paternæ beatitudinis; & ſecundum quod ſcriptum eſt, deponentibus nobis omnem zelum, & omnem contentionem, omnemque inuidiam, veritati concurramus. Veritas enim Deo chara eſt, & ſecundum Domini vocem; Quicumque voluerit OMNIVM PRIMVS eſſe, ſit omnium miniſter. & iterum dictum eſt; In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Poſtquam igitur tempus non recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur veſtram paternam beatitudinem per præſentem noſtram piam ſacram, dirigere viros vtiles ac modeſtos, notitiam habentes totius à Deo inſpiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehenſibilem habentes dogmatum, indutos perſonam veſtræ Apoſtolicæ Sedis, eiuſque Concilij, deferentes & libros qui oportent proferri, & omnem auctoritatem habentes; quatenus conuenientes cum hic poſito Sanctiſsimo, ac Beatiſsimo Patriarcha, & Machario ſanctiſsimo Patriarcha Theopolitanæ ciuitatis, perſerutentur cum omni manſuetudine & modeſtia, & per gratiam ſancti Spiritus veritati inſiſtere & conſentire.

Hęc & alia plura Cōſtantinus Imp. Donno ſcribebat. Cui Agatho in Pontificatu ſuccedens, habita omnium Occidentalium Eccleſiarum de fide Orthodoxa relatione, miſſis Legatis reſpondit, fruſtra illum à Patriarcha Conſtantinopolitano, vel quouis alio, quam à Sede Apoſtolica ſola, ſola, reſponſa in rebus Fidei quærere: nempe quod hæc ſola, *nunquā à via veritatis in qualibet parte erroris diflexerit, numquam à tramite Apoſtolicæ traditionis deuiauerit, numquam hæreticis nouitatibus, aut deprauata fuerit, aut aliquando ſuccubuerit*; reliquæ verò Eccleſiæ, & præſertim Conſtantinopolitana, & nunc etiam tam Alexandrina, quam Antiochena hæreticos Patriarchas ſuſtinuerint. *Attendat*, inquit Agatho, *à Deo inſtitutum veſtrę clementiæ faſtigium, interno diſcretionis illius oculo, quem ad diſpenſandum populos Chriſtianos diuina gratia illuſtrante percipere meruit, quem nam talium Doctorum ſequendum cenſeat populus Chriſtianus? cuius horum doctrinam debeat amplecti vt poſſit ſaluari? qui & omnes. & alterutrum vniuſquiſque eorum condemnat; ſicut variæ eorum & inſtabiles definitiones inſcriptis aſſeuerant, modo vnam voluntatem, & vnam operationem, modo nec vnam, nec duas operationes: modo & vnam voluntatem, & operationem, & rurſum duas voluntates, & duas operationes, itemque vnam voluntatem, & vnam operationem, & denuo nec vnam, nec duas, & alias vnam, & duas. Quis exæſtuans, piiſſime Domine, tantæ cæcitatis errores non abominetur & caueat ſi vtique ſaluari deſiderat, & immaculatam ſuæ fidei rectitudinem venienti Domino cupit afferre. Eximenda, perinde, ac ſummis conantibus cum Dei præſidio liberanda eſt ſancta Dei Eccleſia Chriſtianiſſimi veſtri Imperij, de talium Doctorum erroribus, vt Euangelicam atque Apoſtolicam Orthodoxæ fidei rectitudinem, quæ fundata eſt ſuper Petram huius Beati Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiæ, quæ eius gratia atque præſidio ab omni errore illibata permanet, omnis Præſulum numerus ac ſacerdotum, Cleri, ac populorum vnanimiter ad placendum Deo, animamque ſaluandam, veritatis formulam Apoſtolicæ traditionis nobiſcum confiteatur ac prædicet. Huius Eccleſiæ Apoſtolicę auctoritatem, vtpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes. In cunctis ſecutę ſunt; omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam eius*

Agatho Dōni ſucceſſor reſpōdet Imp. à ſola Sede Apoſtolica reſponſa in rebus fidei quærenda, quippe quæ nunquā à via veritatis deflexerint.

Quam varijs errorum ambagib circum actæ aliæ Eccleſię.

B. Petri præſidio Eccleſia Cath. ab omni errore illibata manet.

doctrinam amplexi: per quam & probatiſſimæ Eccleſię Chriſti lumina claruerunts & ſancti quidem Doctores Ortbodoxl venerati atque ſecuti ſunt, hęretici antem falſis criminationibus ac derogationum odijs inſecuti. Conſideret etiam veſtra tranquilla clementia, quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides eſt, qui fidem Petri non defecturum promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pōtifices meę exiguitatis prędeceſſores confitenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum. Quorum & puſillitas mea, licet impar & minima, pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio pediſſequa cupit exiſtere. Vę enim erit mibl, ſi veritatem Domini mei, quam illi ſinceriter prędicarunt, prędicare neglexero. Hunc in modum Pontifex reſpondebat, ſciens ſuæ Sedis eſſe propria, *iudicium, & correctionem*, præſertim in rebus Fidei, quæ ab Eccleſiæ conditæ tempore, ad illum, ſemper, & ab omnibus delatæ.

Iudicium & correctio in rebus fidei penes Sed. Apoſtol.

Hæreſi Monothelitarum ab Agathone Pontifice damnata, non minùs grauis Iconoclaſtarum, Orientem, Leone Iſauro auctore infeſtauit. Hebræorum nonnulli Imperium illi ſpoponderant, atque is in gratiam Chriſti hoſtium, imaginibus ſacris, atque adeò ipſi Deo, & cælitibus bellum indixerat. Non poterat eam tyranni impietatem ferre Sanctus Germanus Patriarcha: ſed cum primis Imperatori grauiſſimis rationibus obſtitiſſet, atque nihil omninò contra profanum effeciſſet, Gregorio eius nominis ſecundo Romano Pontifici, omnia quæ Conſtantinopoli acciderant ſignificauit, atque ab eo deffinitionem in recens emergentibus nouitatibus poſtulauit. Gregorius porro, cum ea omnia quæ Conſtantinopoli gerebantur accepiſſet, coacta Romæ Synodo, eo ſtudio quo Patrem ac Paſtorem decet, cultum ſanctarum Imaginum ex ſacris litteris, & maiorum obſeruatione ſtabiliuit, Imperatoremque per litteras commonefecit; deſineret aliquando Eccleſiam perſequi: *non eſſe Imperatoris partes, de diuinis ſacriſque rebus iudicare, multò minus Apoſtolicas traditiones, quas omnis vetuſtas, piè ac ſanctè ſemper venerata eſt, conuellere.* Gregorium II. & III. Zachariam. Stephanum III. & IV. & Paulum primum ea Iconoclaſtarum impietas variè exercuit, donec Conſtantinus ac Irenes Imperium accepiſſent, & Tharaſius Sedem Conſtantinopolitanam conſcendmet: qui Hadriano Romano Pontifici cuncta quæ acciderant ſignificarunt, & totius negotij ſententiam flagitarunt. His verbis Imperatores Hadrianum interpellabant: *Qui à Domino noſtro Ieſu Chriſto vero Deo noſtro ſuſcipiunt, ſiue Imperij dignitatem ſiue Principalis ſacerdotij honorem, debent quæ illi placita ſunt, & cogitare, & curare; & creditos ſibi ab illo populos ſecundum eius voluntatem regere & gubernare. Ergo debitum nobis & vobis, ò SANCTISSIMVM CAPVT hoc eſt, vt irreprehenſibiliter quæ eius ſunt ſapiamus & in ſuis verſemur; vtpotè ab ipſo nos quidem imperium, vos vero PRINCIPALIS SACERDOTII DIGNITATEM ſuſcipientes. Incipimus vero hinc ſermonē.*

S Germ. Patr. deboitionem à Gregor. II. Pontif. in tunc emergētibus Iconoclaſtar. nouitatibus poſtulat
Hiſt. Miſcel. Cedren. & tom. 3. Concil.

Greg PP. Imperat. Leon. Iſauro.

Conſtant. & Irenes Impp. Hadriano Pōtif. ſeribunt pro ſententia negotij de ſacris Imaginibus eum interpellantes.

Scit veſtra paterna beatitudo, quæ pridem facta ſunt in hoc noſtra Regia ciuitate, propter venerabiles imagines. qualiter, qui ante nos regnauerunt, eas deſtruxerunt, & in dehoneſtatem atque iniuriam poſuerunt. (Vtinam illis non imputetur. Meliùs enim fuerat, non mittere manus ſuas in Eccleſias.) & omnem populum qui hic eſt. imò Orientalem eodem modo ſeduxerunt, & in propriam voluntatem retraxerunt: vſquequo Deus nos ſuſcitauit regnare in his, qui in veritate quærimus gloriam eius, & tenere quæ tradita ſunt ab Apoſtolis ſuis, & omnibus ſimul Doctoribus. Vndè nunc conſtanter, cum mundo corde & vero cultu, quæ ad Deum pertinent, vna cum omnibus ſubditis noſtris & his Sacerdotibus doctiſſimis locuti ſumus, & cum conſilio decreuimus, vt fieret vniuerſale Concilium, & rogamus veſtram paternam beatitudinem, imo vero Dominus Deus rogat, qui vult omnes ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, vt det ſeipſam, & nullam tarditatem faciat, & aſcendat huc, in ſtabilitatem & firmitatem antiquæ traditionis ſuper venerabilibus Imaginibus. DEBITVM ENIM ILLI EST HOC FACERE. Agnoſcit vero, quia ſcriptum eſt; Conſolamini, conſolamini populum meum Sacerdotes, dicit Dominus, & Labia Sacerdotum cuſtodiunt ſcientiam. & de ore eius egredietur lex, quoniam Angelus Domini exercituum eſt. & iterùm diuinus veritatis prædicator Apoſtolus, qui a Hieruſalem & circuitu vſque Illyricum prædicauit Euangelium, ſic mundauit: Paſcite gregem Domini cum diſciplina, quem acquiſiuit proprio ſanguine. & tamquam VERVS PRIMVS SACERDOS, & is qui IN LOCO ET SEDE ſancti & ſuper laudabilis Apoſtoli Petri PRÆSIDET, ſicut dictum eſt, aſcendat, & ſimul cum omnibus Sacerdotibus, qui hic ſunt, inueniatur. Si autem non potuerit aſcendere huc, (quod putamus non fieri: ſcimus enim eum ſtudioſum eſſe circa diuina) eligat viros honorabiles, habentes ſcientiam, & dirigat vna cum ſyllabis, vt inueniantur ex perſona ſacra & paternæ veſtræ Beatitudinis hic. Verumtamen conuenientibus ipſis cum omnibus ſacerdotibus, qui hic ſunt, ſynodicè confirmetur antiqua traditio Sanctorum Patrum noſtrorum, & confundatur omne zizanium male plantatum, & Domini noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti verbum impleatur, quoniam portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

Iſai. 40.

Pontif. Rom. verum primū ſacerdotem & eum qui in loco & vice Apoſtol. Petri præſidet, eſſe fatentur.

Hæc & alia plura Conſtantinus, & Irenes. Taraſius vero Patriarcha Conſtantinopolitanus, hunc in modum, quid pro officio Hadrianus Papa feciſſet; illi ipſi ſuggeſebat: *Veſtra*, ait, *fraterna, & SVMMO PONTIFICIO decorata Sanctitas, cum tubis ſancti Spiritus, ſanctis Apoſtolis & Prophetis, ſuper quorum fundamentum Chriſtus ædificauit Eccleſiam per Deiloquas ſuas doctrinas quodammodo ſermocinata & ab eis accepto veritatis verbo ſpinoſas herbas, quæ nunc germinauerunt, fideliſſimorum & pacificorum Imperatorum veritati concordans, euellere machæra Spiritus feſtinauit; mittens, ſecundum ſcriptam ſibi petitionem noſtram, ad vniuerſalem Synodum faciendam viros concordes, & dignos Apoſtolica Sede Sancti Petri: quos ad ſe miſſos Imperator noſtri ſinceriſſimi humaniter ſuſcipientes, ad nos ſuſſerunt proficiſci. à quibus poſtquam litteras Sanctitatis Tuæ accepiſſemus, eaſque legiſſemus, adduximus ad ſanctos & venerentes viros Ioan. & Thomam verbo & cognitione vobiſcum ſentientes, qui eiſdem temporibus, vna cum varijs*

Taraſ. Patr Conſtant. eidem Hadriano in eandem materiam.

Epi-

Epiſcopis, zelo Dei & voluntate huc ſe ad ſacrom Synodum, iubentibus & volentibus etiam ſynceriſſimis Imperatoribus contulerunt. Nicaæ Epiſcopus congregatis, nos etiam accipientes comites itineris & venerandos viros Legatos veſtros, & Vicarios quoque Orientis, ad ipſam Metropolim venimus, & omnibus ſedentibus. Caput fecimus, nempe ipſum Chriſtum. Iacebat autem in ſacro throno Euangelium ſanctum, quod omnibus nobis qui conueneramus, iuſtum iudicium iudicate, iuſtitiam pro Sancta Dei Eccleſia adminiſtrate, proclamabat. Itaque prærogatiua quadam, litteras Sanctitatis Tuæ primo loco legi iuſſimus. & cum prælatæ primitus hæ Sanctitatis veſtræ litteræ legerentur, præſtolabantur omnes ſpiritualibus edulijs tamquam in Regalibus cœnis fruentes, quæ Chriſtus per litteras Tuas epulantibus miniſtrabat: pedeſque noſtri in viam rectam veritatis per te ducebantur, cum ſicut oculus totum corpus, ad rectitudinis & veritatis ſemitam dirigebat, ſic dirupta membra in vnum conueniebant; ſic vera concordia confirmabatur; ſic Catholica Eccleſia vnitatem recipiebat. Poſt illas autem litteras, legimus & eas quæ ab Orientalibus diœceſibus miſſæ fuerant; quarum lectione facta, integra paternæ traditionis pulchritudo demonſtrabatur, ac vis veritatis roborabatur, propoſitis videlicet lectioni plurimis Patrum teſtimonijs. His itaque geſtis prædicabatur à nobis omnibus qui beneplacito Dei congregati eramus, recta & irreprehenſibilis confeſſio, quæ nobis miſſa eſt A VOBIS, & per relationem etiam pijs Imperatoribus Noſtris, & omnes hæretica illius prauitatis hæreſiarchæ, & eos qui ſecuti ſunt, & inconuertibiliter vitam ſuam finierunt, pari damnatione depoſiti ſunt cum his qui ante in Catholica Eccleſia hæreſes amplexi ſunt, quod omnes agnoſcerent, deffinitionem de rebus Fidei, non ad alium quam ad Rom. Pontif. ex authoritate ſpectare.

Eadem tempeſtate, iſtud in Septemptrione acciderat. Aldebertus Gallus, & Clemens Scotus, hæretici hyppocritæ, nouas hæreſes veteribus adiungentes, per ſpeciem pietatis multos ſeducebant. Canones ſacros & Sanctorum Patrum Hieronymi, Auguſtini, Gregorij aliorumque expoſitiones irridebant; Synodalia iura ſpernebant; Iudaiſmum ac omnem viuendi licentiam introducebant. ac præterea, Chriſtum omnes tam credulos, quam incredulos & idolorum cultores, ab inferis eduxiſſe affirmabant; nec non ab Angelis in ſpecie hominis ſibi apparentibus ſe eſſe doctos, & epiſtolas quaſdam mirificas ſe ab illis accepiſſe mentiebantur. Horum fanaticas nouationes, S. Bonif. German. Apoſt. Zachariæ Pontif. renunciauit, vtque ille pro ſuprema poteſtate de illis cognoſceret poſtulauit. Exemplo Bonif. & S. Burchard. Herbipolenſium Epiſc. eundem Zach. Pontif. rerum aliarum admonuit. per quem Roma reuertentem, Zach. Bonif. de alijs Fidei negotijs conſulenti hæc reſcripſit; 1. Sciret, cum qui in fonte baptiſmatis, ſine inuocatione Sanctiſs. Trinit. merſus foret; non eſſe baptizatum. 2. Omnem quamuis ſceleratiſſimum, hæreticū vel ſchiſmaticum ſacerdotem, ſi iuxta regulam à Domino conſtitutam, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptiſmum miniſtret, verum baptiſma conferre. & è contra, quamuis Sanctiſſimus fuerit, ſi Trinit. iuxta regulam Domini in lauacro non nominauerit nullum ſacramentum miniſtrare.

Baron. annal. 745.
S. Bonifac. renunciat Zachar Pont. nouationes Aldeberti Galli, & Clem. Scoti hæretic. poſtulans, vt de illis pro ſua auctoritate cognoſcat. Reſcribit Pontifex.

Cum autem per idem temporis, Elipandus & Felix, acta ſeptimæ Synodi damnarent, reſque nouas contra Patrum ſanctiones molirentur tantumque auſi fuiſſent, vt Car. Mag. Imper. conarentur, à Rom. Pontif. in ſuam ipſorum ſententiam ſeducere, Car. Mag. tantùm abeſt. vt eos audierit, vt etiam Elipando ſcripſerit: *Nec veſtræ me paucitati in conſenſione huius nouæ adſertionis ſocium admitto: ſed Apoſt. Sedi & antiquis ab initio naſcentis Eccleſ. & Catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungo. Sicut enim cæteris diſcipulis Apoſt. & Apoſtolis omnibus Petrus eminet: ita nimirum cæteris Sedibus Apoſtolica, & Apoſtolicis Romana eminere dignoſcitur. Hæc enim nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiæ prælata eſt, ſed ipſius Domini auctoritate Primatum tenet, dicentis; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. A cuius ſancta & veneranda communione multis recedentibus noſtræ tamen partis*, Galliarum *numquam receſſit Eccleſiæ. Nec ſolùm omnium Galliarum prouinciæ, & Germaniæ ſiue Italia, ſed etiam Saxones, & quædam Aquilonaris plagæ gentes, Deo annuente, ad Beatæ fidei rudimenta conuerſæ, B. Petrus Sedem in omnibus ſequi curant.*

Præclarū Car. Mag. de Primatu Rom. Sedis teſtimonium.
Contra Elipandum poſt Synod. & contra Synodum in Græcia partibus.

Carolo Magno Imperiali conſenſione pereunte, non dubitauit Paulinus Aquil. Epiſcopus aduerſus Felicem Vrgelitanum ſcribere: *Elipandum & Felicem à gremio Sanctæ Eccleſ. cenſeo alienos: reſeruato per omnia iuris priuilegio Summi Pontif. & Patris noſtri Hadriani Primæ ſedis Beatiſs. Papæ*, cuius eſt de rebus Fidei iudicare. Æqualis Paulino Albinus, Caroli Magni præceptor, deriuationem à Rom. Pontif. & concurſum ad Ròm. Pontif. in cauſis Fidei aſſerebat, exinde, quam *Religionis cultum ſic Dominus inſtituit, vt in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum Summo principaliter collocaret, atque ab ipſo quaſi quodam Capite dona ſua vellet in corpus omne manare. Vndè, ait, conſtat, ab vniuerſi Orbis communione ſeparatos eſſe, ſicut docet B. Pelagius, qui qualibet diſſenſione, inter Sacra myſteria, Apoſtolici Pontificis memoriam, ſecundum conſuetudinem non frequentant.* Non inferiora ſunt, quæ adiungo. Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus vt mæchiam Niceph. Imperat. non tantummodo excuſaret, ſed etiam approbaret, Mæchoſynodum Conſtantinopoli celebrauit, inque ea Regibus omnia licere, ac proindè & mæchari, definiuit. Theodorus Studita, ad tam abſurdos auſus exhorruit, & tandem nouitatis ſceleſtiſſimę Leonem III. Roman. Pontific. certiorem fecit, hoc modo exarata epiſtola: *Sanctiſſimus & Summo Patri Patrum, Leoni Domino meo Papæ Apoſtolico, Theodorus minimus presbyter & propoſitus Studienſis. Quandoquidem Petro Magno Chriſtus Deus poſt Claues Regni cælorum, Paſtoralis etiam Principatus contulit dignitatem, ad Petrum vtique vel eius Succeſſorem, quicquid in Eccleſia Catholica per eos innouatur, qui aberrant à veritate, neceſſe eſt referre. Quod nos quoque humiles & minimi, à ſanctis olim Patribus noſtris edocti, poſtquam in Eccleſia noſtra nouitas quædam nuper exorta eſt, & prius quidem*

Elipandus, & Fœlix nouatores excommunicātur à Paulino Aquileien. reſeruato Pontif. Rom. priuilegio iuris ſui.

Religionis cultum Dominus in Petro collocauit, atque ab eo quaſi capite dona ſua in corpus omne manare voluit.

Theodor. Studita Leon. III certiorem facit de actis Mæcho Synodi per Niceph. Patr. celebratę in cauſa Michiæ Niceph. Imp.
Lib. 1. epiſt. 33.

dem per religioſiſſimum Archimandritam fratrem & conſeruum noſtrum Epiphanium, & nunc per ſimplices litteras noſtras, ad Supremæ Beatitudinis Tuæ Angelum, de ea nos referre debere, arbitrati ſumus. Factus eſt, ò diuiniſſimum omnium Capitum Caput, iuxta Hieremiam Prophetam, cætus reuera præuaricatorum, & concilium adulterantium. Quod enim ibi propter idolorum fornicationem dictum eſt, hic per adulterinæ copulæ confirmationem patefactum eſt. Vtrique eundem Dominum ſpreuerunt: illi per leges, hi per Euangelij transgreſſionem. Nec vero ſatis illis fuit, quam per priorem Conuentum in eius qui mæchos copularat receptione, Sacrorumque cum eo communione, Paraſynagogi (vt diuinus loquitur Baſilius) facti ſunt: ſed vt hæreſis abſolutæ nomen adipiſcerentur, in altera publica Synodo, eos qui prauo ipſorum errori non adhæſerant, aut vniuerſam potiùs Eccleſiæ Catholicæ anathemati ſubiecerunt. & poſt. His ergo à ſimplicitate noſtra ſine fuco expoſitis, vocem nunc illam, quam coryphæus cum reliquis Apoſtolis Chriſto emiſit, cum maris fluctus excitarentur, apud Chriſti imitatricem Beatitudinem tuam adhibemus: Salua nos, Archipaſtor Eccleſiæ quæ ſub cœlo eſt: perimus. Imitare magiſtrum Chriſtum, manumque Eccleſiæ noſtræ porrige, ſicut ille Petrò: niſi quam ille incipienti in mare mergi, tu autem iam merſæ in hæreſis profundo. Æmulare præcamur, cognomento tibi Papam, atque vt ille, pullulante tum hæreſi Eutychiana, leoninum in morem ſpiritu experrectus eſt, vt omnes norunt, dogmaticis ſuis epiſtolis: ſic & tu (dicere audeo) iuxta nomen quod geris irrugi diuinitus, vel potiùs intona contra præſentem hanc hæreſim, vt decet. Si enim iſti, arrogata ſibi auctoritate, hæreticam Synodum cogere veriti non ſunt, qui ne Orthodoxam quidem abſque cognitione veſtra (vt antiquitus mos obtinet) cogere potuerunt: quanto æquius vſque adeò neceſſarium fuerit (cum timore ſuggerimus) à diuino tuo principatu legitimam Synodum conuocari, vt Orthodoxum Eccleſiæ dogma hæreticum excluderet, & neque ſuprema Dignitas tua cum Orthodoxis omnibus anathemate notetur à nouis nugatoribus: neque iniquitatis porro claſſicum adulterinam hanc Synodum nacti, quibus id placet in peccatum facilè prolabantur. Hæc de Mæcho Synodo Theodorus ad Leonem referebat. Cum vero Nicephoro Imperatore extincto, Leo Armenus Imperator, Nicephoro Patriarcha Sede deiecto, bellum Sanctis imaginibus innouaſſet, ac ea propter ſemiſepultam hæreſim excitaret, neque illud omiſit referre Theodorus Studita, Paſchali Summo Pontifici, cui hos titulos præſcribebat: In omnibus ſumma virtute prædito, lumini Magno, Principi Sacerdotum primo, Domino noſtro Apoſtolico Papæ Paſchali. Ioan. Theodoſius, Athanaſ. Ioan. Theodor. minimi presbyteri, & Præſides eorum qui Cathedra, Pieridij, Paulo Petrij, Eucariæ & Studiani.

Idem Paſchali Pap. contra Leonem Armen. Imper. Iconomachũ lib. 2. epiſt. 12.

Iam fere audita ſunt omnino Supremæ veſtræ Beatitudini, quæ propter peccata noſtra in noſtrã Eccleſiam inuaſere. Etenim facti ſumus in parabolam, & prouerbium omnibus gentibus, vt ſecundum Scripturam loquar: non tamen par eſt renunciatio quæ ſit exiliter, & per epiſtolas. Quare nos minimi, etſi membrum corporis Chriſti vltimum ſumus, tamen capite noſtro comprehenſo, atque ijs qui in fraternitate excellunt hinc atque illinc diſſipatis, potuimus quodammodo ex eo quod prope ſimus, & per mutuam ſignificationem in vnum fieri, & Spiritus, & verbum, ſcribent hæc, tametſi confidenter. Audi Apoſtolicum Caput, à Deo præpoſite Paſtor ouium Chriſti, ianitor Regni cælorum. Petra fidei ſuper quam ædificata eſt Eccleſia Catholica. Petrus enim Tu, Petri Sedem exornans & gubernans. Lupi graues irruperunt in caulam Domini: portæ inferi, vt olim, ruptæ ſunt in ipſam. Perſecutionem patitur Chriſtus cum matre, & miniſtris. Siquidem contra imaginem incurſus, prototypi eſt perſecutio. & poſt. Hinc igitur ab Occidente, Chriſti imitator exurge, & ne repellas in finem. Tibi dixit, Chriſtus noſter: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Ecce tempus, ecce locus: opitulare nobis, qui es à Deo ad hoc ordinatus. Porrige manum, quantum fieri poteſt. Habes poteſtatem à Deo, eo quod OMNIVM PRINCEPS ES, in quo poſitus es. Terreto, ſupplicamus, hæreticas feras calamo diuini verbi tui. Paſtor bone, pone animam pro ouibus ſupplicamus. Audiat Eccleſia quæ ſub cælo eſt, quod à vobis anathematizantur per Synodum, qui hæc auſi, & iam Sanctos Patres noſtros anathematizant. Hoc fuerit Deo acceptum, Angelis & Sanctis gaudium, concuſſis firmamentum, fundatus ſtabilimen, lapſis reſurrectio, omni Orthodoxorum Eccleſiæ exultatio, & tuæ certè celſitudini ſecundum eos quod antiquitus præceſſerunt æternum monimentum. Vos (aliqui ſcribebat) illimis ac ſincerus ab initio fons Orthodoxæ veritatis. Vos aduerſus omnem hæreticam procellam tranquillus ſepoſitus portus Eccleſ. vniuerſæ. Vos à Deo electa ciuitas refugij ſalutis. Conſoletur igitur nos Sancta & Apoſtolica anima tua.

& epiſt. 35.

Ita tunc temporis, Theodorus, cum alijs Orientalibus Monaſteriorum Præſidibus, Paſchalem Pontificem interpellabat. Quod vero Leone Armeno è viuis ſublato, Michael Balbus ſucceſſor, cogitaret Epiſcopos tam Orthodoxos, quam Iconomachos Conſtantinopolim, eo fine, vt de dogmatibus ſimul tractarent, congregare, atque Catholici Epiſcopi congreſſum hæreticorum abhorrerent, Theodorus Studita, Imperatori, nomine Epiſcoporum & Abbatum, totum negotium ad Romanum Pontificem referendum eſſe ſignificauit: neque aliud, quam iſtud debere fieri inculcauit, his vſus verbis æternum ab omnibus auitæ religionis amatoribus recolendis. Quod ſpectat ad ſinceram, & incontaminatam Chriſtianorum Fidem, reuerenter ſuggerimus; Si id de quo quærimus merè humanum eſſet, & vel in Sanctiſſimi noſtri Patriarchæ poteſtate ſitum, vel in noſtra: non ſolum parum aliquid, ſed totum ipſum tibi plenè videndum (ſic lege iubente) relinqueremus. Cum autem de Deo quæſtio ſit, & res ipſa pertineat ad Deum cui omnia famulantur: non ſolum hic vel ille, ſed neque ſi Petrus & Paulus, neque ſi Angelorum quiſpiam foret, demutare quippiam vel minimum auderet, ne propter id, totum Euangelium inuerti videretur. Iam verò ſermonem cum hæreticis diſputationemque conſerere, minimè conuenit, Apoſtolicoque mandato repugnat: niſi ad correptionem tantummodo, propterea nos indigni ſerui, pij Imperij veſtri, ne hiſcere quidem aduerſus præceptum audemus. Quod ſi quod eſt huiuſmodi

Idem Michaeli Balbo Imp. Synodum in cauſa Iconoclaſtarũ congregare volenti totum negotium ad Rom. Pontif. referendum eſſe ſignificat epiſt. 86.

huiuſmodi in rebus Fidei, de quo ambigut, aut diſſidat, diuina magnificentia veſtra, pie à Patriarcha poſſe diſſolui, iubeat magna ipſius & à Deo confirmata manus, ad totius terrarum Orbis vtilitatem, à Senioris Romæ Pontifice declarationem accipere: quemadmodum olim: & ab initio paterna traditione tranſmiſſus mos fuit.

Eccleſ. Rom. omnium Eccleſ. ſuprema.

Hæc enim Eccleſia (imitator Chriſti Auguſte) omnium Dei Eccleſiarum ſuprema eſt, in qua Apoſtolorum Primus Petrus Sedem poſuit ac tenuit, ad quem Chriſtus dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petrum ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Querebatur interim: *quo pacto haretici, ex Dei Eccleſiis ſint exturbandi, & Nicephorus Patriarcha qui nobiſcum*, ſcribit Theodorus Studita, *in Concilio conuenit, idemque certamen ſubiuit, in Sedem ſuam reſtitui poſſit.* Reſpondebat Leoni Sacellario Studita: *Quando reliqui Patriarcharum coram coire nequeunt (quos tamen accerſire non difficile foret Imperatori) ſaltem adſit neceſſe eſt Occidentalis Eccleſiæ Pontifex, penes quem eſt cogendi Oecumenici Concilij poteſtas. Igitur hoc totum pacis & vnionis negotium, miſſis ad Primariæ Sedis Antiſtitem litteris, Imperator abſoluere poſſet. Sin verò id facere detrectat: quoniam vt aiunt, Nicephorus Patriarcha vna nobiſcum à veritate aberrauit: iam opus erit, vt ab vtraque diſſidentium parte, mittantur litteræ ad Romanum Pontificem, & illinc expectetur certum de rebus Fidei decretum.*

In Cod. Vatic. num. 1432.

Penes Rom. Pōt. Oecum. Concilij cogendi poteſtas.

Iſta, tempore Paſchalis Pontificis agebantur, ante quem, Leonis Papæ III. Pontificatu, cum Patres quamplurimi, in Concilio Aquiſgranenſi congregati: Num Concil. Conſtantinopolitani Symbolo vbi de proceſſione Spiritus Sancti mentio eſt, addere poſſent quatuor has Syllabas, *Filioque*, deliberarent: nihil in commune decernere auſi ſunt: priuſquam totum quod proponebatur quæſitum, ad Romanum Pontificem deferretur. Itaque Benarium, ad Iceſſe Epiſcopos, & Adelhardum Abbatem Legatos, Romam ire iuſſerunt, qui Leonem Pontificem conſulerent. Non minus etiam, Eugenij Secundi Pontificio, omnes Orientales, & inter hos Michael Imperator, ad eundem Antiſtitem, quædam emergentia circa cultum imaginum detulerunt. *Legati enim Michaelis Imperatoris Conſtantinopolitani*, vt Aimonus refert, *inter cætera ad legationem ſuam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt: propter quæ ſe Romam ire, atq; Apoſtolicæ Sedis Præſulem conſulere debere dixerunt.* Walafridus Strabo, eius ætatis Scriptor, rationem, *cur Romanorum morem, ideo in ſacris rebus, tam multæ gentes & requirunt, & retineant*, reddebant: *quia & tanti Magiſterij ex apice Apoſtolico primordijs claruit: & nulla per Orbem Eccleſia, æque vt Romana, ab omni fæce hæreſeon, cunctis retro temporibus pura permāſit.*

Patres Conc. Aquiſgran. de vocabulo filioque. *Annal. Francorum.*

Imper. & Orient. de quibuſdam circa cultum Imaginum Rom. Pont. per legatos conſulunt. *lib. 4. de geſt. Francor. c. 112.*

De rebus Eccl. cap. 22. Eſt ratio quia Rom. Eccleſ. ſemper ab omni fece hæreſeon pura.

Propter hanc cauſam, & Baſilius Imperator Orientis, & Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & nonnemo Orthodoxorum Patrum Orientalium, tum primo ad Nicolaum I. tum deinde ad Hadrianum II. Romanos Pontifices prouocarunt: quando Photius vir forenſis, Curialis, Neophytus, inuaſor Sedis Conſtantinopolitanæ atque. adulter, anathemate propter enormia ſcelera, ac tyrannidem damnatus, velut vnus ex ſocijs Chore, Dathan & Abyron, Eccleſiam, non factis tantummodo, ſed & hæreſi diuexabat. Dioſcori Alexandrini deteſtādum exemplum ſecutus, auſus fuerat, præſente Michaele Imperatore, conciliabulum conuocare, inque eo falſos homines, quaſi Vicarios Orientalium Sedium formare, accuſatores in Nicolaum Romanum mendacijs inſtruere, muneribuſq; armare, teſtes impoſtores adſciſcere, iudices nonnumquam in accuſati perſonam admittere, exceſſus quoſdam quaſi præfati Summi Pontificis fingere, impingere: & quod horribilius eſt, cunctis qui aderant, exceptis perpaucis fautoribus impietatis, clamantibus, non eſſe iuſtum in Summum & primum Pontificem, & præcipuè ab inferiore quomodolibet ſententiam ferrè, cum id nec Canones permittant, nec aliqua conſuetudo Eccleſiæ fieri doceat, Photius tamen falſarius, falſorum exceſſuum, inſontem, abſentem, inuictum, Nicolaum Romanum Papam præſumpſit, anathemate ferire, atque damnationi mille mendacijs ſuffarcinatæ, mille circiter Epiſcoporum falſas ſubſcriptiones adſcribere: cum tamen ex numeroſa Epiſcoporum multitudine, nonniſi vnus & viginti profani præſules, in abominandum ſcelus conſenſiſſent. Præter hæc, iniquitatem appoſuit ſuper iniquitatem, qua mentes ſimplicium deciperet, & vel fidei deſertores, vel periuros efficeret. Quotquot enim ad exteriorem diſciplinam inſtruendi veniebant, proprio ſcripto ſpondere compellebat: ſe ſecundum fidem Photij credituros, neque ab eius communione vmquam receſſuros, ſcilicet vt crederent, ac tenerent, licere laico homini, Patriarcham Sede deijcere: Patriarchicum Solium occupare: Sacra profanis manibus & tractare, & cōferre: à communione Eccleſiæ Catholicæ fideles ſeducere, & multiplicibus hæreſeos laqueos ſibi deuincire: Epiſcop. legitimos gradu mouere, & pollutis ſecularibus illos commutare: Conciliabula conuocare, perq; ſummum non vnicum ſcelus, Supremum Paſtorum Paſtorem in ius vocare, & quod atrociſſimum eſt condemnare: quodq; ſecūdum eſt, aut fidei deſertores, aut iuramenti violatores, cunctos quos in ſocietatem criminū traxerat efficere.

Anaſtaſ. Bibliothec. in præfat. ad VIII. Synodū. Photij Conſtant. tyrannis, & impia contra Nicolaum Pontif. Rom. eius acta.

Hanc omnium enormiſſimam hæreſim, cum Photius tyrannide propagaret, non diſtulit Baſilius Imperator, Nicolao Pontifici renunciare, & ad eum opis cauſa prouocare. Hadrianus Nicolai ſucceſſor, Baſilij Imperatoris hæc in re ſtudium laudabat, quod is *correctioni Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ* intentus *ad Sedem Apoſtolicam, quæ ſola huiuſmodi mederi poſſet vulneribus, quæquè ſemper Catholicis ſubuenire conſueuit, & ſemper gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus non ceſſauit, accurerit, cuius etiam medicamentis, ait Eccleſia Conſtantinopolitana, ſæpè præſulibus eius languentibus, infirmata, priſtinam ſoſpitatem vigoremque reſumpſit. Nam quibuſdam ipſorum nonnunquam errantibus, quibuſdam verò imminentis perſecutionis iniuriam ſuſtinentibus, hæc ſemper ſubuenire non deſtitit: illis ſcilicet tramitem directionis oſtendens, iſtis pietatis manum ſemper extendens.* Comitebatur iſtud ipſum Ignatius ingenuè, hoc tenore ſcripta Nicolao epiſtola.

Baſilius Imp. Nicolao Pōt. ea renunciat, & eum opis cauſa prouocat.

Epiſt. ad Baſil. Imper. Quid Baſilio Hadrianus Pap. Nicolai ſucceſſor.

Eorum

Tenor Scripto͂ Ignatij Patr. Conſt. ad Nicolaum Pap. de Sede Apoſt.& actis Nicol. Pap pro ſua ſupre ma in vniuerſam Eccleſ. poteſtate.

Eorum vulnerum, atque liuorum, qui in membris hominis conſiſtant, multos medicos ars protulit: hanc quidem paſſionem alio accipiente, & alteram altero, & per experientiam amputante, & medente: eorum verò, quæ in membris ſunt Chriſti & Dei Saluatoris, omnium noſtri capitis, & Sponſæ Catholicæ: & Apoſtolicæ Eccleſiæ, vnum & ſingularem, præcellentem, atque Catholiciſsimum medicum, ipſe Princeps ſummus, & fortiſſimus ſermo, & ordinator, & curator, & ſolus ex toto magiſter Deus omniũ produxit, videlicet Tuam fraternam Sanctitatem, & paternam almitatem, propter quæ dixit Petro Magno & Summo Apoſtolorum: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petrã ædificabo Eccleſiam meã, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & iterum, tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. *Tales enim beatas voces, non ſecundam quandam vtique ſortem Apoſtolorum Principi ſolum circumſcripſit, & definiuit; ſed per eam ad omnes, qui poſt illum, ſecundam ipſum efficiendi erant Summi Paſtores, & diuiniſſimi, ſacrique Pontif. Senioris Romæ transmiſit. Et ideo ab olim, & priſco tempore in exortis hæreſibus, & præuaricationibus, eradicatores & interemptores malorum zizaniorum, & eabefactorum, & penitus inſanabiliter ægrotantium membrorum, multi multoties facti ſunt eorum, qui ſanctitatem & ſummam paternitatem tuam illic præceſſerunt, ſucceſſores ſcilicet Principis Apoſtolorum, & illius zelum in fide, quæ ſecundam Chriſtum eſt, imitantes. Et nunc noſtris temporibus, beatitudo tua dignè tractauit datam ſibi à Chriſto poteſtatem; & quemadmodum quis peritus belli, & optimus prætor, ſanctiſſime & amantiſſime frater noſter, omnibus potentiorem, & omnes vincentem veritatem, tanquam quædam valdè fortia, & inexpugnabilia proponens arma, huius æmulos deieciſti, & cum Chriſto, & per Chriſtum mundis viciſti; & eum qui diuina furatus eſt, & diſpoliauit aliena, & per feneſtram in atrium ouium more latronum intrauit, & prædatus eſt animas multorum; deinde etiam ſe arroganter extulit, & ceruices erexit contra Deum omnipotentem, & in tantum iactanter elatus eſt, vt conuentum ſine ſubſiſtentia, & ſine perſona fingeret contra irreprehenſibile, & diuiniſſimum, & ſacrum Pontif. quemadmodum fabulæ hyppocenthauros, & tragelaphos: quod etiam latenter ad Principem miſit. Huiuſmodi ergo non ſanctum operatorem, atque omni opere malo repletum, videlicet eum, qui ſecundum antiphraſeos tropum Photius nominatur, opere manus Pontificialis & Apoſtolicæ poteſtatis tuæ à communi reſecaſti Eccleſiæ corpore, & Summo Petro æquiparans, tanquam nouum Ananiam, in ſententia potentium verborum tuorum occidiſti; & priuatione ſpiritualis vitæ, ac alterum Simonem per anathema morti tranſmiſiſti: & nos qui iniuriam paſſi ſumus, ſicut iuſtiſſimus, & fratrum amiciſſimus iuſtè iudicaſti, & Eccleſiæ quæ apud nos eſt, & proprio throno, propter quæ ſategiſti, atque ſcripſiſti, vtpotè Apoſtolicæ & ſummæ poteſtatis ſuſceptor, dignè & rationabiliter reſtituiſti; & fluctum, qui hic inerat, diſſipaſti; & tranquillitatem Eccleſijs contuliſti.*

Ea ſunt, quæ S. Ignatius: de Sede Apoſt. & de his quæ Nicol. pro ſuprema in vniuerſam Eccleſiam poteſtate ſuo tempore egerat, fatebatur: non ſe fruſtra ad Petram immobilem prouocaſſe. Obſeruabantur iſta omnia in oculis Patrum octauę Oecumenicæ Synodi. Quamobrem & ipſi, cum primum Photio curiali & inuaſori, ſęculari & forenſi, neophito & tyranno, ſchiſmatico & damnato, mœcho & parricidæ fabricatori mendaciorum, inuentori peruerſorum dogmatum, nouo maximo Cynico, nouo Dioſcoro, nouo Iudæ, ac omnibus ſequacibus, & fautoribus eius anathema dixiſſent, & omnia quæ in Concilio geſſerant, Adrian. Pont. ſignificaſſent, ad eundem nonnulla, quæ per ſententiam Concilij deffiniri non poterant, & præcipuè circa rrium capitulorum ſenſum difficultates emergentes, retulerunt: inter alia profeſſi, Sed. Apoſt. Pontifices eſſe illos Danieli viſos *lapides, magnam impiorum imaginem decutientes: & in his Nicol. & fraternam, nichant, ſanctitatem tuam, qui quemadmodum à quodam ſublimi loco, contra iniuſtitiæ & mendacij machinamenta demiſſi, & deuoluti vſque ad Vrbem noſtram, per ſapientiſſimas epiſtolas veſtras & ſanctiones, ſed & ſanctiſſimos & Deo amantiſſimos loci ſeruatores, contriuiſtis omnes machinas, & munimina aduerſantium veritati.*

Patres 8. Synod. nonnulla Adr. Pont. ſignificant, quæ per ſententiam Concil. definiri nõ poterant.

Exemplo Patrum octauæ Oecumenicæ Synodi, Durand. Leodienſis Epiſc. nec quicquam obſiſtente Henrico Galliarum Rege, Berengarij Archidiaconi Andegauenſis nouationes, ad Sed. Apoſt. retulit. Docebat impius, in ſacratiſſima Euchariſtia, nihil aliud quam vmbram & figuram corporis Dominici exiſtere. Præterea, legitima coniugia deſtruebat, & paruulorum baptiſma euertebat. Fulbertus Carnoten. Epiſc. eius nouitatibus primo ſeſe oppoſuit, Robertus Rex Galliarum profanos errores in Concil. damnari curauit. Durandus vero Benedicto nouo Pontif. Rom. omnia ſignificauit, atque ſententiam ab eo requiſiuit. Leo porrò Bened. ſuccedens, *ſoliditati Cathol. metuens, Vrcellis contra Berengarium inſtituto Concilio, tenebras nebuloſi erroris Euangelicorum teſtimoniorum fulgore depulit.* Cum v. Lanfrancus Cantuarien. Archiepiſc. Apud nonnullos in ſuſpicionem Berengarianæ hæreſis adductus fuiſſet, & hic ad expurgationem impoſturæ, librum de veritate corporis Dominici conſcripſiſſet, non ad alium, quam ad Leon. Pontif. in cauſa fidei prouocauit, quo tempore etiam, Thom. Carthaginen. Epiſc. *S. R. E. matris ſuæ ſententiam,* ſcripta Leoni epiſtola, *ſuper quæſt. ſuis requiſiuit:* ac Petrus Antiochen. Patriarcha, profeſſionem fidei ſuæ probandam, vel corrigendam, eidem per Legatum tranſmiſit, deque rebus fidei grauiſſimis conſuluit. Probauit Leo Petri Patriarchæ ſtudium, iſtudque reſcripſit: *Siquidem ab Apoſtolica tua Sede, noſtram Apoſt. Sed. conſulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle deuiare à Dominico, & omnium ſanctorum Patrum concordi decreto; quo inuiolabiliter cunctis in toto Orbe terrarum Eccleſ. S. Romana & Apoſt. Sedes Caput præponitur: ad quam maiores, & difficiliores cauſæ omnium Eccleſiarum definiendæ referantur. Sic omnia veneranda Concilia, ſic leges humanæ promulgant; ſic ipſe ſanctus ſanctorum, Rex Regum & Dominus dominantium confirmat; quatenus ibi principalis dignitatis,*

Durandus Leodien Epiſcop. refert ad Sed. Apoſt nouationes Berengarij Archid. Andegauen. ſententiã requirens.

Guillelm Malmesburienſ. li. 3. de reb. Angl.

Lanfr. Cantuar. Archiepiſ ad Leon. Pont in cauſa fidei prouocat.

Tom. 3. epiſt. Rom. Pontif.

Reſcribit Leo Pap. Petro Patr. Antioch. de reb. fidei grauiſſimis ipſũ conſulenti.

gnitatis, & totius Eccleſiaſt. diſciplinæ venerabilis apex præfulgeat, & præcellat, vbi ipſe vertex, & cardo Apoſtolorum Petrus carnis ſuæ beatam reſurrectionem in nouiſſimo die expectat. nimirum ſolus eſt ille, pro quo ne deficeret fides eius, Dominus & Saluator aſſerit ſe rogaſſe, dicens: Simon, Simon, ecce Sathan expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenus Petri fides non defecit, nec defectura creditur in throno illius vſque in ſæculum ſæculi, ſed confirmabit corda fratrum varijs conuentienda fidei periclitationibus, ſicut vſque nunc confirmare non ceſſauit.

Pro ſolo Petro orauit Saluator vt non deficeret fides eius.

Hæc Leo tam vere, quàm conſtanter, cuius temporibus, cum Michael Cerularius Patriarcha Conſtantinop. & Leo Acridan. Bulgarorum Epiſc. nouam hæreſim de azimo, & ſabbatis quadrageſimæ, & de ſuffocatis excitarent, adeoque eam Rom. Eccleſ. imponerent, Humbert. Syluæ Candidæ Epiſc. omnia ad Leon. detulit: *Leo autem profanos veteratores, tumenti arrogantia inflatos fruſtra contra Rom. Eccleſ. conari oſtendit, illud perpetuæ veritatis reponens; Rom. Eccleſ. fides, per Petrum ſupra petram ædificata, nec hactenus deficit, nec deficiet in ſæcula, Chriſto eius Dominus rogante pro ea, ceu teſtatur ſub ipſa paſſione ſua: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Quo dicto demonſtrauit, fidem fratrum vario defectu periclitandam, ſed inconcuſſa, & indeficiente fide Petri velut firma ancoræ ſubſidio figendam, & in fundamento vniuerſalis Eccleſiæ confirmandam. Quod nemo negat, niſi qui euidenter hæc ipſa veritatis verba impugnat. Quod ſicut cardine regitur oſtium, ita Petro & ſucceſſoribus eius, totius Eccleſ. diſponitur emolumentum. Et ſicut cardo immobilis permanens, ducit & reducit oſtium: ſic Petrus & ſui ſucceſſores liberum de omni Eccleſia habent iudicium, cum nemo debeat eorum dimouere ſtatum: quia ſumma Sedes à nemine iudicatur.* ipſa autem de omnibus, tum perſonis, tum rebus dijudicat.

Nouationes Mich. Cerularij & Leonis Acridani ab Humb. Syluæ Candidæ Epiſc. Leoni delatæ.

Sicut cardine regitur oſtiũ.

Ita Petro, & ſucceſſoribus ſuis Eccleſiæ diſponitur emolumẽtum.

Sciuit illud in ſummo Pontifice auctoritatis, B. Petrus Damiani. Quamobrem hæreſi Simoniaca, à propagatione Petri Papienſis Florentinorum Epiſcopi increſcente, Clero & Ciuibus Florentinis perſuaſit; rem vniuerſam Alexandro ſecundo deferrent, atque ab eo ſententiam expectarent. *Synodus*, inquit, *annualiter imminet, Sedes Apoſtolica cunctis adeuntibus patet, Romanam ergo pulſet Eccleſiam, quiſquis ſe iuſtam aduerſus Epiſcopum habere querelam ſperat.* Pulſauit pariter ipſe Petrus Damiani eandem Apoſtolicam Sedem, quando peſtis Nicolaitarum, ſcilicet Clericorum connubij Sacerdotalis defenſorum, Eccleſiam virginem corrumpere niteretur. Parum enim habuit in ſacrilegos ſtylum diſtringere, niſi etiam illorum obſcænas nouitates, Sedi Apoſtolicæ, coram eodem Alexandro repræſentaret.

B. Pet. Damiani contra hæreſim Simoniacam authore Florentinis eſt, vt rem vniuerſam Alex. II. Pontif. deferant, & ab eo ſententiam expectent.

IdemPet Damiani contra Nicolaitas.

In epiſt. ad Theuzonem, & alios.

Iſtud ipſum auctoritatis, Germaniæ & Saxoniæ Epiſcopi, in Romano Pontifice eminere non ignorarunt. Itaque Nicolaitarum & Simoniacorum hæreſis germina, ab Henrico Rege recens in Germaniam introducta, ſub Apoſtolicæ Sedis iudicium, Gregorio VII. Pontifici obtulerunt, inque ea cauſa Fidei ad Petram inconcuſſam, & illibatam prouocarunt: auctoreſque Patribus Concilij Romani fuerunt, qui veteres ſanctiones, pro hac Sedis Apoſtolicæ prærogatiua innouarent, ſcilicet: *Nullus audeat condemnare, ad Apoſtolicam Sedem appellantem. Maiores cauſæ cuiuſcumque Eccleſiæ ad Romanum Pontificem deferantur. Sententia Romani Pontificis, à nemine retractetur. Pontificem Romanum nemo audeat iudicare, Romana Eccleſia numquam errauit, nec in perpetuum, ſcriptura teſtante, errabit. Quicumque Romanum Pontificem, aut iudicare, aut excommunicare præſumpſerit, à communione Eccleſiæ ipſo iure eſt exciſus. Solus Romanus Pontifex iure dicitur vniuerſalis, ad quem in rebus Fidei licet prouocare.*

Germ. & Sax. Epiſc. germina hæreſis Nicolait. & Simon. in Germ. tunc inducta Gregor. VII. Põt. iudicio offerunt & in illa cauſa fidei ad Sed. Apoſt. prouocarunt.

Sanctiones Conc. Rom.

Sciuit, & S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, non alio quam ad Sedem Apoſtolicam res Fidei deferendas eſſe. Itaque cum de Incarnatione Verbi librum conſcripſiſſet, Vrbano Pontifici Romano cenſendum detulit: ac vſus præſcriptione; *Domino & Patri vniuerſæ Eccleſiæ in terra peregrinantis, Summo Pontifici Vrbano. Diuina prouidentia veſtram elegit Sanctitatem, cui vitam & Fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret. Ad nullum itaque alium rectius refertur, ſi quid contra Catholicam Fidem oritur in Eccleſia, vt eius authoritate corrigatur, nec vlli alij tutius, ſi quid contra errorem reſpondetur, oſtenditur, vt eius prudentia examinetur.* Roſcelinus quidam, male de Incarnatione Dominica ſentiens, occaſionem S. Anſelmo dederat, qui librum ſcriberet; & nouationes peſtiferas Vrbano renunciaret.

S. Anſelmus Cantuar. librum ſuũ de Archiepiſc.

Cap. 1. de Incarnat. Verbi. Incarnat. Verbi cẽſuræ Vrbani Pontif. ſubijcit.

Sciuit, & S. Bernardus Abbas Claræuallenſis, illud à ſæculis obſeruatum. Itaque cum Petrus Abailardus, & Arnaldus de Brixia, nouũ cuderet populis & gentibus Euangelium; nouamque fidem proponerent, ac de virtutibus & vitijs, non moraliter, de Sacramentis Eccleſiæ, non fideliter, de arcano ſanctæ Trinitatis, non ſimpliciter nec ſobriè diſputarent, ſed cuncta in peruerſum, præter ſolitum, & præterquam Eccleſia accepiſſet, miniſtrarent, inſuper exprobrantes agminibus Sanctorum, in ſugillationem Eccleſiæ Doctorum, magnis laudibus philoſophos efferrent, adinuentioneſque illorum, & ſuas nouitates Catholicorum Patrum doctrinæ, & Fidei Orthodoxæ præferrent, necnon olim damnata & ſopita dogmata, tam ſua quam aliena ſuſcitare conarentur, ad Innocentij tribunal prouocauit; cauſamque ſtatim in fronte epiſtolæ aſſignauit; *Oportet*, ait, *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna Fidei; vbi non poſſit Fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt; Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat Fides tua. Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Id quidem modo neceſſarium. Tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis, pater amantiſſime, Principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cuius tenetis & Sedem, ſi veſtra*

S. Bernardus contra Abailardum, & Arnoldum de Brixia nouatores Rom. Pont. Innoc. interpellat.

Epiſt. 190.

admoni-

admonitione corda in Fide fluctantia confirmatis, ſi veſtra authoritate conteritis Fidei corruptores. Habemus in Francia nouum de veteri Magiſtro Theologum, qui ab ineunte ætate ſua in arte dialectica luſit, & nunc in ſcripturis ſacris inſanit, & poſt. Itaque *cum non eſſet quod agerem pro iniuria Fidei quam dolebam, operæ mihi pretium arbitror, ſi illum moui, cuius arma potentia Dei ad deſtructionem contrariarum aſſertionum, ad deſtruendam omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigendum omnem intellectum in obſequium Chriſti*. Hæc Bernardus contra Nouatores. Iam Lugdunenſes Canonici, Beatam Virginem Deiparentem, ſine labe originali conceptam eſſe aſſererent, eiuſque rei cauſa Feſtum Conceptionis primi omnium in Eccleſia celebrare incæpiſſent, S. Bernardus in eos acriter inuectus, ad Sedem Apoſtolicam primo debere referri eam Nouitatem docuit, *Si ſic videbatur*, ait, *conſulenda erat print Apoſtolicæ Sedis authoritas, & non ita præcipitanter atque inconſultè paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum*. Cum verò ipſe in conuellenda ea Nouitate nonnihil incaluiſſet, adeoque ne de Nouitate arguèretur, vel damnaretur, metueret, ad Sedem quoque Apoſtolicam prouocauit, illudque in calce epiſtolæ adiecit; *Quæ autem dixi, abſque præiudicio ſane dicta ſint ſanius ſapientis. Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atque examini totum hoc ſicut, & cætera quæ eiuſmodi ſunt vniuerſa reſeruo: ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus iudicio emendare*.

Idem de celebrat. feſti conc. B. M docuit id debuiſſe prius ad Sed. Apoſt. referri.

Epiſt. 174.

S. Bernardus totum ſe iudicio Eccleſiæ ſubmittit.

In vita S. Bernardi.

S. Bern. contra petrobruſianam hæreſim ad Rom. Pon. prouoc.

Porrò cum Gilibertus Pictauienſis Epiſcopus, Henricus monachus Petrobruſianæ hæreſis incentor, & alij nonnulli qui Apoſtolicorum titulum ambiebant hæretici, nouas perditionis ſectas introducerent, S. Bernardus, ad eandem veritatis columnam, Eugenio Pontifici innixam fidenter prouocauit, ac tum ab ipſa, tum à Legato illius, Fidei lucem ad depellendam caliginem flagitauit.

Lib. 2. de diuin. offic. c. 24.

Ruper. Tuit. elogium de Eccleſ. Rom.

Æqualis Sancto Bernardo, Rupertus Abbas Tuitienſis, cum *Romanam Eccleſiam Beatam*, eo quod *in fundamento ſuo petram illam excepit, quam in ſuo ore veritas laudauit, & beatificauit, ac tali ſtructura ſuper illam ædificata eſt, vt contra omnes hæreſes perſtaret murus inexpugnabilis*, prædicaſſet, illud addidit: *Et quacumque mundi ex parte periclitata Fides ad illam confugit, mille clypeos ex ea, omnemque armaturam fortium, qua ſe defenderet, pendentem & præparatam inuenit*; adeo vt non fruſtra ad eam prouocatint, quicumque vmquam accurrerunt.

Lib. 7. c. 32.

Legati Armeniorum Epiſ. Rom. Eccleſ. inter eos, & Græcos iudicem eligunt. & formam ſacrificij iuxta ritum eius petunt.

Non fruſtra ſanè, eo tempore Orientalium, quamplurimi, Otto Friſingenſis memorabat, quæ adfero. *Legati Armeniorum Epiſcoporum, & eorum Metropolitani (quem quod amplius mille Epiſcopos ſub ſe habet, Catholicon vocant) ab vltimo penè Oriente Summum Pontificem Eugenium, Viterbij, poſt iter vnius anni, & ſex menſium adierunt, eique ex parte illius Eccleſiæ ſubiectionem omnimodam (nobis cum alijs multis præſentibus) obtulerunt. Cum autem inter eos, & Græcos, de ritu ſacrificij diſceptaretur, Romanam Eccleſiam iudicem eligentes, formam ſacrificij iuxta conſuetudinem eius ſibi tradi popoſcerunt*: quod perſpectum haberent, illam eſſe ſeruatricem incorruptæ doctrinæ.

In vita S. Malachiæ.

S. Malachias Romam profectus Sedis Apoſt. auctoritatem pro Euangelij ſui prædicatione requirit.

Eiuſdem temporis eſt, quod S. Bernard. de Sancto Malachia affirmabat. *Vniuerſi*, ait, *confluebant ad eum, nec modo mediocres, ſed & nobiles, & potentes, illius ſe ſapientiæ, & ſanctitati inſtruendos, corrigendos ac regendos committere feſtinabant. Et ipſe interdum ibat, & exibat ſeminare ſemen ſuum, diſponens & decernens tota auctoritate de rebus Eccleſiaſticis, tanquam ex Apoſtolis vnus, & nemo illi dicebat, in qua poteſtate hæc facis? videntibus cunctis ſigna, & prodigia quæ faciebat; & quia vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Viſum tamen eſt ſibi, non tutè ſatis tractari iſta, abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Itaque Romam proficiſci deliberauit*, iuit, cum Romano Pontifice Euangelium, prædicauerat, exemplo S. Pauli cum Petro conferentis, contulit, inqua Hiberniam reuerſus, *vt in cunctis Eccleſijs ſuis conſuetudines Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vel conſeruarentur, vel introducerentur, conſtituit* non ignarus, *Romanum Pontificem, in illius petræ quæ in fundamento meruit Eccleſiæ collocari ſoliditate fundamentum, non circumferri omni vento doctrinæ, aut à Sacrorum canonum rectitudine aliquo impulſu deuiare*: quemadmodum Eugenius III. Epiſcopis Germaniæ veriſſimè ſcribebat.

Ipſi quoque hæretici ad Sed Apoſt in reb. fidei prouocarunt.

Gosfridus li. 3. vita S. Bernardi in Poltcrarico l. 1. c. 21. & l. 6 c. 24.

Neque tantum Sancti, qui hac tempeſtate vixerant, ſed & hæreticorum complures, id honoris Sedi Apoſtolicæ deferebant, vt ad eam in rebus Fidei, prouocarint. *Petrus* certè *Abailardus Sedem Apoſtolicam appellauit*: quamquam *in Sede Petri, tam longe diſſidens à Fide Petri refugium non inuenit. Et ipſum enim authorem, eadem ſententia cum erroribus ſuis Apoſtolicus Præſul inuoluens, ſcripta incendio, ſcriptorem ſilentio condemnauit*. Iam & plures alij, vt Ioannes Sariſburienſis narrabat, hypocritæ, *ad Eccleſiam Romanam, quæ mater pietatis, religioni conſueuit prouidere quietem, confugiebant*, forte perculſi eo, quod idem ſcripſit; *Qui à doctrina Eccleſiæ Romanæ diſſentit, aut hæreticus, aut ſchiſmaticus eſt*, vel quod Gratianus addidit; *In Eccleſia eſſe non poterit, qui Petri cathedram deſerit*. Forte, & huius ſententiæ grauitate, Otto Friſingenſis Epiſcopus, Friderico Ænobarbo aduerſus Alexandrum III. & alios nimis addictus, cum ad extrema vitæ adductus, & ſacro liquore olei ſicut moris eſt perunctus, teſtamento de pecunijs: & libro quem de geſtis Friderici falſe ſcripſerat, & falſo, ordinaſſet, ad Sedem Apoſtolicam quoad dogmata confugit, *ſeque Catholicæ Fidei aſſertorem, iuxta Sanctæ Romanæ, imo, & vniuerſalis Eccleſiæ regulam, profeſſus eſt*: quo etiam tempore Vigilēſis Epiſcopus, nonnulla de negotijs Fidei ad Alexandrum III. retulit, illudque reſponſi accepit: *Cum Romana Eccleſia, cui licet immeriti præſidemus, ſit mater Eccleſiarum omnium, & magiſtra, cogimur ex debito ſuſcepti honoris, & regiminis, prout Dominus nobis dederit, reſpondere conſultationibus ſingulorum, vt dubiæ quæſtiones Apoſtolicæ Sedis prouidentia enodentur*. Bituricenſis quoque, & Narbonenſis Archiepiſcopi, quid Albienſes hæretici, contra fidem Orthodoxam nouare inciperent, Alexandro eidem retulerunt, & quid de illis cenſeret, quæſierunt. Sed & Manuel Imperator Orientis, eadem tempeſtate recidiuos Græcorum errores Alexandro ſignificauit, vtque is Ioannem Cardinalem, qui

In Eccleſia eſſe non poterit qui cathedram Petri deſerit. *diſt. 91.*

Ottonis Friſingen. in extremo vitæ profeſſio iuxta Rom. Ecc. regulam.

Radeuic. lib. 2. c 11.

Vigilen. Ep. de rebus fidei ad Alex. III. retulit.

in Conc. Later. par. 2 c. 4.

Idem Bitur. ac Narbon. Archiepiſ. ac Michael Imp. Orfecium.

Regerunt in annalib, Suppl. Sigebert. anno 1182.

Eccle-

Eccleſiam Græcorum ad inſtituta Romanæ Eccleſia reuocaret, mitteret, precibus obtinuit.

Goteſrid. Viterb. opus ſuum hiſtoriarum in quo plurima nouatorum erronea recenſuit Vrbano III. inſcripſit.

Alexandro, & ſucceſſore ipſius Lucio, ſatofunctis, eadem conſuetudo reſcrendi res Fidei, in Eccleſia perſeuerauit. Gotoſridus Viterbienſis, per id temporis opus hiſtoriarum, quod Pantheon nuncupauit conſcripſerat. In eo quod Nouatorum plurima erronea recenſuiſſet, atque officij Pontificis Romani ſciret eſſe, tum cognoſcere, tum corrigere Nouitates, librum Vrbano III. cum hac præſcriptione inſcripſit; *Dum Sacroſanctæ matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ culmen inſpicio, & eius eminentiæ conſidero maieſtatem, illud ante omnia neceſſarium eſſe intueor, vt ſicut ipſa noſcitur omnibus præeſſe Principibus; ita omnes Reges, & Principes, & vniuerſi Orbis Eccleſiæ, doctrina eius, & regimine adornentur, & ab ea tamquam à fonte iuſtitiæ, totius ſapientiæ regulis inſtruantur. Quia nullum ſcripturarum elogium noſcitur eſſe authenticum, niſi ab eius ſapientiæ fluminibus ſitientibus propinetur.* Guarus iſtius ſanctionis Abbas Ioachim, *ſcripta ſua Apoſtolicæ Sedis iudicio approbanda, ſeu etiam corrigenda aſſignauit, dictans epiſtolam cui propria manu ſubſcripſit, in qua firmiter confitetur, ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ cunctorum fidelium, diſponente Domino, mater eſt, & magiſtra.* Exemplum Abbatis Ioachimi, & S.Franciſcus minorum ordinis conditor ſecutus, cum Fratribus Regulam, interpoſitis in ea verbis ſancti Euangelij ſcripſiſſet, eam Innocentio III. Romano Pontifici, probandam vel corrigendam obtulit: cum etiam eidem ſummo Præſuli, quamplurimi Epiſcopi, quid Valdenſes Cotterelli, Albigenſes, Bagnolenſes, Concordenſes, & alij hæretici ſuſcitarent. vel coram, vel miſſis litteris aut nuncijs ſignificarent, & ad hoc Orthodoxiæ ſolium aſpicerent. Inter ſui ſeculi lumina, Thomas Aquinas omnium doctiſſimus, cum errores Græcorum ſcripto libello, & retexiſſet, & confutaſſet, Vrbano tamen IV. totum quod egerat obtulit, ab auctoritate Patrum Orientalium oſtendens, ad Pontificem Romanum pertinere *ea quæ ſunt Fidei determinare*, illumque eſſe *vniuerſalis Eccleſiæ Primatem*. Alibi etiam cauſam cur ad Pontificem Romanum in rebus Fidei eſſet prouocatio, ab alijs allatam, adſerebat: *Sola*, ait, *Eccleſia Petri (in cuius partem venit Italia, dum diſcipuli mitterentur ad prædicandum) ſemper firma fuit in fide, Cumque in alijs partibus vel nulla fides ſit: vel ſit commixta multis erroribus, Eccleſia tamen Petri, & fide viget, & ab erroribus munda eſt, quia Dominus dixit Petro; Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

Conc. Lateran. cap. 2.

Abbas Ioachim ſcripta ſua & S. Fräciſc. quam minoribus ſcripſerat regulam Rom. Pon cenſuræ ſubijciunt. *Vincent. lib. 29. c. 99.*

Epiſc. diuerſi diuerſorum hæret. nouationes Rom. Pont. ſignificant.

S. Th. Aquin. offert librum ſuum Vrbano IV. de Græcorum erroribus. *in opuſc. de ſymb. Apoſt.*

Diuerſorum en diuerſis fidei negotijs ad Innoc. III. recurſus. *Annal. tom. 13 in Innoc. III.*

Ad hanc Pontificis Romani Fidem indeficientem, Pontifice Innocentio III. Orientalis Eccleſia circa nonnullas difficultates circa Confirmationis Sacramentum emergentes prouocauit. Armenorum Patriarcha, eundem Innocentium de alijs conſuluit Diuus Dominicus quid Galliarum hæretici molirentur admonuit. Arelatenſis Archiepiſcopus, Anabaptiſtarum præmiſſarios plurima nouantes denunciauit. Archiepiſcopus Lugdunenſis cur in Euchariſtiæ conſecratione, duo illa verba *myſterium Fidei* adiungerentur inquiſiuit, Bulgarorum, & Seruiæ Patriarcha, plurimas controuerſias detulit. Patriarcha Conſtantinopolitanus, de varijs Fidei quæſtionibus interrogauit. Archiepiſcopus Bracarenſis de obſeruatione ieiuniorum ſolutionem poſtulauit: & alij, de alijs rebus ad Fidem ſpectantibus ad eundem accurrerunt. Neque, Innocentio defuncto, aliorum Pontificum temporibus, quando, & quoties Fidei neceſſitas poſtulabat, intermiſerunt, ad eandem Sedem Apoſtolicam, etiam ipſi Imperatores prouocare. Michael Palæologus Conſtantinopolitanus Imperator, quid à Gregorio X. in Concilio Lugdunenſis ſecundo poſtulauerit, Patres eiuſdem Concilij, lege conſtabilita, vt ad Pontificem Romanum, in omnibus, & præſertim de Fide Orthodoxa controuerſij prouocationi nullus impedimento eſſet, oſtenderunt. Gregorio ad Patres abeunte, Clementis V. Pontificatu, *Veneti cum Carolo ſecundò contra Imperatorem Conſtantinopolitanum fœdus ineuntes, eo Raſſianorum Regem perpulere, vt Orthodoxa Fidei rationem à Romano Pontifice petierit.*

Ipſi Imp. ad Sedem Apoſt. in rebus fidei prouocarunt.

Raſſianorum Rex Orthodoxæ fidei rationem à Ro. Pont. petit *Platina in Clemente V. in ſumma de hæreſi.*

Guido Carmelita, cur ad Pontif. Romanum, nouationes Vualdenſium, & aliorum deberent referri, & quare ad Sedem Apoſtolicã, de rebus Fidei oporteret prouocari, rationem eandem cum ſuperioribus Patribus reddebat. *Conſtat*, ait, *quod Dominus Petrum: & in Petro Petri ſucceſſores, poſuit omnium fidelium Caput, cui ait Dominus Lucæ 22.* Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos: *ita quod in directione, & confirmatione fidei, Petro, & Petri ſucceſſoribus eſt ſtandum, & obediendum, enimuero, Petri fides non deficiet à Sede Apoſtolica, nec ab Eccleſia Romana Chriſti ſponſa, quæ tota pulchra eſt, & labes hæreſis ſeu macula non eſt in ea. Itaque nolentes obedire Romano Pontifici Paſtori ouium Chriſti, cui in Petro Dominus ait, Ioannis vltimo* Paſce oues meas, *deſinunt eſſe oues Chriſti: quia* oues *Chriſti* vocem *eius libenter in doctrina fidei* audiunt, *Ioannis 10. Chriſtus quoque cum Petri ſucceſſoribus adeſt, per ſuam gratiam eos dirigens, & confirmans in Fide, vt eorum doctrina, & regimine perſeueret Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia ſine ruga aut macula hæreticæ prauitatis.* Quamobrem, iure ſupremo ad eum debita eſt in rebus Fidei prouocatio, quod, & Caput, & Paſtor ſit vniuerſorum Fidelium, & in Fide non poſſit errare. Guidoni non impar Ludolphus, ex Dominicano Carthuſianus, cum rationem, quare Petrus, Chriſto, quem illum homines, & Apoſtoli dicerent, interroganti; ante omnes reſpondiſſet, ſcilic. quod *tamquam ſenior, ac Princeps, & Caput aliorum, & os totius collegij, qui omnibus præeſſe, & prodeſſe debuit*, eſſet, aſſignaſſet: concludebat; *ex quo patet*, ait, *quod præcipuè ad Petri ſucceſſorem pertinet certificatio dubitationum de Fide, & pertinentibus ad eandem.* Suppar, & tempore, & eruditione Guidoni ac Ludolpho Nicolaus Lyranus, ibat in eandem ſententiam, & ad Pontif. Rom. omnia deferenda eſſe docebat; eo quod ad oculum pateret, *Fidem Petri non deficere ad finem mundi, potiſſimum in Eccleſia Romana, quæ à Petro poſt Chriſtum fundata eſt.*

Ratio Guidõ Carmel. cur de rebus fidei ad Sedem Ap. oporteat prouocare.

Idem teſtatur Ludolphus Carthus. *2. parte de vita Chriſti c. 1.*

Similiter. & Nic Lyranus. *in c. 16. Mat.*

Huius Eccleſiæ Fidei, quod non ſe conformaret Græcorum Eccleſia, quantum Deum irrita-

Quanta mala ſibi acceſſiue-runt Græci eo quod Rom. Ec. adhærere & ſe Rom. Pon. ſubijcere noluerint refert S. Brigitta ex Dei reuelatione *lib 7.c.19.*

irritauerit, quidue pernicięi ſibi acceſſiuerit, ipſe Deus aliquando Sanctæ Brigittæ reuelauit. Iſtis verbis illa enarrabat Deum proloquentem, *Græci autem qui ſciunt, quod omnes Chriſtianos tenere oportet vnam tantum Fidem Chriſtianam Catholicam, & vni tantummodo ſubeſſe Eccleſiæ ſcilicet Romanæ, vnumque ſolum Vicarium meum generalem in mundo, videlicet Romanum Summum Pontificem ſupra ſe ſpiritualem habere Paſtorem, & tamen nolunt ſe eidem Eccleſiæ Romanæ, & Vicario meo ſpiritualiter ſubijcere, & humiliter ſubiugare, propter eorum ſuperbiam pertinacem, & propter cupiditatem, vel propter carnis petulantiam, ſiue propter aliquod aliud quod ad mundum pertinet, indigni ſunt poſt mortem veniam à me, & miſericordiam obtinere. Alij verò Græci, qui deſideranter vellent, ſed ſcire non poſſunt fidem Catholicam Romanam, & ſi ſcirent, & poſſent eam deuotè, & libenter reciperent, & Romanæ Eccleſiæ ſe humiliter ſubiugarent, & nihilominùs ſecundum ipſorum conſcientias in ſtatu, & fide ſua in qua ſunt, abſtinent à peccando, & piè viuunt, iſtis talibus poſt ipſorum mortem in ſupplicijs miſericordia mea debetur, quando ad iudicium meum fuerint vocati. Sciant etiam Græci, quod eorum Imperium, & regna, ſiue dominia, numquam ſtabunt ſecura, neque in pace tranquilla, ſed inimicis ſuis ſemper ſubiecti erunt, à quibus ſemper ſuſtinebunt grauiſſima damna, & miſerias diuturnas; donec ipſi cum vera humilitate, & charitate, Eccleſiæ, & Fidei Romanę ſe deuotè ſubiecerint, eiuſdem Eccleſiæ ſacris Conſtitutionibus, & ritibus ſe totaliter conformando.*

Diuerſi Orient. Imp. diuerſis Rom. Pontif. in rebus fidei inclinarunt. *Annal. to. 14.*

Hæc ſuperiora, totidē verbis a Deo ſe audiuiſſe, S. Brigitta renunciabat. Quæ mala, vt aliquando Græci euaderent, Ioannes Andronicus, & Ioannes Cantacuzenus Orientis Imperatores, Benedicto XII. Clementi VI. Innocentio VI. & Vrbano V. & tam illis quam illis vita functis; Ioannes Palæologus Imperatores, & Ioſephus Patriarcha, nomine omnium Orientalium Eugenio IV. Pontifici Maximo in rebus Fidei inclinarunt; & ad eorum tribunal omnia dogmata retulerunt: docti à Barlaamo Monacho, *Romanam Eccleſiam eſſe matrem omnium Eccleſiarum, quæ numquam ſuperioribus temporibus deprehenſa eſt aliquam hęreſim defendere*: & ea propter, *ea omnia quæ vbique de Fide, & dogmatibus dubitantur, ad ipſam oportere referri, & ibi conuenientem examinationem, & definitionem conſequi, quod ex illa nulla hæreſis ſuperioribus temporibus ortum habuit, nulla verò aliundè ortarum occidit, ſine illius prouidentia, ac omnibus quidem modis quibus iuſtè aliquid poſſidetur, totius Eccleſiæ Primatum obtinuit, ſcilicet diuina ſententia, Apoſtolorum inſtitutionibus, ſynodorum canonibus, ſanctorum decretis, multitudinis aſſenſu, temporis præſcriptione, ab omnibus conſenſu, & quod omnibus ſuperioribus temporibus, piè & rebus communibus vtiliter dominium exercuit*. Hæc monachis Græcis; de Sedis Romanæ præſtantia oſtendebat Barlaamus cuius argumenti pondus, auctor libri contra Ioannis de Monteſono errores, ex more Scholaſtico theſi propoſita, demonſtrabat. *Prima concluſio eſt*; ait. *Ad Sanctam Sedem Apoſtolicam pertinet, authoritate iudiciali ſuprema, circa ea quæ ſunt Fidei, iudicialiter definire. Et hoc probatur, quia ad illius tamquam ad ſupremam iudicis authoritatem pertinet, in fide iudicialiter finire, cuius Fides numquam deficit. Sed Sanctæ Apoſtolicæ Sedis fides numquam deficit; quia de hac Sancta Sede in perſona Petri Apoſtoli in ea præſidentis dictum eſt; Petre, rogaui pro te, vt non deficiat Fides tua*. Ioannes Gerſon, cum aduerſus Græcos, & ſui temporis hæreticos Wicleffiſtas, & ſcriberet, & ageret, ex hac hypotheſi, quod ad ſolam Eccleſiam Romanam pertinet de rebus Fidei cognoſcere atque decernere, iſtam inferebat; *Itaque ad Pontificem Romanum oportet in rebus Fidei prouocare*. *Conſonat ratio*, aiebat, *quia ſicut ad vnam Fidem, & ad eadem Sacramenta obligantur omnes viatores, ſic oportet, vt non eſſet ſchiſma, reductionem finalem fieri ad vnum ſupremum. Quamuis enim principale Caput, & tamquam eſſentiale ſit Deus, in carne humana Caput Eccleſiæ Chriſtus, voluit tamen conſtituere caput ſecundum, tamquam Vicarium, quod in his inferioribus eſſet, & hoc caput vocamus Papam, Patrem noſtrum Sanctum, qui eſt verus, & ſolus Chriſti Ieſu Vicarius, alioquin facilè Eccleſia laberetur in diuiſionem, niſi eſſet ei Caput quoddam principale, & ſummum, ad quod poteſt, & debet fieri recurſus*. Sanctus Antonius Archiepiſcopus Florentinus eidem ſententiæ ſubſcribebat, & æquè neceſſarium eſſe credere affirmabat, *ſicut vnam eſſe Eccleſiam Catholicam non plures, ita & vnicum eius Paſtorem Vicarium Chriſti, iuxta illud Ioannis* 10. *Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor*, ad quem omnes oues Dominici ouilis, accurrere oporteat.

Barlaami monachi ad Græcos de Sedis Rom. præſtantia. *epiſt. ad Demetrium Theſſalonicen. & ad Græcos monachos.*

Auctor libri contra errores Ioann. de Monteſono. *cit. in fine lib. ſentent. Petri Lombardi.*

Ioann. Gerſō contra Græcos, & Vuicleffiſtas *p. 2. de auferib. Papæ. conſid. 8. & 4 p. ſerm. de pace & vnitate Græcorum.*

Facilè Eccleſ. laberetur in diuiſionem niſi eſſet ei caput vnum.

S. Antonius Archiepiſ. Florent. *3 p. tit. 22.*

Accurrit ſuo tempore, ad Vrbanum VI. ex hæreticis Wiclephus nouorum auctor dogmatum, eique hæc verba ſcripſit: *Gaudeo planè detegere cuicumque fidem meam, & ſpecialiter Romano Pontifici, quia ſuppono, quod ſi ſit Orthodoxa, ipſe Fidem meam confirmabit, & ſi ſit erronea, emendabit*.

Diuerſi hæretici ad Rom. Pont. prouocant pro doctrina ſua diiudicanda. Vuicleffus Ioan. Hus. *Fonte H. 5. Comment. apud Boſnadiom de de fide heret. ſeruanda.*

Doctus à præceptore ſuo Wicleffo, Ioannes Hus, & ipſe ad Pontificem Romanum Martinum V. prouocans hanc epiſtolam, teſtem ſuæ promptitudinis Pragæ in oſtio aulæ Regiæ affixit, *ſignifico præterea toti Bohemiæ, & omnibus nationibus, me velle ſiſti primo quoque tempore coram Concilio Conſtantienſi, in celeberrimo loco, præſente Papa, Præſidente Papa, præſentibus denique omnibus, quicumque ad illum celeberrimum locum conuenerint. Eo conferat pedem, quiſquis ſuſpicionem de me habuerit, quod aliena a Fide Chriſti docuerim, aut defenderim. Item doceat ibi, aſtante Papa, omnibus Theologiæ Doctoribus, me vllo vnquam tempore erroneam, & falſam doctrinam ſecutum eſſe, & tenuiſſe. Porro, ſi me de errore aliquo conuicerit, & me aliena à fide docuiſſe probauerit, non recuſabo quaſcumque hæretici pœnas ſubire ac ferre*.

Ioan Przibrami poſt abiuratos errores profeſſio fidei.

Ex eadem ſchola, Ioannes Przibramus Boemus, cum ad Sedem Apoſtolicam ſuas opiniones detuliſſet, & tandem erroribus eiuratis ſeſe Summo Pontifici permiſiſſet, tandem inſtructus iſta pronunciauit. *Profiteor fideli corde & ore, quia omni voluntate & deſiderio ſum in ſpe, & eſſe cupio in re, ex integro inuiolabiliter & inſeparabiliter, membrum Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ vniuerſalis & Romanæ, per totum Orbem diffuſæ. in Apoſtolicis*

Sedibus

ſedibus à Beato Petro Apoſtolorum Principe fundatæ, & vſque modo continuatæ, & ſuper firmam petram tam firmiter roboratæ, quod portæ inferi nō poſſunt aduerſus eam quomodolibet prævalere.

Ioan. Rochizana Archiep. Prag. Vvicleffiſta.

Ad eandem firmam Sedis Apoſtolicæ petram, & Ioannes Rochizana Archiepiſcopus Praganus eiuſdem Gymnaſij wicleffiani errore, paruulos ſuos alliſit, & in Schola Romani Pontificis didicit, captiuare intellectum ſuum in Chriſti obſequium, Sedis Apoſtolicæ Defenſore Sigiſmundo Imperatore, pro tribunali, in foro Ciuitatis Praganæ erecto, ſedente, aſſiſtente Alberto genero, magnaque Procerum & Oratorum circumſtante corona. Archiepiſcopum reducem, quatuor alij presbyteri, nomine notius Cleri ad Eccleſiam Romanam in cauſa Fidei recurrentis, ſecuti ſunt: cum etiam aliquando, Hieronymus Praganus à wicleffo ſeductus, ad Pontificem Romanum opiniones ſuas detuliſſet, & apud Sedem illius, eas abieciſſet, felicior, ſi in diſciplina Eccleſiæ Romanæ humiliter ſapere perſeueraſſet, neque ſus ad volutabrum, vel canis ad vomitum redijſſet.

Hierony. Praganus Vvicleffiſta.

Lib. de obedien. Sententia B. Laurentij Iuſtin. Patr. Veneti de Rom. Pontif.

Sedet ſententia, Beati Laurentij Iuſtiniani hoc tempore Patriarchæ Veneti, qui ait; *Redemptor noſter poſt Aſcenſionem ſuam, Principem in terra vicem ſuam gerentem voluit haberi in Eccleſia, ad quem vniuerſi confluerent, vt ad Patrem, apud quem totius Eccleſiæ eſſet auctoritas. Huius Apoſtolicæ Sedis arcem, hucuſque Eccleſiæ Catholicæ Monarchiam Petrus primus accepit, Matth. 16. Hanc poteſtatem ſortiti ſunt, quotquot poſt illum canonice in ipſa Cathedra reſederunt, qui reſpectu cæterorum Summi ſunt nominati Pontifices. Iſtis vtique tamquam Chriſti Vicarijs totius Eccleſiæ attributa eſt facultas, congregandi Concilia. Iſtis, vniuerſalis Eccleſiæ incumbit regimen; cæteri præſules certis deputati ſunt locis.*

Petrus Card. Allyacēſis Patribus Conc. Conſtant. *In ſpeculo Conſiderat.*

Petrus Cardinalis Allyacenſis, pro concione, Patribus Concilij Conſtantienſis, amplius comparabat; *ſicut Epiſcopi in ſuis diœceſibus, errores in fide & moribus notorie ſcandaloſos, poſſunt cum peritorum conſilio condemnare, ita longè magis poteſt hoc generaliter in vniuerſali Eccleſia Summus ille Epiſcopus, qui dicitur habere plenitudinem poteſtatis.* Quamobrem non inepte, Nicolaus Blonius Poſnanienſis, pro eodem tempore concionabatur, *Quoties dubia occurrunt, & perplexa circa Fidem, ad Papam eſt recurrendum, penes quem eſt plenitudo poteſtatis.* Cum autem eadem tempeſtate, à varijs & peregrinis wicleffi doctrinis, ad Pontificem Romanum prouocarent, errantes autem, & in errorem plurimos ſeducentes, veritatis illos tyrones ne Paſtori ſuo auſcultarent retraherent, Thomas waldenſis Anglus illius ætatis ſcriptor grauiſſimus, *Moneo*, inquit, *fideles, ne permittant ſe abduci varia iſta, & peregrina Wicleffiſtarum doctrina, quod non ſit attendendum, monitis aut decretis Papæ. Attendite fideles, quid lux dicat Deuter. 17.* Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. *Quod ne dicatur de Chriſto, intelligendum, textus adiunxit*, qui eo tempore miniſtrat, *Sacerdotem temporaneum diſtinguens à perpetuo, qui ſemper viuit ad interpellandum pro nobis.* Sanctus Bernardinus Senenſis, quaſi rationem reddebat, illius quod waldenſis ex ſolius ſcripturæ authoritate proferebat; *Cum*, inquit, *Papa ſit Chriſti Vicarius, & gerat vicem Dei in terris, ſequitur, quod habet plenitudinem poteſtatis, & illud quod facit, præſumitur facere authoritate Dei. Ideò ipſo approbante aliquid, & nos approbare debemus, imò ipſius ſententiæ eſt magis ſtandum, qaam totius mundi ſententiæ.*

Nicol. Blon. Poſnanienſis concionator. *Serm. 97. de temp.*

Thom. Vvalden. Angl. ſcriptor egregius. *Tom. 2. de Sacrament.*

Pont. ſententię magis ſtandum quā totius mundi. *Par. 3. ſerm. 3.*

Cauſā huius aſſignat Ant. Roſellus ſcilicet quia eius poteſtas à Deo eſt. *Tract. de Concilijs num. 52. & infra.*

Ne vero alicui, iſtud quod Sanctus Bernardinus tam conſtanter aſſeuerabat, pro paradoxo videtur, Antonius Roſellus, eius contemporaneus, cauſam aſſignabat; *Cum poteſtas*, ait; *Papæ, non ſit à toto Concilio, vel à tota Eccleſia, ſed à Deo, ex conſequenti docet, poteſtatem eius non ideò eſſe minorem, ſi reliquæ partes myſtici corporis ab eo diſſentiunt: quia poteſtas Papæ non dependet ab illis, ſed illorum poteſtas dependet à Papa. Nam & Chriſtus, cum ſit Caput Eccleſiæ, ſola poteſtas eius maior eſt, quam eſt totius reliqui corporis. Quamobrem vbi de Fide agitur; ſi Concilium Prouinciale Romanorum, & Eccleſia Romana, & Sedes Apoſtolica aliquid deliberauerit, maior eſt Sententia Papæ, & Eccleſiæ Romanæ, quam alterius Congregationis Generalis, ſententiam Apoſtolicæ Sedis non habentis, tum quia iſta Congregatio non eſt generale Concilium, à quo Caput diſcrepat, tum quia rogauit Dominus, vt non deficeret fides Petri: & debet intelligi de Eccleſia ſibi ſpecialiter commiſſa, vt per ipſius Eccleſiæ indubitabile iudicium, maiores cauſæ finem ſuſciperent.*

Definitio Patrum Concil. Florent. de Rom. Pont.

Itaque iure merito, Patres Concilij Florentini deffiniebant, *Romanum Pontificem in vniuerſum Orbem tenere Primatum, & ipſum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac DOCTOREM exiſtere, & ipſi in Beato Petro, paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.*

Pachymeres hiſtor. lib. 5.

Iure etiam merito, Imperator, Patriarcha, & reliqui Græcorum, in eodem Florentino Concilio, his Capitulis ſubſcripſerunt; *Principatus ſit Romanæ Sedis. Ad Pontificem Romanum, Græcis omnibus in cauſis omnibus, & præſertim Fidei, licet appellare.*

Profeſſio fidei Ioſephi Patr. Conſtātinop. in extremo vitæ. *Seſſ. vlt. Concil. Florent.*

Iure quoque merito, Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus in idem ad extremum vitæ inclinans, hæc Patribus ſcripto teſtata reliquit: *Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni, idcircò pro meo munere dilectis filijs benignitate Dei meam ſententiam his litteris palam facio. Quæ Domini Ieſu Chriſti Catholica, & Apoſtolica Eccleſia Romæ veteris ſentit ac celebrat, omnia quoque me ſentire credereque profiteor, ac ipſis plurimum acquieſco. Beatiſſimum autem Patrum Patrem, ac Summum Pontificem, Romæque veteris Papam, Domini noſtri Ieſu Chriſti Vicarium eſſe concedo, atque animarum Purgatorium eſſe non inficior.*

Armenij ſub Eugen. IV. doctrinā Rom. Eccl. amplectuntur.

Ioſephi Patriarchæ, exemplo & *Armeniorum Oratores*, qui ad Eugenium IV. pro dogmatibus Fidei conſultum venerant, poſt-

quam ex decreto Eugenij de rebus Orthodoxis, ex veterum Conciliorum & vſu Eccleſiæ concepto, doctrinam Catholicam de ſeptem Sacramentis, ac reliquis articulis audiuiſſent, *nomine ſuo & ſui Patriarchæ. & omnium Armeniorum illud ſaluberrimum Synodale decretum, cum omnibus ſuis Capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, nec non quicquid tenet & docet ſancta Sedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, cum omni deuotione & obedientia acceptarunt, ſuſceperunt, & amplexi ſunt. Illos quoque Doctores, & Sanctos Patres, quos Eccleſia Romana approbat, ipſi reuerenter ſuſceperunt: quaſcumque vero perſonas, & quicquid ipſa Romana Eccleſia damnat & reprobat, ipſi pro reprobatis & damnatis habuerunt.*

Orient. & Æthiopum Patriarchæ nouitas es ſuas Rom. Pontif. iudicio ſupponunt. *An. 1441. Iac. Nauar. Ondiſcota in ep. Aſiat.*

Cum vero Eugenius IV, ad Orientis, & Æthiopum Patriarchas ſcripſiſſet, eoſque vt ad immobile Fidei Catholicæ ſaxum, ſanctam Romanam Eccleſiam accurrerent hortatus fuiſſet, illi ocyſſimè aduolarunt, & quas habuerunt inueteratas nouitates iudicio Romani Pontificis ſuppoſuerunt. Iacobita Ioannes, qui ſe Beati Marci Sedis Alexandrinæ & totius Ægypti, Libyæ, Pentapoleos, & Occidentalis Africæ Patriarcham ſcribebat, Pontificem Romanum *Sacerdotij perfectionem, Sacerdotum Principem, & omnium Eccleſiarum Apoſtolicum Paſtorem*, nec non *peregrinantium, qui cæteris viam ſalutis oſtendat, Ducem, & languentium medicum*: Andreas Abbas Syrus Vicarius Hieroſolymitanus; *Caput, & vniuerſalis Eccleſiæ Doctorem*, appellabat: *Latinam vero Eccleſiam retinere doctrinam, quam ab initio Petrus & Paulus tradiderunt, quam aliæ Eccleſiæ deſerentes & ſe*, aiebat, *à Romana Eccleſia Matre, & Magiſtro omnium ſeparantes, gentibus in opprobrium & ruinam traditæ ſunt, vt euidenter, in Armenis, & Græcis, & nobis Iacobitis cernitur.*

Quid Patriarcha Ægypti ac Andr. Abb. Syrus necnon Nicodem. Abb. Æthiops Vicarij Hieroſol. de Roman. Pontif. ſenſerint.

Idem ipſum Nicodemus Abbas Æthiops, Vicarius Hieroſolymis Patriarchæ profitebatur, aſſerens ſe iuſtiori ratione, quam olim Sabba Regina ad Regem Salomonem, ad Summi Pontificis Romani doctrinam audiendam acceſſiſſe.

Enimuero, aiebat, *Summus Pontifex pluſquam Salomon eſt, omnium Eccleſiarum Caput, qui ſuo ſplendore Orbem illuſtrat, & cui omnes Patriarchæ, Epiſcopi, Imperatores, & Reges inclinant. ad quem Patriarcha Æthiopum, ſe & alios Legatos non diſputandi gratia miſerit, ſed vt eius ſententiam de rebus Fidei exquirant, & ſequantur: eo quod nullus Soli lumen inferat, & ingens ac vetuſta ſit Latinorum ſcientia, nec oportet eſſe diſcipulum ſupra Magiſtrum: ac præterea palam ſit, eos qui à Romana Eccleſia defecere, corruiſſe, & dum quiſque ſuam fidem veriorem prædicat, (quod à dæmone eſt) relicta Apoſtolorum ſententia, in vias ſui ſenſus omnes abijſſe: Æthiopiam tamen integram, & liberam perduraſſe, & nequaquam perfidia & voluntaria defectione, vt aliæ Eccleſiæ, peccaſſe: ac propterea in ſeruitutem & exterminium non incidiſſe: ſed locorum diſtantia & itinerum periculis ſeiunctam fuiſſe, nec non Pontificum negligentia accidiſſe, vt nulla viſitationis memoria, aut litterarum ratio à quingentis annis apud eos extaret, nihilominus Æthiopes tanta veneratione Sedem Apoſtolicam colere, vt pedes eorum qui Roma in Æthiopiam veniunt oſculentur, veſtiumque eorum partes rapiant, & reliquiarum loco ſeruent*, quod perſuaſum habeant, illinc exuberare fontem illibatæ fidei, ad quem omnes oporteat anhelare, ac toto conatu aduolare.

Quâta veneratione Æthiopes tunc Sed. Apoſt. coluerint.

Quomodo Sũmo Pont. Philet. Alex. & Ægypti Patr. ſuis litteris ſalutauerint. *An. 1440.*

Æqualis iſtorum Philetus Alexandriæ, & Ægypti Patriarcha, datis ad Eugenium IV. litteris, cum primum Fidei ſuæ confeſſionem, ad ipſius virgulam correctoriam detuliſſet, *Petram Fidei, omnium Eccleſiarum Caput, cæterorum Patriarcharum Doctorem ac Protectorem, & luporum repulſorem, Summum Pontificem* ſalutabat, ſanctèque iurabat, ſe illius ſanctiones de Fide executurum, iamque Ioanni Palæologo Imperatori ſcripſiſſe, tamquam tyrannos exterminandos eſſe, qui ea quæ in ſancta Synodo Florentina ſtatuta fuerant, non reciperent. Non inferiores Phileto, Iſidorus Metropolita Ruſſorum, ac Beſſarion Epiſcopus Nicænus, in Fidei Catholicæ negotijs non alium quam Romanum Pontificem interpellarunt, magniſque itineribus Florentiam, ad eundem Eugenium aduenerunt: cum & Genuadius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Matthæus Hieromonachus, & plures alij Græcorum, libris ſcriptis ab authoritate Patrum Græcorum, Romani Pontificis ſuper omnes Primatum demonſtrarent, illumque Ducem, ac Doctorem omnium oſtenderent, ad quem omnia Fidei negotia referenda.

Iſidorus Metrop. Roſſorũ & Beſſarion Pont. Rom. in negotijs fidei interpellarũt

Principes ſæculares qui ad Rom. Pontif. in rebus fidei prouocarunt.

Ioan. Palæolog. Imp.

Ldouicus Chal. condil lib. 1. rerum Turcic.

Præter Eccleſiaſtici Ordinis Principes, etiam ſæculari maieſtate Imperatores, Reges, & Vrbes præſtantes, in iiſdem rebus Fidei, non alio quam ad Pontificem Romanum prouocarunt. Ex Græcis, Ioannes Palæologus Imperator, aſſumptis Byzantij Epiſcopis, & Græcorum doctis, Eugenium IV. Florentiæ conuenit, & ab eo dogmatum Catholicorum rectam rationem didicit; conſentientibus in religionis negotio, Græcis cum Romanis. Fridericus III. ex Latinis, Romanorum Imperator, cum Huſſica hæreſis per Germaniam & Boemiam volitaret, Æneam Syluium Oratorem Romam deſtinauit, *qui Eugenio publicè renunciaret, ſe ac Germanos omnes in humanis diuiniſque ei deinceps obtemperaturos, neque vnquam à canone eius Fidei receſſuros*, Ludouicus XI. Francorum Rex, cum plerique Baſileenſia decreta paſſim venditarent, ad Pium ſecundum prouocabat, hiſque verbis conteſtabatur; *Te Vicarium Dei viuentis, ea veneratione proſequimur; vt ſacra, præſertim in Eccleſiaſticis rebus tua monita, veluti vocem Paſtoris audire, illiſque parere prompta mente velimus. Te Principem totius Eccleſiæ, Antiſtitem Sacrorum, te Dominici gregis Paſtorem profitemur & ſcimus, teque iubentem ſequimur, tibi & Beatiſſimi Petri cathedræ conſentimus & iungimur.* Caſimirus Poloniæ, & Matthias Vngariæ Reges cum Georgius Podiebracius hæreticam contagionem in Boemiæ regno propagaret, ad Romanos Pontifices Pium ſecundum Callixtum III. & Paulum ſecundum omnia detulere, adeòque vrbes ſubiectas, exemplo ſuo, in Fide Romanæ Eccleſiæ confirmauere, vt Cracouienſes, eo tempore quo

Frideric. III. Imper. *Platina in Pio II.*

Lud. XI. Rex Francorum. *Epiſt data Turonis 27. Nou. an. 1461.*

Caſimirus Poloniæ & Matthias Hungariæ Reges. *Cromer. lib. 27. Bonfin. decis. 4. libet.*

Brunenſium & Olmucenſium in Rom. Pontif. deuotio.

quo Legati Podiebracij apud eos hæſerant, ſactis abſtinuerint, Brunenſes & Olomucenſes, à Rege potius, quam à Fide Romani Pontificis deficere maluerint, hac legatione ad Matthiam Regem miſſa; *Omnes ad vnum interire malumus, quam ab Apoſtolica Romanæ Eccleſiæ veritate deficere.* Quo ipſo tempore Petrus Oxonienſis, Fidei ab Orthodoxis poſtulatus, & ad ſubſellia Romani Pontificis errorum conuictus, habuit his verbis palinodiam Compluti canere, *Conſentio Sanctæ Matri Eccleſiæ Romanæ, & Sedi Apoſtolicæ, & ore ac corde confiteor Sacramenta Eccleſiæ, & illam fidem tenere, quam Dominus Sixtus Papa modernus auctoritate Apoſtolica, & Euangelica tenet.* Proculdubio iſta non feciſſet, niſi agnouiſſet, id quod etiam hoc ipſo tempore, Pomponius Lætus, ſcribendo res Romanas profitebatur, *Epiſcopum Romanum, Caput Catholicæ Fidei ſemper fuiſſe: nec non & diuino iuſſu, & humanæ rationis vinculo, humani generis Parentem, & Principem, ac omnes Romanos Pontifices ſemper Orthodoxos, & iuſtiſſimos habitos eſſe, vt ipſi Græci,* ait, *in hiſtorijs tradiderunt.*

Palinodia Petri Oxonienſis. In ſumma Concil. Caranza.

Pomponius Lætus de Roman. Pont. In Compend. Romana hiſt.

Propter hanc Summi Pontificis prærogatiuam, & Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus monebat, *Ad Romanam,* ait, *Eccleſiam, Caput & magiſtram Eccleſiarum, mentis acies dirigenda eſt, atque huic ipſi Eccleſiæ, hoc eſt Apoſtolicæ Sedi Petri Chriſti Vicarij ſanctiſſimi viri ſemper adhæſerunt, & dictis ſcriptiſque fauerunt.* Hieronymus Sauonarola addebat, *Eccleſia Romana Dux & magiſtra eſt omnium aliarum. Omnes fideles Chriſtiani, debent in vno Pontifice Romano, velut in ſuo capite vniri. Qui diſcedit ab vnitate & doctrina Eccleſiæ Romanæ, ille ſine dubio à Chriſto diſcedit. Omnes hæretici, eo quod ab Eccleſia Romana diſcedunt, non ſunt Chriſtiani, licèt hoc nomine falſò ſe appellent. Ad Pontificem Romanum debent omnes de rebus Fidei difficultates deferri, ſine quo neque lites de cauſis Fidei decidi, neque hæreſes exorientes poſſunt reprimi. Solius Eccleſiæ Romanæ, Patrumque eum ea conſentientium doctrina eſt vera, cæterorum vero ab ea diſſentientium falſa. Hæretici omnes licèt totis viribus omnes oppugnauerint Eccleſiam Romanam, illa tamen victrix perſtitit & perſeuerabit, hæreticorum vero ſectæ & falſæ opiniones ad nihilum redactæ ſunt, ac rediguntur: eo quod illa fundata ſit ſupra firmam petram contra quam nec portæ inferi præualebunt,* iſtorum vero commenta ſunt tanquam puluis quem proijcit ventus à facie eorum. Ad iſta omnia, omnium ſæculorum Patres attenti, vt Alexius Epiſcopus Melfitanus in Concilio Lateranenſi, Iulio Secundo præſente, pro Concione recitabat, *de rebus ponderoſis & dubijs, ſummum Caput, vt communem omnium Magiſtrum & Doctorem conſulebant.* Horum exemplo, Petrus Patriarcha Maronitarum ex monaſterio Camibin montis Libani, Leonem X. quem *Vicarium Chriſti ſanctiſſimum, ac ſucceſſorem Petri beatiſſimum* appellabat, quomodo ſanctum Chryſma conficiendum eſſet, quo tempore infantes ſalutaribus aquis ablui debeant, quemadmodum matrimonia contrahantur, quæue ea impediant, quo pacto ſacri conferantur Ordines, quibus verbis in conſecratione corporis, & ſanguinis Dominici vtendum, an Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, tamquam ab vno principio, an in Paſchate, vel in feſtiuitate SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum communicandum, an reuera ſit Purgatorium, & de reliquis Fidei Catholicæ dogmatibus interrogabat: nec non quoſdam ex ſuis Romam ea de cauſa mittebat, vt Patrum inſtituta, ac S.R.E. dogmata addiſcerent, cumque edocti fuiſſent, ad eum docturi alios retinerentur. Nempè ſciebat, quod illo ipſo tempore Ioannes Lupus de libertate Eccleſiaſtica ſcripſerat, quia *Romanam Eccleſiam totius doctrinæ Eccleſiaſticæ Scholam, Saluator ipſe fundauit, & ſupra petram Fidei mox naſcentis erexit, vt eſſet ſine macula & ſine ruga, Catholica, & Caput aliarum Eccleſiarum:* quodque Iohan. Tezelius in ſuis poſitionibus, & Sylueſter Prierias Luthero hæreſiarchæ opponentes, addebant, *Iudicium Pontificis, in his quæ ſunt Fidei, & ad humanam ſalutem neceſſaria, de his decernendo non poſſit errare: & ideò oportet ad eum omnia Fidei negotia referre,* eiuſque *authoritatem,* quod eorum contemporaneus Eckius, ex ſcripturis & vſu Eccleſiæ demonſtrabat, *ſuſcipere: quum Sedem Apoſtolicam, in rebus arduis Fidei conſuluerit Hieronymus ex Aſia ad Damaſum, Auguſtinus ex Africa ad Innocentium & Bonifacium, ac Cyprianus ad Cornelium, Athanaſius ex Ægypto ad Marcum & Iulium, Ambroſius ex Italia ad Syricium, & alij ex alijs mundi partibus ad alios Pontifices,* in locum illius ſuccedentes, *ad quem illa quorum magis ambiguum & difficilius eſſet iudicium, oportebat deferri, cuius tanta & tam rata erat ſententia, vt ab ea prouocari non liceret:* quemadmodum Albertus Pius Carporum Princeps, Rotherodamo reponebat. Ad hanc lucem, aliquando videns Henricus Octauus Angliæ Rex, Lutherum cæcutientem prouocabat, & audacter opponebat, *Negare,* ait, *Lutherus non poteſt quin omnis Eccleſia fidelium, Sacroſanctam Sedem Romanam, velut Matrem Primatemque recognoſcat, ac veneretur, quæcumque ſaltem neque locorum diſtantia, neque periculis interiacentibus prohibetur acceſſu. Quinimo, ſi vera dicunt, qui ex India quoque huc veniunt. Indi etiam ipſi, tot terrarum, tot marium, tot ſolitudinum plagis diſiuncti, Romano tamen Pontifici ſe ſubmittunt,* atque ad eum cauſa ſalutis animarum in rebus Fidei accurrunt. Sanè ex remotiſſimis Æthiopum Regnis, Damianus, à Goes Eques Luſitanus, Patrum memoria, ad Paulum III. accurrit, eique iſta ſignificauit; *Æthiopum Imperator eum omnibus ſuis Regnis, ſub tua diſciplina viuere cupit, nec quicquam magis optat, nec enim ignorat, ex Apoſtolorum doctrina, quam in octo libris digeſtam habet, Epiſcopo Romano omnium Epiſcoporum totius Orbis Principatum deberi: cui planè ſanctèque parere vult, ab eoque in Chriſti Eccleſiæ inſtitutis benè & ſanctè inſtrui, ad quod viros doctos ſibi dari orat, atque exorare auide affectat.* Ad Iulium quoque III. Moſes Mardenus, nomine Patriarchæ Antiocheni, non alia de cauſa aduenit, quam vt de rebus Fidei conſuleret, Namque Profeſſionem Romanæ Eccleſiæ fatebatur, eſſe, *veluti lucernam quæ ſuper candelabrum poſita eſt, ad quam nulla pertingunt tenebræ, & ſi vel totus mundus tenebras* offunde-

Io: Franc. Picus Mirandulanus. Theorem. 13.

Hier. Sauonarola. De triumpho Crucis l. 4. c. 1.

Alexius Epiſ. Melfitanus in Conc. Later. 3. Seſſion.

Petrus Patr. Maronitarum cõſulit Rom. Pontif. de diuerſis fidei dogmatibus. Epiſt. data an. 1515. die 14. Februar.

Ioan. Lup. de Rom. Pont. Lib. 6.

Ioan. Tezelius & Sylueſter Prierias. Lib. 1. reſponſ. ad Luther.

Eckius.

Quid Henric. VIII Angliæ Luthero opoſuerit de prærogatiua Rom. Pont. Ad 1 Eraſmi epiſt. in aſſertione 7. Sacramẽt. artic. 2.

Legatio Æthiopũ Imp. ad Paulum III. ipſũ Primatem agnoſcentis.

Moſes Mardenus nomine Patr. Antioc. ad Iul. III. An. 1552.

offuderit, illa nihilominus luxerit ceu Sol ſuper omnes. Neſtoriani quoque ad eundem Pontificem Iulium III. conceſſerant, vt de controuerſijs Fidei ab eo docerentur, & Doctores à Sede Apoſtolica acciperent. Quibus cum Iulius Patriarcham Siud præfeciſſet, is omnia ex formula à Romano Pontifice præſcripta, ſe credere profitebatur, anathema dicens omnibus hæreticis, quos Eccleſia Romana condemnaſſet. Nouem poſt annis, Abd-Iſu filius Ioannis de domo Martia, ex Ciuitate Geziræ in Tigri flumine, Patriarcha Ciuitatis Muzal in Aſſyria Orientali electus, eadem de cauſa dogmatum ad Pium IV. aſcendit, & ab eo doctus, profeſſus eſt his verbis; *Iuro, quod ita corde credo, & ore confiteor, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ fidem, approbatis omnibus & ſingulis illis quæ ipſa approbat, & damnatis ſimiliter omnibus quæ ipſa damnat, amplector, & perpetuo me amplexurum, & retenturum eſſe profiteor, & promitto, & omnes fratres meos Metropolitas, ſiue Epiſcopos, ac diœceſanos quouis modo meæ iuriſdictioni ſubiectos, ita credendum & tenendum eſſe docebo, & modis omnibus quibus potero perſuadere conabor, ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Romæ die VII. Martij anno Domini M.D.LXII.*

Neſtoriani ad Iul. III. concedunt vt de cõtrouerſijs fidei ab eo doceantur. An. 1553.

Patriarcha Muzal ad Piũ IV. & eius fidei profeſſio. An. 1562.

Abd-Iſu Patriarcham, quinquaginta & aliquot poſt annis, imitatus eſt ſuperioribus diebus, Elias Patriarcha Babylonis. Hic miſſa ad SS. D. N. PAVLVM QVINTVM legatione fidei ſuæ formulam ad eius iudicium detulit, ſcripta, quam adiungo epiſtola.

Elias Patr. Babylonis miſſa legatione ad S.D.N. Paulũ V. fidei ſuæ formulam ad eius iudicium detulit.

Ex Cubiculo Patriarchali, orationes & benedictiones concedantur vobis.

Litteræ Eliæ Patr. Bab. ad S.D.N. Paul. V.

Ab humili Elia Orientali, qui per gratiam Dei Sedi Sanctæ Babylonis inſeruit, adorationes continuæ, & inclinationes perpetuæ, genuflexioneſque ſempiternæ ante ſanctos pedes tuos, ò Pater benedicte, & Caput Patrum, Sol Chriſtianitatis, & nomen in quo ſitum eſt ædificium Eccleſiæ Eccleſiarum, Dominus meus, & Pater meus Papa, Dominus Pater Patriarcharum omnium qui in vniuerſo ſunt.

Sciat tua erga nos Charitas, quod peruenerunt ad nos litteræ, & Fides tua firma, & benedictiones quas miſiſti humilitati meæ, & accepi benedictionem ſimul cum populo meo, & gratias Chriſto egi, eo quod dignus benedictionibus Sanctitatis Tuæ, atque memoria illuſtri factus ſum, & muneraſti me inter Filios paternitatis Tuæ, præter mea merita. Ego vero ſtatim miſi gratiarum actionem, & litteras, & Fidem meam. Sed obuiam venerunt Legatis meis peſſimi homines, & omnia abſtulerunt ab eis, & euacuati reuerſi ſunt à me, & iterum miſi alios, nec etiam hi venerunt ad tuam Sanctitatem, quod ægrè tuli ſimul cum Epiſcopis, & Archiepiſcopis meis, & dixi. Quid faciam, non poſſum ire, quoniam non relinquunt me Principes oppreſſores noſtri, neque etiam Ieruſalem adire, tenent nos tamquam ſeruos, & non relinquunt nos facere voluntatem noſtram. Tandem miſi Tuam fidem, litteraſque Tuæ paternitatis, cum filio meo fideli, conſiliorumque meorum conſcio Patre Ada, vt oſtenderet eas in omnibus regionibus noſtris, vt videremus quid nobis Orientalibus faciendum eſſet, & permanſit in his regionibus per annum integrum, & ſimul omnes conſuluimus, & miſimus ad Tuam Sanctitatem hunc ipſum patrem Adam, & miſi cum eo Fidem, litteraſque meas, & dixi de his, vt coram Paternitate Tua, extra ea quæ ſcripta ſunt ageret, quoniam ipſe eſt Caput Patrum, & Abbas Monachorum Orientalium, & neminem habemus eo nobiliorem, vt tota pars Orientalis fatetur. Atque nunc, ò Pater, ſubmiſſo Capite adoramus ante Sedem Tuam, ſine fraude, & dolo; & præceptum tuum à me eſt receptum, ex præcepto illius qui Claues tradidit Tibi. Neque negabo illam vocem dictam Petro, quod, Tibi tradidi Claues Regni, & quod ligabis in terra, ſit ligatum in cœlis: & quod ſolueris in terra, ſit ſolutum in cœlo. Et non obſiſtam ſicuti reliqui hæretici contra præceptum Sanctorum Apoſtolorum, & Patrum Orthodoxorum, qui aſſirmauerunt, quod Sedes Romæ magnæ teneret Principatum, & ipſa eſt Caput omnium Sedium, abſit à me, ſed fateor, quod Eccleſia Romana ſit Mater Eccleſiarum. Et qui hoc non ita fatetur, ſit anathema. Et Sedes noſtra Babylonica non ex ſe electa eſt, ſicut aliorum hæreticorum, qui ſine lege multiplicauerunt Patriarchas, in mundo, ſine Sede Eccleſiæ Magnæ Romæ, ſed ex præcepto Papæ, & ex conſilio Eccleſiæ Romanæ electa eſt Sedes Babylonis: & ita ſcriptum inuenitur apud nos in Annalibus. quod videlicet Patres Orientales Romæ ordinabantur. Sed factum eſt poſtea, vt cum mitterent homines propter confirmationem, in itinere interficerentur, & cum diù hoc feciſſent, omnes peribant.

Quid de Eccl. Rom. & Pont. Rom. ſentiat.

Hoc autem Eccleſiæ, & Pontifici narrato, Pontifex conſilio inito decreuit, & dixit, Ordinemus eis Patriarcham, & permittamus, vt Patriarchas ſibi eligant ne in via intereant propter confirmationē, neque eis mala accidant, & nos peccemus, aut ipſi ſint extra ouile Romæ. Sic itaque accepimus poteſtatem vſque adhuc, & non à nobis ipſis aliquid fecimus, vt reliqui qui Apoſtolorum canones conculcauerunt, & leges Patrum, & impleuerunt terram, Patriarchis ſine neceſſitate. Propter hoc vocata eſt Sedes Babylonis quinta, propter quatuor Sedes quatuor Euangeliſtarum, & ex eo quod electus eſt Patriarcha cum confirmatione Romana, & dedit nobis facultatem vt conſtituamus Paſtores, tunc vocata eſt Sedes Babylonis, quæ quatuor comitatur Sedes, & quinta numerata eſt ſicut vna ex his. Etenim, ò Pater, ecce Fides mea peruenit ad Tuam Sanctitatem cum epiſtolis, vt videas ſi eſt dolus in profeſſione noſtra, aut eſt error, aut receſſio quædam à Matre noſtra Eccleſia Romana. Admone, & faciemus, Doce, & obediemus. Et ſi in omnibus veri ſumus ante Sedem tuam, & non eſt dolus in Fide noſtra, petimus à benignitate Tua, ne paupertatis ſeruorum tuorum obliuiſceris, quoniam multi ex profeſſione noſtra pericula tulerunt, antequam ad vos venerint. Aliqui enim ex his mortui ſunt, alij interfecti ab hoſtibus, & pauci reuerſi ſunt, & peruenerunt ad nos. Et hoc ſufficiat Sanctitati Tuæ à noſtra humilitate, quod ex vltimis Orientis partibus, ſuper capita & oculos noſtros præcepta tua feramus, & venimus contra omnes nationes ſanguine noſtro, & ſuſtinemus calamitates vt ante excellentiam veſtram adoremus, & benedictionem à Matre Eccleſia Magna Pauli, & Petri accipiamus nos humiles, & ſubditi. Quis vrget nos vt hoc faciamus, niſi

Eius ſubmiſſio Rom. Pōt.

Fides Chriſtiana, & amor veſter erga humilitatem noſtram. Et hoc quod veſtræ ſapientiæ indicauimus, ſufficiat; ſed hunc totum laborem ſuſtinemus propter Romanam Eccleſiam. Et miniſtri veſtri Ieruſalem tenent omnes qui ſunt ex profeſſione mea tamquam exteros, atque rebelles ab Eccleſia Romana, & non gratificantur nobis ſicut antea; quoniam interpretes eorum ſunt ex profeſſionibus, quæ nos habent odio, & ipſi miniſtri veſtri non inquirunt veritatem. Petimus à Sanctitate Tua, vt admoneas eos, vt tamquam eos qui ſunt ex profeſſione tua nos teneant, & beneuolos ſe reddant ijs, qui ſunt ex profeſſione noſtra. Ego verò litteras miſi ad præceptores veſtros, vt dominarentur in Ieruſalem ijs, qui ſunt ex profeſſione noſtra, quoniam apud nos ſcriptum eſt in Annalibus, quod Archiepiſcopus noſter qui erat in Cypro, & ij qui ſunt ex profeſſione noſtra, qui habitant in Ieruſalem, & Clerus qui erat in monaſterio Sancti Iacobi Niſibi, inter filios Eccleſiæ Romanæ numerantur, propter amorem Paternitatis veſtræ erga humilitatem noſtram. Et tunc quis ſum ego, & omnes mei, & omnis pars Orientalis? Nos tamquam balbutientes coram Sanctitate Tua, ſed tamquam ſerui obedientes Tuæ Dominationi ſubdimur, & intellectu à ſciſſionibus alieno, pedes Sanctos tuos deoſculamur, & ſumma cupiditate ſalutem Sanctitati Tuæ deſideramus, & adorationes veſtras, & conſeruorum Tuorum Petri & Pauli confugimus, vt digni efficiamur peccatorum remiſſione, in die iudicij terribilis Dei Verbi, cui, & Patri ſuo, & Spiritui ſancto ſit honor, & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Profeſſio Fidei Patriarchæ Babilonis.

Ex cubiculo Patriarchali, orationes, & benedictiones concedantur vobis.

Fides Domini Eliæ Patriarchæ Babylonis eſt ad Dominum Papam, Patrem omnium Patrum anno ſecundum Græcos 1920. nimirum anno 1610. per Patrem Adam.

Ego Elias humillimus, & alienigena, & ſeruus minimus Ieſu Chriſti, qui eſt Deus verus ex Deo vero, cui per gratiam, & præter mea merita, credita eſt Sedes quinta Babylonis, genuflecta ante te, & totum me ſubmitto ante pedes Sanctos Tuos ô Pater, qui locum obtines Sancti Petri patrisfamilias Ieſu Chriſti mediatoris inter Deum & gentes; ô Domine Papa, Cuſtos Sedis, & Caput omnium Sedium. Ego balbutio ante Tuam Paternitatem, tamquam puerulus ante matrem ſuam miſericordem, & repeto meam Fidem, quæ nullo modo aliena eſt à Fide Tua, etiamſi aliquanto diminuta, aut addita videatur; ſed vnus eſt finis, & ſenſus ſicut vnus eſt Deus, & vnus eſt mediator inter Deum & homines, Filius hominis Ieſus Chriſtus, Deus ſuper omnia, ita etiam vna eſt Fides in eo. Ac inprimis demonſtrabo Fidem meam in Trinitate ſancta, & æquali in ſubſtantia Patris, & Filij, & Spiritus Sanctitatis, perſonæ æquales, & non diuiſæ.

Credimus in Deum Patrem, qui eſt factor cœli & terræ, & omniumque in eis ſunt, ex ijs quæ videntur & non videntur.

Et in Filium, qui eſt ex eo, & qui eſt æqualis cum eo in eſſentia, & non eſt minor ſuo genitore, & factore omnium creaturarum.

Et in Spiritum Sanctitatis, qui procedit ex Patre, & non eſt genitor, neque genitus; & ipſe eſt ſubſtantia glorioſa, & æqualis in ſubſtantia, cum Patre & Filio.

Et confitemur etiam, quod hæc eſt vna natura Trinitatis ſanctæ, quæ glorificatur in tribus perſonis, non eſt mortalis, neque comprehenſibilis, neque variabilis, neque paſſibilis.

Cum in fine temporum, propter nos, & propter noſtram ſalutem, & propter noſtra debita, Filius Dei perſona adorata filiationis deſcendit ad nos, & ſuſcepit corpus ex Virgine Maria ſancta filia Dauid, & eſt perfectus in anima, & intellectu, & in omnibus humanis, ſicut nos, præter peccatum: cum ſalutatianem ipſam plenam vitæ nuncius pacis Gabriel attulerit Beatæ Virgini; in eius reſponſione ipſa dixit; Ecce ego ancilla Domini ſum: fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Deſcendit Deus Verbum in Virginem, & coniunctum eſt cum homine, qui in ea compactus eſt in virtute Spiritus Sanctitatis, & factum eſt vnum cum ipſo homine, ſicut coniunctio ignis cum ferro.

Et confitemur, quod corpus, & animam, & intellectum accepit, & non ſine anima, & intellectu ſicut exiſtimant errantes.

Et hoc fieri non potuit, quod in ſua natura appareat creatis: ſumpſit corpus naturam ſecundam, hominem perfectum è genere Adæ, ad ſalutem ipſius Adæ.

Et in eo corpore in quo reuelatus eſt mortalibus, eis locutus eſt, & fuit ſicut illi in vnione, quæ non diuiditur, & filiatione, quæ non ſeparatur. Ille, qui natus eſt ex Patre ante ſæcula in ſua Deitate, natus eſt in fine temporum ex Virgine Maria in ſua humanitate, cum naturæ, & proprietates in vna perſona vnius filiationis conſeruentur.

Non Deitas ſua ex natura Matris, neque humanitas ex natura Patris.

Sed vnitas ſine commixtione, & confuſione, atque permixtione; dum credimus Paulo qui dixit, quod ille qui eſt ſpecies Dei, ipſe accepit ſpeciem ſerui.

Quem forte vocauit ſpeciem Dei, niſi Chriſtum in ſua Diuinitate? & quem forte ſpeciem ſerui, niſi ipſum Chriſtum in ſua humanitate?

Ergo non poſſunt corrumpi proprietates naturæ poſt vnionem. Non enim Deitas conuerſa eſt in humanitatem nec humanitas in Deitatem.

Et ſi Deitas mutata eſſet, non quidem vnio, ſed corruptio in Deitate fieret; & ſi tandem humanitas mutata eſſet, non vera ſalus, ſed detrimentum in humanitate fieret.

Ita credimus in cordibus noſtris, & confitemur labijs: vnum Deum Ieſum Chriſtum Filium Dei, cuius Deitas nos celat, neque humanitas aufertur, ſed eſt Deus perfectus, & homo perfectus.

Et dum Deum Chriſtum vocamus, non Trinitatem nuncupamus, ſed vnam ex perſonis glorioſæ Trinitatis: & dum hominem Chriſtum dicimus, non omnes homines vocamus, ſed illud corpus, quod ſcienter acceptum eſt pro noſtra ſalute propter vnionem cum Deo Verbo.

Propter hoc Dominus Ieſus Chriſtus, ille qui genitus eſt in ſua Deitate ex Patre ab æterno, temporibus vltimis propter nos natus eſt ex Maria Virgine, vnitus cum natura ſua humanitatis,

Et dum in natura ſua Deitatis, ſine paſſione, neceſſitate, & variatione permanſit in natura humanitatis, circumciſus eſt, & creuit ſecundum

teſtimo-

teſtimonium Lucæ, quod Ieſus creſcebat in ſtatura, & ſapientia, & gratia apud Deum, & homines, ſeruauit leges, baptiſmum ſumpſit, dum in virtute Deitatis ſuæ miracula operabatur, nimirum emundationem leproſorum, apertionem oculorum, & dæmonum expulſionem. In humanitatis natura eſuriuit, & ſitiuit, ac manducauit, & aquam bibit, paſſus, crucifixus, & mortuus eſt.

Dum Deitas ex ipſo non diſceſſit, neque demigrauit, neque in ventre, neque in cruce, neque in ſepulchro. Dum enim in ſepulchro poſitus eſt, poſt tres dies ſurrexit in virtute ineffabili ſuæ Deitatis: & os eius viuificans dixit Iudæis: Deſtruite templum hoc, & poſt tres dies reædificabo illud; & declarat Euangeliſta, dum dicit, quod de ſui corporis templo intellexit.

Et poſtquam ſurrexit conuerſatus eſt in terra cum diſcipulis ſuis quadraginta diebus, & oſtendebat eis manus & pedes. dicens ex ore ſuo ſancto; Palpate me, & ſcitote, quod Spiritus carnem & oſſa non habet, vt me videtis habere; vt confirmaret eos de reſurrectione, in verbo, & opere.

Etiam afferre poſſumus multas auctoritates in medium Domini mei, quod nos Orientales afflicti, atque vexati, non prænaricati ſumus, neque defecimus à ſententia Apoſtolorum, & fundamento fortiſſimo, quod tradiderunt nobis, ſed hæc amantibus veritatem ſufficiant, & eis qui non ſunt perturbati fulminibus inuidiæ, & odij immerito contra baptizatos.

Et ſi dicunt contra nos, quod non fatemur, quod Virgo ſit Deipara, nimirum Mater Dei, ſed Chriſtipara, hoc eſt Mater Chriſti Dei ſuper omnia, & propter hoc nos in cauſa ſumus. Sed hoc nihil eſt, hoc enim poſitum eſt propter confirmationem Fidei, & reprobationem falſæ opinionis Apollinaris, qui dicebat Deitatem eſſe ſine humanitate, & ad confuſionem ſceleris Semiſtij, qui ponebat hominem ſimplicem eſſe Chriſtum nimirum humanitatem ſine Diuinitate.

Et duæ partes anathema ſunt, & expulſæ, atque ab Eccleſia Romana profligatæ, dum teſtis verus Matthæus in principio ſui libri ita dixit, Liber generationis Ieſu Chriſti, & generatio Ieſu Chriſti, & generatio Ieſu Chriſti ita fuit. Et Paulus dixit? & illis apparuit Chriſtus in carne, qui eſt Deus ſuper omnia. Et Petrus Princeps Apoſtolorum dixit, Tu es Chriſtus Filius Dei viui; in qua reſponſione, beatitudine dignus factus eſt.

Et ſi propter hanc reſponſionem expulſione digni ſumus, neſcio quid reſpondeant Apoſtolis, qui hoc affirmauerunt, quoniam nos in hac denominatione Chriſti, duas naturas, Deitatis & humanitatis continemus, & non ſimplicitatem in Chriſto confitemur, ſicut de nobis obloquuntur.

Etiam ſuſcipio omne id, quod docet Sedes Sancta Apoſtolica & Catholica Eccleſia Romana, omni amore & veneratione, & teneo, ac recipio omnes etiam Doctores Eccleſiæ Romanæ: & teneo, quod Sedes Sancta Apoſtolica ſit Apoſtolica, & Papa Romæ ſit tenens locum illius, & Sancti Petri Principis diſcipulorum: & ipſe verè perſonam Chriſti referat, & ipſe ſit vicem gerens, & Caput ſuper omnes Eccleſias, & ſit Pater Doctorum omnium Chriſtianorum, & quod ei tradiderit, mediante Sancto Petro, poteſtatem perfectam, vt oues illius paſcat, atque etiam credo in vnam congregationem ſuæ Eccleſiæ, Etiam confiteor, nemimem poſſe ſaluari ſine Eccleſia Sancta Catholica prædicta, neque vitæ æternæ eſſe participem.

Item credo ſicut filius obediens; & ſemper obtemperabo ordinibus, & confirmationibus, atque legibus Pontificis Magnæ Romæ, qui noſtro tempore viget, & etiam omnibus, qui ei ſuccedent in Pontificatu Romæ.

Etiam credo in Trinitatem, quæ eſt immenſa, vt cognoſcatur, quæ eſt vna, & vna, & vna.

De vna natura eſſentiæ verificatus ſicut dicitur, Dominus Deus tuus. Dominus vnus eſt, Dominus omnipotens, id eſt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctitatis.

De varietate perſonarum eſſentiæ verificatus, ſicut habet traditio Euangelij Chriſti viuificantis, Exite, & docete omnes populos, & baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sanctitatis.

Illud verò quod addiderunt Patres; Deus, Dominus, & Spiritus Sanctitatis, aperte demonſtrauerunt, nomina eſſe communitatis, & ſingulas earum, ſcilicet omnes tres perſonas eſſe nomina communitatis, quod eſt aperte ſine diuiſione, quod Deus ſit cauſa Filij & Spiritus.

Non cauſa naturæ, ſed proprietatum.

Et Filius eſt genitus à Patre, ſine quando, vbi, & quomodo.

Et Spiritus Sanctitatis eſt procedens ex Patre, ſine diuiſione.

Et omne id quod habet Filius, habet Pater, & Spiritus, præter proprietatem eſſe geniti.

Et omne id quod Spiritus habet, habet Pater, & Filius, præter proprietatem proceſſus.

Vnus Deus, qui non comprehenditur in vno. Tres perſonæ, quæ non diuiduntur in numerum, vnius, duorum, & trium. Quæ ſunt vnitæ & diuiſæ, & diuiſæ, & vnitæ, quæ non comprehenduntur à creatis, ſicut teſtatur diuus Paulus, & Ioannes Theologus.

In hac Fide viuo, & morior, ego humilis & minimus Elias, per gratiam Patriarcha Sedis Babylonis, & teſtis mihi ſit Deus, & Angeli eius Sancti, & Principatus noſtræ nationis Ieſus Chriſtus, & omnes Apoſtoli Beati, cui & Patri ſuo, & Spiritui Sanctitatis, honor & gloria, confeſſio, adoratio in ſæcula ſæculorum.

Commentarius Adę Archimandritę Monachorum Chaldæorum, Cameræ Patriarchalis Babylonis Archidiaconi: de conciliatione Fidei Orientalium, cum Fide S. R. E. miſſus ſub cenſuram SS. D. N. PAVLI QVINTI ab Elia Patriarcha Babylonis.

Epiſtola ELIÆ Patriarchæ Babylonis de Commentario ad SS. D. N. PAVLVM QVINTVM.

EX cubiculo Patriarchali, orationes & benedictiones concedantur vobis.

Fides ſerui fidelis eſt, qui Domino ſuo nihil abſcondit, ſed omnia ſicut ſunt, Domino ſuo aperit. Propter hoc, me ſeruum humilem, & peccatorem Eliam, Sedem Babylonis cuſtodientem, decet aperire verum ante Paternitatem Sanctam Tuam, ò Domine Papa Paule Quinte, corona Chriſtianitatis, & Caput Capitum, & Paſtorum Eccleſiæ Sanctæ, & aliena ab omni hæreſi.

Diu perquiſiuimus, & diligenter perſcrutati ſumus nos Orientales de Fide, ſecunda hac vice qua ad nos Tuas litteras miſiſti, & vocaui Dominum Gabrielem Seniorem omnibus Archiepiſcopis, & Sacerdotem Iſrael, maximum omnium Grammaticorum, & Dominum Adam Abbatem, & dixi eis: Quoniam in noſtra natione nullus eſt perſpicacior vobis, determinemus quid faciendum. Nam ecce libri noſtri admonent nos de Eccleſia Sancta, & Sede Apoſtolica Domini Papæ Romæ, quoniam ipſe eſt Pater Patrum, Caput Paſtorum, eum audite, & non declinate à præcepto ſuo. Et Patres noſtri Orientales, omnes eos qui ab Eccleſia Romana defecerunt, excommunicauerunt; & ſimul omnes conculcatores præcepti Domini Papæ, qui eſt loco S. Petri fundamenti Eccleſiarum, & capitis Apoſtolorum. Sed video in profeſſione noſtra, quod ſit aliquid, quod non videatur iuxta profeſſionem Papæ; & Patres noſtri de hoc nihil ſcripſerunt, ſed hoc ſolum admonuerunt; Ne nos ab Eccleſia Romana deficeremus, neque à præcepto Domini Papæ habentis claues Regni declinaremus, & definiuerunt, & excommunicauerunt omnes tranſgreſſores horum verborum.

Variationes Chaldæorum à Latinis. *Variationes vero, & quæ non ſunt iuxta Eccleſiam Romanam, hæ ſunt.*

Dominus Papa, cum omnibus Patribus magnæ Eccleſiæ Romæ, vocant Virginem ſanctam Mariam, Dei genitricem. Nos vero Orientales eam Genitricem Chriſti vocamus.

Illi duas naturas Chriſti confitentur, duas virtutes, & duas voluntates. Nos autem fatemur vnam virtutem & vnam voluntatem.

Illi etiam vnam perſonam fatentur in Chriſto. Nos quidem fatemur duas perſonas.

Et dicunt, quod Spiritus ex Patre & Filio procedit; Nos verò fatemur, quod ex Patre Spiritus procedit.

Etiam Patres Romæ dicunt, quod illud quod egreditur è ſepulchro Domini noſtri non ſit verum lumen. Nos verò cum omnibus noſtris illud tanquam lumen accipimus.

Et Dominus Gabriel mihi reſpondit; quod nos ita accepimus à noſtris anteceſſoribus, quod non ſit diuiſio inter nos, & Eccleſiam Romanam, niſi per cerimonias; & illi ita in omnibus regionibus ſuis ſuas ceremonias tenent. Et dixit mihi Senior Iſrael; Quantum ego è libris noſtris antiquis percepi, ſanè non eſt vlla alia diuiſio, niſi quod alter alterum non intelligit. Verum de hac petitione tua: ecce Pater Adam ante te, qui ex adoleſcentia in ſolitudine probatus eſt, ſi aliquid tibi poteſt reſpondere. Et Patri noſtro Adæ dixi; quid dicis de ijs? Reſpondit; Concede ſpatium trium dierum; & reſpondebo tibi tertia die, quantum poteſt infirmitas mea, & quantum ſufficiat. Et dixi: Concedatur tibi ſpatium; & iuit ad cubiculum ſuum; & tertia die hanc ſcripturam attulit. Et placuit mihi, & omnibus meis qui mecum fuerunt; & dedi illi litteras ſimul cum fide mea, & tuis epiſtolis, atque fide: & miſi illum ad regiones, & gregem noſtrum ſcribens: quod ſi quis habeat aliquid ad reſpondendum, afferat. Et benedictionem omnibus filijs Orientis à fide tua acceperunt, ex epiſtolis ſanctis, & anni curriculo reuerſus eſt ad me, afferens mihi litteras, in quibus erat, quod illi omnes qui ſunt ex profeſſione noſtra, ſeſe ſubmittebant. Et magnum gaudium de his omnibus percepimus: & ſublatæ ſunt omnes falſæ opiniones contra id quod dicebatur, quod noſtra fides cum veſtra non conueniebat.

Hoc opus Patri Adæ filio meo dilectiſſimo, cubiculi mei Archidiacono tradidi: & ecce eum miſi, vt ante veſtigia pedum Sanctorum tuorum, ex parte omnium Orientalium adoret, & omne id, quod dicit, & admittit Tua Sanctitas, receptum apud nos Orientales eſt, & omne id quod præcipis, & eum eo mittis, confirma exemplis, & auctoritatibus: vt omnibus circumuicinis gentibus prædicemus: & nemo verbis Tuæ Sanctitatis contradicere audeat: & reſponſum illorum omnium ſcribe: an receptum eſt apud Tuam Sanctitatem, necne, & nobis præcipe, id omne quod ſcis & decet, atque conuenit: & noſtrum caput ſubmiſſum eſt ante præceptum Tuæ Dominationis, & ſcriptura quam Pater Adam attulit, hæc eſt; cuius exemplum Tuæ Sanctitati miſi, & hoc modo ſcripta eſt.

SERMO

DE FIDE DOMINI PAPÆ ROMÆ MAGNÆ,

Et Domini Eliæ Patriarchæ Orientis.

Habitus à Patre Adam Abbate Monachorum Orientis.

Proœmium, in quo profitetur imbecillitatem ingenij ſui, ad tam eximiam, ac præſtantem diſputationem ſuſcipiendam.

SI filij non debent theſauros reponere Patribus, ſicut præcipit Paulus: ergo multo minus debent ſerui dominis ſuis. Sed ne pericliter ſupplicio legum traſgreſſorum illius vocis Apoſtoli: Serui obedite præpoſitis veſtris in omnibus rebus: audi modo ſubmiſſionem meam, & breuiter ante tuam Paternitatem honorabilem balbutiam, Pater & educator mi, Domine mi, Elias Catholicæ Patriarcha Orientis: id quod ſub pedibus tuis edoctus ſum, eloquar ego pauper & humilis Adam, ſeruus ſeruorum minimus. Quoniam ex me nihil poſſum, & quicquid Spiritus, ac corporis habeo, à tua Paternitate agnoſco, vt notum eſt Dominationi Tuæ: propterea, quod à pueritia mea enutritus ſum è micis tuæ menſæ, & ſub alis tuæ Paternitatis educatus ſum: & nunc quidem eo quod Paternitas tua præcepit mihi, vt pertractarem de fide tua, & de fide Patris vniuerſalis, & Patris Patrum, & Rectorum, Patris & Domini Papæ PAVLI QVINTI, quam miſit ad tuam Paternitatem anno ſecundùm Græcos 1920. Ego autem de hac re nihil ſcio, & ſuper vires meas hoc onus ſuſcipio. At fortè me orationibus tuis adiuuabit Deus: cuius virtus in abiectis demonſtrari ſolet, & ſtultorum inſipientiam ſua ſapientia infinita docere conſueuit. Etenim, Deo iuuante, & orationum tuarum auxilio, dicere incipiam, ante tuam Dominationem, id quod in ore meo ponit ille, qui loqui fecit aſinam, & perfluere aquas fecit à lapide, & qui lignum ficeum florere fecit vt daret fructus, & demonſtrari fecit electum ſuum coram populo Iſraelitico.

CAP. I.

Excellentiam doctrinæ fidei, quam profitetur S.R.E. & Principatum Summi Pontificis in Eccleſia Sancta Catholica, ex comparatione Abrahæ, & B. Petri Principis Apoſtolorum oſtendit.

ORthodoxis, & ſapientibus notum eſt, quod tota gubernatio veteris legis ſit parabola & exemplum nouæ legis. Ibi enim Idæa & figura, hic autem eſt corpus & perfectio: quoniam id omne quod ſcriptum eſt in gloſſa ſcilicet in ſacra ſcriptura & Prophetis, in Chriſto completum eſt: & ex plenitudine eius nos omnes gratiam pro gratia accepimus: quoniam lex per Moyſen data eſt, veritas autem & gratia per Chriſtum, vt teſtatus eſt Ioan. Sed quoniam de fide nobis dicendum eſt, in præſentia de ipſa agamus. Fidem enim apud Abraham in veteri illuſtratam eſſe videmus; quoniam Deo credidit, & viuificatus eſt, & pater gentibus datus eſt. In noua verò, apud Petrum celebrata & completa ipſa fides eſt, & conſtitutus lapis fundamento Eccleſiæ Dei: & omne ædificium, cuius fundamenta non iaciuntur ſuper hoc fundamentum, non erigitur; nec perfici poteſt ad culmen, quod eſt Chriſtus. Itaque, omne id quod eſt apud Abraham, figuratè, & partialiter, atque temporaliter intelligite: & quod eſt apud S. Petrum, ſpiritualiter, & perfectè, & in ſempiternum comparate. Abraham enim in fide, à regione ſua, & à domo Patris ſui deſceſſit, & exijt, quo iturus ſit inſcius, vt Apoſtolus teſtatus eſt: Petrus autem in fide reliquit omnia perfectè, & Dominum eſt ſecutus: quoniam vere ſciebat, quod eſſet Chriſtus filius Dei viui. Et quemadmodum Abraham fuit Pater Patrum in lege veteri: ſic fuit Petrus in noua. Quies Abrahæ in occaſu fuit Solis, & timor, ac tenebræ ſuper eum ceciderunt: & per animalia & volatilia quæ offerebat, futura quæ in terra fieri aſſolent, didicit: Petrus autem hora ſexta, perterritus eſt, & vidit cœlos apertos: & per vas in quo fuerant animalia quadrupeda, & reptilia terræ, & volatilia cœli, reuelata ſunt myſteria quæ fiunt in cœlo: eo quod apertè vidit, quicquid ſublatum eſt in cœlum. Abrahæ nomini addita eſt vna litera, quæ eſt fides: non enim amplius nomen tuum vocabitur Abram, ſed Abraham: quoniam Patrem multarum gentium conſtitui te: Petrus autem perfectè depoſuit hominem veterem, & renouatus eſt Chriſto: tu es Simon Bar Iona, & Petra vocaberis, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Abrahæ dictum eſt: Benedicam benedicentes te, maledicam maledicentes te: Petro decretum eſt: Tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcumq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlo: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlo. Promiſſio Abrahæ, ſunt, terræ populorum, & regna gentium. Promiſſio Petri eſt ſuper ciuitates animarum, & ſeſſio ſuper Sedes in cœlo. Abraham dignus factus eſt benedictione Melchiſedech Regis Solim, quæ eſt Ieruſalem: & panem alimentum corporeum, ei ſocijſque ſuis obtulit: Petrus autem, in fide, benedictione factus eſt dignius à Summo Sacerdote veritatis Ieruſalem: cuius eſt factor & auctor Deus: & in aula Sion dedit panem & vinum alimentum ſpirituale ei, & ſocijs ſuis. Ex Abraham circumciſio carnis incepit, & circumciſus eſt cum omnibus ſuis, ac etiam ex alienis gentibus aliquot circumcidit: & ex Petro circumciſio ſpiritualis cordis: & propagata eſt ad gentes alienas, ad propagationem fidei, ſicut ipſe dixit: A primis autem diebus, per os meum elegit Deus, vt audirent gentes ſermonem Euangelij, & crederent: & Deus qui nouit corda, dedit, ſuffragatuſque eſt eis, deditque eis Spiritum Sanctitatis ſicut & nobis, nihilque diſcreuit inter nos & eos: quoniam purgauit fide corda eorum. In lege naturali familia Abrahæ ab vno ad alium, in carne, & naturaliter producta eſt: donec terminata eſſet in reuelatione Dei, qui incarnatus eſt: In lege ſpirituali Petri producitur à Papa ad Papam, vſque ad ſecundum aduentum filij hominis, qui Deificatus eſt. Quemadmodum autem ij, qui non ſunt nati naturaliter ex Patribus, qui deſcenderunt à ſemine Abrahæ, à filiatione Abrahæ prohibentur, & alieni ſunt ab ea voce quæ eſt in Propheta; Dominus ſors noſtra eſt: quoniam iſta filiatio eſt domus Abrahæ, & non gentium externarum; quia promiſſionem promiſit Dominus cum eo, & cum omni ſemine ſuo in æternum: ita illi homines, qui non generantur ſpiritualiter à Patribus Petri, ab vnoquoque Papa ſui temporis, prohibentur à filiatione ſpirituali Petri; & nullo modo poſſunt vocare Deum Patrem noſtrum, qui es in cœlis: quoniam familiæ Petri conceſſit Dominus Deus, vt ita vocarent eum: & non alienis à fide Petralium. Et omnis vir, qui non conciliatur & regitur ſub ſceptro horum Paſtorum Petri, non eſt ex grege Chriſti: quoniam Dominus Petro dixit: Paſce agnos meos, paſce ouiculas meas, & paſce oues meas: & nemini præter eum. Magna eſt fides Abrahæ & verus eſt amor eius qui accepit cultrum, & poſuit ad collum ſui dilectiſſimi, & non prohibuit vnigenitum à Domino ſuo. Sed maior eſt fides Petri, ipſiuſque amor; quia ipſemet mortem ſuſcepit pro Domino ſuo: mors autem crucis, & crucis contrario modo, vt parem gratiam referret Chriſto, qui lauit pedes eius in ſudore faciei ſuæ, & lachrymis oculorum, & ſanguine ſuo obtulit tria holocauſta, iuxta tres confeſſiones quibus reſpondit Domino ſuo; Tu Domine ſcis, quia amo te; & pro remiſſione trium negationum inuoluntariarum, & non verarum. Et quemadmodum tercenti decem & octo viri ex familia Abrahæ corroborati ſunt à Domino, & ipſe Dominus fuit Dux eorum, & comitatus eſt eos; & victoriam perfectam reportauerunt; hoſtes profligauerunt, ac virtutes eorum diſſipaueruut, & liberauerunt ſeruos, & reuocauerunt eos ad opus ſuum: ita CCCXVIII. Patres Orthodoxi familiæ S. Petri, corroborati armis ſanctitatis per Chriſtum Dominum noſtrum: & fuit Deus cum eis, & confirmauit verba eorum, & diſſipauit ſuperbos corde mentis ſuæ, ſedauitq; errores hæreticorum, & dedit victoriam perfectam Eccleſiæ ſanctæ: & confirmauit, & corrobo-

Egregia inter Abraham, & S. Petrũ comparatio.

roboranit fidem : & hoc modo oues Chriſti pauerunt in pratis gloriæ ſuorum canonum, & propè flumina aquarum placidarum, quæ à corpore eorum defluxerunt, & hortos plantauerunt fructibus ſalutaribus plenos, vt alimento eſſent omnibus fidelibus veris, ſequentibus eos. Igitur omnis qui deſiderat requirere veritatem, ad doctrinam Doctorum tercentorum decem & octo Patronicorum accedat, & non indigebit eleemoſyna alienorum, quorum myſterium figuratur in tercentis decem & octo Abrahamiris, & qui eſt confirmatus, in ſua fide, ſeruet eorum canones tanquam pupillam oculi, ſine additione & diminutione: quoniam cum eis eſt Chriſtus, & ſicut voluit, cum eis fecit. Neque ego abiectus Adam volo de fide quicquam dicere, præter id quod docuerunt Apoſtoli, & Patres Orthodoxi: quoniam graue hoc onus mihi eſſe fateor: ſed tantum deſidero, falſas opiniones contra nos immerito dictas extirpare: & ſi poſſum, pro eis plantabo amorem verum, quem generat fides, nutrit ſpes, & perficitur à charitate omnimoda, & perfuſa bonis, & malis, quæ eſt Deus omnipotens: quoniam Deus charitas eſt, vt ſcriptum eſt.

Profitetur ſe id ſide fide ſentire quod docuerunt Apoſtoli, & Patres Orthodoxi.

CAP. II.

Quomodo exiſtimet poſſe conciliari cum veritate Catholica dogma Chaldæorum, quo tenent Virginem Beatiſſimam eſſe tantum Matrem Chriſti.

De illo enim quod Orientales dicunt: Mariam virginem ſanctam, Chriſtiparam eſſe: Patres vero Eccleſiæ Romanæ dicunt Deiparam: nunc dicere debemus. Perſpicuum enim eſt ſapientibus, quod Deitas non generat, neç generatur, & non minuitur, neque creſcit, neque variatur, neque diuiditur, neque comprehenditur. Propter hoc Maria genuit naturaliter Ieſum, qui habet tria nomina propria & correctæ quorum teſtimonia in omnibus libris habentur, h. e. Ieſus, Chriſtus, Dominus noſter: Ieſus autem nomen humanitatis, Chriſtus nomen Deitatis & humanitatis, Dominus noſter eſt nomen Deitatis. Propter hoc Maria genuit Ieſum naturaliter hominem perfectum, ſicut demonſtrauit in principio Euangelij Matthæus; liber generationis Ieſu Chriſti, & cum impleti ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, antequam in ventre conciperetur; & etiam, Ieſus creſcebat in ſtatura, & ſapientia, apud Deum & homines. Et dum conceptus eſt, verè Deus erat; ſed in gradibus aſcendit ad eam, ſcilicet Deitatem, vt pueritiam noſtram erudiret. Etenim hic Ieſus, non eſt homo ſimplex; abſit: ſed ex illa hora compactionis humanitatis ſuæ de Spiritu Sancto incarnatus eſt; eo quod perſona Dei verbi vnita ſit, vnitione perfecta, in illa humanitate; ſine commixtione, confuſione, & compoſitione conſtricta; & fuit vnus filius verus, Deus perfectus, & homo perfectus. Deus humanatus eſt, & homo Deificatus eſt; dum nec ille diuiſus eſt, nec iſte variatus eſt. Non enim duo filij ſunt, alius Deus qui humanatus eſt,

Chriſti tria nomina.

& alius filius qui Deificatus: abſit: ſed ille qui humanatus eſt, & qui Deificatus eſt, vnus eſt filius verus, vna eſt ſpecies, vnus eſt viſus, vnum Parſopa, vna filiatio. Et vocatus eſt Chriſtus, h. e. Deus perfectus, & homo perfectus. Et propter hoc Orientales vocant Virginem Chriſtiparam, vt didicerunt à B. Apoſtolis; & vera eſt iſta confeſſio, vt teſtantur libri. Et id quod vocant Patres Eccleſiæ Magnæ, Deiparam, verum eſt: & eodem modo intelliguntur, vt definiunt, & teſtantur Theologi, nempè Ioan. Euangeliſta, Paulus Apoſtolus, Gregorius Nazianzenus, hos omnes Theologos tenet Eccleſia. Ioannes enim teſtatur, quod in principio erat Verbum, & ipſum Verbum erat in principio apud Deum: & Deus erat Verbum, & Beatus Paulus, Deum ſuper omnia vocat Chriſtum, & Gregor. Nazianzen. confirmauit; Omnis, qui non fatetur, Mariam eſſe Matrem Dei, ſine Deo eſt. Ergo, omnis qui eſt contra hæc verba horum trium Theologorum, alienus eſt ab Eccleſia; quoniam ipſi aſſeruerunt virginem eſſe Genitricem Dei: id quod verum eſt: & Genitricem Chriſti, quod etiam verum eſt. Et Ioann. teſtatus eſt, quod Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis; & Paulus dixit, quod vnus eſt Deus, & vnus eſt mediator inter Deum & homines homo Chriſtus Ieſus, & Gregorius dixit: Ille qui ſine principio, principium habuit; & ſine comprehenſione, comprehenſus eſt. Nunc vero eſt vnus ſenſus, vna ſententia, vnus finis, & vna interpretatio de illa voce Chriſtipara & Deipara apud fideles Orthodoxos, quoniam dum aliquam perſonam trium perſonarum SS. Trinitatis corde ſuo cogitat, totam in diuinitatem cogitat, ac etiam humanitatem ſine ſeparatione cogitat, & dum aliquis humanitatem Chriſti cogitat, ſimul cum ea cogitat ſine diſceſſu ſuam diuinitatem. Propter hoc Patres Romæ fatentur virginem eſſe Dei Genitricem: & Orientales dicunt Mariam eſſe Chriſti Genitricem: & vtraque pars vera eſt.

CAP. III.

Extendit dogma Chaldæorum de duabus perſonis in Chriſto, & quo pacto conciliari poſſit cum doctrina Catholica, de vnitate perſonæ Ieſu Chriſti Domini noſtri.

De duabus in Chriſto naturis, & de vna perſona, & vno Parſopa in Chriſto, quas Eccleſiæ Magnæ Romæ profitetur; & Orientales confitentur duas eſſe naturas; duas perſonas, vnum Parſopa: ſi Orientales Eccleſiæ Romæ obijciant: Quare duas naturas in Chriſto, & vnam perſonam fatemini? Ecce nulla natura eſt ſine perſona, & vna natura ex perſona demonſtratur; & ſi non eſt perſona, neque eſt natura. Et etiam Eccleſia Romæ obijcit Orientalibus: etiam vos, quare duas eſſe perſonas, & vnum Parſopa fatemini? ecce nulla eſt perſona, ſine Parſopa. Hic poteſt eſſe aliqua imperfectio, niſi vtraque pars incidat in illam vocem, nimirum eſſe vnum Parſopa, & hoc vnum Parſopa, quod vtraque pars fatetur, cogit vtramque partem ad eundem ſenſum intelligendum,

Quomodo cōueniat Chaldæos cum Latinis de duabus perſonis in Chriſto.

& idem ſentiendum, velit, nolit. Et alia ratio eſt. Orientales enim iuxta duas naturas dicunt quod mente cognoſcatur duabus perſonis, & oculis videatur in vno Parſopa vnius filiationis. Et Patres Eccleſiæ Magnæ nunc non curant hic demonſtrare naturas, eo quod complete demonſtrauerunt in duabus virtutibus, & duabus voluntatibus, quas fatentur. Nunc vero vnam filiationem demonſtrare volunt, & dicūt, quod videtur, & demonſtratur in vna ſpecie, vna magnitudine, & vno Parſopa, vnins filiationis: & vtraque pars veritatem fatetur. Et duæ virtutes, quas Patres Eccleſiæ Magnæ Romanæ fatentur, veræ ſunt; quoniam nulla eſt natura, quia non habeat virtutem, & ſi in Chriſto duæ ſunt naturæ, ergo duæ virtutes neceſſario. Sed quid eſt hoc, quod vtraque pars ponit incommixtionem, & incompoſitionem ſiue conſtrictione? nonne propter virtutem, quia eſt in naturis, ne ſit mutatio in vnitione Chriſti; quam vbicunque eſt compoſitio, neceſſario eſt mutatio, propter virtutem quæ eſt in naturis; vt eſt commixtio aquæ & vini: quæ cum commiſcentur, virtus aquæ mutat vinum, & non erit vt erat antea: & potentia vini mutat aquam & nnn erit vt antea. Et Dominus noſter Ieſus Chriſtus non eſt mutatus neque in Deitate, neque in humanitate; & Angeli teſtantur, quoniam reſurrexit, viri Galilæi quid ſtatis, & ſuſpicitis in cœlum? hic Ieſus qui eleuatus eſt à vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum vidiſtis eum aſcendere in cœlum. Et confirmauit B. Paulus: Ieſus autem Chriſtus, heri, & hodie, & in æternum eſt. Orientales vero vnam virtutem fatentur; nec propter virtutem naturarum dicunt vnam virtutem: quia refugiunt vocem illam, commixtionis, veluti filij Eccleſiæ Magnæ: ne faciant mutationem, cauſa duarum naturarum, duarum virtutum perfectarum in Chriſto. Sed patet quod non propter virtutem naturarum vnam virtutem fatentur: ſed propter vnam vnionem perfectam veram, & ſempiternam fatentur vnam potentiam: vnam poteſtatem, vnam dominationem, vnam gloriam vnius filiationis. Et quemadmodum Patres Eccleſiæ Magnæ vnam perſonam fatentur propter vnam filiationem; ita Orientales, vnam virtutem fatentur, propter vnam filiationem. Neque Orientales, per virtutes demonſtrant naturas; neque filij Eccleſiæ Magnæ per virtutes demonſtrant perſonas: ſed vtrique vnam filiationem demonſtrare debent: & vtraque pars eſt vera.

CAP. IV.

Quo pacto exiſtimet poſitionem Chaldæorum de vnica voluntate & operatione non repugnare veritati duarum voluntatum, & operationum Chriſti.

Et duæ voluntates, quas filij Eccleſiæ Magnæ fatentur, veræ ſunt; eo quia Chriſtus ſit Deus perfectus, & homo perfectus: & omne rationale, neceſſario habet voluntatem & ſi careat voluntate, non eſt perfectus. Orientales vero vnam voluntatem in Chriſto fatentur, non eo quod alteram voluntatem conculcent, ſic dicunt, ſed ne ſit confuſio in vna filiatione vnita Chriſto, dicendo voluntatem, & voluntatem, humanam & diuinam. Dicunt enim vnam voluntatem; ſcilicet voluntas voluntatem ſecuta eſt: nimirum coniuncta eſt vna voluntas cum alia; & duæ voluntates vnum quid ſimul ſunt, filius vox Patris qui exclamauit, Hic eſt ſicut meus dilectus, in quo mihi complacui. Et ipſe filius teſtatus eſt; Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem illius qui miſit me. Et ſi Orientales vnam voluntatem fatentur, in duabus naturis rationalibus, & perfectis Chriſti, quare dicunt de eo; Homo completus, & Deus completus? ſed putet; quod dicunt propter coniunctionem perfectam. Sic autem aſſerunt: In alio ſæculo, quod eſt Spiritus, non ſunt voluntates contrariæ, neque multiplices, vt Pater Arſenius teſtatus eſt. Dum enim refugiebat habitare cum multis, dixit; Supra in cœlo omnes choros Angelorum vnam voluntatem habere; homines vero qui ſunt in terra, tot ſunt quot voluntates. Non enim habent vnam voluntatem, quæ non vult cogitare, niſi vt voluntates ſuæ vni voluntati Dei ſubdantur. Sicut enim Dauid cantauit; ſerui enim ſui ſunt, qui faciunt ſuam voluntatem. Et ſi inter ſe, & inter facturam manuum ſuarum non eſt diſcordia voluntatis; quomodo poteſt etiam inter Deitatem ſuam, & humanitatem filij, qui habet vnitionem in æternum? Inuenitur ne dualitas voluntatum contrariarum? abſit. Sed filius voluntate humanitatis ſuæ, volenter, & non vi ſubditur voluntati Deitatis ſuæ, eo quod dixit Patri; At non fiat voluntas mea, ſed tua. Hoc modo ſubditur filius illi, qui ſubdidit ei omnia; & ſic Deus eſt omnia in omnibus, iuxta verbum D. Pauli.

CAP. V.

De Proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & quomodo Chaldæi non diſſentiant in hoc à Sancta Romana Eccleſia.

De Spiritu vero ſancto, qui à Patre procedit, vt fatentur Orientales, & Patres Eccleſiæ Magnæ Romæ qui profitentur, quod ex Patre, & Filio procedat; vtraque pars veritatem agnoſcit, & vnum teſtimonium verum veris fidelibus ſufficit, illa nempè vox, quæ ex ore dilectiſſimi Ieſu prolata eſt; quæ eſt; Ego enim & Pater meus vnum ſumus, & quod ſint vnum, ipſe dixit, & non dixit, ad inuicem ſimiles ſumus, ſed vnum ſunt, & non dno. Et ſi ſunt vnum, non duo, quæ diuiſio eſt inter illam vocem quam confitemur, nimirum quod Spiritus Sanctus à Patre procedat, ab ea, quam ex Patre, & Filio procedat? Ecce vnum ſunt, & non dno; & nulla eſt diuiſio inter illos. Etiam dixit; Ego ſum in Patre, & Pater meus in me eſt, &, Qui me videt, videt illum qui miſit me. De Spiritu autem Sancto dixit; Ille de meo accipiet, & renunciabit vobis. Omne quod habet Pater meus, meum eſt. Et ſi ita non eſt diuiſio inter perſonas incomprehenſibiles

Deita-

Deitatis abſconditæ, ſine prioritate & poſteritate, ſine paruitate & magnitudine, ſine habitione & priuatione in omnibus; quis vnquam diſcrimen ponet inter illam vocem, Spiritus ex Patre procedit, ab illa, Spiritus ex Patre, & Filio procedit? Sed Orientales dicunt, quod ex Patre procedit, qui ſciunt, quod nihil poſſidet Pater, præter id quod habet Filius; neque Filius præter Patrem: quemadmodum didicerunt ex Filio viuo, qui dixit Patri; Omne quod habeo tuum eſt, & quod habes meum eſt. Et Patres Eccleſiæ Magnæ volunt oſtendere, quod Filius non eſt abiectior Patre vlla in re; non in eſſentia, non in filiatione, neque in poteſtate, neque in creatione; quoniam ipſe eſt radius gloriæ ſuæ, & idæa eſſentiæ, & tenens omnia in virtute verbi ſui; Deus verus de Deo vero, connaturalis Patri ſuo, in cuius manibus facta ſunt omnia. Dicunt igitur, quod ex Patre, & Filio procedit Spiritus ſalutaris, & vera eſt profeſſio illorum ſine dubio.

CAP. VI.

Progreditur excuſans propriam inſufficientiam.

AD iram concitauit cor meum calamus, & volo eum rumpere, quoniam veritatem dicere non vult, ſed veritatis ſimilitudinem ſcribere nititur; quoniam hic coopertum videtur id, quod eſt verum: illud quod Patres acutiſſimi, & Philoſophi ſpirituales apertè demonſtrauerunt: Pater Marcus, inquam, in ſuis libris, & Dominus Euagrius in ſuis centenarijs, & Dominus Ammonius in ſuis dictis, & reliqui omnes & cæteri Philoſophi. Omne id quod fuit, eſt, & futurum eſt, viſibile & inuiſibile, comprehenderunt in nouem Cathegorijs: & ad incomprehenſibilitatem Dei, manus ad os ſuum poſuerunt, & retro reuerſi ſunt. Sed vnus ex præceptoribus ſuis, Plato, inquam, qui tempore Samuelis & Dauid vixit, intuitus eſt in illum ſermonem ſacræ Scripturæ: Scito Iſrael, quod Deus tuus, Deus vnus eſt: & admiratus hac voce, in ſolitudinem ſe recepit, tuguriumque ibi ſibi elegit: & accepit ſacram Scripturam, & hunc ſermonem trium annorum ſpatio meditatus eſt. Et vidit Deus ſubmiſſionem, & laborem ſuum, & reuelauit ei incomprehenſibilem Trinitatem trium perſonarum Deitatis adorandæ: & reuerſus eſt corripiens Iudæos dicens: Affirmant vnum eſſe Deum noſtrum. Vnus eſt, & trinus: trinus, & vnus, & de hoc doctrinam magnam ſcripſit: & hodie iſta doctrina poſita eſt in Eccleſia ad Iudæorum confuſionem, negantium Trinitatem incomprehenſibilem eſſentiæ Dei, quæ eſt abſcondita: illa, quam nullus homo vidit, neque videre poteſt, vt ſcriptum eſt. Etiam B. Paulus exclamauit mirabiliter, dicens: ò altitudo diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: nemo ſcrutatus eſt iudicia eius, & viæ eius ſunt incomprehenſibiles. Sed multò magis ſuffocatus in hoc mari incomprehenſibili, & pleraque pars ſtultorum ad barathrum damni ſui expulſi ſunt in hoc torrente impertranſibili, quem vidit Barabuz: quoniam deſiderauerunt dulcedinem mellis inſcienter, & ſpreuerunt monita Sapientis, qui dixit: mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud. Hoc eſt, ſine ſcientia, ne inquiras verba diuina, ſupra tuam menſuram: ne fortè menſuram tuæ ſcientiæ perdas: quoniam non poteſt lingua carnis demonſtrare id, quod oculos non vidit, nec auris audiuit, nec ſuper cor hominis aſcendit. Et teſtificatur D. Paulus, quod audiuit arcana, quæ non licet homini loqui. Et ſi hæc vera ſunt, vt reuera ſunt, quis audet regulas determinatas, ſub comprehenſibilitate Deo ponere, à quo plena ſunt omnia? Et omnis, qui audaciam habet contra hæc verba, aerem verberat, & volatiles aues apprehendere conatur, & de ſua inſipientia vult prædicare. Sed nos cibum ſolidum diſcretionem habentibus relinquemus, & lac inde ſugamus, iuxta noſtram poſſibilitatem & noſtræ ſcientiæ ſapientiam: & obediamus, & ſubdamus nos ſermoni vniuerſali, qui viuat.

Quid de Platone verba Sacræ Scripturæ admiratur dicentis, Scito Iſrael quia Deus tuus Deus vnus eſt

CAP. VII.

Agit de lumine, quod à multis creditur miraculosè accendi in die Sabbathi Sancti, ad Sanctiſſimum Domini Noſtri ſepulchrum, & finem imponit tractationi.

LVmen vero, quod in Ieruſalem lampadibus oſtenditur, Patres Eccleſiæ Magnæ Romæ merito affirmant falſum, & apparens eſſe: quoniam lumen verum & naturale, non eget materia ceræ aut olei, vt illuminare poſſit, neque in ſæculo Spiritus aliquid compoſitum reperitur. Eleuate oculos veſtros in cœlum, & videte luminaria nocturna & diurna quæ ſplendent, & fulgent à principio ſæculi, & hucuſque: fortè ne in materia aliqua illuminat Deus? Etſi in materia ſplenderent, iam extincta eſſent: quia extingueretur materia, quæ cauſa illuminationis eorum eſt: & lumen eorum cum ea deficeret neceſſario, ſicut hoc lumen quod eſt in Ieruſalem. Sed patet, quod Deus non corporaliter illuminat, ſed ab eo ſimpliciter illuminantur; quoniam Pater luminis eſt, vt ſcriptum eſt: Si Chriſtus eſt Deus verus ex Deo vero, & per manus ſuas omnia creata & conſtituta ſunt, quæ ſunt in cœlo, non eſt neceſſarium vt lumen artificiale credatur; ſed opera manuum eius teneantur, agmina Angelorum & artificium elegans cœli, & cœli cœlorum, & oppoſitio terræ, & omne quod eſt in ea, & aquæ fluidæ cum omnibus ordinibus aereis mirabilibus. Quid dicitis? hæcne ſunt abiecta & nulla, vt celſitudinem Deitatis demonſtrent, quaſi egeat lumine artificiali? & ſi lumen eſt, quare in ignem conuertitur? & ſi omne lumen mutatur, & conuertitur in lumen, ergo lumen non eſt, ſed ignis eſt. Fortè ne probi homines propter eorum opera bona igne induuntur? abſit. Iuxta ſententiam errantium ita locutus ſum, qui afferunt ignominiam lumini totali. & vero: & lumini creatoris qui non pertranſit nec mutatur, nec perit, nec diminuitur, neque variatur, neque paruus fit. O animi perculſio magna: quoniam

niam aliquis homo ingreditur, poſtamque obſerat, & ille homo Deum orat, vt ſuper ſepulchrum filij ſui lumen deſcendere faciat: & ſi ille homo non vult, qui mediatorem inter Deum & hominem facit, lumen non deſcendit. Et ſi mihi dicitis, quod lumen verum eſt, & hncæ ſpatio dnrat, dum non accendit; quare cera lique fit, & lampas ſplendeſcit? Et ne decipiamini hac frigiditate, quam videris vnius horæ ſpatio durare; ecce S. Gregorius Nyſſæ, qui pluribus Canrica Canticorum Salomonis commentatus eſt, & ſcripſit de cynamomo, quod dum parum cynamomi in ollam feruentem proijcitur, ſtatim frigeſit, & erit ac ſi non iniectus eſſet ignis ſub eam. Eſt etiam lapis quem inuoluunt pannis lineis puris & candidis, & ad proximant ad carbones ardentes, & nunquam illi panni linei comburuntur: quoniam influxus lapidis à parte interiori caliditatem ignis prohibet, & nnnquam pannus ille interiectus inter lapidem & ignem comburitur: hoc enim oculis noſtris vidimus. Etiam eſt auis quæ fidenter in fornacem ignis ingreditur, & nunquam læditur. Etiam ſunt panni qui in igne mundantur: dumque ignis comburit eorum ſordes, à natura pannorum cohibetur ignis. Ignis etiam coopertus, parum caliditatis ſuæ naturæ oſtendit: Dum vero flat ventus, tunc magis & magis exardeſcit: hoc omnes fabriferrarij artifices faciunt, etenim cum volunt liquefacere opus manuum ſuarum, aerem addunt per follem igni atque ita opera ſua liquefaciunt. Hoc modo igne iſto cooperto per artificium, & velamina: parum caliditas eius diminuitur: & dum depromunt eum foras, & à vento percutitur, ſtatim ad priſtinam naturam ſuam redijt. Ignis vero diuinus apud Moyſen rogum accendebat, & rogus non comburebatur. Quare lumen ex ſepulchro Chriſti Domini, dum exit, comburit? lumen ne Dei comburit, & ignis non comburit? h.e. abſurdum. Verumtamen errorem errantibus relinquamus, & ſequamur veſtigia Orthodoxorum virorum arcana explorantium: ne impingamus in lapidem offendiculi, ne in fide debilitemur, & ſit pars noſtra cum hypocritis, & opprimentibus veritatem veri Dei. Et ipſe concedat nobis, vt enim agnnſcamus ſicut eſt, vt debilitas noſtra poteſt, per gratiam multæ ſuæ miſericordiæ in ſæcula ſæculorum. Amen.

Submiſſio Eliæ Patriar. Babyl. cenſuræ S. D. N. Pauli V.

In his dogmatibus, Elias Patriarcha Babylonis ad PAVLVM QVINTVM prouocabat, & prouocans inſtrui poſtulabat; illo ſolemni addito: *Videas, ſi eſt dolus in profeſſione noſtra, aut eſt error, aut receſſio quædam à matre noſtra Eccleſia Romana. Admone, & faciemus: doce & obediemus. Præcipe, omne quod ſcis, & decet, atque conuenit: & noſtrum caput ſubmiſſum eſt ante præceptum Tuæ dominationis. Omne id quod dicit, & admittit Tua Sanctitas, receptum eſt apud nos Orientales. Libri noſtri admonent nos, de Eccleſia Sancta, & Sede Apoſtolica Domini Papa Romæ, quoniam ipſe eſt* PATER PATRVM, CAPVT PASTORVM: *eum audite, & non declinate à præcepto ſuo. Et Patres noſtri Orientales, omnes eos qui ab Eccleſia Romana defecerint, excommunicarunt, & ſimul omnes conculcatores præcepti Domini Papæ, qui eſt loco S. Petri, Fundamenti Eccleſiarum, & Capitis Apoſtolorum.* Ad hunc modum, quod & Laurentius Surius vidit, *Pontificis Romani ſententiam & authoritatem, vniuerſus Orbis Chriſtianus ſemper agnouit, ſuſpexit, & reueritus eſt: quod eius pondere, ſuperiorum temporum omnes hæreſes mirabiliter ſint oppreſſæ atque eliſæ;* omnibus omnium ſæculorum Patribus, in rebus fidei, ad eius ſubſellia prouocantibus, & ab extremis etiam Orbis terrarum finibus accurrentibus.

Pontif Rom. ſententiam totus Orbis Chriſtianus ſemper agnouit. *In append. ad Chron. Naucl.*

CAPVT XVIII.

Pontifex Romanus, Apoſtolici Depoſiti Seruator.

Comparatio B. Petri, & Abrahæ quoad fidem.

PEtrum Apoſtolici Senatus Principem, & omnium Patrum Patrem Abrahamo Patriarchæ omnium credentium Parenti, Adam Babyloniæ Archimandrita, non immerito comparabat. Abraham, ſemel apud ſe depoſitam fidem, ſemper, ſancte, integre, etiam inter grauiſſima vitæ pericula, ſeruauit: neque vnquam, quamuis apud Ægyptios variorum portentorum inuentores peregrinaretur, variauit; & ab hac fide immobili, in ſpem, contra ſpem, Deum poſſe ſuſcitare quem parabat immolare Iſaacum, credidit. Non inferior illo Petrus, ſemel à Patre reuelatam fidem, & ſemel à Chriſto traditam doctrinam, ſemelque depoſitam Apoſtolicæ inſtitutionis traditionem, perpetuo, inuiolatam, illibatam, incorruptam, ſuæ origini conſtantem, ſiue coram Pontificum & Sacerdotum Concilio, ſiue coram Apoſtolorum Oecumenico cœtu, ſiue coram ſæculi Principibus, publice, priuatim, vinctus, carceri mancipatus, flagris cæſus, è ſynagogis eiectus, vrbibus pulſus, catenis conſtrictus, in crucem actus, viuens, morienſque ſeruauit, ac præterea pro Paſtorali in omnes Chriſti oues cura, illud pollicitus, curat, & curauit, & curabit; *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis. Non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.* Cordi Petri fuerat, vt oues, quas in ouili commiſſo relinquebat, ſemel ſibi traditam fidem & doctrinam, poſt eius obitum memoria retinerent neque vnquam variarent, Namque certò certiſſime ſciebat, non aliam præter hanc certiorem aut eſſe, aut inueniri poſſe. A magnifica Patris gloria, voce in Monte Sancto allata, audierat, quæcunque credenribus tradiderat. At apud Deum Patrem, *non eſt obnumbratio, aut viciſſitudinis mutatio*, quæ vel tenebras depellendas offundat, vel in horas & momenta aliud poſt aliud obtrudat, vel fabulas omnibus numeris nutantes, quas iniqui ſolent ad decipiendum conflare, componat: vt lucem, veritatem, & abſolutiſſima dogmata alibi quærere, & ſemel reuelatam à Patre luminum, & ab ipſa veritatis origine traditam doctrinam deſerere oporteat.

Petri conſtantia.

2. Pet. 1.

Cura Petri de ouili ſibi commiſſo.

Vnde D. Petr. doctrinam ſuam hauſerit

A magnifica Patris gloria in Monte Sancto allata.

Sapien. 7.

A ma-

A magnitudine ſplendoris diuinæ Sapientiæ in Monte Thabor.

A magnitudine ſplendoris diuinę ſapientię, in Monte Thabor, & olim in mente apparentis illuſtratus aſpexerat ille quem oculus non vidit. Cæterum illa, *vapor eſt virtutis Dei, & emanatio claritatis omnipotentis Dei ſincera, in quam nihil inquinatum incurrit; eſt etiam candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius*; à qua, *cum per nationes in animas ſanctas ſe transfert*, cumque *amicos Dei & Prophetas conſtituit*, *de ſurſum* deriuatur ſapientia, non illa *terrena* quæ in momenta nutat, non *animalis* quæ certa ratione non conſtat, non *diabolica* quæ multiformi caligine inumbrata, non *zelo amaro & contentione*, ex quibus *inconſtantia, & omne opus prauum* plena, vt in ſingulos motus temporis, aliud inquirere, & ſemel recepta eiurare cupido ſuccedat: ſed quæ perpetuo amplectenda, cuſtodienda, tenenda: eo quod ſit *inprimis pudica, deindè pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis*.

A Prophetico ſermone.

Præterea gloriabatur Petrus, ea quæ fidelibus communicauerat, ſe accepiſſe à *Prophetico ſermone*, quem ait *firmiorem habemus*. Itaq; iure merito illos laudabat, quod benefacerẽt, huic *attendentes, quaſi lucerna lucens in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur*, inquit, *in cordibus veſtris*: quam & firmior eſſet hic ſermo, omnibus vaniloquijs Pſeudoprophetarum; & lucerna eſſet lucens in caliginoſo mundi loco, vſque ad meridianam diem, & *omnis Prophetica ſcriptura*, non procedat aut à *propria interpretatione*, aut à *voluntate humana*, variare, & declinare, atque mentiri ſciente & ſolente: ſed à *Spiritu*, non quidam illo, qui Sedem, mentemque mutauit, quique in ſingulis ſtricturis ſeſe in Angelum lucis transfigurat, adeòque nutat, mutat, variat, mentitur, terrena cæleſtibus miſcet, figulinam vel carnis & omnis immunditiæ, vel ſapientiæ terrenæ & animalis, ac omnis vanitatis ad fallendum vertiginat, & fabulas pruritui aurium natas, in tenebroſo aliquo angulo: ipſe tenebris damnatus veterator concinnat: non ab hoc aio, Spiritu vertiginis, à quo magiſtri mendaces, ſectas perditionis introducentes, ſeducti, non docti, ſed *Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti homines*, congenea Spiritui inſpiratori. Eſt ille Spiritus *ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes Spiritus intelligibilis, mundus, ſubtilis*. Itaque à ſtabili, ſtabilia: à certo certiſſima, à ſecuro, ſemper ſibi conſtantia: ab omnem habente virtutem, malitiæ, fraudis, & doli priua: ab omnia proſpiciente, totius erroris expertia: à capiente omnes Spiritus, aduerſus omnes in ſancto malignantium fallacias inſtructa: ab intelligibili, præceptum Domini lucidum illuminans oculos: à mundo, eloquia Domini eloquia caſta, igne examinatũ argentum, probatum, candidum, purgatum ſeptuplum: à ſubtili, ſimplex, pura, eadem, & vniformis, perpetua veritatis oratio: ſupra quam nihil amplius, quam mendacium quærendũ.

Doctrina diabolica, & eius inſtabilitas.

Spiritus ſancti qualis, & qualis eius doctrina.

Petrus tenaciſſimus depoſiti doctrinæ veræ caſtos,

Ab hoc fonte vni trino tam ſublimen emanationem, & ab hoc inexhauſto diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei theſauro, tam diues depoſitum, Petrus nactus, mirum non eſt quod & ipſe toto conatu ſeruauerit, & ſucceſſoribus ſuis tum Paſtoribus, tum ouibus ſeruandum mandauerit: adeò vt ab eius monitis habuerit aliquando Paulus Coapoſtolus, nihil aliud magis quam ſemel traditæ, receptæque à primo Apoſtolorum doctrinæ, Timotheum recens creatum Epiſcopum, & Galathas de fide à nouatoribus rentatos, mouere. Timotheum quidem: *Depoſitum*, aiebat, *cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt*: Galathas vero ne ſe cito transferri ab eo, qui illos vocauerat in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium ſinerent: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizamus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico; Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Monebat: depoſitum cuſtodire. Quid eſt depoſitum? *i. e. quod tibi creditum eſt*, interpretabatur Lirinenſis, *non quod à te inuentum: quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenij, ſed doctrinæ, non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor eſſe debes, ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator: non ducens, ſed ſequens. Depoſitum*, inquit, *cuſtodi: Catholicæ fidei talentum inuiolatum, illibatumque conſerua. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepiſti, aurum redde: nolo mihi pro alijs alia ſubijcias: nolo pro auro, aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas: nolo auri ſpeciem, ſed naturam planè. Nam ſi ſemel admiſſa fuerit hæc impiè fraudis licentia, horreo dicere, quantum exſcindendæ atque abolendæ religionis periculum conſequatur. Abdicata etenim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoque atque item alia ac deinceps, alia & alia iam quaſi ex more & licito abdicabuntur. Porro autem ſingulatim partibus repudiatis, nihil aliud ad extremum ſequetur, niſi vt totum pariter repudietur. Sed & è contra, ſi nouitia veteribus extranea domeſticis, & prophana ſacratis admiſceri cœperint, proſerpat hic mos in vniuerſum neceſsè eſt, vt nihil poſthac apud Eccleſiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum: ſed ſit ibidem deinceps impiorum, ac turpium errorum lupanar vbi erat ante caſtæ & incorruptæ ſacrarium veritatis*. Pronum eſt, præſertim apud eos, qui, iuxta prædictionem Pauli, *cum ſanam doctrinam non ſuſtinuerint, ad ſua deſideria coaceruant ſibi magiſtros, prurientes auribus*: &, *qui à veritate quidem auditum auertunt, ad fabulas autem conuertuntur*.

Paulus ad Timoth: per depoſito cuſtodiendo.

Idem ad Galath.

Interpretatio depoſiti à Lirin.

Cap. 27.

Cap. 31.

Pſeudoeuangeliſtæ.

Hi ſi aliquem magiſtrum mendacem adepti fuerint, maximum in modum à ſimplicitate EVANGELII deficiunt, eo quod introducentes ſectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negantes falſi prophetæ, in quorum ore ſpiritus mendax reſidet, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, ſuperbi & nihil ſcientes, ſed languentes circa quæſtiones & pugnas verborum, vaniloqui, & ſeductores, qui veritate priuati ſunt, verboſi, curioſi, qui bonam conſcientiam repellentes circa fidem naufragauerunt, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam antiquitus traditam

tam

tam faciunt; qui intrant per domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs; qui ſemper diſcentes, & ad ſcientiam veritatis nunquam peruenientes; qui Chriſto Domino non ſeruiunt ſed ſuo ventri, qui extrinſecus amiciuntur ouina pelle, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, hi per dulces ſermones & benedictiones ſubuertunt corda innocentium, & vniuerſas domos peruertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Horum prophana vaniloquia, cum multum ad impietatem proficiant, & ſermo eorum ſerpat vt cancer, non abs re Diuus Paulus monebat, prophanas nouitates cauere, & depoſitum ſemel traditum adeò caute cuſtodire, vt ſi non tantùm ipſe, ſed etiamſi Petrus, etiamſi Andreas, etiamſi Ioannes, etiamſi poſtremo omnis Apoſtolorum chorus, aliud præter traditam doctrinam euangelizaret; anathema cunctis eſſet.

Quam caute doceat D. Paulus traditum cuſtodire depoſitum, vt etiamſi Angelus de cœlo aliud euangelizaret non ſit audiendus.

Neq; ſuffecerat ad cuſtodiam ſemel traditæ Fidei humanę conditionis commemoraſſe naturam, niſi Angelicam quoq; excellentiam cōprehēdiſſet; *licet nos*, inquit, *vt Angelus de cælo* Non quia ſancti cæleſteſque Angeli peccare iam poſſint; ſed hoc eſt quod dicit; Si etiam, inquit, fiat quod non poteſt fieri, quiſquis ille traditam ſemel fidem mutare tentauerit, anathema ſit. Neque hæc perfunctorie prælocutus eſt, aut humano potiùs impetu effudit, quam diuina ratione decreuit: ſed ingenti molimine iteratæ inſinuationis inculcauit; *Sicut prædiximus*, inquit, *& nunc iterum dico; ſi quis vobis euangelizauerit, præterquam quod accepiſtis; anathema ſit*, id eſt ſeparatus, ſegregatus, excluſus, ne vnius ouis dirum contagium, innoxium gregem Chriſti venenata permixtione contaminet. Ab hac Apoſtolica præmonitione *adnunciare aliquid Chriſtianis Catholicis*, concludit idem Vincentius Lirinenſis, *præter id quod acceperunt, numquam licuit, nuſquam licet, nuſquam licebit; & anathematizare eos qui adnuncient aliquid præterquam quod ſemel acceptum eſt, nunquam non oportuit, nuſquam non oportet, nunquam non oportebit. Nec eſſe debet aliquis, vel tantæ audaciæ, qui præter id quod apud Eccleſiam annunciatum eſt, annunciet; vel tantæ leuitatis, qui præter id quod ab Eccleſia accepit, alind accipiat: cum clamet, & repetendo clamet, & omnibus, & ſemper, & vbique per litteras ſuas clamet ille vas electionis, ille Magiſter gentium, ille Apoſtolus tuba, ille terrarum præco, ille cælorum conſcius, vt ſi quis nouum dogma annunciauerit anathematizetur.*

Cap. 4.

Magnę audaciæ eſt præter id quod apud Eccl. annunciare, & magnæ leuitatis præter id quod ab Eccleſ. acceptū eſt aliud accipere.

Nullus Romanorum Pontificum, non memor fuit tum monitionis Paulinæ, tum curæ Petri anteceſſoris, de depoſito doctrinæ Catholicæ ſeruando, & de prophanis nouitatibus vitandis. Non nemo enim illorum ſibi dictum putauit, quod olim Abrahamo progenitis dictum: *Attendite, ad PETRAM vnde excifi ſunt*: quam ille conſtans, quam firmus in doctrina ſemel tradita ſeruanda. Quamobrem ab illorum cura, quod etiam Caluinus hoſtis Eccleſiæ Romanæ acerrimus fatetur, *cum Orientales, & Græcæ Eccleſiæ, Africanæ etiam, multis opinionum diſſentionibus inter ſe tumultuarentur, Romana ſedatior alijs & minùs turbulenta fuit. Nam quominùs, ait, acuto & celeri ingenio ſunt Occidentales Aſiaticis & Afris, eo etiam ſunt rerum nouarum minùs cupidi. Hoc ergo Romanæ Eccleſiæ plurimum addidit auctoritatis, quod non ita dubijs illis temporibus tumultuata eſt, vt reliquæ, ac DOCTRINÆ SEMEL TRADITÆ FVIT ALIIS OMNIBVS TENACIOR*. Non potuit, non ad illud Caluinus reſpexiſſe; quod olim proximus Apoſtolorum temporibus Hegeſippus, fatebatur; *Cum eſſem*, inquit, *Romæ, manſi ibi vſque ad Pontificis Aniceti tempora, cuius tum quidem Eleutherus Diaconus erat. Huic ſucceſſit Soter: quo morte extincto, Eleutherus munus Epiſcopale capeſſit. Nulla Epiſcoporum Sedes, ſucceſſione ab Apoſtolis deducta, nulla Ciuitas, in qua non ita obſeruata eſſent omnia, vt lex præſcripſerat, docuerant Prophetæ & Dominus ipſe prædicauerat*. Nec ex vano iſta Hegeſippus confitebatur. Enimuero, quod S. Irenæus ſcribit. *ſub Clemente diſſenſione non modica inter eos qui Corinthi erant fratres facta, ſcripſit, quæ eſt Romæ Eccleſia potentiſſimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & reparans Fidem eorum, & annuncians, quam in recenti ab Apoſtolis receperant traditionem*.

Iſal. 15.

Rom. Eccleſ. doctrinæ ſemel traditæ fuit omnibus illis tenacior teſte ipſemet Caluino.

Inſtitut. cap. 8. num. 103.

Hegeſipp. de Eccl. Rom. doctrinæ Catholicæ tenaciſſima obſeruatrice.

Apud Euſeb. hiſt. lib. 4. c. 21.

Lib. 3. cap. 3.

Quomodo Roman. Pontif. memores fuerint depoſiti ſeruandi.

Proculdubio non annunciaſſet Clemens, Petri ſucceſſor, eam quam ab Apoſtolis recens acceperat doctrinam, niſi & ipſe eam conſtantiſſime detinuiſſet, & Apoſtolici Depoſiti verus Seruator eſſet. Sother, non minùs, quā Clemens ſemel traditam ab Apoſtulis doctrinā, ſeruauit, ac tradidit. Cum enim ipſi illi Corinthij, de dogmatibus diſſeutirent, & ad Sotherem controuerſias detuliſſent, ipſe ad Petram vnde exciſus fuerat attendens, non variauit, ſed ad præſcriptum antiquitatis reſcripſit. Tanti fuit apud illos Pontificium oraculum, vt Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus illi ſignificauerit; *In hoc ſacro die Dominico veſtram epiſtolam legimus, quam ſemper (ſicuti etiam priorem à Clemente miſſam) ad noſtram inſtitutionem legere ſolemus*. Dionyſio ſubſcribit S. Irenæus, nulla alia aduerſus hæreſes tunc inſurgentes præſcriptiones, quam hac, quod Eccleſia Romana ſemel traditam doctrinam retineret, vſus. *Maximæ*, inquit, *& antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus Fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, iudicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præterquam quod oportet, colligant. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem printipalitatem, neceſsè eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt vndique fideles; in qua ſemper ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt, ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Cum enim ſucceſſiſſet Aniceto Sother, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherius. Hac ordinatione & ſucceſſione, ea quæ ab Apoſtolis, in Eccleſia traditio, & veritatis præconiatio peruenit vſque ad nos. Et eſt pleniſſima hæc oſtenſio, vnam & eandem viuificatricem Fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis vſq; nunc ſit conſeruata, & tradita in veritate.*

Clemēs Chorinth. id inculcat.

Sother ijſdē

Quanti apud illos fuerit Pont. oraculū

Euſeb. lib. 4. c. 22. lib. 3. c. 3.

S. Irenæi contra hęreſes validiſſimum argumentum ab eo quod Eccleſ. Rom. ſemel traditam doctrinam retineret.

Sancti

Zepherin. Pōtif. & alij aſſertores Cath. Eccleſ contra Marcion. & alios hæret. ſemel ab Apoſtol. receptæ doctrinæ argumento vſi.
Irenæ.-7.

Sancti Irenæi temporibus, cum ferè omnes Orientales, quo die Paſcha Dominicum celebrare deberent, primo Victorem, deindè Pium Romanum Pontificem conſuluiſſent; hi ab Apoſtolis Petro, & Paulo traditæ retinentes doctrinæ, iuxta conſuetudinem Romanam, die Dominico celebrandum eſſe reſponderunt, Eccleſiæ enim per vniuerſum Orbem diſperſæ, conſuetudinem ex Apoſtolica traditione ad hoc vſque tempus continuatam tenebant, vt non alio die, quam quo Seruator à mortuis reſurrexit (hoc eſt Dominico) ieiunia diſſoluerentur, & myſterium reſurrectionis Domini celebraretur, vt Clemens memorabat. Cæterum, cum eodem tempore, Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus & cæteri ſui temporibus, puriſſimo Euangelij tritico zizania infauſtum ſuperſeminaſſent, atque iſtud ferè ad maturam meſſem excreuiſſet, non alia falce, quam ſemel ab Apoſtolis receptæ doctrinæ, à Tertulliano Carthaginenſi; à Victorino Pictauien. & alijs adſertoribus Eccleſiæ Catholicæ, maximè vero à Zepherino Vrbico Pontifice ſucciſum eſt, vt Optatus Mileuitanus, & ipſe Tertullianus narrabat. Neque alia ratione, idem Praxeas, quo tempore Orthodoxiam profiteaatur, Zepherinum, à quo ſectatores Montani communicatorias ſubripuerant, ad eorum execrationem induxit, & litteras pacis iam emiſſas reuocare, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare coegit, quam *præceſſorum eius authoritatis*, vt ait Tertullianus, *defendendo*, qui Depoſiti Apoſtolici integerrimi fuerunt Seruatores.

Lib. 7. contra Parmenian.

Aduerſ. Praxeam.

Quāto ſtudio Stephan. PP. martyr defendens ſuſceptæ ſemel religionis integritatem contra Agrippinum Carthag. Epiſc. & eius ſequaces.
Cap. 9.

Iam tum mos iſte in Eccleſia viguit, vt quo quiſq; foret religioſior, eo promptius nouellis adinuentionibus contrairet. Religioſiorem vero omnium habebat Romanum Pontificem: quamobrem illum cenſebant præ alijs antiquitatis debere eſſe cuſtodem. Stephanus Papa Martyr dedit exemplum, quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione, beatorum Apoſtolorum beata ſucceſſio defenderit ſuſceptæ ſemel religionis integritatem. Factum ſcribebat Lirinenſis. Quondam venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, primus omnium mortalium contra diuinum canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem ac inſtituta maiorum rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantùm mali innexit, vt non ſolùm hæreticis omnibus formam ſacrilegij, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præbuit erroris. Cum ergo vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua verſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur, tunc Beatæ memoriæ Papa Stephanus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit; dignum, vt opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantùm fidei deuotione vinceret, quantum loci authoritate ſuperabat. Denique in epiſtola, quæ tunc ad Africam miſſa eſt, idem his verbis ſanxit; *Nihil nouandum, niſi quod traditum eſt.* Intelligebat etenim vir Sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, qua fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filijs conſignarentur; noſque religionem, non qua vellemus ducere, ſed potiùs qua illa duceret, ſequi oportere: idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ, non ſua poſteris tradere, ſed à maioribus accepta ſeruare. Fuit vniuerſi negotij exitus, vtique vſitatus & ſolitus; *Retenta eſt antiquitas, exploſa nouitas*, ſancitum decretum, cuius Cyprianus meminit; *ſi quis à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innouetur, niſi quod traditum eſt, vt manus illi in pœnitentiam imponatur.*

Propriū Chriſtianæ modeſtiæ non ſua poſteris tradere, ſed à maioribus accepta ſeruare.
Epiſt. ad Pompeium.

Quomodo alij Rom. Pontif. Apoſtolici Depoſiti ſeruatores integerrimi fuerint contra hæreſes inſurgentes.
Lib. de ſentent. Dionyſ. Alex.

Paulo poſt, cum Sabellius, Paulus Samoſatenus, & alij, Verbi Dei incarnati hoſtes, pars diuinitatem, pars humanitatem, pars perſonam & ſubſiſtentiam Filio Dei detraheret, Dionyſius Romanus Epiſcopus, nonniſi ex ſemel ab Apoſtolis doctrina relicta, Chriſtum, verum eſſe Dei Filium, Deum de Deo, in tempore hominem factum oſtendit, adeoque Depoſitum Apoſtolicum aduerſus phalangas dæmonis inuiolatum ſeruauit: vt Athanaſius commemorat. Ab hac Dionyſij ſententia, docti ſubſequentes Pontifices, Melchiades, Syluester, Marcus, Iulius, Liberius, Felix, fortiſſimi aduerſus Arrianos Antagoniſtæ, antiquam Fidem de Chriſto vero Deo & homine retinendam ſibi cenſuerunt, & hoc ſcuto inexpugnabili nouas vocum formulas ab aduerſarijs excogitatas repulerunt, Apoſtolici Depoſiti Seruatores. Rectè D. Marcus Papa, propterea quod tam ipſe, quam reliqui maiores ſui, Fidem Orthodoxam ab omni nouitio errore incontaminatam, adeoque virginem integram, quemadmodum acceperant inuiolatam ſeruaſſent, in laudibus ponebat, Athanaſio & omnibus Ægyptijs Epiſcopis ſcribens; *Sanctam Romanam Eccleſiam ſemper immaculatam manſiſſe, eamdemque Beato Petro Apoſtolo opem ferente, in futuro firmam & immobilem omni tempore manſuram eſſe, quod Dominus fidem Beati Petri non defecturam promiſit, & confirmare, eum fratres ſuos admonuit: quod*, inquit, *Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores ſemper feciſſe, cunctis eſt cognitum*, qui non feciſſent, ſi ipſi in Fide nutaſſent; Nutaſſent porro, ſi antiquæ Fidei non retinentes eſſent, Non aliud de Eccleſia Romana, hoc tempore quo Marcus, teſtimonium ferebat, ex Græcis Sozomenus: *Eccleſia verſus Solem obeuntem*, ait, *quoniam PATRVM Decretis ritè gubernata erat, omnino à contentione & captioſis verborum argutijs, quæ indè naſci ſolent, libera & vacua fuit. Nam quamuis Auxentius Epiſcopus Mediolani, & Valens, & Vrſatius ex Pannonia oriundi impensè laborarent, opinionem Arrij in illum imperij partem traducere; tamen eorum conatus haudquaquam ſucceſſit ex ſententia: quandoquidem Sedis Romanæ Antiſtes, & alij Epiſcopi, & Sacerdotes ſtudioſè præcauerunt, & illius hæreſis germina amputarunt, antiquitatis ab authoritate Apoſtolicæ Sedis retinentes.*

D. Marcus PP. Ægypti. Epiſcop. de Rom. Eccleſ. ſemper immaculata.

Sozomeni teſtimonium ex Græcis.
Lib. 3. cap. 12.

De Liberio ſanè eodem tempore Magnus Athanaſius ſcribebat, quod *quum* illum Arriani *vidiſſent Orthodoxum, & oſorem quidem Arrianicæ ſectæ, ſtudioſum vero in hoc, vt cunctos ab ea hæreſi retraheret, ſtu ſecum cogitarunt: Si Liberum in noſtram ſententiam traxerimus, omnes breui ſuperabimus.* Itaque Imperatori Conſtantio perſua-

Ad ſolitariam vitam agentes.

Quid Imper. Conſtantio Liberius PP. reſpondent contra Arrianam hæreſim.

perſuaſerunt qui Liberium donis & litteris, in communicationem, cum Arrianis adduceret. Cæterùm ille cum & Athanaſium, damnare, & Arrianis communicare detrectaſſet hoc ſcutum aduceſus hoſtes exeruit; *Non ita ſe habet Eccleſiaſticus canon, neque vnquam accepimus talem à Patribus traditionem, quam ipſi à Beato & Magno Apoſtolo Petro acceperunt. Quod ſi Imperator curam ſuam pro Eccleſiaſtica pace interponere quærit, aut ſi ſcripta à nobis pro Athanaſio deleri iubet; deleantur quoque ea quæ contra illum ſcripta ſunt, fiatque deiuceè Eccleſiaſtica Synodus longè à Palatio, vbi nec Imperator præſto eſt, nec Comes ſe ingerit, nec Iudex minatur, & vbi ſolus timor Dei ad omnia ſufficit, & APOSTOLORVM INSTITVTIO; vt eo in loco ante omnia Eccleſiaſtica Fides aſſeratur, quemadmodum à PATRIBVS deffinitum eſt in Nicæno Concilio, vtque qui Arrianicæ ſectæ ſunt, eijciantur, & eorum hæreſis anathemate damnetur, ac deindè iudicium de Athanaſio fiat.* Cum vero ad Imperatorem illum pertraxiſſent, magna quoque & ibi libertate dicendi vſus eſt. *Define*, inquiens, *perſequi Chriſtianos. Ne tenta per me hæreticam impietatem in Eccleſiam introducere. Ad omnia potiùs ſuſtinenda parati ſumus, quam nos Chriſtiani eo deueniamus, vt Arriani appellemur. Ne coge nos fieri Chriſti perduelles.*

Lib. 4. c. 7. Sozomenus in epiſt. ad Himer. Tarraconen. apud Conſtantiũ Auguſt.

Poſtulauit deindè ab Imperatore, refert Sozomenus, *vt Fides in Concilio Nicæno tradita, ſubſcriptionibus omnium vbique Epiſcoporum confirmaretur, neque quicquam præter id quod traditum eſt nouaretur*: quod & ipſe *Concilium Ariminenſe profana nouitate infame condemnaſſet*; ſolùm vertere, quam Fidem prodere magis promptus. Hæc etiam aliquando Imperatori Conſtantio ſcribebat; *Ad iſtud officium, teſtis eſt mihi Deus meus, inuitus acceſſi. In quo cupio quidem ſine offenſa Dei quamdiù in ſæculo fuero, permanere: & nunquam mea ſtatuta, ſed Apoſtolica, vt eſſent ſemper firmata ac cuſtodita perfeci; ſecutus morem ordinemque Maiorum, nihil addidi Epiſcopatus vrbis Romæ, nihil minui paſſus ſum. Et illam fidem ſeruans, quæ per ſucceſſionem tantorum Epiſcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres extiterunt, illibatam cuſtodiri ſemper exopto.*

Fint ſeruãdæ traditæ fidei ſtudium.

Iſta quidem de ſeipſo Liberius: qui quod illibatam Fidem ſemper cuſtodiſſet, & quam ſine ruga, & ſine macula, nihil habentem huiuſmodi quale ſolent opiniones & ſectæ habere, acceperat, Virginem doctrinam, Damaſo ſucceſſori reliquiſſet, is vero nullo nouitio colore candorem illius denenuſtaſſet, neque integritatem illius aut corrupiſſet, aut adulterari toleraſſet, quin potiùs aduerſus Macedonium, Apollinarem, Timotheum & alios Nouatores, integram quemadmodum à maioribus ſuſceperat, aduerſo pectore defendiſſet. VIRGO, VIRGINIS ECCLESIÆ DOCTOR, à D. Hieronymo audiuit. Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius AAA. edicto Conſtantinopoli promulgato, cum *vniuerſos populos, quos*, aiebant, *Clementiæ noſtræ regit imperium*, ad religionem Chriſtianam adſtringerent, *in tali volumus*, iubebant, *religione verſari, quam Diuum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio VSQVE ADHVC ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret.*

Damaſus Virgo Virginis Eccl. Doctor à D. Hierony. mo dictus. Apolog. pro lib. aduerſus Iouin. De ſumma Tri.

S. Ambr. eundem Rectorẽ Domus Dei, ac depoſiti Apoſtolici vigilantiſſimum Seruatorem appellabat. In 1. Timoth. c. 3. l. 10. in ep.

Non minora S. Ambroſius Damaſo tribuebat, quem *Rectorem Domus Dei, quæ columna & firmamentum eſt veritatis*; & quid niſi Depoſiti Apoſtolici vigilantiſſimum Seruatorem, appellabat. Namque & illud Siricio eius ſucceſſori adſcribebat: *Fideliter commiſſam tibi ianuam ſeruas, & pia ſolicitudine Chriſti ouile cuſtodis, dignus quem oues Domini audiant & ſequantur.* Cum vero nonnulli hæreticorum, per ſtultas adinuentiones conarentur, ſemel traditam Apoſtolicam doctrinam, conuellere, & Ambroſius illos hortaretur, vt Symbolo Apoſtolorum potiùs quam nouicijs opinionibus crederent, *addebat: quod Symbolum Apoſtolorum, Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit ac ſeruat*: Romano Pontifice non nemine eius Depoſiti Seruatore.

Ibidem.

Optat. Mileuit. Parmen. Donatiſtæ vni cam veritatis cathedram eſſe quæ in vrbe Rom. eſſe oſtendebat. Lib. 2.

Optatus Mileuitanus, in eadem cum Sanctis Hieronymo atque Ambroſio, de anteceſſoribus Sirlcij atque ipſo Siricio, quod antiquæ Fidei retinentes eſſent, fuit ſententia. Vnicam veritatis Cathedram, aduerſus peſtilentiæ cathedras, à Chriſto in Orbe erectam, Parmeniano Donatiſtæ oſtendebat: eamque in vrbe Roma, Petro primo eſſe collatam, negari non poſſe oſtendebat. In hac itaque *prima de dotibus cathedra*, quod poſt alios Romanos Pontifices, quos ordine enumerabat, Iulij Liberium, Liberij Damaſum, Damaſi Syricium, *qui noſter*, aiebat, *eſt ſocius, cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum in vna communionis ſocietate concordat*, ſucceſſorem collocabat: proculdubio Doctorem Veritatis, Oſorem vanitatis, Seruatorem antiquitatis, exſortem nouitatis, Socium Orthodoxorum totoque Orbe Catholicorum Fidelium Patrem appellabat.

S. Auguſt. Donatiſt. ordinẽ Rom. Epiſc. ſibi ſuccedentium qui omnes traditæ doctrinæ ſeruatores fuerunt opponit. Epiſt. 165.

Ferè eadem S. Auguſtinus Donatiſtis opponens, cum ordinem Epiſcoporum Romanorum ſibi ſuccedentium, à Diuo Petro vſque ad Anaſtaſium Syricij ſucceſſorem percenſuiſſet, conſtanter incaluit: *In hoc ordine ſucceſſionis*, inquiens, *nullus Donatiſta* ſcilicet nullus deſertor traditæ doctrinæ, nullus Nouatot, *Epiſcopus inuenitur*: Sed omnes in eandem cathedram, veritatis, à veritate ipſa annunciatæ, ſuccedentes, ac per manus ſibi inuicem, eandem aduerſus omnes portas inferi munitam relinquentes.

Hieron cõtra nouatores. Apol. 3. in Ruf.

Hunc ipſum Anaſtaſium Romanum Pontificem, cum Ruffinus per varias technas conaretur ſeducere, atque innouato Origenis fermento corrumpere, Diuus Hieronymus illum admonebat: *Scito Romanam fidem Apoſtolica voce laudatam iſtiuſmodi præſtigias non recipere: etiamſi Angelus aliter nunciet, quam ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritate munitam, non poſſe mutari.* Alijs quoque edicebat,

Epiſt. ad Pãmachiũ, & Oceanũ.

Quiſquis es aſſertor nouorum dogmatum, quæſo te, vt parcas Romanis auribus, parcas Fidei quæ Apoſtoli voce laudata eſt. Fruſtra poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus. Fruſtra profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt. Oſtendere voluit Hieronymus, Romani Pontificis aures, ad omnem nouitatem ſurdas fuiſſe, eſſe, & fore æternum.

Innoc. Pont. Eugub. Epiſc. & Patribus Conc Mileu. Epiſt. ad Donatum.

Fucre Innocentij, Anaſtaſio ſuccedentis, ad omnes venenati ſerpentis ſibilos, non molliore cera ſignatæ. Itaque fidem-

ſidenter Eugubino Epiſcopo præſcribebat, *ab omnibus debere ſeruari, id quod*, ait, *à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac NVNC VSQVE cuſtoditur: nec ſuperinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum*. Patribus quoque Concilij Mileuitani, quid in controuerſia Pelagianorum decreuiſſet, interrogantibus, ſe veteris Apoſtolicæ Doctrinæ Cuſtodem, aſſeruit. *Antiquæ*, inquit, *regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab Orbe mecum noſtis eſſe ſeruatam*. Ad quod reſpiciens Diuus Auguſtinus, ac Iuliano Pelagiano ſpondens, *ſi*, ait, *Beatum Innocentium audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes*, affirmabat: *Nihil enim potuit vir ille Sanctus Africanis reſpondere Concilijs, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perſeueranter Eccleſia*. Ad idem, & S. Hieronymus aſpexit, cum Demetriadem aduerſus profanas hæreticorum nouitates præmuniret. *Quia*, inquit, *cognoui, in quibuſdam pullulare venenata plantaria, te præmonendam puto, vt Sancti Innocentij, qui Apoſtolicæ Cathedræ, & Anaſtaſij ſucceſſor, & filius eſt, teneas Fidem, nec peregrinam doctrinam recipias*, ſcil. ſciebat Innocentium, Depoſiti Apoſtolici fidum Seruatorem: quemadmodum, & Sanctus Auguſtinus eidem ſuffragium ferebat, dicens, *in litteris venerabilis Innocentij, de paruulis, niſi baptizarentur in Chriſto, in æterna morte manſuris, Catholicæ fidei clarere antiquitatem, vt ideo profectò Eccleſiæ Romanæ præuaricator foret, quicumque ab illa ſententia deuiaſſet*.

Pelagian. Auguſt. Iul. *Apud Aug. ep. 93. Cont. Iul. l. 1.*

S. Hieron. De metr: *In epiſt.*

S. Auguſt. de Innoc. Pont. *Lib. 2. contra duas epiſt. Pelagianorum c. 4.*

S. Auguſt. de Innoc. Pont. *lib. 2. contra duas epiſt. Pelagianorũ c. 4.*

Idem teſtimonium de Zozimo Innocentij ſucceſſore, perhibebat Auguſtinus, cum recitaſſet eius illa verba; *Chriſti illud propagatione contractum Chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per Baptiſmum liberetur, non tenetur obnoxius. In his etiam verbis Apoſtolicæ Sedis*, inquit Auguſtinus *tam antiqua, atque fundata, certa, & clara eſt Catholica fides, vt nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano*.

Idem de Zozimo.

Iam eodem tempore, cum ranæ quædam, & cniphes, & muſcæ morituræ, quales erant Pelagius, & Neſtorius, & hoc Catholicos ſuaderent, vt ipſis authoribus, principibus, expoſitoribus damnarent quæ tenuerant, tenerent quæ damnarent, & antiquam fidem, paterna inſtituta, maiorumque depoſita reijcerent, nulli magis pro ſeruanda retinendaque antiqua doctrina, quam Depoſiti Apoſtolici perpetui Seruatores Romani Pontifices ſteterunt. In Gallijs, Pelagij ſectatores plurima nouabant. Habuit itaque Cæleſtinus I. Gallicanorum Epiſcoporum conniuentiam arguere, quod antiquam fidem ſilentio deſtituentes, prophanas nouitates exurgere paterentur. *Merito*, inquit, *cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio foueamus errorem. Ergo corripiantur huiuſmodi; non ſit ijs liberum, habere pro voluntate ſermonem. Deſinat, ſi ita res eſt, vt apud me quidam, Vrbes, & prouincias veſtras criminantur, quod eas quibuſdam nouitatibus conſentire, noxia diſſimulatione faciatis, deſinat inceſſere nouitas vetuſtatem*. Cum autem Neſtorius, Chriſti, & Deiparentis aduerſarius, in tantum blaſphemiæ protuliſſet, vt nonniſi ex ſententia

Rom. Pontif. contra Pelagianos.

Cæleſtinus I. Gallicanos Epiſc. redarguit quod nouitates diſſimularẽt. *apud Lirinen. c. 41. & 42.*

Concilij eius prophanationi poſſet obuiam iri; Cæleſtinus miſſa legatione, præ cæteris omnibus curauit, vt ſacratæ vetuſtatis dogmata, Patres Concilij Epheſini, attenderent, prophanæ vero vetuſtatis adinuenta damnarent. In eo Concilio, cum de faciendis fidei regulis diſceptaretur, ne qua illic forſitan prophana nouitas in modum perfidiæ Ariminenſis obreperet; præeunte Cæleſtino Romano Pontifice, & Cyrillo Alexandrino eius Vicario, vniuerſis Sacerdotibus, qui illo ducenti fore numero conuenerant, hoc Catholiciſmum, feliciſſimum, atque optimum factu viſum eſt, vt in medium Sanctorum Patrum ſententiæ proferrentur, quorum alios martyres, alios Confeſſores, omnes vero Catholicos Sacerdotes fuiſſe, & permanſiſſe conſtaret; vt ſcilicet ritè atque ſolemniter ex eorum conſenſu atque decreto, antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ nouitatis blaſphemia condemnaretur. Inter alios, S. Capreoli Epiſcopi Carthaginenſis epiſtola quæ poſtulabat, *antiquæ fidei dogmata confirmari, nouitia verò, & ſuperflua adinuenta, & impiè promulgata reprobari atque damnari*, in Concilio lecta; Cyrillus cum alijs Epiſcopis acclamauit; *Hæ omnium voces ſunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum eſt. Cæleſtinus authoritate* præfiniebat, vt quod erat antiquitus traditum teneretur, quod nuper adinuentum exploderetur. Scripta ad Synodum epiſtola, in qua hæc præ alijs: *Præſtemus diligentiam prædicatis; poſt quæ, monente Apoſtolo, nullam prædicationem iubemur admittere. Non eſt minor tradentis officio, cuſtodia traditorum. Illi iecerunt fidei ſemen; noſtra hæc ſollicitudo cuſtodiat, vt incorruptam, & multiplicem fructum, noſtris patris familias aduentus inueniat. Agendum eſt labore communi, vt credita, & per Apoſtolicam ſucceſſionem huc uſque detenta, ſeruemus*. Iſta Patribus Epheſinis Cæleſtinus. Meruit iſtud quod adſcribo, à Proſpero Aquitanico elogium: *Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui ad Catholicæ Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, & prædeceſſorum ſtatuta ſeruabat, & decreta Synodalia inuiolabiliter ſeruanda cẽſebat: vt quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquã admitteret retractari*.

Cæleſtinus Patribus Conc. Epheſ. pro ſeruandis traditionibus contra Neſtorianos.

Exempla Cæleſtin. Pp. ad Syn. Epheſ. *c. 1. Conſil.*

Elogiũ Proſper. Aquit. de Cæleſt. Pp.

Lib. cont. Collatorem.

Cæleſtino Sixtus ſuccedens, paria anteceſſori præſcripſit, in epiſtola, quam de cauſa Neſtorij Antiocheno miſit Epiſcopo. *Ergo*, inquit *quia ſicut ait Apoſtolus, Fides vna eſt, quæ euidenter obtinuit dicenda, credamus, & tenenda, credamus. Nihil vltra liceat Nouitati, quia nihil addi conuenit vetuſtati, perſpicua maiorum fides, & credulitas nullo cœni permixtione turbetur*. Omnino ex ſenſu Apoſtolico, maiorum credulitatem perſpicuitatis lumine ornauit, nouitias vero prophanitates cœni permixtione deſcripſit, has vt obrueret atque extingueret, illam vero vt fidelibus commendaret. Neque vero in ea tantum Neſtorij, ſed & in Pelagij cauſa, Xiſtus antiquitatis ſeruatorem ſeſe oſtendit. *Iulianus Pelagiani erroris aſſertor, correctionis ſpem præferens, moliebatur in communionem Eccleſiæ irrepere. Sed his inſidijs Xiſtus vigilanter occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus patiro permiſit, & ita omnes Catholicos defectione fallacis beſtiæ gaudere fecit, quaſi tunc primum*

Quomodo Xiſtus Pont antiquitatis ſeruator fuerit contra Neſt. & Pelag.

Proſ. in Chron.

ſuperbiſſimam hæreſim Apoſtolicus gladius obtruncaſſet.

Theodor. de Eccleſ. Rom. epiſt. ad Renatum preſb.

Propter hanc Apoſtolici pectoris, intuendo ſacro Depoſito conſtantiam Theodoretus, Sedem Apoſtolicam cuncti Orbis Eccleſiarum gubernacula tenere aſſeuerabat; *tum quia ſemper hæretici fœtoris*, inquit, *exors permanſit: tum quia nullus vnquam qui contraria ſentiret in ea ſedit: quin potius non nemo Apoſtolicam gratiam inuiolata cuſtodiuit*.

Quid Leo Pp. Anaſt. Theſſalon. præſcribat. ep. 87. & 83. & 75.

Leo ſanè Xiſti ſucceſſor cuſtodiuit, qui Anaſtaſio Theſſalonicenſi ſcribens, præſcripſit: *Deffinitiſſimum eſt*, ait, *in noſtræ communionis numero non futuros eos, qui conantur antiqua Catholicæ fidei fundamenta conuellere*, &: *Confeſſiones Epiſcoporum, Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiſcum veſtræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem Beati Petri Apoſtoli, generali prorſus deffinitione caſſamus*, &, *Fraternitas tua per idoneam maximè aptamque perſonam pleniſſima nobis relatione ſignificet, quid contra antiquam Fidem nouitatis emerſerit, quod ſeueriori ſententia dignum fuerit vendicari. Nam & Eccleſiaſtica moderatio, & religioſiſſimi Principis fides multam nobis ſollicitudinem Chriſtianæ pacis induerunt, vt amputatis diſſenſionibus, Fides Catholica inuiolata ſeruetur: & his qui praua defendunt ab errore reuocatis, noſtra auctoritate quorum Fides probata fuerit muniantur. Ideo quia dilectio tua de tanta cauſa nos videt neceſſario eſſe ſollicitos, quam pleniſſimè nobis, & lucidè vniuerſa: quod ante facere debuit, indicare feſtinet: ne inter aſſertiones partium aliqua ambiguitate fallamur: & diſſenſio, quæ in ſuis initijs abolenda eſt, nutriatur: cum in corde noſtro ea obſeruantia, Deo inſpirante permaneat, ne Conſtitutiones venerabilium Patrum diuinitùs roboratæ, & ad ſoliditatem Fidei pertinentes, praua cuiuſque interpretatione violentur*.

Ad Flauian.

Idem Patribus Concil. Chalcedon. pro ſeruanda ſemel tradita doctrina.

Flauiano Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, antequam Concilium Chalcedone, aduerſus profanas Eutychetis, aliorumque hæreticorum profanas nouationes indixiſſet, ſcribebat; hancque Fidei auitæ ſeruandæ promptitudinem Theodoſio Marciano, Leoni, & Pulcheriæ Auguſtis, Iuliano Epiſcopo Coenſi, Fauſto, Marciano, & reliquis Archimadritis, necnon omnibus Patribus, Calcedone in Oecumenica Synodo congregatis, datis litteris indicabat; & ne vel latum crinem à ſemel tradita doctrina recederent, præter ea quæ ipſe ex Sacris Scripturis, & tradita à maioribus doctrina, de Fide ad Flauianum, Patribus in Concilio legenda ſtylo veritatis conceperat, S. Hilarij Epiſcopi, & Confeſſoris, S. Gregorij Nazianzeni, S. Ambroſij Epiſcopi, & Confeſſoris, S. Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani, S. Auguſtini Epiſcopi Hipponenſis, & S. Cyrilli Archiepiſcopi Alexandrini teſtimonia, ſecundum quæ aduerſus Nouatores pronunciarent, miſerat; exemplo anteceſſoris Cæleſtini, qui etiam Concilij Epheſini Patribus, Petri Alexandrini, Magni Athanaſij, Theophili Alexandrini, Gregorij Nazianzeni, Magni Baſilij, Gregorij Niſſeni, Felicis, & Iulij Romanorum, Cypriani Carthaginenſis: & Ambroſij Mediolanenſis ſententias de Fide tradita deſtinauerat, quorum Beata illa Synodus doctrinam tenens, conſilium ſequens, credens teſtimonio, obediens iudicio, abſque odio, præſumptione, & gratia de fidei regulis pronunciauit.

Tom. 2. Concil.

Poſt lectionem epiſtolæ Pontificis Leonis atque auctoritatum miſſarum, Patres antiquitatis non ignari, Leoni, vero Apoſtolici Depoſiti Seruatori, tunc demum acclamauerunt; *Hæc Patrum Fides: hæc Apoſtolorum Fides. Omnes ita credimus Orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus eſt. Apoſtoli ita docuerunt. Piè & verè Leo docuit, anathema ei qui ſic non credit. Hæc vera fides. Catholici ita ſapimus. Hæc Patrum fides. Hæc Dioſcorus occultauit*.

Acclamatio Patrũ Conc.

Cum verò idem Pontifex, Synodi Calcedonenſis Fidem, calculo ſuo probaſſet, ac nonnulli hæreticorum ſubdolis fraudibus illam labefactare, eaque propter Legatos à Sede Apoſtolica, coram quibus, de Fide tradita inquiſitio fieret, poſtularent, illoſque tandem Leo, Imperatoris Leonis precibus fatigatus ablegaſſet, qua de cauſa illos mitteret, Leoni Auguſto ſignificabat: nimirum, *non ad confligendum cum hoſtibus Fidei, nec ad certandum contra illos: quia de rebus*, ait, *& apud Nicæam, & apud Calcedonem, ſicut Deo placuit definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit authoritas. Nimis indignum, nimiſque iniuſtum eſt, eos ad libertatem diſceptationis admitti, quos ſignificat Spiritus Sanctus per Prophetam dicens: Filij alieni mentiti ſunt mihi*.

Ep. 78.

Studium Leoni Pp. contra nouitates. ep. 101. 102. 103.

Iam idem Pontifex, Timotheo Æluro Sedem Alexandrinam infauſtis nouitatibus polluere, Fidemque Patrum Calcedonenſium ſubuertere conante, nihil non apud Leonem Imperatorem egit, vt Nouatorem quam longiſſimè eijceret. Timotheum verò Solofaciolum eidem Sedi præfectum monebat, elaboraret, ne vel Neſtoriani dogmatis, vel Eutychiani erroris, vel alicuius alteriùs prophanæ nouitatis vllum in Dei populo poſſit reperiri veſtigium. Clerum etiam requirebat, vt idipſum omnes, & ſentirent, & dicerent: auro dignum illud proponens: *VERITATEM VERITAS NON RECIPIT*.

Aurea Leon. ſententia.

Hilarius Pp. doctrinæ a Patribus traditæ cuſtos.

Hilarius Leoni ſuccedens, ne hilum quidem à retinenda Patrum doctrina receſſit. Pelagianorum reliqui in Gallijs, ſopitos vel extinctos ignes excitabant. S. Cæſarius Arelatenſis, & S. Eucherius Lugdunenſis Archiepiſcopi, vna cum cæteris Gallicanis Patribus, totum quod accideret ad Hilarium detulerant. Is porrò ſemel traditæ doctrinæ retinens, *capitula quædam, quæ ab antiquis Patribus de certis ſcripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collata ſunt, ad docendos eos, qui aliter quam oportet ſenſerunt, ab omnibus obſeruanda* conſulentibus tranſmiſit; quæ cum illi in Concilijs, Arauſicano, Carpentoratenſi, & Vaſenſi renunciaſſent, hortabantur: *Qui huiuſque non ſicut oportebat, de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea quæ Fides Catholica conuenuint, animum ſuum inclinare non differat*. Ab hac conſtanti antiquitatis obſeruatione perſuaſi Hiſpanorum, & nonnulli Gallorum Epiſcopi; in cauſis grauiſſimis Hilarium compellantes, in Synodo Romana iſtud vnicum ab eo flagitabant: *Vt ſeruetur antiquitas, rogamus*. Reſpondit Hilarius, quod Seruatorem antiquitatis decebat; *Nulli fas ſit ſine ſtatu ſui peri-*

In Concil.

peri-

periculo, vel diuinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare. Acclamatum eſt ab Epiſcopis: *Hilario vita. Iſta per Sanctum Petrum, vt in perpetuum ſeruentur, optamus.* Supp at Hilario Simplicius.

Simplicius Zenoni Hiſpalen. Epiſc.

Is Zenonem Hiſpalenſem Epiſcopum, pro ſe Vicarium inſtitués, imponebat: *Apoſtolicæ inſtitutionis decreta, inquit, vel Sanctorum terminos Patrum nullo modo tranſcendi permittas.* Quod autem in Oriente Timotheus Ælurus, eiecto Soloſaciolo, noua dogmata ſpargeret, Eccleſiamque Alexandrinam impius patricida nouitio errore fædaret, Zenonem Imperatorem B. Apoſtoli Petri voce obteſtatus eſt;

In epiſt. R. P.

Vt, inquit, *inimicos antiquæ Fidei, non ſinas impune graſſari, qui veſtros optatis hoſtes habere ſauictos.*

Idem Zenoni Imp. contra Thimoth. Ælurum.

Cum verò hæreticus perſuaſor temeritate diabolica Fidem Calcedonenſem vndique exſibilaret, Simplicius Zenonem iterum pollulauit: *quod tot tantique Pontifices*, ait, *& tam egregijs Orthodoxiſque Pontificibus vniuerſalis Eccleſiæ decreuit aſſenſus, Calcedonenſis Synodi inſtituta, vel ea quæ Beatæ memoriæ prædeceſſor meus Leo Apoſtolica eruditione perdocuit, intemerata vigere iubentis; quia nec vllo modo retractari poteſt, quod illorum definitione ſopitum eſt, nec vlterius recipi, toties vno vndique ore damnatum.*

In epiſt. R. P.

Simplicio non impar animo Felix Romanus, etiam ipſe Acatium Conſtantinopolitanum, ſemel receptæ Fidei admonebat, *vt Catholica Fides, apud Chalcedonenſem Synodum roborata, & iterum firmata reſponſis omnium qui in eadem reſederunt Domini Sacerdotum, quam inopinato rurſus hæreticorum prauitas inquietabat, communi opere inimicis proprijs ſubiacere non permitteretur oppreſſa.*

Fælix contra Petrum Gnapheum Fullonem.

Petrus Gnapheus Fullo, Eutychianus, Apollinariſta, & Sabellianus, Trinitatem propter nos Crucifixam, & non Chriſtum, blaterabat, vnum Filium in dualitatem filiorum diuidebat, & vt hymni, quos Cherubim cum tremore Trinitati inceſſanter emittunt, ad Trinitatem glorificandam non referantur, ſed vt totus hymnus ad Filium referretur contendabat. Aduerſus hunc, qui Petri Apoſtoli nomini non conſentiebat, neque Fidei parentem illum eſſe cognoſcebat, quinimò vltra modum ab eius intentione recta inuiolabilique Fide deuiauerat; & aduerſus eos qui non erubeſcentes Euangeliorum venerabiles characteres, neque horum ſequacium Apoſtolorum, perfectorumque virorum doctorum ſermones, inconſtanti ſententia, iniquis eius traditionibus incumbebant, Felix ſpiritu Apoſtolico infremuit, non aliud quærens, quam vt errones à caldiſſima nouitate recederent.

Gelaſius contra Zenonem & Baſiliſcum Auguſtos.
In epiſt. R. P.

Felicem Gelaſius excepit, non minus Apoſtolici Depoſiti Seruator. Contra Zenonem, & Baſilicum Auguſtos, Felix & Simplicius, propter paternam hæreditatem ne illam aut proderent, aut deſererent, aduerſo robore ſteterunt pro eadem quoque ſeruanda, Gelaſius,

Exhortatio Gelaſij ad Anaſt. Imp.

Anaſtaſij Imperatoris terrores necquicquam extimuit, ſed Fidem Patrum excindere per nouationes contendenti, *noſti fili clementiſſimè*, ait, *quod licet præſideas humano generi dignitate, verum tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis; quanto potius Sedis illius Præſulis conſenſus eſt adhibendus, quem Chriſti vox prætulit vniuerſis, quem Eccleſia veneranda confeſſio ſemper eſt, & habet deuota Primatem.* Hortabatur porro, ne Patrum hæreditaria dogmata inuerteret, neuè aliqua nouitatis macula candorem antiquitatis obſcuraret, aut macularet. Nam *hoc eſt*, ait, *quod Sedes Apoſtolica magnopere cauet, vt quia mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla ruga prauitatis, nulla prorſus contagione maculetur.*

Gelaſius Euphemio Conſtant. Patr. depura paternæ traditionis fide.

Non etiam permiſit, aut tolerauit tunc temporis Gelaſius, per rimam communionis, quam Euphemius Conſtantinopolitanus Patriarcha miſſa Legatione ambiebat, fures & latrones ad ſurripiendum auitæ Fidei theſaurum irrumpere, aut penetrare. Nam ad antiquitatis regulam prouocans illud ei reſcripſit; *Fuit quondam Eccleſiaſtica vetus hæc regula apud Patres noſtros, quibus vna Catholica Apoſtolicaque communio ab omni præuaricatorum libera pollutione conſtabat, ne Nouatores ad communionem admitterent. Nos certè præſtantes Deo noſtro ſinceram puramque paternæ traditionis fidem, communionemque eam retinere ab omni præuaricatorum contagione diſcretam, etiam intentato mortis periculo optamus; eligentes, ſi velit Deus, qualibet illa perpeti, quam cauſas incidere damnationis æternæ.*

Addidit prætereà, ſe Depoſiti Apoſtol. Seruatorem oſtendere, quod poſt veteris, & noui teſtamenti Scripturas, etiã Quatuor Synodos, ſuſciperet, id eſt, *S. Synodum Nicænam trecentorum decẽ & octo Patrum, mediante maximo Conſtãtino Auguſto, in qua Arius hæreticus condemnatus eſt; Sanctũ Synodum Conſtantinopolitanam, mediante Theodoſio ſeniore Auguſto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit: Sanctum Synodum Epheſinam, in qua Neſtorius condemnatus eſt, conſenſu Beatiſſimi Cæleſtini Papæ, mediante Cyrillo Alexandrinæ Sedis Antiſtite, & Arcadio Epiſcopo ab Italia deſtinato: Sanctam Synodum Chalcedonenſem, mediante Marciano Auguſto, & Anatolio Conſtantinopolitano Epiſcopo, in qua Neſtoriana, & Eutychiana hæreſes, ſimul cum Dioſcoro eiuſque complicibus damnata ſunt.*

Exprobat Piceni, & Illyrici Epiſc. quod ab antiqua doctrina Cath. receſſerint.

Ab hac Fidei Paterna regula quam ingenuè profeſſus fuerat, habuit Epiſcopis Piceni & Illyrici exprobare, quod Patrum terminos tranſgreſſi, miſerabili cuidam ſeni Senecæ, adhæſiſſent; homini *ab omni intelligentia extraneo, qui puritatem relinquens doctrinæ Catholicæ, in Pelagianæ Voraginis cæno velut vna ranarum Apocalypticarum impudenter immerſus, inque illa fæce horribiliter volutatus, vnus fuit de illis, de quibus dicit Petrus Apoſtolus;* Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captione, & pernicie, in his quæ ignorant blaſphemantes in corruptione ſua, peribunt recipientes mercedem iniuſtitiæ.

Arguis Epiſcopos Dardaniæ, quod nonnullas pſeudoſynodorum corruptelas admiſerint.

Ab hac eadem vetuſtatis cuſtodia, Epiſcopos Dardaniæ, nonullas pſeudoſynodorum corruptelas præterquam quod antiquitus receperant, admittentes, arguebat, moremque receptum illis in cuſtodienda à Sede Apoſtolica auita Fide illis oſtendebat; *Vniuſcuiuſque*, ait, *Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſia probauit aſſenſus, nullum exequi Sedem præ cæteris oportet, quam primam: quæ & vnamquamque Synodum, & ſua auctoritate confirmat, & CONTINVATA MODERATIONE CVSTODIT, pro ſuo ſcilic. Principatu, quem Beatus Petrus Apoſtolus Domini*

voce

voce perceptum, Eccleſis nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper & retinet.

Symmachi Pap. ſtudium pro fide Patrum conſeruanda.

Gelaſio æqualis Symmachus, is cui aliquando Orientalis Eccleſia ſcripſit: *Quotidiè à Sacro Doctore tuo Petro doceris, oues Chriſti per totum habitabilem mundum tibi creditas paſcere*: contre eundem Anaſtaſium Imperatorem, Synodum Calcedonenſem euertere per Monitorium nouitium editum cogitantem, Depoſitum Apoſtolicum ſeruauit. Cum enim ſciret, totum ferè Orientem per Seuerianos, alioſque Nouatores ope Imperatoris ſubnixos, miſceri, profanaque hæreticorum corruptela fœdari, vniuerſis Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Archimandritis, & cunctis ordinibus, & populis Dardaniæ, Illyrici, & vtriuſque Thraciæ ſcripſit, ne Fidem Patrum relinquerent. Ab eius Magiſterio, erupit illa Theodoſij Cœnobiarchæ ad Imperatorem oratio: *Cum hæc duo ſint nobis propoſita, ò Imperator, vel turpiter & illiberaliter viuere conſentiendo Acephalis, vel honeſtè mori ſequendo recta Patrum dogmata: ſtatuto à nobis mortem eſſe præferendam. Tantum enim abeſt, vt hæc noua ſequamur dogmata, vt non ſolum in loco manſuri ſimus præcedentes Patrum leges ſequentes, ſed eos etiam, qui præter hæc alia tueri ſubſtinuerint, piè abdicabimus, & ſubyciemus anathemati: ſed nec vllum ex Acephalis ordinatum ſuſcipiemus. Abſit, vt hæc fiat, ò Rex Chriſte. Et ſi tale quid contigerit, veritatis præſidem Deum teſtantes, vel potius illum ipſum, qui nunc ab ipſis maledictis & blaſphemijs appetitur, vſque ad ſanguinem reſiſtemus: & quomodo pro patria, ita pro recta fide lubenter animas profundemus. Nos nequaquam admittemus aliquid ſentire, (tantum abeſt vt dicere) quod diſcrepet à Sanctis & Oecumenicis Concilijs. Aduerſus hæc, & ignis accendatur, & enſis acuatur, & mors quoque nobis acerba afferatur, imo vero ſi fieri poſſit, pro vna innumerabiles: non vero unquam prodemus veram religionem, neque ea quæ rectè placuerunt Patribus, ea abrogando probra efficiemus. Teſtes ſint earum ſudores, quos pro Fide ſuſceperunt, & multæ dimicationes: ſed ea manebant firma & immobilia, & apud nos, & apud eos quos ſas eſt, & Deum. & nos ſequi.*

Theodoſij Cœnobiarchæ ad Anaſt. Imper. oratio, qua animi ſui cōſtantiam pro Patrum legibus ſequēdis.

Addebat furenti Anaſtaſio Theodoſius, à Sede Apoſtolica edoctus: *ſi quis quatuor ſanctas Synodos, non tanti eſſe exiſtimat, quanti quatuor Euangelia ſit anathema.*

Hormiſda miſſis ad eundem Anaſtaſ. legatis eaque à Patrib. ſancita ſunt à generalitate ſeruari vult.

Symmachum Hormiſda ſecutus parem in ſeruando Apoſt. Depoſito, vigilantiam, atq; conſtantiam adhibuit. Miſſis namq; ad Anaſt. eundem Legatis, nihil aliud vt efficerent præcepit, quam, ne Conſtituta Patrum corrumpantur: vtque ea quæ à Patribus ſancita ſunt à generalitate ſeruentur, vt Synodus Chalcedonenſis, & epiſtolæ S. Leonis Papæ, contra hæreticos Neſtorium, Eutychetem & Dioſcorum ſcriptæ, ab omnibus ſuſciperentur. Vt in his fides Catholica, quam prædicauerunt Apoſtoli, & ſine qua nullus poteſt eſſe Orthodoxus, à Generalitate ſacerdotum teneatur, & prædicetur, quia tunc (iniungebat: dicerent Imperatori) vera & ſancta vnitas poteſt eſſe inter Eccleſias Chriſti, ſi Deo adiuuante, hoc quod prædeceſſores veſtri Marcianus & Leo cuſtodierunt, elegeritis eſſe ſeruandum. Iam cum ſecundo, alios Legatos in Orientem ire iuſſiſſet, theſſeram Fidei cui Epiſcopi ad Eccleſiam reuertentes, charactere antiquitatis in fronte ſignauit; *Prima*, ait, *ſalus eſt regulam rectæ Fidei cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenus deuiare: quia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc quæ dicta ſunt rerū probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica, immaculata eſt ſemper ſeruata religio. Ab hac ergo Spe & Fide ſeparari minimè cupientes, & Patrum in omnibus ſequentes conſtituta, anathematizamus omnes hæreticos.* Nicopolitano quoque & omnibus Epiri Epiſcopis, communionem ſanctorum, non propter aliud, quam propter ſeruatam auitam Fidem, probataque ab eis quatuor Concilia impertiuit, hoc adiuncto præcepto: *Amplectimini gratiam traditionis antiquæ, & in illius inconuulſi fundamenti ſtabilitate perſiſtite non cum temporibus corda mutantes.* Idem etiam Romanus Pontifex Hormiſda, cum Saluſtio Hiſpalenſi Epiſcopo, vt & prouincijs longinquitate diſiunctis Pontificis Romani exhiberet perſonam iniungeret, committebat: *& Patrum Regulis adhiberet cuſtodiam.* Tam diligentem Paternorum dogmatum cuſtodiam, videns in Hormiſda Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus ante alios innumerabiles Quatuor Synodorum prædicatores ſubſcribens, teſtabatur ab ipſis rerum euentibus, *quia in Sede Apoſtolica inuiolabilis ſemper Catholica cuſtoditur religio*: data ad Hormiſdam Synodica. Item Afri, & inter hos Eulalius Carthaginenſis Epiſcopus, ſcriptis Bonifacio litteris, cubitalibus notis exarauerant: *In ſede Apoſtolica, extra maculam ſemper eſt Catholica ſeruata Religio*: quibus etiam Procopius hoc tempore ſubſcripſerat; *Chriſtianæ Fidei diſciplinam ſi alij vmquam, Romani præcipuè ſunt venerati.* Mira, mira valdè tunc mutatio Conſtantinopoli, ab Hormiſdæ indeficienti Fide, accidit. Omnes enim conclamabant; *Vincit fides Trinitatis, vincit fides Orthodoxorum. Seuerum Manichæum eijce. Effodiantur oſſa Manichæorum. Sancta Synodus modo prædicetur, digna Trinitate. Maria Theotocos digna eſt throno. Sancta Maria, Dei genitrix eſt. Qui non anathematizat Seuerum, Manichæus eſt. Fratres Chriſtiani, vnanima fides eſt, non eſt ſingulariter.* His acclamationibus, Ioannes Patriarcha iam ab Hormiſda confirmatus addebat: *Fundamentum Fidei Sanctum, Sanctorum Patrum traditione firmum permanere, gratia Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti ſtudnimas ſperantes & per ipſum diſſidentes Eccleſias vnire, & vndique ordinationem diuinorum canonum inuiolabiliter tenere. Neque enim aliquid conceditur remoueri, & de nouitate vocis, & ſubtilitate ſermonis aucupare fideles, ſed adhærere ſancto Symbolo in quo omnes baptizati ſumus, & quod cum ſancto Spiritu Nicæna Synodus exclamauit, & ſanctorum Patrum Conſtantinopoli congregatio confirmauit, & ſancta Synodus Epheſina confirmauit, & ſancta magna Synodus Chalcedonenſis ſimiliter ſigillauit: quam nullo modo, aut ratione amouere quis poterit eum omnem malè opinantibus tollat occaſionem. Hanc fidem immobilem tenentes adinuicem, non dubitemus: ſed omnem vocis nouitatem, ac omnem ſermonis ſubtilitatem abijcientes, vno ore ſanctam,*

Primam ſalutem eſſe dicit rectam fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Patrum non deuiare.

Epiſc. Epiri obſeruatam auitam fidei communionē ſanctorum impertit.

In Sede Apoſtol. inuiolabilis ſemper cuſtoditur Cathol. religio. lib. 1. de bello Gothor. Zonaras in Iuſtino.

Mira Cōſtantinop. mutatio ab indeficienti Hormiſdæ Pp. fide.

& con-

& conſubſtantialem Trinitatem glorificemus.

Hæc Conſtantinopoli, præſente Iuſtino Imperatore, & Euphemia Auguſta, à diſciplina Hormiſdæ, Depoſiti Apoſtolici Seruatoris, qui etiam Scythas quoſdam ſpecie non veritate, profeſſione non opere Monachos, quod Hymno ter ſancto nouitias adinuentiones adderent, perſtringebat; *Numquam*, ait, *apud eos charitas nouo commendata præcepto, unnuquam pax Dominico relicta diſceſſu: vna pertinacis cura propoſiti: rationi velle imperare, non credere: contemptores auctoritatem veterum, nouarum cupidi quæſtionum: ſolam putantes ſcientiæ rectam viam, qualibet concepta facilitate ſententiam: eouſque tumoris elati, vt ad arbitrium ſuum vtriuſque Orbis putent inclinandum eſſe iudicium: nec in numero fidelium deputantes, ſequaces traditionis paternæ. Si ſuæ viderint cedere nolle ſententiæ, docti crimina ſerere, obtrectationum venena componere, integrum Eccleſiæ corpus odiſſe, ſeditiones inſtruere, inuidiam concitare, & pro obedientia quæ in cænobijs principatum regularis obtinet diſciplina, obſtinationem pertinacis amare ſuperbiæ.* Iſta in Monachos: hæc Iuſtino Imperatori, ne quippiam nouaret; *Cauenda eſt*, inquit, *ſubtilium magna circumſpectione calliditas: qui ingerunt difficilia, dum nituntur labefactare compoſita. Ipſam tibi mecum, venerabilis fili, crede Eccleſiam Dei ſupplicare, vt eam ſine macula, & ruga (ſicut ſcis Domino placere) cuſtodias: nec in eu oculus ille qui peruigilat, nouum aliquem, quem auerſetur aſpiciat. Ama, quod à Deo compunctus elegiſti, & intemeratum ſerua illud, cuius purus eſſe voluiſti. Rogo, clementiſſime Imperator, ne me aut ad deſerenda hæc quæ dudum beneplacita ſunt, aut mutanda compellas. Vox enim illa auribus meis indeſinenter immurmurat: quia nemo manum ad aratrum mittens, & poſt ſe reſpiciens, aptus eſt regno Dei: quia pænitentia malorum eſt operum, non bonorum. Pudor etiam nobis non eſt, ea quæ ſunt à prædeceſſoribus noſtris prædicta reuoluere. Neq; enim poſſibile eſt, vt ſit diuerſitas prædicationis, vbi vna eſt forma veritatis: nec ab re iudicabitur alienum, ſi cum his cum quibus conuenimus fide congruamus, & dogmate. Poſt decreta Synodica, & Beati Papæ LEONIS conuenientia ſacra fidei conſtituta, nihil amplius, (ſi tamen fidei terminum ſeruat) quamlibet curioſus ſcrutator inquirat, aut opere, aut inſtitutione perfectius. Niſi forte mauult quiſpiam dubitare, quam credere, certare quam noſſe, ſequi dubia quam ſeruare decreta. Eadem, ſi recenſueritis, inuenietis in noſtris.* Hæc Iuſtino Pontifex Hormiſda, Apoſtolicorum dogmatum Seruator. Iuſtino Imperatori, Iuſtinianus Imperator ſuccedens, Ioannem ſecundum & tertium, Agapetum, Silucrium, Vigilium, & Pelagium Pontifices Romanos, eiuſdem Apoſtolici Depoſiti Seruatores oſtendit.

In quoſdam nouātes Monach. Scythas inuehitur.

Iuſtino Imp. ne quippiam nouaret mandat. ep. 75.

Non poteſt eſſe diuerſitas prædicationis vbi vna eſt forma veritatis.

Ioannis ſecundi, in Nouationem illorum ipſorum Monachorum hæc eſt diſerta profeſſio: *Tomum Papæ Leonis, omneſque epiſtolas, nec non & quatuor Synodos, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, ſicut Romana hactenus ſuſcepit & veneratur Eccleſia, ſequimur amplectimur, atque ſeruamus. Hoc eſt enim noſtræ fidei firmamentum, hæc eſt fidei noſtræ petra firmiſſima.* Addebat; *vnum de Trinitate, in carne paſſum, confitendum eſſe; ſed hoc tamen Hymno Triſagij non addendum eſſe.*

Profeſſio Ioann. II. contra nouatores Monach.

Sanctus Agapetus amplius dixit: *Si quis Catholicæ noſtræ Fidei contraire tentauerit, quam pro ſubmouenda hæreticorum ſuſpicione paternis regulis conſentaneam præſenti definitione firmamus, ſanctæ communionis efficiatur extraneus.*

S. Agapetus Pap.

Sanctus Silucrius, potius in exilium abire, quam paterna Orthodoxorum dogmatum hæreditatem Iuſtiniano & Theodoræ Aug. prodere voluit: quem Vigilius ſecutus, & ab vnctione Pontificia in alterum virum mutatus, iamque Depoſiti Apoſtolici fidus Seruator factus, grauiſſimas calamitates propter Synodi Calcedonenſis authoritatem tuendam ſuſtinuit; nec prius in damnationem Trium Capitulorum ſubſcripſit, quam à metu numquam exſcindendi ſchiſmatis fuiſſet coactus.

S. Siluerius. & Vigil. Pa. fidei Depoſiti Apoſtolici Seruatores.

Pelagius, vt ſe rectæ Apoſtolorum doctrinæ, & Patrum inhærere veſtigijs demonſtraret, poſtquam ſanctas 4. Oecumenicas Synodos, vtpotè ſancto firmatas Spiritu probaſſet, addebat; *epiſtolas etiam Beatæ recordationis Papæ Cæleſtini, Sixti, & præ omnibus B. Leonis, necnon etiam ſucceſſorum eius Hilarij Simplicij, Felicis, Gelaſij, Anaſtaſij, Symmachi, Hormiſdæ, Ioannis, Felicis, Bonifacij, Ioannis alterius, & Agapeti, pro defenſione fidei Catholicæ, & pro firmitate ſupradictarum quatuor Synodorum, & contra hæreticos, tam ad Principes, quam ad Epiſcopos, & quoſlibet alios, per Orientem, & Illyricum & Dardaniam, aliaſque prouincias diuerſis temporibus miſſas, inuiolabiliter, adiuuante Chriſto Domino noſtro me cuſtodire profiteor. Cum hac profeſſione me viuere opto, cum ipſa ante tribunal Chriſti aſſiſtere; per hanc à peccatis meis abſolui me credo, & ad dexteram gloriæ diuinæ miſericordiæ deportandum.*

Pelagij ſe Patrum veſtigijs inhærere demonſtrantis profeſſio.

Ioannes etiam III. contra impugnatores traditæ fidei, tam conſtans, vt Anaſtaſius Antiochenus Epiſcopus Iuſtiniano in Aphtardocitarum hæreſim lapſo, illud Paulinum ſæpius inculcauerit: *Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, etiamſi Angelus de cælo ſit, anathema eſto.*

Conſtantia Ioann. III. aduerſus impugnatores traditæ fidei.

Anteceſſoribus ſuis, S. Gregorius Magnus in Apoſtolico Depoſito ſeruando non inferior. Ferè enim ſub initium Pontificatus, Patriarchis, Ioan. Conſtantinopolitano; Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Ioanni Hieroſolymitano, Anaſtaſio exuli, & omnibus vniuerſi Orbis Epiſcopis, Profeſſionem Fidei ſuæ miſit, in qua ſicut S. Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſe ſuſcipere & venerari profitebatur. *Quintum quoque Concilium pariter*, ait, *veneror. Quiſquis verò aliud ſapit, anathema ſit.* Cum autem Theodelinda Longobardorum Regina, nonnihil de eo ſubdubitaret, miſſa illi eadem profeſſione ſuæ Fidei præſcripſit. *Cum integritatem noſtram ex aperta mea traditione, ſeu profeſſione cognoſcitis dignum eſt, vt de Eccleſia Beati Petri Apoſtolorum Principis nullum vlterius ſcrupulum dubietatis habeatis, ſed in vera fide perſiſtite, & vitam veſtram in Petra Eccleſiæ, hoc eſt in confeſſione Beati Petri Apoſtolorum*

S. Gregorius Magnus profeſſionem fidei ſuę diuerſis mittit. lib. 1. ep. 1 a 4. & ſeq.

lib. 3. epiſt 42.

Prin-

Principis ſolidute. Iam Monothelitarum hæreſi temporibus Heraclij Imperat. à Patriarchis Alexandrino & Conſtantinopolitano excitata, Honorius metuens prophanas vocum nouitates; vt ne vel Neſtorianorum, vel Eutychianorum hæreſes, ab vnius, vel duarum voluntatum vocabulis, ſuſcitarentur: ne quid *intereu nouaretur* probibuit: & Chriſtum verum Deum & hominem, in duabus naturis perfectis volentem & operantem confitendum eſſe cenſuit: Depoſiti Apoſtolici verus Seruator. Cum autem puritatem intentionis Honorij, Monothelitæ in confirmationem ſui erroris traherent, Theodorus illius ſucceſſor neceſſitate adductus, voces duarum voluntatum & operationum, non quidem damnatas, ſed tantiſper interdictas donec exitus monſtraſſet, quo Nouatores collimarent, admiſit, atque duas voluntates, & duas operationes, quas etiam Honorius in Chriſto agnoſcebat, confitendas decreuit; vterque autem Fidei acerrimus defenſor ac cuſtos: niſi quod Honorius cautus, tunc cum à fraudibus hæreticorum caueret, atque ſtatueret, ne quis voces profanas introduceret, ſed confitendo duas in Chriſto naturas perfectas, inconfuſas, de reliquis voculis ſilentium teneret, nec quicquam præter id quod traditum eſt innouaret.

Honorius, & Theodorus auitæ fidei acerrimi cuſtodes in negotio duarum voluntatum operationum

Damnato, de vna voluntate & operatione in Chriſto, à Monothelitis excitato errore, ſtabiliroque de duabus voluntatibus, & operationibus dogmate, tam conſtantes eius doctrinæ aſſertores fuere Pontifices, vt S. Martinus pro defenſione illius ærumnis in exilio confici maluerit. Iure optimo Stephanus Dorenſis Epiſcopus, Sophronij Patriarchæ Hieroſolym. & aliorum Epiſcoporum Legatus, pro Concione in Synodo Romana Martinum Regni cæleſtis Clauigerum ſalutauit, quod is pro Paſtorali officio, Superiorum Pontificum imitatione, Depoſiti Paterni Seruator, videretur, atque eſſet Cuſtos eius Sedis, *vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt*, vt Sophronius appellabat. Neque falſus fuit, aut Stephanus, aut Sophronius quando Claues huius regni cæleſtis, auitæ Patrum doctrinæ, Martino adſcribebant. Namque eam Fidem quam per manus Apoſtolicorum anteceſſorum, & ipſe ſeruauit, & alijs ſeruandam, integris hac de re canonibus, in Concil. Rom. editis aperuit. Ex his poſtremus quia tenacem antiquitatis compendio oſtendit, placuit illum iſthic adijcere.

S. Martinus Pap. pro defenſione dogmatis de duabus voluntatibus ærumnis in exilio confectus.

Si quis, inquit, *ſecundum ſceleroſos hæreticos, quocumque modo, aut verbo, aut tempore, aut locò, terminos remouet illicitè quos poſuerunt firmius ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ Patres, id eſt ſanctæ & vniuerſales Quinque Synodi, nouitates temere exquirere, & Fidei alterius expoſitiones, aut Typos, vel leges, aut definitiones, vel libellos, aut epiſtolas, aut conſcripta, aut ſubſcriptiones, aut teſtimonia falſa, aut Synodos, aut geſta monumentorum, aut ordinationes vacuas, & Eccleſiaſticæ regulæ incognitas, aut loci ſeruaturas incongruas & irrationabiles; & compendioſe: ſi quid aliud impiiſſimis hæreticis conſuetum eſt agere, per diabolicam operationem tortuoſè & callidè agit, contra pias Orthodoxorum Catholicæ Eccleſiæ, hoc eſt dicere paternas eius & ſynodales prædicationes, ad euerſionem ſinceriſſimæ in Dominum Deum noſtrum confeſſionis, & vſque in finem ſine pænitentia permanens hæc impiè agit, huiuſmodi in ſæcula ſæculorum condemnatus ſit: & dicat omnis populus, Fiat, Fiat.*

Canon S. Martini Pap. in Conc. Rom. pro antiquitate tenenda.

Iſta Martinus veteris Fidei retinentiſſimus, qui etiam, cum Ioanni Philadelphiæ Epiſcopo, vt Fidem Catholicam in Oriente ex præſcripto Quinque Synodorum prædicaſſet, committeret, præſcribebat; *Defenſores diuinorum canonum, & Cuſtodes ſumus non præuaricatores*. Ferè iiſdem verbis Eugenius Vitalianus, & Adeodatus Martini ſucceſſores Monothelitarum nouitates iugulabant, Vetuſtatem omnibus ante omnia commendantes. Agatho tum miſſa legatione, tum Concilio Oecumenico apud Trullum Conſtantinopoli indicto, in eadem antiquitatis cuſtodia peruigilans, inprimis Conſtantino Pogonato, deinde Patribus, quam Fidem & doctrinam cuſtodiret ſignificauit, Imperatori quidem, *Quam*, inquit, *percepimus per Apoſtolicum Apoſtolicorumque Pontificum traditionem, & Sanctarum quinque vniuerſalium Synodorum per quas fundamenta Catholicæ Chriſti Eccleſiæ firmata, atque ſtabilita ſunt*, & poſtquam de duabus voluntatibus, & duabus operationibus profeſſionem ſcripſiſſet; *Hæc eſt*, ait, *Apoſtolica atque Euangelica traditio, quam tenet Spiritalis veſtri feliciſſimi Imperij mater Apoſtolica Chriſti Eccleſia. Hæc eſt mera confeſſio pietatis. Hæc eſt Chriſtianæ religionis vera, atque immaculata profeſſio, quam non humana adinuenit verſutia, ſed Spiritus ſanctus per Apoſtolorum principes docuit. Hæc eſt vera fidei regula, quam & in proſperis, & in aduerſis viuaciter tenuit, ac defendit hæc Eccleſia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit, ſed vt ab exordio Fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata ſine tenus permanet. Conſideret itaque veſtra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Saluator omnium cuius fides eſt, qui Fidem Petri non defecturum promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit: quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis profeſſores conſitenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum, quorum & puſillitas mea, licet impar & minima, pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio pediſſequa cupit exiſtere. Væ enim mihi, ſi veritatem Domini mei, quam illi ſinceriter prædicarunt, prædicare neglexero.*

Ioan. Philadelph. Epiſc. Martin. Pap. ſcribit.

Alij Rom. Pont. veteris fidei retinentiſſimi.

Agatho Pap. Conſtantino Pogonato Imper. quam fidem, & doctrinam cuſtodiat, ſignificat.

Eadem planè & Patribus Concilij Trulliani præſcribebat, vtque huic vetuſtæ Fidei ſubſcriberent curabat, illa interpoſita apud Imperatorem ſupplicatione; *Eximenda proinde, ac ſummis conatibus cum Dei præſidio liberanda eſt Sancta Dei Eccleſia Chriſtianiſſimi veſtri Imperij de talium Doctorum erroribus. vt Euangelicam atque Apoſtolicam Orthodoxæ fidei rectitudinem, quæ fundata eſt ſuper Petram huius Beati Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiæ, quæ eius gratia, atq; præſidio ab omni errore illibata permanet, omnis Præſulum numerus ac Sacerdotum, Cleri ac populorum, vnanimiter ad placendum Deo, animamq; ſaluandam, veritatis formulam Apoſtolicæ traditionis nobiſcũ confiteatur ac prædicet.*

Curat vt Patres Trulli Concil. huic vetuſtæ fidei ſubſcribant interpoſita apud Imper. ſupplicatione.

Occidentales centum viginti quinq; Epiſcopi Conſtantino Auguſto datis litteris glo-

Quid Occid. Epiſc. Conſtant. Aug. de

Depoſiti Apoſtolici cuſtodia.
Act. 4. Syn. 6.

riabuntur, ab hac Pontificum Romanorum in Depoſito Apoſtolico ſeruando vigilantia, apud ſuas quoque Eccleſias, intemeratum eouſque perſeueraſſe. Namque aiebant: *Lumen Catholicæ atq; Apoſtolicæ Fidei per Beatos Petrum & Paulum Apoſtolorum Principes, eorumque diſcipulos & Apoſtolicos ſucceſſores gradatim vſque ad noſtram paruitatem, Dei opitulationem ſeruatum eſt, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falſitatis nebulis confædatum, nec intermixtis hæreticis prauitatibus velut caliginoſis nebulis perumbratum, immune, atque ſincerum, & ſuis radijs perluſtratum, pijſſimis conatibus conſeruare cupit veſtrum à Deo coronatum faſtigium. In hoc enim, tam Apoſtolicæ Sedis, quam noſtri exigui famulatus prædeceſſores vtque hactenus non ſine periculis deſudarunt, nunc decretali communione cum Apoſtolicis Pontificibus conſulentes nunc Synodali definitione, quæ veritatis regula continebat omnibus innoteſcentes, & terminos quos tranſgredi nefas eſt, vſque ad animæ ipſius exitum conſtanter defendentes.*

Hæc illi Conſtantino, quo intercedente, cum Patres Trullani formulam Fidei ab Agathone ſcriptam ſubſcripſiſſent, communibus ſuffragijs conclamarunt: *Summus nobiſcum concertabat Apoſtolorum Princeps. Illius enim imitatorem, & Sedis ſucceſſorem habuimus fautorem, & diuini Sacramenti myſterium illuſtrantem per litteras Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur. Tamquam ipſius diuini Petri vocem, Agathonis relationem ſuperadmirati ſumus:* ſcilicet, Verus Apoſtolici Depoſiti Condus Promus Agatho ſeſe oſtenderat. Hoc mortuo, cum & Imperator, & Patres Trullani, Sedis Apoſtolicæ voluntatem in recipienda Fide ſextæ Synodi inquirerent, Leo Agathonis ſucceſſor eodem Spiritu quo & ille animatus, calculo ſuo omnia probauit, cuſtodiendamq; recepit, hac concepta Syngrapha; *Quia ſancta vniuerſalis & magna ſexta Synodus definitionem rectæ Fidei pleniſſimè prædicauit, quam & Apoſtolica Sedes Beati Petri Apoſtoli (cuius licet impares, miniſterio fungimur) veneranter, ſuſcipit; idcirco & nos, & per noſtrum officium hæc veneranda Sedes Apoſtolica concorditer, ac vnanimiter, his quæ definita ſunt ab ea conſentit, & Beati Petri auctoritate confirmat, ſicut ſupra ſolidatam petram qui Chriſtus eſt, ab ipſo Domino adeptus firmitatem.*

Patres Trulli Conc. de Agath. Pap.

Syngrapha Leon. Pap. de fide ſextæ Synodi.

Agatone non minor Gregorius ſecundus, vere ſui nominis Papa. Leone enim Iſauro, ſacras imagines è Baſilicis exturbare volenti, antiquas Patrum traditiones, ex ſacris documentis dimanantes, oppoſuit, ac iſtud vna cum Patribus in Concilio Romano pronunciauit; *Si quis deinceps antiquæ conſuetudinis, & Apoſtolicæ Eccleſiæ fidelem vſum contemnens, aduerſus eandem venerationem ſacrarum imaginum, videlicet Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, & genitricis eius ſemper Virginis immaculatæ, atque glorioſæ Mariæ, Beatorum Apoſtolorum & Sanctorum omnium depoſitor, atque deſtructor, & prophanator, vel blaſphemus extiterit, ſit extorris à corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & totius Eccleſiæ vnitate, atque compagine.*

Greg. II. Sanctio de Imaginibus iuxta antiquam Eccleſiam conſuetudinem venerandis.

Paria, Conſtantino Copronymo Imperatori contra eaſdem imagines furenti, Zacharias, Stephanus tertius & quartus, & Paulus, pro antiquo dogmate, imprecati ſunt. Ab horum imitatione & doctrina doctus Stephanus ex monaſterio Philippici, Theodoſio Epheſino opprobranti, quaſi Eccleſiam conturbaret, aureum illud repoſuit, tunc cum pſeudoepiſcopus illi diceret; *Quonam tandem modo, homo Dei, animum induxiſti, nos omnes in hæreticorum numero reponere? teque ſupra Imper. ſupra Patriarchas, ſupra Epiſcopos, ac cæteros Chriſtianos ſapere indicaſti? An nos omnes id molimur, vt noſtrarum ipſimet animarum iacturam faciamus? Cur omnem Eccleſiam conturbaſti?* Ad quæ Stephanus voce placida; *Aduerte,* inquit, *quid de Elia Propheta ſcriptura prodiderit: nimirum quemadmodum ad Achab dixerit: Non conturbo Iſrael, inquit, ſed tu & domus Patris tui. Neque enim ego ſum qui conturbo, verum hi, qui contempta veterum Patrum traditione, nouum quoddam dogma in Eccleſia inuexerunt. Nam ſi quicquid antiquitate præſtat veneratione dignum eſt, vt Baſilius dixit, recentia vtique hæc & adſcititia, vehementer abſurda atque imbecilla ſunt; vt quæ perſpicuè adulterini Eccleſiæ Catholicæ fœtus ſint. Ac proinde non intempeſtiuè Propheticum illud mihi dicere in mentem venit: Reges terræ & Principes cum mercenarijs Paſtoribus, ac gregis proditoribus conuenerunt in vnum: aduerſus Chriſti adminiſtrationem inania meditati ſunt.*

Reſponſum Stephani ex monaſt. Philipp. Theodoſio Epheſino nouatori. Hom. 1. de Ieiunio.

Plura alia Stephanus martyr, pro retinenda antiquitate dicebat, ab authoritate Stephani IV. qui aduerſus Conſtantinopolitanam Pſeudoſynodum, quam Copronymus Septimam Oecumenicam numerari volebat, Concilio Romæ congregato, canonem ſequentem retinens antiquitatis ſanxit: *Qui alium terminum Fidei, ſiue ſymbolum, aut doctrinam habet, præter quod traditum eſt, à Sanctis magnis & vniuerſalibus ſex Synodis, & confirmatum eſt ab his Sanctis Patribus, qui in eis conuenerunt, & non adorant imaginem ſiue figuram Domini noſtri Ieſu Chriſti, neque humanationem eius confitentur, ſicut qui deſcendit & incarnatus eſt propter genus humanum, talem impium anathematizamus, & alienum extraneumque deputamus Catholicæ Apoſtolicæ Eccleſiæ.*

Stephani IV. Canon. in Concil. Rom. pro retinenda antiquitate.

Adrianus, à Stephano nihil receſſit, ſed tum Leoni Iconomacho, tum reliquis Hagiomachis, antiquam Fidei regulam oppoſuit, vtq; eadem à Patribus Septimæ Synodi ſubſcriberetur præſcripſit. Ante Septimam Synodum, Conſtantino & Irenæ Auguſtis, hæc inter alia ſcripſit: Nomen nouum noui Conſtantini & nouæ Helenæ magis aſſequemini, *ſi Orthodoxæ fidei ſequentes traditiones, Eccleſiæ Beati Petri Apoſtolorum Principis amplexi fueritis cenſuram. Nam ipſe Princeps Apoſtolorum Beatus Petrus, qui Apoſtolicæ Sedi primus præſedit, ſui Apoſtolatus Principatum ac Paſtoralis curæ Succeſſoribus ſuis, qui in eius ſacratiſſima Sede perenniter ſeſſuri ſunt, dereliquit: quibus & auctoritatis poteſtatem, quemadmodum à Saluatore noſtro Domino Dei ei conceſſa eſt, & ipſe ſuis contulit, ac tradidit diuino iuſſu ſucceſſoribus Pontificibus: quorum traditione, Chriſti ſacram effigiem Sanctæque eius Genitricis, Apoſtolorumque, vel omnium Sanctorum veneramur imagines.* Enumerauit poſtea, Syluestri, Gregoriorum, Zachariæ, Stephanorum, & Pauli anteceſſorum, necnon Auguſtini, Gregorij Nyſſeni, Baſilij,

Adria. Pap. Conſtantino, & Irenæ Auguſt. de ſequendis Orthodoxæ fidei traditionib.

Ioannis Chryſoſtomi, Athanaſij, Ambroſij, Epiphanij, Stephani Roſtron, & Hierouymi pro cultu imaginum auctoritates, & vt eas in priſtinum reſtituerent obiecrauit, *obſeruantes*, iuquiens, *traditionem huius Sacroſanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ: abycientes ac reſpuentes iniquorum, atque hæreticorum callıditates, vt in huius noſtræ Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ, ac irreprehenſibilis Romanæ Eccleſiæ vlnis ſuſcipiamini.*

Idem Taraſio Patriarch. de traditione Rom. Eccleſ. in colendis imaginibus.

Neque aliud Taraſio Patriarchæ, ininnxit, quam vt & ipſe conſeruaret, & ab Imperatoribus conſeruari curaret, Sex Synodorum Fidem, & ſacræ & ſanctiſſimæ Romanæ Eccleſiæ in colendis imagiuibus traditionem: vtque malignorum & hæreticorum errorem, per certamen & fidelem ſollicitudinem perſequeretur, & abominaretur. Taraſius Patriarcha, hac admonitione excitus, omnes Patres ſeptimæ Synodi ad amplectendam fortius propugnandamque antiquitatem permouit, iſtudque teſtimonium, tum alijs, tum Adriano Pontifici dedit: *Veſtra fraterna, & ſummo Pontificio decorata ſanctitas cum Apoſtolis, & Sanctis Patribus, qui zizania, id eſt hæreſes & nonitates additıtias, atqae introductas radicitus exciderunt, & meſſem mundam arno conſeruauerunt, per Deiloquas ſuas doctrines quodammodo ſermocinata, & ab eis accepto veritatis verbo, ſpinoſas herbas quæ nunc germinauerunt, fideliſſimorum, & pacificorum Imperatorum veritati concordans, euellere machæra ſpiritus feſtinauit.*

In 7. Synodo.

Imp à Patribus Synodi cuſtodiam veteris fidei & traditionis exigunt.

Fidem Imperatorum Taraſius commemorabat, qui a commonitione Hadriani Pontificis, nihil aliud à Patribus, quam veteris Fidei, & traditionis cuſtodiam exigebant, Patreſque his verbis monebant: *Igitur quoniam à toto terrarum Orbe collegit vos Deus, conſilium ſuum ſtatuere volens, ecce propoſitis Sanctis Euangelijs, & intelligibiliter clamantibus: Iuſte iudicate: State, ſtabiles pietatis propugnatores: & omnem nonitatem vocum, & nouiter apparentem ſeditionem recidere procurate: quemadmodum & Petrus primus Princeps Collegij Apoſtolici, qui ſeruilis deceptionis amentia percuſſa, Iudaicæ auditionis ſenſum gladio abſtulit. Extendite ſecurim ſpiritus, & omnem arborem germinantem fructum conteationis & introductæ nouitatis, aut magiſtralibus vocibus tranſplantatæ, aut Canonicis interpretationibus concidite, & in ignem futuræ gehennæ tranſmittite.*

Quid Patres Synodi, & Taraſ. Patr. interrogati an litteras Hadriani admittere vellent reſponderunt.

Obedierunt Patres, Imperatoribus, ac inprimis Hadriano Depoſiti Apoſtolici Clauigero. Namque cum Legati interpellaſſent vniuerſam ſanctam Synodum, an litteras Hadriani admitteret vel non: Sancta Synodus dixit: *Sequimur, & ſuſcipimus, & admittimus*, Tharaſius etiam eadem de re interrogatus, reſpondit: *Sacratiſſimus Paulus Apoſtolus, qui illuſtratus eſt lumine Chriſti, & genuit nos per Euangelium, cum Romanis ſcriberet, approbans ſtudium ſinceræ fidei eorum, quam in Chriſtum verum Deum habebant, ſic ait: Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Hoc teſtimonium ſequi neceſſarium eſt: & inconſultè agit, qui huic conatur reſiſtere. Vnde Hadrianus Præſul Senioris Romæ, cum eſſet particeps eorum qui prædicto teſtimonio muniri meruerant, ſcripſit expreſsè, ac veraciter pijs Imperatoribus noſtris, atque ad humilitatem noſtram: affirmans benè, ac optimè ſe habere antiquam traditionem Eccleſiæ Catholicæ. Nam & ipſi nos ſcrutando Scripturas, & Syllogiſticè approbando ſcrutati ſumus, ſicque confeſſi ſumus, confitemur, & confitebimur, conſonamus & comprobamus, atque permanebimus in ſignificatione litterarum quæ lectæ ſunt, imaginales deſcriptiones ſuſcipientes, ſecundum antiquam Patrum noſtrorum traditionem.*

Tanti fuit ea Patrum Septimæ Synodi, à magiſterio Hadriani Papæ, pro antiquitate conſtantia, vt cum nonnulli Francofordiæ congregati, malè inuentas nouitates, contra imagines ſuſcipiendas eſſe proponerent, Carolus Magnus pro authoritate ſteterit Adriani, & pro tota antiquitatis obſeruatione, omnibus, & præcipuè Principibus (ô obſeruandum) profeſſus verbum: *Apoſtolicæ Sedi, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ & Catholicis traditionibus, tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungor*, Defenſoris Apoſtolicorum Dogmatum, & Tutoris Eccleſiæ Romanæ titulos promeruerit: vel tunc maximè cum Epiſcopis Hiſpaniarum, vt ab erroneis nouitatibus, ad confeſſionem veræ ſempiternæque antiquitatis Orthodoxæ reuerterentur, monitionem illam memoria dignam ſcripſit: *Ad multitudinem populi Chriſtiani, & ad Sacerdotalis Concilij vnanimitatem reuertimini*, inquit. *Si enim duorum vel trium Sancto pioque conſeſſui, ſecundum ſuam promiſſionem Dominum eſſe præſentem non dubitamus: quanto magis, vbi tot Sanctiſſimi Fratres tot Filij matris Eccleſiæ, in nomine illius pacifica conueniunt vnanimitate, eum adeſſe medium non eſt dubitandum, & illorum regere conſilia, qui ſui nominis laudem quærere dignoſcuntur.*

Carolus Magnus pro tota antiquitatis obſeruatione ſtetit.

Monet Epiſcopos Hiſpaniarum vt ad confeſſionem antiquitatis Orthodoxæ reuertantur.

Theodorus Studita, videns, hac Apoſtolica cura, Orientis & Occidentis Imperatores, in cuſtodia antiquorum dogmatum, animo vno conſpirare: *Intelligo*, ait; *aſſeruari Romæ claues Petri Apoſtolici Senatus Principis: honoris gratia, etiamſi claues nullas ſenſibiles Dominus Petro dederit: ſed oretenus, in hoc, vt penes illum eſſet poteſtas ligandi atque ſoluendi*: ad cuſtodiam Apoſtolici Depoſiti in Eccleſia Romanorum: *quorum*, ait, *tanta eſt Fides, vt illic infracta videatur eſſe Petra Fidei, nimirum iuxta verbum Domini fundata.*

Studita de clauibus Petri.

Michael in Theodoro.

Theodorum Studitam, ad Petri Succeſſorem Leonem III. id quicquid in Eccleſia Catholica à Mæchianis innouabatur referentem, & pro cuſtodia antiquorum dogmatum magnopere & laborantem, & grauiſſimas calamitates perpetientem, in tanto Sedis Apoſtolicæ conatu, eius diſcipuli non deſeruere: ſed Nicephoro Imperatori oppoſuere: *Nos, Imperator, & animas, & corpora, & omnia demum in Patris ac Magiſtri noſtri manu & arbitrio ponentes, nihil minimum, aut maximum quod illi non probetur, non modo facere, ſed ne animo quidem verſare ſtatuimus. Numquam vobis talia intentantibus obſequemur, nec geſtis veſtris ſuffragabimur, nec quicquam prorſus eorum, quæ per vos innouata ſunt amplectemur: præcipuè, cum Magiſtrum noſtrum à nobis ſeiunctum viderimus: qui & præſens exilium ſubire maluit, quam cauſam prodere, & partes veſtras ſequi. Nobis vero quid accidere grauius poſſit, quam ſi Canones Sacros, qui tanto ſtudio verſare conuenit, aſpernemur, & tam noxijs & periculoſis rebus*

Diſcipulorũ Studitæ conſtantia aduerſus Niceph. Imp. pro obſeruandis traditionibus.

nos

nōs dedamus? Non, per ſancta virtutis certamina, patriſque præcepta in quibus educati ſumus: non cedemus, Veritatem non deſeremus, Vobis non adhærebimus.

Leo III. de proceſſione Spiritus ſancti. Aus. Franc.

Leo III. Adrianum in cuſtodia antiquorum dogmatum ſequitur. Ex Concilio Aquiſgranenſi, Legati ad eum venerant, poſtulatum, qui liceret eis, Symbolo Conſtantinopolitano, illas ſolennes de Proceſſione Spiritus Sancti quatuor, *Filioque*, ſyllabas addere. Nihil voluit Pontifex antiquitatis retinens concedere: quin potius in Secretario Beati Petri Apoſtoli conuocato Concilio, decreuit: *ne quicquam Symbolo aut adderent, aut detraherent.* Pro teſtimonio huius conſtantiæ, in duabus laminis argenteis, in altera quidem Latine, in altera Græcè, idem Symbolum Conſtantinopolitanum, ſine tamen additione aliqua inſculpi, eaſque tabulas præ foribus Baſilicæ S. Petri affigi imperauit.

Aliorũ Rom. Pontif. Vigilantia in depoſito Apoſtolico ſeruãdo.

Leonis exemplo, Paſchalis, Eugenius, Valentinus, Gregorius IV. Sergius, Leo IV. Benedictus III. & Nicolaus I. dum pro cultu imaginum, contra Micheles II. & III. & contra Leonem Armenum, ac Theophilum, Imperatores Orientis, toto conatu decertarent, Depoſiti Apoſt. Seruatores integerrimi fuerunt. Nicolaus quamquam multis alijs de cauſis, ab hac tamen præcipuè, quod contra

Nicol. Pap. contra Photiũ, & Greg. Syracuſ. nouatores.

Euangelica, Apoſtolica, Prophetica, atque canonica inſtituta, nec non aduerſus ſex Synodus, Photius intruſus Conſtantinopolitanus, & Gregor. Syracuſanus egiſſent, vtrumque communione Eccleſiaſtica abdicauit: & quantum ſibi cordi eſſet cana Patrum doctrina, hac ſanctione demonſtrauit: *Quod verò oportet nos maiorum noſtrorum ſtatuta immoto mentis intuitu conſeruare, & in omnibus ſanctorum Patrum ſemper dogmata venerari, definimus de ſacris venerandis imaginibus Domini noſtri IESV CHRISTI, eiuſque ſemper Virginis Genitricis Mariæ, omniumque Sanctorum, qui Deo ab Abel iuſto placuiſſet creduntur, quas Eccleſia Sancta in vniuerſo Orbe diffuſa antiquitus accepit: quæque Sedis Apoſtolicæ Præſules pro eis decreuerunt ac ſtatuerunt, illibata perſiſtere, atq; intemerata manere. Quapropter Ioannem quondam Conſtantinopolitanum Antiſtitem, & ſequaces ipſius, qui eas frangendas, atque calcandas eſſe, ore polluto aſſeuerant, quamdiu de his nobiſcum non ſenſerint, & iuxta Sanctiſſimorum Pontificum decreta Romanorum, & aliorum Catholicorum Patrum inſtituta non ſapuerint, ſancimus eos à Chriſti, & ab Eccleſia Catholica atque Apoſtolica eſſe anathema.*

Idem contra Pſeudoſynodum Metenſem ab Hincmaro Rhemenſi cõgregatam.

Hæc Nicolaus ex Synodo Romana: Cum vero nonnullos Gallorum Epiſcoporum, opera Hincmari Rhemenſis tunc ſchiſmaticorum anteſignani, in Metenſi proſtibulo congregatos, accepiſſet ſibi imponentes, quaſi præcepta Apoſtolica non ſeruaret, diuinas leges ſimul & ſacros canones calcaret, prædeceſſorumque ſuorum veſtigia ſequi nollet: congregata Synodo, falſi impoſtores coarguit, pſeudoque Synodum, cum auctoribus, damnauit: & actiones ſchiſmaticorum *latrocinio Epheſino* comparauit: maximè quod eorum auctoritatem Photius pſeudopatriarcha ad quem ſcripſerant ſecutus, criminationes eaſdem in Sedem Apoſtolicam congereret. Photio & Græcis perduellibus reponebat, id quod Trecenſibus, & Bellouacenſibus Patribus (nam iſthic Synodos Gallorum Epiſcopi celebrabat) ſcripſit: *Conſiderate ſi debeant illi Eccleſiæ Romanæ huiuſmodi derogationes, vel detructiones ingerere, cum ipſa ex quo cœpit Chriſtiana religio dilatari, quæ ſemel in Petro patrono, ac inſtitutore ſuſcepit, immutilata tenuerit, & incorrupta per alia climata mundi docuerit: nec apparuerit quicquam per tot ſaltem ſæculorum curricula, qui eius traditionibus derogauerit, aut obuiare præſumpſerit: licet, vt pertulimus, in Eccleſia crebro magni Doctores effulſerint: nec vlla ſit vnquam Eccleſia (vt non dicam Conſtantinopolitanam, quæ longè poſt inſtituta eſt) cuius hac doctrinam, vel auctoritatem ſecuta ſit: cum ipſa potius alias Eccleſias inſtituerit, atque nonnullas traditiones contulerit: adeo, vt quemadmodum Bonifacius Sedis Apoſtolicæ Præſul teſtatur, inſtitutio vniuerſalis naſcentis Eccleſiæ de Beati Petri ſumpſerit honore principium, in quo regimen eius & ſumma conſiſtit.*

Idem Trecenſ. & Bellouac. Patribus.

S. Maximus martyr cõtra Conſtãt. Imp. & alios hæreticos.

Hæc quæ Nicolaus Gallis ſcripſit, ſcripſit longè olim Sanctus Maximus martyr, Conſtantem Imperatorem Eutychianum, & reliquos hæreticorum ad Eccleſiam Romanam, cuius Pontifices antiquorum Depoſitarij dogmatum prouocans, non minus eleganter quam verè iſta ſubijciens: *Omnes termini terræ, & quicumque vbiq; terrarum Chriſtum Dominum pura mente, & Orthodoxa Fide confitentur, quaſi ad Solem æterni luminis, ad Sanctiſſimam Romanorum Eccleſiam, & eius Confeſſionem & Fidem intenti reſpiciunt, ex ipſa rutilantem ſplendorem recipientes ſpiritualium & Sanctorum dogmatum, quemadmodum ſex illæ Sanctæ Synodi ſacræ, & à DEO dilectæ, diſertis verbis, & magna cum religione expoſuerunt, apertiſſimè pronunciantes Fidei Symbolum. Ab initio enim aduentus Incarnati Verbi, vniuerſæ vbique terrarum Chriſtianorum Eccleſiæ, à Sancta Romanorum Eccleſia originem habuerunt, & fundamentum ſolum, & maximum, contra quod nullo pacto portæ inferi præualebunt, iuxta ipſiuſmet Saluatoris noſtri promiſſionem: vt habeat ſcilicet Claues Orthodoxæ in ipſum Fidei & Confeſſionis, vt aperiat illis qui ad ipſam Romanam Eccleſiam cum pietate accedunt, veram & realem & ſolam pietatem quærentes: & claudat è contra, & obſtruat omne os hæreticum, quod loquitur iniquitatem in cœlum.*

Hadrian. II. Baſil. Imper. & Patribus Oct. Oecum. Synodo formulam tranſmittit ſeruãdam ab his qui ad Eccleſ. reuerterentur.

Nicolao vita functo, Hadrianus ſecundus Depoſiti Apoſtolici Claues ſuſcipiens, pari vigilantia aduerſus Iconomachos & alios hæreticos, Fidei Orthodoxæ Dogmata ſeruauit, & his qui ad Eccleſiam reuerterentur ſeruanda propoſuit, in hac formula, Baſilio Imperatori & Patribus Octauæ Oecumenicæ Synodi tranſmiſſa, cui omnes communionis Eccleſiaſticæ appetentes ſubſcriberẽt. Ita habet;

Prima ſalus eſt, rectæ Fidei regulam cuſtodire, deinde à conſtitutis Dei & Patrum nullatenus deuiare. Vnum quippe horum ad Fidem pertinet, alterum ad opus bonum. Sicut enim ſcriptum eſt: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo; *ſic rurſum legitur;* Fides ſine operibus mortua eſt. *Et quia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis;* Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam

meam;

meam: *hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apoſtolica immaculata eſt ſemper Catholica ſeruata religio, & ſancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide, atque doctrina ſeparari minimè cupientes, & Patrum, & præcipuè Sanctorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum ſequentes in omnibus conſtituta, anathematizamus omnes hæreſes ſimul cum Iconomachis: anathematizamus etiam Photium, qui contra Sanctas Regulas, & Sanctorum Pontificum Romanorum ſacra decreta, repente, de curiali adminiſtratione ſæculariquè militia ſublatus, ſuperſtite Ignatio Patriarcha, in Conſtantinopolitana eſt peruaſorie, imo tyrannicè à quibuſdam ſchiſmaticis, vel anathematizatis, atque depoſitis inſtitutus Eccleſia: donec Sedis Apoſtolicæ ſanctioni inobediens, perſeuerans eius ſententiam tam de ſe, quam de Patriarcha noſtro Ignatio ſpreuerit, & conciliabuli acta, quod ſe auctore contra Sedis Apoſtolicæ reuerentiam congregatum eſt, anathematizare diſtulerit.*

Subſcripta formula ab Imp. & filijs & à Patribus Concilij.

Huic formulæ poſt Apoſtolicæ Sedis Legatos, Baſilius cum filijs primo loco, deinde Epiſcopi qui Concilio Oecumenico interfuerant, & qui eiurato Photiano ſchiſmate, ad Eccleſiam reuertebantur, ſubſcripſere, Septem Oecumenicarum antecedentium Synodorum, ex Hadriani præſcripto confirmatione addita, damnatiſque hæreſibus Nouatorum ab illis damnatis. Percuſſus hoc anathemate Photius, Hadrianum Pontificem, qui ad confundendos Nouatores, Symbolo Fidei Conſtantinopolitano, in Octaua Oecumenica addi iuſſerat, *Filioque*, quaſi Fidem Orthodoxam nouaſſet, corrupiſſetque criminabatur. Cæterum Hugo Ætherianus, vir illa tempeſtate doctiſſimus, ſcripta apologia, interpretationem fuiſſe non nouationem, demonſtrabat. *Nulla*, ait, *inſimulatione, nulla reprehenſione, nullaque calumnia notandus eſt antiquioris Romæ Antiſtes, quod cauſa interpretationis dictionem vnam, dico autem ex filio procedere Spiritum Sanctum, Sanctorumque plurium Epiſcoporum, ſcientiſſimorum Cardinalium conſenſu habito appoſuerit. Licuit enim ei, ſemperque licebit Fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, ſicubi aliquid obſcure ſcriptum ſit, & de voluntate ſcriptionis argumentari, indicio voluntatis illius relicto facere, hoc perſuadente. Is enim eſt, cui oues & agni commiſſi ſunt: & idcirco non ſolum ſcripti recitator eſſe debet, verum interpres illorum quæ adſcripta non ſunt, vt Caput ouium: & Dei Paſtor. Qua in re manifeſtum eſt, antiquioris Romæ Præſulem poteſtatem Petro accepiſſe, Fidem renouandi (vt verbis Patrum vtar) habendi curam & regimen omnium Sacerdotum, quin etiam omnium Chriſtianorum. Quare palam & publicè fit ex his, nequaquam licere cuipiam, omnium ſanctiſſimam & magnam, omniumque Principem Romanam Eccleſiam calumniari, quaſi aliam Fidem conſcripſerit, aut compoſuerit, aut docuerit. Nam neque affert, neque perdocet, neque aliud tradit ſymbolum, ſi editum à SS. Patribus interpretur, non perpetiens Fidem labefactari apud quos ſemper effulſit. Quæ licet Primatum habeat, attamen humiliat ſeipſam, reſpondendo, quod Chalcedone celebrata Synodus, quondam ſe calumniantibus reſpondit: Iniuſtè*, inquit, *arguor, dum non Fidem, ſed memoriam renouo: non appoſui, non ademi ſalutari ſymbolo, ſi dictionem occultam manifeſtaui. Renouaui enim vt Patres antedicti Fidem, & appoſui Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, atque Chalcedonenſis Synodis, ſed nullo modo illis contraria, quia dum illorum Patrum veſtigia perſequor, ſolummodo quæ tunc quæſita non ſunt, tempore poſt, per interpretationem, & appoſitionem verbi, quod non perſpicuè ab omnibus intelligebatur enucleaui. Æquum eſt igitur, ratum habere, quod tanta Eccleſia decernit, quod tantus Pontifex enuntiat. Qui autem Primæ Sedi, imo totius Orbis Præſuli reſiſtunt, Chriſti diſpoſitioni reſiſtunt, & niſi reſipiſcant, contumaciæ iudicio plectentur. Quicumque nauiculam Chriſti ſpernit, incaute nauigat, & niſi plumbeas moles pernicacitatis reiiciat, influent maria.*

Quam pulchre Hugo Ætherianus Hadr. Pont. à calumnijs Photij aſtruat. *Lib. 3. de hæreſ. cap. 10.*

Reijcere Photius contumaciam nolens, miſerandum in modum interijt, Hadriano II. Ioanne VIII. Marino. Hadriano III. Stephano VI. Formoſo, Stephano VII. Ioanne IX. Theodoro II. Benedicto IV. Chriſtophoro, & Sergio II. apud Baſilium, & poſtea Leonem VI. Auguſtos, pro cuſtodia Fidei auitæ adnitentibus. Qua tempeſtate, cum plerique Galliarum Epiſcopi, in pago Sueſſionenſi Concilium Prouinciale celebraſſent, ad reuerentiam & communionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeſe mutuo & alios cohortantes, ingenuè fatebantur, ab exemplis & vigilantia Romanorum Pontificum, etiam in illis partibus integrè conſeruatam eſſe Fidem Patrum illibatam: *Quoniam*, ſcribebant in Synodica, *Eccleſia in noſtris quoque partibus, ſuper hanc Petræ ſoliditatem non tantum fundata, ſed ab eo eiuſque ſucceſſoribus etiam eſt educta: cum Dei gratia, Ipſius Beati Petri ſuffragantibus meritis, firmitatem fidei, quam primo percepit, hactenus inconcuſſam ſeruare ſtuduit, nullaque perfidorum conſortia recepit.*

Photij in contumacia interitus.

Teſtimonium Gallican. Epiſcoporum de conſeruatione fidei in Gallijs.

Hæc Epiſcopi Galliarum adinuicem. Apud quorum Eccleſias, ab aliorum Romanorum Pontificum, ſcilicet Anaſtaſij III. Landonis, Ioannis X. Leonis VI. Stephani VIII. Ioannis XI. Leonis VII. Stephani IX. Marini II. Agapiti II. Ioannis XII. Benedicti V. Ioannis XIII. Doni, Benedicti VI. & VII. Ioannis XIV. & XV. Gregorij V. Syluestri II. Ioannis XVI. & XVII. Sergij, Benedicti VIII. Ioannis XVIII. quem alij XX. numerant, Benedicti IX. Gregorij VI. Clementis II. Damaſi II. & Leonis IX. ſolicitudine, quod auita Patrum Fides, inter varias regni procellas intemerata perſeueraſſet, argumento eſt vel clariſſimo, illos Sedis Apoſtolicæ Antiſtites, ſuis temporibus veros Theſauri Orthodoxiæ Cuſtodes præfuiſſe. Sane, Berengariana de veritate corporis Chriſti ſub ſpeciebus Eucharistiæ, hæretica nouitate poſt annum Domini 1030. erumpente, cum Nouatores ſacrilegam & nefariam aſſertionem in Concilio edicendi libertatem, apud Henricum Regem flagitarent, Durandus Leodienſium Epiſcopus, effrenem licentiam nouandi cohibendam, remque integram ad Romanum Pontificem, Depoſiti Apoſtolici Seruatorem referendam eſſe, Henrico Regi oſtendit. *Huiuſmodi homines nequaquam oportet audiri*, ait, *neque tam eſt pro illis Concilium aduocandum, quam de illorum ſupplicio exquirendum. Tunc quippe hæretici*, ait, *neceſſario audiendi fuerunt,*

Durãdus Leodienſ. Epiſc. erumpẽti Berengarianæ hæreſi rem ad Rom. Pontif. referendam Hẽrico Gall. Regi oſtẽdit.

quando

quando hæreſes ipſæ, & huiuſmodi quæſtiones, vtpotè quæ nondum ad vnguem diſcuſſæ fuiſſent, in dubium venire potuerunt, vt per congreſſum certaminis pateſceret, vtra pars ſtaret pro defenſione veritatis. Quod idem nunc profectò fieri non oportet, quia crebérrimis Sanctorũ Patrum Concilijs, tum etiam venerabilium Doctorum ſententijs clariſſimis, ita omnia ſunt eliquata, vt ne minimum quidem reſederit de omni ſæce dubitationis.

Durandi Epiſc. contra Brun. & Bereng. nouatores ſententia.

Adduxerat interum contra Brunonem, & Berengarium, Durandus, Cyrilli, Ambroſij, Auguſtini, Baſilij, Euſebij, Hilarij, Toletani Concilij, & ante omnes Sancti Leonis Papæ pro veritate corporis Domini ſententias: ex quibus Nouatorum blaſphemias poſtquam confutaſſet, tandem ſtatuebat: *Quamobrem, Brunonem & Berengarium iam anathematizatos arbitramur. Quod ſi ita eſt, vere illis audientia Concilij deneganda eſt: & cum veſtris, cumque noſtris Epiſcopis (ſi ita vobis videtur) cum amico veſtro Imperatore, cum ipſo Papa, quæ vindicta in eos ſtatuatur, deliberandum. Eſt enim iuſtum, vt quorum manus ſunt contra omnes, omnium manus etiam contra ipſos excitentur.*

Auſcultauit monitioni Henricus, & rem vniuerſam ad Leonem IX. cui Claues antiquorum dogmatum traditas eſſe nouerat, detulit: qui Concilio Romæ conuocato, vetuſtatis promptuarium, aduerſus omnes nouitates inſtructum aperiens, & mille clypeos, omnemque armaturam fortium depromens, gladio olim condito, recondito, nouellum caput detruncauit; neque immerito, Romanæ Eccleſiæ, illud elogium, datis litteris Petro Antiocheno Patriarchæ, adſcripſit:

Rom. Eccleſ. elogium.

Venerabilis & efficax Chriſti oratio, quæ rogauit, vt fides Petri non deficeret, obtinuit, quod fides Petri hactenus non defecit, nec defectura creditur in throno illius vſque in ſæculum ſæculi: ſed confirmabit corda Fratrum varijs concutienda fidei periclitationibus, ſicut vſque nunc confirmare non ceſſauit.

Lib. contra Berengar.

Ab hac confirmatione, tum demum magis ac magis, vt Lanfrancus Berengario oſtendebat, *Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa, confitetur, panem & vinum ad ſacrandum proponi in altari, ſed inter ſacrandum incomprehenſibiliter & ineffabiliter in ſubſtantiam carnis & ſanguinis commutari:* quod *Leo Papa*, vt Guilelmus Malmasberienſis narrabat *ſoliditati Catholicæ timens, Vercellis contra Berengarium inſtituto concilio, tenebras nebuloſi erroris Euangelicorum teſtimoniorum fulgore depuliſſet.*

Cõc. Vercell. contra Berengar. Lib. 3. de geſtis Angl.

Tunc temporis Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, magis audacter Adeodato affirmabat, id quod affirmabat: *Chriſtus non inanis myſterij ſymbolum, ſed verum corpus ſuum nobis reliquit, quod quotidiana veneratione ſub viſibili creaturæ forma, inuiſibiliter virtus ſecreta in ſacris ſolemniter operatur: vnde, quæ ſubſtantia panis & vini apparebat exterius, tam Corpus Chriſti, & ſanguis ſit interius.*

Fulbertus Carnot. de veritate corporis Chriſti.

Patres Synod. Frãcoford. de traditionibus

Tunc etiam, Germaniæ, Galliæ, & Aquitaniæ Epiſcopi, Francofordiæ ad Mœnum in Synodo congregati, magis cõſtanter, Epiſcopis Hiſpaniarum ſcribebant: *Sufficit vobis Sanctorum Patrum veſtigia ſequi, & illorum dicta, firma tenere fide, quorum animæ apud Deum Dei Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, pro magno pietatis labore regnant in cælis. Hos ergo ſequimini, vt horum doctrinis inconcuſſa veritate inhærentes, conſortium æternæ beatitudinis, donante Chriſto, cum illis habere mereamini in cælis.*

Rup. Tuit. de ſtabilitate Rom. Eccleſ. Lib. 2. de diuin. offic. cap. 2.

Tunc etiam Rupertus Tuitienſis, quod manibus proprijs palpauerat, magis fidẽter ſcripſit: *Romana Eccleſ. per Apoſtolicæ fidei Petram altius fundata firmiter ſtetit, & tam Græcia, quam totius Orbis hæreticos ſemper confutauit, & de excelſo Fidei tribunali data ſententia iudicauit:* ac propterea, vt Centuriatores confitentur, *Leo nonus in eo meruit laudem non exiguam præ multis ſuis anteceſſoribus, quod ſub initium ſtatim Berengarianæ hæreſeos nouitatem, in Synodo Romana damnauit.* Namque non multo poſt, *in Concilio, Turonenſi,* Berengarius, *confeſſus eſt coram omnibus communem Eccleſiæ Fidem, & eam ſe ab illa hora ſeruaturum iurato promiſit.*

Centur. 11. cap. 10.

Tunc denique, cum etiam à Nicolao totius Chriſtiani nominis Summo Pontifice, & à centum tredecim Epiſcopis, Romæ examinata, atque damnata ſunt Berengarij Sophiſmata, Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus, aſſentiendum eſſe Romanæ Eccleſiæ, auitam doctrinam retinenti aſſeuerauit, illamq; omni memoria dignam ſententiam dixit; *Beati Doctores, ſi non eiſdem verbis, eiſdem tamen ſententijs, multis in locis concorditer aſtruxerunt, hæreticum eſſe omnem hominem, qui à Romana, & vniuerſali Eccleſia, in Fidei doctrina diſcordat:* quod illius Fides ſuper Petram per Petrum ædificata, nec hactenus defecit, nec deficiet in ſæcula: tum Chriſto Domino rogante pro ea, tum Petro pro eadem ſollicito, tum nonnemine Pontifice ad Cuſtodiam margaritæ traditæ intento.

Lanfranc. ſententia notatu digna. Cont. Berengar.

Perſtringebat ea ſententia, Lanfrancus, non tantum Brunonem, & Berengarium Sacramentarios, ſed etiam Michaelem Cerularium Patriarcam Conſtantinopolitanum, Photio non omninò diſſimilẽ. Is namq; homo neophytus, curialis, & reliquis aulæ ſordibus illitus, cogitans conflare ſchiſma omnium pernicioſiſſimum, in odium Leonis Pontificis & omnium Occidentalium, multa in Leonem, quaſi Fidem Patrum, vna cum alijs ſuis anteceſſoribus violaret, vomuerat.

Michael Cerularius Patr. Conſtant. & eius in Latinã Eccl. odium.

Humber. in commemorat. geſtor. Conſtantinop.

Humbertus Syluæ candidæ Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, impoſturas hominis temerarij ſcripto dialogo tam egregiè, eo tempore confutauit, vt Niceta Monachus, Studij, qui & Pectoratus dicebatur, qui auctore incentoreque Cerulario, contra Sedem Apoſtolicam, & omnem Latinam Eccleſiam, librum *de azymo, de Sabbato, & de nuptijs Sacerdotum* ediderat, præſente Conſtantino Monomacho Imperatore, atque procerum ingenti multitudine, librum, non tantum anathematizauerit, ſed etiam exuſſerit, addita execratione, in omnia dicta, tentata, factaque aduerſus primam Apoſtolicam Sedem, & in omnes, ac ſingulos, qui Sanctam Romanam Eccleſiam negarent primam omnium Eccleſiarum, eſſe, & qui illius ſemper Orthodoxam Fidem in aliquo reprehendere præſumerent. Accidit tunc memorandum, numquam obliuioni tradendum. Qui feſtucam, in lucidiſſimo Romanæ Eccleſiæ oculo quærebant, in ſuis excutientibus oculis trabales errores prodiderunt præſumptores. Hos Humbertus Cardinalis Epiſcopus, & Petrus Amalphitanus Epiſcopus, & Fri-

Niceta librũ quem contra Sed. Apoſtol. ſcripſerat exuſſit.

& Fridericus Diaconus & Cancellarius in apricum produxerunt, & tandem Apoſtolica auctoritate condemnaruut.

Cognoſcant, ita narrabant, *ante omnia glorioſi Imperatores, Clerus, Senatus, & populus huius Conſtantinopolitanæ Vrbis, & omnis Eccleſia Catholica, nos hic perſenſiſſe, magnū, vnde vehementer in Domino gaudeamus, bonum: & maximum, vnde miſerabiliter contriſtemur, malum. Nam quantum ad columnas Imperij, & eius honoratos, atq; ciues ſapientes Chriſtianiſſima & Orthodoxa eſt Ciuitas; quantum autem ad Michaelem abuſiue dictum Patriarcham, & eius ſtultitiæ fautores, nimia Zizania hæreſeon quotidiè ſeminantur in medio eius. Quia, ſicut Simoniaci, domum Dei vendunt. Sicut Valeſij, hoſpites ſuos caſtrant, & non ſolum ad clericatum, ſed inſuper ad Epiſcopatum promouent. Sicut Arriani, rebaptizant in nomine Sanctæ Trinitatis baptizatos, & maximè Latinos. Sicut Donatiſtæ, affirmant, excepta Græcorum Eccleſia, Eccleſiam Chriſti, & verum ſacrificium, atque baptiſmum ex toto mundo perijſſe. Sicut Nicolaitæ, carnales nuptias concedunt & defendunt, ſacri altaris miniſtris. Sicut Seueriani, maledictam dicunt legem Moyſi. Sicut Pneumatomachi, vel Theomachi, abſciderunt à ſymbolo Spiritus Sancti proceſſionem à Filio. Sicut Manichæi, inter alia quodlibet fermentatum ſatentur animatum eſſe. Sicut Nazareni, carnalem Iudæorum munditiam adeo ſeruant, vt paruulos morientes ante octauum à natiuitate diem baptizari contradicant, & mulieres in menſtruo, vel partu periclitantes communicare, vel ſi paganæ fuerint baptizari prohibeant, & capillos capitis, ac barbas nutrientes, eis qui comas tondent, & ſecundum inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ barbas radunt, in communione non recipiant*, & poſt. *Vnde nos quidem, Sanctæ primæ, & Apoſtolicæ Sedis inauditam contumeliam & iniuriam non ferentes, auctoritatem Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, atque Apoſtolicæ Sedis cuius legatione fungimur, & cunctorum Orthodoxorum Patrum & Concilijs ſeptem, atque totius Eccleſiæ Catholicæ, anathematizamus, quod Dominus noſter Reuerendiſſimus Papa eidem Michaeli, & ſuis ſequacibus, niſi reſipiſcerent denuntiauit, ita ſubſcribimus: Michael abuſiuus Patriarcha, Neophytus, & ſolo humano timore habitum Monachorum adeptus, nunc etiam criminibus peſſimis à multis diffamatus, atque cum eo Leo Acridanus Epiſcopus dictus, & Sacellarius ipſe Michaelis Conſtantinus, qui Latinorum ſacrificium profanis conculcauit pedibus, & omnes ſequaces eorum, in præfatis erroribus, & præſumptionibus ſint anathema Maranatha cum Simoniacis, Valeſijs, Arrianis, Donatiſtis, Nicolaitis, Seuerianis, Pneumatomachis, Manichæis, & Nazarenis, & cum omnibus hæreticis, imo cum Diabolo, & Angelis eius, niſi reſipuerint, Amen, Amen, Amen. Quicumque Fidei Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis, eiuſque ſacrificio pertinaciter contradixerit, ſit anathema Maranatha, nec habeatur Chriſtianus Catholicus, ſed Prozimita hæreticus. Fiat, fiat, fiat.* Ad eum modum tum Legàti decreuere, veri Filij Claues tenentis totius Orthodoxiæ Pontificis Sanctiſſimi Leonis, ad cuſtodiam receptæ doctrinæ non dormientis, neque dormitantis.

Decretum Legatorum Apoſt. contra Mich. Cerular. & eius ſequaces.

Leone è viuis erepto, Claues Depoſiti Dominici non ſunt ereptæ ſucceſſoribus illius Pontificibus Romanis, Victori II. Stephano X. Nicolao II. Alexandro II. Gregor. VII. Victori III. & Vrbano II. Hi ſuis temporibus, contra hæreticos & ſchiſmaticos, Bogomilos, Henricianos, Berengarianos, Simoniacos, & alios recens emergentes, peruigilarunt, ne nouis adinuentionibus, candorem Fidei Catholicæ, reprobi circa Fidem contaminarent. Sanctus Anſelmus Cantuarienſium Epiſcopus, Summo Pontifici Vrbano tribuebat, quod *diuina prouidentia illum elegiſſet, dignum, cui vitam & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam tuto committeret.* Roſcelinus aliquis, malè de incarnatione Dominica ſentiens, & Eccleſiæ Romanæ Catholicæ iudicium in dubium reuocans, Anſelmo bilem commouerat, vt acrius maleſanum perſtrinxerit, & cunctos proindè quid de Fide integerrima Eccleſiæ omnium Catholicæ exiſtimare debeant monuerit: *Nullus Chriſtianus*, ait, *debet diſputare, quod Catholica Eccleſia corde credit, & ore confitetur, quomodo non ſit, ſed ſemper eandem Fidem indubitanter tenendo, amando, ſecundum illam viuendo, humiliter (quantum poteſt) quærere rationem, quomodo ſit. Si poteſt intelligere, Deo gratias agat: Si non poteſt intelligere, non immittat cornua ad ventilandum, ſed ſubmittat caput ad venerandum. Citius enim in ſe poteſt confidens humana ſapientia impingendo cornua ſibi conuellere, quam innitendo Petram hanc conuellere.* ſignatam ſcilicet diuino charactere, ſuper quam non vnus, ſed ſeptem oculi vigiles, Vicarij Paſtoris, Depoſiti Apoſtolici Cuſtodis.

Vigilantia Summorum Pontif. contra nouatores.

De Incarnatione Verbi cap. 2.

Roſcelin. nouator à S. Anſelmo Cantuar. acriter perſtringitur.

Cuſtodiam eius gemmæ excepit poſt Victorem II. Paſchalis II. Hic hæreſi Henriciana Eccleſiam vaſtante, in Concilio Romano numeroſiſſimo, antiqua Patrum ſtatuta, & octo Oecumenicas Synodos ſe ſeruare velle profeſſus, omnem hæreticam nouitatem, & præcipuè eam quæ ſtatum illius temporis Eccleſiæ perturbabat, quæq; docebat & aſtruebat anathema contemnendum, & Eccleſiæ ligamenta ſpernenda eſſe, anathemate damnauit; necnon omnes ad pronunciandum iſtud anathema lege lata aſtringit, qui affirmarent quod affirmat, & damnarent quod damnat Sancta Romana Eccleſia, ſine ruga, & ſine macula hæreticæ nouitatis. Paſchalis vigilantiam imitatus eſt Calliſtus II. Nam Synodo quadringentorum & viginti quatuor Patrum habita, fremente licet Henrico Imperatore, vigilem ſe cuſtodem traditæ doctrinæ probauit, cum ſanxit: *Quæ Sanctorum Patrum ſanctionibus de prauitate Simoniaca ſtabilita ſunt, nos quoque Sancti Spiritus iudicio, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmamus.*

Conc. Rom. ſub Paſchali II. contra Henricianam hæreſim.

Calliſt. II. frementem Henricum Imper. non curat.

Non minore diligentia, Honorius II. & Innocentius II. ille contra Reges, hic contra ſeductores, depoſitum Dominicum ſeruauere. Stephanus Ciſtercienſis, Hugo Pontiniacenſis, & Sanctus Bernardus Claræuallis Abbates, cum Honorio ſcripſiſſent, congaudebant *Eccleſia Dei, ſponſa Domini, ſuper tam fido cuſtode, & ſponſi amico*, qui dotem illius non proderet. Innocentius II. aliquid amplius egit, pro Fide Orthodoxa ſeruanda. Eius temporibus Arnoldus quidam Brixienſis, ſub typo religionis, & ſub ouina pelle lupum tegens,

Epiſt. 49. apud S. Bernard.

Innoc. II. contra Arnaldum de Brixia, & Petrum Abailardum hæreticos.

tegens, Vrbem ingreſſus, multa nouabat. *epiſt. 196.* S. Bernardus hominem ſuis coloribus pingebat: *conuerſatio, ait, mel, & doctrina venenum: cui caput columbæ, cauda ſcorpionis eſt: quem Brixia euomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere, quod artem habuerat & voluntatem nocendi.*

A Petro Abailardo didicerat, omnia fingere, & male de Fide Orthodoxa ſentire. *Epiſt. 189.* Abailardum S. Bernardus ſuggillabat, apud Innocentium Pontificem & Cardinales hæc conquerens; Stulte, ait, mihi dudum requiem promittebam, ſiquidem Leonina rabies quieuiſſet, & pax Eccleſiæ redderetur, ſed accidit ſecus Leonem euaſimus, ſed incidimus in draconem qui non minus forſan nocebat ſedens in inſidijs, quam ille rugiens in excelſo. Quamquam non iam in inſidijs, cuius virulenta folia vtinam iam laterent in ſcrinijs, & non in triuijs legerentur. Volant libri, & qui oderunt lucem quoniam mali ſunt, impegerunt in lucem, putantes lucem tenebras. Vrbibus & caſtellis ingeruntur pro luce tenebræ: pro melle, vel potius in melle venenum paſſim omnibus propinatur. Tranſierunt de gente in gentem. & de regno ad populum alterum. Nouum auditur in populis & gentibus Euangelium; Noua proponitur Fides: Fundamentum aliud ponitur præter id quod poſitum eſt. De virtutibus & vitijs non moraliter, de ſacramentis Eccleſiæ non fideliter, de arcano ſanctæ Trinitatis non ſimpliciter, nec ſobriè diſputatur: ſed cuncta nobis in peruerſum, cuncta præter ſolitum, & præterquam accepimus miniſtrantur. Procedit Golias procero corpore, nobili illi ſuo bellico apparatu circum munitus; antecedente quoque eius armigero Arnaldo de Brixia. Squamma ſquammæ coniungitur, & nec ſpiraculum incedit per eas. Siquidem ſibilauit apis quæ erat in Francia api de Italia, & venerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.

Capitula illius iudicio omnium examinata, inuenta ſunt Fidei aduerſantia, contraria veritati. Cum enim de Trinitate loquitur, ſapit Arrium; cum de gratia, ſapit Pelagium; cum de perſona Chriſti, ſapit Neſtorium. Iſta cum primum Innocentius accepiſſet, pro cuſtodia anitæ doctrinæ conſtantiſſimè ſtetit, atque Henrico Senonenſi, & Samſoni Rhemen. Archiepiſcopis, necnon S. Bernardo Abbati commiſit; quatenus Petrum Abailardum, & Arnaldum de Brixia peruerſi dogmatis fabricatores, & Catholicæ Fidei impugnatores, in religioſis locis ſeparatim recluderent, ac libros vbicumq; reperti fuerint igne comburerent; ne cancer nouitiorum dogmatum longè latius proſerperet. Fecit promptiſſimè iſta Innocentius, hortatore Bernardo, qui ſcripſerat: *Epiſt. 190.* *Tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſſime, Principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cuius tenetis & Fidem, ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra auctoritate conteritis Fidei corruptores,*

Quanta cura ſucceſſores Pontifices ſe nouatoribus oppoſuerunt. Succedentium ſæculorum Pontifices, cum hæreticorum nouitatibus ſeſe opponerent, quemadmodum Innocentius III. Vualdenſibus Cotereliis, Ioachimo Abbati, Almarico, Honorius III. Gregor. IX. & Innocentius IV. Patarenis, Recentibus Manichæis, Pauperibus de Lugduno, Alexander IV. Guillhelmo de S. Amore & Arnaldiſtis, Clemens IV. Petro Ioannis, Dauidi Dinantio, Deſiderio Lombardo, Greg. X. Hæreticis pneumatomachis, Honorius IV. Nicolaus IV. Bonifatius VIII. Raymundo Lullo, Templarijs, Fratricellis & Dulciniſtis, Ioann. XXII. Begardis, Beguinis, Michaeli Cæſenati, Guillelmo Occamo, Marſilio Patauino, Gualthero Lollhardo, Benedictus XII. Clem. VI. Innoc. VI. Vrbanus V. Flagellantibus Gregorio Palamæ, Bertholdo Rorbacho, Turrelupinis, & Græcis veteratoribus Gregor. XI. Vrbanus VI. Bonifacius IX. Innoc. VII. Greg. XII. Martinus V. Vuiccleſſo, Ioanni Huſſo, Hieron. Pragano, Eugen. IV. Nicol. V. Calliſt. III. Pius II. Paulus II. Huſſitis, Græcis, Orebiris, Rochezanæ, Georgio Podiebracio, Piccardo Adamitæ, Nicolao Galeco. Ioann. Behaim, Bohemis, Hermanno Ruſuich, Leo X. Adrian. VI. Clem. VII. Paulus III. Luthero, Zuinglio, Caluino, Menuoni, Melanchtoni, Muſculo, Illyrico, & reliquis, Pius IV. Paulus IV. Pius V. Greg. XIII. Sixtus V. & Clem. VIII. Hugonottis, Geuſijs, Puritanis, Polyticis, Anglo Caluiniſtis, Caluinopapiſtis, Sacramentarijs, & omnibus Nouatoribus, tum in Concilijs Generalibus, Lateranenſibus, Lugduneuſibus, Viennenſi, Conſtantienſi, Florentino, Tridentino, tum inſtituto aduerſus hæreticam prauitatem ſacro officio, tum alijs curis ſeſe oppoſuerunt, neque aliquid eorum vmquam omiſerunt, quibus Nouitas, ne irrumperet præuerteretur, & quæ iam vel irruperat, vel radices egerat, eradicaretur: vere & indubie, titulum, antiquæ Orthodoxiæ Seruatorum ſibi meruerunt.

Plane ex vero Caluinus affirmauit quod ſuperius adduxi: *Hoc Romanæ Eccleſiæ plurimum addidit auctoritatis, quod non ita dubijs illis temporibus tumultuata eſt vt reliquæ, ac doctrinæ ſemel traditæ fuit alijs omnibus tenacior,* quemadmodum explicaui. *Teſtimonium Caluini de Rom. Eccl. in fide conſtantia.* Namque nonnemo ſuperiorum Pontificum, vbi de auita doctrina quæſtio oriebatur, vel periculum vitæ perdendæ propter Fidem Orthodoxam ſeruandam imminebat, illud Nabothi ſecum ſtatuebat: *Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem Patrum meorum tibi.* *3. Reg. 21.* Ab eorum exemplis & inſtitutis, PAVLVS V. ſacrum hoc Orthodoxiæ Depoſitum, Inuiolatum hactenus vigilantiſſime cuſtodiuit: *SS. D N. Pauli V. Vigilantia in depoſito cuſtodiendo.* dracone, gentilitio ſymbolo, oculatior, diligentior, vigilantior, in cuſtodiendo Apoſtolico theſauro. Ferunt, dracones tam acute cernere, vt eos Poetæ, cuſtodes theſaurorum ſtatuerint, cæterum aliquis furax, non in vano ſperabat cum diceret: *Peruigilem ſupereſt herbis ſopire draconem.* PAVLVM V. nullæ, Deo propitio, præſtigiæ, nullæ fallaciæ nouatorum potuerunt ſoporare, quin Maiorum ærarium expilari permiſerit perforari, aut expilari. Conabantur Babyloni, nouata voce *Parſopæ* ſubripere. Verumtamen vigilantiſſimus Seruator, cuſtodiēs Fidem melioris Iſrael, non dormitauit, neque dormiuit; ſed Nouatores ad antiquitatē prouocauit, nec niſi vetuſtam canamque Patrum doctrinam, illis, ex Veritatis cella proma miniſtrauit: cum illis hunc in modum reſcripſit, & Fidei antiquæ teſtimonia deſtinauit.

PAVLVS PAPA V,

Paulus V. Patriarchæ Babylonis reſcribit & fidei antiquę teſtimonia delinat.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Duplici affectu, lætitia atque commiſeratione, nec ſane leui, commouerunt charitatis noſtræ viſcera, litteræ, quas à Fraternitate tua, nobis reddidit dilectus Filius Adam Archidiaconus, vt ſcribis, Cameræ tuæ Patriarchalis, & Monachorum tuorum Archimandrita, quem ad nos miſiſti. Lætabamur quidem ſummopere, ex reuerentia, ac diuiſione, quam profiteris ſummam erga ſanctam Beatiſſimi Petri Principis Apoſtolorum Sedem: eoque magis quia hoc veræ pietatis ſtudium perpetuò viguiſſe in Eccleſia tua ſcribis. Miſerabamur autem, vel potius augebamur: quod cum hac veneratione Apoſtolicæ Sedis, non eandem doctrinam Catholicæ Fidei, quam ipſa profitetur, reperiebamus. Sed miſericordiarum Patri Deo gratias agimus, quia te quoque vehementer commotum fuiſſe ob hanc diuerſitatem vidimus; in quo diuitias ineffabilis eius elementiæ agnoſcimus, & peculiarem quandam erga te immenſæ miſericordiæ ſuæ gratiam. Nam tametſi ex diligentia, atque ſollicitudine, qua rationem tantæ diſcrepantiæ exquiſiuiſti, te valde prudentem, & accuratum in paſtorali tuo munere deprehenderimus; nihilominus, cum nimis compertum ſit quantum refert, non modo in his quæ ad Fidem pertinent, ſed in qualibet doctrina quomodo quis educatus fuerit; fatendum planè videtur, totum hoc miſerentis Dei opus fuiſſe, vt dum omnes anteceſſores tui, ac nationis veſtræ Doctores ſemper exiſtimauerunt, vt dicis, ſe rectè de Fide ſentire, nec ab Eccleſia ſancta Catholica Apoſtolica Romana, in alio, quam in modo loquendi differre, primus dubitare cœperis, ſedulò veritatem quæſieris: nec temere, duorum reſponſioni, quamuis deſiderio tuo congrueris, acquieueris; ſed pie ac ſapienter, nos, ac ſanctam hanc Sedem conſulere volueris. Peramanter itaque Archidiaconum tuum excepimus, profeſſionem Fidei veſtræ, & quo pacto tam diuerſa dogmata componi, & ad vnum ſenſum redigi poſſe exiſtimaret, audiuimus. Sed mutauit ille ſuam ſententiam. Etenim cum nullam prorſus haberet notitiam ſacrorum Conciliorum, vt manifeſtè apparebat ex Commentario, quem de hac compoſitione & conſenſu, ſcriptum à ſe, mandato tuo, ad nos attulerat: & ex diſputationibus quas habuit ſatis diuturnas, ac frequentes, cum viris pietate, ac doctrina præſtantibus, quibus vt illum docerent Catholicam veritatem mandauimus: & ipſe quoque ingenuè fatebatur: poſtquam oſtenſum illi fuit, damnatum fuiſſe Neſtorium à ſanctis Patribus in Concilio Epheſino, ob has nefarias blaſphemias: nempè quia impiè aſſerebat, Chriſtum Dominum noſtrum fuiſſe purum hominem: & Verbum Dei inhabitaſſe in eo tamquam in templo; ita vt Diuinitatem & humanitatem diceret in ipſo accidentaliter coniunctas, & non ſubſtantialiter & hypoſtaticè vnitas: & Beatiſſimam, Immaculatamq; Virginem Mariam hac de cauſa, non Matrem Dei, ſed tantum Matrem Chriſti appellandam: ſimiliter duas in vno Filio fuiſſe perſonas: puri ſcilicet hominis, ac Verbi Dei: Hominem à Deo aſſumptum, ob aſſumentis coniunctionem, non autem propriè, dicendum eſſe Deum: eguiſſe propitiatione, ſicut cæteri homines egent; paulatim ad Pontificiam dignitatem euectum eſſe: & non minus pro ſe, quàm pro nobis ſacrificium Deo obtuliſſe à Spiritu ſancto, tamquam ab aliena virtute glorificatum, ac demum, non aliter quam Moyſes dictus fuit Deus Pharaonis, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum exiſtimandum eſſe Deum. Quibus omnibus diligenter ac ſæpius recognitis, poſt annum elapſum, & amplius Neſtorium tandem & omnes, qui cum eo hæc, & ſimilia ſentiunt, alacri animo damnauit, & anathematizauit.

Neſtorij blaſphemæ in Conc. Epheſino damnatæ.

Pari quoque pacto fuit illi demonſtratum, ex determinatione Sextæ Synodi Vniuerſalis, quæ tertia eſt Conſtantinopolitana; Duas eſſe in Chriſto Domino voluntates, ac duas operationes, ſicut duæ ſunt in eo naturæ: contrarium autem, tamquam blaſphemum & hæreticum, à ſanctis Patribus fuiſſe reprobatum: Synodali decreto Macarium Patriarcham Antiochenum Epiſcopum dignitate propterea priuauerunt, & à communione Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ ſeparauerunt: quia auſus fuerat impiè aſſerere cum Theodoro Epiſcopo Pharanitano, Sergio & Petro Epiſcopis Conſtantinopolitanis, Cyro Epiſcopo Alexandrino, damnatis hæreticis, vnam tantum eſſe in Chriſto voluntatem, atque vnicam operationem.

Sexta Synod. duas in Chriſto voluntates & duas operationes credendum decreuit.

Vidit ſimiliter decretum in Concilio Florentino vniuerſali, à felicis recordationis Eugenio Quarto prædeceſſore noſtro factum, de proceſſione Spiritus ſancti à Patre & Filio: cui Patres omnes Eccleſiæ Latinæ, ac Græcæ, pariter ſubſcripſerunt, ipſo Græcorum Imperatore præſente, qui ad remouendum Græcorum ſchiſma, Synodi vniuerſalis congregationem curauerat, & ex Regia vrbe Conſtantinopolitana in Italiam venerat.

Concil. Flor. Spiritum ſanctum à Patre, & Filio procedere ſanxit.

Ex quibus omnibus Archidiaconus tuus Orthodoxa veritate percepta, quam Eccleſia ſancta Catholica Romana docet, de altiſſimis myſterijs Incarnationis Verbi Dei, & proceſſionis Spiritus ſancti, errores ſuos proprios, atque nationis veſtræ communes agnouit: quos ſponte, & ingenuè, coram dilecto filio Magiſtro Commiſſario Officij ſanctæ Inquiſitionis confeſſus, ac deteſtatus eſt: illoſque auctoreſque illorum, Neſtorium, Theodorum Mopſueſtenum, Diodorum Tarſenſem, Macharium, Antiochenum, cæteroſque omnes hæreticos, atque hæreſiarchas, ab Eccleſia ſancta Romana damnatos, cum eorum hæreſibus, & impietatibus abiurauit, damnauit, & anathematizauit. Et quia, Venerabilis Frater, à nobis poſtulaſti, vt tibi errores ſignificaremus, quos in Fide veſtra reperiſſemus, illoſque corrigeremus: paratum quippè te exhibebas, cum Archiepiſcopis & Epiſcopis obedientiæ tuæ ſubiectis, ad correctionem recipiendam: iuſto, pioque tuo deſiderio ſatisfacere cupientes, ac ſimul vt adimpleremus præceptum, quod à Domino in Beati Petri perſona accepimus, vt videlicet confirmaremus Fratres noſtros in Fide: mandauimus, cuncta que dilecto filio Adæ Archidiacono tuo oſtenſa fuerunt de ſacrorum Conciliorum decretis, diligenter deſcriberentur, & in Chaldæum idioma fideliter verterentur, & ad Fraternitatem tuam mitterentur. Igitur accipies cum his noſtris litteris deſcriptionem errorum, immo blaſphemiarum, impij Neſtorij, vt in Concilio coram Patribus recitatæ fuerunt: cuius initium tale eſt.

Petrus presbyter Alexandriæ, Notariorũ Primicerius dixit; Habemus præ manibus Reuerendiſs. Neſtorij blaſphemiarum Commentarios &c. Accipies pariter epiſtolam à Beato Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, atq; Synodo Alexandriæ congregata, ad Neſtorium ſcriptam: quã fraterne

illum

illum erroris admonent: atque duodecim capitibus, quid de ineffabili myſterio Incarnationis tenendum Catholicè ſit, declarant: Incipit autem ſic: Cum Saluator apertè pronunciet, &c. Monuerat Beatus Cæleſtinus primus, prædeceſſor noſter Neſtorium, & de illius ſalute ſollicitus, correctionem eius curandam Beato Cyrillo mandauerat: ea ratione, vt niſi ad præfinitum tempus reſipuiſſet, illum auctoritate Apoſtolica, ab Eccleſiæ communione ſepararet.

Itaque Cyrillus, coacta Alexandriæ Synodo, epiſtolam, cuius tibi exemplum mittimus, ſcripſit. Sed Neſtorius ex admonitione deterior, ac magis contumax, deteſtabiliores ſemper euomens blaſphemias, grauiores turbas in Eccleſia excitabat. Quare Synodus vniuerſalis Epheſi conuocatur, cui Cyrillus vices Cæleſtini Papæ gerens, auctoritate eius Apoſtolica præfuit: in qua recognitis, examinatiſque erroribus Neſtorij, cum ipſe noluiſſet ſe ſiſtere Concilio, vnanimi Patrum ſententia Synodali decreto damnatus fuit: cuius damnationis exemplum tibi quoque mittimus, quod ita incipit: S. Synodus dixit. Cum præter cætera, &c. Sed damnato depoſitoque Neſtorio atque in exilium ad Lybiæ deſerta deportato, ſcriptiſque ſuis vbique locorum concrematis, nihilominus ignis hæreſeos, extinctus omninò non eſt, ſed flamma tantum compreſſa, quæ longe lateque diffuſa erat. Nam ſcintillæ, vnde hoc incendium initium habuerant, latitantes permanſerant: ſcripta nempe Theodori Epiſcopi Mopſueſteni, qui Neſtorij Magiſter extiterat.

De Theodoro Mopſueſteno Neſtorii magiſtro hæreſiarcha,

Neque enim à Patribus antea animaduerſa fuerant, vel quia non ſatis vulgata, vel quia Theodorus, ob grauiſſimam pugnam quam ſuſceperat, atque ſuſtinuerat, de myſterio Incarnationis aduerſus Apollinariſtas, tantam ſibi doctrinæ ac pietatis famam comparauiſſet, vt nedum ſuſpectus non eſſet, imò verò inter Orthodoxos, grauiſſimoſque Eccleſiæ Patres haberetur. Igitur hæretici, quod Neſtorij nomine amplius profiteri non poterat, Theodori auctoritate docere, ac tueri nitebantur. Hinc temporis progreſſu, adeo magna perturbatio exorta eſt in Eccleſia Dei, vt poſt Chalcedonenſem Synodum, Quartam videlicet vniuerſalem, iterum, Sancti Patres coacti fuerint conuenire Cõſtantinopolim ad Vniuerſale Concilium, in quo Theodori Mopſueſteni dogmata recitata, diligenterque animaduerſa, & examinata, ac demum damnata, & anathematizata fuerunt. Huius autem examinis, atque damnationis exemplum, nec non Fidei ſceleratum ſymbolum Theodori Mopſueſteni, ex actis eiuſdem Quintæ Synodi vniuerſalis deſcriptum tibi mittimus, cuius initium eſt, Sancta Synodus dixit. Ad longum tempus extenſis quæ de Theodoro mouentur, qui Mopſueſtenæ Sanctæ Eccleſiæ fuit Epiſcopus, &c. Quibus omnibus exiſtimauimus, fore vt ſatis innoteſcere Fraternitati tuæ poſſent errores, qui cum Neſtorio, atque Theodoro Mopſueſteno vobis communes ſunt, & quam execrabile, atque Catholicæ Fidei contrarium ſit; negare, Beatiſs. ſemperque Virginem Mariam eſſe vere Matrem Dei, & in Chriſto duas perſonas ponere. Pari pacto tibi mittimus Decretum ſextæ Synodi vniuerſalis Conſtantinopoli celebratæ, quo Sancti Patres actione decima octaua definierunt, eadem ratione confitendum eſſe duas in Chriſto eſſe voluntates, atque operationes, quæ credimus, duas eius eſſe naturas, in vna eius radiante ſubſiſtentia, nec vlli licere aliam Fidem profiteri, aut docere. Incipit autem ſic; Præſens ſancta, & vniuerſalis Synodus fideliter ſuſcipiens, &c. Ex quo, non tantum quid Catholicè credendum ſit, intelliges, verum etiam cognoſces, quam grauiter peccẽt, qui importunis interpretationibus, contrariam ſentẽtiã, damnatamq; impietatẽ tueri ſtudent.

Poſtremo, mittimus tibi decretum, à felicis recordationis Eugenio Quarto, etiam prædeceſſore noſtro, in Synodo vniuerſali Florentina factum, de proceſſione Spiritus ſancti, cuius initium eſt; Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Lætentur cæli, &c. Apertè in hoc Eugenij decreto videbis, omnes pariter Latinæ, & Græcæ Eccleſiæ Patres, confeſſos fuiſſe, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio, tamquam ab vno principio procedere. Et quamuis Græci, à Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum dicant, non ob id tamen, qui rectè ſentiunt, proceſſionem hanc aliter, quam ab vtroque æqualiter intelligunt. Nullo autem modo dicendum, Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere; hoc enim hæreticum, atque damnatum eſt. Ideo Sancta Romana Eccleſia, omnium aliarum Mater, & Magiſtra diuinitus illuſtrata, ad euitandam omnem ſuſpicionem huius impietatis, opportunè declaratura eiuſmodi proceſſionem, non addens, ſed exponens, poſuit in ſymbolo illud, Filioque procedit. *De incomprehenſibilibus igitur myſterijs ſalutiferæ Incarnationis Verbi Dei, atque æternæ proceſſionis Spiritus Sancti, ſic definitum fuit à Sanctis Patribus, & ita credat oportet, quicumque profitetur Catholicam Fidem Declarationes, expoſitiones, conciliationes omnes quæ vel contrarias ſententias defendunt, vel eas ad ſenſum Orthodoxæ veritatis redigere conantur, Non modo vana, ac ſuperflua, ſed damnata, atque reprobata. Sunt enim hæreticorum commenta, quibus eorum impietatem, quam profiteri amplius manifeſtam non poterant fucatam defendere conabantur. Nam ſectatores Neſtorij, nefaria eius dogmata, ex Commentarijs, vt diximus, Theodori Mopſueſteni, à quo virus perditiſſimæ hæreſis hauſerat, & ex his, quæ ab eius fautoribus, contra Beatum Cyrillum, Sanctamque Epheſinam Synodum ſcripta fuerunt, callidè inſtaurare, atque in vulgus ſerere ſtuduerunt.*

Exhortatio Patr. Babyl. pro ſcriptis hæreticorum exterminandis.

Vnde magna Orientis pars poſtmodum infecta fuit, præcipue Chaldæi qui hac de cauſa deinceps, Neſtoriani dicti ſunt. Propterea monemus fraternitatem tuam, atque efficaciſſime hortamur, vt Theodori Mopſueſteni ſcripta, pariterque Diodori Tarſenſis qui cum eo peſſime ſentiebãt, lethalis huius meſſis infauſta ſemina, ſi, vt accepimus, apud vos reperiuntur, delere, effringere penituſque ex veſtra natione exterminare, omnino ſtudeas. Quippe Theodorus tamquam hæreticus, ac peſſimæ doctrinæ author, à Sanctis Patribus, in Quinta vniuerſali Synodo, vt videri poteris, ſecunda videlicet Conſtantinopolitana, damnatus eſt. Remoto autem hoc obſtaculo, facile, vt cõfidimus, cooperante diuina gratia, Catholicam veritatem contra aduerſariorum mendacia tueberis, præſidio auctoritatis ſanctorum vniuerſalium Conciliorum, quorum decreta tibi mittimus. Quibus, ſicut Fraternitatem tuam, cæteroſque venerabiles Fratres Archiepiſcopos & Epiſcopos, atque eruditiores Monachos & Sacerdotes veſtræ nationis inſtruere aduerſus hæreticos curauimus, ita & reliquorum neceſſitati, quantum cum Domino poſſumus conſulere cupientes, quamplurimos li-

bellos profeſſionis Catholicæ Fidei, & Chriſtianæ doctrinæ typis Arabicis excuſis, eidem Adæ Archidiacono tuo, perferendos ad vos dedimus. Abundè ſatisfeciſſe nos tuo deſiderio credimus, venerabilis, ac dilectiſſime Frater. Habes namque à nobis, certiſſimam doctrinam Catholicæ Fidei, & firmiſſima fundamentas quibus ipſa nititur. Reliquem modo eſt, vt eodem zelo, quo veritatem cognoſcere concupiuiſti, cures, nitaris, efficias, vt ipſam nunc vobis declaratum, & patefactum, cæteri quoque recipiant. Nos autem alacri animo, pios labores atque conatus tuos, in propagatione Orthodoxæ Fidei ſemper adiuuabimus, & quo maiores progreſſus veſtros in recta doctrina audierimus, eo magis prompti, ac parati erimus ad Noſtrum auxilium vobis ſubminiſtrandum, ſicut Archidiacono tuo vberius declarauimus. A quo particulam ſalutiferi ligni ſanctiſſimæ Crucis Domini noſtri, incluſum parua Cruce aurea, ornata lapidibus cæleſtis coloris, in maioris Crucis formam, atque librum Sanctorum Euangeliorum, Arabico idiomate typis excuſum, & cum hic argenteum calicem, & patenam, atque thiarum, ac veſtes Pontificales pro ſolemni celebratione incruenti ſacrificij, diuinorumque officiorum, nec non duos alios libros iiſdem characteribus Arabicis impreſſos, vtiles ad medicinæ corporalis doctrinam, & ad intellectus acumen augendum, nam fore illos tibi valde gratos, ipſe communis noſter filius Adam nobis oſtendit. Quæ omnia Fraternitati tuæ ex benedictionibus Sancti Petri mittimus, vt ſignum aliquod à nobis habeas, ſinceræ ac perfectæ dilectionis, qua te in viſceribus Chriſti complexi ſumus.

Munera à S D.N.Paulo V. Patriarchæ Babylonis tranſmiſſa.

Quem tuum Archidiaconum valde tibi commendamus, & pro peculiari noſtro in eum amore, tamquam Filium nobis valde charum, vt præcipue diligas, deſideramus, Toto enim tempore, quo apud nos manſit, pie admodum vixit, monaſticæ vitæ ſuæ inſtitutum religioſe obſeruauit, zelum veritatis agnoſcendo eximium prætulit; aſſiduus in expeditione negotij ſibi à te commiſſi, fuit in exponendis veſtris de fide opinionibus diligens & accuratus, ſed minime pertinax; in recipienda veſtrorum errorum correctione docilis, atque morigerus; demum ita ſe in omnibus geſſit, vt merito beneuolentiam omnium; qui in aliqua de cauſa cum eo egerunt, ſibi conciliauerit. Quare, ſi rem nobis gratiſſimam facere deſideras, virtutem & probitatem ipſius, omni honorificentia maiori qua poteris, noſtra cauſa augebis, Non enim dubitamus, quin optime collocaueris, quicquid honoris ac dignitatis in eum contuleris, ac præterea debitum laboribus ſuis tum magnis, tamquam laudabilibus præmium tribues, quod maxime deſideramus. Deum miſericordiarum ac Patrem hominum oramus, vt opus, quod infallibilis clementia ſua cœpit in te, perficere per noſtræ humilitatis miniſterium, ad ſanctiſſimi nominis gloriam, ac veſtrarum animarum ſalutem dignetur; & ex intimis noſtri cordis viſceribus, tibi, dilectiſque filijs nationis veſtræ, qui fidei Catholicæ notitiā, vere & ex animo concupiſcunt, benedictionem noſtram Apoſtolicam impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die Sanctiſſimæ Annunciationis B. Virginis Mariæ, 8. Calendas Aprilis M DC XIV. Pontificatus noſtri anno nono.

Adam Archidiaconum Patriarchæ ſummopere commendat.

Petrus Strozza.

Hæc PAVLVS QVINTVS, ne quippiam nouaretur, neuè ipſe a cuſtodia vetuſtatis vel hilum deſciſceret, Eliæ Patriarchæ Babylonis ſcribebat, & quæ adiungere, propter Nouatores, vel potius veteratores, (quorum non tantum Oriens, ſed & Septentrio ferax) in Arianiſmo, Neſtorianiſmo, Photianiſmo inueteratos viſum mittebat: qui omnibus conſtet, Eccleſiam Romanam nequicquam ab auita Patrum pietate receſſiſſe; Stancarum, Blandratam, Socinum, Gentilem, Trideitas, nouos Arianos, Sacramentarios & Anabaptiſtas, ac plures alios diuinitatis Chriſti, & Spiritus S. hoſtes, noua ex veteribus, ab execrandis anteceſſoribus mutuaſſe, ſeu mutaſſe; & PAVLVM QVINTVM, Apoſtolici Depoſiti Seruatorem Vigilantiſſimum eſſe.

I.

Cathalocus blaſphemiarum Neſtorij, vt in Concilio coram Patribus fuerunt recitatæ, ex ſecunda parte ſanctæ vniuerſalis Synodi Epneſinæ Actione I.

PEtrus presbyter Alexandriæ, & Notariorum Primicerius dixit; Habemus etiam præ manibus Reuerendiſſimi Neſtorij blaſphemiarum Commentarios: è quorum vno, capita ſelegimus: quæ, ſi ſanctæ huic Synodo placet, prælegemus.

Flauianus Philippenſium Epiſcopus dixit: Legantur, & in acta referantur. Similiter cæteri Epiſcopi dixerunt: Omnes eadem dicimus.

Ex libro Neſtorij, quaterniones XVII. in dogmate. Lecta autem hæc ſunt hunc in modum.

I. *Cum igitur diuina ſcriptura de Chriſti ortu ex Maria Virgine, aut de eiuſdem morte aliquid dictura eſt, nuſquam Dei, ſed ſemper Chriſti, aut filij, aut Domini nomen ponere deprehenditur: quandoquidem tria hæc duarum naturarum notionem complectuntur: & modo quidem hanc, modo vero illam, nonnunquam autem vtramque ſimul inſinuant. Exempli cauſa; Cum ſcriptura generationem Chriſti ex virgine nobis exponit, non dicit: Miſit Deus Verbum Deum: ſed ait: miſit Deus Filium ſuum. Illud enim nomen accipit, quod vtriuſque naturæ ſignificatiuum eſt. Quia enim Filius, ſimul Deus, & homo eſt, ideo dicit: Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, deinde videris nomen quod vtrumque naturam denotat, & præmittitur; Natiuitatem, quæ ex ſancta Virgine eſt, Filij quidem voces (ſiquidem & Chriſtipara Virgo Filium Dei genuit) attamen, quia Filius Dei duplicis naturæ exiſtit, non Dei Filium, ſed humanitatem genuiſſe cogites; quæ propter Filium adiunctum, Filius quoque dicitur.*

II. Ex eodem quaternione XXI.

Quid contingat, aduerte hæretice. Non inuideo Chriſtiparæ Virgini vocem. Agnoſco enim illam venerandam eſſe, quæ Deum ſuſcepit, per quam vniuerſorum Dominus proceſſit, per quam Sol iuſtitiæ emicuit. At rurſus, planſum ſuſpectum habeo: quomodo intellexiſtis illud, proceſſit, non idem ego interpretor illud, proceſſit, & Genitus eſt. Neque enim tam citò noſtri obliuiſcimur. Siquidem Deum ex Chriſtipara Virgine

pro-

proceſſiſſe, id per diuinam ſcripturam edoctus ſum: quod autem Deus ex ipſa natus ſit, id nuſquam ſcriptum comperi, & poſt alia,

III. *Diuina proinde ſcriptura, Deum ex Chriſtipara Virgine genitum eſſe, nuſquam affirmat; ſed Ieſum Chriſtum, ſed Filium, ſed Dominum. Atque hæc fatemur omnes. Neque enim miſer eſſe non poteſt, qui, quæ diuina ſcriptura prodit, non ſtatim recipit. Angelorum vox eſt; Surge, & accipe puerum, & matrem eius. Atqui certum eſt, Archangelos, Natiuitatis myſterium te longe exactius cognouiſſe. Neque tamen dicunt; ſurge, & accipe Deum, & matrem eius: ſed ſurge, & accipe puerum, & matrem eius.*

IV. Eiuſdem ex quaternione xxiv.

Quod ergo dicebamus, eiuſmodi eſt: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum, vel factum eſt (nihil enim obeſt ſenſui, vtrum dixeris) de Spiritu S. eſt: neque etiam obeſt, ſi dixerimus, quod Deus Verbum natus ſit in carne. Aliud enim eſt, ſimul eſſe cum nato, & aliud, naſci. Dicit itaque: Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt: hoc eſt Spiritus Sanctus, quod in ea eſt condidit. Animaduertunt ergo Patres, vt diuinarum ſcripturarum periti ſſimi, ſi pro eo quod incarnatum dicimus, genitum diceremus; neceſſario conſecuturum, Deum Verbum, vel Filium eſſe Spiritus Sancti, vel duos habere Patres. Si verò factum aſſereremus, hinc rurſum inferri, Deum Verbum, Spiritus Sancti creaturam eſſe. Quare generationis vocem fugientes poſuerunt: Qui deſcendit propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, & incarnatus eſt. At quid eſt, inquit, hoc: & incarnatus eſt? Non conuerſus ex diuinitate in carnem. Quod autem dixerunt; Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto; in hoc Euangeliſtam ſecuti ſunt. Euangeliſta enim, inhumanationis myſterium explicans, fugit generationis vocabulum Verbo tribuere, & incarnationis vocem poſuit, Vbi? Audi: Et Verbum caro factum eſt. Non dixit. Verbum per carnem natum eſt. Nam vbicumque Apoſtoli, aut Euangeliſtæ, Filij meminerunt, ſemper ponunt, quod ex muliere natus ſit. Attende obſecro, quid dicam, vbicunque, inquam, Filij nomen recolunt, ſemper ibi Natiuitatis vocabulum vſurpant; vel quod ex muliere ortus ſit affirmant. At vero vbi in Verbi mentionem inciderunt, ibi nullus eorum, quod per humanam naturam natum ſit, aſſerere audet. Audi, quid B. Ioan. Euangeliſta, cum in Verbum, illiuſque humanationem incidiſſet, dicat; Et Verbum, inquit, caro factum eſt, (id eſt carnem ſumpſit) & habitauit in nobis (id eſt naturam induit) & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius (nempè Filij) Non dixit autem; vidimus Natiuitatem Verbi.

V. Eiuſdem, ex quaternione xv. in dogmate.

Sic, & ſecundum carnem Chriſtum, quod Dei Verbo coniunctus ſit, Deum nominamus, in hominis ſimilitudinem apparuiſſe non ignari. Paulum vtrumque prædicantem audi; Ex Iudæis, inquit, eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt Deus ſuper omnia. Primò, hominem eſſe fatetur, mox, ob eam quam cum Deo ſortitus eſt ſocietatem, hominem illum, Deum appellat, ne quis videlicet Chriſtianos hominem colere ſuſpicetur.

VI. Eiuſdem ex quatternione xxvii.

Verum, vt rerum omnium opificem, Deum, appellamus, & rurſum Moyſen, Deum, ait enim, Conſtitui te Deum Pharaonis, & Iſrael Filium Dei. Nam filius, inquit, meus primogenitus Iſrael eſt, & ſicut Saul appellatur Chriſtus: Non enim, inquit, inijciam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt, & de Cyro ſimiliter dictum eſt, hæc dicit Dominus meo Cyro, & Babylonios ſanctos, Ego enim, ait, præcipiam eis, ſanctificati enim ſunt. & ego ducam eos. Ita quoque Chriſtum Dominum, & Deum, & Filium, & ſanctum, & Chriſtum appellamus. Verumtamen licet nominum communicatio ſimilis ſit, dignitas tamen non eadem exiſtit.

VII. Item eiuſdem, ex quatternione xv.

Hoc ſapite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens. Non dixit, hoc ſapite in vobis, quod & in Deo Verbo, quod cum in forma Dei eſſet, ſeruilem formam accepit, ſed voce Chriſti tamquam vtriuſque naturæ notionem complectente, accepta, ſine periculo, illum, & formam ſerui ſumpſiſſe aſſeuerat, & Deum nominat, dictorum vim in naturarum dualitatem inoffenſe partiens.

VIII. Item eiuſdem ex quatternione xvi.

Vt in nomine, inquit, *Ieſu, omne genufle ctatur, cæleſtium, & terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus eſt Ieſus Chriſtus. Propter induentem indutum veneror: propter latentem, adoro apparentem. Inſeparabilis à viſibili Deus, atque ideo eius qui non ſeparatur, honorem non ſeparo, naturas ſeparo, ſed adorationem coniungo.*

IX. Item eiuſdem, ex quatternione xvii.

Erat quidem Deus Verbum ante Incarnationem, & Filius, & Deus, & Patri coexiſtens: at vero in vltimis temporibus ſerui quoque formam aſſumpſit. Cæterum cum ante Filius eſſet, & Filius appellaretur, poſt carnem tamen aſſumptam ſeorſum per ſe Filij nomine appellari non debet, ne duos Filios videamur inducere. Sed quoniam illi vnitus eſt, qui in principio Filius erat, & ipſi coniunctus eſt, quod quidem ad Filiationis dignitatem attinet, non quo ad naturas, propterea etiam diuiſionem nequaquam recipit: ſecundum dignitatem dico filiationis, non ſecundum naturas. Vnde, & Deus Verbum nominatur Chriſtus, quoniam perpetuam cum Chriſto vnionem habet.

X. Item eiuſdem, ex quatternione xv. in dogmate.

Inconfuſam igitur naturarum coniunctionem retineamus. Deum in homine confiteamur, hominem colamus, ob coniunctionem cum omnipotenti Deo ſimul adorandum.

XI. Item eiuſdem, ex quatternione vi.

Perpende quod his ſtatim ſubiungitur: vt miſericors, inquit, *fieret, & fidelis Pontifex, in his quæ ſunt ad Deum. In quo enim paſſus eſt ipſe tentatus, poteſt tentatis ſubuenire. Pontifex igitur qui paſſus eſt, miſericors eſt, paſſibile autem extitit templum, non Deus, qui viuificat illum, qui paſſus eſt.*

XII. Item eiuſdem, ex quatternione xvii.

Vt diſcatis, inquit, *quam eximia extiterit, illa diuinitatis, & carnis Dominicæ quæ in infante cernebatur coniunctio; ipſe enim, & infans erat; & infantis Dominus. Laudaſtis vocem verum ne temere, ac ſine examinatione illi applaudatis, Dixi enim, idem omninò, & infans erat, & infantis inhabitator.*

XIII. Eiuſdem ex quatternione I.

Communes enim ſunt Trinitatis operationes; ſolaque hypſtaſeon diſtinctione ſecernuntur. Quamobrem vnigeniti gloria aliquando adſcribitur Patri, ait enim. Eſt Pater meus, qui glorificat me. Interdum vero ſpiritui; Spiritus enim, inquit, *veritatis, glorificabit me, nonnumquam vero Chriſti potentia.*

XVI. Item eiuſdem, ex quatternione XVI.

Vbi de Chriſto loquitur. *Hic eſt qui dicebat: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti. Hic eſt, qui triduo mortuus fuit, hunc autem tamquam diuinæ maieſtatis cooperatorem, vna cum diuinitate adoro,* & *poſt alia. Non per ſe,* & *ſecundum ſe Deus eſt, quod in vtero formatum eſt, non per ſe,* & *ſecundum ſe Deus eſt, quod Spiritus ſancti opera effectum eſt, non per ſe,* & *ſecundum ſe Deus eſt, quod in monumento conditum eſt. Sic enim hominis, mortuorumque manifeſti cultores eſſemus. At vero quia Deus in homine aſſumpto exiſtit, aſſumptus, vt aſſumenti coniunctus, propter aſſumentem, Deus appellatur.*

XV. Item eiuſdem, ex quatternione III. contra hæreticos, vbi de Spiritu loquitur.

Quomodo, inquit, *is ſeruus eſſe queat, qui vna cum Patre,* & *Filio operatur? Quod ſi quis Spiritus functiones quærat, eas nulla ſui parte, Patris* & *Filij inferiores eſſe comperiet. Non quod vna diuinitas in parte diuiſa ſit, ſed quod diuina ſcriptura, ad oſtendendam Trinitatis æqualitatem, ea ſingulis hypoſtaſibus nonnumquam impertiri ſoleat, quæ vnius alioqui ſunt potentiæ. Hoc verum eſſe, ex ijs operibus ſpectare licet, quæ in tempore ſuſcepta ſunt Deus Verbum factum eſt caro,* & *habitauit in nobis. Humanam porro naturam aſſumptam, Pater ſibi conſedere fecit, Ait enim. Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis. Spiritus denique veniens aſſumpti gloriam promouit,* & *inuulgauit. Cum venerit,* inquit, *ſpiritus veritatis, ille me glorificabit.*

XVI. Item eiuſdem, ex quatternione VI. vbi de Chriſto ait.

Miſſus eſt enim captiuis prædicare remiſſionem, & *cæcis reſtitutionem viſus:* & *vt Apoſtolus ſubiungit,* & *ait, Hic eſt ille, qui fidelis Pontifex à Deo factus eſt. Factus enim is eſt, qui ab æterno non præexiſtebat. Hic, hæretice, ille ipſe eſt, qui ad Pontificiam dignitatem paulatim euectus eſt. Audi vocem, hoc tibi clarius intonantem, in diebus illis, inquit, carnis ſuæ, preces* & *ſupplicationes ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido,* & *lachrymis offerens,* & *exauditus eſt pro ſua reuerentia. Et quidem cum eſſet Filius, didicit ex ijs quæ paſſus eſt obedientiam:* & *conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ: Conſummatur autem, hæretice, id quod paulalim proficit. Qua de re,* & *Ioannes in Euangelijs clamat, Ieſus, inquit, proficiebat ætate, ſapientia,* & *gratia. Quibus Paulus conſona pronuncians, ait, Conſummotus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech,* & *infra, Pontifex appellatur. Quid igitur contra mentem Pauli, impoſſibile Deum Verbum interpretaris, terrena ſimilitudini ipſum commiſcens,* & *paſſibilem Pontificem faciens?*

XVII. Item eiuſdem, ex quatternione XVII.

Vnde fratres, vocationis ſuper cæleſtis participes, conſiderate Apoſtolum, & *Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum qui fidelis eſt ei, qui fecit illum:* & *infra. Cum igitur vnus hic nobis Pontifex ſit compatiens, nobis cognatus,* & *ſtabilis, nolite, à fide quæ in ipſum eſt, recedere. Ipſe enim promiſſæ nobis benedictionis ex ſemine Abrahæ miſſus eſt, tanquam pro ſe,* & *cognato ſibi genere ſacrificium offerens. Sed aduerte; cum omnem Pontificem ſacrificio egere fateatur, Chriſtumque, veluti qui illius, non indiguerit, excipiat: hic tamen tam pro ſe, quam pro cognato ſibi genere ſacrificium obtuliſſe affirmat.*

XVIII. Item eiuſdem, ex quaternione IV.

Audite itaque, & *his quæ dicuntur, animum aduertite. Qui manducat,* inquit, *meam carnem. Memineritis, de carne, ſermonem hic eſſe,* & *carnis vocabulum à me adiectum non eſſe; ne illis forſan perperam interpretari videar. Qui,* inquit, *manducat meam carnem,* & *bibit meum ſanguinem, non dixit, qui manducat meam diuinitatem, aut qui bibit meam diuinitatem. ſed qui manducat meam carnem,* & *bibit meum ſanguinem, in me manet,* & *ego in eo,* & poſt alia.

XIX. *Verum ad id, quod propoſitum eſt reuertamur. Qui manducat meam carnem,* & *bibit meum ſanguinem, in me manet,* & *ego in eo. Mementote, quod de carne hic verba fiant. Sicut miſit me viuens Pater, me, inquam, quem cernitis. Sed forte aliquando perperam interpretor. Audiamus ex ſequentibus: ſicut miſit me viuens Pater. Ille diuinitatem exponit, ego vero humanitatem. Iam videamus, quis perperam interpretetur illud: ſicut miſit me viuens Pater. Hæreticus etiam dicit: Diuinitatem hic exprimit. Senſus eſt enim: miſit me Deum Verbum. Secundum illos Chriſti verba hanc ſententiam habent: ſicut miſit me viuens Pater,* & *ego Deus Verbum viuo propter Patrem. Deinde, quod mox ſequitur, quomodo accipiendum eſt: Qui manducat me,* & *ipſe viuet? Quid quæſo manducamus, diuinitatem, an humanitatem?*

XX. Item eiuſdem, ex quaternione XVI.

Et omnino, ait, *ſi totum nouum teſtamentum ſimul accuratè ſcrutatus fuerit, nuſquam in eo mortem Deo adſcriptam comperies, ſed vel Chriſto, aut Domino, aut filio. Hæ autem voces, Chriſtus,* & *Filius,* & *Dominus, cum vnigenito in ſcripturis tribuantur, naturarum duarum indices exiſtunt:* & *aliquando quidem diuinitatem nonnunquam vero humanitatem, interdum autem vtramque ſimul exprimunt. Exempli cauſa: quando Apoſtolus Paulus per epiſtolam ita prædicat: cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem filij eius, filij humanitatem clare indicat. At vero cum idem rurſus, ad Hebræos ſcribens, ait: Deus nobis locutus eſt in filio, per quem fecit,* & *ſecula, diuinitatem filij indicat. Neque enim caro ſecula condidit, vt quæ multa poſt ſæcula formata ſit,* & infra.

Neque Deitas Iacobum fratrem habuit, neque Dei Verbi mortem annuntiamus, dum corpore, & *ſanguine Dominico reficimur.*

XXI. Item eiuſdem, ex quaternione XXIII.

Animaduerte inquit, *plebem noſtram; multum religionis,* & *maximum pietatis feruorem habere: verum propter dogmatum notitiæ diuinæ ignorationem, grauiter errare, ac labi. Hoc tamen ipſi populo vertendum non eſt; ſed doctoribus (quod qua modeſtia dixerim?) tribuendum, quibus otium non ſuppetit, vt vobis aliquid de exactioribus dogmatibus proponant.*

Petrus

Petrus Presbyter Alandrin:, & Notariorum Primicerius dixit;En hic apertè aſſirmat, neminem ex doctoribus, qui ante illum extiterunt, ea populis locutum, quæ ipſe locutus eſt.

Flauianus Philippenſium Epiſcopus dixit; Quandoquidem horrenda, ac blaſphema ſunt Neſtorij dicta, neque aures noſtræ hiſce amplius inquinari ferunt: blaſphemæ illius voces, ad perpetuam auctoris accuſationem, & notam, liugillatim actis inſerantur.

II.

S. Cyrilli, & Alexandrinæ Synodi epiſtola, Religioſiſſimo, ac Deo amabiliſſimo Conſacerdoti Neſtorio, Cyrillus, & congregata in Aleyandria Synodus ex Ægypti prouincia, ſalutem in Domino.

CVm Saluator Noſter apertè pronunciet; qui diligit patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus: & qui diligit filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus: quid nos faciemus, qui depoſcimur à tua religione, vt te ſuper Chriſtum Saluatorem omnium noſtrum diligamus? Qui enim nobis in die iudicij patrocinabitur, aut quá defenſionem reperire poterimus, propter tam diuturnum ſilentium, de prolatis à te contra eum blaſphemijs? Etſi quidem te tantummodo læderes, docens iſta vel ſentiens, ſollicitudo nobis minor exiſteret. Cum autem totam ſcandalizaueris Eccleſiam, & fermentum inſolitæ prauitatis, & nouæ hæreſis miſcueris in populis: nec tantum ibidem poſitis, ſed vbique conſiſtentibus, (nam tuarum expoſitionum libri per cuncta vulgati ſunt) pro noſtro ſilentio, quæ ratio vltra, vel excuſationis ſermo ſufficiat? Aut quomodo non neceſſe ſit meminiſſe Chriſti Domini, ſic dicentis; Non putetis, quod venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus Patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam. Nam cum læditur fides, parentum reuerentia, velut inutilis, & innoxia deſpiciantur, & amor erga filios fratreſque vitetur. Ad poſtremum etiam, ſuper ipſam vitam mors potius à pijs viris eligatur, vt meliorem reſurrectionem (ſicut ſcriptum eſt) conſequantur. Ecce itaquod te, ſimul cum S. Synodo, quæ apud magnam Vrbem Romam congregata eſt, præſidente ſanctiſſimo ac reuerendiſſimo Fratre, & Conſacerdote noſtro Cæleſtino Epiſcopo, his ſcriptis Synodicis, te etiam tertio conuenimus, conſilium dantes; vt à tam prauis abſtineas, diſtortiſque dogmatibus, quæ, & ſentire cognoſceris, & docere: recipias vero fidem rectam, Eccleſijs, per S. Apoſtolos, & Euangeliſtas ab initio traditam; qui & oculis inſpexerunt, & miniſtri verbi fuerunt, Quod ſi hac religio tua facere diſtulerit, iuxta dilationem præfinitam literis ſanctiſſimi, & reuerendiſſimi Fratris, & Conſacerdotis noſtri Romanæ Præſulis Eccleſiæ Cæleſtini, ſcias te nullam ſortem habere nobiſcum; nec locum, aut colloquium, cum Dei Sacerdotibus, & Epiſcopis obtinere. Non enim fas eſt negligere Eccleſias ita turbatas, & ſcandalizatos populos, fidemque rectiſſimam violatam, diſſipatumque gregem, quem cuſtodire debueras, ſi iuxta nos amator recti dogmatis extitiſſes, Sanctorum Patrum veſtigia pia conſectans. Omnes itaque quos propter fidem tua religio à communione remouit, aut ab ordine ſuo depoſuit, laicos & clericos, in noſtram communionem recipimus. Non enim iuſtum eſt eos tuis decretis opprimi, qui nouerunt recta ſentire: qui etiam benefacientes, tibi prudentiſſimè reſtiterunt. Hoc quidem namque in epiſtola, quam miſiſti ad Præſulem Magnæ Romæ Sanctum, & Coepiſcopum noſtrum Cæleſtinum, ſignificare curaſti. Non autem ſufficiet tuæ religioni tantummodo fidei ſymbolum confiteri, quod expoſitum eſt per idem tempus Spiritu S. largiente, à veneranda & magno Concilio apud Niceam congregato: (hoc enim non intellexiſti, nec rectè interpretatus es; quinima peruerſe; licet ſono vocis eadem verba protuleris) ſed conſequens eſt, te ſcripto, ac iureiurando fateri, quod anathematizas quidem tua ſceleſta, & profana dogmata; ſenties autem, & docebis, quæ nos vniuerſi per Orientem, ſeu per Occidentem Epiſcopi, & Magiſtri, Præſuleſque populorum credimus, & docemus. Epiſtolis autem ab Alexandrina Eccleſia tuæ Religioni directis, conſenſum præbuit, tam ea quæ apud Vrbem Romanam conuenit S. Synodus, quam etiã nos omnes; velut rectè, irreprehenſibiliterque conſcripti. Subdimus autem his noſtris, quæ te ſentire oporteat, & docere & à quibus abſtinere conueniat. Hæc enim eſt Fides Catholicæ Eccleſiæ, cui cuncti conſentiant Orthodoxi, per Occidentem, Orientemque Pontifices.

Profeſſio Fidei Patrum Synod. Alexand. in causa Neſtorii.

Credimus in vnum Deum Patrem Omnipotentem, omnium viſibilium, & inuiſibilium factorem. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei, natum de Patre vnigenitum, hoc eſt ex ſubſtantia Patris. Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum vero ex Deo vero. Natum, non factum homouſion Patris hoc eſt vnius cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt in cælo, & in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. Et incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt. Et reſurgens tertia die, aſcendit in cælos, inde venturus iudicare viuos, & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt; Erat tempus, quando non erat, & antequam naſceretur non erat, & quia ex nullis exiſtentibus factus eſt, aut ex alia ſubſtantia, vel eſſentia eſſe dicunt, aut conuertibilem, vel commutabilem Dei Filium, anathematizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia. Sequentes itaque omnium Sanctorum Patrum confeſſiones, quas loquente in eis Spiritu Sancto protulerunt, & intentiam, quod eſt in eorum intellectibus, eorumque veſtigiis inhærentes, atque iter ambulantes regium profitemur, quod ipſum Vnigenitum Dei Verbum, natum ex ipſa Patris eſſentia, de Deo vero Deus verus, lumen de lumine, per quem omnia facta ſunt, ſiue in cælis ſiue in terra: ſalutis noſtra cauſa deſcendens ad exinanitionem ſeſe dignatus eſt inclinare; Incarnatus, & homo factus, id eſt carnem de Virgine S. ſuſcipiens, eamque propriam faciens, natiuitatem noſtram ex vulua ſuſtinuit, homo de muliere procedens, nec quod erat abijciens. Nam licet factus ſit in aſſumptione carnis, & ſanguinis, tamen eſſet ſic quod erat, Deus natura ſcilicet, & veritate perſtitit. Nec carnem itaque dicimus in naturam Deitatis eſſe conuerſam, nec in ſubſtantiam carnis ineffabilem Dei Verbi eſſentiam commutatam inconuertibilis eſt enim, & inalterabilis omnino: idemque ipſe, iuxta ſcripturas iugiter permanens. Viſus eſt autem,

tem,

tem, & paruulus, poſituſque in cunabulis, & finibus Genitricis Virginis conſtitutus, vniuerſum creaturam replebat vt Deus, genitori ſuo aſſidens: diuinum enim ſine quantitate, & ſine mole eſt, nec vllis terminis continetur. Vnitum eſſe carni verbum ſecundum ſubſiſtentiam confitentes, vnum adoramus Filium, & Dominum Ieſum Chriſtum; non ſeorſum ponentes neque determinantes, hominem, & Deum, velut inuicem ſibi dignitatis, & auctoritatis vnitate coniunctos, hoc enim nouitas vocis eſt, & nihil aliud. Nec item Chriſtum ſpecialiter nominantes Dei Verbum, quod ex Deo eſt, nec alterum ſimiliter Chriſtum ſpecialiter, qui de muliere natus eſt, ſed vnum ſolummodo Chriſtum, Dei Patris verbum cum propria carne cognoſcimus. Tunc enim ex humana cognatione nobiſcum coniunctus eſt: etiam ſi ipſe ſit, qui dat dignis accipere Spiritum Sanctum, & non ad menſuram, ſicut B. Ioannes Euangeliſta aſſeruit. Sed nec illud dicimus, quod Dei Verbum, velut in homine communi qui de S. Virgine natus eſt: habitauerit, ne exiſtimetur, Chriſtus homo Deifer. Quamuis enim habitauerit Verbum in nobis, & dictum ſit, in Chriſto habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter; attamen intelligimus, quod caro factus, non ſicut in Sanctis habitare dicatur, nec talem in ipſo habitationem factam deffinire tentauimus; ſed vnitus naturaliter, nec in carnem commutatus, talem ſibi fecit habitationem, qualem & anima hominis habere creditur ad proprium corpus vnus eſt igitur Chriſtus Filius, & Dominum non velut coniunctione qualibet in vnitate dignitatis, & auctoritatis hominis habentis ad Deum. Non enim vnit naturas dignitatis æqualitas. Etenim Petrus & Ioannes æquales ſunt ad alterutrum dignitatis, quatenus ſunt Apoſtoli, & diſcipuli, verumtamen dico non ſunt vnus. Nec ſecundum appoſitionem, modum coniunctionis aduertimus: hoc enim ad vnitatem non ſufficit naturalem. Nec ſecundum participationem relatiuam, ſicut nos etiam adhærentes Domino vnus cum eo ſpiritus ſumus, ſecundum quod ſcriptum eſt, imo potius coniunctionis nomen enitamus, tamquam non exiſtens idoneum ad ſignificandam vnitatem. Sed neque Deum aut Dominum Chriſti, Verbum Dei Patris nominamus, ne iterum manifeſtè in duos diuidamus vnum Chriſtum, Filium, & Dominum, & in crimen blaſphemiæ recidamus: Deum illi ſeipſum facientes & Dominum Vnitus quippe (ſicut ſuperius diximus) Deus Verbum carni ſecundum hypoſtaſim, Deus quidem eſt omnium, & Dominator vniuerſitatis: veruntamen, nec ſeruus eſt ſibi ipſe, nec Dominum quoniam ineptum eſt, vel potius impium, hoc ſic ſentire, vel dicere, Quamuis enim dicat, Deum, ſuum Patrem; cum ſit natura Deus, & de ſubſtantia eius: tamen nullatenus ignoramus, quod manens Deus, homo quoque factus ſit, qui ſub Deo, iuxta legem naturæ humanitatis conuenientem, exiſteret; ipſe vero ſibi, quomodo, vel Deus poterit eſſe, vel Dominus. Ergo ſicut homo, quantum decenter exinanitionis menſuræ congruit, ſub Deo ſe nobiſcum eſſe dicit. Hoc pacto, ſub lege factus eſt, quamuis ipſe dederit legem, & Legislator, vt Deus exiſteret. Cauemus etiam de Chriſto dicere, propter aſſumentem, veneror aſſumptum, & propter inuiſibilem, adoro viſibilem. Horrendum vero ſuper hoc eſt etiam illud dicere; Is qui ſuſceptus eſt, cum eo qui ſuſcipit, connuncupatur Deus. Qui enim hoc dicit, diuidit iterum in duos Chriſtos eum qui vnus eſt, hominem ſeorſum in parte, & Deum ſimiliter in parte conſtituens. Euidenter enim denegat vnitatem, ſecundum quam non alter in altero coadoratur, neque connuncupatur Deus, ſed vnus intelligitur Chriſtus Ieſus filius vnigenitus, vna adoratione cum propria carne venerandus. Confitemur etiam, quod idem ipſe, qui ex Deo Patre natus eſt Filius, & Deus vnigenitus, licet iuxta naturam propriam impaſſibilis extiterit, pro nobis tamen ſecundum ſcripturas, carne perpeſſus ſit: & erat in crucifixo corpore, propriæ carnis impaſſibiliter ſibi approprians paſſiones. Gratia vero Dei pro omnibus guſtauit mortem, tradens & proprium corpus, quamuis & naturaliter ipſe vita ſit, & reſurrectio mortuorum, Nam vt mortem ineffabili potentia proculcaret, ac prius in ſua carne primogenitus ex mortuis fieret, & primitiæ dormientium viamque faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recurſum; gratia Dei (ſicut ſupra dictum eſt) pro omnibus guſtauit mortem, & tertia die reſurrexit, & expoliauit infernum. Idcirco quamuis dicatur, quod per hominem facta ſit reſurrectio mortuorum, tamen intelligimus hominem, qui eſt Verbum ex Deo genitum; & per ipſum, mortis Imperium fuiſſe deſtructum. Veniet autem temporibus præfinitis (tamquam vnus Filius & Dominus) in gloria Patris, vt iudicet orbem terrarum in iuſtitia, ſicut ſcriptum eſt. Neceſſario quoque, & hoc adijciemus. Annunciantes enim mortem ſecundum carnem Vnigeniti Filij Dei, id eſt Ieſu Chriſti, & ex mortuis reſurrectionem eius; & in cælos aſcenſionem pariter confitentes, incruentum celebramus in Eccleſiis Sacrificium. Sic enim ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur. participes ſanctæ carnis, & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrum Redemptoris effecti: non vt communem carnem percipientes (quod abſit) nec vt viri ſanctificati, & Verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſſidentis habitationem, ſed vere viuificatricem, & ipſius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus exiſtens; quia vnus factus cum propria carne, viuificantem eam eſſe declarauit. Et ideo quamuis dicat ad nos: Amen Amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem: non tamen eam, vt hominis vnius ex nobis exiſtimare debemus (quomodo enim iuxta naturam ſuam viuificatrix eſſe caro poterit hominis?) ſed vt vere propriam eius factam qui propter nos filius hominis factus eſt, & vocatus. Eas autem voces, quas Saluator noſter in Euangelijs protulit; non in duabus, ſubſiſtentijs, aut perſonis patimur; Non enim duplex eſt, vnus, & ſolus Chriſtus; quamuis ex duabus, & differentibus rebus, ad vnitatem cognoſcitur indiuiduam conueniſſe. Sicut homo quoque, ex anima intelligitur eſſe, & corpore; non duplex, ſed vnus potius ex vtroque. Humanas ergo, & diuinas inſuper voces, ab vno Chriſto dictas animaduertentes recte ſentimus. Cum enim loquitur de ſeipſo; Qui me videt, videt, & Patrem, &: Ego & Pater, vnum ſumus; diuinam eius intelligimus, ineffabilemque naturam, ſecundum quam vnum eſt cum Patre ſuo propter identitatem ſubſtantiæ: imago, & character, ſplendorque gloriæ eius exiſtens. Cum vero humanæ naturæ conditionem minime aſpernans, Iudæos alloquitur: Nunc me quæritis occidere,

quia

quia veritatem locutus ſum vobis; rurſum nihilominus, eum qui in ſimilitudine, & æqualitate Patris eſt, Deum Verbum, etiam in conditionibus humanitatis eius, agnoſcimus. Etenim ſi neceſſarium eſt credere, quod natura Deus exiſtens, factus ſit caro; imo potius homo animatus anima rationali; quæ cauſa eſt, vt in eius quibuſlibet vocibus aliquis erubeſcat, ſi eas homini dignas effatus eſt? Quod ſi ſermones homini congruentes abijcit: iuxta nos hominem fieri, quis coegit? Cum verò ſe propter nos, ad exinanitionem ſpontaneam misericorditer inclinauerit; quã ob cauſam dignos exinanitione ſermones effugerit? vni igitur perſonæ, cunctæ voces eius in Euangelio adſcribendæ: vni ſubſiſtentiæ verbi (ſcilicet) incarnatæ quia vnus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, ſecundum ſcripturas. Quamuis autem appelletur, & Apoſtolus, & Pontifex confeſſionis noſtræ, tanquam offerens Deo & Patri, ac etiam Spiritui Sancto fidei confeſſionem: ipſum rurſus eſſe dicimus ex Deo filium vnigenitum: nec homini alteri ab eo, Sacerdotij nomen, ac rem ſum tribuimus: factus eſt enim mediator Dei & hominum, & reconciliator ad pacem, ſemetipſum Deo & Patri offerens in odorem ſuauitatis.

Ideoque dicebat: ſacrificium, & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi. Holocauſta, & pro peccato tibi non placuerunt, tunc dixi, ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem, Deus, voluntatem tuam. Obtulit enim proprium corpus, non pro ſe, ſed pro nobis, in odorem ſuauitatis. Nam qua pro ſe vel oblatione, vel ſacrificio indigeret, omni peccato exiſtens liber, vt Deus? Quod ſi omnes peccauerunt & egent gloria Dei, ſecundum hoc quod ſumus ad mutabilitatis exceſſum proniores effecti: & peccatis ægrotauit humana natura: ipſe verò non ita: ideoque & nos à gloria eius ſuperamur: cur erit vltra iam dubium, quod agnus verus ſit pro nobis immolatus? Qui autem dicit, quia ſeipſum, tam pro ſe, quam pro nobis obtulerit: nullatenus impietatis crimen effugiet: cum nihil prorſus iſte deliquerit, nec vllum fecerit omnino peccatum, Qua igitur egeret oblatione, nullo ſuo exiſtente facinore? pro quo (ſi eſſet) ſatis admodum conuenienter offerret. De Spiritu quoque cum dicit; ille me clarificabit: hoc rectiſſimè ſentientes, vnum Chriſtum Dominum & filium, non velut alterius egentem gloria, confitemur, à Spiritu Sancto gloriam conſecutum: quia eius Spiritus, nec melior, nec ſuperior ipſo eſt: ſed quia magna opera faciens ad demonſtrationem ſuæ Deitatis, proprio Spiritu vtebatur: ſicut ſi quis forte noſtrum de exiſtente in ſe robore, vel ſcientia in quolibet, ipſa me clarificabit, diceret. Quamuis enim in propria ſubſiſtentia ſit Spiritus, & intelligatur per ſe, iuxta id quod Spiritus eſt, & non Filius: attamen alienus non eſt. Nam Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt, & ab iſto ſimiliter, ſicut ex Deo Patre, procedit. Denique hic ipſe Spiritus, etiam per Sanctorum manus Apoſtolorum miracula glorioſa perficiens, Dominum glorificauit Ieſum Chriſtum, poſtquam aſcendit in cælum. Nam creditus eſt Chriſtus, natura Deus exiſtens, per ſuum Spiritum virtutes efficiens: ideoque dicebat: de meo accipiet, & annunciabit vobis. Nequaquam vero participatione alterius, idem Spiritus, ſapiens aut potens dicitur: quia per omnia perfectus eſt, & nullo prorſus indigens bono. Nam cooperatrix virtutis, & ſapientiæ, i. e. Filij Spiritus eſt: & ideò ipſa re, virtus, & ſapientia eſt, & potentia. Igitur, quia Deum carne vnitum, iuxta ſubſiſtentiam S. Virgo corporaliter peperit: idcirco eam Dei genitricem eſſe profitemur: non quod Verbi natura exiſtentis principium de carne ſortita ſit; (erat enim in principio Verbum, & Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & ipſe conditor ſæculorum Patri coæternus, & vniuerſitatis creator:) ſed, vt ſuperius diximus, quoniam iuxta ſubſiſtentiam ſibimet vniens humanam naturam, natiuitatem ſuſtineret ex ipſa vulua corporea. Non quod eguerit neceſſario propter ſuam naturam, natiuitate, quæ eſt in extremis ſæculi facta temporibus: ſed vt ipſas benediceret ſubſtantiæ noſtræ primitias: & dum Deum carni vnitum, mulier edidiſſet: illa, quæ aduerſus omne genus humanum maledictio fuerat prolata, deſineret: nec iam morti noſtra corpora deſtinaret. Illud quoque dictum eſt. In triſtitia pariet filios, ipſe diſſoluens, verum eſſe monſtraret, quod Propheta voce prædixerat; Abſorpta eſt mors in victoria, & iterum; Abſtulit Deus omnem lacrymam ab omni facie. Propter hanc enim cauſam dicimus, eum diſpenſatorie, & ipſis tunc benedixiſſe nuptijs, cum in Cana Galilææ cum ſanctis vocatus fuit Apoſtolis. Hæc ſapere edocti ſumus, tam à Sanctis Apoſtolis, quam Euangeliſtis, & ab omni ſcriptura diuinitus inſpirata, nec non & à beatis Patrum confeſſionibus veritate ſubnixis. His omnibus etiam religionem tuam concordare, & præter aliquem dolum conſentire, conuenit. Quæ vero religionem tuam anathematizare neceſſe eſt, huic epiſtolæ noſtræ ſubiecta ſunt.

I. Si quis non confitetur, Deum eſſe veraciter Emanuel, & propterea Dei Genitricem Sanctam Virginem: (peperit enim ſecundum carnem, carnem factum Dei Verbum, ſecundum quod ſcriptum eſt, Verbum caro factum eſt) anathema ſit. Canones Cõcil. Alexand. contra Neſtorium.

II. Si quis non confitetur, carni ſecundum hypoſtaſin vnitum Dei Patris Verbum; vnumque eſſe Chriſtum cum propria carne, eundem ſcilicet Deum ſimul & hominem, anathema ſit.

III. Si quis in vno Chriſto diuidit ſubſiſtentias poſt vnitatem, ſola eas connexione coniungens, eaque quæ ſecundum carnis dignitatem ſit, vel etiam auctoritatem & poteſtatem, ac non potius conuentu, qui per vnitatem factus eſt naturalem, anathema ſit.

IV. Si quis in perſonis duabus, vel ſubſiſtentijs, eas voces quæ in Euangelicis, Apoſtoliciſque ſcriptis continentur, diuidit, vel de Chriſto dicuntur à Sanctis, vel ab ipſo de ſeipſo: & aliquas quidem ex his, veluti homini, qui præter Dei Verbum ſpecialiter intelligatur, adſcribit: alias vero, tanquam conuenientes Deo, ſoli Dei Patris verbo; anathema ſit.

V. Si quis audeat dicere hominem Chriſtum Theophoron, i. e. Deiferum: ac non potius Deum eſſe veraciter, dixerit, tanquam Filium per naturam: ſecundum, quod Verbum factum eſt caro, & communicauit ſimiliter & nos carni & ſanguini: anatema ſit.

VI. Si quis dicere audeat, Deum eſſe, vel Dominum Chriſti, Dei Patris Verbum: & non magis eundem ipſum confitetur, Deum ſimul, & hominem; propterea, quod Verbum caro factum eſt, ſecundum ſcripturas; anathema ſit.

VII. Si quis dicit, velut hominem Ieſum operante

rante Deo Verbo, actum eſſe; & vnigeniti gloriam, tanquam alteri præter ipſum exiſtenti tribuit; anathema ſit.

VIII. Si quis auſus, fuerit dicere, aſſumptum hominem coadorandum Deo Verbo, & glorificandum, & connuncupandum Deum, tanquam alterum in altero (nam, con, ſyllaba ſuper adiecta, hac cogit intelligi) ac non potius vna adoratione veneratur Emanuelem, vnamque ei glorificationem attribuit, iuxta quod Verbum caro factum eſt; anathema ſit.

IX. Si quis vnum Dominum Ieſum Chriſtum glorificatum dicit à Spiritu Sancto, tanquam qui aliena virtute per eum vſus fuerit, & ab eo acceperit poſſe operari contra immundos Spiritus, poſſe & coram hominibus diuina ſigna perficere: ac non potius proprium fatetur eius Spiritum, per quem diuina ſigna operatus eſt; anathema ſit.

X. Pontificem & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum, diuina ſcriptura dicit, obtuliſſeque ſemetipſum pro nobis in odorem ſuauitatis Deo & Patri. Si quis ergo Pontificem & Apoſtolum noſtrum dicit factum, non ipſum Verbum Dei, quando caro factum eſt, & homo (iuxta nos homines;) ſed velut alterum, præter ipſum ſpecialiter, hominem ex muliere: aut qui dicit, quod pro ſe obtuliſſet ſemetipſum oblationem, & non potiùs pro nobis ſolis. non enim eguit oblatione, qui peccatum, omninò neſciuit: anathema ſit.

XI. Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricem eſſe, & propriam ipſius Verbi Dei Patris, ſed velut alicuius alterius præter ipſum, coniuncti eidem per dignitatem, aut quaſi diuinam habentis habitationem, ac non potiùs viuificatricem eſſe, vt dicebamus, quia facta eſt propria Verbi, cuncta viuificare habentis poteſtatem anathema ſit.

XII. Si quis non confitetur Dei Verbum paſſum carne, & crucifixum carne; & mortem carne guſtaſſe, factumque primogenitum ex mortuis, ſecundum quod vita eſt, & viuificator vt Deus: anathema ſit.

III.

Sanctæ Synodi Oecumenicæ Epheſinæ, ex præſcripto Cæleſtini Papæ, ſententia, in Neſtorium hæreſiarcham.

SAncta Synodus dixit; *Cum præter cætera, impiiſſimus Neſtorius, neque noſtræ citationi parere, neque Sanctiſſimos, religioſiſſimoſque Epiſcopos à nobis deſtinatos admittere voluerit, neceſſariò deuenimus ad examinationem eorum, quæ impiè docuit. Deprehendentes itaque, partim ex litteris commentariiſque ipſius, partim ex ſermonibus, quos nuper in hac Epheſiorum Metropoli habuit, quique teſtimoniis comperti ſunt, illum impiè ſentire, & prædicare, coacti per ſacros canones, & epiſtolam Sanctiſſimi Patris noſtri & Comminiſtri Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ EPISCOPI, lachrymis abundè perfuſi, ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſariò venimus: Igitur DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS, quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetiuit, per Sanctam hanc Synodum, eundem Neſtorium Epiſcopali dignitate priuatum, & ab vniuerſo Sacerdotum conſortio & cœtu alienam eſſe decreuit.*

Epiſcopatu priuatur, & ex communicatur.

IV.

Theodori Mopſueſteni, execrandum, ſymbolum.

EOs, *qui nunc primum erudiuntur Eccleſiaſticorum dogmatum ſubtilitate, ſeu ab aliquo hæretica errore tranſire volunt ad veritatem, doceri oportet, & confiteri, quod Credimus in vnum Deum Patrem ſempiternum, qui non poſtea cœpit eſſe, ſed ſupra conſtitutum ſempiternum: ſed neque poſtremo factum Patrem, quia ſemper & Deus erat, & Pater. Credimus autem, & in vnum Filium Dei vnigenitum, qui eſt de ſubſtantia Patris, vt verè Filium, qui & eiuſdem ſubſtantiæ eſt, cuius & eſt, & creditur Filius. Et in Spiritum Sanctum, qui ex Dei ſubſtantia eſt, qui non Filius. Deus autem eſt ſecundum ſubſtantiam, quia illius eſt ſubſtantiæ, cuius eſt Deus & Pater, ex quo ſecundum ſubſtantiam eſt. Nos enim, inquit, non Spiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt: à creatura quidem ipſum ſegregans omni Deo autem coniungens, ex quo ſecundum ſubſtantiam eſt: propria autem ratione præter omnem creaturam, quam non ſecundum ſubſtantiam, ſed cauſa opificationis, ex Deo eſſe putamus: & neque Filium putantes, neque per Filium eſſentiam accipientem. Confitemur autem Patrem vnum, perfectum perſona, & Filium ſimiliter, & Spiritum Sanctum eodem modo. Salua autem ratione pietatis nobis, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, non tres aliquas ſubſtantias diuerſas putare; ſed vnam eandemque naturam Deitatis cognoſcentes. Oportet autem, & de diſpenſatione, quam pro noſtra ſalute, in ea diſpenſatione quæ eſt circa Dominum Chriſtum, Dominus Deus effecit, ſcire, quod Deus, verum hominem aſſumpſit, perfectum, à ſemine conſtitutum Abrahæ & Dauid, ſecundum declarationem Scripturarum diuinarum, hoc conſtitutum natura, quod illi erunt, quorum de ſemine erat, hominem perfectum ſecundum naturam, & ex anima intellectuali, & carne conſiſtentem humana. Quem quidem conſtitutum ſecundum noſtram naturam, Spiritus Sancti virtute in Virgine factum, & natum ex muliere; & factum ſub lege, vt omnes nos redimeret à legis ſeruitute; quam longè ante ſtatuit, adoptionem recipientes, ineffabiliter coniunxit ſibi. Qui mortem quidem eum ſecundum legem hominum ſuſtinere fecit: reſuſcitauit autem ex mortuis, & eduxit in cœlum, & ſedere fecit in dextera Dei, vndè ſuper omnem conſtitutus Principatum, & Poteſtatem, & Dominationem, & Virtutem, & omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro, ab omni creatura ſuſcipit venerationem, vt inſeparabilem ad diuinam naturam habens coniunctionem, relatione Dei, & intellectu, omni ei creatura, venerationem attribuente. Et neque duos dicimus Filios, neque duos Dominos, quoniam vnus Filius ſecundum ſubſtantiam, Deus Verbum, vnigenitus Filius Patri, cui iſte coniunctus, & particeps, communionem habet Filii nomine, & honoris: & Dominus ſecundum ſubſtantiam Deus Verbum, cui coniunctus iſte communionem habet honoris. Et ideò nec duos dicimus Filios, nec duos Dominos: quoniam certò conſtituto, ſecundum naturam, Domino & Filio, inſeparabilem habens ad eum*

coniun-

coniunctionem, qui pro noſtra aſſumptus eſt ſalute, cum illo honorem, & nominationem Filij & Domini habet: non tamquam noſtrum vnuſquiſque per ſeipſum ſubſiſtens Filius, (vnde, & filij multi ſecundum Beatum dicimur Paulum) ſed ſolus præcipuum habens hoc, vt in coniunctione ad Deum Verbum, tam filiationis, quam dominationis particeps ſit; amputans omnem intellectum dualitatis filiorum, & dominorum. Præbet autem nobis in coniunctione ad Deum Verbum, omnem habere eius & Fidem, & intellectum, & viſionem: pro quibus, & venerationem, relatione Dei, ab omni ſuſcipit creatura. Vnum ergo Filium dicimus, & Dominum Ieſum Chriſtum, per quem omnia facta ſunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes, qui ſecundum ſubſtantiam, & Filius Dei, & Dominus eſt; deinde ſimul mente accipientes ſumptum Ieſum, qui eſt de Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu, & virtute, vt coniunctione ad Deum Verbum, filiationis, & dominationis participem conſtitutum: qui ſecundus Adam à Beato vocatur Paulo; eiuſdem quidem naturæ conſtitutus Adam, & oſtendens nobis futurum ſtatum, & tantam habens ad illum differentiam, quanta ſiet eius, qui ineffabilia præbet futuri ſtatus bona, ad eum, qui præſentium triſtium dedit initium. Simili autem modo, & ſecundus homo vocatur, vt ſtatum ſecundum manifeſtans, quia prioris quidem initium dedit Adam, mortalis, & paſſibilis, & multorum pleni dolorum, in quo & demonſtrauit ad eum habere ſimilitudinem: ſecundum autem oſtendit Dominus Chriſtus. Iſte, de cælis in futurum viſus, omnes nos in communionem educet ſuam. Nam primus, dicit, homo de terra terrenus, ſecundus, homo Dominus de cælo; ideſt, inde in futuro appariturus, vt omnes ad imitationem adducat ſui. Vnde addit, Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis, tales, & cæleſtes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus & imaginem eius, qui de cælo eſt. In eo apparente, & cum omnibus videntibus, qui iudicandi ſunt, in occulto conſiſtenta diuina natura, faciet iudicium. Tempora enim ignorantiæ noſtræ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant: quoniam ſtatuit diem, quo iudicet de orbe terrarum in æquitate: in viro, cui conſtituit fidem præſtare, ſuſcitans eum de mortuis. Iſta eſt Eccleſiaſticorum dogmatum doctrina: & omnis qui ei contraria ſapit, anathema ſit.

V.

Anathematiſmi in Theodorum Mopſueſtenum, à ſancta Quinta Synodo Oecumenica Conſtantinopoli prolati.

Poſtquam lecta ſunt blaſphemiæ Theodori Mopſueſteni, & impium eius ſymbolum, S. Synodus exclamauit: hoc ſymbolum Satanas compoſuit. Anathema ei, qui hoc ſymbolum compoſuit. Hoc ſymbolum Epheſina prima Synodus, vna cum auctore eius anathematizauit. Vnum tantummodo fidei ſymbolum ſcimus, quod Nicæni S. Patres expoſuerunt, & tradiderunt. Hoc & ſancta tres Synodi tradiderunt. In hoc omnes baptizati ſumus: & nos in hoc baptizamus. Anathema Theodoro Mopſueſteno. Iſte Euangelia reprobauit; iſte diſpenſationem iniuriauit. Anathema illis, qui non anathematizant illum. Defenſores eius, Iudæi ſunt: ſequaces eius, pagani ſunt.

VI.

Decretum Sextæ Oecumenicæ Synodi, de duabus in Chriſto voluntatibus, & operationibus factum Conſtantinopoli apud Trullum, temporibus Conſtantini Imper. ex act. XVIII.

Præſens S. vniuerſalis Synodus, fideliter ſuſcipiens, & expanſis manibus amplectens, tam ſuggeſtionem quæ à Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta eſt, ad Conſtantinum piiſſimum atque fideliſſimum noſtrum Imperatorem; quæ nominatim abiecit eos, qui docuerunt, vel prædicauerunt (ſicut ſuperius dictum eſt) vnam voluntatem, & vnam operationem in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti veri Dei noſtri; adæque amplexa eſt, & alteram Synodalem ſuggeſtionem, quæ miſſa eſt à ſacro Concilio, quod eſt ſub eodem ſanctiſſimo Papa, centum viginti quinque Deo amabilium Epiſcoporum, ad eius à Deo inſtructam tranquillitatem, vt pote conſonantem S. Chalcedonenſi Concilio, & tomo ſacerrimi ac Beatiſſimi Papæ eiuſdem antiquæ Romæ Leonis, qui directus eſt ad Sanctum Flauianum; quem columnam rectæ fidei, huiuſmodi Synodus appellauit: ad hæc, & Synodicis epiſtolis quæ ſcriptæ ſunt à Beato Cyrillo aduerſus impium Neſtorium, & ad Orientales Epiſcopos. Aſſecuti quoque Sancta quinque vniuerſalia Concilia, & Sanctos, atq; probabiles Patres; conſonanterque confiteri definientes Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Dominum verum noſtrum, vnum de Sancta & conſubſtantiali, & vitæ originem præbente Trinitate; Definitio Synodi. *perfectum in Deitate, & perfectum eundem in humanitate; Deum vere, & hominem vere, eundem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem; per omnia ſimilem nobis abſque peccato; ante ſæcula quidem ex Patre genitum, ſecundum Deitatem, in vltimis autem diebus eundem propter nos, & propter noſtram ſalutem de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, propriè & veraciter Dei Genitrice, ſecundum humanitatem, Vnum eundemque Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, in duabus naturis, inconfuſe, inconuertibiliter, inſeparabiliter, indiuiſe cognoſcendum, nuſquam extincta harum naturarum differentia propter vnitionem, ſaluataque magis proprietate vtriuſque naturæ; & in vnam perſonam, & in vnam ſubſiſtentiam concurrentem. Non in duas perſonas partitum, vel diuiſum, ſed vnum, eundemque filium vnigenitum, Deum Verbum, Dominum Ieſum Chriſtum; iuxta quod olim Prophetæ de eo, & ipſe nos Dominus Ieſus Chriſtus erudiuit: & ſanctorum Patrum nobis tradidit ſymbolum: & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes: indiuiſe, inconuertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſe, ſecundum ſanctorum Patrum doctrinam, adæque prædicamus: & duas voluntates naturales; non contrarias, (abſit) iuxta quod impij aſſeruerunt hæretici: ſed ſequentem eius humanam voluntatem, & non reſiſtentem, vel reluctantem; ſed potius & ſubiectam diuinæ eius, atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim, carnis voluntatem moueri, ſubijci vero voluntati diuinæ, iuxta ſapientiſſimum Athanaſium. Sicut enim eius caro, caro Dei Verbi dicitur, & eſt; ita & naturalis carnis eius voluntas, propria Dei Verbi dicitur: & eſt: ſicut ipſe ait: Quia deſcendi de Cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed*

eius qui miſit me, Patris: ſuam propriam dicens voluntatem, qua erat carnis eius. Nam & caro propria eius facta eſt. Quemadmodum enim ſanctiſſima, atque immaculata, animata eius caro Deificata, non eſt perempta: ſed in proprio ſui ſtatu, & ratione permanſit: ita & humana eius voluntas Deificata, non eſt perempta: Saluata autem eſt magis, ſecundum Deiloquum Gregorium, dicentem. Nam illius velle, quod in Saluatorem intelligitur, non eſt contrarium Deo: Deificatum eſt totum. Duas autem naturales operationes, indiuiſe, inconuertibiliter, inconfuſe, inſeparabiliter, in eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, vero Deo glorificamus: hoc eſt diuinam operationem, & humanam operationem, ſecundum diuinum prædicatorem Leonem, apertiſſimè aſſerentem: Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt: Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt: & carne exequente, quod carnis eſt. Nec enim in quoquam vnam dabimus naturalem operationem Dei, & creaturæ: vt neque quod creatum eſt, in diuinam educamus eſſentiam: neque quod eximium eſt diuinæ naturæ, ad competentem creaturis locum deijciamus. Vnius n. eiuſdemque, tam miracula, quam paſſiones cognoſcimus, ſecundum aliud, & aliud earum ex quibus eſt naturarum, & in quibus habet eſſe, ſicut admirabilis inquit Cyrill. Vndiq; igitur inconfuſum atque indiuiſum conſeruantes, breui voce cuncta proferimus; vnum S. Trinitatis, & poſt incarnationem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum noſtrum eſſe credentes, aſſerimus duas eius eſſe naturas, in vna eius radientes ſubſiſtentia: in qua tam miracula, quamque paſſiones, per omnem ſui diſpenſatiuam conuerſationem: non per phantaſiam, ſed veraciter demonſtrauit, ob naturalem differentiam in eadem vna ſubſiſtentia cognoſcendam: dum cum alterius communione vtraque natura, indiuiſe, & confuſe propria velit, atq; operetur: iuxta quam rationem, & duas naturales voluntates, & operationes confitemur, ad ſalutem humani generis conuenienter in eo concurrentes. His igitur cum omni vndique cautela atque diligentia à nobis formatis; deffinimus, aliam fidem nulli licere proferre, aut conſcribere, compone. eue, aut ſapere, vel etiam aliter docere. Qui vero præſumpſerit fidem aliam componere, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud ſymbolum volentibus conuerti ad agnitionem veritatis ex Gentilitate, vel Iudaiſmo, aut ex qualibet hæreſi, aut qui nouitatem vocis, vel ſermonis adinuentionem, ad ſubuerſionem eorum quæ nunc à nobis determinata ſunt introducere: horum, ſiquidem Epiſcopi fuerint, aut Clerici: alienos eſſe, Epiſcopos quidem ab Epiſcopatu, Clericos vero à Clero, ſin autem Monachi fuerint, vel laici, anathematizari eos.

Pœnæ in eos qui contra ſenſerint.

Patrum ſubſcriptio.

Theodorus humilis presbyter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & locum gerens Agathonis ter beatiſſimi, & Vniuerſalis Papæ Vrbis Romæ, ſubſcripſi.

Georgius humilis presbyter S. R. E. & locum gerens Agathonis ter beatiſſimi, & Vniuerſalis Papæ Vrbis Romæ, ſubſcripſi.

Ioannes humilis Diaconus S. R. E. & locum gerens Agathonis ter beatiſſimi, & Vniuerſalis Papæ Vrbis Romæ, ſubſcripſi.

Georgius, miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos nouæ Romæ, definiens ſubſcripſi.

Petrus miſericordia Dei presbyter, & locum ſeruans Apoſtolicæ Sedis Alexandrinæ Magnæ Ciuitatis ſubſcripſi.

Theophanes, miſericordia Dei Epiſcopus Theopolos, definiens ſubſcripſi.

Georgius, humilis presbyter, & locum gerens Theodori Deo amabilis presbyteri, & loci Seruatoris Apoſtolicæ Sedis Sanctæ Chriſti Dei noſtri Hieroſolymorum Ciuitatis, ſubſcripſi.

Ioannes, miſericordia Dei Epiſcopus Theſſalonicenſis, & Vicarius Apoſtolicæ Sedis Romæ, & Legatus, definiens ſubſcripſi.

Theodorus, miſericordia Dei Epiſcop. Ciuitatis Thremethuntenæ Inſulæ Cypri, & locum gerens Epiphanij Sanctiſſimi Archiepiſcopi, definiens ſubſcripſi.

Theodorus humilis presbyter Sanctæ Rauennatis Eccleſiæ, locum gerens, Theodori beatiſſimi Archiepiſcopi, ſubſcripſi.

Eodem modo ſubſcripſerunt alij centum quadraginta octo Epiſcopi.

VII.

Sanctæ Vnionis Eccleſiarum, in Concilio Oecumenico Florentino factæ, diploma.

Eugenius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Conſentiente ad infraſcripta chariſſimo filio noſtro Ioanne Paleologo Romanorum Imperatore Illuſtri, & loca tenentibus Venerabilium Fratrum noſtrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus.

Lætentur cæli, & exultet terra, ſublatus eſt enim de medio paries, qui Occidentalem, Orientalemque diuidebat Eccleſiam; & pax atq; concordia redijt; illo angulari lapide Chriſto, qui fecit vtraque vnum, vinculo fortiſſimo charitatis & pacis, vtrumque iungente parietem, & perpetuæ vnitatis fœdere copulante ac continente; poſtque longam mœroris nebulam, & diſſidij diuturni atram ingratamque caliginem ſerenum omnibus vnionis optatæ iubar illuxit. Gaudeat, & mater Eccleſia, quæ filios ſuos hactenus inuicem diſſidentes iam videt, in vnitatem pacemque rediſſe: & quæ antea in eorum ſeparatione amariſſime flebat; ex ipſorum modo mira concordia, cum ineffabili gaudia, omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles vbique per Orbem, & qui Chriſtiano cenſentur nomine, Matri Catholicæ Eccleſiæ colletentur. Ecce enim Occidentales, Orientaleſque Patres, poſt longiſſimum diſſenſionis atque diſcordiæ tempus, ſe maris ac terræ periculis exponentes, omnibuſque ſuperatis laboribus, ad hoc Sacrum Oecumenicum Concilium, deſiderio ſacratiſſimæ vnionis, & antiquæ charitatis reintegrandæ gratia, læti alacreſque conuenerunt: & intentione ſua nequaquam fruſtrati ſunt. Poſt longam enim laborioſamque indaginem. tandem Spiritus Sancti clementia, ipſam optatiſſimam ſanctiſſimamque vnionem conſecuti ſunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre ſufficiat? Quis autem diuinæ miſerationis diuitias non obſtupeſcat? cuiuſue ferreum pectus tanta ſupernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt iſta prorſus diuina opera, non humanæ fragilitatis inuenta: atq; ideo eximia cum veneratione ſuſcipienda, & diuinis laudibus proſequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi

Patres Orientis ad Oecum. Florent. Conc. venerunt.

Articulus de proceſſione Spiritus Sancti ſumma diligentia in Conc. diſcuſſus.

tibi gratiarum actio, Chriſte fons miſericordiarum, qui tantum boni ſponſæ tuæ Catholicæ Eccleſiæ contuliſti, atque in generatione noſtra tuæ pietatis miracula demonſtraſti, vt enarrent omnes mirabilia tua. Magnum ſiquidem, diuinumque munus nobis Deus largitus eſt: oculiſque noſtris vidimus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aſpicere nequiuerint. Conuenientes enim Latini, & Græci in hac ſacroſancta Oecumenica Synodo, magno ſtudio inuicem vſi ſunt, vt inter alia, etiam articulus ille de diuina Spiritus Sancti proceſſione, ſumma cum diligentia, & aſſidua inquiſitione diſcuteretur. Prolatis vero teſtimonijs ex diuinis ſcripturis, plurimiſque auctoritatibus Sanctorum Doctorum Orientalium, & Occidentalium: aliquibus quidem ex Patre, & Filio, quibuſdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus, Spiritum Sanctum: & ad eandem intelligentiam aſpicientibus omnibus, ſub diuerſis vocabulis: Græci quidem aſſeruerunt, quod id, quod dicunt: Spiritum Sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferrent, vt excludant Filium: ſed quia eis videbatur (vt aiunt) Latinos aſſerere, Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere, tamquam ex duobus principijs, & duabus ſpirationibus: ideo abſtinuerunt à dicendo, quod Spiritus Sanctus ex Patre procedat, & Filio. Latini vero affirmauerunt, non ſe hac mente dicere, Spiritum Sanctum ex Filio procedere, vt excludant Patrem, quin ſit fons, ac principium totius Deitatis, Filij ſcilicet, & Spiritus Sancti: aut quod id, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat: ſiue quod duo ponant eſſe principia, ſeu duas ſpirationes: ſed vt vnum tantum aſſerant eſſe principium, vnicamque ſpirationem Spiritus Sancti, prout hactenus aſſeruerunt. Et cum ex his omnibus, vnus & idem elleiatur veritatis ſenſus; tandem in infraſcriptam, Sanctam, Deo amabilem, eodem ſenſu, eademque mente, vnionem, vnanimiter concordarunt, & conſenſerunt.

Decretum Patrum de proceſſione Spiritus Sancti.

In nomine igitur Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, hoc ſacro vniuerſali approbante Concilio Florentino: Deffinimus, vt hæc Fidei veritas, ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur: ſicque omnes profiteantur; quia Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt: & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & Filio: & ex vtroque, æternaliter, tamquam ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit. Declarantes, quod id, quod Sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum: ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc ſignificetur, Filium quoq; eſſe, ſecundum Græcos quidem, cauſam, ſecundum Latinos vero, principium ſubſiſtentiæ Spiritus Sancti, ſicut & Patrem. Etquoniam, omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo, gignendo dedit, præter eſſe Patrem: hoc ipſumq; Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt. Deffinimus inſuper, explicationem Verborum illorum, Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licite, ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.*

Decretum de pane in ſacrificio miſſæ adhibẽdo.

Item, in azimo, ſiue fermentato pane tritico, Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſque in altero ipſum Domini corpus conficere debere: vnumquemq; ſcilicet iuxta ſuæ Eccleſiæ, ſiue Occidentalis, ſiue Orientalis conſuetudinem.

De purgatorio & viuorũ ſuffragijs.

Item, ſi verè pænitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pænitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis; eorum animas pænis purgatorijs poſt mortem purgari; & vt à pænis huiuſmodi releuentur, prodeſſe eis fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus, pro alijs fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta: illorumque animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt: illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, prout ſuperius dictum eſt) ſunt purgatæ: in cælum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum trinum & vnum, ſicuti eſt: meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius.

De beatorũ perfecta Dei viſione.

De decedentib. in mortali vel orig. peccato.

Illarum autem animas qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pænis tamen diſparibus puniendas.

De primatu Sed. Apo & Rom. Pon. poteſtate.

Item deffinimus, Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in vniuerſum Orbem tenere Primatum: & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere: & ipſi in Beato Petro, paſcendi, regendi, & gubernandi Vniuerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe: quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Cōciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.

De Patriarcha Conſtantinop.

Renouantes inſuper ordinem traditum in Canonibus, cæterorum Venerabilium Patriarcharum: vt Patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt Sanctiſſimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hieroſolymitanus: ſaluis videlicet priuilegijs omnibus, & iuribus eorum.

Datum Florentiæ, in ſeſſione publica Synodali, ſolenniter in Eccleſia Maiori celebrata, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. XXXIX. pridie Nonas Iulij, Pontificatus noſtri anno Nono.

Subſcriptio eorum qui Conc. interfuerunt.

Ego Ioannes Palæologus, fidelis in Chriſto Rex, & Imperator Romanorum, ſubſcripſi.

Ego Antonius humilis Metropolita Heracliens. & Conſiliarius Edeſſenorum, totius Thraciæ & Macedoniæ Pontifex, & Philothei Sanctiſſimi Patriarchæ, & Sedis Apoſtolicæ Alexandrinæ locum tenens, ſubſcripſi.

Ego Gregorius Protoſingelus, Confeſſor Spiritualis, ac Sedis Apoſtolicæ Alexandriæ, & eius Domini Patriarchæ locum tenens, ſubſcripſi.

Iſidorus Metropolita Kijonien. totiuſque Ruſſiæ, locum tenens Apoſtolicæ Sedis Sanctiſſimi Patriarchæ Antiocheni Domini Dorothei Satishabens ſubſcripſi.

Ego Baſilius Patriarcha Hieroſolymitanus me ſubſcripſi.

Ego Marcus Patriarcha Gradenſis me ſubſcripſi. Subſcripſerunt poſtea Archiepiſcopi, Epiſcopi, Generales Ordinum, & Abbates, qui Concilio interfuerant Florentino, cuius hoc extremum decretum, vna cum ſuperioribus monimentis, Eliæ Patriarchæ Babilonis, miſit Paulus Quintus Pontifex Max. Depoſiti

Apoſtolici Seruator,& PAVLI Apoſtoli verus imitator: ea miſſione illud Paulinum ſuggerens: *Sed licet nos, aut Angelus de cęlo euangelizet vobis, pręterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis anathema ſit.*

CAP. XIX.

Pontifex Romanus, à Chriſto, & à Spiritu Sancto traditæ doctrinæ Dictator.

Quanti ſemper æſtimatæ fuerint traditiones. *in c. 2. epiſt. 2. ad Theſſal.*

PAulinæ mentis verus indagator D. Chryſoſtomus,tanti faciebat traditam à Chriſto, & à Spiritu Sancto, per Apoſtolos, & Apoſtolicos viros non ſcriptam doctrinam,vt præſcriberet: TRADITIO EST; NIHIL QVÆRAS AMPLIVS. Didicit à Paulo Apoſtolo, Theſſalonicenſibus iubente: *State, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.* Prior, certior, verior, amplior, traditio eſt, quam ſcriptura. Prior, traditio. Certè prior anima, quam littera; & prior ſermo, quam liber; & prior ſenſus, quam ſtylus: vt rectè obſeruauit Tertullianus. Prius Chriſtus docuit, qui nihil ſcripturarum reliquit. Prius Apoſtoli prædicauerunt, quam vel ſcripſerunt, vel ſcribendum aliquibus alijs, ſiue diſcipulis, ſiue Euangeliſtis tradiderunt, Namque hi ex traditione ſcripſerunt, vt vnus Euangeliſtarum Lucas ingenue fatebatur; *ſicut*, inquit, *tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis.* Certior, traditio quam ſcriptura. Illa ſcripta in tabulis cordis digito Dei, obliterari, torqueri, & in dubium verti non poteſt: ſcriptura deprauari, negari, eradi, inque ſeciorem non vnum ſenſum, quamuis clariſſima quandoque aliquibus in locis ſit, trahitur. Verior traditio, quam ſcriptura. Id verius, quod prius, quod certius, quod immutabile, quod non variabile, quod corruptelæ non ita obnoxium, quodque ſuæ origini propius. Non talis Scriptura, quæ & ab exſcriptoribus, & ab expoſitoribus, & à profanorum nouitatum inuentoribus, mutationi, variationi, corruptelis non vnis ſed mille ſubacta, vitio alieno. Amplior traditio, quam Scriptura.

Traditio prior ſcriptura. *lib de teſtimon. animæ c. 5.*

Certior.

Verior.

Amplior.

Enimuero, non omnia, quæ vel Redemptor mundi, vel Apoſtoli ab eo miſſi, prædicauerunt, in ſcripturam ſtylus redegit, quæ memoria Orthodoxorum conſeruauit, & quæ Spiritus Sanctus, huic bono datus Eccleſiæ, Fidelibus ſuggeſſit. Namque ſi ſingula facta & dicta Ieſu ſcriberentur, (pronunciabat Ioannes,) nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt, libros. Chriſtus quoque Apoſtolis, iam à concione memoria feſtis: aiebat: Non poteſtis portare modo, ſed Spiritus quem ego mittam vobis à Patre, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Apoſtoli ſane, non omnia quæ docuerunt, ſcripto tradiderunt. Namque ex eis plurimi, quamuis plures prouincias Sole Euangelico illuſtraſſent, nihil ſtylo exararunt: & hi qui ſtylo irradiarunt, plurima alia verbo Eccleſijs tradiderunt: ſiue quod cauerent myſterijs, ne omnibus paſſim, quod facile fuerat, ſi arcana omnia ſcripſiſſet, vulgarentur, ne ſcilicet margaritæ à porcis conculcarentur: ſiue quod à Spiritu Sancto perpetuo Eccleſiæ adſtite indies docerentur, & à perenni illuminatione docti, ea Eccleſijs & ſingulis citra ſcripturam traderent, quæ ad augmentum vniuerſorum, vel ſingulorum proficerent. Neque iſtud negare aut auſi fuere, aut potuere hoſtes Eccleſiæ Catholicæ. Vnus ex eis Brentius, fatebatur; *Negari*, ait, *non debet, nec poteſt, quin tam Chriſtus multa dixerit, & fecerit, quam Apoſtoli multa tradiderint, & conſtituerint, quæ non ſunt ab ipſis, literis comprehenſa.* Kemnitius Brentio adſtipulabatur, dicens: *Apoſtolus igitur ritus quoſdam ordinaſſe & tradidiſſe Eccleſiis, ex ſcriptis ipſorum certo conſtat, & veroſimile eſt,quoſdam etiam alios externos, qui in ſcriptura annotati non ſunt, ab Apoſtolis traditos eſſe.* Conſtat plane ex ſcriptis Apoſtolorum, eos pleraque verbo tradidiſſe. Paulus, orandi in Eccleſia, & ſumendi Euchariſtiam modum Corinthijs verbo tradidit, quodque ea de re tradita præcepta tenerent, eos abunde laudauit: vt Chriſoſtomus, Theophylactus, Epiphanius, & Baſilius obſeruabant. Idem Paulus Apoſtolus, poſtquam Corinthijs, ea quæ illis circa ſumptionem Euchariſtię tradiderat, à Domino ſe accepiſſe ſignificaſſet, pollicebatur eiſdem; *Cætera, cum venero diſponam.* Quę autem diſpoſuerit, ſcriptura nulla meminit.

Brentij teſtimonia de traditione & Kemnitij. *in Prolegomenis c. de traditionibus. in exam. Conc. Trid. ſeſſ. 4.*

Paulus Corinthijs multa tradidit. *in 1. Corinth 11. hæreſi 61. lib. de ſpiritu S. c. 29.*

Ille ipſe in tertium cœlum raptus, Theſſalonicenſibus præcipiebat; ſtarent, & tenerent traditiones, quas didiciſſent, *ſiue per ſermonem*, ait, *ſiue per epiſtolam.* Concludebat Diuus Chryſoſtomus; *hinc patet, quod non omnia per epiſtolam tradiderint, ſed multa etiam ſine literis. Eadem vero fide digna ſunt, tam illa, quam iſta. Itaque traditionem quoque Eccleſiæ, fide dignam putamus.* Chryſoſtomo, Baſilius, Oecumenius, Theophylactus, Damaſcenus, & Patres octauæ Oecumenicæ ſynodi conſentiunt: maxime quod præter euidentia Pauli Apoſtoli dicta, etiam aliorum Patrum, qui vicini temporibus Apoſtolorum, quique & ipſi plura à maioribus accepta, ſucceſſoribus per manus tradiderunt, ad eam veritatem fatendam auctoritate adducerentur. Placet, aliquorum teſtimonia,propter aduerſarios huius auctiſſimæ Eccleſiaſticę machęrę,hic proferre.

Similiter Theſſalon.

lib 4 de fide c. 17. aliisque vle.

Primus S. Ignatius, Apoſtolorum diſcipulus, nouus Dauid, qui nouos Goliados Traditionum funda ſternat. Scripſitis Magneſianis, Epheſijs, Trallianis, Philadelphienſibus Smyrnenſibus, S. Polycarpo, ac præterea Romanis, epiſtolas, traditionibus Apoſtolicis, de ieiunio quadrageſimæ, de die Dominico, de ordinibus minoribus, & de alijs, refertas; adeo vt eas non immerito, *Apoſtolicarum traditionum promptuarium*, ad quas ille ſeruandas omnes vt teſtatur Euſebius hortabatur, nonnemo appellauerit.

Diuerſorũ Patrum teſtimonia de traditionibus. S. Ignatius.

lib. 3. hiſt. c. 36.

Secundus Dionyſius Areopagita eiuſdem ſcholæ Apoſtolicæ alumnus, qui hæc aſſeruit; *Primi illi noſtri Sacerdotalis muneris duces, in iis quæ nobis ſunt familiaria, ſumma illa & ſuperſubſtantialia partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis (iuxta quod ſacræ definiunt leges) nobis tradiderunt.*

S. Dionyſius Areopag. *c. 1. de Eccl. hierarch.*

S. Polycarpus. Papias. *hiſt 5.c.20. lib.4.c.8. lib.3.c.33. lib.3.c.14.*

Tertius S. Polycarpus , apud Euſebium , traditam à Chriſto & ab Apoſtolis, de virtutibus & fide doctrinam referebat . Egeſippus autem ex eodem magiſterio , Apoſtolorum traditiones, libris quinque eodem tempore vulgauerat: quorum meminerat idem ipſe Euſebius. Sane, hoc tempore Papias , Eccleſiæ Hieropolitanæ Epiſcopus , tanti faciebat ab Apoſtolis voce prolatas traditiones , vt ingenue , apud Euſebium fateretur : *Si quis* , ait, *presbyter mihi forte occurrebat , qui cum Apoſtolis verſatus fuiſſet , dicta Apoſtolorum ab eo diligenter ſciſcitabar: nempe quid Andreas dixiſſet, quidue Petrus, quid Philippus , quid Thomas , quid Iacobus , quid Ioannes , quid Matthæus , aut quis alius Domini diſcipulus : quæ deinde Ariſtion, & Ioannes presbyter, qui in numero diſcipulorum Domini habebantur , locuti fuiſſent . Neque enim ea quæ ex libris petebantur , tantum mihi ſubſidii allaturum exiſtimaui , quantum ea quæ acceperam ex hominum voce & ſermone , qui adbuc in vita manebant .* Æqualis Papiæ , S. Irenæus , idem faciebat . Cum enim Romam ad Eleutherium Pontificem ex Gallijs miſſus ab Epiſcopis veniſſet , omnium doctrinarum curioſiſſimus explorator, Apoſtolicæ Eccleſiæ , fidem , ritus , mores , ac diſciplinam, quam illi tradidiſſent Petrus & Paulus Apoſtolorum Principes , quam diligentiſſime perſcrutabatur , nactuſque ibi Apoſtolicas traditiones integras & illibatas , vt ab Apoſtolis traditæ fuerunt , vigilantiſſime cuſtoditas , & integerrime conſeruatas , ad eos omnes , quos ſcriptis exagitat exinde prouocabat hæreticos : quos ſciret eo ſolo tam potentiſſimo (ſi quæ in eis reliqua eſſet ratio veritatis) conuinci poſſe .

S. Irenæus.

Quintus S. Irenæus, qui diſceptatione de aliqua controuerſia recens exorta , recurrendum eſſe monebat , etiam ad alias Apoſtolicas Eccleſias, à quibus veritas quærenda . *Quid enim,* ait, *& ſi de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oportebat, in antiquiſſimas recurrere Eccleſias , in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt , & ab eis de præſenti quæſtione ſumere , quod certum eſt, & reliquidum eſt? Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas tradidiſſent , nonne oportebat ordinem ſequi traditionis , quam tradiderant in quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multę gentes barbarorum, eorum qui in Chriſtum credūt; ſine charactere vel atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem , & veterem traditionem diligenter cuſtodientes.*

Iuſtinus mar. *Apolog. 2.*

Sanct. Iuſtinus Martyr, cum multa de Chriſtianorum inſtitutis , ſcil. quod ſingulis diebus Dominicis conueniret ; quod poſt lectionem ſcripturarum & concionem , panis & vinum aqua temperatum conſecraretur & offerretur ; quodque nonniſi poſt baptiſmum liceret participare de Euchariſtia : & alia complura euulgaſſet , vnde hæc habuiſſet renunciauit: *Poſtridie Saturni , qui dies Solis eſt , cum Apoſtolis, Diſcipuliſque ſuis apparuiſſet , hæc illis tradidit, quæ vobis quoque conſideranda permittimus .* Habuiſſe inſinuat, à traditione Apoſtolorum, quorum temporibus ille vicinus : Hæc autem illi , Eccleſijs , non ſcripto tradiderunt .

Clemens Alexandrin. *apud Euſeb. lib 6.c.11.*

Clemens Alexandrinus ſcripto libro de Paſchate, conquerebatur ſibi extorqueri à Fratribus , vt ea in ſcripta referret , quæ ipſe à presbyteris Apoſtolorum ſucceſſoribus , voce ſola tradita acceperat .

Origenes. *hom. 5 in Numer. & in 6. c. ad Roman.*

Origenes, multis traditionibus non ſcriptis enumeratis dicebat : *In Eccleſiaſticis obſeruationibus , eſſe nonnulla , quæ cum omnibus facere neceſſe ſit , eorum tamen ratio non omnibus patet* , & alio in loco ; *Eccleſia* , aſſerit , *ab Apoſtolis traditionem accepit , etiam paruulis Baptiſmum dare .*

Euſebius Pamphyli. *lib de demõſtr. Euang. c 8*

Euſebius Pamphyli amplius demonſtrabat ; *Moyſis* , inquit , *in tabulis inanimatis , Chriſtus , autem in mentibus vita præditis perfecta noui Teſtamenti documenta deſcripſit . Eius vero diſcipuli , ad magiſtri tui nutum , auribus multorum doctrinam ſuam commendantes , quæcumque quidem veluti vltra habitum progreſſis à perfecto ipſorum Magiſtro præcepta fuerant , ea ijs qui capere poterant , tradiderunt ; quæcumque vero ijs conuenire arbitrabantur , qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent , curationiſque indigentes , ea ip ſi ad imbecillitatem multorum ſe demittentes, partim literis , partim ſine literis , quaſi iure quodam non ſcripto ſeruanda commendarunt .*

S. Baſilius Magn. *lib. de Spir. San. c.27.29.*

Baſilius Magnus : *Dogmata , quæ in Eccleſia prædicantur , quædam habemus è doctrina prodita; quædam rurſum ex Apoſtolorum traditione in myſterio ; hoc eſt in occulto tradita recipimus . Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem ; nec his quiſquam contradicit , quiſquis ſane vel tenuiter expertus eſt , quæ ſint iura Eccleſiaſtica . Nam ſi conſuetudines quæ ſcripto proditę non ſunt , tamquam haud multum habentes momenti , conemur reijcere ; imprudenter & ea damnabimus , quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur , imo potius ipſam ſidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus .* Ne quis vero putet , hæc non eſſe Baſilij , ſed ab aliquo male feriato inſerta ; Ioannes Damaſcenus ea Baſilij eſſe agnoſcit , cum pro ſacris imaginibus ſcribit : *Sic ad verbum ait Diuus Baſilius in vigeſimo ſeptimo capite illius libri , quem de Spiritu ſancto triginta diſtinctum capitibus , ad Amphilochium ſcribit : Quæ in Eccleſia ſeruantur , & prædicantur inſtituta , partim ex ſcripta conſtant doctrina, partim Apoſtolorum traditione .*

S. Ioan. Damaſc. *Orat. 1. pro SS. Imagin.*

S. Auguſtin. *lib. ex dictis Baſilij de Spir. S. c. 21.*

S. Auguſtinus eadem quæ S. Baſilius , ex eodem Baſilio: *Eccleſiaſticarum inſtitutionum, quaſdam in ſcripturis , quaſdam vero Apoſtolica traditione per ſucceſſiones in miniſterio confirmatas accepimus, quaſdam vero conſuetudine roboratas vſus approbauit , quibus par ritus , & idem vtriuſque pietatis debetur affectus . Sin autem attentauerimus , Conſuetudines Eccleſiæ , non per ſcripturas à Patribus traditas , nihil æſtimare ; quantum religio detrimenti ſit latura , intente inſpicientibus liquido conſtabit .*

S. Epiphan. *Serm. 61 contra Apoſtolicos.*

S. Epiphanius; *Oportet autem & traditione vti. Non enim omnia à diuina ſcriptura accipi poſſunt . Quapropter , aliqua in ſcripturis, aliqua in traditione Apoſtoli tradiderunt ; quemadmodum dicit S. Apoſtolus :* Sicut tradidi vobis , *& alibi :* Sic doceo , & ſic tradidi in Eccleſijs .

S. Leo Magn. *Serm. de ieiunio Pentec. lib. 4. de baptiſmo c. 24.*

S. Leo vere Magnus; *Dubitandum non eſt, quicquid in Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis retentum , de traditione Apoſtolica, & de ſancti Spiritus prodire doctrina .* Conforme eſt iſtud , illi, quod aſſerebat Auguſtinus : *Quod vniuerſa tenet Eccleſia , nec Concilijs inſtitutum , ſed ſemper retentum eſt , nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur .*

Tertullian. *contra Marcionem & alios hæretic. lib. de carne Chriſti c 2.*

Tertullianum antiquiſſimum pene prætermiſeram ; qui ad eum modum obſeruantiſſimus eſt traditionum Apoſtolicarum , vt hæreticus

ticus ex his ſolis, vel ſolis, reuincendos eſſe docuerit.

His verbis Marcionem omnium ſuo tempore peſtilentiſſimum hæreſiarcham compellabat; *Si Propheta es, pronuncia aliquid. Si Apoſtolus, prædica publice. Si Apoſtolicus, cum Apoſtolis ſenti. Si tantum Chriſtianus es, crede quod traditum eſt. Si nihil iſtorum es, merito dixerim: Morere, nam & mortuus es, qui non es Chriſtianus, non credendo quod creditum Chriſtianos facit. Creditum eſt autem illud, quod ab Apoſtolis traditum eſt, & prædicatum*, & alibi. *Quid autem Apoſtoli prædicauerint? id eſt, quid illis Chriſtus reuelauerit, & hic præſcribam; non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viua, quod aiunt, voce, quam per epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſijs Apoſtolicis, matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, id ſine dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit: reliquam vero doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti & Dei*. Ab hac præſcriptione, Tertullianus, omnes hæreticos, non ad Scripturas, ſed ad Apoſtolicas traditiones, ab Eccleſijs matricibus, & ab harum deriuatione, à reliquis conſanguineis receptas, prouocabat: vtque concordiam vnius cum eis doctrinæ & fidei oſtenderent perurgebat. Quod dum efficaciſſimis argumentis efficere conaretur, & ex ſolis tantummodo traditionibus Apoſtolicis, hæreſiarchas ac eorum ſectarios profanos, Marcioniſtas, Valentinianos, Tatianum, Cataphrygas, Blaſtum, Theodorum, Melchiſedechianus & alios confutaret, apud illos obtinuit, vt in vniuerſum traditiones Apoſtolicas reijcerent.

de præſcript. c.21.

& c.37.

Quam in inimici traditionum hæretici ſemper fuerint.

lib. de vnitat Eccl. c.19.

Non libenter aſpicit baculum moloſſus, quo ſemel percuſſus eſt: neque hæretici eam fortium armaturam, qua vlcera illorum ſerpentia reciduntur, aut aperiuntur. Donatiſtis, cum S Auguſtinus traditiones Apoſtolicas, & conſuetudinem Eccleſiaſticam obijceret, ferre non poterant, & nonniſi ſcripturas, quas detorquerent vrgebant. Arriani cum Catholicis confligentes, ſemper illud in ore habebant: *Nolo verba, quæ non ſcripta ſunt legi*, vt S. Hilarius Conſtantio Imperatori exprobrabat. Ex his vnus Maximinus Arrianus, S. Auguſtino proponebat: *Si quid*, ait, *de diuinis ſcripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt vt audiamus: hæ vero voces, quæ extra ſcripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur*. Ab Arrianis docti Æriani, apud S. Epiphanium; Eunomiani apud S. Baſilium; Neſtorius, Eutyches & Dioſcorus apud Baſilium Ancyranum: Apoſtolici apud S. Bernardum; Vvicleffus, Huſſus, Hieronymus Praganus, apud Thomam Vvaldenſem: Lutherus, Caluinus, & reliqui huius ſæculi, traditiones non modo contemnunt, ſed etiam execrantur, quin & Diuum Cyprianum lego, quanquam alias traditionum Apoſtolicarum obſeruantiſſimum, tunc cum errorem de rebaptizandis hæreticis erraret, à traditione ad ſcripturas prouocaſſe: adeo inuiſus eſt inimicis veritatis, veriſſimæ atque certiſſimæ veritatis hic radius, an gladius, quo tenebræ diſpelluntur, & veteratores iugulantur. Ita plane lippientibus oculis odioſa lux, quæ puris eſt amabilis: & mille clypei in armamentario Eccleſiæ reconditi, portis inferni formidabiles, qui petræ eis oppoſitæ, aduerſus omnem nouitiam paraturam ſalutares. Namque non certior de erronibus victoria, quam cum hi qui *errauerunt ab vtero, & locuti ſunt falſa*, reuocantur ad vterum Eccleſiæ à qua aberrauerunt: vt videant, & in memoriam reuocent: Num talem, vel aliam doctrinam illi Apoſtoli vel Apoſtolici viri tradiderint.

lib. 1. contra Maximin.

hæreſ. 75. de Spiritu San. c. 27 in VII. Synodo act.

homil. 62. in Cant lib. 2. doctrinæ fidei antiquæ c.19.

Moderni hæretici illas execrantur.

Epiſt. ad Pompeium & ad Iulianum.

O ſi auſcultarent, aureo aurei oris edicto: *Traditio eſt! nihil quæras amplius*: & præſertim, ſi Romanæ Eccleſiæ traditio, ſi ab eius authoritate, ab vniuerſa Eccleſia recepta: ſi de eo quod nemo poteſt aut efficere aut ſtatuere niſi Deus, ab omnibus ſeruata: ſi omnibus retro temporibus, ab omnibes qui ſunt vbique fideles cuſtodita; ſi, communi omnium Eccleſiæ Doctorum & Patrum, ſiue in Concilio Oecumenico definientium, ſiue ſeorſum varijs locis & temporibus ſcribentium conſenſu pro Apoſtolica traditione habita: ſi ab Eccleſia Apoſtolica, in qua integra nec interrupta ab Apoſtolis eſt ſucceſſio pro eadem Apoſtolica doctrina tradita: & vt breuiter dicam, ſi Romanæ Eccleſiæ traditio eſt: nihil quæras amplius; ſi inquam huic auſcultarent: non amplius quærendo, quod traditum fuerat, purum putum veritatis obrizum, perditum irent. *Felix* enim *Eccleſia* Romana, *cui totam doctrinam Petrus & Paulus Apoſtoli, vna cum ſanguine infuuderunt*. Ad hanc felicem Eccleſiam, propter traditiones Apoſtolicas in ea inuiolate ſeruatas, cum de Paſchatis celebratione, de qua nihil ſcripto Apoſtoli tradiderunt, inter Eccleſias diſceptaretur, S. Irenæus martyr (vt inſinuaui) prouocabat: & à ſolis traditionibus non ſcriptis, ſed per manus ab Apoſtolis traditis receptiſque, omnes hæreticos conuincebat, inque reliquis controuerſijs conuincendos eſſe demonſtrabat: *Non oportet*, inquit, *adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere: cum Apoſtoli quaſi in DEPOSITORIVM DIVES, PLENISSIME IN EAM CONTVLERVNT OMNIA QVÆ SVNT VERITATIS: vt omnis quicumque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures ſunt & latrones; propter quod oportet deuitare quidem illos, quæ autem ſunt Eccleſiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem.*

Quanti momenti Rom. Eccleſ. traditio.

Tertullian. de præſcript.

S. Iren. mart. omnes hæreticos à ſolis traditionibus conuincebat.

lib. 3 c. 4.

Ad eandem Eccleſiam felicem, propter eaſdem traditiones à viua voce receptas, & Tertullianus eo tempore Catholicus, ſui & antecedentium temporum hæreſiarchas ac ſequaces eorum prouocabat, & ab eius traditione Africanis Eccleſijs auctoritatem in tenendis tuendiſque conſuetudinibus ac dogmatibus præſto eſſe dicens, omnes Nouatores confundebat, poſſeque hac ſola ſola traditione conuinci oſtendebat. *Videamus*, inquit, *quid ſtatu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Eccleſijs conteſſerarit. Vnum*, ait, *Deum nouit creatorem vniuerſitatis: & Chriſtum Ieſum ex Virgine Maria filium DEI creatoris: & carnis reſurrectionem: Legem, & Prophetas cum Euangelicis & Apoſtolicis literis miſcet, & inde potat fidem eam: aqua ſignat: Spiritu ſancto veſtit: Euchariſtia*

Tertullianus ſimiliter illos à ſolis traditionibus confundebat.

de præſcript. c.36.

Africanæ Eccl. ſola traditionis præſcriptione ſe tuebantur.

lib de corona milit. c.3.

paſcit:

paſcit: martyrio exhortatur; & ita aduerſus hanc inſtitutionem neminem recipit. Hæc ſuo tempore Africana Eccleſia, ab Eccleſia Romana mutuatæ, & credebant, & tenebant; & ſola traditionis præſcriptione ſeſe tuebantur. Sunt & iſta, quæ alibi Tertullianus recenſebat: dubio procul, ab eadem auctoritate traditionis Eccleſiæ Romanæ, manantia *vt à baptiſmate ingrediar*, ait, *Aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Euangelio determinauit. Inde ſuſcepti, lactis & mellis concordiam prægustamus. Exque ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus. Eucharistię Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus. Die Dominico ieiunium nefas dicimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paſchę in Pentecoſten. vſque gaudemus. Calicis aut panis, etiam noſtri, aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progreſſum, atque promotum, & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubila, ad ſedilia, quęcumque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſigno terimus. Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam inuenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix. Rationem, traditioni, conſuetudini, fides patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit diſces. Interim nonnullam eſſe credes, cui debeatur obſequium:* maxime quod ab Eccleſia, & à tali Eccleſia, matre ſcilicet & magiſtra omnium Eccleſiarum, cuius fides non defecit neque vmquam deficiet, & cuius Pontifex confirmator eſt Fratrum: & quid, niſi traditæ à Chriſto, & à Spiritu Sancto doctrinę Dictaror? authoritatem habeant.

Tertullian. de traditionibus.

Iſtud Innocentius I. quod maximi momenti ſciret eſſe argumentum, aliquando vrgebat, dicens: *Qui neſciat, aut non aduertat, id quod à Principe Apoſtolorum Petro Romana Eccleſia traditum eſt, ac nunc vſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſeruari, nec ſuperinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præſertim, cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores, conſtituerint Sacerdotes?* Quas itaque traditiones, Tertulliani temporibus Africana Eccleſia, vel Italiæ, Galliarum, Hiſpaniarum, Siciliæ, & aliæ Occidentales Eccleſiæ & tenebant, & conſuetudine, (*idonea teſte probatę tunc traditionis, ex perſeuerantia obſeruationis*) confirmatas, ab Apoſtolica auctoritate defendebant, nonniſi à Petro, Sacratioris, ſecretioriſque doctrinæ Dictatore acceperant. Namque & ab eodem Dictatore, Euangelium, Marco diſcipulo ſcribente, acceperant: & in hac, quoque de Scripturarum auctoritate, controuerſia, ad traditionem Eccleſiaſticam, (cum nulla ſacra Scriptura, quod Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis Euangelium, horum, & non aliorum, & hæc quæ nunc vſque leguntur Euangelia, non alia, integra non circumciſa, inuiolata non corrupta, puta non contaminata ſint, teſtetur,) prouocabant. *Si conſtat*, aiebat Tertullianus, *id verius, quod prius: id prius, quod & ab initio; ab initio, quod ab Apoſtolis: pariter vtique conſtabit, id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum. Videamus, quid Romani etiam, de proximo ſonent, quibus Euangelium, & Petrus, & Paulus ſanguine ſuo quoque ſignatum reliquerunt. Habemus & Ioannis, & alumnas Eccleſias. Eadem auctoritas Eccleſiarum Apoſtolicarum, cæteris quoque patrocinabitur Euangelijs, quę proinde per illas, & ſecundum illas habemus, Ioannis dico & Matthęi: licet & Marcus quod edidit, PETRI affirmetur, cuius INTERPRES MARCVS. Nam & Lucæ Digeſtum Paulo adſcribere ſolent: Capus Magiſtrorum videri, quæ diſcipuli promulgarint.*

Ionoc I. argumẽtum à traditionib. *epiſt. ad Decentium Eugubinum Epiſc.*

Traditione fulcitur auctoritas quatuor Euangeliorum.

lib.4. aduerſ. Marciona.c.5.

Quod Euangelium Marci attinet, Clemens, & Romanus, & Alexandrinus, Papias Hieropolitanus, & Euſebius, affirmant, illud à Petro Dictatore pronunciatum, atque traditum eſſe. *Tanta enim pietatis lux eorum mentibus, qui Petrum audiebant affulſit, vt non eius ſermoni omnino auſcultando, non doctrinę Diuinę prędicationis, minime ſcriptis proditę attendendo contenti acquieſcerent; ſed à Marco Petri comite, cuius Euangelium eſſe fertur, multis varijſque precibus contenderent, vt monumentum illud doctrinę, quam ſermone & verbo illis tradidiſſet, etiam ſcriptis mandatum apud eos relinqueret. Nec prius hominem ab ſe dimittunt, quam ipſorum poſtulatis obſecutus, opus abſoluiſſet. Cum ergo Petrus Apoſtolus, Diuina Spiritus ſancti reuelatione ſuggerente, intelligeret illud opus editum eſſe, ferunt eum propenſo & alacri illorum hominum ſtudio magnopere fuiſſe delectatum, hancq; ſcripturam auctoritate ſua ratam feciſſe, quo in Eccleſijs paſſim perlegeretur.* Magnus Athanaſius, & S. Epiphanius, idem Marci Euangelium Petro Dictatori attribuunt: quod ille ipſa primum Italis ſcripſiſſet, & in Ægyptum à Petro Doctore miſſus, in Alexandria, Pentapoli, & Lybia prædicaſſet.

Marci, & Matthæi Euangelia Petro dictatori aliquo attribuunt.

in ep. Petri tom 6 Bibliothec.6. Hypotypoſeon. hiſt. lib.2. c.14.

in ſynopſi ad Conſtantin. Auguſt. hæreſ. 15.

Secundum Euangelij Doctrinam, à Diuo Petro, Eccleſijs, & Scriptoribus dictatam, proximum locum apud Orthodoxos obtinet, eius Euangelicæ traditionis, prædicationiſque Breuiarium; quod communi vocabulo, appellamus fidei Symbolum: Sanctus vero Irenæus martyr, *Regulam veritatis immobilem* nuncupabat. Namque vt Leo Pontifex Pulcherię Auguſtæ ſcribebat, *ipſius Catholici ſymboli breuis & perfecta confeſſio, quę duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententia, tam inſtructa eſt in munitione cœleſti, vt omnes hæreticorum opiniones, ſolo poſſent gladio ipſius truncari.* Hieronymus cauſam tantæ auctoritatis reuelabat, Ioannis Hieroſolymitani errores reuincens: *In Symbolo*, ait, *Fidei & ſpei noſtrę, quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus poſt confeſſionem Trinitatis, & vnitatem Eccleſię, omne Chriſtiani dogmatis Sacramentum concluditur.* Duodecim Apoſtolorum ſignatam ſententijs, breuem hanc fidei confeſſionem, S. Leo; Symbolum vero iſtud fidei & ſpei noſtræ, ab Apoſtolis traditum, S. Hieronymus aſſeuerabant: Namque Apoſtoli, ab inuicem diſceſſuri, & Petro eorum Primarcho, cui Dominus orbem vniuerſum paſcendum commiſerat diſponente, in

Poſt Euangelium ex traditione ſymbolum fidei proximum locum occupat.

lib.1.c.1.

ep 96.

epiſt. aduerſus errores Io. Hieroſol.

SS. Leo & Hieron. illud ab Apoſtolis traditum aſſeuerant.

te, in prouincias ituri, normam prædicationis in commune conſtituerunt; ne forte alij ab alijs abducti, diuerſum aliquod his qui ad fidem veniebant prædicarent. Symbolum placuit appellare, duodecim fidei articulorum compoſitionem. Symbolum enim, & collatio, & indicium, & teſſera eſt. Itaque ſinguli Apoſtoli, Petro præſidente in vnum congregati, & Spiritu ſancto repleti, ſingulos articulos contulerunt, quos iudicium & teſſeram fidei eſſe voluerunt. Iudicium, ad diſcernendos, qui veri, qui ſalſi, Chriſtianæ fidei Prædicatores atque ſectatores: Teſſeram, ad vniendos, muniendoſque, vnanimitatis profeſſione credentes, integris traditæ fidei lineis incedentes, & in vno ouili Catholico, nonniſi vnum Paſtorem ſequentes: quod tanti (vt poſtea monebat Auguſtinus facerent; *vt nunquam eius obliuiſcerentur, ſed quotidie illud dicerent, & quando ſurgerent, & quando ſe ad ſomnum componerent*. Ambroſius aliquid addebat: *vt omnes antelucanis horis quotidie illud recenſerent, & ad quod cum aliquid horrerent, tanquam ad ſignaculum cordis, & ad militiæ Sacramentum recurrerent.*

Quid ſymbolum. — *Hom. 42.* — *lib. 3. de virginit.*

Iſtud vnanimitatis & fidei indicium, atque munimentum, aduerſus portas inferi; ex margaritis Dominicis compoſitum, quod auctore, Principe Collegij Apoſtolici Petro, qui primum margaritum, *Credo in Deum Patrem omnipotentem* poſuit, traditum ſit Eccleſiæ; recte & optimo iure, is, & nonnemo eius ſucceſſor Romanus Pontifex, à Chriſto, & à Spiritu ſancto traditæ doctrinæ, Dictator ſalutatus fuerit: qui diſtribuat, teneat, ſeruetque integerrimam Chriſtianitatis teſſeram. *Credatur*, monebat Ambroſius, *Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana*, ait, *intemeratum ſemper cuſtodit & ſeruat*, & quid ni ad tradendum fidelibus, & ad conteſſerandas ſibi totius Orbis Eccleſias? Namque ea ſelix ſtatu Eccleſia, hæc fidei teſſera, non tantum cum Africanis Eccleſijs, quod Tertullianus ſatebatur, ſed etiam cum omnibus alijs, quacumque ſol Orthodoxiæ illuxit fidelibus atque Eccleſijs, conteſſerauit, dum eis à Chriſto, à Spiritu ſancto, & ab Apoſtolis voce traditam doctrinam, illibatè in Depoſitorio ſuo diuite conſeruatam, Romano Pontifice tradente communicauit. Placet ſingula, à Tertulliano, inter traditæ doctrinæ recenſita capita percenſere: quorum omnium Romanus Pontifex, Seruator, & Dictator.

Princeps Collegij Apoſtolici Petrus primū ſymboli margaritum poſuit. — *Aug ſer. 115. de temp. lib 3. epiſt. ad Syricium.* — *Traditæ doctrinæ capita à Tertulliano recenſita quorum omniū Roman. Pontif. ſeruator & dictator.*

1\. *lib. 3. c. 3.*

Vnum Deum nouit Creatorem Vniuerſitatis! ſcilicet Eccleſia Africana. Non agnoſcebant Marcioniſtæ, Valentiniani, & reliqui Manichæis præeuntes! *Traditio, quæ eſt ab Apoſtolis*, ait Irænæus, (*cuius teſtis eſt ſucceſſio Epiſcoporum in omnibus Eccleſijs, & POTISSIMVM IN ROMANA*) *annunciat vnum Deum factorem cæli & terræ, Patrem Ieſu Chriſti*, & quid, niſi à dictatura Romana, in qua *potiſſimum ſucceſſio Epiſcoporum* Dictatorum!

2\. *Quomodo Rom. Pont. contra Nouatores de Chriſti incarnatione traditionis ſcuto ſe oppoſuerint.*

Vnum Chriſtum Ieſum nouit Eccleſia Africana, *ex Virgine Maria, filium Dei creatoris!* non agnoſcebant, quin potius, (vt refert S. Iuſtinus martyr, *alij aliter blaſphemabant rerum Conditorem, Chriſtumque ab illius Prophetis prænunciatum. Ex his alij vocantur*, ait, *Marciani, alij, Valentiniani, alij Baſilidiani, alij Saturniani, alij alio vocabulo, denominati à quibuſdam viris, vt quiſque fuit auctor nouæ doctrinæ, atque ſententiæ*. Aduerſus perfidos, Soter inprimis Romanus Pontifex, ex Propheticis, & Apoſtolicis monumentis, *Chriſtum Dei filium, ex ſemine Dauid, ex Maria pura Virgine, ſecundum carnem factum eſſe*, credendum Epiſcopis Campaniæ tradidit, vtque inconcuſſum Eccleſiæ ſtatum, contra blaſphematores defenderent, admonuit: data ad eos epiſtola. Victor Soterem ſecutus, cum Theodorus Coriarius, primus, Chriſtum ſolum hominem eſſe diceret, ex Depoſitorio Apoſtolico, Deum, Dei filium demonſtrauit, & Petri Principis Apoſtolorum dictatura illa, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, teſſeram Chriſtianitatis ſignauit. Paulo poſt, Fabiano viuis erepto, cum traditam de filio Dei confeſſionem hæretici nouationibus ſuis obſcuram reddere aut dubiam contenderent; Presbyteri atque Diaconi Eccleſiæ Romanæ, ad quos, nondum Cornelio in ſedem Apoſtolicam euecto, cura vniuerſalis Eccleſiæ ſpectabat, inuiolatam ſeruauerunt, & cunctis ſeruandam propoſuerunt; hac vſi præſcriptione contra Nouatores; *Cum totum fidei Sacramentum in confeſſione Chriſti nominis intelligatur eſſe digeſtum: qui fallaces in excuſatione præſtigias quærit, negauit: & qui vult videri propoſitis aduerſus Euangelium vel edictis, vel legibus ſatisfeciſſe, hoc ipſo iam paruit, quod videri paruiſſe ſe voluit.*

In Triphone. — *apud Euſeb. lib. 5. c. 27.* — *apud Cyprian lib. 2. ep 7.*

Miltiades, ab anteceſſoribus ſuis, non degenerauit, ſed ex tradita per manus Patrū doctrina, Chriſtum vere Deum eſſe affirmauit. Cumq; Arius & Euſebius Nicomedien. ac plurimi alij Diuinitatis Chriſti hoſtes, contra niterentur; Patres Concilij Nicæni, ex doctrina non ſcripta ſed à Patribus Romanis præſertim Pōtificibus, Miltiade, & Syluestro tradita, vocem homouſij confeſſi ſunt, vt Theodoretus clariſſime fatetur. Propterea, cum Athanaſius Euſebio impietatis anteſignano, obijceret, *Ecce, nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuiſſe, hanc ſententiam demonſtrauimus: vos autem, ò noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandem nominum veſtrorum poteſtis oſtendere progenitores?* illi hoc fortiſſimo argumento conuicti, reponebant: *Nolo*, inquit Conſtantius Auguſtus apud Hilarium, *verba quæ non ſcripta ſunt dici*. Cæterum Diuus Hilarius, doctrinæ Apoſtolicæ apud Romanos Pontifices reconditæ non ignarus oppoſitionem fortiſſimè retundebat; *Hoc tandem rogo quis Epiſcopis iubeat?* inquit. *Et quis Apoſtolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius ſi recte dici putas; Nolo aduerſum noua venena nouas medicamentorum comparationes. Nolo aduerſum nouos hoſtes, noua bella. Nolo aduerſum nouas inſidias, conſilia recentia: ſi enim Ariani hæretici idcirco* ὁμόιον *hodie euitant quia prius negauerunt; nonne tu hodie idcirco refugis, vt ſi nunc quoque denegent? Nouitates vocum, ſed profanas, deuitari iubet Apoſtolus. Tu cur pias excludis? cum præſertim ab eo dictum ſit; Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt. Innaſcibilem, ſcriptum nuſquam legis! nunquid, & hoc negandum erit, quia nouum eſt? Decernis, ſimilem Patri Filium! Euangelia non prædicant. Quid eſt quod non refugis hanc vocem? In vno nouitas eligitur, in alio ſubmouetur. Vbi impietatis occaſio patet, nouitas admittitur: vbi autem religionis maxima & ſola cautela eſt, excluditur.* Hæc Hilarius, de voce homouſij, à Syluestro & Melchiade doctus, Conſtantio ſcribebat: cum is pſeudoepiſcopis in con-

lib. 1. hiſt. c. 8 — *lib. de decretis Nicænæ Synodi.* — *lib. cont. Conſtantium Auguſtum.* — S. Hilarius de voce ὁμόιον ad Conſtatium Auguſt. Arrian. *her. 73. & 71.*

in conciliabulo Seleuciç congregatis; *vt nihil præter diuinas ſcripturas Eccleſiaſtica Fidei adderent*, præcepiſſet; & ſi, exemplo omnium hæreticorum, ad ſolas ſcripturas prouocantium, maleſanum decretum concepiſſent; *Conſſentialis vocem reÿcimus, velut à ſcripturis alienum.* vt Epiphanius recenſebat: ſed & illud, quod Hilarius Arianis, & omnibus hæreticis inculcabat: *Oportet, & traditione vti. Non enim omnia, à Sacra Scriptura accipi poſſunt.* Hac traditione, & reliqui ſuccedentes Pontifices, Marcus, Iulius, Liberius, Felix, Damaſus, Siricius, & Anaſtaſius vſi, cum iam ſere vniuerſus orbis Arianum ſeſe miratus eſt, Fidem Conſubſtantialitatis Filij Dei in Eccleſia retinuerunt. Sed ad Tertullianeas, Africanarum Eccleſiarum, cum Romana, & à Romana deriuatas conteſſerationes reuertamur.

3. *Nouit*, ait, *carnis reſurrectionem*! Hanc negante Eutychio Patriarcha Conſtantinopolitano, S. Gregorius, quamquam needum Pontifex, ſed tantum Legatus Romanæ Eccleſiæ, demonſtrauit.

4. Legem & Prophetas cum Angelicis & Apoſtolicis literis miſcet, & inde potat Fidem eam Africana Eccleſia! Horum canonicos libros cum alij reijcerent, alij deprauarent; Gelaſius Pontifex integritati & puritati vindicauit.

5. Origenes de baptiſmo paruulorum. *Aqua ſignat*! & vt Origenes addebat; *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem accepit, etiam paruulis Baptiſmum dare*, vtque etiam S. Auguſtinus lumen Africæ monebat: *Conſuetudo*, inquit, *matris Eccleſia in baptizandis paruulis, nequaquam ſpernenda eſt. neque vllo modo ſuperflua deputanda; nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio.* Hanc aduerſus Nouatianos olim & rebaptizatores, & tunc aduerſus Anabaptiſtas, exemplo conſtantiſſimo tradit, tenet, & defendit, nonnemo Romanorum Pontificum.

in c. 6. ad Roman.
lib. 10. de Gen. c. 23.

6. Melciades PP. de ſacram. Confirmat. *Act. 8.* *Spiritu ſancto veſtit*! ſcil. ſacro vnctionis oleo confirmat, & à manuum impoſitione ſpiritu ſancto corroborat: quod olim Petrus, & Ioannes faciebant. Iſtud Sacramentum confirmationis, Eccleſiæ Romanæ quilibet Pontifex neceſſarium eſſe demonſtrat; memor illius quod olim Melciades Epiſcopis Hiſpaniç ſcripſit; *Spiritus ſanctus ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu. In baptiſmo, regeneramur ad vitam. Regeneratio per ſe, ſaluat mox in pace beati ſeculi recipiendos: Confirmatio armat, & inſtruit ad agones mundi huius, & prælia reſeruandos.* Baptizatis à Philippo Diacono, Petrus & Ioannes manus impoſuerunt. Cauſam Diuus Cyprianus, & morem Eccleſiæ Africanæ à traditione Romani Pontificis deriuatum enarrabat; *Quia ait, legitimum, & Eccleſiaſticum Baptiſmum conſecuti fuerant, baptizari vltra eos non oportebat: ſed tantummodo quod deerat, id à Petro, & Ioanne factum eſt, vt oratione pro eis habita, & manu impoſita, inuocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Eccleſia baptizantur, per præpoſitos Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & SIGNACVLO Dominico conſumentur*, & alibi. *Hodie enim in Eccleſia, cum ceteris vnctionibus ad populum acquiſitionis ſanctificandum, in participationem dignitatis, & nominis ſacrum Chriſma conficitur in quo mixtum oleo balſamum, Regia, & Sacerdotalis gloria exprimit vnitatem; quibus dignitatibus initiandis diuinitus eſt vnctio inſtituta*; vt vnuſquiſque Fidelium glorietur: ſe eſſe de gremio Sacerdotij Regalis.

ep. ad Iulianum.
D. Cyprian. de vnctione chriſmatis.

7. De Sacramento Euchariſtiæ. Africana Eccleſia *Euchariſtia paſcebat*, necniſi poſt baptiſmum, vt Iuſtinus memorat illam communicabat! Tenet & tradit, vſque ad aduerſariorum inuidiam, hanc ab Apoſtolica traditione conſuetudinem, quilibet Romanus Pontifex, nec alio magis probat omnes credentes, quam ſi, cibum hunc vitalem, viuum de cœlo deſcendentem frequentius accipiant.

8. De Pœnitentia. *1. Petri 4.* Ad martyrium, ſeu pœnitentiam Africani Epiſcopi exhortabantur. Romanis Pontificibus nihil tam familiare, quam illa vox Ioannis pro Concione: *Pœnitentiam agite*, vel illa eorum anteceſſoris *Chriſto paſſi in carne, & vos eadem cogitatione armamini.*

9. Execratio Eccl. African. contra pſeudoprophetas & alios hæret. à traditione. *2. Petri 3.* *Aduerſus eam inſtitutionem neminem recipiebat* Africana Eccleſia! A traditione, & exemplo ſcil. Eccleſiæ Romanæ, quæ ab illa admonitione Petri Apoſtoli, *ſatagite immaculati, & inuiolati inueniri in pace*: pſeudoprophetas magiſtros mendaces, eos qui introducunt ſectas perditionis, & eum qui emit illos Dominum negantes, audaces, ſibi placentes, blaſphemantes, poſt carnem concupiſcentia immunditiæ ambulantes, ſuperba vanitatis loquentes, oculos plenos adulterij, & inceſſabilis delicti habentes, cor exercitatum auaritia habentes, rectam viam derelinquentes ac errantes fontes ſine aqua, & qui nebulæ inſtar turbinibus exagitatæ caligini tenebrarum reſeruantur, maledictionis filios, reliquis coloribus à Diuo Petro exumbratos, execratur, anathemate ferit, & nec aue ſuſtinet illis communicare.

10. Cerimonia in baptiſmo *lib. 1. de Sacrament. c. 1. 2.* Renunciabant *diabolo, & pompæ & Angelis eius aquam* baptiſmi *adituri; ter mergebantur: reſpondebat, quæ Dominus in Euangelio non determinauit, lactis, & mellis concordiam prægustabant* Africani. Tradebat, & euſque tradit eas cærimonias Eccleſia Romana, præſcribente, ab Apoſtolica inſtitutione Romano Pontifice: vt S. Ambroſius memorabat.

11. De ſumptione SS. Euchariſtiæ. Euchariſtiæ Sacramentum, *tempore victus*, id eſt, cœnæ extremæ, *à Domino omnibus mandatum, antelucanis cætibus*, ſcilicet ieiuni, *de manu ſacerdotum ſumebant* illi! Traditum acceperunt à Romano Pontifice, qui horas matutinas antemeridianas, ſumendæ Euchariſtiæ præſcripſerat, ac præſcribit.

12. De oblationibus pro defunctis. *Clemens 1. epiſt. 1.* *Oblationes pro defunctis* faciebant illi ipſi Petrus Apoſtolus tradiderat, *vt hymnis precibus, & lectionibus ſacris exequiæ mortuorum celebrentur.* Alij Pontifices, ſuo quiſque tempore candem orationem, & oblationes pro defunctis inſtaurabant.

13. De oblat. pro natalitijs martyrum. *Oblationes pro natalitijs martyrum*, id eſt feſtiuitates anniuerſaria die hi ipſi faciebant. Faciunt, & iubent fieri Romani Pontifices, relictæ doctrinæ, vel à ſpiritu receptæ dictatores.

14. Die dominico non ieiunandum. *Die Dominico, nefas ducebant ieiunare*: vt nonnullos hæreticorum non imitarentur. Ex præſcriptione Romanorum Pontificum, qui nihil commune cum hæreticis haberi volunt faciebant, & euſque obſeruat vniuerſa Eccleſia, vbique terrarum diffuſa.

15. De calicis, & panis pretioſitate. *Calicis aut panis*, non tantum myſtici, ſed *etiam noſtri* quotidiani, *aliquid decuti in terram anxie patiebantur.* A doctrina Romani Pontificis, cui panis & calix, quibus Sacerdotes benedicunt, non amplius panis, & vinum, ſed

corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti: vt Leo Pontifex pronunciauit.

16. De ſigno Crucis.

Crucis ſignum frequens, & familiare Africanis. A traditione Romana, cuius etiamnum hodie Pontifices Romani retinentes Dictatores.

Alia à Patribus inter traditiones apoſt. recenſita.

Præter hæc à Tertulliano numerata, quorum ille dicebat, eſſet *traditio auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix*, nonnulla alia complura, alij Patres, inter traditiones Apoſtolicas recenſebant; quorum Romani Pontifices diligentiſſimi Seruatores, & vigilantiſſimi Dictatores.

17. Orig de quatuor Euangelijs. *apud Euſeb. lib.6.c.10 11. 18. & Tertul.lib 4.cōt. Marcion.*

Origenes: *Ex traditione*, inquit, *didici, de quatuor Euangelijs, quod hęc ſola*. Clemens Alexandrinus; *ex traditione a Senioribus, quæ ſint vera*, ſe accepiſſe, ait. Tertullianus, à traditione Apoſtolica, illis Eccleſijs quibus prædicauerunt relicta. At hæc ipſa quatuor Euangelia, & ſola, & vera eſſe quæ habemus, adeo clare Romana Eccleſia oſtendebat, vt Auguſtinus illis *ſe non crediturum* profiteretur, niſi cum *auctoritas huius Eccleſiæ* compuliſſet.

18. De ieiunio quadrageſimali. *in ſerm.1. de ieiunio 4. li.*

Apoſtoli tradiderunt vnam Quadrageſimam toto anno, tempore nobis congruo ieiunandam, vt poſt ſanctum Ignatium, Diuus Hieronymus, Marcellæ ſignificabat. Huius inſtitutio, cum ſuccedentibus temporibus parum ſeruaretur, ſanctus Leo Pontifex edixit: *Apoſtolica* inquit, *inſtitutio quadraginta dierum ieiunijs impleatur*. Quod vero Clerum vniuerſum deceret maior ſanctitudo, ante Leonem Papam Teleſphorus, non quidem, vt hæretici falluntur ieiunium Quadrageſimale inſtituit, ſed Clero tres dies adiunxit, cum ſanxit: *Cognoſcite, à nobis & à cunctis Epiſcopis, in hac Sancta & Apoſtolica ſede congregatis, ſtatutum eſſe, ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha omnes Clerici à carne ieiunent*.

19. De conſuetudine ieiunia diſſoluendi ante Paſcha celebrandi. *lib 5.c.16.& 22.*

Eccleſiæ per orbem terrarum diſperſæ, conſuetudinem ex Apoſtolica traditione tenebant, vt non alio die, quam quo ſeruator à morte reſurrexit ieiunia diſſoluerent, aut Paſcha celebrarent; vt Euſebius memorabat. Cæterum, cum huic traditioni, aliam à Diuo Ioanne quaſi ortam Aſiani opponerent, & Paſcha Dominicū Quartadecima Luna celebrandum eſſe contenderēt, Pius & Victor Romani Pontifices traditionis Apoſtolicæ Dictatores, die Dominico Reſurrectionem Redemptoris recolendam eſſe decreuerunt.

20. Lex ieiuniorum Apoſt. traditio. *lib. 1. & 3. Paſchali.*

Legem ieiuniorum, Apoſtolicam eſſe traditionem Theophilus docebat. At hanc Pontifex neque violat, neque violari ſuſtinet; quin potius, Quartæ, Sextæ, & ſeptimæ feriæ ieiunia, vbi ea exoleuerint ieiunanda iubet.

21. De ieiunio Pentecoſtes & ſeptimi menſis. *Serm. 2.*

Ieiunium Pentecoſtes, & ſeptimi menſis, ex Apoſtolica traditione, docet Leo. At idem etiam ieiunat, & ad ieiunationem alios hortatur, plurimis in eam rem recitatis homilijs. *Dubitandum non eſt*, aiebat de ieiunio Pentecoſtes, *omnem obſeruantiam Chriſtianam eruditionis eſſe diuinæ, & quicquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis receptum, de traditione Apoſtolica, & de S. Spiritus prodire doctrina*.

22. S.Innoc.PP de ritibus in adminiſtratione ſacramentorum, *ep ad Decentium.*

Ritus, in adminiſtratione Sacramentorum, ab inſtitutione Apoſtolorum, tradit S. Innocentius Papa: quæ, inquit, *inſtituta Eccleſiaſtica, vt ſunt à Beatis Apoſtolis tradita, integra vellent ſeruare Domini Sacerdotes, nulla varietas in ipſis Ordinibus, & Conſecrationibus haberetur*. Quæ cum nonnulli Africanorum Epiſcopi, in Primitiua Eccleſia negligerent, & pro ſuo arbitrio variarent, Victor Papa eis ſcripſit: *epiſt. 2.* *Perlatum eſt ad Sedem Apoſtolicam aliquos veſtrum in Sacramentis diſcrepare, & ob id contentiones, & æmulationes inter vos fieri à quibus ſi vos auertere neglexeritis, Apoſtolicę Sedis, & totius Eccleſiæ communione vos pelli non dubitetis*. Victoris Pontificis exemplo, omnes Romani Pontifices totis viribus huic rei incubuerunt, vt cum ſint omnibus communia, eademque Sacramenta, vniformiter adminiſtrarentur.

23. De memoria defunctorum in celebratione miſſæ. *hom. 3. in epiſt. ad Philippen. De eccl. hierar. c. 7.*

Non fruſtra ab Apoſtolis ſancitum eſt, ait S. Ioannes Chryſoſtomus, *vt in celebratione venerandorum myſteriorum, memoria fieret eorum, qui hinc diſceſſerunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis*. Conforme eſt, quod Dionyſius Areopagita tradit, quia *de eiuſmodi prece, quam ſuper defuncto peragit Preſul, ex Diuinis Ducibus, traditio peruenit ad nos*, inquit. Hanc vero pro defunctis orationem cum Græci reijcerent: Eugenius IV. ex ſententia Concilij Florentini reſtituit; cum ante illum perpetuo vſu, & in tremendis Sacrificijs, ſupra defunctum preces funderentur, & oblationes myſticæ offerrentur.

24. De memor. ſanctorum defunctorū in miſſæ ſacrificio. *Conſtant. Apoſtolic. lib.8. Cathecheſ.5. myſtagogica.*

Clemens Romanus, ab Apoſtolica ſanctione, memoriam ſanctorum vita functorum, in iiſdem adorandis myſterijs fieri debere ſcribit: cui etiam Cyrillus Hieroſolymitanus ſubſcribens; *Cum hoc*, inquit, *Sacrificium offerimus, facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Et vt Deus orationibus illorum ſuſcipiat preces noſtras*. At Pontifex Romanus, idem quod olim S. Iacobus Apoſtolus, S. Baſilius Magnus, S. Chryſoſtomus, S.Ambroſius, & reliqui in ſuis lyturgijs, à traditione Apoſtolica plurimos Sanctorum in Canonem ſacrificandi repoſuit hac formula concludens memoriam illorum, *quorum meritis precibuſq; concedas, vt in omnibus tuæ protectionis muniamur auxilio*.

25. Diem dominicum ordinem Hierarch. in Eccl. diſciplinam Eccleſiaſt. rationem pſallendi & alia multa ex traditione Apoſtolica. *ad Epheſ. Apol. 2. Orat. 1. in Iulian.*

Diem Dominicum, & Ordinem Hierarchicum in Eccleſia, in quo ſint Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & reliqui, Ignatius Martyr: Synaxes, Conciones, Lectionem S. Scripturæ, vſum Euchariſtiæ diebus Dominicis, Iuſtinus Martyr: Diſciplinam Eccleſiaſticam, politiam & ordinem Eccleſiæ, rationes pſallendi, & orandi modos, pænitentiæ imponendæ inſtitutiones, Templorum, & ſacrariorum templi diſpoſitionem, monaſticum viuendi inſtitutum virginum cælibatum, & cœnobia, Gregorius Nazianzenus affirmant eſſe ab Apoſtolica traditione. At hæc omnia Romanus Pontifex, celebrat, perficit, cogit, & aut concionatur, aut verbi Dei præcones audit, iubet, inſtaurat, ordinat, præſcribit, inſtruit, ædificat; promouet, laudat, erigit, conſeruat, & pro officio Paſtorali vt obſeruentur ſatagit.

26. De paſſione Domini per Miſſam repreſentata & benedictione aquæ luſtralis. *1.Timot. 4. Hieron. in Hilarione Theodoret. l. 5. c. 25. Palladius in Lauſiaca c. 6.*

Apoſtolica, ex Chriſti inſtitutione traditio eſt, vt in adorando Miſſæ ſacrificio, Sacerdotes, *mortem Domini annunciarent donec veniret*. Iſtud, cum in obliuionem apud aliquos veniſſet, Alexander I. innouauit, paſſionemque Domini in Sacerdotum oblatione miſcuit. Cæterum, quod etiam à Paulo didiciſſet, *omnem creaturam per verbum Dei, & orationem ſanctificari*; & audiuiſſet Chriſtum panes, Apoſtolos

oleum,

olcum, Matthæum aquam ad vſum humanum benedixiſſe; & ipſe quoque aquam ſale mixtam orationibus ſanctificabat, diſſoluendis auertendiſque artibus Diaboli. Hilation Abbas, gentilis aurigæ magias, aſperſione aquæ ſactificatæ penitus diſſipauit. Marcellus Epiſcopus Apameæ omnem Diaboli conatum, ne Iouis Apameni famoſum delubrum combureretur obnitentis, aquæ ſigno Crucis benedictæ vſu, penitus ſuperauit. Macharius itidem aquæ benedictæ virtute, magicam impoſturam & dęmonum præſtigias effugauit. S. Germanus Epiſcopus Antiſiodori concitatos Diaboli opera tumentis maris fluctus, aquæ ſanctificatæ aſperſione ſedauit.

27. De vnctione ſacerdotum calicũ altarium, & de ſacro Chryſmate. lib. 2. epiſt. 2.

Altaria, calices, Sacerdotes Sacro Chryſmate perungi, adeoque ipſum chryſma conſecrari ab Apoſtolica traditione venire tradit Optatus: Fabianus vero Papa, Chryſma ſingulis annis renouandum: quod ſic Apoſtoli inſtituerint docet. Id vero nullus hæreticorum, ſed tantum Romana Eccleſia, & ab eius dictatura aliæ Orthodoxæ obſeruant, conſecrant, ac innouant. Donatiſtę olim; capita Sacerdotum raſerant, vt ſacram vnctionem auferrent; altaria, & calices fregerant, atque ſacri Chryſmatis ampullam in terram proiecerant. Vbi *non defuit* tunc, tunc, recenſet Optatus, *manus Angelica, quę ampullam ſpirituali ſubuectione deduceret: proiecta caſum ſentire non potuit: Deo muniente illaſa inter ſaxa conſedit.*

28. De Imaginũ cultu. Action. 6.

Patres ſecundi Concilij Nicæni, aſſerebant; *Quod autem cum multis alijs, quę in Eccleſia obſeruantur ſine ſcriptura, nobis imaginum veneratio tradita ſit, ab Apoſtolorum temporibus late per hiſtorias traditum eſt.* Cæterum Romani Pontifices, Zacharias, Hadrianus & alij, pro imaginum cultu, quid egerint, quidue decreuerint, non opus eſt adducere.

29. De diuina Spiritus Sãcti natura.

Patres primæ Conſtantinopolitanæ Synodi, Spiritus Sancti diuinam naturam, à Macedonianorum blaſphemijs aſſeruarunt, ex tradita à maioribus doctrina: Damaſus Pontifex Romanus dictauerat.

30. De ſancta Virgine quod ſit Dei Mater.

Epheſina Magna Synodus B. Mariam Virginem Θεοτόκον, id eſt Dei Matrem, quamuis huius vocis nullam mentionem ſacræ literæ faciant, ſumma fide prædicandam definiuit! Cæleſtinus Papa, quod hanc fidem diuini tradidiſſent Apoſtoli, à quibus Patres ita ſentire edocti eſſent, præſcripſerat.

31. De vnica Chriſti hypoſtaſi in impermixtis ſubſtantijs.

Calcedonenſis, impermixtas Dei, & hominis ſubſtantias in vnica Chriſti Hypoſtaſi, Eutychis ſpretis captionibus confirmauit! Leo Pontifex ab Apoſtolorum Placitis doctus docuerat.

epiſt. 118.

S. Auguſtinus affirmabat; *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quę quidem toto orbe ſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas commendata, atq; ſtatuta, retineri; ſicut quod Domini paſſio, & reſurrectio, & Aſcenſio in Cęlum, & Aduentus de Cęlo Spiritus Sancti anniuerſaria ſolemnitate celebratur.* Recenſebat alia idem S. Auguſt. quę hic libuit ſubijcere. ſcilicet Euangelium ſecundum Matthęum, vere ab ipſo conſcriptum eſſe, contra Fauſti Manichęi inficiationem credit, nixus traditione, quæ ab Apoſtolis ſedibus, vſque ad præſentes Epiſcopos certa ſucceſſione peruenerat; lib. 28. contra Fauſtum c. 2.

32. De celebrat. paſſionis Domini Reſurrect. aſcenſ. in cœlum, & aduentu Spiritus Sãcti.

33. De Matthęi Euangelio.

Patrem ingenitum Filiumq; eidem conſubſtantialem, & ſi expreſſe in ſanctis paginis non inueniatur fidei aſſertione ab Apoſtolorum traditione defendendum dicit. epiſt. 174.

34. De Patris, & Filij conſubſtantialitate.

Integra fide ab Apoſtolica traditione deſcendente, credendum B. Mariam Dei Chriſti Matrem, & Virginem concepiſſe, & Virginem genuiſſe, & poſt partum Virginem permanſiſſe. lib. de Eccl. dogmat. c. 69.

35. De Virginitate Dei Matris.

Conſuetudinem matris Eccleſię, in baptiſandis paruulis, vt traditionem Apoſtolicam nequaquam ſpernendam. lib. 10. de Gen. c. 23. Antiquitus, ab Apoſtolis tradito, & retento firmo Eccleſiæ ritu, in baptiſmate paruulos exorciſari, exſufflari, & renunciare ſatanæ, vt à poteſtate tenebrarum in regnum Chriſti trãſferantur, lib. de nuptijs & concup. c. 20. & lib. 6. contra Iulianum cap. 6. & lib. de Fide, & operib. c. 9.

36. De conſuet. Eccl. in baptizandis paruulis.

37. De cerimonijs in baptiſmo paruulorum.

Baptiſma ab hæreticis collatum repetendũ non eſſe, ex Apoſtolorum traditione etſi in eorum literis non inueniatur, lib. de Baptiſmo c. 7. & lib. 5. c. 23. & lib. 4. c. 6. Priore loco ita habet *Quam conſuetudinem*, inquit, *credo ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilijs poſterorum; & tamen quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur.* Poſteriore loco ſcribit, *Apoſtoli nihil quidem præceperunt, ſed conſuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe; credenda eſt, ſicut ſunt multa, quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis pręcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur*, & lib. 4. c. 24. tum de non rebaptizandis hærẹticis, tum de alijs multis in vniuerſum concludit, *Quod vniuerſa*, inquit, *tenet Eccleſia nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum: eſt nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Paria habet lib. 1. cont. Creſconium c. 31. 32. 33.

38. De non rebaptizandis baptizatis ab hæreticis

Euchariſtiam corporis, & ſanguinis Domini Apoſtolos non accepiſſe ieiunos, placuiſſe tamen Spiritui ſancto, in honorem tanti ſacramenti à ieiunis ſemper accipi moremque hunc per vniuerſum orbem ſeruari, ex Apoſtolica traditione epiſt. 118. c. 6.

39. De Sanctiſſima Euchariſtia à ieiunis ſumend.

Oblationes, orationes, eleemoſynas & alia Chriſtianæ pietatis officia, pro defunctis. lib. de cura pro mortuis agenda, c. 1. & 4. & Sermone 34. de verbis Apoſtoli. Hæc & alia plura S. Auguſtinus ad Apoſtolorum traditiones referebat; quorum omnium, quilibet Romanus Pontifex, & Seruator, & Dictator.

40. De ſuffragijs pro defunctis

41. lib. 2. epiſt. 3.

Sanctus Cyprianus martyr, admonitos omnes valebat, *vt in calice offerendo, Dominica traditio ſeruetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.* At Romani Pontifices, in conſecratione viuifici ſacrificij, panis & calicis Euchariſtici, aquam vino miſcendam eſſe monent, & ſuperioribus temporibus monuerunt; & nunc etiam, PAVLVS QVINTVS, Doctrinæ à Chriſto, & à Spiritu ſancto, per manus Apoſtolorum, continuata ſucceſſione traditæ Seruator, & Dictator, Melchiſedechum Patriarcham Armeniorum admonuit, necnon ſacrum hymnum, quem Græci Triſagion vocant, ſine additione, *Qui Crucifixus es* conci-

De aqua vino in calice miſcenda.

Paulus V. traditionum ſeruator, & dictator Patr. Armenorum.

nendum , recitandumque præſcripſit, cohortatus , vt fidem Concilij Chalcedonenſis , ex Apoſtolica traditione ſcripta , & non ſcripta , à Leone Dictatore venientem , profiteretur cum reliquis Armenijs , ac maximæ illi Synodo ſubſcriberet. Res eſt, Melchiſedech Armeniorum Patriarcha qui Catholicon titulum , in ampliſſimis Perſarum Regnis , præſertim vero in ſuperiore, & inferiore Armenia, ſibi vendicat, Zacchariam Vartabied Legatum Romam miſerat qui PAVLVM QVINTVM Pont. Max. & ſedem Apoſtolicam , de rebus ad Fidem ſpectantibus conſuleret. Epiſtolæ exemplum , cuius frontem ſigillum imagine Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti inſculpta præſigne his literis: *Per Melchiſedech Catholicos Haios*. id eſt , *Magnus Melchiſedech Patriarcha Armenorum*, circumdatum ornabat Armeno charactere , & idiomate à Melchiſedecho Patriarcha PAVLO QVINTO ſcriptę, Bartholomæus Abagarus Presbyter S. Mariæ Ægyptiacæ Armenorum hic in Vrbe Templi, & Domus Hoſpitalis Præfectus , Italicum fecit , quod hic Latinum , eadem ſimplicitate & puritate qua ſcriptum , viſum fuit reddere.

Legatio Patriarchæ Armenorum Romam ad conſulendũ de rebus fidei.

Temporibus glorioſi , & benedicti Domini noſtri Ieſu Chriſti , Abagarus Rex quamprimum nomen eius audiuiſſet, inq; eum credidiſſet , toto cordis deſiderio cupiens Filium Dei aſpicere nec potuiſſet ipſe in Iudæam ſeſe conferre , Legationem ad eum adornauit , atque imaginem eiuſdem ſibi ab illo miſſam obtinuit. Dominum Ieſum Chriſtum ſupplices flagitamus , qui deſideria noſtra adimpleat in æternum , in gloria Amen.

Litteræ Patr. Armenorũ ad S. D. N. Paulum V.

Ego Melchiſedech Patriarcha Armenorum Locnurenens. & ſucceſſor Apoſtolorum Chriſti , SS. Bartholomæi , & Taddæi , in loco S. Gregorij Magni Martyris , cum ingenti deſiderio cordis ſcribo literas amoris & ſalutarionis deſiderato cunctis Chriſtianis , ſupremo & glorioſo Papæ Romano , Beato & Magnifico Paulo Quinto , reſidenti in ſede Apoſtolica , confirmato ſuper Petram immobilem manibus Patris æterni, & Filij qui dixit. Tu es Petrus , & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam , & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam ; & tibi dabo Claues Regni Cęlorum , & quodcumq; ligaueris ſuper terram , erit ligatum in & cęlis , & de quo ſcriptum : Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringatur ; ſuper quem vero ceciderit, conteret eum. Hæc Petra poſtquam vniuerſum orbem circumiuiſſet , cecidit in Occidente, plena ſuauitatis diuinæ & adorationis , & recti cultus , & fidei , exaltata in veneranda vrbe Romana, illuminata à duobus maioribus luminarijs, diei & noctis Dominatoribus, ſole S. Petro Petra Fidei , & Luna S. Paulo prædicatore Gentium, exploratore tertij cælorum & inſpectore. Quod cum ita ſit , reuera ò Beate ſancte Pater, Tu laudis , & gloriæ ſummam obtinuiſti : ſimilis cęlo varijs luminibus illuſtriſſimo , & omnibus ornamentis perfecto. Ante cuius gloriæ Maieſtatem , quomodo nos poterimus comparere ? nihilominus , quamuis fragiles & infirmi , & abiectiſsimus , Sacroſanctam bonitatem gloriæ veſtræ alloquemur.

Supremo Papæ Romano.

Petra immobilis Petrus

Rom. Pont. cęlo ſimilis.

1.
Pontificem ſoli comparat.

Quemadmodum cælum habet duo luminaria magna nobilia , Solem in poteſtatem diei , & Lunam in poteſtatem noctis : eadem ſimilitudine vos poteſtate ſpirituali , velut Sol omnes Eccleſias illuminatis, & filios Eccleſiaſtici luminis procreatis vt cum aurora illuxerit , & Sponſus de thalamo ſuo aduenerit ad ipſum cum grege illuſtrato conſcendatis.

Pont. tenebroſas infidelium cohortes depellit.

Et ſicut Sol luce ſplendida , Lunæ & Stellarum tenebras depellit , illaſque lucidas efficit: ita vos , ò Rex potentiſſime , potentiam malignantium , & tenebroſas cohortes infidelium: cura ſplendidiſſimæ pacis , qua exornatis Eccleſiam.

3.
Quatuor orbis clymata cõplectitur.

Et quemadmodum cælum ingentis luminis Solem , & ampliſſima duo elementa , terram ac mare , nec non quatuor anni partes complectitur : ſic & veſtra glorioſa excellentia , Cælorum inſtar , quatuor Orbis clymata amplectitur & recte adminiſtrat.

4.
figurat cum circulo 12. ſignorum cæleſtium.

Et ſicut Sol ad inſtar molæ volubilis , rotatur in circulo duodecim animalium effigiebus ſignifero , eminentior inter ſtellas errantes , ſupra quas reuolutione perpetua , numerat dies & annos , vſque ad diem quando adueniet Dominus : ita & vos cum XII. Cardinalibus, & XII. Chriſtianorum nationibus, & ſeptem donis S. Spiritus , nec non ſeptem Sacramentis Eccleſiæ perſeuerabilis vſque ad diem quo vobis Dominus apparebit.

5.
in vita recta nunquam ſiſtit.

Et velut Sol numquam ſiſtitur , ſed aſſidua conuerſione immenſę celeritatis curſum ſuum continuat , vſque ad extremum mundi diem : ita & vos conſtanti , ſplendidaque ſanctitate , in vita recta , vſque ad finem.

6.
Lumine cõgregat. fidelium illuſtrat.

Et ſicut Sol reliqua ſydera ducit ac tegit lumenque ſuum cæteris fænerat: ita & vos pura & immaculata ſanctitate multitudinem congregationis Fidelium illuſtratis , & ad voluntatem Creatoris conducitis.

7.
Ab vtroque polo ſignat duo teſt.

Et quemadmodum Sol inter arcticum , & Antarcticum vertices , & quos appellauerunt polos , irrequieto ambitu inenarrabili celeritate voluitur : ita vos duo Teſtamenta legis , religionis , & pietatis Chriſtianę fundamenta poſuiſtis , & exemplo veſtro omnes ad amorem Chriſtianæ Fidei militatis.

8.
De humilitate, & gloria Pont.

Et ſicut Sol , quandoque attollitur , quandoque deprimitur : ita & vos ab excellentiſſima veſtra gloria , vſque ad minimos ignobiles , & pauperes inclinatis, & ab hac demiſſione , exaltationem meretis: ſicut & a principio Dominus Ieſus Chriſtus operatus eſt , atque docuit diſcipulos ſuos dicens: Qui ſe humiliat exaltabitur.

9.
A ſplendore ſanctitatis vitæ qua lucet irrigat , & mundat corda fidelium.

Et velut Sol nubibus & turbine commouet vndas pelagi , & inde tamquam in ſinum congregat nubes , eaſque vento in altum eleuat , & calore in pluuiam diſſoluit , qua aridam terram , & quicquid in ea arborum , frugum , ac florum eſt perfundit , abluit , innouat : ita vos ſplendore Sanctitatis vitæ Deo placentis, & ad ſummum perfectæ , lucetis inſtar nubis à Sole irradiatæ ; & à monente Spiritus Sancti inſpiratione immerſi in profundo Oceano diuinæ ſapientiæ myſteriorum Dei affluente plenitudinem ſapientiæ , & intellectus Verbi Diuini obtinuiſtis : quam cooperante fortitudine dono Spiritus Sancti , abundè diffundentes aquam viuam , irrigatis & inundatis corda hominum ſitientia ſalutis necnon ſanctitate vitæ, & diuini cultus ſtudio ornatis, & fructificare facitis vniuerſum mundum fructus virtutis.

Præbet Origenem vitæ omnib fidelibus,

10. Et quemadmodum Sol eſt principium vitæ, & humanæ, & omnium viuentium: ſic & vos Petra viua, viuificantis Fidei in ſede collocata, vitæ origenem omnibus Fidelibus præbetis: cum in ſinu veſtro omnes Chriſtianorum generationes congregẽtur, ſicut ſcriptum eſt: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Poteſtatem ſupremam Pont. exaggerat à poteſtate Solis

11. Et ſicut ille vnicus, vnico orbe, & candore vniuerſum mundum illuminat, in momento, necnon omnium animata, & inanimata continet, mouet, mutat, adeo vt omnibus imperare videatur: ita & vos vnus vnicus, poteſtate ſuprema Pontificia Apoſtolicæ Sedis, omnibus Chriſtianis cum poteſtate præeſtis, omnes in imperio continetis: quod vniuerſus mundus agnoſcit, & omnes fideliũ nationes vobis obſequuntur; nec eſt qui veſtræ ſapientiæ, & voluntati contradicat: cum Dominus vobis dixerit; Paſce oues meas.

ex Solis primatu ſupremitatem Pont. aſtruit

12. Et velut Sole nihil eſt inter creaturas non viuentes ſublimius: qui Deum tantum, & cælum empyreum ſuper ſe habet: ita inter omnes mortales nullus eſt vobis ſuperior, ſed omnes veſtræ poteſtati ſubijciuntur, ſicut dixit Dominus: *Tibi dabo claues Regni cęlorum*.

Sol enarrat gloriã Dei & Pont. cõfeſſione fidei idem præſtat.

13. Et ſicut ille, quamquam non vocalis, non tamen ceſſat enarrare gloriam Dei quia vniuerſus mundus in illum aſpiciens, dat gloriam Deo Creatori ſuo, cui genua flectit: ſicut dictum eſt; Cæli enarrant gloriam Dei: ſic & vos veſtra clariſſima ac indeficienti fide, ad miraculum vſque omnibus generationibus perſpicua, eo quo intellectus humanus, & totus chorus Sacerdotum non pertingit, vocali profeſſione Fidei attingitis, inter omnes confitentes; Tu es Chriſtus Filius Dei. Meruiſtis tunc benedictionem oris benedicti, qui vobis dixit: Beatus es Simon Bar. Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cęlis eſt.

roborat in fide credẽtes.

14. Et quemadmodum ille omnibus partibus ſui vergit in ſeſe, ſeque includens & cõtinens orbis figura, vniuerſa creata roborat aduerſus interitum: ſic & vos perfecta veſtra charitatis dulcedine, curatis, omnes gentes in vnitatem Fidei congregare, & contra omnia pericula confirmare, vt ſit vnum ouile, & vnus Paſtor.

ab integritate fidei ſeruatæ.

15. Et ſicut ille integritatem naturæ, luminis, & candoris, ſicut à principio conditus eſt, retinet; ſic & vos animam veſtram ad imaginem Dei formatam, & ad ſimilitudinem Sanctitatis eius conformatam, luce ſplendidiſſima in baptiſmate perfuſam, fide, & virtutibus illuſtriſſimam, in his mundi mutationibus immaculatam ſeruatis, neque vnquam mutaſtis formam Sanctitatis impreſſam, eadem puritate mentis Deo placentes.

aſpectus eius cunctis deſiderabilis

16. Et velut Solis lux dulcis eſt oculis intuentium, & ſuauis mentibus admirantium: ſic & veſter aſpectus deſiderabilis cunctis gentibus, recreat ſplendore Sanctitatis vitæ omnes qui vident, & qui deſiderant videre.

Lucidum Dei templũ

17. Et quemadmodum Orbis quo Sol fertur, continet paradiſum terreſtrem, & arborem fructus vitæ feracem ab omnibus generationibus expetitum: ſic & vos lucidum Dei Templum. Apoſtolicæ dormitionis monumentum Sanctorum in Chriſto quieſcentium cæmeterium; nec non lignum viuificum Dominiço ſanguine imbutum, quod profert, & olim protulit fructum vitæ immortalis, cibum qui de cælo datus eſt in ſalutem.

à multitudine credentium,

18. Et ſicut Sol ſplendidiſſimus, ardentes & clariſſimos innumerabiles radios effundens, rapit in admirationem ſui omnes homines, & incitat ad laudes Deo perſoluendas: ſic & vos tantam filiorum in Chriſto renatorum multitudinem, quanta non poteſt numerari Eccleſiæ protuliſtis, ſecundum quod vobis Deus promiſit; Multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam quæ eſt in littoribus maris.

ab abſconditis fidei myſterijs.

19. Et velut ille eſt quaſi gloriæ Dei tabernaculum, quo inuiſibile lumen ſuum abſcondit, redegit. ita & vos Fide veſtra Orthodoxa, illam lucem quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, quam nullus humanus intellectus poteſt comprehendere, id eſt, myſterium Verbi Dei incarnati, quaſi tentorio lucidiſſimo texiſtis, & tegitis; quia dictum eſt, Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit: quem ad modum ipſe verbum caro factum in incarnationis ſuæ temporibus Petro reuelauit.

Pont fideles ad cæli conuexum manuducit.

20. Et quemadmodum cælum Solis, eſt porta Domus Dei, & via per quam iuſti intrabunt in eam, & oſtium felicitatis in quo Stephan. vidit Ieſum Filium Dei, ſtantem à dextris virtutis Dei: Sic & Vos eſtis Doctor veræ confeſſionis Fidei myſterij incarnationis Diuinæ, Dei & homini Filijs Dei Ieſu Chriſti Domini noſtri, quam dum credentibus proponitis, illos ad Cęli conuexum manuducitis, & ad aſpectum Dei veri adducitis: ſecundum quod Petro Dominus dixit: ſequere me, & ipſi ſequentur te.

Angelorum chori Deũ collaudant Pont. celebrant.

21. Et quemadmodum Deo Verbo incarnato, in Bethlemi ſtabulo, ex immaculata Virgine naſcente, Cæli cælorum lætitia inenarrabili exultauerunt, & ſubito facta eſt cum Angelo multitudo militię cæleſtis laudantium Deum, & dicentium: gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: ſic in repreſentatione eiuſdem incarnationis Filij Dei, quam in Eccl. veſtra ampliſſimo ſacrario, Pontificia cum maieſtate, cum vniuerſa Sacræ hierarchiæ multitudine, & admiranda ſolemnitate celebratis, omnes chori Angelorum de cælo deſcendentes exultant, & agminibus miniſtrorum altaris commixti, canticis ſpiritualibus Deum collaudant, ſuſpicientes veſtram pietatem, & deuotionem venerandam.

omnes Eccl. ordines in Eccl. Orthod. ſuſtentat.

22. Et ſicut Orbita Solaris ſuſtinet ſibi impoſitam lucidam habitationem, in qua nouem chori Angelorum, & omnes animæ iuſtorum conquieſcunt: ſic & vos in veſtro altiſſimo throno, omnes Ordines Eccleſiaſticos ad inſtar hierarchiæ cæleſtis in Eccleſia à Orthodoxa, à vobis diſpoſitos, & Chriſto inſtitutos.

Sedis Apoſt. locus requiei diuinæ.

23. Et ſicut ille idem Orbis Solis, dicitur Sedes Altiſſimi: quia creator vniuerſi, ſecundum quod prædicatur, ſedet ſuper cælum cæli ad Orientem: ſic veſtra Sedes Apoſtolica, locus requiei Diuinæ; iuxta quod dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

24. Et velut Solis, indicibilis eſt gloria: ſic

Solis indicibilis gloria & Pont. Rom. inenarrabilis maieſtas.

ſic & veſtra maieſtas inenarrabilis, & ideo pauca hæc quæ in principio noſtri ſermonis balbutiendo vobis repræſentauimus ne deſpexeritis: quamuis Vos qui ſupra hanc Petram pretioſiſſimam ſedetis in gloria infinita, & immenſa ſitis ſolus Rector, & Gubernator cęli, & terræ, cui datæ ſunt Claues Regni Cęlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Quod cum ita ſit, vt nemo ſit quem inter mortales Deus altius prę-terquam vos euexerit, & in tam ſublimi maieſtate collocauerit; quis terreſtrium poterit vnquam eminentiſſimam veſtram gloriam recenſere? Cum certum ſit, vos eſſe in tam altiſſimo honoris gradu eleuatum, & ſupra omnes homines à Deo prædilectum; ad menſuram ſcilicet charitatis veſtræ, qua pręcæteris Deum dilexiſtis, iuxta illud; Simon, diligis me plus his? dictum Petro: cui pro tanta dilectione Chriſtus dixit, Paſce oues meas, paſce agnos meos: & qui trina reſponſione, trinam negationem aboleuit, & amorem ſuum Trino Deo & vno conſecrauit, viuenti in ſæcula ſempiterna: poſtquam nomen Dei agnouit, quod Deus charitas eſt; qui ab inflammata ſua bonitate, ſicut mundum creauit, ita etiam deſcendit de cælis propter noſtram ſalutem, & incarnatus, homo factus eſt: & paſſus, & mortuus, dilectionem præcepit dicens; ſi diligitis me; mandata mea ſeruate; & hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, & in hoc cognoſcent homines, quia diſcipuli mei eſtis, ſi charitatem inuicem habueritis. Nam ſi quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt: & qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Præterea Chriſtus dixit; ſi hæc omnia feceritis, tunc vere diſcipuli mei fueritis, & ego vos diligam, & dabo vobis Regnum æternum. Cum igitur hæc ſit voluntas Dei, & nobis incumbat ſequi voluntatem illius, ac obtemperare voci mandatorum diuinorum, atque ab obedientia ſeſe attollere ad amplexus dilecti Ieſu Chriſti, quemadmodum maiores noſtri qui Deo placuerant, fecerunt, & inter hos noſter anteceſſor nationis Armenorum, Sanctus, & glorioſus Pater Gregor. Magn. Martyr qui dilectione inflammatus cum Rege Neophito, & quamplurimo populo ab Oriente in Occidentem venerat, adorare Petram Fidei, & Apoſtolicam ſepulturam: vbi confirmatus in amore Sancti Sylueſtri, & Magni Conſtantini, à ſuccenſo deſiderio quo flagrabat vnionis, commiſçuit attramento tremenda myſteria corporis, & ſanguinis Dominici, eaque mixtione ſubſcripſit vnioni inter has duas nationes. Qua per antiquitatem temporis diſſoluta, nos cogitauimus, ab eodem amore fraternitatis incitati, ſcribere has litteras dilectionis, Vobis ſuper omnia honorando Pontifici noſtro dilecto, Patri noſtro Maximo, ſupplicantes renouari inter nos charitatem antiquatam: qua de cauſa præſumpſi vos Pater ſancte familiarius alloqui. Namque Chriſtus iſtud pręceptum dilectionis fraternę inter omnes nationes, quæ Fide Chriſtiana coniunguntur, confirmauit, dicens: Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor: atque Patrem pro ſuis diſcipulis obſecrauit: ſint vnum ſicut, & nos vnum ſumus.

Primatum Rom. Pont. extollit.

Greg. Mag. Martyr. Armen. Patr.

Cum itaque Chriſtus tamquam Caput omnium, confirmauerit vnionem inter membra Eccleſiæ; quos audebit contradicere illi, & à grege ipſius ſeparare? Si quis porro auſus fuerit, iſtud proceſſerit à lupo ferociente diabolo, aſſueto ab initio ſitire ſanguinem Chriſtianum ac bibere, & ad ſolam diuiſionem Chriſtianorum attento; gnaro totius doli artifice, & peſtilentiſſimi inter Chriſtianos odij ſeminatore, quærente homines à dilectione ſeducere in barathrum perditionis. Propterea ignis iræ Patris æterni acenſus eſt in vinea Domiuica, quia plantatio fraterni amoris eradicatur, olim brachio illius plantata, radicata, & à Spiritu Sancto irrigara. Noſtra hæc eſt culpa, qui cum dono gratiæ diuinæ, inuitati premijs cæleſtibus & roborati, accepta poteſtate ſerpentes conculcandi diuiſione ab inuicem dedimus locum Diabolo. Confidimus tamen in Chriſto, qui dabit virtutem, vt vincamus & ſuffundamus malignum; & coronam gloriæ à Deo referamus in veſtro nomine omnium potentiſſimo: quia Vos eſtis Caput omnium Fidelium, & vobis incumbit diſperſa Chriſti membra congregare, & ſibi adiungere, ſicut dictum eſt: Tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Iſtud à vobis nos ſummo deſiderio poſtulamus: veſtrum eſt pro veſtra ſapientia manum operi admouere. Et quid eſt, quod nos Chriſtianos ſeparat ab inuicem? Ego profecto rem nihilo eſſe exiſtimo. Omnes enim credentes in vnam Fidem Dei Omnipotentis conſpirant, Duodecim v. nationes Chriſtianorum, in vnum conueniunt, Trinitatem perſonarum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tres perſonas vnius eſſentiæ confitentes. Credimus etiam, & confitemur myſterium Dei eodem modo, ſcilicet quod Chriſtus ſit Deus, & homo perfectus, in duabus naturis vna perſona, & vnus Chriſtus. Anathema quoque dicimus Eutycheti, qui dixit coniunctionem, & Neſtorio qui dixit diſtinctionem, & ex Catholico ſenſu confitemur Deum, & hominem perfectum, & vnum Chriſtum. Iſtud eſt fundamentum, & firmamentum Eccleſiæ, & omnium cærimoniarum illius: propter quas quid altercamur? cum illæ ſint ad honorem gloriæ Dei, iuxta intentionem ſanctorum Scriptorum. Iſtud porro ſi acceptum eſt Deo, homines cur digladiantur? cum Eccleſia Chriſtianorum ſit hortus Dei ingens, & menſa inſtructa varijs ferculis Ieſu Chriſti, & ſicut ille producit multifarios flores ornandæ menſæ Principis, ita etiam pro ratione guſtuum multæ dapes apponuntur ſumunturque; ſancte ſeruata vnione, & communione. Myſteria Dei innumera ſunt, & profunda, quæ carnalis intellectus non capiat. Veſtrum eſt itaque Pater ſancte remedia humanæ imbecillitati excogitare, poſtquam vobis à Chriſto data eſt ſuprema poteſtas, & ſcientia Spiritualium, & temporalium, & præeſtis cum imperio vniuerſo Orbi. Veſtrum eſt, diſperſos congregare, & gregem commiſſum à lupo ferociente eripere; vtinam volueritis vt poteſtis omnia efficere. Gregorius Papa noſtris temporibus, Paſchalis feſtiuitatis diem deſignauit, & nemo auſus fuit contradicere: neque vobis in tam ſancto vnionis negotio quiſquam obſiſtet, ſi à ſupremo poteſtatis veſtræ arbitrio, immortalitatem gloriæ veſtræ in terra, & in cælo ea cura quæſieritis. Quotquot fuerę Sanctorum, omnes ab auxilio diuino præclara facinora geſſerunt, iſtud

Profeſſio fidei Patr. Armen.

Supremam Pont. poteſtatem agnoſcit, & extollit.

nos

nos vobis adprecamur, per interceſſionem SS. Dei Genitricis, & Collegij Apoſtolorum, prophetarum, & omnium beatorum; qui digni ſitis communione hæreditatis, & felicitatis ipſorum in luce ſempiterna. Hæc mea præſumptio, & familiaris allocutio, ne vos, oro, afficiat; quam ſanctum deſiderium, & amor inflammatus expreſſit. Nam, & vehementer cupio vos aſpicere, alloqui; & pedes veſtros deoſculari; cæterum, quod multa ſint mihi impedimento, huic epiſtolæ cor meum indidi, quod vobis miſi, per hunc fidelem dilectum Zachariam prædicatorem. Ignoſce mihi Pater ſancte, caput Spiritualis gloriæ, qui vos auſim corona ſpirituali † cumulare. Aliud quod Maieſtati tuæ offerrem, non habui; ac præterea ſciui te muneribus non egere. Laudes quas Vobis ſcripſi, inter duo minuta pauperrimæ viduæ repoſueritis. Significauimus vobis noſtram erga vos dilectionem, & deſiderium vnionis: mandato Dominico & Patrum noſtrorum, qui iſtud præceperunt, obſequentes. Si à ſublimi throno Maieſtatis veſtræ ad noſtram humilitatem reſpexeritis, nos quidem nihil vobis dignum poſſumus reſpondere: Creator tamen mundi vobis omnia retribuet. Amore perſequimur reliquos Chriſtianorum; cæterum vos ante omnes: propter beneficia innumerabilia quibus nos affeciſti. Armenia enim multum illuſtrata eſt, à Sede Apoſtolica, fundamento totius Fidei Chriſtianæ. A Romanis, & à ſceptro S. Petri, prodierunt 40. virgines lucidiores ſole, ſancto ligno Dominico diuites, quod cum in monte Caleliæ reliquiſſent, tenebras Idolatriæ ex Armenia depulerunt prædicatione diuina, & martyrij victoria. Earum ſacræ reliquiæ reconditæ iacent in hac ſancta Eccleſia Eciniecrin; in quo loco olim altare à Noe extructum, in figuram veſtræ petræ immobilis, & veſtri templi ampliſſimi, cuius exemplar iſthic monſtratum eſt. Oramus, ne nos Paſtor deſeras: nos vero exemplo aliarum Eccleſiarum, quæ hic, numeroſiſſimæ ſunt, conglorificabimus in Iubilo cordis ſanctum nomen veſtrum, dignum omni exaltatione. Valete cum ſalute in Spiritu Sancto, & Deo Patre, & Filio, qui vos nobiſcum dilexit. Amen. Scripta 1059. Iuxta ſupputationem Armenorum die 15. Maij Sabbato anno ſalutis 1610.

Retulit eam epiſtolam PAVLO V. Legatus; Zacharias: quem is benigne accepit, & habuit: ac denique de rebus Orthodoxiæ deq; ea aquæ calici miſcendæ quæſtione conſulentem, à maiorum traditione inſtructum, ad ſuos remiſit, data Melchiſedecho, quam adſcripſi epiſtola.

Venerabili fratri Melchiſedech Patriarchæ Armeniæ Paulus Papa Quintus.

Litera S.D. N Pauli V. ad Patr. Armenorum.

Venerabilis frater ſal. Literæ fraternitatis tuæ, quas dilectus filius Zacharias tuus Prædicator nobis detulit, ſumma conſolatione nos in Domino repleuerunt. Profecto, eas pietatis zelus dictauit, charitatis ardor ſcripſit. Et quidem animos audientium, in tui amorem ſic accendebant, (aderant enim non pauci, ex venerabilibus noſtris S. R. E. Cardinalibus dum legerentur) vt ſcriptura, non apicibus atramento delineatis ſed ſcintillis rutilantibus dum micare videretur. Quare laudes ampliſſimas literarum initio nobis tributas ita accepimus, vt in illis venerationem, & amorem tuum ſummum erga Beatiſſimum Petrum Apoſtolorum Principem agnouerimus; imbecillitatis autem ac paruitatis noſtræ minime obliti ſimus. Cum ſapiente ſiquidem muliere illa dicimus: Nolite me vocare Noemi, id eſt, pulchram: ſed vocate me mara: quia amaritudine plena ſum. Nam quantum exterius proficimus, tantum timemus, ne interius cadamus; cum ſcriptum ſit; Deiecisti eos dum alleuarentur. Deiicitur quippe dum alleuatur, quiſquis externæ dignitatis elatus acceſſione interno ſyncera virtutis incremento non proficit; & obcæcatus fallacis huius ſeculi proſperitatis ſplendore; aſcenſum, qui in valle lacrymarum potius eſt, in meditatione videlicet deplorandi ſtatus fragilitatis humanæ, non quærit. Nec ob id officium obſeruantiæ & beneuolentiæ ſuæ, erga nos, minus nobis gratum fuit: imo vero multo magis; quia intelleximus ex hoc, quam ſapienter in Petri ſede Petrum agnoſcas; & vt ab amore tanti Paſtoris, ex perſona tam imparis hæredis minime tepeſcas: & vero non ægre patimur laudari nos, quando id quod nobis tribuitur ad illius laudem cui tantam potentiam Dominus dedit, cum conſtituerit illum totius Eccleſiæ ſuæ Principem; vt ſi quid etiam noſtris temporibus recte per nos agitur recteq; diſponitur illius operibus, illius ſit gubernaculis deputandum; debetur enim hoc admirandæ illi confeſſioni, non ab affectu carnis elicitæ, ſed Patris æterni ſpeciali gratia inſpiratæ; qua primum fidei Petra firmata fuit, & nunc immobilis perſeuerat, & ſtabilis in æternum; manſura cuius ſoliditati, diabolus fuit ſemper inuiſus, ſed nunquam nocuus. Neq; ſane quicquam de illius firmitate detraxit, quamuis multos ſecum in perditionem abegerit; & Chriſtianam Religionem multis in locis, aut perturbandam, aut corrumpendam, aut penitus exterminandam iugiter tentauerit; imo vero multo magis patefecit impoſſibile eſſe fidem Chriſto ſeruare, & in Petri confeſſione immobiliter non permanere. Illi autem exciderunt, & ab eis lumen veritatis ac diuinæ gratiæ ademptum eſt, qui ſuperbia inflati, aut negligentia hebetes, ad petram in qua fundati, & roborati fuerant; noluerunt attendere. Hinc innumeri errores; tam multæ ac variæ hæreſes: tam diuerſa, & tam grauia ſchiſmata; quibus Chriſtianorum vnitas, adeo ſciſſa, vel potius diſcerpta eſt, vt quod ſine lacrymis noſtri cordis referre non poſſumus; fides etiam ibi defecerit vbi primum cæpit. Quod nullo pacto accidiſſet ſi in confeſſione Petri Chriſtiani omnes pariter manſiſſent. Nam qui pro fide Petri orauit is vt immobilis ſemper atque inconcuſſa permaneret illi, tribuit. Hæc venerabilis frater cauſa eſt, & origo malorum omnium, quæ tanto charitatis affectu tuis literis nobiſcum conquereris. Mandatum namque mutuæ dilectionis ſuprema nocte à Domino datum rite ſeruari; & doctrina qua Chriſti diſcipuli ab omnibus certo cognoſci valeant, perfecte acquiri non poteſt, extra Eccleſiam ædificatam ſuper firmam illam petram, aduerſus quam portæ inferi nunquam præualebunt. Ideo minime mirandum eſt ſed valde lugendum, ſi in vniuerſis Orbis terrarum partibus tam multi qui Chriſtiano nomine cenſentur, facti ſint ex gente electa ex regali ſacerdotio; opprobrium vicinis eorum, & illuſio his qui oderant eos. Errauerunt ſiquidem ab vtero, & locuti ſunt falſa, id eſt, ſeparauerunt ſe à communione fidelium Ma-

ad laudes B. Petri aplaudes ſibi tributas vertit

Deus Petrũ totius Eccl. ſuæ Principem conſtituit.

Diabolus ſoliditati fidei in Petro firmatæ ſemper inuiſus nunquam nocuus. Impoſſibile eſt fidem Chriſto ſeruare, & in Petri confeſſione immobiliter non permanere.

Fides defecit vbi primum cæpit.

Origo omnium malorum in confeſſione Petri non manſiſſe.

tre,

tre, & Magiſtra Sancta Romana Eccleſia Catholica, & Apoſtolica, & in barathrum ignorantiæ falſitatis, & perfidia miſere prolapſi ſunt. Quapropter Anteceſſores noſtri Romani Pontifices quorum memoria in benedictione eſt, ſumma vigilantia ac ſollicitudine ſemper ſtuduerunt, aberrantes oviculas vbique locorum diſperſas, ad ouile Chriſti redigere, manentes autem inter caulæ Domini ſepta, confirmare, ſalutaribuſque admonitionibus munire aduerſus incurſus rapaciſſimi lupi qui noctu diuque circuit vt inueniat quem deuoret. Quorum laudabilibus veſtigijs innixi, nos vt quoque ad ſummi Apoſtolatus apicem euecti fuimus, curam hanc pro ſacerdotali zelo ardenter deſiderare te cognouimus toto corde ſuſcepimus.

Cura Rom. Pont. in redigẽdis ouiculis aberrantibus & confirmandis perſeuerantibus.

Ob id ſtatim quoſdam dilectos filios probata pietatis ac doctrinæ; religioſi ordinis Carmelitani diſcalceatorum fratres à fælicis recordationis Clemente VIII. noſtro Prædeceſſore in Perſidem directos, vt Chriſti fideles potiſſimum Armenos Communes filios noſtros, qui in illis regionibus degunt, viſitatione Apoſtolica conſolarentur vt maturarent iter, hortati ſumus.

Carmelitani diſcalceati in Perſidem & ad Armenos a Rom. Pont. miſſi.

Quare verbis explicare ſatis non poſſumus, quam nobis iucundæ fuerint literæ tuæ, & quam opportune illas per dilectum filium Zachariam prædicatorem ad nos miſeris. Primum quia declaratione tua eximiæ deuotionis atque obſeruantiæ erga ſanctam Apoſtolicam Sedem, opinionem, quam de Armenorum non auerſa à nobis voluntate habebamus, non ſolum confirmaſti, ſed de eorum pietate bene ſentire nos feciſti. Deinde quia Prædicator tuus vir, vt viſus eſt nobis religione, doctrina, eruditione, & humanitate, non vulgari præditus, prudenti ſermone ſuo noſtrum animum non mediocriter ſubleuauit, nam quo humaniores, & officioſiores erant tuæ literæ, eo magis angebamur ob ea quæ hactenus de Armenorum fide accepimus. Nolumus enim Fraternitatem tuam ignorare, quod ſicuti, quæ nobis ſignificaſti de Armeniæ Maioris ad Chriſti fidem conuerſione: de Sanctarum Virginum Ripſinæ, & ſociarum eius forti martyrio: de beati Gregorij Magni martyrio, ſanctitate, atque conuerſi ab eo Regio Tiridatis zelo, cuncta Eccleſiaſticis noſtris hiſtorijs deſcripta ſunt; ita multi quoque à noſtris ſcriptoribus recenſentur errores in Armenorum Eccleſiam, vel barbarorum inuerſionibus, vel pernicioſa diuerſorum hæreticorum propinquitate, ac conſuetudine illapſi, quibus eruendis Romani Pontifices quantum negotij difficultas, & diſſitæ propemodum à nobis regionis diſtantia patiebatur, operam ſedulo diligenterque nauarunt, quod præcipue Gregorius Septimus fecit annis ab hinc quingentis, & amplius datis literis ad Armenorum tunc Patriarchas de eiuſmodi erroribus. Et Eugenius Quartus in vniuerſali Synodo pro reparanda vnitate Eccleſiarum Latinorum, atque græcorum Florentiæ habita, annis videlicet centum, & ſeptuaginta tribus iam præteritis: Horum autem errorum cum fuerint omnes mandato noſtro eidem Zachariæ Prædicatori tuo expoſito, duos tantum reperiri in Eccleſia veſtra eſt ingenue faſſus, cæteros omnino pernegauit.

Armeni de ſuis erroribus à Greg. VII. moniti.

Errores quos confeſſus eſt Arm. Legatus.

Aquam in calicem cum vino non infundunt S. Patres contrarium tenentes recẽſentur.

Primus eſt quod aquam in ſanctum calicem cum vino non infunditis, præter omnium Eccleſiarum Occidentalium, & Orientalium ritum, atque conſuetudinem. Sancti Patres indubitanter tenuerunt modicum aquæ admiſcendum eſſe vino in oblatione tremendi ſacrificij, quia Dominus vinum aqua mixtum diſcipulis ſuis diſtribuendum conſecrauerit, vt affirmant Sanctus Iacobus Apoſtolus in liturgia, Iuſtinus Martyr, Irenæus, Cyprianus atque Baſilius, & quia hoc maxime conuenit Dominicæ Paſſionis repræſentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa Quintus à Beato Petro in ſacramentorum oblationibus, quæ intra Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, panis tantum, & vinum aqua permixtum in ſacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permixtum, quia vtrumque, id eſt, ſanguis, & aqua ex latere Chriſti profluxiſſe legitur: tum etiam quia conuenit ad ſignificandum huius ſacramenti effectum, vnionem videlicet populi Chriſtiani ad Chriſtum.

S. Iac. Apoſt. Iuſtin. mart. Irenæus Cyprianus. Baſilius Alex. V. a B. Petro, non V. co nomine.

Aqua enim populum ſignificat ſecundum illud Apocalipſis: Aquæ multæ populi multi; & Iulius Papa poſt beatum Sylueſtrum ait. Calix Dominicus iuxta canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cum in calice vinum, & aqua miſcetur; Chriſto populus adunatur, & fidelium plebs ei in quem credit copulatur, & iungitur.

Silueſter, & Iulius Papa

Itaque Venerabilis Frater errorem hunc corrigas neceſſe eſt, nam à nobis admonitus niſi cum vniuerſali Eccleſia te conformares aquam vino admiſcens in conſecratione, grauiter peccares. Nullo igitur modo permittes, vt in Armenorum Eccleſia vinum ſine aqua amplius in ſacro myſterio offeratur.

Cohortatio ad errorem corrigendũ.

Secundus error iſque grauior erat quod ſacro Triſagij hymno adiungitis. QVI CRVCIFIXVS ES, ob quam additionem Petrus Cnaphæus Epiſcopus Antiochenus vniuerſaliter Romæ atque Conſtantinopoli Synodice damnatus fuit; quia omnium hæreticorum impietates atque gentilium de Deorum multiplicitate errores in ea continerentur, vt diſerte Felix Papa, & Acacius Patriarcha Conſtantinopolitanus Synodalibus eorum epiſtolis ad ipſum Petrum ſcriptis declarauerunt.

Alter error ex Additione hymno Triſagij. Qui crucifixus es.

Huius Hymni origo, vt ex alijs ſcriptoribus Eccleſiaſticis habetur, hæc fuit. Quatiebatur Regia Ciuitas continuis terræmotibus, ita vt Theodoſius Imperator, & Proclus Patriarcha cum populo vniuerſo, quia ab ædificiorum ruina timendum eſſet, extra Vrbem morarentur aſſiduis ad Deum precibus intenti. Quodam autem die cum vehementius terra concuti inciperet, & propterea litanias magna cum lacrymarum effuſione clerus atque populus celebraret, repente puerulus omnibus ſpectantibus diuina quadam vi ad cœlum vſque raptus eſt; qui deinde in terram reuerſus, Patriarchæ, & Imperatori omnique multitudini diuinam miſericordiam aſſidue imploranti renunciauit, ſe Angelos canentes in hunc modum audiuiſſe, ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis miſerere nobis: Quæ verba ſtatim ac populus Patriarcha iubente concinnit, terræmotus ceſſauit.

Origo Triſagij ab Angelis.

Vt igitur nulla in hoc Sacro hymno ſit mentio humanæ naturæ aſſumptæ à diuino verbo; ſic totus pariter in laudem diuinitatis trium perſonarum ab Eccleſia concinitur; nec in eo mentio crucis fieri poteſt, quin paſſibilitas diuinitati inſeratur: etiamſi (vt non minus callide quam impie, ac latenter, Eutychis damnatam hæreſim renouandam excogitauit Petrus Antiochenus) vnus tantum de Sanctiſſima Trinitate diceretur crucifixus. Imo vero Sancti Patres ex hoc tanto magis Petri errorem redarguebant, quod ſic aut diuinam naturam cruci ſubijceret; aut conſubſtantialem ſolue-

Petri Antiocheni quam pernicioſus error.

ſoluerent ſi enim filius Patri conſubſtantialis (nulla vt diximus, humanitatis aſſnmptæ ratione habita in hoc hymno) dicatur paſſus, & pater ipſe æternus dicitur paſſibilis, ac proinde Spiritus Sanctus. Quod ſi ad tam nepharias blaſphemias euitandas, filius ſolammodo paſſionis capax aſſeratur, non amplius conſubſtantialis Patri ſanctoque ſpiritus filius dici poterit. Et cum filius ſit Deus, ſicut pater eſt Deus, & Spiritus Sanctus eſt Deus, iam non erit amplius vnus Deus, ſed plures Dij. Hæc omnia ex deteſtabili additione Triſagio facta ab impio Petro Antiocheno, deduxerunt ſancti Patres; quibus commoti cum incorrigibilis in impietate ſua idem Petrus permaneret: ipſum Synodali ſententia ab Eccleſia ſancta Catholica perpetuo innodatum anathemate ſeparauerunt, & additionem illam. Qui crucifixus es, à Triſagio omnino remouendam ſtatuerunt. Quamuis recte ſentire te de vnitate diuinæ naturæ, de Trinitate perſonarum; de diſpenſatione incarnationis æterni verbi, ex tuis literis cognouerimus; nec dubitemus, quin cum aperte damnaueris Neſtorij Hæreſim atque Eutychis, omnes quoque alias hæreſes ab Eccleſia damnatas reijcias atque reprobes, & propterea credamus, de nullo pacto Triſagium cum additione eo ſenſu in Eccleſia tua canere quo damnatus Petrus Antiochenus inſtituerat: tamen ab huiuſmodi additione vt omnino abſtineas neceſſe eſt. Non enim poteſt Armenorum Eccleſia ſola retinere, quod vniuerſaliter ab omnibus alijs Synodica definitione reiectum, ac reprobatum fuit, ſed minime miramur ſi quomodocunque ſit, error in veſtram Eccleſiam irrepſerit, nunquam hactenus correctus fuerit. Nam vt Zacharias Prædicator tuus dixit, exceptis tribus prioribus reliquæ vniuerſales Synodi vobis ſint ignotæ. Opportunum itaque exiſtimauimus eorum notitiam aliquo modo tibi tradere, quam accipies ex libello characteribus Armenicis mandato Prædeceſſoris noſtri Clementis VIII. diligenter impreſſo, quem reddendum tibi, dedimus eidem Zachariæ, vt cognoſceres profeſſionem Orthodoxæ fidei, quæ ex præſcripto Sanctæ Apoſtolicæ Sedis ab Orientalibus ad Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ vnitatem venientibus facienda proponitur.

Petrus obſtinatior ab Eccleſia Cathol: anathematizatus.

Exhortatio pro errore hominum deponendo.

Liber profeſſionis fidei arabice impreſſus ipſi mittitur.

Cognitio vniuerſalium Conciliorum maxime neceſſaria eſt, ideo Beatus Gregorius Papa, & Eccleſiæ Doctor egregius, dicebat: ſicuti Sancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere, ac venerari me fateor.

Quam neceſſaria ipſi cognitio vniuerſalium Conciliorũ.

Nicænum ſcilicet in quo peruerſum Arij dogma deſtruitur; Conſtantinopolitanum quoque in quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur. Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur; Chalcedonenſe vero; in quo Euthychis Dioſcorique prauitas reprobatur, quia in his veluti in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cuiuslibet vitæ, atque actionis norma conſiſtit. Quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium iacet. Ne igitur Venerabilis frater tanti doctoris ſententia extra Eccleſiæ ſanctæ ædificium cum grege tuo iaceas; Decet te Chalcedonenſe cum prioribus tribus recipere, eaque ſimul tamquam quatuor Euangelia venerari. Similiter vt nobiſcum ambules in Domo Dei, cum conſenſu reliquarum vniuerſalium Synodorum acta atque decreta cognoſcenda obſeruandaque tibi proponimus, vtique Triſagij error apud vos non inoleuiſſet, ſi quæ in Synodis geſta ſunt vobis innotuiſſent.; quem vt omnino corrigas etiam atque etiam à te poſtulamus. Id autem vt facias ita flagitamus pro Paſtorali officio noſtro vt maiori animi ſtudio contendere hoc à te non poſſimus. Eris zeli, & prudentiæ tuæ ſacerdotalis, quod ad remouendam diuinitatis iniuriam, quæ damnata illa Triſagij additione Sanctiſſimæ Trinitati infertur, petimus, quam primum exequi & de hoc, ſicuti & de admixtione aquæ cum vino in ſancto ſacrificio nos quamprimum certiores facere ſummo quidem deſiderio expectabimus hoc reſponſum, idque tanto maiore ſollicitudine, quanto magis aucta eſt noſtra in te beneuolentia ex agnitione ardentis affectus, quo ſanctam Petri Sedem veneraris; noſque in ea nullis licet noſtris meritis, ſed tantum diuina diſpenſatione præſidentes diligis.

Eadem de cauſa permanenter accepimus pulcherrimum munus tuo nomine nobis oblatum, à dilecto filio Zacharia Prædicatore; per quem nos quoque fraternitati tuæ mittimus particulam ſanctiſſimi Ligni Sanctiſſimæ Crucis Domini noſtri aurea Cruce paruula incluſam, quam habere à nobis voluimus loco coronæ capiti noſtro tuis literis tributæ. Ex eodem etiam accipies quaſdam ſacerdotales veſtes ad diuina myſteria aliaque ſacra officia peragenda, dono tibi à nobis de ſancti Petri benedictionibus; vt amor tuus erga Beatiſſimum Apoſtolorum Principem magis ſemper augeatur, & paſtoralium noſtrorum laborum atque ſollicitudinum memoria in tuis orationibus ſemper renouetur; ſicuti nos quoque tui atque fidelis gregis curæ tuæ commiſſi nunquam obliuiſcemur in noſtris precibus, quas ad veneranda Sanctorum Apoſtolorum corpora pro cunctis Chriſti fidelibus ad Deum fundimus, fraternitatem tuam, & communes filios noſtros dilectiſſimos Armenos in veritate ambulantes amamus ex corde; & huius amoris noſtri ſigna quotieſcunque ſe nobis occaſio obtulerit, tibi tuiſque libentiſſime dabimus. Ideo animo perlibenti te, & Armenorum nationem vniuerſam Sciah, Abbatiæ Potentiſſimo Perſarum Regi diligentiſſime commendauimus, ſicut deſiderare te nobis ſignificauit dilectus filius Zacharias Prædicator.

Munus S. D. N. Paulo V à Patre miſſum acceptum & munera viciſſim a S. D. N. eidem tranſmiſſa.

Commendauit nationẽ Armenorũ Regi Perſarum.

Si quid vlterius poſſe nos tibi præſtare intellexerimus illud amantiſſime exequemur. Prædicator tuus dilectus filius Zacharias toto tempore quo apud nos manſit, tanta prudentia, humanitate, modeſtia ſe geſſit, vt noſtram paternam charitatem mirifice ſibi conciliauerit, itaque tamquam filium à nobis peculiariter dilectum eum fraternitati tuæ commendamus.

Commendat ei Legatum Zachariam

Omnipotens ac Miſericors Deus per ſuam ineffabilem Clementiam iugiter in animo tuo multiplicet dona ſuæ ſanctæ gratiæ quo melius ſemper inſeruire paſtorali miniſterio tuo immenſæ illius bonitati poſſis, vt cum reddideris illi rationem negotiationis tuæ audire merearis: Euge ſerue bone, quia fuiſti fidelis, intra in gaudium Domini tui, & nos tibi, Clero, & Populo tuo vniuerſo benedictionem noſtram Apoſtolicam ex intimis viſceribus charitatis tribuimus. Datum Romæ apud S. Petrum Quarto Cal. Maij. M.D.CXII. Pontificatus Septimo.

Hæc PAVLVS QVINTVS Melchiſedecho Patriarchæ Armenorum reſpondit, Emiſſo iterum in Vrbem Zacharia Vicario Conſtantinopol. qui amplius Sedem Apoſtolicam conſuleret. Iſtud eſt exemplar epiſtolæ ex Armeno.

Mittitur iterum à Patriarcha Zacharia ad Vrbẽ amplius Sedem Apoſt. conſulturus.

Admirabilis, colendiſsime, Maxime, glorioſiſsime, & ſumme Princeps vniuerſalis omnium gentium, Regum, Principum, Poteſtatum & in vniuerſum omnium Chriſtianorum, qui per Fidem congregati ſunt in ouili Eccleſiæ, quæ mater totius

gregis Chriſti, quem Chriſtus Petro Principi Apoſtolorum commiſit dicens: Paſce oues meas. Hæres & poſſeſſor ſanctiſſimæ Sedis, venerabilis Papa, Princeps Romæ, gloria omnium Pontificum qui in ſuprema cathedra, cum ſumma gloria, ſuper omnes exaltatus ſedes, quem Deus glorioſum conſeruet. Ego indignus afflictus confrater Melchiſedech Catholicus Armeniæ, in pace Ieſu Chriſti ſcripſi præſentes, & veſtros ſanctos pedes deoſculor, & agnoſco plenitudinem charitatis & miſerationis veſtræ, in epiſtola & muneribus Sanctitatis Veſtræ, quæ mihi Zacharias Vartabied reuerentes reddidit. Literas Sanctitatis Veſtræ legi cum ingenti gaudio; congaudentibus adinuicem meis Coepiſcopis, qui in eis conſolutiones ſummæ ſuauitatis, & omnia verba ordinate diſpoſita perſpexerunt. Neque minus, quam ros aridam terram viuificat, aut lux diſcutit triſte nubilum, aut Angelus qui conſolatus eſt ſacroſanctam Virginem, aut Spiritus ſanctus Apoſtolos, ſic illæ nos voluptate indicibili perfuderunt. Vidimus attonite non eſſe opus humanum, ſed Spiritus ſancti dictaturam: cui bonorum omnium largitori gratias habuimus, qui tantis donis timentes ſe cumulauit. In eiſdem, pluries relictis, vidimus noſtros ad inuicem animos eſſe coniunctos, & concordes. Dominus Deus adimpleat deſiderium cordis veſtri; cui & nos obtemperare atque ſatisfacere cupimus in omnibus: & vt hæ noſtræ voluntates bonum exitum habeant ſupplicamus Deo. Amen.

Conſiderauimus præterea, tria à nobis principalia requiri. Primum, vt aquam in tremendo ſacroſancto ſacrificio miſceamus. Secundum, ne hymno Triſagij adiungamus, Qui crucifixus es. Tertium, vt Concilio Chalcedonenſi ſubſcribamus. Hæ ſunt cauſæ odiorum & diſſenſionum, & contentionum inter Chriſtianos: ideoque originem illarum diligentius expendemus in pace & Charitate Chriſti quam Ieſus Chriſtus concedere dignetur fidelibus Chriſtianis. Iſta poſſent olim obtineri ab Orientalibus, & tempus ipſum proferret occaſionem ſanctæ vnionis, ſi vniuerſi amore Ieſu Chriſti inflammati decernerent obedire; & ſubijci ex toto corde vni Capiti. Tunc eradicaretur radix totius amaritudinis, cauſa omnium malorum, & Eccleſia in vnum Ouile inſtauraretur ſub vno Paſtore, ad inſtar Paradiſi cæleſtis bene ordinata. Iſtam vnionem ſummopere deſideramus; qua conſummata, nihil obeſſet, quo minus iuſſionibus veſtris omnes obtemperarent. Nunc vero vno aliquo ſuperbiente, & mandatis veſtris contradicente, ſut eſt fomitis ad excitanda ſemina diſſenſionis, cooperante ſatana; qui impedimento eſſet, huic bono acceptabili. Porro ſi peruerterentur conſilia inimici, aperietur planum iter his, quæ optamus bonis. Vtinam omnes ſimus vna anima & vnum cor; non difficile foret obſecundare, & opere exequi quod iubetis. Veſtra enim ſanctitas Caput eſt, ac Princeps tum in ſpiritualibus quam temporalibus potentiſſimus: & habet plurimas gentes, rerum diuinarum intelligentes: quorum opera, omnia quæ voluerit, facit pro ſua ſapientia & gloria. Circa hæc tria in ſpecie, dicimus, nos eſſe conformes ſanctitatis veſtræ deſiderio: cæterum per ſupremas difficultates quibus opprimimur, non poſſumus interim quicquam innouare. Circumdati enim ab infidelibus, non poſſumus quemadmodum ſanctitas veſtra inter credentes, quæ cogitauerit adimplere. Multos habemus aduerſarios occaſioni intentos propter quorum malitiam, omnia opus eſt clam facere, ne infidelibus referant: à quibus infinitas calamitates perpetimur; quemadmodum nuper Zacharias noſter Legatus ad ſanctitatem veſtram miſſus. Duos hic Luſitanos Religioſos, à Rege Hiſpaniarum ad Regem Perſarum deſtinatos, benigne recepimus, & qui noſtra Monaſteria viſitarent admiſimus. Hi poſtquam loca ſancta adoraſſent, & nonnullas SS. Reliquias abſtuliſſent, & vix è Perſide pedem extuliſſent, noſtris hoſtes Regi Perſarum omnia detulerunt. Ad quem ego adductus vix euaſi, quin me capite minueret. O quantis malis obruimur, quæ non permittunt operi committere quæ ſcripſiſtis. Deſideramus tamen Sanctiſſimæ veſtræ voluntati conformari: à qua etiam non valde diſſentimus. Quod enim commixtionem aquæ in Sacrificio miſſæ attinet, credimus & confitemur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſeipſum obtulit ſacrificium Deo Patri in cruce, & dedit pretium redemptionis noſtræ à ſeruitute, ſanguinem ſuum pretioſum. Item credimus & confitemur, quia conſummato ſacrificio tremendo vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit fons aquæ in ablutionem ſordium & macularum peccati. Et hæc eſt vera cauſa, quare Eccleſia in ſacrificio miſſæ miſcet aquam vino: conſignificans etiam vnionem populi cum Chriſto & iſtud credidimus & in humilitate recipimus, ad gloriam Dei. Cæterum ſcrupulus nobis ineſt: Nam aperto latere Chriſti, ſanguinem ſumimus in potum, & aquam in ablutionem: & ſic aqua vtimur in miſſa: ſcriptum eſt etiam in noſtris libris, quia Chriſtus in cœna accepit vinum impermixtum, neque Euangeliſtæ meminerunt aquæ mixtionis. Præterea in iiſdem legimus: quando S. Gregorius, & Iudatius Rex noſter Romam ab Syluestrum Papam & ad Conſtantinum Imperatorem conceſſerant, de adminiſtratione Sacramentorum, iuxta Apoſtolicam traditionem à S. Syluestro edocti, decreta ſuper his myſterijs ſecum detulerunt, in quibus legimus, vinum incorruptum. Alterum eſt de Triſagio. Dicimus, Sanctus, & immortalis. qui crucifixus es: tamen anathema etiam dicimus, his qui aiunt. SS. Trinitas qui crucifixus es. Nam hic tres perſonas vnius eſſentiæ cruci affigunt. Abſit à nobis iſtud. quia neque Patri, neque Spiritui ſancto, ſed tantum verbo incarnato canimus. Qui Crucifixus es. Proinde excommunicamus Abantium, & Petrum Antiochenum impium hæreticum, ac propterea. Qui crucifixus es, adiungimus. Namque Neſtorius negabat Chriſti diuinitatem, & hominem purum, non Deum verum cruci affixum eſſe blaſphemabat. Nos autem credimus, Chriſtum Deum verum & hominem viuum ſecundum Deitatem impaſſibilem, ſecundum humanitatem paſſibilem; in eadem carne aſſumpta paſſum, non vero in aliena, quemadmodum Neſtorius & Petrus mentiuntur, dicentes: Chriſtum eſſe hominem tantum. Nos vero affirmamus, hominem purum non potuiſſe afferre mundo ſalutem, Deum vero purum non potuiſſe ſufferre mortem. Ideo confitemur, Qui crucifixus es, vt confundamus negatores diuinitatis: quibus cum in dies conuerſari & altercari opus habemus. Concilio Calcedonenſi porro non ſubſcribimus, quia in Tribus prioribus Concilijs, in nomine SS. Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti congregatis, exiſtimamus ſufficienter eſſe traditam Fidei & confeſſionis Orthodoxæ regulam: de SS. Trinitate nimirum, & Incarnatione verbi Dei. Alia Concilia maiores noſtri ſuperflua putauerunt: ac propterea neque Chalcedonenſi interfuerunt. Licet nos poſtea, omnia

Conci-

Concilia Oecumenica, in his quæ ſunt de fide Catholica recipimus; in alijs vero reijcimus. Hæc viſum eſt Sanctitati Veſtræ ſignificare; non quod hæreſi aut ſchiſmate nos à vobis diuidere velimus; aut iſta ex ſuperbia aut ira ſcribamus, ſed in ſimplicitate & humilitate cordis ſinceri ad gloriam Dei; flagitantes Sanctitatem Veſtram, vt ſi viderit nos in aliquo deficere, quod nos omnino lateret, pro ſua ſapientia declaret, & moneat: cum nos pro noſtra fragilitate prompti ſimus obedire, non tantum in his ſed etiam in omnibus dogmatibus, & ritibus Eccleſiæ Romanæ, vt ſit vnum ouile, & vnus Paſtor. Iſtud deſideramus vt alij etiam Chriſtiani faciant, vt vnum ſimus cor & anima in Domino. Quod vobis pro officio Paſtorali, qui eſtis Caput Eccleſiæ, conuenit curare. Zachariam Vicarium noſtrum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfecimus, erecto peruicaci illo Epiſcopo. Ille ſequeſter & mediator meus erit apud Sanctitatem Veſtram gnarus optime rerum Romanarum. Iubeat Sanctitas Veſtra, & obediemus, radicati in amore fraternitatis, à qua cuncta bona ſperamus. Deus vos conſeruet. Amen. Scripta anno 1602. iuxta Armenos; iuxta Latinam ſupputationem anno Chriſti 1613. die 22. Martij, & ſigillo Patriarchę Melchiſedech ſignata: interprete Bartholomæo Abagaro quo ſupra, idiomate Italico reddita.

Has litteras cum primum PAVLVS V. accepiſſet, attendens ad Petram ex qua exciſus, id eſt, ad maiorum traditam Doctrinam, ex illorum diuite promptuario, quid de tribus præpoſitis quæſtionibus crederent reſpondit, data ſequenti epiſtola, cum monimentis antiquis, quæ bono Eccleſiæ Armenorum adiungebam.

S. D. N. Pauli V. epiſtola ad Patr. Armenorũ qua quid de tribus ab eo propoſitis quæſtionib. credere debeat reſpondere.

Venerabili fratri Melchiſedech Armenorum Patriarchæ Paulus Papa V.

Venerabilis frater ſalutem. Deſiderio deſiderauimus literas fraternitatis tuæ, quia ſperabamus te reſponſurum noſtris admonitionibus ſignificatione correctionis veſtrorum errorum. Sed ſpes (ne dicamus exinanita) at certe dilata; conuerſum eſt noſtrum deſiderium in vehementem ſollicitudinem. Comedit enim nos zelus ſalutis veſtræ. Nihilominus nos conſolatur quod veritatem doctrinæ Orthoxæ huius ſanctæ Apoſtolicæ Sedis per humilitatem noſtram vobis expoſitam, tu, atque venerabiles fratres Epiſcopi, qui tecum ſunt, agnoſcitis, atque fatemini: & quod profiteris eas quas ſcripſiſti ad nos rationes & cauſas, quibus exiſtimatis non modo non errare, ſed neque etiam quantum ad fidei integritatem, diſſentire ab Eccleſia ſancta Catholica Apoſtolica Romana, addentes Triſagio: Qui Crucifixus es: & aquam in ſanctum calicem non infundentes, neque ſacroſanctum Concilium Chalcedonenſe recipientes; fuiſſe propoſitas, non vt animo obdurato, obſtinatoque reſiſteretis veritati, ſed vt rationem ritus, & conſuetudinis veſtræ Eccleſiæ redderetis; prompti tamen paratique exequi quicquid neceſſarium eſſe ad veſtram ſalutem vobis poſtea ſignificauiſſemus: quanquam difficultates multæ & pericula grauiſſima vndique vobis immineant. Et plane ita eſſe credimus: neque enim cauſam videmus cur ſimulare debeatis. Et quando etiam id ſuſpicari poſſemus: opinio quam habemus de pietate, prudentia, religione tua, remoueret omnem ex animo noſtro ſuſpicionem. Agitur de fide, in quo negotio ſubeſſe ſimulatio non poteſt, ſine Dei iniuria, & animæ detrimento irreparabili: quæ duo cauere te diligentiſſime in omnibus tuis conſilijs atque operationibus certi ſumus. Quare cum dicas, vos eundem nobiſcum ſenſum habere de fide, etiamſi retineatis quod nos damnamus, reſpuatis quod nos recipimus, procul dubio nobis perſuademus, affectum in vobis ſeducere intellectum. Arbitramur igitur, exiſtimare vos à nobis non diſſentire, quia vehementer cupiatis nobis conſentire. Nam facile creditur quod valde deſideratur. Hac fiducia ſcribere ad fraternitatem tuam iterum de eiſdem rebus decreuimus: & cum his noſtris literis tibi mittere non ſententiam tantum, & teſtimonia ſanctorum Patrum, vt antea fecimus: verum deſcriptas de verbo ad verbum ex Eccleſiaſticis monumentis tractationes, ac determinationes de his capitibus habitas in Eccleſia ſancta Dei. Confidimus enim hoc pacto fore, vt voſmetipſi euidenter deprehendatis quam decipiamini. Iam vero pro comperto habemus errorem veſtrum non in voluntate, ſed intellectu tantum conſiſtere: zelum retinendi antiquas veſtras traditiones cum deſideria ſentiendi nobiſcum pugnare. Præualuiſſe hactenus hunc zelum quia diſiunctum fuerit à perfecta ſcientia, atque notitia: nihilominus obſecuturum iuſto, neceſſarioque veſtro deſiderio, quoties plene ac perfecte de veritate Catholica edocti eſſetis. Mandauimus itaque vt deſcriberentur, atque in Armenicum idioma conuerterentur acta ſanctæ huius Apoſtolicæ Sedis, in cauſa Petri Cuaphæi Epiſcopi Antiocheni auctoris deteſtabilis additionis ad Angelicum Triſagij hymnum appoſitæ, ac tibi mitterentur. Accipies igitur epiſtolam ſanctæ memoriæ, B. Fœlicis Papæ III. prædeceſſoris noſtri Synodice ſcriptam, qua fraterne admonet, & efficaciter hortatur eundem Petrum, vt remoueat à Triſagio illud, qui Crucifixus es, ab ipſo additum; diſertiſſime illi oſtendens Eccleſiæ Catholicæ ſcandalum, fidei Orthodoxæ detrimentum, hæreſum ac præſertim Eutychianæ inſtaurationem; quæ ab execrabili hac additione manifeſte proueniebant, cuius epiſtolæ initium tale eſt. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? ſufficere quidem deberet huius epiſtolæ lectio, cum in ea nihil prætermiſſum ſit, quod neceſſarium eſſet ad huius grauiſſimi erroris declarationem. Sed vt eius grauitas euidentius adhuc vobis pateret, ex ſollicitudine ac zelo quo Sanctiſſimus Pontifex laborauit, ne lupus ſpecie, atque indumento Paſtoris ouiculas decipere poſſet; exemplum aliarum etiam duarum epiſtolarum eiuſdem Felicis Papæ mittendum vobis eſſe duximus; quarum vna, eidem Petro Cnafæo ſignificatur eius depoſitio ex epiſcopali ſede; quia inſtar aſpidis obturantis aures ſuas, noluerit ſalutarem admonitionem audire. Incipit autem. Quoniam peſtiferis doctrinis imbutus. Altera, à Zenone Auguſto Imperatore petitur, vt velit depoſitum Apoſtolico decreto Cnafæum ab Antiochena Eccleſia expellere; quæ hunc in modum exorditur. Conuenit noſtræ clementiæ, rerum ordinem nunciare geſtarum. Pari quoq; pacto adijciendam eſſe epiſtolam Acacij Patriarchæ Conſtantinopolitani Synodali conſilio ad ipſum Petrum Antiochenum de hoc errore, & de neceſſaria eius correctione datam; vt conſenſum Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis videntes in huius peſſimæ additionis damnatione, intelligeretis nullo modo nullaque ratione: nullo prorſus obtentu, atque prætextu, commentum hoc per-

In negotio fidei ſimulatio ſubeſſe non debet.

Diuerſa ſcripta à S. D. N. Paulo V. Patriarchæ tranſmiſſa pro veritatis inſtructione in negotio Triſagij.

Diluitur Patriarchę excuſatio.

diviſſimi huius hæreſiarchæ defendi poſſe: damnatum ac deteſtatum vniuerſaliter ab omnibus Patribus Orientalibus atque Occidentalibus. Neque etiam ſufficere ſi quis dixerit, ſe Caafai hæreſim damnare: additionem autem illam tantum proferre ad Neſtorianorum confuſionem. Nam & ipſe quoque Petrus Cuafæus profitebatur ideo addidiſſe Triſagio, qui Crucifixus es, *vt Neſtorij impietatem redargueret. Quod Aſclepiades Epiſcopus Tralliarum illi exprobrat; ſicut teſtimonio ex eius epiſtola accepto, quod hac de cauſa cum ſuperioribus epiſtolis tibi mittimus; manifeſte videbis. Hinc fallaciam ſectatorum Eutychianæ hæreſeos detegere facile poteritis aduitentium damnatione ſectæ aduerſariorum, propriam confirmare impietatem: pro hæreticorum more conſueto, qui ſemitam Dei rectam derelinquentes, aut ad dexteram aut ad ſiniſtram declinant Inuia propriamque opinionem ſequentes, neque oculis vident amplius præceptorem ſuum, neque auribus audiunt verbum poſt tergum monentis; præter id quod pollicitus eſt Dominus per Iſaiam, his qui recte gradiuntur in lege ſua: non in aſtutia, vt inquit Apoſtolus ad Corinthios, ſed in ſimplicitate cordis ambulantes. Acacij autem Epiſtola ſic incipit:* Obſtupuit cœlum, & tremuit terra, *Aſclepiadis autem ſic.* Ecce chariſſime impletus eſt mundus ſcandalo appoſitionis. *Similiter, & Impoſturam de origine Triſagij detegetis. Accepimus namque apud vos haberi pro comperto: ita vt nullus de hoc ambigat: auctores huius ſanctiſſimi hymni fuiſſe Nicodemum, atque Ioſeph ab Arimathia, qui dum corpus Domini ac Redemptoris noſtri de Cruce deponerent: hymnum hunc compoſuerunt. Hoc autem figmentum aperte redarguitur teſtimonio manifeſtiſſimo ſanctorum Patrum: vt ex Synodicis Epiſtolis Fœlicis Papæ, & Acacij Patriarchæ Conſtantinopolitani videbitis: verique auctores fuiſſe illius Angeli demonſtrantur. Igitur ſi vt renunciatum nobis fuit, plerique veſtrum exiſtimant Nicodami atque Ioſeph gratia addendum eſſe Triſaglo.* Qui Crucifixus es, *multo magis remouendum erit ex ipſo, Angelorum cauſa, qui Hymnum ſine illa additione primum cecinerant. Quis enim ſciens, ac prudens audebit vnquam os ſuum in cœlo ponere: & mortalis cum ipſe ſit cantus Angelorum perturbare? perpende quæſumus Venerabilis frater huius negotij grauitatem, ſedulo pro tua prudentia, atque pietate, caue ne ſimplicium mentes amplius decipiantur. Enitere quantum in te eſt, vt quæ tibi ſcribimus, omnes pariter intelligant diligenterque conſiderent: nec à veritate auditam auertant, & ad fabulas conuertantur: fabulæ prorſus ſunt, quæ de Nicodemo & Ioſeph in hoc propoſito dicantur, incerto auctore, ac vulgi tantum opinione. Cum è contra omnes hiſtoriæ adſtipulentur auctoritati illarum epiſtolarum. Etenim nullus author eſt, qui mentionem faciat de horribili illo terramotu Conſtantinopolitano, quin pariter dicat Hymnum Triſagij cani tunc cœptum eſſe cœleſti monitu, & Angelici cantus imitatione: qui poſtmodum receptus ab omnibus Eccleſijs potiſſimum in ſacrorum myſteriorum celebratione incorruptus, atque illibatus ſemper permanſit: donec Cnafeus temerario, ſceleſtoque auſu contaminare illum conatus eſt. Neque enim aliter reperietis, ſi reſpueatis aniles fabulas, Eccleſiaſtica monumenta probatoſque ſcriptores ſcrutari volueritis.* Sed de Triſagio hactenus.

Redarguitur figmentum de origine Triſagij.

Angeli Auctores illius & per puerum Cõſtantinopolitanis annunciatum.

Quantum autem ad aquæ vinique mixtionem in ſacro calice; nos ſimiliter iuſſimus, vt fideliter deſcriberentur, atque in vnum colligerentur auctoritates, ac teſtimonia omnia tum ex decretis Summorum Pontificum ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordiò factis, tum ex antiquiſſimis Liturgijs quæ SS. Apoſtolorum nomine, à quibus inſtituta, atque compoſita dicuntur, magna apud nos veneratione habentur, tum etiam ex Eccleſiaſticis hiſtorijs, atque Synodalibus conſtitutionibus, quibus hæc Apoſtolica traditio, quæ ab Eccleſia ſancta Catholica à principio recepta, nunquam autem intermiſſa eſt, de admiſcenda aqua vino in celebratione diuinorum myſteriorum indubitãter oſtenditur, & irrefragabiliter comprobatur. Cuncta autem adſcripta erunt, ad ſuperius enarratas epiſtolas, manu atque ſigno conſignata noſtri eiuſdem Secretarij, qui literis his noſtris ſubſcribet, ne de exemplorum veritate dubitari poſſit. Nimis enim excreuiſſet epiſtola, ſi recenſere hic ſingula voluiſſemus. Multo ſane plura ſunt his quæ prioribus noſtris literis fraternitati tuæ indicauimus. Quæ vt diligenter animaduertatis, atque perpendatis, optamus. Vix enim credere poſſumus vt cum totius Eccleſiæ conſenſum videritis. non ſtatim ritum hunc ſanctum recipiatis; præſertim vſu receptum etiam in Eccleſia Cæſarea, vt ex liturgia ſancti Patris Baſilij illius Eccleſiæ Epiſcopi ſanctiſſimi conſtat, cuius teſtimonium ſuperioribus addendum mandauimus, rati plurimum apud vos, ritum Eccleſiæ illius valiturum, ex qua S. Gregorius Magnus martyr, veſter primus Epiſcopus ordinationem ſuam accepiſſet. Illud autem deſideramus, atque à te efficaciſſime petimus, vt diligentiſſime obſeruetis: quod ſanctus Alexander I. Papa dicit in ſua epiſtola decretali, capite de oblationibus inter miſſarum ſolemnia exponens illa verba Domini noſtri. Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis fundetur in remiſſionem peccatorum: inquit enim quia oblatione huius ſacrificij crimina atque peccata delentur, idcirco eius paſſio in his ſacrificijs commemoranda eſt? ſed paſſio Domini perfecte non commemoratur vbi (quemadmodum hactenus non feciſtis) ſymbolum illius aquæ ſalutaris, quæ cum ſanguine manauit è Redemptoris noſtri latere, prætermittitur. Et quamuis verum ſit quod dicitis, contineri ſub Sacramento corporis, & ſanguinis Chriſti refectionem animarum noſtrarum in vitam ſempiternam; tamen Sacramentum hoc inſtitutum à Domino primum, ac præcipue fuit ad eius paſſionis, & mortis memoriam nobis commendandam; ſic enim ipſe dixit. Hoc facite in meam commemorationem, deinde vt nos reficeret, ac viuificaret; quia niſi manducauerimus carnem filij hominis, & biberimus eius ſanguinem, non habebimus vitam in nobis: igitur ratione inſtitutionis huius Sacramenti primo, ac principaliter attendenda eſt commemoratio Dominicæ Paſſionis, ſubinde, noſtra refectio. Imo vero neque hæc ſumenda eſt ſine illius memoria. Manifeſte nos docet hoc Apoſtolus dicens. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Si ergo & in celebratione huius altiſſimi myſterij, & in ſuſceptione huius viuificantis Sacramenti recolere iubemur memoriam paſſionis Domini, quis vnquam ſe recoluiſſe perfecte illam dixerit, cum vinum tantummodo dimiſſa aqua in calice ſancto conſecrandum obtulerit? præſertim non ignorans myſteria, quæ aqua ex latere Redemptoris noſtri efflaxa ſignificantur, His tam euidentibus fundamentis innixa Apoſtolica traditio, de Admixtione

vini,

Mittuntur eidem Patr. auctoritates & teſtimonia pro confirmat. ritus miſcendi aquam vino in ſacro calice.

Liturgia S. Baſilij.

Alexãder I. in, epiſtola decretali.

Sacramentum Euchariſtiæ ad paſſionis & mortis Chriſti memoriam commendandam inſtitutum.

vini, & aqua, obſeruatur ab Eccleſia Catholica, neque præter Armenos reperiuntur alij fideles, qui ritum hunc ſinctum non teneant. Quæ ſanè vna hæc ſingularitas deberet animum veſtrum valde commouere, quando etiam tam euidentis, & tam graues rationes illi non aduerſarentur.

Soli Armeni inter fideles non vtuntur admixtione aquæ in calice.

Quippe pariter dare operam debemus omnes, vt in omnibus ambulemus in domo Domini cum conſenſu, ſitque multitudinis creſcentium cor vnum, & anima vna. Quare Venerabilis Frater, ſi, vt planè credimus, communionem, ac vnitatem veram cum Sancta Romana Apoſtolica, atque Catholica Eccleſia deſideratis, enitere omni ſtudio, atque diligentia certiores reddere Epiſcopos, Clerum, atque populum obedientiæ tuæ ſubiectos; impoſſibile omninò eſſe conſentire nobis, niſi prius propoſiti errores corrigantur, & Concilium Chalcedonenſe à vobis recipiatur. De quo ſpeciatim hic non agemus, quia cauſam, qua illum reijciatis non plenè intelligimus. Nam quod tria tantùm debeant eſſe generalia Concilia; quia tres ſunt perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, vt ad nos reſpondiſti, planè cauſa admodum leuis eſt, & ratio deducta à principio valdè remoto, minimequè ex rei natura. Concilia enim SS. Patrum habita ſunt pro neceſſitate Eccleſiæ, ſanctæ Catholicæ; ſiuè declaratio doctrinæ Orthodoxæ id exegerit, ſiuè Eccleſiaſticorum rituum norma; vitæ, ac morum fidelium correctio, atque diſciplina poſtulauerit. Sic Apoſtoli primum congregati definierunt ſynodali decreto non eſſe circumcidendos, qui ex gente ad fidem venirent; ſi Sancti Patres poſt Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Epheſinum Concilium, ſæpiùs vniuerſaliter in ſpiritu ſancto conuenerunt, & ſacroſanctos Canones diuerſis temporibus, diuerſiſque de cauſis opportunè conſtituerunt. Igitur non à diuinarum perſonarum numero, ſed à multiplicitate occaſionis congregandi Sanctos Patres Concilia ſunt enumeranda, & in eorum receptione approbatio huius Sanctæ Apoſtolicæ Sedis, ad quam Concilij confirmatio pertinet, attendenda. Cupientes itaque notam vobis facere neceſſitatem recipiendi ſacroſanctum Concilium Chalcedonenſe, exiſtimauimus lectionem actorum facilè perſuaſuram eſſe vobis quod cupimus; nam valde ſuſpicamur non modò ignota vobis eſſe, quæ in eo geſta ſunt, ſed quod grauius eſt, longè contraria veritati apud vos de ipſo ferri, & quia diuina cooperante gratia, abſoluta eſt hoc noſtro Pontificatu editio ſacrorum vniuerſalium Conciliorum, quam noſtri prædeceſſores fel. record. Summi Pontifices ſummo ſtudio curauerunt; Iuſſimus quatuor Codices, quibus omnia vniuerſalia Concilia continentur, mitti ad dilectum filium Zachariam Vartabied Armenorum, Conſtantinopoli commorantium Prælatum, vt ipſe commoditate literatorum, qui in illa ampliſſima Ciuitate latini, atque Græci reperiuntur, recognoſcere poſſit acta, atque decreta Concilij Chalcedonenſis græcè pariter, ac latinè fideliter, diligenterque deſcripta; & fraternitatem tuam ſubinde de omnibus edocere. Iam verò nobis indicaſti poſſe nos commodè vti Zachariæ opera, ſi quid accidiſſet diligentiùs explicandum, quam præſtare poſſet ſimplex epiſtola. Satagimus quidem ſummo zelo Venerabilis frater, veritatem vobis patefacere, deque nulla alia re amplius ſolliciti ſumus: nam veritate vobis perſpecta, vtique nobis perſuademus, vos religiosè ipſam amplexuros, conſtanter retenturos, fortitèr, ac generosè profeſſuros. Nec dubitamus quin rationes, ac modos inuenire valeatis, quibus omninò quietè, ac pacificè diſponantur: Prudentiam, & dexteritatem tuam

Error Chaldeorum de numero Conciliorum ex numero Trinitatis.

Quare diuerſa Concilia habita.

A multiplicitate occaſionis Congregandi Patres, Concilia ſunt enumeranda.

Editio ſacrorum vniuerſalium Concil. ſub S. D. N. Paulo V. abſoluta.

non ignoramus; quam etiamſi aliundè conijcere non potuiſſemus, ſatis nobis indicauiſſet Zachariæ tui mirifica humanitas atque virtus, cùm ex familiarium conuerſatione iudicium raro fallax, conditionis, ac naturæ patrisfamilias ſumere liceat. Verùm quando etiam pericula grauiora adeſſent his, quæ nobis ſignificaſti; vtique credimus Orthodoxæ fidei cauſa vos alacri animo ea ſubituros. Apoſtoli enim gaudentes ibant à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro Nomine Ieſu contumeliam pati: noſti promiſiſſe Dominum confeſſurum ſe eſſe coram patre ſuo nomina eorum, qui confeſſi fuiſſent eius nomen coram hominibus, & alibi dixiſſe: Beatos eſſe, qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur. Vnde Apoſtolus gratulabatur Philippenſibus, quia donatum eis fuiſſet pro Chriſto non ſolùm vt in eum crederent, ſed etiam pro illius nomine paterentur. Hoc enim inter præcipuas gratias, quas à Domino accepimus referendum eſt, ſi digni erimus vt pro eius amore patiamur. Quippè hoc tramite dirigimur ad gloriam ſempiternam, nam ſi compatimur conregnabimus. Nonne oportuit pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam? non eſt autem diſcipulus ſupra magiſtrum, & omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur. Ideò minimè decet Chriſtianos, ac præcipuè Eccleſiæ Paſtores in his, quæ ad Dei cultum, & ſalutem animarum pertinent, perſecutionis, ac diuexationis humanæ timore, à veritate prædicanda, docenda, & profitenda abſtinere, quod cùm tu optimè intelligas, vtique confidimus te ſummo zelo, ſummaque religione præſtiturum: ſicut vt facias cum omni noſtri cordis affectu à fraternitate tua poſtulamus. Interim non ceſſabimus tibi auxilium diuinæ gratiæ iugiter implorare, quo roboratus officio tuo ſatisfacere poſſit, memores ſemper tui in noſtris orationibus, quas ad Apoſtolorum corpora pro totius Chriſtiani populi, ſalute Deo offerimus, & ex intimis noſtræ charitatis viſceribus tibi, atque omnibus qui tecum ſunt, communionem S. R. E. zelantibus benedictionem noſtram Apoſtolicam impartimur, Dat. &c.

Cauſa Orthodoxæ fidei omnia pericula ſubeunda.

Egregia adhortatio ad quæuis pro fide ſubeunda.

EPISTOLA FOELICIS PAPÆ III. AD Petrum Epiſcopum Antiochiæ, monitoria. Quod non oporteat addere in Traſagio: *qui crucifixus propter nos*.

Fœlix Epiſcopus Petro Epiſcopo Antiochiæ.

QVis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, qualem autem, & dignum fletum adducam animæ meæ, condolens Domini, & Saluatoris Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ? Ipſa enim plorans plorauit ſuper filios, & filias ſuas, & non eſt qui conſoletur eam ex omnibus qui diligunt eam. Vniuerſi tyranni, & hæreſiarchæ perſequentes ipſam apprehenderunt eam, per te, frater honoratiſſime, & affligentes ipſam facti ſunt in caput eius. omnis decor ipſius quantum in te eſt, factus eſt ad nihilum. Videntes inimici eius gauiſi ſunt ſuper perditionem filiorum eius, quos enim fouerat, quos enutrierat, quos ad menſuram ætatis perduxerat, lacteque pauerat, propheticis, & Apoſtolicis doctrinis, hos tu vno temporis momento veneno necaſti. Quemadmodum enim qui piſcationem ſectantur, hamum eſca contegunt, & ex improuiſo capiunt piſces, ſic, & tu Angelicæ laudationi additionem induxiſti, &

Tri-

Triſagiæ deprecationi, quaſi pietatis obtentu, diram impietatem excogitaſti. Ex pluribus enim Orientalibus Prouincijs literas ſuſcepimus, ſignificantes nobis quomodo veneratio tua, dudum ſopitum Valentiniani dogma reſumpſit, & irritatur à vobis Saluatoris incarnatio, quodque in Manichæorum dogma, & Arij, & Apollinaris, Pauli Samoſateni incidiſtis. Dicere enim vnigenitum filium, & Dominum noſtrum Chriſtum Ieſum perfectum non eſſe in Deitate, atque in humanitate perfectum, nec ipſum ſubijſſe paſſionem crucis, ſed vnam verbi naturam incarnatam: corpuſq; Domini ſine anima, & mente, Apollinaris hæreſim roborat. Iſte enim ignorauit, quod ab ipſis mundi naſcentis exordijs primum anima primi parentis noſtri mortua eſt,

Apollinaris hęreſis.

vel in mortem præcipitata eſt, atque ita demum corpus. Dictum quippe illi eſt à Deo: In quacunque die comederis de ligno ſcientiæ boni, & mali, morte morieris. Itaque iuxtà latam in illum à Deo ſententiam, qua de comedit ex ligno, in ipſa ſecundum animam mortuus eſt. Nam ipſius corporis mors poſt nongentos, & triginta annos contigit. Itaque Deus donum non dimidiatum fecit: ſed totum ſimul Adam ex vtero Virginis ſumpſit, vt etiam perditum totum ſaluum faceret. Idcircò & Dominus dicebat: Ego animam meam pro ouibus pono. Valentini item, & Marcionis Manichæorumque, ac Gentilium innouare vis dogmata.

Valentiniani Marchionis Manichæorum, & Gẽtiliũ impiũ dogma.

Si enim Deus eſt qui diuiſibiliter, atque ſubſtantialiter eſt mortuus, ſimiliter Sanctus Spiritus Deus, & ipſe diuiſibiliter, ac ſubſtantialiter inuenietur, ſicque iuxtà tuam, & illorum rationem tres Dij erunt, ac per hoc plurium Deorum inualeſcet error, quantunque in te eſt, euacuabitur illud: Audi Iſrael Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt. Item quod ait Hieremias; Hic Deus noſter, non reputabitur alius ad eum. Similiter & Dominus, vt cognoſcant te verum Deum. Cumque ſcriptura diuina vnum Deum, Sanctam, & Indiuiduam Trinitatem prædicet, vt & hi, qui ante te fuerunt hæreſiarchæ, tres Deos dogmatizare auſi eſtis, alium quidem dicentes Deum patrem præter filium, & alium Deum filium præter patrem, & filium. Atque alium quidem mortalem, & nouiter genitum, alium verò æternum, atque immortalem. In his autem noxijs verbis tuis, contraria ſentire vis Patribus, qui in Nicæa, & qui in Conſtantinopoli, atque Chalcedone conuenerunt, qui & conſubſtantialem roborarunt, & vnam Deitatem patris, & filij, Sanctique Spiritus prædicarunt, atque Arij amentiam confuderunt.

Vna Deitas Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

At verò tu in Eccleſia auſus es dicere, quod vnus increatæ, atque indiuiduæ Trinitatis, paſſionem ſubijt, & per hoc conſubſtantialem quoque ſoluere niteris, ac Deum ſubijcere numero. Si enim vnus Sanctæ Trinitatis, & coæternus qui crucifixus eſt Deus, hoc eſt filius: ſunt autem duo Sanctæ Trinitatis Pater, & Spiritus Sanctus, dicuntur autem Dij, & non vt habet vera ratio, Deus, ſicut tradiderunt nobis, qui ipſi inſpexerunt, & miniſtri fuerunt verbi, inueniris quoque conſubſtantialem ſoluere? Quippe mortale, & immortale conſubſtantialia iam eſſe non poſſunt. roborabitur autem ſic pluralitas Deorum, dum tres Dij Chriſtianis auribus ingeruntur. Cùm itaque ſcriptum ſit, verbum caro factum eſt, & Deus erat verbum: non alius Deus verbum præter Patrem inuenietur. Verbum non ſimpliciter, ſed verbum ſubſtantiale, & Deus filius inuenietur, vt ex vtilitate noſtra, identitatem ſubſtantiæ Patris, & Verbi, & Sancti Spiritus agnoſcamus. Non enim non alij præter verbum noſtrum inuenimus. Quoniam igitur vnigenitus Dei Filius, qua ratione verbum eſt in propria ſubſtantia non poterit pati, ad Omnipotentis Dei Patris ſubſtantiam paſſio referatur, eſt enim vna Patris, & Filij, & Sancti Spiritus Deitas, patitur autem proprium animatum corpus, quod ipſum ſubſtantiale Dei Verbum ex ipſa Sanctæ intemeratæ Virginis vulua ſibi coniungens ex muliere proceſſit, de qua Sancto Spiritu, afflati Prophetæ cecinerunt: Deus virtutum conuertere, reſpice de Cœlo, & vide, & viſita vitem iſtam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi: vitem & filium hominis, quem confirmauit verbum, vt inferi clauſtra contereret, & viuificaret eos, qui à ſęculo mortui ſunt, ſalutarem verbi incarnationem vocans. Idcircò, & Dominus dicebat diſcipulis ſuis: ego ſum vitis, vos autem palmites, & Pater meus agricola eſt, & tradetur filius hominis in manibus peccatorum. Patris verò intimum ſubſtantiale verbum, ac Deus per ſanctæ virginis aures illapſum conceptionem ineffabiliter operatum eſt. Qua igitur parte vnigenitus filius eſt conſubſtantialis Patri, & vnus indiuiduæ Trinitatis increatus, atque inuiſibilis. impaſſibilis, & immortalis permanſit.

Quod ergo increatum, atque immortale eſt, creaturæ ne applices, neque Deorum pluralitatem confirmare pergas dicens vnum ſanctæ Trinitatis mortuum eſſe.

Vnigenitus Dei Filius, qua ratione Deus impaſſibilis.

Rurſus qua parte ex muliere natum eſt, & ſubſtantia noſtræ, ac generationis eſt particeps, abſque peccato ſuſtinuit paſſionem, porrò quod non modo conſubſtantialis verum etiam cognatus ſecundum carnem ſis nobis filius Dei, docet ipſe Dominus nunc quidem in Euangelio his, qui in ſe crediderant, dicens: Ego ſum vitis vos palmites, nunc autem in pſalmis: Annunciabo nomen tuum fratribus meis.

Qua parte homo ſuſtinuit paſſionem Dei filius ratione carnis aſſũptæ cognatus noſter.

Vnde autem tibi tam peſſima ſuperbia ſubrepere potuit, vt te ipſis quoque ſanctis Angelis intelligentiorem, ſapientioremque putares. Super his ingemiſco, in his plango inimicos Crucis Chriſti, quorum finis perditio, & quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum. Non cogitaſti quod ſcandalizare vel vnum ſolum ex his qui credunt in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quam graui cruciatui obnoxium. Sed incautè vt ſerpens Eua, tu ipſe quoque erroris venena multitudini fidelium, atque auribus infudiſti, traditamque ab Angelis ſanctiſſimam laudationis formam corripuiſti, inferens illi: Qui crucifixus es, pro nobis. *Ergonè non aduertiſti, quod Paulum Samoſateuum, Photiumque, & Artemium impietate tranſcendis, qui duos Dei filios poſuerunt, vnum quidem ante ſęcula, alterum verò nouiter natum, cum ipſe quoque Trinitati inuexeris pluralitatem, duos Dei filios dicens, vnum fortem, alterum crucifixum?*

Paul. Samoſaten. Photin. & Artem. duos Dei filios poſuere.

Ad hæc fideliſſimum Chriſti gregem in Manichæi opinionem præcipitare contendis, qui Spiritum Sanctum aſſerit crucifixum.

Manichæus Spiritũ ſanctũ aſſeruit crucifixum.

Nam quod poſt illum, Sanctus immortalis: quod eſt Spiritus Sanctus nunc infers, qui pro nobis crucifixus es miſerere nobis, quaternitatemque non Trinitatem populo inſinuare videris. Nempe ſi ex humana traditione manaſſet hæc laus, non ita incautè Crucem inſereres laudi, in qua filij appellatio, fortis, ſcilicet ponitur. Quoniam verò ab Angelis nobis laus iſta profluxit, qui ante Crucem dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Sicut reſpicere Iſaias meruit, poſt Crucem verò cum laude clamabant: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.

Sanctus, Sãctus, Sãctus ab Angelis profluxit.

Denique cum terræmotu Conſtantinopolis quateretur, populuſque in campo oraret, infantulus toto

popu-

populo ſpectante Proclo ciuitatis Epiſcopo, in cælum per vnam horam raptus eſt, ibique huiuſmodi didicit hymnum. Rurſumque deſcendens nunciauit, quæ in æthere audierat, dicens de cælo quaſi de multitudine pſallentium, huiuſmodi laudes inſonuiſſe auribus ſuis, dictumque ſibi, vt eam laudationem populo indicaret, quam vbi populi incepe- rant, ciuitatem receperunt, Deoque per huiuſmodi laudem propitio facto, ab imminenti ira liberati ſunt. At tum quàm temerè, vt ſcripturas diuinas relinquas, ita & Angelorum laudem peruertere præſumpſiſti? Quis igitur in huiuſmodi non ingemiſcat? quis non lamentetur, quis dolor ſimilis inuenietur ſicut dolor Eccleſiæ Domini, & Saluatoris noſtri Chriſti? Conſpice te conſtitutum, vt ſis lumen his, qui in tenebris ſunt, & eruditor inſipientium: imò inſipientiæ præceptor es, lucem in tenebris transferens. Vide à te populos ſemel illuminatos, qui bona guſtauerunt Dei verba, Dei mandata, Dei prophetias, prædicationes Dei, Apoſtolicas, Euangelicaſque doctrinas, abs te peruerti magis, ac doceri non ſolùm crucifigere filium Dei, & oſtentui habere, verùm & contraria ſentire ſcripturis diuinis, & pacta abnegare, quæ accedentes ad ſanctum baptiſma, fecerunt. Nam cùm coram cæleſtibus virtutibus omnibus, coram Apoſtolicis, Euangelicíſque ordinibus, ſancti baptiſmatis tempore, promiſerint credere in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, nunc illos in tres Deos credere docuiſti. Rurſum cùm polliciti ſint, credere in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei incarnatum, & hominem factum de Spiritu Sancto, & Maria Virgine: tu eos doces ne dicant Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei, Cruce perpeſſum eſſe, qui Deus eſt ſecundùm ſempiternam, & impaſſibilem ex Patre generationem, & idem homo ſecundùm eam, quæ in nouiſſimis diebus ex Matre prodijt natiuitatem, ſecundùm quam etiam ſubſtinuit paſſionem, ſed vnum Trinitatis mortuum eſſe, qui eſt ipſius Dei Verbum. Confeſſi ſunt rursùs Spiritum Sanctum viuificum, & immortalem, dicentes credere in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, & mortalem eſſe ponis Spiritum Sanctum, cùm dicis Sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis. Fuge obſecro huiuſmodi errorem. Corruiſti, noli in ruina perſiſtere: peccaſti, iam peccare noli: expectat te Sancta Dei Eccleſia, cupit amplecti pœnitentem in varijs propoſitionibus tuis, & ſecum de Chriſto diuina prædicantem, neque negantem ipſius animatam incarnationem, ſecundùm quam etiam paſſus eſſe memoratur, clamatque tibi per nos: Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos, non vult Deus frater chariſſime, mortem peccatoris; ſed vt conuertatur, & viuat. Memor eſto Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ſecundùm Euangelium. Memento B. Matthæi ſcribentis: liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Recordare quid Paulus ſcribat: ſegregatus in Euangelium Dei, quod promiſerat ipſe Deus in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus eſt filius. Memento etiam Ioannis clamantis, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, ſicut etiam eſt, & Deus erat verbum, quodque caro factum eſt homine aſſumpto, & quod Deum nemo vidit vnquam. Hæc tibi ſcripſi vna cum præſenti Synodo conueniens te coram Deo, & Sanctis Angelis, vt ea doceas, ea nobiſcum ſentias, vt illibata fides noſtra permaneat in gloriam Dei. Amen. &c.

Non vult Deus mortẽ peccatoris.

Epiſtola 2. B. Fęlicis Papæ III. ad Petrum Antiochenum. Petrus Antiochenus deponitur, & anathematizatur.

QVoniam peſtiferis doctrinis imbutus, & impietate verborum non curaſti ſequi præordinatos Sanctos Patres, qui ſedem beatæ memoriæ Ignatij glorioſi Martyris ordinauerunt, quo etiam cùm ſis indignus, neſcio quemadmodum adeptum fueris principatum, & ſceleribus tuis profanis, impijſque dogmatibus inferre putaueris Eccleſiæ Catholicæ nouitatem, vt non propter nos Chriſtum crucifixum dicas, ſed paſſionem impaſſibili Deo iniquiſſimè intuliſti, & immortali Spiritui, mortem apponere præſumpſiſti. Nec exterritus es, quæ tibi à Sanctis Euangeliſtis, & Apoſtolis, & viris beatiſſimis, ac probatiſſimis Patribus tradita non ſunt, ſed callidis hæc commentis aſtruere, & ſenſum proprij languoris. & huius hæreſeos ſcandalum ſimplicioribus inculcare, ita vt nec ſimilis prioribus videatur hæreſibus, ſed multipliciter potiùs hæc tranſcendat, nec ambulare in veritate, nec noſtris epiſtolis aurem voluiſti commodare. Nunc igitur ſum exorſus aduerſus te proferre ſententiam, magis autem Summus Princeps Apoſtolorum Petrus, qui inter SS. Apoſtolorum præconia veridicus eſt, & non ſolùm aduerſum te, qui eius nominis, non ſententiæ, neque fidei parem te eſſe cognaſcens, quoniam vltra modum ab eius intentione recta inuiolabili fide deuiaſti, ſed etiam aduersùs eos, qui non erubeſcentes Euangeliorum venerabiles characteres, neque horum ſequacium Apoſtolorum, perfectorumque virorum, doctarumque ſermones, inconſtanti ſententia, iniquis traditionibus tuis incumbunt. Ita vt malæ ſectæ delectabiliter reuera ſequantur amaritudinem, nec huiuſmodi execrabilem auerſentur impietatem. Dicimus ergo ſicut etiam illis: Quoniam dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui æquitatem. Dilexiſti omnia verba præcipitationis, & linguam doloſam: propterea deſtruet te Deus in finem, non ſolùm ab Antiochenæ Eccleſiæ Sede, ſed etiam ab omni Ciuitate. Etenim ſit in te hæc fixa damnatio à me, & ab his, qui ſub me conſtituti Epiſcopales Sedes gubernare noſcuntur, & Achatio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ paſtore, & Venerabilibus Epiſcopis eius iuri ſubiectis, tanquam & ipſis minimè conſentientibus tuis commentis, ſic aliquando ſiquidem dixiſti, Trinitatem propter nos crucifixam, & non Chriſtum, aliquando verò immortalem ſpiritum, Manichæi ſecutus errorem. aliquando hæc fugiens, noſtrorum ſermonum pignoribus increpatus, Chriſtum poſt immortalem ſpiritum paſſionem ſuſtinuiſſe dixiſti, ſicut Paulus Samoſatenus, & Neſtorius vnum filium diuidentes in dualitate filiorum: & cùm hic putaſti non immorandum, ad peiora veniſti, & hymni quos Cherubin cum tremore Trinitatis inceſſanter emittunt ad Trinitatem glorificandam non referantur. Sed vt totus hymnus ad filium dedicatur, confirmare volens ſententiam, velut cancer ſerpentem, quam aduerſus ſimplices extuliſti; & hinc omnium hæreſim laqueis præcipitatus es à veritate declinando, nec prædicando propter nos Chriſtum crucifixum vnigenitum Dei filium, qui eſt in medio Patris; & Sancti Spiritus, qui glorificatur. Quod enim hoc erit damnabilius, quam cùm à vobis, Pater, & Spiritus Sanctus ſiat inglorius, & calumnia Seraphin inferatur, quam cùm non Trinitatem glorificare credatur, cùm dicunt. Sanctus: Sanctus,*

Sententia Felice PP. in Petrum Antiochenum.

Quàm damnabilis, & deteſta ida hæreſis Petri Antiocheni

ctus,

ctus, Sanctus, ſed ſolam perſonam? Quæ infernalis hæreſis ita crudeliter vt vos inuerecunda fuit? Veruntamen adhuc in iſta diſcurrentes nouitate, vſque ad fundamenta blaſphemiarum Dei pertingitis, Filium, Patrem, & Spiritum Sanctum dicentes Sabellium ſectamini, & confuſionem inducitis, & Trinitatis confeſſionem, pariter abnegatis, in qua baptizati ſumus, & credimus, & fatemur. Quis ergo non lugeat talia dicentes de Sancta, & inuiolabili Trinitate? Hoc mihi valde conuenit allegare, & planctum ſufficienter effundere, cùm in hoc ſimplicium animæ fuerint captiuatæ, quæ tunc rem impiam, veluti piam diuulgauerunt, quos etiam iudicamus extraneos ab Orthodoxa fide, Eccleſiaque Catholica, & communione glorioſi noſtri Principis Petri, qui claues regni cælorum à noſtro Saluatore percepit. Qui ergo voluerint eſſe communicatores Apoſtali, eius quoque doctrinam ſequantur, dicendo, & credendo Chriſtum propter nos crucifixum, neque eum neganda ſicut Petrus, qui nuper damnatus eſt, eo quod prauè, & nefariè in hymno Triſagium nouiter introduxit. QVI CRVCIFIXVS EST PROPTER NOS, ſcientes quia non Trinitatem crucifixam ab Apoſtolis accepiſtis, neque Patrem, neque Spiritum Sanctum, niſi carnem Chriſti, Filium Dei vnigenitum ſolum. Igitur fugite ab huius communione ſacrilega, & ero veſter ſocius, atque communicator, & vos quoque mei, peſte doloſa, veſtra rectitudine procul expulſa: cuſtodite Chriſti diſcipuli, mei autem filij traditiones, quas à ſacris voluminibus accepiſtis.

Eiſtola 3. D. Felicis Papæ III. ad Zenonem Imperatorem.

Hortatur, vt Petrum hæreticum ex Eccleſia Antiochena expellat. Glorioſiſſimo, ac Sereniſſimo filio Zenoni Auguſto, Fœlix Epiſcopus in Domino ſalutem.

Conuenit tuæ clementiæ rerum ordinem nunciare geſtarum, pro tranquillitate Imperij Serenitatis tuæ, & oro ſuſcipias precem meam, ac ſi ipſe præſens eſſem, benignis auribus tuis, vt Chriſtianiſſimus Imperator, & nequaquam arbitretur pietas tua illum puro nos corde diligere, quicunque te pacem cum Deo habere non vult. Quoniam verò fideli mente credidiſti, nec ambigis, & temporalis Solij poteſtatem, & æternæ vitæ retributionem, ſuperno ex momento pendere, per noſtram etiam paruitatem dignare ſuſcipere venerabilem, ac diuinam Beatiſſimi Petri confeſſionem, Apoſtolorum ſcilicèt Principis, cui & Regni claues à Saluatore tradita ſunt, qui etiam præparabit Chriſtianiſſimo Imperio veſtro locum, in cælo cum Sanctis Angelis, quique immutabilem, & immaculatam Fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei Filium vnigenitum primus exponens, à Saluatore ipſo beatus eſt dictus. Nam cùm ipſe dixiſſet ad Dominum. Tu es Chriſtus Filius Dei viui, ab ipſo audire meruit. Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis: & ſuper iſta confeſſione ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

Petrus Apoſtolus ab ipſo Saluatore beatus dictus.

Cùm ergo Saluator dixerit, quod portæ inferi non præualebunt aduerſus ipſius Eccleſiam, vt ab ea ipſius denominationem tollant, quæ dicitur Chriſtus Ieſus, & Dei Omnipotentis Filius, Petrus primogenitus, & diaboli filius, & qui Sanctæ Antiochenæ Eccleſiæ indigniſſimè ſe ingeſſit, Sanctamque Sedem Pontificatus Ignatij Martyris polluit, qui Petri dextera Epiſcopus ordinatus eſt, Euſtachijque Confeſſaris, ac Præſidentis trecentorum decem, & octo Patrum, qui in Nicæa conuenerunt auſus eſt dicere, non oportere Chriſtum etiam Dei Filium nominare ſecundùm diuinã Saluatoris ſanctionem diuinarum Scripturarum, Patrumque expoſitionem: ſed vnum de Trinitate, paſſionem pro nobis pertuliſſe in ſubſtantia deitatis, iuxta Arij, & Apollinaris, Eunomijque blaſphemiam, volens hac voce euacuare ſalutarem Dei incarnationem, ſecundùm quam Chriſtus paſſionem ſubijt. Dicitur autem, & vnus ex nobis, vt qui Abrahæ ſemen apprehendit. Augere quoque Deorum pluralitatem nititur. Quippe ſenſus eius tres introducit Deos, vnum mortuum, & duos viuentes. Soluit etiam conſubſtantialis nomen, ſacraſque abijcit Synodos Nicænam, Conſtantinopolitanam, Chalcedonenſem, Sanctam quoque Mariam Virginem nequaquam admittere deprehenditur. Si enim non ex ea incarnatum Verbum homo factum eſt, quæ neceſſitas Virginis? & quare ad eam dixiſſet Gabriel, quod ex te naſcitur Sanctum vocabitur Filius Dei, &, dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius? poſt hæc autem omnia impia, & blaſphemiæ ſuæ præſumpta, & deprauationem Triſagiæ deprecationis cum illis addere voluit. Qui crucifixus es pro nobis, *multa inconuenientia effecit, multumque à nobis, & in Chriſto dilectis fratribus noſtris, qui in Oriente ſunt, & à Venerabili Achatio veſtræ Regalis, & à Deo amatæ Ciuitatis Archiepiſcopo admonitus conuerti noluit. Quapropter nunc Sancta Dei Eccleſia maternis te vocibus, vtpotè ad excellentem ipſius filium alloqui non ceſſat, ò à Chriſto amate Imperator, meæ venerabilitatis vinculum, in quo multitudines fidelium circumſtringuntur, diſſolui non permittas: Domini autem Chriſti, & Vnigeniti Filij Dei laudationem tranſgredi non permittas, quæ & veſtram Ciuitatem periclitantem ſaluauit, ſed tanquam Angelorum traditionem indeprauatam conſeruatam, Petrum Arrianæ ſuperſtitionis ſequacem, ab Eccleſia Antiochienſi expelle. Qua ex cauſa ſcindit veſtem meam deſuper contextam? Deus, & Pater mandauit Principi Apoſtolorum quid vocarent filium. Eius vnigenitus filius in confeſſione primi Apoſtolorum fundauit me, S. Spiritus quotidie teſtatur mihi dicens. Non iudicaui ſcire aliquid niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Si autem inimici increduli, inſidiatores, qui extrà vitem ſunt, & qui vnigenitum filium Dei mactauerunt, lapidauerunt, & ligna Crucis affixerunt, veſtem ſuam non diuiſerunt, & Petrus fidei meæ veſtem dirupit? Portæ inferi non præualuerunt aduerſus me, & Petrus tentat muros meos demoliri? Ego pijſſime Imperator, te de Imperio expulſum rurſus introduxi, malignos, ac inobedientes meis diuinis dogmatibus dedi pro ſepultura tua, viamque potentiæ aperui ante te, inimicos tuos percuſſi, vnà cum iniquo dogmate, antequam potentiam exquiſiui tibi à Deo in altis regnante, ex quo regnare ſumpſiſti: Reſpice ad prædeceſſorem tuum pijſſimum Imperatorem Marcianum, & illius fidem libenter amplectere, hæreticã tyrannidem Petri quam citiſſimè eradica.*

Portę inferi non præualebunt aduerſus Eccleſiam.

Recẽſentur abominandi Petri Antiocheni errores.

Inſtat Pôtifex vt Petrus Antiochenus ab Eccleſia Antioche. expellatur.

Valentini, & Eutychetis diſcipulum expelle à Ciuitate ſimul & Eccleſiaſtico regimine, & à dignitate Hierarchica deiectum eſſe ſancito. Conſpice ſanctiſſime fili, & Imperator inuictiſſime,

qualis

qualis in Chalcedonenſi Synodo indubitabilis defenſio facta fuit, & quibus expugnauit Zichinũ, & diuulgationes hæreticæ doctrinæ Petri expeditas. Hac legat Sancta Dei Apoſtolica, & Catholica Eccleſia, vt ab ipſa propter prædictas cauſas depoſitum ad communionem non ſuſcipias: ſed per diuinos apices veſtræ Serenitatis ab Antiochiæ confinio propellite, pro ipſo autem conſtituite virum operibus ſacerdotium ornantem, cuſtodemque diligentem ſanctæ Chalcedonenſis Synodi, & eorum, quæ in ea firmata ſunt. Omnipotens Deus cuſtodiat veſtram potentiam in pace ſemper.

EPISTOLA ACACII ARCHIEPIſcopi Conſtantinopolitani ad Petrum Antiochenum Archiepiſcopum, quod non oportet ponere in Triſagio illud: *Qui crucifixus es pro nobis.*

OBſtupuit Cælum, & tremuit terra. Nota ſunt autem, & fundamenta Sanctæ Dei Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, luctus, & ploratus apprehendit Sacerdotes Chriſti in his, quæ ego, & ſancta Synodus hic ſecundùm Dei nutum congregata audiuimus fieri à te frater. Quæ ſcriptura docuit Spiritum Sanctum crucifixum eſſe, aut duos filios dogmatizare, ſeù Triſagiani hymnologiam deprauare, vel quaternitatem pro Trinitate glorificare, aut Angelis ſanctiorem, & ſenſatum magis te ipſum demonſtrare? Nam dicendo Sanctum, fortis, & rurſus ex altera parte inferre, qui crucifixus es propter nos, *duos filios ſignificas, vnum fortem, & vnum crucifixum: quando autem rurſus dicis, Sanctus immortalis, qui crucifixus es propter nos, inueniris inferre crucem Sancto Spiritui. De ipſo enim dictum eſt, ſanctus immortalis: & huiuſcemodi intellectus tuæ totius hæreticæ prauitatis, propria ſunt. imò verò Manichææ furiæ idololatria eſt, nam ille quemadmodum, & tu, cùm omninò negaſſet vnigenitum Dei filium, & virginalem partum, dixit, S. Spiritum in ſpecie columbæ deſcendiſſe de*

Manich. blaſphemia de Spiritu S.

cœlis in Iordane flumine, & ex aquis incorporatum fuiſſe, & hominibus illuſtraſſe, & cruci affixum fuiſſe, & mortem pro nobis ſuſtinuiſſe: Quomodo autem, & aſcendere nunc Sacerdotalem thronum non erubeſcis, quem contaminaſti per tuas blaſphemias? Extrà hierarchicum ordinem, & alienus factus es ab ouili Chriſti. Non ſolùm enim cherubicum hymnum corrupiſti, per quem & noſtra Ciuitas firmata eſt: cùm enim moueretur ab inferioribus terrarum motibus, puero infante ad aera rapto, in conſpectu totius Ciuitatis vſque ad tertium cœlum, quemadmodum diuinus Paulus, ibidem audiuit hanc ineffabilem hymnologiam, in qua hora in campo multitudo cum lacbrymis exclamabant, Domine miſerere, ad Deum ſimul cum ſancto Patre noſtro Archiepiſcopo huius regalis, & à Deo amatæ Ciuitatis: At cum multis modis conaris contraria ſapere, non ſolùm ſanctarum Synodorum, quæ in Nicæa, & quæ in hac regali Ciuitate, & quæ in Calcedone; ſed & diuinarum ſcripturarum, non volens ſecundùm ipſarum traditionem dicere, Chriſtum vnigenitum Filium Dei paſſionem ſuſtinuiſſe carne, id eſt, ſecundùm carnem, ſecundùm traditionem verticis Apoſtolorum: ſcribens enim ipſe bene dixit:

Chriſtus ſemel pro peccatis mortuus eſt.

Chriſtus ſemel pro peccatis mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, mortuus quidem carne, viuificatus autem ſpiritu; in quo, & in cuſtodia ſpiritibus ambulauit, & prædicauit: cuſtodiam infernum vorans. Abſcondens enim hamum ſuæ deitatis intus animam ſanctiſſimi corporis, ſic inferno occultatus eſt: & ipſius omnium voracem ventrem abſcidit, & ab æterno mortuos viuificauit ſecundùm Iob, dicentem: duces draconem in hamo: Tu autem auertiſti aurem à veritate, ad fabulas conuertens ſecundùm Arium, & Apollinarem dicens, vnum de Trinitate paſſum, qui eſt ineffabilis ſapientia Dei Patris, hoc eſt, ipſius ſplendor, & character ſubſtantiæ ipſius, verbum ſimul ſine principio, & coæternum. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.

In principio erat Verbum.

Sic autem ſapere feſtinaſti, cùm iam negaſti ſalutem verbi humanatam, quam pro nobis ipſe Deus, & verbum redemptionem dedit morti, quam reſuſcitans à mortuis adduxit ad cœlos, de qua ad Abraham dixit Deus: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Quod confirmans Apoſtolus dixit: Abrabam dictæ ſunt repromiſſiones, & ſemini ſuo, non dicit, & ſeminibus ſuis, tanquam in multis, ſed tanquam in vno, & ſemini tuo, qui eſt Ieſus Chriſtus? feſtinetur autem à te ſic ſapere quemadmodum non ſuſcipis cognominationem Domini noſtri Ieſu Chriſti Filij Dei: Et ergo omninò de te ſis hoc ſcriptum.

Abraham dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ſuo, qui eſt Chriſtus Ieſus.

Si quis non confitetur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ſit anathema: & quod eſt à Ioanne dictum, omnis ſpiritus confitens Ieſum Chriſtum ex Deo fuit, & omnis ſpiritus, qui non confitetur Ieſum Chriſtum ex Deo non fuit: Qui ergo ex Deo fuerunt, Chriſti Filij Dei paſſionem fuiſſe dicunt, ſecundùm præannuntiatas de ipſo prophetias, & Apoſtolorum doctrinas: Chriſtum enim dicunt Filium Omnipotentis Dei crucem ſuſtinuiſſe, vtrumque dicis in vno, & ipſius deitatem, ſecundùm quam Deus eſt impaſſibilis, Deo Patri, & humanitatem ſecundùm quam homo eſt mortalis, & conſubſtantialis Virgini Matri: Dicere enim Vnum Trinitatis pati, oſtendis ipſũ Verbum paſſibile; ſi ergo Verbum filius paſſibile eſt, erit & Pater, ſi autem Pater, & Verbum paſſibile, eſt paſſibilis, & Spiritus Sanctus erit, cum vna ſubſtantia, & vna iſtorum deitas ſit: ſi autem dicis fugiens, culpam Paternitatis paſſibile quidem verbum, impoſſibilem autem Patrem, & Spiritum, ſoluiſti conſubſtantialitatem, adduxiſti autem, & plures Deos.

Qui non confitetur Chriſtum in carne veniſſe anathema.

Si filius in deitate paſſibilis erit, & Pater, & Spiritus cũ vnius ſint ſubſtantiæ.

Vt ergo non incedas per interitum, & inuiam ſemitam, & præcipitatus in aciem hæreſum, fias & cauſa perditionis multorum. & à Dei Sacerdotio in via regali te ipſum, & fide dirige, per quam, & Sancti Patres, qui in Chalcedone conuenerunt, ambulauerunt, & cœlum apprehenderunt. Tu enim cognoſcis, quod dolabra ad radicem infructuoſarum arborum iacet, & ſub ipſa ſicut oleaſter incideris, hoc eſt Sanctus Spiritus virtute, vt pax, & concordia firma permaneat in Sacerdotibus Chriſti.

EPISTOLA ASCLEPIADIS EPIſcopi Tralliarum ad Petrum Antiochenum.

ECce chariſsime impletus eſt mundus ſcandalo factæ appoſitionis, & palatia plena curæ facta ſunt, & paſtores incitantur meritò inducere ſupra te maledictionem. Da ergo vocem vnam orthodoxam conſentaneè trutinare. Verùm conſtitutor Filium Dei, videns in mundo ſimul confiteri crucifixum, & non ſpernetur iſte per te, nec

Exprobrat Petro Antioc. quod dicit ſe addidiſſe. Qui crucifixus.

ipſius crucis nomen in Triſagio inducendo, taliter peruertetur. Num tu primus es Patrum in Nicæa, vt diffinitas ſuper ipſos dominetur, ſed dicis: Ego propter Neſtorium addidi in Triſagio crucem & ex eo quod repellebatur ab eo Deitas, dum ipſum crucifixum dicebat. Et quid? Non eſt intellectus iſte iunior Neſtorio. Incipit enim hoc à

Triſagio ad redarguendam Neſtorij impietatem.

Photin. iſtius erroris autor. Damnatus in Conc. Nicæn.

Photino vanè ſentiente, quem Sancti Patres, qui in Nicæa conuenerunt, in vita quidem non inuenerunt, dogma autem ipſius condemnauerunt. Non tamen propterea deprehendunt ipſi Triſagium crucifixum, quoniam hoc ipſis erat in notitia valde graue: Photino autem amabile. Vnde Triſagium in ſolis myſterijs vocari permiſerunt, ſicut illa Seraphim dicunt nullam in iſto additionem, vel detractionem facientes. Rurſus autem

Renouatus eſt tempore Samoſateni. Damnatus à Conc. Cóſt.

hæc impietas renouata in tempore Samoſateni, iterum inualuit, & ſancta memoria Patres in Conſtantinopoli congregati, licèt ipſum non inuenerint, tamen dogma ipſius condemnauerunt, hoc eſt non ſapere duos filios. Ideò vnum filium in ipſorum diffinitione confeſſi ſunt non Triſagium. Dixerunt autem crucifixum, quoniam diffinitionem Patrum ante ipſos præcedentium ſecuti ſunt, & ipſorum dogmata ſequi iudicauerunt, audire videlicet in ſolis myſterijs Triſagium impaſſibiliter, ſicut Seraphin, & non crucifixum. Rurſus renaleſcente Neſtorio, & inſtruente impia ante ipſum dogmata illa, videlicet Photini, & Samoſateni, congregati propter ipſum, qui circa Cæleſtinum, & Cyrillum erant, huiuſmodi impietates propulſauerunt. & non appoſuerunt in Triſagio crucem,

Reualuit tẽpore Neſtorij.

Damnatus à Concil. ſub Cæleſtino.

vel tu videris omnibus his ſapientior eſſe, vel habere plus Spiritus Sancti quam ipſi, quibus ſcientia fuit? Tua ergo additio crucis in Triſagio appoſita, impia blaſphemia eſt. Veruntamen, & poſt hos Sanctos Patres, cùm graues terræmotus Ciuitatem Conſtantinopolitanam occupaſſent, magnus, & paruus, diues, & pauper, ſeruus, & liber, extrà Ciuitatem in campo ſecedentes ſimul concurrerunt frigoribus, & hyeme ibidem perdi malentes, quam Ciuitati ipſi coniungi. Quibus vbi Deus parcere clementer dignatus eſt, reuelauit beato Proclo Triſagium acclamare, cùm ipſi ad propulſandam iram letanias facerent: & hoc clarè non vni, vel duobus notum fuit, ſed toti mundo. Si ergo introduxit Deus in eo dicere crucem, quomodo non reſpicit ad iniuriam ſuam. Dixit enim dicere Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere noſtri: Quomodo tu ergo auſus fuiſti apponere crucem propter Deum, & Sanctos Patres, Patrem confundens, Filio, & Spiritui Sancto in Triſagio vocans crucem, tanquam apud te Pater non eſſet Pater ſolum, ſed & Filius, & Filius non eſſet Filius ſolùm, ſed & Spiritus, & Spiritus Sanctus non eſſet Spiritus ſolùm, ſed & Filius? Propter hoc ſi quis apponat in Triſagio crucem præter Filium Dei, anathema ſit. Si quis confundat Trinitatem dicens eumdem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum anathema ſit: ſi quis diſtinguit vnam ſubſtantiam Trinitatis anathema ſit, ſi quis vnum filium diuidit in dualitatem filiorum anathema ſit, ſi quis Deum Verbum, & carnem, vnam dicit naturam ignorans naturarum differentiam, anathema ſit. Etenim credimus, quod vita, vita eſt, & non coincidit in mortem. Tu autem cognoſcas, & prædas, quæ iniquè dixiſti, ſit autem vt eſt, Dei gratia cum his, qui rectum faciunt verbum veritatis.

Reuelatio Triſagij B. Proclo fact.

Anathema in addentes Triſagio crucem necnon diuerſa alia anathemata.

Auctoritates, ac teſtimonia ex decretis Summorum Pontificum, ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, & ex antiquiſſimis liturgijs, quæ Sanctorum Apoſtolorum nomine, à quibus inſtitutæ, atque compoſitæ dicuntur, magna veneratione habentur; atque ex Eccleſiaſticis hiſtorijs, Synodalibuſque Conſtitutionibus, quibus Apoſtolica traditio de admiſcenda aqua vino in celebratione diuinorum myſteriorum, à principio recepta ab Eccleſia Sancta Catholica, & nunquam intermiſſa, indubitanter oſtenditur, & inefragabiliter.

Comprobatur.

Ex libro octauo Apoſtolicarum Conſtitutionum S. Clementis Primi Papæ. Qui à S. Petro Apoſtolo ordinatus, Eccleſiam poſt Clerum gubernauit ab anno Chriſti nonageſimo tertio vſque ad annum centeſimum ſecundum, quo ſub Traiano Imperatore Martyrio coronatus eſt.

Verba Sancti Clemen. I. PP.

Memores igitur eorum, quæ cauſa noſtra ſuſtinuit, gratias agimus ti Deus omnipotens, non quas poſſumus: conſtitutionemque eius implemus. In qua enim nocte tradebatur, cùm accepiſſet panem Sanctis, & ab omni labe puris manibus ſuis, ſubſtuliſſetque oculos ad te Deum ſuum, ac Patrem, ac fregiſſet, dedit Diſcipulis ſuis, dicens. Hoc eſt myſterium noui teſtamenti, accipite ex eo comedite. Hoc eſt corpus meum, quod pro multis frangitur in remiſſionem peccatorum. Similiter & calicem, poſtquam miſcuit ex vino, & aqua, & ſanctificauit, dedit eiſdem, dicens. Bibite ex eo omnes: Hic eſt eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem: quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & biberitis calicem hunc mortem meam annunciabitis donec veniam. Quare memores paſſionis eius, & mortis, eiuſque reſurrectionis à mortuis, & reditus in Cælum, atque aduentus eius ſecundi, qui futurus eſt, cùm veniet cum gloria, & poteſtate ad iudicandos viuos, & mortuos, & reddendum vnicuique ſecundùm opera eius offerimus tibi Regi, & Deo ſicut ipſe conſtituit, panem hunc, & calicem hunc, gratias agentes tibi per eum, quia à te dignati ſumus ſtare in conſpectu tuo, & tibi fungi ſacerdotio: Ac te precamur, vt in hæc munera coram te propoſita beneuolè aſpicias, tu Deus nullius indigens, & beneplaceas in eis in honorem Chriſti tui: & mittas ſuper hoc ſacrificium ſanctum tuum Spiritum teſtem paſſionum Domini Ieſu, vt oſtendas panem hunc corpus Chriſti tui, & calicem hunc ſanguinem Chriſti tui, vt qui eum participarint ad pietatem firmentur, remiſſionem peccatorum conſequantur, à fallacijs diaboli liberentur, Spiritu Sancto impleantur, digni Chriſto tuo fiant, vitamque ſempiternam adipiſcantur, te illis reconciliato Domine omnipotens.

Nota mixtionẽ ex vinõ, & aqua.

Ex Epiſtola decretali S. Alexandri I. Papæ, qui Eccleſiam gubernauit poſt S. Euariſtum primum Papam ab Anno Chriſti CXX. vſque ad Annum CXXXI. hoc eſt ſexaginta circiter annis poſt S. Petrum, Martyrio coronatus ſub Adriano Imperatore.

In Sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt, vt eius cuius corpus, & ſanguis

Alexand. I. Papa.

guis

guis conficitur, paſſio celebretur, ita vt repulſis opinionibus ſuperſtitionum, panis tantùm, & vinum aqua permixtum in ſacrificio offerantur. Non debet enim (vt à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet,) in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius in paſſione eius profluxiſſe legitur. Ipſa verò veritas nos inſtruit, calicem, & panem in Sacramento offerre, quando ait: Accepit Ieſus panem, & benedixit, deditque Diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & manducate: hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis tradetur.

Panis, & vinum aqua permixtum in ſacrificio offerenda ſtatuit.

Similiter poſtquam cœnauit, accepit calicem, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes, quia hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis fundetur in remiſſionem peccatorum: crimina enim, atque peccata oblatis his Domino ſacrificijs delentur. Idcircò, & paſſio eius in his commemoranda eſt, qua redempti ſumus, & ſæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda.

Talibus hoſtijs delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quam corpus, & ſanguis Chriſti. Nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit, quæ pura conſcientia Domino offerenda eſt, & pura mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda, & ſicut potior eſt cæteris, ita potius excoli, & venerari debet.

Epiſtola Iulij I. Papæ ad Epiſcopos per Ægyptum. Hic poſt Sanctum Marcum, qui S. Sylueſtro ſucceſſerat, electus Papa fuit, & Eccleſiam rexit annos ſedecim, creatus Pontifex Anno Domini cccxxxvi. Imperante Magno Conſtantino: obijt anno Domini ccclii. imperante Conſtantio eiuſdem Conſtantini Magni filio.

Idem præcipit Iul. I. ad Epiſcop. per Aegyptum.

CAlix Dominicus iuxta Canonum præcepta vino, & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cùm in calice vino aqua miſcetur. Chriſto populus adunatur, & credentium plebs, & in quem credit copulatur, & iungitur. Quare copulatio, & coniunctio aquæ, & vini ſic miſcetur in calice Domini, vt miſtio illa non poſſit ſeparari. Nam ſi vnum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti eſſe incipit ſine nobis: ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto.

Quid ſi vinũ tantùm, vel ſi aqua tantùm offeratur.

Ex S. Iacobi Apoſt. Fratris Domini, & Hieroſolymorum I. Epiſc. diuina Miſſa.

DEINDE SACERDOS PANEM manibus accipiens dicit:

S. Iac. Apoſt. de pane in ſacrificio.

Accipiens panem in ſanctas immaculatas inculpabiles, & immortales manus ſuas, in cœlum ſuſpiciens, ac tibi Deo, & Patri oſtendens, gratias agens ſanctificans frangens dedit nobis, diſcipulis, & Apoſtolis (Diaconi dicunt) In remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam.

Deinde exclamat:

Accipite, & comedite. Hoc eſt corpus meum, quod pro nobis frangitur, & datur in remiſſionem peccatorum. Populus. Amen.

Deinde accipit Calicem, & dicit.

Teſtimoniũ eiuſdem de vino à Chriſto in calice aqua permixto.

SImiliter poſtquam cœnauit, accipiens Calicem, & permiſcens ex vino, & aqua, & aſpiciens in cœlum, ac oſtendens tibi Deo, & Patri, gratias agens, ſanctificans, benedicens, implens Spiritu Sancto, dedit nobis Diſcipulis ſuis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro nobis, & multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorũ. (Populus Amen.)

Sacerdos.

Hoc facite in meam commemorationem: quotieſcunque enim comederitis panem hunc, & hunc calicem biberitis, mortem Filij hominis annunciatis, & reſurrectionem eius confitemini donec veniat.

Dicunt Diaconi.

Credimus, & confitemur.

Populus.

Mortem tuam Domine annunciamus, & reſurrectionem tuam confitemur.

EX LITVRGIA, SEV MISSA S. Apoſtoli, & Euangeliſtæ Marci Diſcipuli S. Petri.

Sacerdos, myſteria ſancta ſignaculo Crucis ſignat, dicens.

PLenum enim reuera eſt cœlum, & terra gloria tua, per apparitionem Domini, & Dei, & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, facò Deus vt plenum quoque ſit ſacrificium benedictione tua, per aduentum Sanctiſs. Spiritus tui. Quia ipſe Dominus, & Deus, & Summus Rex noſter Ieſus Chriſtus nocte, qua tradebat ſe ipſum pro peccatis noſtris, & mortem pro omnibus ſubibat, carne recumbens cum Sanctis ſuis Diſcipulis, & Apoſtolis, accepit panem in ſanctas, & immaculatas, & inculpatas manus ſuas, ſuſpiciens in cœlum ad te patrem ſuum, Deumque noſtrum, & Deum vniuerſorum, gratias egit, benedixit, ſanctificauit, fregit, deditque Sanctis, & beatis diſcipulis, & Apoſtolis, dicens: [Elata voce]

Accipite, comedite. (Diaconus) *Extendite.* Sacerdos clara voce, *Hoc enim eſt corpus meum, quod pro nobis frangitur, & diſtribuitur in remiſſionem peccatorum.* (Populus, Amen.) Sacerdos autem orans, dicit: *Similiter & calicem poſtquam cœnauit accipiens, factaque vini, & aquæ commixtione, ſuſpiciens in cœlum ad te patrem ſuum, Deumque noſtrum, & Deum vniuerſorum, gratias egit, benedixit, ſanctificauit, impleuit Spiritu Sancto, & tradidit Sanctis, & beatis Diſcipulis ſuis, & Apoſtolis dicens* [Elata voce] *Bibite ex eo omnes.* (Diaconus denuò) *extendite.*

Nota de vini, & aquæ commixtione.

Sacerdos clara voce pergit: *Hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro nobis, & multis effunditur, & diſtribuitur in remiſſionem peccatorum.* (Populus; Amen.) Sacerdos ſic orare pergit: *Hoc facite in meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem meam annunciate. & reſurrectionem meam, & aſcenſionem confitemini donec veniam. Mortem tuam Dominator Domine omnipotens, cœleſtis Rex Vnigeniti Filij tui, Dominique & Dei, & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti annunciantes, & triduanam, beatamque eius à mortuis reſurrectionem confitentes, in cœlos quoque aſcenſionem confitemur, &c.*

Ex S. Baſilij Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi Miſſa.

Et hic Sacerdos extollit vocem ſuam.

CVM enim eſſet exiturus ad Crucem ſuam voluntariam, ac ſalutarem, in ea nocte, qua tradebatur pro vita, & redemptione mundi, accepto pane in ſanctas, incontaminatas, puras, & illibatas manus ſuas, gratias egit, benedixit, ſanctificauit, fregit, & dedit Diſcipulis ſuis, & Apoſtolis Sanctis, dicens: Accipite, & comedite de ipſo. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis, & pro multis frangitur, & diuiditur in expiationem culparum, remiſſionemque peccatorum, ac in vitam ſempiternam. (Populus. Amen.)

Sacerdos.

Vinum vitis aqua mixtū in Miſſa S. Baſilij Epi.

Similiter autem, & calicem vini vati, & è vite poſtquam cœnauerunt, accepit, miſcuitque aquis, gratias egit, benedixit, ſanctificauit, ac guſtauit, & diuiſit Diſcipulis ſuis, & Apoſtolis Sanctis, dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes, iſte eſt ſanguis meus, ille noui Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & ſpargitur in expiationem, & remiſſionem peccatorum, atque in vitam æternam. (Populus. Amen.) [Sacerdos] *Quotieſcunque enim hoc facitis mortem meā annunciatis: ac memoriam ſepulturæ, reſurrectionis meæ celebratis, donec ego venio* [Populus] *mortem tuam Domine annunciamus, atque reſurrectionem profitemur, & aduentum tuum ſecundum expectamus, miſericordiæ tuæ ſint ſuper nos omnes.*

Canon XXXII. ex centum ac duobus poſt ſextum vniuerſale Concilium conſtitutis à patribus, qui in Trullum Palatij Imperialis Conſtantinopolis conuenerunt. Omnes iſti canones habentur in tertio Codice vniuerſalium Conciliorum in fine ſextę ſanctę vniuerſalis Synodi.

Canon Cōcil. Trul. de aqua vino miſcenda in ſacrificio.

Quomodo intelligendus D. Chriſoſt. quando dicit Quamobrem non aquam bibit cum ſurrexit ſed vinū.

Quoniam ad noſtram cognitionem peruenit, quod in Armeniorum regione vinum tantùm in ſacra menſa offerunt, aquam illi non miſcentes, qui incruentum ſacrificium peragunt, adducentes, Eccleſiæ Doctorem Ioannem Chryſoſtomum hæc dicentem, in interpretatione Euangelij ſecundùm Matthæum: Quamobrem non aquam bibit cùm ſurrexit, ſed vinum? Improbam ſanè hæreſim radicitus extirpans. Quoniam enim nonnulli aqua in myſterijs vſi ſunt, oſtendens, quod & quando myſteria tradidit, & quando poſtquam reſurrexiſſet abſque myſterijs ſolam, ac nudam menſam appoſuit, vſus eſt vino ex genimine, inquit, vitis: vitis autem vinum non aquam generat, & ex eo, aquæ in ſacro ſacrificio adiunctionem, Doctorem ſubuertere exiſtimant, vt non ab hoc tempore in poſterum ignorantia teneantur Patris ſententiam Orthodoxæ aperimus. Cùm enim improba Hydroparaſtatarum, hoc eſt etiam qui aquam offerebant, antiqua eſſet hæreſis, qui pro vino ſola aqua in proprio ſacrificio vſi ſunt, refellens hic vir diuinus deteſtabilem huiuſmodi hæreſis doctrinam, & oſtendens, quod directè Apoſtolicæ traditioni aduerſatur, id, quod iam dictum eſt affirmauit. Nam & ſuæ Eccleſiæ vbi eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, aquam vino miſcendam tradidit, quando incruentum peragi ſacrificium oportet ex pretioſo Chriſti noſtri Redemptoris latere ex ſanguine, & aqua contemperationem oſtendens, quæ in totius mundi viuificationem effuſa eſt, & peccatorum redemptionem, & in omni etiam Eccleſia, vbi ſpiritualia lumina refulſerunt, ſic ordo diuinitus traditus ſeruatur. Nam & Iacobus Chriſti Domini ſecundum carnem frater, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Thronus, primum eſt creditus, & Baſilius Cæſarienſium Eccleſiæ Archiepiſcopus, cuius gloria omnem terrarum orbem peruaſit, myſtico nobis in ſcriptis tradito ſacrificio, ita conſecrandum in diuina Miſſa ex aqua & vino ſacrum calicem ediderunt. Et qui Carthagine conuenerunt Sancti Patres his verbis apertè, & præcisè mentionem fecere, vt in Sanctis nihil plus quam corpus, & ſanguis Domini offeratur, vt ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum. Si quis ergo Epiſcopus, vel Presbyter non ſecundùm traditum ab Apoſtolis ordinem facit, & aquam vino non miſcens, ſic immaculatum offert ſacrificium, deponatur, vt imperfectè myſterium enuncians, & quæ tradita ſunt innouans.

Hęreſis hydroparaſtatarum, qui aquam offerebant ſolā in ſacrificio Eccleſiæ ſuæ aquam vino miſcendam tradidit D. Chryſoſt.

Deponēdus ſacrificans vino aquam nō miſcens.

Canon XXIIII. Concilij Tertij Carthaginenſis de quo ſuperiùs in Canone XXXII. Patrum Trullenſium mentio facta eſt. Hoc Concilium celebratum fuit anno Domini trecenteſimo nonageſimo tertio, Siricio Summo Pontifice, & Arcadio, atque Honorio Imperatoribus.

Vt in Sacramentis corporis, & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aquæ mixtum. Nec amplius in ſacrificijs offeratur, quam de vuis, & frumentis.

Ritus hic probatur teſtimonio S. Irænæi Epiſ. Lugd & M.

Quod autem ritus iſte ſanctus miſcendi aquā vino in celebratione Sacramenti Euchariſtiæ, ſeruatus fuerit à Sanctis Apoſtolis ſubinde ab eorum diſcipulis, facile oſtenditur auctoritate S. Irenæi Epiſcopi Lugdunenſis, & Martyris, qui auditor fuit Sanctorum Polycarpi, & Papiæ diſcipulorum S. Ioannis Euangeliſtæ, & ab eodem S. Polycarpo ex Aſia in Galliam miſſus ad confirmationem illius Eccleſiæ.

Ex apolog. S Iuſtini M. ad Marcum Aur. & Lucium Ver. Imp.

Is tempore S. Eleutherij Papæ, ſcripſit ſapientiſſimè, atque luculentiſſimè aduerſùs hęreſes, ac præcipuè contra Valentinum, & fidem, quam prædicauerat martyrio poſtea teſtatus eſt anno Domini centeſimo octuageſimo Lugduni in Gallia in perſecutione Seueri Imperatoris.

Habetur quoque obſeruatio huius ritus in Apologia ſecunda, quam pro Chriſtianorum religione habuit S. Iuſtinus Martyr ad Marcū Aurelium, & Lucium Verum Imperatores, qui paulò poſt eiuſdem Chriſtianæ religionis cauſa ſub eis Imperatoribus martyrium conſummauit anno Domini centeſimo ſexageſimo quinto.

Ex epiſt. S. Cypriani M. ad Cæciliū.

Quibus duobus placuit addere teſtimonium S. Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis, & Martyris, qui de conſecratione ſancti calicis diſertiſſimè epiſtolam ſcripſit ad Cæcilium, & de hac traditione ab Eccleſiæ exordio recepta, atque conſeruata vſque ad eius tempora, latiùs egit. Coronam autem martyrij accepit anno Domini ducenteſimo ſexageſimo primo Valeriano, atque Galerio Imperatoribus. Pontificatus S. Dyon. Papæ anno primo. Horum itaque Sanctorum auctoritates infrà de verbo ad verbum deſcriptæ erunt.

Ex libro quinto S. Irænei aduerſùs hæreſes Valentini, & ſimilium cap. 1, vbi agit de Sacramento Euchariſtiæ, habentur hæc verba.

Verba S. Irenæi.

Quando mixtus calix, & fractus panis percipit

pit

pit Verbum Dei ſit Eucbariſtia ſanguinis, & corporis Chriſti.

Verba S. Iuſtini mart. in Apol. II. pro Chriſtiana religione,

S. Iuſtinus philoſophus, & Martyr Apologia ſecunda pro chriſtiana religione prope finem, vbi de Chriſtianorum religioſis inſtitutis agit, habet hæc verba.

Nos autem poſt huiuſmodi Lauationem credentem iam, & nobis adſcriptum ad fratres vt appellantur adducimus, vbi illi congregati ſunt ad communes preces, & ſupplicationes tùm pro ſeipſis, tùm pro illuminato, & alijs vbique gentium omnibus animo intento peragendas, vt digni, idoneique ſimus, qui veritate agnita per opera etiam ipſa boni, atque officioſi rerum adminiſtratores, & datorum nobis mandatorum Cuſtodes inueniamur, atque vt ſalute ſaluemur ſempiterna:

Oblatio panis, & poculi aquæ, & vini.

A precibus finitis, mutuis nos inuicem oſculis ſalutamus, deinde ei, qui fratribus præeſt offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quibus ille acceptis laudem, & gloriam rerum vniuerſarum Patri per nomen Filij, & Spiritus Sancti offert, & Eucbariſtiam, ſiue gratiarum actionem, pro eo quod nos donis hiſce ſuis dignatus ſit prolixè exequitur. Atque vbi ille preces, & gratiarum actionem abſoluit, populus, qui adeſt omnis fauſta approbatione acclamat, dicens. Amen.

Sanctus Cyprianus Epiſtola ad Cæcilium de Sacramento Domini calicis ferè à Principio ſic ait.

Verba S. Cypriani ad Cæcilium.

Admonitos autem nos ſcias, vt in calice offerendo Dominica traditio ſeruetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, vt Calix, qui in commemoratione eius offertur mixtus vino offeratur.

Hæretici Aquarij,

Et quia hæc Epiſtola occaſione redarguendi hæreticos aquarios ſcripta erat, qui aquam tantùm offerebant in ſancto calice, vt oſtenderet aquam vino miſcendam eſſe, nulloque pacto ſolam in ſanctum Calicem infundendā; nam aqua ſola ſemper accepta eſt in ſacris ſcripturis, vt ſignificet tantum ſacramentum baptiſmatis. Ideò de vtraque acceptione aquę in ſacris myſterijs agens, ita loquitur, in medio fere eiuſdem Epiſtolæ.

Sola aqua accepta eſt in S. Script. vt ſignificet Sacramentū baptiſmi.

S. Cypr. de vtraque acceptione aquæ in ſacr. myſterijs.

Nec argumentis plurimis opus eſt frater chariſſime, vt probemus appellatione aquæ baptiſma ſignificatum ſemper eſſe, & ſic nos intelligere debere, quando Dominus adueniens baptiſmi, & Calicis manifeſtauerit veritatem, qui aquam illam fidelem, aquam vitæ æternæ præceperit in baptiſmo credentibus dari, Calicem verò docuerit exemplo magiſterij ſui, vini, & aquæ coniunctione miſceri. Calicem etenim ſub die paſſionis accipiens benedixit, & dedit Diſcipulis ſuis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Dico vobis, non bibam à modo ex iſta creatura vitis vſque in diem illum, quo vobiſcum bibam nouum in Regno Patris mei. Qua in parte inuenimus Calicem mixtum fuiſſe, quem Dominus obtulit, & vinum fuiſſe, quod ſanguinem ſuum dixit. Vnde apparet ſanguinem Chriſti non offerri ſi deſit vinum Calici, nec ſacrificium Dominicum legitima ſanctificatione celebrari, niſi oblatio, & ſacrificium noſtrum reſponderit paſſioni. Quomodo autem de creatura vitis nouum vinum cum Chriſto in Regno Patris bibemus, ſi in ſacrificio Dei Patris, & Chriſti vinum non offerimus, nec Calicem Domini Dominica traditione miſcemus?

CAPVT XX.

Pontifex Romanus, Sacræ Scripturæ Cognitor, & Cuſtos.

Quare Tert. hæreticos ſui temporis ad ſcripturarum prouocationem non ad mittendos eſſe affirmaret.

Prima cauſa de præſcrip. c. 17.

TErtullianus olim inter Orthodoxos, aduerſus ſui temporis hęreticos pręſcribens, cùm illos videret Scripturas obtendere, quibus in ipſo congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt: non eos admittendos eſſe ad Scripturarum prouocationem, duabus potiſſimum de cauſis affirmabat. Altera eſt: *Non admittitur ad eas, cui nullo modo competit poſſeſſio Scripturarum*: altera: *quoniam nihil proficiat, ait, congreſſio Scripturarum, niſi plane vt aut ſtomachi ineat quis inuerſionem, aut cerebri. Iſta hæreſis non recipit quaſdam ſcripturas: & ſi quas recipit, adiectionibus, & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit: & ſi recipit integras præſtat, nihilominus diuerſas expoſitiones commentata, conuertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtylus. Variæ præſumptiones nolunt agnoſcere ea, per quæ reuincuntur: his nituntur quæ ex falſo compoſuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promouebis exercitatiſſimè ſcripturarum, cùm ſi quid defenderis, negetur ex diuerſo; ſi quid negaueris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione: nihil conſequeris, niſi bilem de blaſphematione.*

Mos hæreticorum circa ſcripturas.

Morem moroſum, atque peruerſum omnium hæreticornm notauit; quibus ſolemne, vt quod diſplicet, non recipiant: aut non integrum recipiant, aut ſi integrum recipiant, diuerſis ab omni antiquitate, & ab vnanimi omnium ſęculorum, nationumque conſenſu, commentis detorqueant: adeovt, ſi ex libidine illorum vel recenſendi fuerint libri ſacroſanctæ doctrinæ, vel ſenſus verus, & genuinus quærendus, nullos, vel paucos, vel mutilos, vel inuerſos, in ſacra Biblia reponeremus; nullam certam veritatem de arcanis Fidei noſtræ aſſequeremur, aut profiteremur: nulla fide prorsùs, aut teneremur, aut in vnitatem nominis Chriſtiani ſociaremur; adeoque ſine Deo, ſine lege, ſine remedijs Salutis, vel Athei, & Aſebi, vel his, ſi quid his caro, & ſenſus, & nouandi cupido excogitauit nequius, nequiores effecti, in præceps iremus, ſicut equus, & mulus quibus non eſt intellectus, in obſequium Chriſti captiuus: cùm *alius manu Scripturas, alius ſenſu expoſitiones interuertit*, vt peruertat.

Alius manu ſcripturas alius ſēſu expoſitiones interuertit.

Simoniani, Baſilidiani, Marcionitæ, omnes veteris teſtamenti libros, quaſi eos malus Deus dictaſſet, in vniuerſum execrabantur: vt recenſet Irenæus. Theodorus Mopſueſtenus Epiſcopus, Iobi librum Cmtica Canticorum, & Prophetas omnes, reijciebat. Nicolaitæ, Gnoſtici, & Paulus Samoſatenus, Pſalmos Dauidis, quaſi prophana eſſent Cantica repudiabant. Alij Eccleſiaſten Salomonis, quaſi ad Epicuri, ſiue Ariſtippi philoſophiam aditum pararet, ridebant. Porphyrius, contra Prophetam Danielem duodecimum librum ſcripſit. Iulianus Apoſtata libros Euangeliorum impugnauit. Ebion, ſolum Matthæum ex Euangeliſtis probabat. Alogiani, Marcum, & Lucam, cum Mattheo iungebant, Ioannem vt illis aduerſum exſibilabant. Cherintus, ſolo Marci Euangelio vtebatur. Marcion, vnum

Varia hæreticorum de Scriptura ſancta opiniones.

li. 1 c. 20. 25.

19 in Synodo act. 2.

Lucam

Lucam in pretio habebat. Valentinus præter Ioannem, nullum Euangeliſtarum agnoſcebat. Cerdon, Tatianus, & Manichæus Actus Apoſtolorum ſacro Canoni detrahebant. Ebionitæ Pauli epiſtolas omnes damnabant, ipſumque Paulum Apoſtolum Græcum, atque Apoſtatam vocabant. Marcion, ad Timotheum, & Titum ſcripta reſpuebat: è cæteris Pauli epiſtolis, quod ſibi videretur, expungebat. Librum Eſther, Melito Arianus quin & aliqui viri grauiſſimi, extrà Canonem ponebant: nonnulli ſeptem poſtrema capita illi præcidebant. Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum libros, omnes hæretici huius temporis Lutherum ſecuti, nullius eſſe auctoritatis contendunt: nonnulli aliquas partes Euangeliorum Marci, Lucæ, & Ioannis, à reliquo corpore auellunt: alij epiſtolam Pauli ad Hebræos, neque Pauli, neque alicuius Apoſtoli eſſe aſſeuerant. Iacobi, & Iudæ epiſtolas Lutherus contemnit, Petri, & Ioannis Brentius, Kemnitius, & Centuriatores in dubium vocant. Apocalypſim Ioannis, vt non eſſe Ioannis probet, varias coniecturas quærit: adeò, vt ſi his omnibus ſubſcribere vellemus, nullum Sacræ Scripturæ librum legeremus, aut in Canone reponeremus quod aliqui ab his, alij à reliquis fuerint expuncti. Omitterem criminationes in varias editiones, & præſertim in eam quam vulgatam vulgo vocamus niſi & hinc damna Fidei ſtruerentur Orthodoxæ.

Eorum in varias editiones criminationes.

Caluinus omnia ad Hebræum textum quaſi ille ab Hebræorum ſtylo, numquam fuerit alicubi corruptus, examinari iubet: alij ab Hebræis in odium Chriſtianæ religionis vbique vitiatum, & ideò numquam admittendum putant. Paraphraſim Chaldaicam plerique magnifaciunt: nonnulli fabulis Iudaicis, & Thalmudiſtarum nugis conſperſam, aiunt: Syriaca lingua, & charactere libros conſcriptos, in admiratione cæteri habent.

Græci ſuam, ſeptuaginta interpretum, & Aquilæ Pontici, Theodotionis, Symmachi, Origenis, S. Luciani Presbyteri, & Martyris Heſichij, & vel illam, quæ ſine nomine auctoris in dolijs quibuſdam apud vrbem Hierico anno VII. Antonini Caracallæ, vel aliam, quæ pariter in dolijs, Alexandro Mummeæ filio imperante, anonymo auctore reperta eſt, ingenti auctoritate donant. Editionem vulgatam, tam noui, quàm veteris inſtrumenti, quæ Diuo Hieronymo adſcribitur, omnes hæretici huius temporis exſibilantes, non tamen in verſione Latina conſentiunt, ſed alij Tigurinam, alij Lutheri anteferunt: in hoc tantum vnanimes, vt vulgatam editionem à Sanctis Patribus, & Expoſitoribus, Auguſtino, Gregorio, Iſidoro, Anſalmo, Bernardo, Ruperto, Richardo, Haymone, Hugone, Lyrano, Paludano, Dionyſio Carthuſiano, & alijs ſucceſſoribus, probatam explodant, & varias in dies editiones cudant: quæ etiam Luthero hanc vocem extorſerunt, cùm in Zvinglium de veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia calamum ſtrinxiſſet: *Si diutius*, inquit, *ſteterit mundus, iterum erit neceſſarium, vt propter diuerſas Scripturæ interpretationes, quæ nunc ſunt, ad conſeruandam Fidei vnitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.* Rectè itaque Tertullianus præſcribebat, atque definiebat, *non eſſe admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis prouocationem*, quod alij eas manus alij ſenſu expoſitiones interuertant. *Neque enim*, ait, *ſi Valentinus integro inſtrumento vti videtur, non callidiore ingenio, quam Marcion manus intulit veritati. Marcion enim, expertè, & palàm, machæra, non ſtylo vſus eſt: quoniam ad materiam ſuam cædem ſcripturarum confecit. Valentinus pepercit: quoniam non ad materiam ſcripturas, ſed materiam ad ſcripturas excogitauit: & tamen plus abſtulit, & plus adiecit, auferens proprietates ſingulorum quoque verborum, & adijciens diſpoſitiones non comparentium rerum.*

In quo conſentiant hæretici moderni.

lib. 18. de Ciuit. Dei c. 43. li. 20. moral. c. 24. li. 6. etym. c. 5

Lutherus contra Zvinglium. ſupra c. 37. & c. 38.

Idem & noſtro tempore cenſuiſſet, ſi videret, alios quidem mactare, alios mutilare, reliquos verò huius ſeculi Nouatores, aliam & aliam veſtem Scripturis inducere, prout quiſque hæreſim quam ſomnians excogitauit, cupit producere in apricum. Non placet quibuſdam, Eccleſiæ vnius cum Chriſto coniunctio, & animæ charitate inflammatæ in Deum affectus, vel ſacroſanctæ Deiparæ excellentia admiranda! ſtatim Cantica Canticorum libidinantis, & procantis Salomonis aiunt. Alios inuocatio Sanctorum, & cuſtodia Angelorum offendit! Iobum, & Tobiam iugulatum volunt. Diuinitatem Filij Dei alij blaſphemant! ſapientiæ librum explodunt. Orationes, & ſacrificia pro defunctis! Machabæos ex albo canonico pellunt. Pœnas inferorum! hiſtoriam Lazari, & Epulonis inter fabulas reijciunt. Conſubſtantialitatem, & coæternitatem verbi! ſermonem pro Euangelico verbo Deo peruertunt. Ordinem Hierarchicum Eccleſiæ! epiſtolam ad Hebræos. Opera bona ex fide non mortua! epiſtolam Iacobi Apoſtoli ſtramineam eſſe affirmant: adeoque de ſcripturis ſacris pro ingenio ſuo proque libidine ludunt, vt iuxtà illorum cenſum, neſcias quæ ſcriptura Canonica, quæ extracanonica: quæ verſio genuina, quæ adulterina: quæ partes congenitæ, quæ aliundè adiunctæ.

Prout quiſq; hæreſim excogitauit ſic aliã, & aliã veſtem ſcripturis inducit.

Alteram cauſam, cur hæretici ad ineundam prouocationem de ſcripturis non admittendi, Tertullianus aſſignabat, quod nullo modo competet eis poſſeſſio Scripturarum. Diſputandum priùs aiebat, & id ſolùm diſputandum; *Quibus competat Fides ipſa? Cuius ſint Scripturæ? A quo & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani? vbi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, & Fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum. Chriſtus Ieſus Dominus noſter permittat*, aiebat, *dicere: Interim quiſquis eſt Chriſtus, cuiuſcumque Dei Filius, cuiuſcumque materiæ Deus, & homo, cuiuſcumque Fidei præceptor, cuiuſcumque mercedis promiſſor.*

Altera cauſa cur hæretici non admittendi ad ſcripturarũ prouocationem. ſup. c. 19. 20. 21.

Quid eſſet, quid fuiſſet, quam Patris voluntatem adminiſtraret, quid homini agendum determinaret quamdiu in terris agebat, ipſe pronunciabat, ſiue populo palam, ſiue diſcentibus, ſeorſum. Ex quibus, duodecim præcipuos lateri ſuo adlegerat deſtinatos Nationibus Magiſtros.

Itaque vno eorum decuſſo, reliquos vndecim regrediens ad Patrem poſt reſurrectionem, iuſſit ire, & docere Nationes, tingendas in Patrem, & in Filium, & in Spiritum Sanctum. Statim igitur Apoſtoli (quos hæc appellatio Miſſos interpretatur) aſſumpto per ſortem duodecimo Matthia in locum Iudæ, ex auctoritate Prophetiæ quæ eſt in Pſalmo Dauid, conſecuti promiſſam vim Spiritus

San-

Saucti ad virtutes & eloquium, primo per Iudæam conteſtata fide in Ieſum Chriſtum, & Eccleſijs inſtitutis, de hinc in Ocbem profecti, eandem doctrinam eiuſdem fidei Nationibus promulgauerunt & proinde Eccleſias apud vnamquamque Ciuitatem condiderunt; à quibus traducem Fidei, & ſemina doctrinę, cæterę exinde Eccleſię mutuatę ſunt & quotidie mutuantur, vt Eccleſiæ fiant, ac pec hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur vt ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum.

Omne genus ad originem ſuam cenſeatur, neceſſe eſt; Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ; VNA EST ILLA AB APOSTOLIS PRIMA, ex qua *omnes. Hanc igitur dirigimus præſcriptionem: Si Dominus Ieſus Chciſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum; alios non eſſe recipiendos Prædicatores, quam quos Chriſtus inſtituit*: quia nec alius Patrem nouit, niſi filius, & cui filius reuelauit: *nec alius videtur reuelaſſe filius quam Apoſtolis quos miſit ad pcædicandum; vtique quod illis reuelauit.*

Quid autem prædicauerint, id eſt, quid illis Chriſtus reuelauerit, & hic præſcribam non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viua (quod aiunt) voce, quam per epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſiunt conſtat proinde, omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſijs Apoſtolicis matcicibus, & originalibus Fidei conſpiret, veritati deputandā, id ſine dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Déo ſuſcepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio pcæiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolocum, & Chcîſti, & Dei.

Variæ eiuſdē Tertull. demonſtrationes contra hæreticos ſui temporis.

Hæc hactenus Tertullianus præſcribebat, ac ac poſteà demonſtrabat, 1. nihil ſecretorum cœleſtium Apoſtolos, & præſertim Petrum, ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues regni cœlorum, & ſoluendi, & alligandi in cœlis, & in terris poteſtatem conſecutum, latuiſſe. 2. Apoſtolos omnia, quæ à Chriſto acceperant, eodem modo adeoque eandem Fidei regulam, Eccleſijs tradidiſſe. 3. Apoſtolos, ac præcipuè Dei villicum, Chriſtique Vicarium Petrum, ad hoc inuigilaſſe: ne Eccleſię aliter intelligerent, aliter crederent, quam ipſe per Apoſtolos prædicabat. 4. Omnes Eccleſias, in vnitatem fidei & confeſſionis conſpirantes, in vna fide non errauiſſe; *Quod enim apud multos vnum inuenitur*, ait, *non eſt erratum, ſed traditum*. 5. Veritati doctrinæ, hæreſes, quas Chriſtus, & Apoſtoli prænunciauerant cauendas, à Nouatoribus, Marcione, Valentino, & alijs Romæ damnatis, tamquam zizania ſuperſeminatas eſſe.

Hæretici nō poſsūt oſtēdere originem Eccleſiarum ſuarū pec ſucceſſionē ab Apoſtolis decurrentē.

6. Hæreticos ſeſe à reliquo corpore Eccleſiæ, ſciſſione nefaria, & exitu execrando abrupiſſe, atque diuiſiſſe, non poſſe edere originem Eccleſiarum ſuarum, per ſucceſſionem ab initio decurrentem; vt primus eorum, aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit auctoritatem, & anteceſſorem. 7. Hæreticos omnes, & hæreſes ob diuerſitatem Sacramenti, & regulæ fidei, nullo modo ad Apoſtolicas, aut conſanguineas, Apoſtolicis, Eccleſias pertinere, ſed illos quidem ab omnium communione penitùs excluſos, errores autem damnatos eſſe. 8. Hæreſes non eſſe ex inſtitutione Apoſtolica: qeamuis ab Apoſtolis prænunciatæ fuerint; ex quo factæ ſunt aduerſus illam. *Etiam de oliuæ nucleo mitis, & opimæ*, aiebat, *& neceſſaria, aſper oleaſter exoritur: etiam de papauere fici grauiſſimæ, & ſuauiſſimæ, ventoſa, & vacua caprificus exurgit. Ita & hæreſes de noſtro fructificauerunt, non noſtræ; degeneres veritatis grano, & mendacio ſyluestres.*

Ex his tandem conuincebat Tertullianus: *Si hæc ita ſe habent, vt veritas nobis adiudicetuc, quicumque ea regula incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chciſtus à Deo tcadidit, conſtat catio propoſiti noſtri, definientis non eſſe admittendos hæreticos ad ineundā de ſcriptucis prouocationem, quos ſine ſcciptucis probamus ad ſcriptucas non pertinere. Si enim hæretici ſunt, Chriſtiani enim non poſſunt: non à Chriſto habendo, quod de ſua electione ſectati, hæceticorum nomine admittunt. Ita non Chciſtiani, nullum ius capiunt Chriſtianarum literarum; ad quos meritò dicendum eſt: Qui eſtis? Quando & vnde veniſtis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique Marcion iure ſyluam meam cædis? Qua licentia Valentine fontes meos tranſuectis? Qua poteſtate Apelles limites meos commones? Mea eſt poſſeſſio; quid hic cæteri, ad voluntatem veſtram ſeminatis, & paſcitis? Mea eſt poſſeſſio; olim poſsideo; prior poſſideo; habeo ocigines firmas, ab ipſis auctoribus quocum fuit res. Ego hæres Apoſtolorum, ſicut cauerunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauecunt, ita teneo. Vos certè exhæredauerunt ſemper, & abdicauerunt, vt extcaneos, vt inimicos. Vnde autem extranei, & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diuerſitate doctrinæ, quam vnuſquiſque de ſuo arbitrio, aut protulit, aut recepit? Igitur & ſcripturarum, & expoſitionum adulteratio deputanda eſt, vbi diuecſitas inuenitur doctrinæ. Quibus fuit propoſitum aliter docendi, eos neceſsitas coegit aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ. Alias enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent, pec quem docerent hæreſim, ſicut illis non potuiſſet ſuccedere corruptela doctrinæ, ſine corruptela inſtrumentorum eius, ita & nobis integcitas doctrinæ non competiſſet ſine integcitate eorum, per quæ doctrina tractatur.*

Hæretici ſine ſcripturis probantur ad ſcripturas non pertinere.

Etenim quid contracium nobis in noſtris? Quid de proprio intulimus, vt aliquid contrarium ei, & in ſcripturis depcehenſum, detractione, vel adiectione, vel traaſmutatione remediacemus? Quod ſumus, hoc ſunt. Ab initio ſuo ex illis ſumus, antequam nihil aliter fuit quam quod ſumus. Quid denique fuit antequam à vobis interpolarentuc? Cùm autem omnis interpolatio poſterior credenda ſit, veniens vtique ex cauſa æmulationis, quæ neque prior, neque domeſtica eſt eius vnquam, quod æmulatur; tàm incredibile eſt Sapienti cuique, vt nos adulterum ſtylum intuliſſe videamur ſccipturis, qui ſumus à pcincipio, & primi quam illos non intuliſſe, qui ſunt & poſteri, & diuerſi.

Hæretici neque a Chriſto, neq; ab eius diſcipulis, neque ab Apoſt Eccl. vel earum conſanguineis doctrinam ſuam acceperunt.

Iſta ex viſceribus veritatis eruta, & radio ipſius veritatis, ſcripta Tertullianus hæreticis tenebrionibus opponens, euincebat, ad illos poſſeſſionem, & cuſtodiam ſcripturarum non pertinere; quod 1. neque à Chriſto, neque à Chriſti diſcipulis, neque ab Apoſtolicis Eccleſijs, aut conſanguineis Apoſtolicarum acceperint, 2. non poſsint oſtendere vnum aliquem ſuum authorem, qui cum Apoſtolis, vel Apoſtolicis, perſeuerantibus tamen cum Apoſtolis conteſſerant, atque illis traditam à Chriſto doctrinam conſignarit 3. poſteri, & noui recenteſqce venerint, ac ſeſe à reliquo corpore Eccleſiæ abruperint, 4. aduerſi traditæ doctrinæ in qua omnes Eccleſiæ conſpirant, aut tra-

tradiderint aut receperint arbitrarios errores: 5. machæra, & ſtylo armati, & ſcripturas, alias manu, alias ſenſuum expoſitione interuenerint; adeoq; vt extranei, & inimici Apoſtolis, exhæreditari, abdicati, & poſſeſſione ſanctorum eijci meruerint: 7. poſſeſſione, & cuſtodia Sacrarum Scripturarum, hæredi Apoſtolorum Romano Pontifici, ſupremo earum Cognitori, & Cuſtodi relicta. Is namque eſt, cui Chriſtus conditor traditæ cæleſtis doctrinæ, Claues Regni Cælorum, & quidni vtriuſque Teſtamenti Cuſtodiam, & hæreditatem? tradit. Is fidei Petri commiſit, eumque adiurauit, quodcumque volumen ſcriptum à quoquam, à canone ſolueret, vel canoni alligaret, Apocryphum, vel canonicum eſſet in omnibus cælis, id eſt, Eccleſijs: Petrus vero eaſdem claues, idemque depoſitum, Clementi, Clemens reliquis ſucceſſoribus, integre inuiolatum, non immutatum, non imminutum, per manus dereliquit. Namq; vt Tertullianus meminit, *Eccleſia Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit*. Clementi reliqui alij ſucceſſerunt in eandem hæreditatem non interuerſam, non variatam.

Quomodo in Eccleſia Cath. ſucceſſio perſeueret.

Petrus ſanè, primus Sacræ Scripturæ Cognitor, & Cuſtos, cum vel ex Pſalmorum libro eligendum ſorte vnum in locum Iudæ denunciaret, vel ſobrietatem Coapoſtolorum non à muſto, ſed à ſpiritu, varijs linguis loquentium, ab irridentibus Iudæis, ex Ioele, & Iſaia vindicaret: vel œconomiam ſalutis à Chriſto inſtitutam, ex libris Regum, Geneſi, Pſalmis, Deuteronomio, Exodo, Ioſue, Amos, Paralipomenon, Iobo, ſapientia, Eccleſiaſtico, Hieremia, Michea, demonſtraret, vel Euangelium à Marco ſcriptum, ſiue dictaret, ſiue probaret, ſiue Eccleſijs legendum traderet; vel epiſtolas Paulinas, difficiles intellectu diceret, eaſque à Nouatoribus interuerti aſſereret; vel myſteria Fidei ex Leuitico, Deuteronomio, Iſaia, Eccleſiaſtico, Pſalmis, Oſea, Geneſi, Prouerbijs, Iobo, Iudicibus, Numeris, & Ezechiele, in Epiſtolis ad Eccleſias ſcriptis confirmaret Cognitoris, & Cuſtodis ſcripturarum ex quibus olim Chriſtus, *incipiens à Moyſe, & Prophetis, interpretabatur in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant*, officium exercebat auctoritatemq; illis & integritatem, verus Orthodoxiæ hæres conciliabat. Iam idem ipſe Petrus, *Dei villicus, & Chriſti Vicarius*, quemadmodum Tertullianus appellabat *non ſinens Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipſe per Apoſtolos prædicabat*, cum Euangelium, à Matthæo ſcriptum recognouiſſet, & Marco vt in epithomen (namq: Auguſt. affirmat Marci Euangelium, compendium eius quod Matth. ſcripſit eſſe) contraheret, iuſſiſſet, vel certe auctoritate roboraſſet, Cognitoris, & Cuſtodis ſcripturarum officio fungebatur.

Quomodo S. Petrus Cognitoris, & Cuſtodis ſcripturam officio ſunctus fuerit.

De conſenſ. Euang. c. 2.

Petro Principe Apoſtolorum, & Paulo Coapoſtolo, qui ſtatu felici Eccleſiæ Rom. totam doctrinam cum ſanguine ſuo profuderunt, illo quidem paſſioni Dominicæ adæquato, iſto vero Ioannis exitu coronato, Clemens, poſt alios duos ante ſe præmiſſos in Fidei Commiſſum ſuccedens, *verus hæres Apoſtolorum, ſicut cauerunt teſtamento ſuo ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita tenuit*. Nam cum verteroſus hæreſiarcha Cerinthus, nihil aliud ex diuinis ſcripturis, niſi Matthæi Euangelium, idq; ex parte tantummodo reciperet, atque multa ſua deliria diuulgaret, Clemens diuinorum librorum auctoritatem vindicauit, cum ex illis vnum Deum creatorem, hominis plaſmatorem, qui eduxerit cataclyſmum, & aduocauerit Abraham qui eduxerit populum de terra Ægypti, qui collocutus ſit Moyſi, qui legem diſpoſuerit, & Prophetas miſerit, qui ignem præparauerit diabolo, & Angelis eius, qui denique Filium ſuum incarnari, pati, mori, reſurgere, Eccleſiam credentium in vnitatem Fidei congregare, S. Spiritu imbuere, & reliqua ſalutis humanæ arcana perficere voluerit, ad exemplum Petri in Sanhedrio concionantis, demonſtrauerit, atque manum, & ſtylum Cherinti à ſcripturis detraxerit.

Clemens diuinorum librorum auctoritatem vindicauit contra Cerinthum hæret.

Philaſt. de hæreſ. c. 37. Euſeb. lib. 3. c. 32

Clementi in hæreditatem Anacletus ſucceſſit. Is etiam Sacras Scripturas, à ſceleſtiſſimi pſeudoprophetæ Elxai, qui eas in vniuerſum ſpernebat, atq; impia temeritate reijciebat ſeruauit: cum ex earum auctoritate blaſphemias & portenta execranda Iudaizantis conuiciſſet. Pari fide, & Eleutherus, à manu Marcionis, & ſtilo Valentini Scripturas Sacras integerrime cuſtodiuit. Hi *Antonini fere principatu, in Catholicam primo doctrinam, apud Eccleſiam Romanenſem crediderant: donec ſub Eleuteri benedicti Epiſcopatu, ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, qua Fratres quoque vitiabant, ſemel, & iterum eiecti, Marcion quidem cum ducentis ſeſtertijs ſuis quæ Eccleſiæ intulerat, nouiſſime in perpetuum diſcidium relegati, venena doctrinarum ſuarum diſſeminauerunt*. Valentinianorum, tanta fuit procacia, vt conuinci potuerint, ſuaderi non potuerint. Cum enim ex ſcripturis arguerentur, in accuſationem conuertebantur ipſarum quaſi non recte habeant neque ſint ex auctoritate, & quia ſint varie dictæ, & quia non poſſit in his inueniri veritas, ab his qui neſciant Valentini traditionem. Cum vero ad eam traditionem quæ eſt ab Apoſtolis quæ per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſijs prouocarentur, traditioni huic aduerſabantur, dicentes; ſe non ſolum Presbyteris, ſed etiam Apoſtolis (didicit hinc Lutherus qui mille Auguſtinos, totidem Hieronymos, & plures alios Orthodoxos, quin & Apoſtolos præ ſe contemnit) exiſtentes ſapientiores, ſinceram inueniſſe veritatem, Apoſtolos vero admiſcuiſſe ea quæ ſunt legalia Saluatoris verbis: & non ſolum Apoſtolos. ſed ipſum Dominum, modo à Demiurgo, modo autem à medietate, interdum autem à ſummitate feciſſe ſermones: ſe vero indubitate, & incontaminate, & ſincere abſconditum ſcire myſterium; quod quidem impudentiſſime eſt blaſphemare ſuum factorem. Euenerat itaque neque ſcripturis iam, neque traditioni conſentire eos. Valentiniani Tatianum, Principem Encratitarum, ſeu continentium generarunt. Hic quod, & nuptias, & eſum carnium, & Adamum prothoparentem damnaret Geneſim præcipue à ſacro volumine recidebat. Eleutherus, & Theleſphorus, hæreditatis Apoſtolicæ Fidei commiſſores, germina iniquitatis, aduerſus veritatem pullulantia falce Apoſtolica ſucciderũt hæreſiarchis opponentes. *Mea eſt poſſeſſio, quid hic cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis, & paſcitis*.

Sacræ Scripturæ ab Anacleto contra Elxaum pſeudoprophetam ſeruatæ.

De præſcript. c. 30.

Eleutherus contra Marcion.

Iren. lib. 5. c. 2.

Idem & Teleſph. contra Valentinianos.

Non mitior Theleſphorus, & Soter, in Marcionem,

Soter cõ: Marcion. Apellẽ & eorum ſectarios. *Iren. lib. 1. c. 29.*

cionem, Apellem, & eorum ſectarios, Marcion, vetus teſtamentum, quaſi à malo Deo prolatum reſpuebat; nouum vero ex animi ſui ſententia mutilabat; quippe qui cum Chriſti carnem negaret ea omnia quæ Euangeliſtæ de ea egregie teſtati ſunt, nempe Matthæi Euangelium, & partem Lucæ reijciebat: ac demum omnia, quæ ſunt de generatione Domini conſcripta auferebat; & de doctrina ſermonum Domini, in quibus manifeſtiſſime Conditorem huius vniuerſitatis ſuum Patrem confitens, Dominus conſcriptus eſt, reprobabat: ſemetipſum eſſe veraciorem quem ſunt hi, qui Euangelium tradiderunt Apoſtoli, ſuaſit diſcipulis ſuis, non Euangelium, ſed particulam Euangelij tradens eis. Similiter autem, & Pauli Apoſtoli epiſtolas abſcidit, auferens quæcumque manifeſte dicta ſunt ab Apoſtolo Paulo de eo Deo qui mundum fecit, quoniam hic ſit Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & quæcunque ex Prophetis memorans Apoſtolus docuit prænuntiantibus Dei verbi aduentum. Apelles, quia Chriſtum neque in phantaſmate fuiſſe dicebat, ſicut Marcion, neque in ſubſtantia veri corporis vt Euangelium docet, Legem, & prophetas repudiabat, & ſolo vtebatur Apoſtolo, ſed Marcionis, id eſt, non toto: præſertim quando reſurrectionem carnis negaret. Contra vtrumque, *vna illa ab Apoſtolis prima* Eccleſia, *ex qua omnes*, conſtanter ſtetit, quum vterque quemadmodum nominaui Pontifex, ex Propheticis, & Apoſtolicis literis probaret, Chriſtum Dei omnium creatoris Filium, ex ſemine Dauid carnem factum eſſe: adeoque Legem, Prophetas, Euangelia, & Apoſtolicas epiſtolas, in ſua integritate puriſſimas conſeruaret. Victor, Eleutheri ſucceſſor, eadem diligentia, Sacras Scripturas à blaſphemiæ Allogorum, & Theodoſianorum carpo cuſtodiuit. Apoſtoli Ioannis Euangelium, eo quod in eo ſcriptum eſſet Deus verbum quod erat in principio negabant, & Apocalypſim eiuſdem irridebant. Reliquam quoque diuinam ſcripturam innouare temere auſi ſunt; & hæc quidem amputare, illa vero adijcere, ſeque ea quæ non bene habebant corrigere dicentes, & ſe ſpiritu ſapientiores pronunciantes. Omnibus, quę illi temerabant, Victor, & auctoritatem, & integritatem ſeruauit, fideliſſimus Cuſtos diuinarum Scripturarum.

Epiſt. ad Epiſc. Campania.

Victor contra Allogorum Theodoſianorum blaſphemias *Theodoret. l. 2. hæret. fabul.*

Zephyrinus contra eoſdem Theod. *Euſeb. lib. 5. c. 26. 27.*

Zephyrinus idem fecit, cum ex illis ipſis Theodotianis aliqui, Sacras Scripturas deprauare quidem non adeo operæ pretium duxerunt, ſed tum Legem, tum Prophetas lepida ſimulatione, perinde ac ſi nefariam ac impiam omnino doctrinam complecterentur, prorſus pernegantes, in vaſtiſſimum exitij gurgitem pręcipites deciderunt. Ab horum machæra, quod eas ſcripturas Zephyrinus cuſtodiuiſſet, id quod ſolemne eſt omnibus hęreticis iactabant; Maiores quidem, & ipſos Apoſtolos, ea quæ ipſi iam affirmabant, non modo à Domino accepiſſe, verum etiam eadem alios docuiſſe, & veram prædicationis rationem vſque ad Victoris tempora qui decimus tertius à Petro Epiſcopus fuit, integre ſeruatam illam quidem; ſed à Zephyrino illius ſucceſſore penitus corruptam, & deprauatam fuiſſe; cum tamen huic eorum impoſturæ, primum Sacrę Scripturæ teſtimonia contradicerent; deinde quorumdam Patrum ſcripta ſupereſſent, Victoris temporibus multo antiquiora, quæ illi cum contra Gentiles pro veritatis defenſione, tum contra hæreſes quæ id temporis graſſabantur, vt Iuſtini, Miltiadis, Clementis, Irenæi, Melitonis, in quorum libris Chriſtus verus Deus eſſe confirmatur. Non degenerarunt, quemadmodum à veteratoribus Nouatores Deprauatores ita etiam à maioribus ſuccedentes Pontifices, illi in corruptela, iſti in tutela ſacrorum librorum. Illi ſecundum quod Iudas Apoſtolus in Canonica notauit, *quæcunque quidem ignorant blaſphemant; quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur*: ſcilicet quæ non capiunt, non recipiunt, quæ vero vtcumque concipiunt, & corrumpuntur in eis; & corrupti, alios corrumpere ſua peruerſitate conantur: iſti vero Apoſtolicam *doctrinam, inſtitutionem, propoſitam fidem* aſſecuti, ſibi dictum putant, quod aliquando Paulus Thimotheo ſcripſit: *Mali homines, & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem mitten es. Tu vero permane in ijs quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens à quo didiceris. Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide, & in dilectione in Chriſto Ieſu. Bonum depoſitum cuſtodi, per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis. Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.*

Non degenerarunt nouatores à veteribus in corruptela & ſuccedentes Pont. in tutela S. Scripturarum.

2. Timot. 3. 1. 2.

Petrus eius ſedis Primarchus, non tantum curabat, ſed etiam pollicebatur ſe daturum operam poſt mortem, vt ſucceſſores ipſius, coęqualem cum eo ſortiti fidem, eiuſdem fidei integra inſtrumenta, tam à vi, quam à corruptela cuſtodirent. Iulius, Xyſtus, & Dion. à Pauli Samoſateni, Miltiades Syluester, Marcus Liberius, ab Arrij, Euſebij, & alijs, Damaſus à Macedonij tam manu, quam ſtylo nefarijs, inuiolata ſeruauit: cum alij diuinitatem Spiritui Sancto, alij verbo incarnato Conſubſtantialitatem detrahentes, nonnullas ſcripturas à canone eximerent, alias vero verſionibus, & expoſitionibus deprauarent. Verſiones circumferebantur complurimæ. Septuaginta interpretum triplicem editionem, Origenis, Luciani Martyris, & Heſichij, varij varie accipiebant, ac propterea inter ſe de præſtantia ſingularum digladiabantur. Alij tranſlationem Aquilæ Pontici, alij Symmachi, nonnulli, Theodotionis, pleriq; eam quæ tempore Hadriani, aut eam quæ Alexand. Mammeæ filij Imperatorum, repertæ fuerant in dolijs, anteponebant. Extabant, & ſeptuaginta interpretum varię Latinæ verſiones, ſed variæ: ſcilicet à veritate diſcrepantes. *Verum enim non eſſe quod variat, etiam maledicorum teſtimonio comprobatur.* Itala nempe Romana inter has præſtabat cęteris: verum nec illa ſine mendis: cum exſcriptores, ſed quod peius eſt Nouatores corrumperent, aut iugularent. Habuit tunc Hieronymus interrogare; ſi Latinis exemplaribus fides eſt adhibenda; reſpondeant. Quibus. Tot enim ſunt exemplaria pene quot codices. Propter hanc varietatem verſionum, cum non leues inter Eccleſias conflarentur ſeditiones, Damaſus Sacræ Scripturæ Hęres, Cognitor, & Cuſtos, Hieronymo iuſſit, nouum opus ex veteri (ita Hieronymus confitetur) facere, vt poſt

Variæ de varijs verſionibus opiniones. *Auguſt. de doct. Chriſtiana c. 11. 14. 15.*

Hieronymo à Damaſo PP. commiſſa S. Scripturæ verſio ad confuſionem tollendam.

Præfat. in Euangel. ad Damaſum.

exemplaria ſcripturarum toto Orbe diſperſa, quaſi quidam arbiter ſederet, & quia inter ſe variabant, quæ ſint illa qua cum Græca conſentiant veritate, decerneret. Metuebat, à labore inuidiam Hieron. *aduerſum quam*, inquit, *me conſolatur, quod tu qui ſummus Sacerdos es fieri iubes*. Contulit itaque iubente Damaſo, nouum Teſtamentum ad Græcos Codices emendatum. Cumque non nouam ipſe cuderet, ſed veterem emendaret editionem, *ita calamo temperauit*, aiebat, *vt his tantum quæ ſenſum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateretur vt fuerant*; ſcilicet illa ipſa verba rudia, ſimplicemque dicendi ſtylum ne in minimo quidem mutare voluit, vbi verba atque ſententiæ à Græco non diſſentirent.

in ep. ad Deſiderium.

Hieron. Hebraicā vet. teſt. editionē primus omnium in Latinum conuertit. *August. 18. de ciuit. 43.*

Cæterum, quod etiam in ſeptuaginta interpretum verſione, multa quod ex veteri Inſtrumento, *Euangeliſtarum atque Apoſtolorum authoritas promulgauerat*, deſiderarentur: multa etiam illi ipſi ſeptuaginta interpretes, quia *ante aduentum Chriſti interpretati ſunt, quod neſciebant, dubijs protuliſſent ſententijs, poſt piorum ſtudia*, Hieron. *confidenter cunctis illis Apoſtolos præferens*, Epiſcoporum, & præſertim Damaſi iuſſionibus obſecutus, Hebraicam veteris teſtamenti editionem primus omnium in Latinum conuertit. Eam Occidentalis Eccleſia, probante Damaſo, indita ei *Nouæ Hieronymianæ* nuncupatione, ita accepit, vt & antiquiorem illam ſeptuaginta ex Græco Latinam, ſed Romanam, ſub appellatione *Veteris* retinuerit: donec poſt Gregorij Magni tempora, propter tollendam quæ exorta fuerat in diuinis officijs diuerſitatem, vna ex duabus illis Communi Eccleſiarum vſui, conflata eſſet, & Communis ac vulgata ab omnibus vno nomine diceretur. Innocen. I. omnes eius libros à temeraria manu hæreticorum eripuit, & integerrime ſeruauit. Patres Concilij Chalcedonenſis, & Quintæ Synodi, damnata Theodori Mopſueſteni hæreſi, quos iſte negauerat Prophetas, Iobum, & alios, ab interitu vindicarunt. Gelaſius omnes recenſuit, & à Spurijs apocryphiſque diſcreuit. Namque hæretici iam olim ab initio prædicationis quod S. Irenæus memorat, *apocryphorum librorum, & adulterinarum ſcripturarum infinitam multitudinem afferebant, vt ſtultos ac væſanos homines veritatiſque literarum ignaros ad ſtuporem traherent*.

Vulgata editio ſub Gregor. Mag.

Patres Cōc. Chal. Cod. vindices S. Scripturæ. *Innocēt. epiſt. 3 ad Exuperium.*

Recenſentur apocrypha ſcripturæ à Gelaſio partim inter apocrypha computatæ.

Cathalogum eorum ſcriptores hiſtoriæ Eccleſiaſticæ recenſentes, enumerant; Itinerarium Petri Apoſtoli; Actus nomine Andreæ, Thomæ, Philippi, Pauli, & Theclæ: Acta Apoſtolorum ſub nomine Matthiæ, ſiue Iacobi minoris, vel Petri, & Ioannis, à quodam Leucio, ſub nomine vero Andreæ à Nexocharide, & Leonide Philoſophis ſcripta. Andreæ, Ioannis, & Thomæ acta quibus Encratitæ ipſis ferme temporibus Apoſtolorum vtebantur. Actus Apoſtolorum, quibus Ebionæi, & Priſcillianiſtæ: Memoriæ Apoſtolorum. Abdiæ Babylonij Apoſtolorum vitæ. Ioannis Euangeliſtæ actus auctore Prochoro. Paſſiones Apoſtolorum. Seleuci, Libellus de Natiuitate B. Mariæ, falſo Hieronymo adſcriptus. Paſſio Petri Apoſtoli, Lini nomine, Actus, Euangelium, Prædicationes, Apocalypſis, & iudicium, nomine Petri, Euangelium, & Apocalyſis, Aſcenſus, Actus, Reuelationes, tertia ad Corin. tertia ad Theſſalonicen. & alia ad Laodicen. titulo Pauli vna cum libello de tranſitu Virginis, Andreæ, Bartholomæi, Taddæi, Barnabæ, Thomæ nomine conficta Euangelia, cum Apocalypſi eiuſdem. Matthæi Traditiones, liber de infantia Saluatoris, & pſeudoeuangelium Philippi Iacobi Alphæi, nec non Marci pſeudoeuangelium quod Ægyptiorum vocabatur. Reuelationes titulo Stephani. Iudæ proditoris pſeudoeuangelium. Liber ſtirpis Mariæ. Doctrina Apoſtolorum. Sortes Apoſtolorum. Laus Apoſtolorum. Aſcenſio Iſaiæ. Apocalypſis Eliæ. Liber de Magia, nomine Saluatoris ad Petrum, & Paulum, horrende ac nefarie, ſiue ab hæreticis, ſiue à Gentilibus confictus, nec non plures alij, titulo aliorum ſanctorum, ab his potiſſimum qui ex circumciſione peruenerant, hæreticis ementiti; quibus ad ſuos errores confirmandos vterentur.

Cognouit verſutiam malignantium in ſancto, Gelaſius: & Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum Romæ congregato, adulteros libros reiecit, alios inter apocryphos numerauit, ſacris vero, tam Veteris, quam Noui teſtamenti Canonicis ſcripturis, poſtquam eos ſingulatim recenſuiſſet, auctoritatem conſtabiliuit, decreto perpetuo ab vniuerſa Eccleſia retinendo. Manſit integra librorum ſacrorum profeſſio, & intemerata verſio, apud Eccleſiam Romanam, totis fere duodecim à Gelaſio ſeculis illibata; donec Nouatores manu, & ſtylo prompti, pars iugulaſſent, pars confodiſſent, pars interuertere auſi eſſent, Apoſtolicam hæreditatem, præſertim ex editione vulgata, per manus, ab Anteceſſoribus Damaſo, & ab eius auctoritate emendatam, ſucceſſoribus, atque per eos, Eccleſiæ Orthodoxæ traditam, tantæque auctoritatis apud antiquitatem, vt quamquam rudiore ſtylo eſſet compoſita, tamen nihil ex ea immutare, nihil in ea audacter corrigere præſumerent, imo contra præſumptores conſurgerent. Magnus Spiridion Epiſcopus Trimithuntis, cum Triphillus Ledrenſis Epiſcopus, Rhetoricis literis egregie excultus, coram Epiſcoporum Conuentu ſermonem habens, cum illud Euangelij occurriſſet; *Tolle grabbatum tuum, & ambula*, pro grabbato lectum dixiſſet, eleganciori nimirum ſibi viſus vti voce debere; eum libere reprehendens; *Tune*, inquit, *præſtantior eo, qui grabbatum dixit? Qui igitur pudor eſt iſte, verbis illius cum decore non velle vti?* Atque his dictis in conſpectu omnium Epiſcopali ſede exurgens, faſtum, & ſupercilium eius, qui verſionem nouauerat, comprimere conatus eſt. Magis intolerando faſtu, huius noſtri temporis Grammatici, in ſacra Biblia ſurrexerunt. Ab eorum conatibus, vt Paulus III. volumina, & verſionem eorum, intacta cuſtodiret, Patribus Concilij Tridentini auctor fuit, qui iſtud ſancirent.

Sacris Scripturis auctoritatem ſtabilius.

Spiridionis Epiſc. act. in Conc. ob vocem vnam variatam.

Faſtus hæreticorum modernorum. *Seſſ. 4.*

Sacroſancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, hoc ſibi perpetuo ante oculos proponens, vt ſublatis erroribus, puritas ipſa Euangelij in Eccleſia conſeruetur; quod promiſſum ante Prophetas in ſcripturis ſanctis Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius proprio ore primum promulgauit, deinde per ſuos Apoſtolos, tanquam fontem omnis ſaluta-

Sanctio Sac. Trid. Conc. de ſcripturis ſanctis

cum enumeratione librorum ſacrorũ à Cõc ſuſceptorũ.

ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicari iuſſit; perſpicienſque hanc veritatem, & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptę, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos vſque peruenerunt: Orthodoxorum Patrum exempla ſequuta; omnes libros tam veteris, quam noui Teſtamenti, cum vtriuſque vnus Deus ſit auctor, nec non traditiones ipſas, tum ad Fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia ſuſcipit, ac veneratur. Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adſcribendum cenſuit: ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa ſynodo ſuſcipiantur. Sunt vero infraſcripti: Teſtamenti veteris quinque libri Moſis, id eſt, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ioſue, Iudicium, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus, & ſecundus qui dicitur Nehemias, Thobias, Iudith, Eſther, Iob, Pſalterium Dauidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Eſaias, Ieremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetę minores, ſcilicet Oſee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus, & ſecundus. Teſtamenti noui, quatuor Euangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem, Actus Apoſtolorum à Luca Euangeliſta conſcripti: quatuordecim Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli, ſcilicet, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duę: Ioannis Apoſtoli tres: Iacobi Apoſtoli vna: Iudæ Apoſtoli vna: & Apocalypſis Ioannis Apoſtoli. Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris, & Canonicis non ſuſceperit: & traditiones prædictas, ſciens, & prudens contempſerit: anathema ſit.

Anathema in non recipientes.

Inſuper eadem Sacroſancta Synodus, conſiderans, non parum vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit innoteſcat: ſtatuit, & declarat, vt hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum vſu in Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur: & vt nemo illam reijcere, quouis prætextu audeat, vel præſumat. Hæc Paulus III. pro integritate tum vniuerſorum Sacræ Scripturæ librorum, tum editionis vulgatæ omnium antiquiſſimæ, & probatiſſimæ, in Concilio Tridentino ſanciebat. Hæc fidelis, & vt S. Iſidorus teſtabatur, *in verbis clarior, & veracior in ſententijs*, translatio, ne vel mendis quæ irrepſerant infarcta prodiret, vel iterum iniuria temporum, aut temere emendantium audacia, vel impreſſorum incuria, vlla ex parte corrumperetur, Pius IV. Romanus Pontifex ex Patrum Tridentinorum voto, in primis lectiſſimis aliquot S. R. E. Cardinalibus, alijſque tum ſacrarum literarum, tum variarum linguarum peritiſſimis viris, eam prouinciam demandauit, vt vulgatam editionem Latinam, adhibitis antiquiſſimis codicibus manuſcriptis, inſpectiſque Hebraicis, Græciſque Bibliorum fontibus, conſultis denique veterum Patrum Commentarijs, accuratiſſime caſtigarent.

Quod vulgata editio pro authentica ſit ſuſcipienda.

lib. 6. Etymol c. 5.

Pio IV. è viuis ſublato, Pius Quintus idem inſtitutum proſecutus eſt. Cæterum, & iſto Sanctiſſimo Pontifice morte præmatura erepto, Sixtus Quintus ingenti cura, ſacram paginam Concilij Tridentini præſcripto, quam emendatiſſimam euulgari mandauit. Antonius Cardinalis Caraffa emendandis Biblijs iuſſu Pontificio intentus, duobus præcipue vetuſtiſſimis exemplis vſus eſt; altero, quod Caroli Magni nomine in codicibus S. Pauli extra Vrbem aſſeruatur: altero Cœnobij Montis Amiatæ agri Senenſis, quod Diui Gregorij temporibus ſcriptum eſſe exiſtimatur,

Sixtus V. vulgatam editionẽ Latinam emendatiſſimam vulgari curauit.

PAVLVS QVINTVS, paratus omni poſcenti reddere rationem, de fideicommiſſo Sacræ Scriqturæ theſauro, vt anteceſſorum ſuorum, ſiue in cuſtodia, ſiue in verſione, ſiue in emendatione ſacrorum Bibliorum vigilantem integritatem oſtendat: in hoc eſt totus, qui vndequaque manuſcripti Bibliorum Codices antiquitatis fide præſtantes conquirat, & in gazophylacio Bibliothecę Vaticanę recondat.

Pauli V. ſtudium in conquirendis MS. Bibliorum libris antiquis.

Angelus Rocca Sacrarij Apoſtolici præfectus in Bibliotheca Vaticana.

CAPVT. XXI.

Pontifex Romanus, Sacræ Scripturæ interpres.

NEc temere, nec inepte, Magnus Gregorius, pro volumine Sacræ Scripturę accipiebat, librum illum *inuolutum qui erat ſcriptus intus & foris*, quem *manus miſſa coram* Ezechiele *expanderat*. *Inuoluitur*, ait, *Sacra Scriptura obſcurum eloquium, profunditate ſententiarum, vt non facile ſenſu omnium penetretur*. Inuoluitur, aiebat Tertullianus, *diuinum inſtrumentum per prophetias, parabolas, viſiones, & rerum, verborum vel nominum argumenta, per allegorias, & figuras, & ænigmata obumbrata*. Inuoluitur, idem Gregorius alibi dicebat, ſacrum eloquium, viſioni maris comparatum, *magnis voluminibus ſententiarum, cumulis ſenſuum, varietate myſteriorum, quibus prudentes exercet, ſicut ſuperficie ſimplices refouet*. Inuoluitur, addebat idem, velut fluuius altus, & planus, altitudine Sacramentorum, *in quibus & agnus ambulet, & elephas natet*: dum *habet in publico vnde paruulos nutriat, & in ſecreto ſeruat, vnde mentes ſublimium in admiratione ſuſpendat*. *Tota*, ait, *Sacra Scriptura propter nos quidem ſcripta eſt, ſed non tota intelligitur à nobis. Nonnulla enim ita in ea clauſa ſunt, vt dum ea non intelligimus, agnoſcentes infirma noſtra cæcitatis, ad humilitatem magis quam ad intelligentiam proficiamus*. Inuoluitur ſolius veteris teſtamenti ſcriptura, teſtabatur in eius ſtudio

Sacra Scriptura profunditate ſententiarum inuoluta.

homo 9. ſuper Ezechielem. lib. 4. contra Marcion.

hom. 6 & 16. in Ezech. & in lois profat c. 4.

De vet Teſt. Hieron. ep. 1. c. ad Algaſiam. De Chriſtia literis Augu. ep. 8 ad Voluſiam.

expertus Hieronymus, *tantis, difficultatibus, & futurorum typis obuoluta, vt omnis interpretatione egeat*. Inuoluuntur Chriſtianæ literæ, tanta profunditate, confitebatur Auguſtinus, *vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia vſque ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio, conarer addiſcere; in quibus latet altitudo ſapientiæ, vt animoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimiſque cupiditatę diſcendi hoc contingat, quod eadem ſcriptura quodam loco habet; Cum conſummauerit homo, tunc incipit*.

De Pauli epiſtolis.

De ſolis epiſtolis Pauli, Petrus pronunciabat, in eis eſſe *quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant*.

Epiſtola ad Rom.

De ſola eiuſdem ad Romanos epiſtola, Hieronymus Algaſiæ reſpondebat, *omnem illam nimijs obſcuritatibus inuolutam eſſe*. Apocalypſim, *tot myſteria, quot verba continere*, idem euulgabat;

Apocalypſis

mirum vt ſit, quendam Nouitium Theologum, de Apocalypſi, hæc ſine diſiunctione, *in qua pene præter nomen retectum nihil habes*, ſcripſiſſe. Cum, ſi hoc modo diſpungas; *In Apocalypſi præter nomen, retectum nihil habes*, falſa ſit. Nam multa habet ad literam, ad probanda dogmata accommoda. Si vero iſto alio; *In Apocalypſi, præter nomen retectum, nihil habes*;

Apocalypſis humani ingenij vires excedit.

non tantum Hieronymo, ſed & fides aduerſetur: vel ipſo illo qui ludebat, vel pangebat fatente, quin *& ipſis aduerſarijs*, ait ille ipſe, *vltro confitentibus, numero myſteriorum, & magnitudine, Apocalypſim, humani ingenij vires excedere*, quemadmodum etiam reliqua Scriptura Sacra excedit, *multis, & multiplicibus obſcuritatibus, & ambiguitatibus*, ait Auguſtinus,

lib. 2. doctr. christ. c. 6.

quibus ſi qui temere legunt, aliud pro alio ſentientęs, vel etiam quibuſdam locis, quid vel falſa ſuſpicentur non inuenientes, decipiuntur, velut denſa caligine obducta, atque inuoluta. Sunt enim in ea, apparentes contrarietates, ambigui ſermones, orationes imperfectæ, præpoſterus alicubi ordo, phraſes obſcuræ, metaphoræ, & tropi, ſenſus multiplices; quibus doctrinæ cœleſtis magnitudo, non ſecus ac inuolucro aliquo tegitur; adeo vt nec Diſcipuli, quamuis Spiritu Sancto repleti, loquentem Chriſtum aliquando intellexerint; & Paulus *opertum Euangelium in ijs qui pereunt* (& quam pauci!)

Sermonum interpretatio à Spiritu S.

aliquando affirmauerit: atque *Donum interpretationis ſermonum* à Spiritu Sancto Eccleſiæ donatum relictumque eſſe dixerit: cum & Chriſtus Apoſtolis *aperuiſſet* olim *ſenſum, vt intelligerent ſcripturas*, & ipſe *incipiens à Moyſe, & Prophetis interpretaretur diſcipulis, in omnibus ſcripturis quę erant de illo*. Vel ipſi hæretici, ab ipſa veritate impulſi confitentur, Sacras Scripturas non adeo faciles eſſe, quam alicubi dixerunt.

Centuriatores difficultate intelligêdi ſcripturas teſtimonium. Cent. 1. lib. 2. c. 4.

Centuriatores ſane Lutheranorum omnium rigidiſſimi, ſcribunt; *ſenſiſſe Apoſtolos, ſcripturas non poſſe intelligi ſine Spiritu Sancto, & interprete*: atque *huic rei*, docebat Kemnitius, *Deum voluiſſe in Eccleſia extare donum interpretationis, quod ſicut donum ſanationum, miraculorum, & linguarum, non eſt commune omnibus*.

Kemnitius fatetur. in exam. 4. ſeſſ. Concil. Trid.

Ipſe ille Kemnitius, de ſe pronuncians; *Grati, & reuerenter vtimur Patrum laboribus*, reddebat; *quia multa ſcripturæ loca Commentarijs ſuis vtiliter illuſtrarunt*. Lutherus, cum aduerſus Concilia ſcriberet, atque ante viginti annos coactum ſe fuiſſe Patrum Commentaria contemnere diceret, difficiles ſcripturas aiebat: *quarum veram, & germanam ſententiam, magno ſudore*, ait, *quærerem*. Idem, Pſalmos interpretaturus, præfabatur: *Nolim*, inquit, *ab vllo, id de me præſumi, quod nullus adhuc præſtare potuit ſanctiſſimorum, & doctiſſimorum, id eſt, Pſalterium in omnibus ſuo legitimo ſenſu intelligere, & docere. Sat eſt, aliquos, & eoſdem ex parte intellexiſſe. Multa ſibi reſeruauit ſpiritus, quo nos ſemper Diſcipulos habeat; multa ſolum oſtendit, vt alliciat: multa tradit, vt afficiat. Scio eſſe impudentiſſimæ temeritatis, eum qui audeat profiteri, vnum Sacræ Scripturæ librum, à ſe in omnibus partibus intellectum*: propter altitudinem ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, cuius incomprehenſibilia ſunt iudicia, & inueſtigabiles vię eius.

pag. 12.

Quid Lutherus de ſcripturarum intelligentia ſcripſerit.

Donum ex præcipuis Eccl. Cath. interpretatio ſermonũ

Hæc altitudo ſcientiæ, & ſapientiæ diuinæ, cauſa fuit, vt Chriſtus, donum interpretationis ſermonum, inter dotes præcipuas, Eccleſiæ ſuæ reliquerit; & neque illud eſſe omnibus commune, neque interpretationem Scripturarum cuius promiſcuam, præſertim non his, 1. qui exhæredes, 2. qui abrupti, 3. qui quærunt non credunt, 4. qui variant non idem ſentiunt, 5. qui clauibus ſcientiæ gerendis inepti, permiſſam eſſe voluerit: adeoque, neque apud tales, his qui ſcrutantur teſtimonia diuina, quærendam.

1. Nō eſt quęrenda interpretatio apud Hæbr. vel hæreticos quia exhæredes.

Non eſt quęrenda interpretatio Sacrę Scripturæ, apud Hebræos, aut hæreticos, poſſeſſionis Orthodoxæ *exhæredes*. Si enim ad illos non amplius pertinet hęreditas Scripturarum, quemadmodum monſtrauimus: neque interpretatio Scripturarum ad illos poterit pertinere; quod ſequens eſt. Tunc enim recte eis, Tertullianeum illud obijcietur: *Quid in meo agitis, non mei? Quo iure, Marcion*, Luthere, Caluine, quiſquis de grege es, *ſyluam meam cædis? Qua licentia, Valentine*, Philippe, Beza, Brenti, *fontes meos tranſuertis? Qua poteſtate, Apelles*, Zuingli, Menno, Stancare, *limites meos commoues? Mea eſt poſſeſſio; quid hic cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis, & paſcitis? Mea eſt poſſeſſio; olim poſſideo; prior poſſideo; habeo origenes firmas, ab ipſis auctoribus quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum. Sicut cauerunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita teneo*. Tenet Eccleſia Catholica hæreditatem Apoſtolicam; vt pote cui *totam doctrinam Apoſtoli vna cum ſanguine infuderunt*: non tenent amplius Hebræi, qui in ipſa Redemptoris noſtri præſentia, à diuini theſauri hæreditate, perfidiæ ſuæ meritis exciderunt: non poſſident hæretici, qui *ab ipſis auctoribus quorum fuit res*, non acceperunt; ſed id quicquid eſt literæ occidentis, ab Eccleſia Catholica, quæ dicit, *olim poſsideo, prior poſsideo* ſuffurarunt, conſperſerunt, commacularunt, interuerterunt. Itaque, is, qui apud eos interpretationem quærit: fruſtra quærit: cum nec Scripturas Sacras, ſed vel ſchedas reciſas, vel lituras inaratas; vel ſi Scripturas adhuc ſacras, non tamen hæreditate, ſed furto, eoque aperto, atque impudentiſſimo ſubreptas, non quidem poſſideant, ſed contrectent. Amens ille hæres, in poſſeſſionem bonorum à teſtamento ſuccedens: qui codicillorum interpretationem, ab eo qui hæreditatem furto concepto ſurripere conatur, ſe poſſe inuenire putat.

Non eſt quærenda Sacrę Scripturę interpretatio,

2\. Nō eſt quærenda ab hæreticis, & ſchiſmat, quia abrupti, extranei inimici.

tatio, apud hæreticos, & ſchiſmaticos, qui *abrupti*, qui extranei, qui inimici. In corpore humano id quicquid eſt vitæ, & virtutis, nonniſi in coniuncta capiti membra corriuatur: In brachio, vel pede abrupto, vel reciſo, fruſtra vim aut vitam quæras: Sic, & in deciſis à corpore Eccleſiæ, & ab eius capite auulſis membris, dona Spiritus Sancti; ac præcipue interpretationem ſermonum, vtilitatem totius corporis datam. Præclare Tertullianus, eos qui ſibi dictum putant, *Quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis*; & apud eos quos Apoſtoli, vel Apoſtolorum ſucceſſores vt extraneos, vt inimicos abdicauerunt, interpretationem ſcripturarum quærunt, certiores reddit. *Viderit, qui quærit ſemper, quia non inuenit. Illic enim quærit, vbi non inuenietur. Viderit qui ſemper pulſat, quia numquam aperietur. Illic enim pulſat, vbi nemo eſt. Viderit qui ſemper petit, quia numquam audietur. Ab eo enim petit, qui non audit. Nobis etſi quærendum eſſet adhuc, & ſemper, vbi tamen quæri oportet? Apud hæreticos? Vbi omnia extranea, & aduerſaria noſtræ veritati: ad quos vetamur accedere. Quis ſeruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat? Quis miles ab infæderatis, ne dicam ab hoſtibus Regibus, donatiuum, & ſtipendium captat, niſi plane deſertor, & tranſfuga, & rebellis? Etiam anus illa intra tectum ſuum drachmam requirebat: etiam pulſator ille vicini ianuam tundebat: etiam vidua illa non inimicum, licet durum, iudicem interpellabat. Nemo inde ſtrui poteſt, vnde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur.* Præclare, & ò præclare.

Tertullian. contra quoſdam ſcripturarum interpretationes quærentes. *de præſcript. c 11. 12.*

3\. Nō eſt quærenda interpretatio apud ſemper quærentes & nunquam credētes ex Tertulliano

Non eſt quærenda Sacræ Scripturæ interpretatio, apud eos *qui ſemper quærunt*, non credunt. Audio eundem veritatis hac in re Magiſtrum, perſuadentem, iubentem, atque ,pene compellentem. Sed in primis hoc propono; *ait*: Vnum vtique, & certum aliquid ,inſtitutum eſſe à Chriſto, quod credere omnimodo debeant nationes, & idcirco quærere, vt poſſint cum inuenirent, credere. Vnius ,porro, & certi inſtituti, infinita inquiſitio ,non poteſt eſſe: quærendum eſt donec inuenias, & credendum vbi inueneris; & nihil ,amplius, niſi cuſtodiendum quod credidiſti: ,dum hoc inſuper credis, aliud non eſſe credendum; ideoque nec requirendum, cum id ,inueneris, & credideris quod ab eo inſtitutum eſt; qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod inſtituit. De hoc quidem ,ſi quis dubitat, conſtabit penes nos eſſe, id ,quod à Chriſto inſtitutum eſt. Interim ex ,fiducia probationis præuenio, admonens ,quoſdam, nihil eſſe quærendum vltra quod ,crediderunt, id eſſe quod quærere debuerunt: ,ne quærite, & inuenietis, ſine diſciplina rationis interpretentur. Ratio autem dicti huius in tribus articulis conſiſtit; In re, in ,tempore, in modo. In re, vt quid ſit quærendum conſideres. In tempore, vt quando. In modo, vt quouſque. Igitur quærendum eſt, quod Chriſtus inſtituit; vtique ,quamdiù non inuenis, & vtique donec inuenias. Inueniſti autem, cum credidiſti. Nam ,non crediſiſſes, ſi non inueniſſes; ſicut nec ,quæſiſſes, niſi vt inuenires. Ad hoc ergo quæris, vt inuenias; & ad hoc inuenies, vt credas. Omnem prolationem quærendi, & inueniendi, credendo fixiſti: hunc tibi modum ,ſtatuit fructus ipſe quærendi. Hanc tibi foſſam determinauit ipſe, qui te non vult aliud ,credere, quam quod inſtituit, ideoque nec ,quærere.

, Cæterum ſi quia alia tanta ab alijs ſunt ,inſtituta, propterea in tantum quærere debemus, in quantum poſſumus inuenire; ſemper quæremus, & numquam omnino credemus. Vbi enim erit finis quærendi? vbi ſtatio credendi? vbi expunctio inueniendi? Apud Marcionem? ſed & Valentinus proponit; ,Quærite, & inuenietis. Apud Valentinum? ,ſed & Apelles hac me pronunciatione pulſabit, & Hebion, & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo ſe mihi inſinuantes, me ſibi adducant. Ero itaque nuſquam, ,dum vbique conuenior, Quærite, & inuenietis: & velint me ſic eſſe nuſquam, quaſi qui ,numquam apprehenderim illud quod Chriſtus inſtituit, quod quæri oportet, quod credi neceſſe eſt. Impune erratur, niſi delinquatur: quamuis errare, delinquere eſt. Impune, inquam, vagatur, qui nihil deſerit. At ,enim ſi quod debui credere credi, & aliud ,denuo puto requirendum, ſpero vtique, & ,aliud eſſe inueniendum, nullo modo ſperaturus iſtud, niſi quia aut non credideram qui ,videbar crediſiſſe, aut deſij crediſiſſe. Ita ,fidem meam deſerens, negator inuenior. Nemo quærit niſi qui aut non habuit, aut perdidit. Perdiderat vnam ex decem didrachmis anus illa, & ideo quærebat: vbi tamen ,inuenit, quærere deſijt. Panem vicinus non ,habebat, & ideo pulſabat: vbi tamen apertum eſt ei, & vt accepit, pulſare ceſſauit. ,Vidua, à iudice petebat audiri; ſed vbi audita eſt, hactenus inſtitit. Adeo finis eſt, & ,quærendi, & pulſandi, & petendi.

Hæc Tertullianus præmittens, adiungebat; Regulā Fidei à Chriſto inſtitutam, quam ſecundum illud quod credimus profiteamur, nullas, niſi quas hæreſes inferunt, & quæ hæreticos faciũt, habere quæſtiones. Deinde, eius forma in ſuo ordine manente, ſi quid alicui videtur, vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate adumbrari: eſſe in Eccleſia Fratrem Doctorem aliquem, gratia ſcientiæ donatum, vel aliquem inter exercitatos conuerſatum, apud quem omnem libidinem curioſitatum effundere vnuſquiſque poſſit: ac proinde fruſtra ad eos qui ſemper quærunt, & nunquam conſtanter, id quod acceperunt credunt, confugiendum eſſe. ,*Vt*, inquit, *non inimici eſſent veritatis, hæretici: vt de refugiendis eis, non præmoneremur: quale eſt, conferre cum hominibus, qui & ipſi adhuc ſe quærere confitentur! Si enim vere adhuc quærunt, nihil adhuc certi deprehenderunt: & ideo quodcumque videntur interim tenere, dubitationem ſuam oſtendunt, quamdiu quærunt. Itaque tu qui proinde quæris, ſpectans ad eos qui, & ipſi quærunt, dubius ad dubios, certus ad incertos, cæcus ad cæcos, in foueam deducaris neceſſe eſt. Sed quum decipiendi gratia prætendunt ſe adhuc quærere, vt nobis per ſollicitudinis iniectionem tractatus ſuos inſinuent: denique vbi audierunt ad nos, ſtatim quæ dicebant quærenda eſſe, defendunt; iam illos ſic debemus refutare, vt ſciant nos non Chriſto, ſed ſibi negatores eſſe. Cum enim quærunt adhuc, nondum tenent: cum autem non tenent, nondum crediderunt: cum autem nondum*

Quærunt hæretici vt decipiant non vt credant.

tradi-

crediderunt, non ſunt Chriſtiani. At eum tenent quidem, & credunt, quærendum tamen dicunt vt defendant: antequam defendant, negant quod credunt: confitentes ſe nondum credidiſſe, dum quærunt. Qui ergo, nec ſibi ſunt Chriſtiani, quanto magis nobis? Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem diſputant? cui veritati patrocinantur, qui eam à mendacia inducunt? Concludere volebat Tertullianus.

Certa veritatis & fidei Regula quã Apoſtolica tenet Eccleſia.

Quærere iubet Chriſtus, donec inuenias: inueniendi finis certus ac ſtatus eſt, donec id aſſecutus fueris, quod certo credas. Certa eſt veritatis, & Fidei Regula, quam Apoſtolica Eccleſia credit, tenet, & tradit, ac tum in Fidei ſymbolo, tum in dogmaticis characteribus, quos ex Scriptura, & ex interpretibus Sacræ Scripturæ propoſuit. Præter hanc, qui aliam Fidei Regulam quærit, aut eius ordinem inuertens dubitationes ſerit, & ea propter ſemper, & dogmata quæ credat, & ambiguitates quas defendat quærit: iſte nihil credit. Nemo enim quærit, niſi qui aut nunquam credidit, fidem perdidit, vel prodidit. Apud vero talem, qui fidem prodidit, vel perdidit, quique quærens, aut eſt dubius, incertus, aut cęcus, quomodo interpretationem Sacrę Scripturæ quæſieris? Ne tales, huius ſęculi Nouatores? vel ipſorum Principes, neſcire ſe, aiebant, quid hodie, quid poſtridie credituri eſſent vicini Vuirtembergenſes tot fides, quot velleitates; tot velleitates, quot momenta: adeo, vt non ex falſo, aliquis fœcundam malorum ætatem ſcripſerit: cui quantum Lupæ quondam fœminæ formam quotidie ſuppurare ſolenne, tantum huic ſæculo permiſſum, nouis indies, poſt tot ætatum funera, rediuiuis commentis, ſimplices, & ad omnem nouitatem pronas animas ſatuare.

Vuirtembergenſes.

Lutherus.

Caluini inconſtantia de Primatu Pont.

Hodie, Lutherus, verba Chriſti, Hoc eſt Corpus meum, hic Calix Sanguinis mei, pro veritate Corporis, & Sanguinis Chriſti, ex ſenſu Patrum communi interpretabatur: altero die, beneficij magni loco reponebat, ſi quis illi ad innertendam agnitam veritatem præiuiſſet. Heri, Caluinus, Chriſti promiſſionem illam ſolennem, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: pro Primatu Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ, vel inuitus adducebat: altero die conuellebat, & totas inferorum machinas ad demoliendam eam ſolidam Principalitatem admouebat. Poſſem alia, & alios producere, niſi mihi certum eſſet illud pluſquam certum de hæreticis prolatum; illos eſſe *ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes*, ſcilicet, ſemper eſſe quærentes, & nunquam inuenientes, vel nunquam in ſtatu, quo *STATV Fęlix Romana Eccleſia* perennat, permanentes. Er à ſemper quærentibus, dubijs, incertis, cæcis, fidei deſertoribus, vel proditoribus, vel negatoribus, qui nec ſibi ſunt Chriſtiani, qui per fallaciam veniunt, qui veritatem à mendacio inducere conantur, vel fidem, quam diſputant, vel interpretationem Scripturarum quam quærunt, deſerunt, requirunt, negant, produnt, execrantur, quæſietis? Ab eo qui *in ſecreto calami* eorum dormit, quiq; *in locis virentibus*, ſcilicet expoſitionibus in momenta naſcentibus, areſcentibus, renaſcentibus, ac ſemper inſtar ſemper viuæ germinantibus, & nunquam ad ſtatum inueniendi, ac credendi peruenientibus delectatur, quiq; in Angelum lucis in ſingulos nictus mutat, & tum in ore, tum in ſtylo eorum qui à Petrea ſoliditate receſſerunt, ſpiritum mendacij exercet, ſcilicet inueneris.

Hæretici ſẽper diſcẽtes & nunquam ad ſcientiã veritatis peruenientes.

4. Cauſa cur non ſit quærenda apud hæreticos veritas interpretationis S. Scripc. c. 3.

Non eſt quærenda veritas interpretationis Sacræ Scripturæ, apud eos qui variant, nec idem ſapiunt, cum antiquitate, cum vniuerſitate, cum ſenſu communi. Idem iudicium facio, de Scripturæ interpretatione, quod de fide, quam illa vel gignit, vel fouet, vel ſeruat. At de fide, Lyrinenſis præſcribebat; in ipſa Eccleſia Catholica magnopere curandum eſſe, vt id teneamus quod vbique, quod ſemper: quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt etenim vere proprieq; Catholicum: quod ipſa vis nominis ratioq; declarat, quæ omnia vere vniuerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit: ſi ſequamur vniuerſitatem, Antiquitatem, Conſenſionem. Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quod tota per Orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem vero ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos Maiores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem quoq; itidem, ſi in ipſa vetuſtate, omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter, & magiſtrorum definitiones ſententiaſque, ſectemur.

Lirinenſis quęnam fides amplectenda ſit.

Itaque Chriſtianus Catholicus, ſi ſe aliqua Eccleſiæ particula ab vniuerſalis fidei communione præciderit, id faciet, vt peſtifero corruptoq; membro, ſanitatem vniuerſi corporis anteponat. Quod ſi nouella aliqua contagio non iam portiunculam tantum, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur, tunc idem prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quæ prorſus iam non poteſt ab vlla nouitatis fraude ſeduci. Si vero in ipſa vetuſtate, duorum aut trium hominum, vel certe ciuitatis vnius, aut etiam prouinciæ alicuius error deprehendatur: tunc omnino curabit, vt paucorum temeritati, vel inſcitiæ, ſi qua ſunt, vniuerſaliter antiquitus vniuerſalis Eccleſiæ decreta præponat. Si autem tale aliquid emergat, vbi nihil huiuſmodi reperiatur; tunc operam dabit, vt collatas inter ſe maiorum conſulat interrogetque ſententias: eorum duntaxat, qui diuerſis licet temporibus, & locis, in vnius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione, & fide permanentes, magiſtri probabiles extiterunt; & quicquid non vnus, aut duo tantum, ſed omnes pariter vno eodemq; conſenſu, aperte, frequenter, perſeueranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognouerit, id ſibi quoq; intelligat abſque vlla dubitatione credendum.

Vniuerſitas antiquitas & conſenſio fidem commendant.

Hæc quæ dixit Lyrinenſis, confirmabat exemplis: oſtendens illam eſſe fidem amplectendam, quam Vniuerſitas, Antiquitas & Conſenſio commendat. Huius itaque fidei interpretatio non erit apud illos quærenda, qui à Sacrario Vniuerſitatis in partem abierunt, nudius tertius nati, ſtatim ab vtero errantes, falſa locuti, neque cum omnibus aut pene omnibus, neque ſecum ipſi inter ſe conſentientes, lingua confuſi, mente nutantes. Tales ſuperiore ſæculo, & his temporibus hæretici, quorum multa pars in erroris ſui furias ſeſe præcipitauit. Hos ſi quæras *vbique*; vt de *Vniuer-*

ſitatis

Hæc tria in hæreticis deſiderantur.

ſitatis nota agnoſcas! in ſolo Saxoniæ, Angliæ, & aliquo Germaniæ angulo, fidem quam tota per Orbem terrarum Vniuerſalis confitetur Eccleſia vix reperies eiurantes. Si *Antiquitatis* canitiem deſideres! hac nocte in Septentrionis tenebris male nati, nullos Patres per quos ad Apoſtolicum traducem retro aſcendant agnoſcunt: niſi forte, qui à fide opera excludebat, & liberum arbitrium ſeruum appellabat Lutherum ad Simonem Magum; vel qui Diuinitatem dignitatemque filij Dei multis probris lacerat Caluinus, ad Marcionem, Cherintum aut Ebionem; vel qui Baptiſma Catholicorum ridet aut polluit Menno, ad veteres Anabaptiſtas, originem velint referre, neque enim vllus olim Æſopi graculus, vt quidam ſcribebat, è tot furtiuis, quam hæreſes hodie noſtræ è damnata priorum defloratione conſtructæ: vt iam, hic in Valentinianos, Marcionitas, Hebionitas, Neſtorianos; alius in Gnoſticos, Iſauricos, Vigilantianos, Eunomianos, Arianos; quin & in Hermogeniſtas, Montaniſtas, Praxeaniſtas, ſubtiliſloquorum quorundam fraudolentia improbitas ſauciam fidem deuotnat: aut funeſta nouitatis prurigine, in omnem fidei lepram exſcabiet: quam non ignobilem ouilis Chriſti partem malignitatis impetigine veneret.

Hęreſes modernę è prioribus damnatis conſtructæ.

Argute Sacra Facultas Theologica Pariſienſis, cum cenſoriam virgulam, in peſtilentes quatuor, M. Antonij de Dominis ex Archiepiſcopo Apoſtatæ Spalatenſis de republica Eccleſiaſtica libros exereret, rediuiuæ huius hydræ renaſcentiam tangebat & antiquitatem, & parentes indicabat, oſtendens: hæreſim naturam & aſtum ſerpentis imitari, nam quemadmodum ſerpens, præter atrum virus, quod vndique iaculatur, caudam quoque ad caput ſæpe retorquet, ſiue totam dum colligit iram, ſiue vt torpentes & languidas vires acrius exſuſcitet; ita etiam hæreſis, vbi in varia fidei dogmata obrepere tentauerit, nec tamen quicquam profeciſſe, ſed venenum marcido iam corpore fruſtra vomuiſſe & perdidiſſe conſpexerit; ad ſuum tandem principium, & à cauda ad caput per ſinuoſa volumina ſerpentis more redire, ſeque ad nouam rabiem animare ſolet. Id cum pleriſque hæreſibus compertum habeamus, quarum & interitus ſimiles exiſtere, & ad eundem ſcopum tam in fine quam in primordio collimarunt; in hac quæ noſtro infelici tempore ex orci tenebris reſuſcitata eſt, luce meridiana clarius emicat. Siquidem cum anno quingenteſimo decimo ſeptimo ſupra milleſimum nefarius apoſtata Martinus Lutherus, violatis non ſolum Monaſterij in quo per aliquot annos delituerat ſeptis, ſed etiam effractis Chriſtianæ verecundiæ repagulis, in ſummum Vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem, varias cœpiſſet expuere calumnias, atque illius ſupremam poteſtatem non tantum imminuere & labefactare, ſed etiam funditus euertere ſtuduiſſet: peſtilens autem eius hereſis pleriſque in Prouincijs, Deo duce, iamiam effœta & moriens ad exitum properaret: Ecce euoluto centum annorum ſpatio, nempe hoc 1617. alter Apoſtata & Eccleſiæ perduellis in medium prodire auſus eſt, eandemque defectionem contra Eccleſiam, & Generalem Chriſti in terris Vicarium renouare cogitans, librum nefarium innumeris hæreſibus referti ſſimum edere, hæretica temeritate præſumpſit. Iſta volui adducere, vt omnes ſciant quam antiqua, M. Antonij Apoſtatæ, & quam nobilis origo, ſcilicet. Qui fuit Lutheri: qui fuit Huſſi: qui fuit Vvicleffi: qui fuit Occami & Marſilij Patauini: qui fuit Friderici II. & Friderici I. qui fuit Vvaldonis: qui fuit Apoſtolicorum Apoſtatarum; qui fuit Henrici V. & IV. qui fuit Vvecilonis Moguntinæ Eccleſiæ intruſi: qui fuit Photij Conſtantinopolitani: qui fuit Albanenſium; qui fuit Paulicianorum & Atingarum: qui fuit Aldeberdinorum: qui fuit Macarij Antiocheni, & Theodori Conſtantinopolitani: qui fuit Lampertianorum: qui fuit Pyrrhi Conſtantinopolitani: qui fuit Mahometi: qui fuit Sergij atque Bayræ: qui fuit Cyri Alexandrini: qui fuit Anthimi Conſtantinopolitani: qui fuit Seueri Antiocheni & Acephalorum: qui fuit Xenaiæ: qui fuit Petri Cnaphæi: qui fuit Timothei Æbori: qui fuit Dioſcori: qui fuit à *porta inferi*, non præualente aduerſus Eccleſiam, ſuper Petram Petrum fundatam, atque ædificatam.

Hæreſes naturam & aſtum ſerpentis imitatur.

Luther. monachus apoſtata anno 1517.

M. Ant. de Dominis Apoſtata anno 1617.

Ad quos referat ſtemma ſuæ hæreſis.

Ad hos Patres refert ſtemma M. Antonij de Dominis. Namque ex horum ſepultis cineribus, excitauit ignem rediuiuum, quo ſegetem Dominicam in flammas mittat: nouo ex veteribus propoſitionibus, hæreticis, ſchiſmaticis, erroneis, ſcandaloſis, temerarijs, piarum Catholicarumque aurium offenſiuis, & præſertim in ſanctam Sedem Apoſtolicam Eccleſiam Romanam, eiuſque Pontificem Maximum Chriſti in terris Vicarium, & B. Petri ſucceſſorem contumelioſi lædorijs opere compoſito: quia iure merito Sorbona cenſuit, tanquam legi Diuinæ, antiquis Eccleſiæ canoninus, veterum Patrum doctrinæ, Traditioni & Praxi Eccleſiæ Catholicæ, omnino contrarium, hæreticum, impudentiſſimis calumnijs, erroribus, atque innumeris mendacijs refertiſſimum, totius Ordinis hierarchici ſubuerſiuum, damnandum, execrandum, & populo Chriſtiano penitus interdicendum, ſcilicet apud illum interpretatio ſacræ Scripturæ erit quærenda, tam antiqua ſtirpe natum, & Dioſcori Alexandrini temeritate animatum, omnem retro venerandam Patrum caniciem conculcantem. Doctus videlicet a Parente Luthero, & hic à Parermeneutis ſeu falſis olim interpretibus: niſi quia ille iſtis longe impudentior, non modo in ſacris literis ex ſuo ſenſu interuertendis, ſed etiam in falſiſſimis ſuis Commentarijs, antiquitati vniuerſæ poſponendis: cum in vniuerſos Patres, Eccleſiam, Apoſtolos, atque Angelos exſurgens, vſque ad rauim conclamaret: *Nihil moror clamores, quibus quæritantur: Eccleſia, Eccleſia, Patres, Patres: Scimus Prophetas lapſos eſſe, adeoque ipſos etiam Apoſtolos. Verbo Chriſti iudicamus Apoſtolos, Eccleſiam, adeoque ipſos Angelos.* Neque hic ſtitit Lutherus: ſed longius in ſalebra proceſſit, dum quæ dixerat, iterum dixit; & contra Regem Angliæ, pro Miſſæ ſacrificio dicta Patrum adducentem, ſcripſit: *Thomiſticos aſinos habere nihil quod producant, niſi multitudinem hominum, & vſum antiquum, porro ſe nihil curare, ſi mille Auguſtini, & mille Cypriani contra ſe conſiſtant.* Tam reuerens fuit antiquitatis, Lutherus, à qua abrupit.

Quam irreuerens antiquitatis fuerit Lutherus.

Non maiore obſeruantia, aut modeſtia

Calui-

Patrũ Sanctorum, ac Vet. Eccleſ. Doctorum auctoritatẽ Caluinus proculcat.

Caluinus, erga ſanctos Patres ac veteres Eccleſiæ Doctores. Numerari non poſſunt ſcommata quibus illos proſcidit, cum ipſorum authoritatem inſolentiſſime proculcat. Pauca dabo. In primis latriæ ac duliæ diſtinctionem, qua fatetur eſſe vſos complures ex veteribus, ait non modo impropriam eſſe, ſed penitus friuolam. 2. Scriptores omnes Eccleſiaſticos, excepto Auguſtino, nimios eſſe in libero arbitrio extollendo. 3. Vetuſtos Eccleſiæ Scriptores, meriti vocula paſſim vtentes, erroris materiam poſteris præbuiſſe. 4. Excuſari nullo modo poſſe immodicam veterum auſteritatem, eamque prorſus à Domini præſcripto diſſidere, & eſſe mirum in modum periculoſam: deſiderari hic eorum prudentiam. Videlicet, in excommunicationibus atque pœnis canonicis. 5. In externa corporis mortificatione vetuſtos Scriptores modum exceſſiſſe; immodicis elogijs commendaſſe corporalem illam diſciplinam: in exigendis caſtigationibus fuiſſe rigidiores quam ferat Eccleſiaſtica manſuetudo. 6. Vſum, vt ille numerat ante mille & trecentos annos receptum, vt fierent precationes pro defunctis, quicquid de hac re legitur apud veteres, publico mori & vulgi imperitiæ eſſe datum. 7. Ioannis illum pro Chriſti diuinitate locum, hunc enim Pater ſignauit Deus, ad diuinam Chriſti eſſentiam à veteribus detortum: non minus quam illum, Pater maior me eſt. 8. Euchariſtiæ oblationem & memoriam, veteres alio detorſiſſe quam inſtitutioni Dominicæ conueniat, propinſque Iudaicum ſacrificandi morem imitaſſe, quam aut ordinauerat Chriſtus, aut Euangelij ratio ferebat. 9. A veteribus Eccleſiæ Paſtoribus pro ſancta Chriſti imitatione commendatam Quadrageſimam, ſuperſtitioſam obſeruationem, craſſamque hallucinationem eſſe. Alia innumera famoſi ſtyli deliria, quæ arrogantiſſimo quodam in veteres Eccleſiæ Patres faſtidio & contemptu inflatus, manu ſacrilega conſcripſit, omitto: cum in confeſſo ſit illum omnes præ ſe nihil duxiſſe.

Temeritas quorũdam mechanicorum & muliercularũ.

Ab huius exemplo, vix quiſquam eſt in mechanicis opificibus, vel ancillulis ad Caluini protoplaſticen effictis, ſiue legere ſciat, ſiue etiam ipſa literarum elementa ignoret, qui ſacram Scripturam interpretari non audeat: idque tam obfirmata temeritate, vt ſanctorum Patrum & Conciliorum authoritate, turgida eorum deſpicientia magis ac magis recrudeſcat: vt quidam obſeruabat. Tertiam notam, cum Doctoribus *Conſenſionem* fruſtra etiam apud hæreticos ſperaueris, nedum quæſieris. Toto radio, non tantum ab alijs, ſed etiam à ſeipſis ipſi illi qui commenti ſunt, diſſentiunt: dum vnuſquiſque ſuo ingenio excogitet quod æmuletur; cumque excogitauerit, iterum vel refingat, vel reijciat, prout flatus varius afflauerit. Ex his paucis, quæ adiungere viſum, quæ conſenſio Caluinianorum & Lutheranorum, non eſt difficile conijcere.

Hæreticorũ in ſuis opinionibs inconſtantia.

Affirmant illi, duas eſſe in Chriſto perſonas, & vniones hypoſtaticas duas: Hi vnam tantum. Illi, Chriſtum non pro omnibus, ſed mortuum pro electis tantum; hi mortuum pro omnibus.

Diſſidia Caluinianorum & Lutheranorũ.

Illi Chriſtum ante Diuam matrem hominem extitiſſe, corpuſque etiam Abrahæ tempore habuiſſe; hi in vtroque Caluiniſtas falli. Illi Chriſtum ſecundum humanitatem in cælo iam eſſe, nec alibi: hi, etiam ſecundum humanitatem vbique eſſe. Illi, infantes ſine baptiſmo ſaluari: hi, non ſaluari ſine illo. Illi, infantes nullam in baptiſmo habere fidem: hi, fidem habere propriam. Plura alia inter Caluiniſtas & Lutheranos diſſidia: vna cum diſſidijs quæ inter ſolos Caluiniſtas & Caluiniſtas, inter Lutheranos, & Lutheranos: necnon inter Lutherum & Lutherum, Caluinum & hunc ipſum, Zuinglium, Bezam, Brentium, & iſtos ipſos antilogias in rebus Fidei grauiſſimis: quas Staphylus, Vlembergius, Staniſlaus Roſcius in ſua Miniſtromachia, Andreas Iurgenicius in Bello Quinti Euangelij & alij prodidere, omitto. In aperto eſt, apud omnes ab antiquitate & conſenſu communi deuios, *Inferni regna aduerſantibus creſcere, conſentientibus interire*. Quamobrem non apud eos interpretatio quærenda ſcripturarum, quorum fides nec vbique, nec ſemper, nec omnibus eadem.

Hæreticorũ fides nec vbique nec ſemper nec omnibus eadem.

5\. Hæretici clauibus ſcientiæ geſtandis inepti & ideo apud eos non eſt quærenda interpretatio ſcripturarum.

Neque eſt quærenda interpretatio Scripturarum, apud eos qui Clauibus ſcientiæ geſtandis inepti. Coram Ezechiele, à ieiunijs exhauſto, & contemplationi addicto, librum inuolutum manus miſſa expandit. Danieli viro deſideriorum, orationibus dedito, & à conſortio alienigenarum remoto, liber clauſus patuit. Non alius, quam agnus dignus eſt aperire librum ſignatum. Nemo, niſi Sacerdos, aptus è medio rotarum accipere aureos carbones. Sacerdoti Angelo Dei id permiſſum, qui in terris non terrenam ſed cæleſtem vitam degit, qui ſacræ Dei cortinæ ſemper in oratione, lectione, meditatione adhæreſcit, diuina ſcrutari & proferre. Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de ore eius requires: Angelus enim Domini exercituum eſt, perpes in eius conſpectu, ad accipiendos nouos radios, quemadmodum Angelus à facie Dei nouas reuelationes. Qui non Angelus puritate, non agnus humilitate, non Sacerdos diuinis addictus, non aliquis ieiunio, oratione, meditatione eleuatus aut præparatus, librum ne contingat, inuolucra ne reuoluat, ſigna ne reſignet. Superbiæ enim ſpiritu inflatis, non reuelat Deus abſcondita ſapientiæ ſuæ: imo ea à prudentibus & ſapientibus ſæculi abſcondit, & nonniſi paruulis Eccleſiæ aperit.

Sanctus Auguſtinus olim Manichæorum faſtu turgens, cur Scripturas non intelligeret, cauſam reddebat: *Illa*, Scriptura ſcilicet, *erat quæ creſcebat cum paruulis: ſed ego indignabar eſſe paruulus, & faſtu turgidus mihi grandis videbar*. Is vero poſtquam intellectum in obſequium Chriſti, in gremio Catholicæ captiuauit, magis cauſam deprehendit; ſcilicet ſacram Scripturam, *rem non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris, ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam, & velatam myſterijs*. Ideoque ad aſſequendam intelligentiam, humilitate opus. Requirebat aliquid amplius, Magnus Athanaſius: *Ad Scripturarum indaginem*, ait, *verumque intellectum, opus eſt vita proba, animo puro, & virtute quæ ſecundum Chriſtum eſt. Nam ſine pura mente, & Sanctorum imitatione, nemo comprehenderit verba Sanctorum*. Hugo Victorinus, aliquid amplius deſiderabat: *Ad ſacræ Scripturæ*, ait, *cognitionem opus eſt intima compunctione, potius quam profunda inueſtigatione: ſuſpirijs, quam argumentis: crebris gemitibus,*

3 Confeſſ. c. 5. Humilitate opus ad aſſequendam ſcripturarũ intelligẽtiã eſſe ait Aug. *lib. de incarnat. verb.* Athanaſ. addit puram mentem & Sanctorum imitationẽ. *lib. de anima.* Hugo Victor intimã compunctionem.

quam

quam copioſis argumentationibus; lachrymis, quam ſententijs; oratione, quam lectione; gratia lachrymarum, quam ſcientia literarum; cæleſtium potius contemplatione, quam terreſtrium occupatione. Accepit Victorinus ab Origene, *qui diebus ac noctibus obſecrandum eſſe*, monebat, *vt veniat Agnus de Tribu Iuda, & ipſe librum ſignatum, dignetur aperire.* Laborem præterea & aſſiduitatem in Scripturæ ſenſu aſſequendo S. Chryſoſtomus volebat; nam & Chriſtum, cum diceret Iudæis, ſcrutamini Scripturas, illos ad Scripturarum non ſimplicem & nudam lectionem, ſed ad inueſtigationem per quam diligentem relegauit. Non enim dixit: Legite Scripturas, ſed ſcrutamini. Diuina namque ſumma indigent diligentia. In vmbra enim maioribus illis non abs re loquutus eſt; idcirco effodere profundius iubet, vt quæ alte deliteſcunt inuenire poſſimus. Non enim rem in ſuperficie, & in promptu poſitam effodimus; ſed quæ tanquam theſaurus profunde reconditur. Qui enim huiuſmodi quærit, niſi ſummam adhibeat diligentiam & laborem, numquam quæſita inueniet. Cum labore, Ductorem, Doctoremque coniungi Deus volebat, *Interroga*, ait, *PATREM tuum, & annunciabit tibi: Seniores tuos, & dicent tibi.* Poſt Patrem non Seductorem, Doctorem quoq; oſtendebat: *Interroga Sacerdotes legem.* Nam *labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam.*

Origen. orationem. *hom. 12. in Exod.*

Laborem & aſſiduitatem Chryſoſt. *hom. 40. in Ioann.*

Cum labore Ductorem Doctoremq; coniungi vult Deus. *Deut. 32. Aggæi.*

Diuinorum eloquiorum altiſſimum eſt pelagus, cui ſe immergunt omnes, *qui ſine præceptore*, quod in Honorato carpebat S. Auguſtinus, *audent proferre ſententiam.* Paulus Apoſtolus (quod S. Hieronymus ad exemplum proponit) ad pedes Gamalielis legem Moyſi & Prophetas didiciſſe ſe gloriatur: vt armatus ſpiritalibus telis poſtea diceret confidenter, Arma noſtræ militiæ non carnalia ſunt; ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum. In actis Apoſtolorum, Eunuchus, à Philippo interpretationem didicit Iſaiæ. Tantus enim amator legis, diuinæque ſcientiæ, vt etiam in vehiculo ſacras literas legeret, quanquam verba Domini cogitatione conciperet, lingua volueret, labijs perſonaret; ignorabat tamen eum, quem in libro neſciens venerabatur. Venit Philippus, oſtendit ei Ieſum, qui clauſus latebat in litera. Quid porro ipſe S. Hieronymus ageret, ille ipſe confitebatur: *Numquam*, ait, *ab adoleſcentia, aut legere, aut doctos viros, quæ neſciebam interrogare ceſſaui, aut meipſum habui magiſtrum. Denique nuper ob hanc vel maxime cauſam Alexandriam perrexi, vt viderem Didymum, & ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebam dubia, ſciſcitarer.* Hæc Hieronymus. Baſilius autem & Gregorius Nazianzenus, ille Magni, hic Theologi cognomen aſſecutus, *ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ per annos tredecim, omnium Græcorum ſæcularium libris remotis, ſolis diuinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis & auctoritate ſequebantur, quos & ipſos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat.* Sciebant equidem, non fruſtra poſt Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, à Chriſto in cœlos abeunte, datos eſſe Paſtores & Doctores in Eccleſia; ſed ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, vt

S. Paulus à Gamaliele edoctus. *de vtilit. credendi c. 7. in epiſt. ad Paulinum.*

Eunuchus Candacis Reginæ à Philippo.

Quid Hieron. egerit. *in præfatione Commentar. ad Epheſ.*

Quid Baſil. & Gregor. Nazianz. *Rufin. lib. 11. hiſt. c. 9.*

paruulis lac ſimplicioris doctrinæ, ſolidum autem cibum adultis miniſtrent, & in intellectum eloquiorum abſconditorum manu ducant: cum veriſſimum ſit, quæ idem Hieronymus concludit, *In Scripturis ſacris, ſine præuio, & monſtrante ſemitam neminem poſſe ingredi.*

Ductore porro & Doctore præeunte, ſequacem & capacem diſcipulum, non præcocem magiſtrum, neque temerarium *Supradoctorem* oportet agere: ſeu quæ Paulus iubebat *captiuare intellectum in obſequium Chriſti. Vera religio*, ait Tertullianus, *dubitabilis non eſt, imo nec diſputabilis.* Non aliunde hæreſes naſcuntur, quam cum diſcipulus ſupra magiſtrum; docere audet magiſtrum, & in proprio ſenſu abundat. Cum Ductore autem & Doctore, oportet in communione Sanctorum morari; Nam ſapientia reſtatur; *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Paulus edicebat: *Qui ſe ſegregant, ſpiritum Dei non habent.* Auguſtinus exaggerabat & inferebat: *Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quam ſeparari à corpore Chriſti. Quia qui ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius: Si non eſt membrum eius, non vegetatur ſpiritu eius. Quiſquis autem, inquit Apoſtolus, ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Qui non eſt Chriſti, non habet dona eius. Qui ſpiritum Chriſti non habet, non poteſt dicere Dominus Ieſus. Qui non dicere, neque interpretari. Namque Ieſus aperit ſenſum, vt intelligant Scripturas, qui ſunt ex diſciplina & corpore eius. Cum Doctore & plenitudine demum Sanctorum, omnia oportet ad Caput corporis myſtici viſibile referre. *Non aliunde emerſerunt dogmata peruerſitatis illaqueantia animas*, aiebat Auguſtinus, *niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter aſſeritur.* In eandem cauſam S. Hilarius reijciebat, *tot nunc fides exiſtere, quot voluntates: tot nobis doctrinas eſſe, quot mores*: quod quiſque ſibi proprio ſpiritu affinxit, mordicus ſibi retinendum putat; neque curat aſcendere ad ſupremum Sacerdotem, cui datæ claues Dauidicæ hæreditatis Regni cœlorum, ſcilicet, ſacræ Scripturæ.

Vnde hæreſes. *tractat. 27. in Ioann.*

Cum doctore & ductore manendũ in communione Sanctorum.

tractat. 17. in Ioann.

ad Conſtant. Imp.

Pont. Rom. habet claues ſac. Scr.

Hic enim eſt ſolus & vnicus poſt Chriſtum, qui *aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit.* Nemo extra Eccleſiam Catholicam, ſoluendis ſignaculis libri ſignari idoneus, quia nemo ibi paruulus, nemo agnus, nemo vir deſideriorũ, nemo Solitarius, nemo Sacerdos, nemo Angelus; omnes magni, omnes non agni, omnes *quorum Deus venter & gloria in confuſione*; omnes in concupiſcentia illa, ſi renuit vxor veniat ancilla, omnes hierarchici ordinis oſores, vel ſi aliqui à Clero Catholico abrupti, ignem alienum ferentes. Et vt reliqua prætercam: ipſi ſe mutuo, quales ſint, ſuis coloribus depingunt; Caluinus Lutheranos; *Lutherani*, ait, *homines ſunt vertiginoſi, Cyclopes, ſuperba factio Gigantum, phrenetici, beſtiæ, prodigioſe cæci, deſperate impudentes, nihil aliud quam falſarij, improbi calumniatores, proterui, plus ſatis bardi, faſtuoſi & ſimul ita ignari, vt quod pueris in Cathechiſmo traditur, id eorum veterani Theologi ignorent, bruti homines: qui, quid valeat, quorſum ſpectet cœna, nunquam guſtarunt; qui nec guttam ingenui pudoris habentes, perinde ac ſi toto vitæ curſu nihil præter ana-*

admonitione 3. ad Veſtphalum.

Quid Caluinus de Lutheranis.

ſthema didiciſſent, ſingulis prope ſcriptorum ſuorum verſibus in nos fulminando, omnes Papæ ſcribas & datarios ſuperant. Plura alia in Lutheranos Caluiniſtæ, & ab his Scripturarum intellectum expectatis? Ad Caluiniſtas te conferteris? Sed & non à litura immunes. Lutherani illos his encomijs illuſtrabant. Hi ſunt qui filium Dei mendacij arguunt, qui Deum ſua omnipotentia ſpoliant, qui ſunt abiurati hoſtes & profligatiſſimi falſatores Teſtamenti Dei, qui non vno Sacrilegio vitiati, innumeras animas æterno exitio immolunt, publici & manifeſti hæretici. Præſtigiatores, Epicurei, athei, arguti momi, increduli, blaſphami, inertes aſini, porci Sacramentarij, maledici ſcurræ, virulentiſſimæ viperæ, lupi rapaces, vrſi factioſi, fanatici homines, Sacramentiperdæ, larua diaboli, tenebriones, cæcorum duces, animicidæ, capitales hoſtes filij Dei, infernales moloſſi, Germanici Turcæ. Forte à Caluino degenerarunt, vt ab illo ſenſum ſacræ Scripturæ quærere oporteat? At Hunnius Caluinum vocabat, Angelum tenebrarum, qui ex abyſſi puteo emergens, partim deteſtabili hac & inſana libidine torquendi Scripturas, & propugnacula Chriſtianæ religionis aduerſus infideles, Iudæos & Arianos diruendi, partim impio in ſacroſanctam maieſtatem exaltati Ieſu Nazareni calamo, partim etiam peruerſo dogmate de re tota Sacramentaria, denique horribilibus ſuis de abſoluta prædeſtinatione portentis & paradoxis, non minimam ſolis partem, vt Apocalypſis loquitur, his nouiſſimis temporibus obſcurauit, trahens magnum ſtellarum numerum, & vna ſecum in abyſſum præcipitem trahens. Non meliorem Schluſſelburgius Bezam nuncupabat: Sacramentarium baſiliſcum, blaſphemos, & diabolicos ſarcaſmos euomentem: Dei Sacramentum maledico, ſpurco, blaſphemo rictu impetentem: incarnatum diabolum, percuſſum vertiginis ſpiritu, beſtiam furentem. Hæc in Bezam.

Quid Lutherani de Caluiniſtis.
Schluſſelb. lib. 2. art. 13.
Quid Hunnius de Caluino.
Schluſſelburgius de Beza.

Lutherus vero qualis, & quam caſtus, quantiſque virtutibus fuerit ornatus: lippis & tonſoribus notum. Quamobrem iuremerito non minor Brentius in Lutherum: eius doctrinam dicit, vanam futilem, ſcurrilem, ineptam, inſanam, commentum falſiſſimum, nugas putidas, commentum à diabolo ſuggeſtum, monſtrum in Lutheri cerebro fabricatum, dogma abſurdum, Satanæ excrementum. Idem etiam in Zuinglium nihilo benignior, illius dogmata vocat diabolica, impietatibus plena, redundantia deprauationibus, ſtrophis, calumnijs, Sacrilegijs. Lutherani, porro reponentes, ſpiritum Caluinorum, aiunt, atrum, peſſimum, fugitiuum, lubricum diabolum, falſum, mendacem, infamem, furioſum, cæcum, præfractum, proteruum, lucem fugientem, odio contra filium Dei flagrantem, qui ex ſecretiſſima abyſſo infernali prodierit, verſutiſſimum dæmonem. Stancarus ex Anabaptiſtarum ſecta addebat doctrinam Caluinianam, blaſphemis erroribus, contradictionibus, falſis conſequentijs refertam: Arianam & Eutychianam hæreſim, fatuam, impiam, indoctam: ſentinam in quam multæ hæreſes confluunt; vltimam Satanæ iram, quam is furijs agitatus contra Chriſtum, eiuſque Eccleſiam reperit: blaſphemam & ſacrilegam ſectam; elumbem, temerariam loquacitatem, craſſam ſtultitiam, virulentum indignumque hominibus mendacium, doctrinam ſceleratam, Satanicam blaſphemiam, ex inſpiratione atri ſpiritus natam. Reliqui, claudunt nobili elogio; Arianiſmus, Mahometiſmus, Caluiniſmus, fratres ſunt & ſorores, tres caligæ eiuſdem panni. Menno, & Caluiniſtas, & Lutheranos, his verbis alloquebatur; Vos eſtis qui diſſolutam carnalemque vitam ducitis, qui Chriſtum iterum crucifigitis, qui blaſphematis ſpiritum eius, qui gratiam Dei contemptui habetis. De ijſdem etiam iudicium ferebat; Diſſoluta ſua carnalique doctrina, diſſolutum & carnalem populum, ad eam morum turpitudinem vitæque licentiam induxerunt, vt nec inter Turcas & Tartaros tam impij & abominandi inueniantur.

Brentius in Lutherum.
Idem in Zuinglium.
Lutherani de Caluiniſtis.
Stancarus de ijſdem.
Arianiſmus Mahometiſmus & Caluiniſmus fratres & ſorores.
Menno ad Lutheranos & Caluiniſtas.

De Mennoniſtis autem, ſeu Anabaptiſtis, Lutherus: Munzerus, Campanus, & ſimiles alij eorum ſectarij, ſunt meri corporei dæmones. Qui Munzerum vidit, dicere poteſt ſe vidiſſe diabolum corporeum in ſummo furore. De ijſdem Caluinus: Si aduerſus omnes errores & falſas opiniones Anabaptiſtarum ſcribere vellem, ingrederer abyſſum, vnde mihi exitus non pateret. Nam iſta colluuies ab alijs hæreticorum ſectis in eo differt, quod non tantum incertis rebus errauerit, verum ſit immenſum quoddam ſtupendorum deliriorum mare, adeo vt vix vnius Anabaptiſtæ caput reperiri poſſit, quod non ſit imbutum aliqua opinione diuerſa à reliquis. De iſtis ipſis Lutherani concludunt: Si vos Eccleſia Dei eritis, ſequetur Deum ſine populo & Eccleſia fuiſſe, vſque ad annum 1522. in quo Nicolaus Storcle, & paulo poſt Thomas Munzerus, prima doctrinæ veſtræ fundamenta poſuerunt. Nam ſi vel omnes hiſtorias perlegatis, nullum ab exordio mundi populum inuenietis, qui confeſſionem fidei veſtræ ſimilem habuerit. Quia vero neque Deus à principio ſine populo & Eccleſia, neque ſempiternus ille Ieſus Chriſtus ſine regno fuit, veſtra autem congregatio primum anno 1522. cœpit: Sequitur, vos veram Dei Eccleſiam, atque populum eſſe non poſſe. Iiſdem verbis, poſſunt omnes huius temporis hæretici conueniri. Namque ex omni ſæculorum memoria, vnum vel vnum deſignare non poſſunt, niſi forte ex prædamnatis, idque in vno aliquo ſingulari errore, ſed qui per omnia fidem eorum profeſſus fuerit. Per mille quingentos annos, nulli in Eccleſia Lutherani, nulli Caluiniſtæ, nulli Mennoniſtæ. Per ſexdicim ſæcula, nulli, qui recens nati: neque tamen ſine populo, aut ſine Eccleſia, ſine Regno Chriſtus fuit, annis mille ſexcentis, Luthero prothoparente omnium huius ſæculi Nouatorum anno 1517. erumpente. Poteſt ijſdem, illudque Marcionitis & Valentianis Tertullianus, opponi: Aliquos Lutheranos, & Caluinianos, & Mennoniſtas liberanda veritas expectabat: Interea perperam Euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata: Chriſtus ſexdecim vel quindecim ſæculis ſine populo, populus ſine Chriſto, ſine ſalute, ſine luce, ſine Deo.

De Mennoniſtis ſeu Anabapt. Luther. & Caluinus.
apud Staniſlaum Refcii in Miniſtromachia.
Pergunt Lutherani à nouitate doctrinæ illos impugnare.
Per 1500. anno nulli Lutherani Caluiniſtæ aut Mennoniſtæ

Quod ſi nec illa perperam nec in vacuum, nec Chriſtiani tot ſæculorum, tot terrarum, tot gentium ſine Chriſto, itaque prior in doctrina veritas, quam profana nouitas; itaque priores illi maiores, Orthodoxi; hi noui, recenteſque nouarum hæreſeon conditores; in quas non difficile fuit illis ruere, à vita impura, à mente turgida, à temeritate obſtinata; à contemptu Patrum, ab arrogantia præfra-

Prior in doctrina veritas quam profana nouitas.

ćta,

cta, ſine oratione, ſine labore, ſine doctore, ſine ductore, ſine freno in obſequium Chriſti captiuanre, extra communionem Sanctorum, extra gremium Eccleſiæ, extento colo, & ſtylo aduerſus Romanum Pontificem; cui ſoli datę ſunt clanes Regni cœlorum, ſenſa ſacræ Scripturæ, cum authoritate interpretandi. Is namque ſolus eſt, & vnicus hæres Apoſtolorum, à Chriſto, & à Spiritu Sancto, necnon ab Apoſtolis traditæ doctrinæ Seruator. Ipſe idem ſummus & primus poſſeſſor, cuſtos, & cognitor ſacræ Scripturæ. Ille idem auitæ religionis integerrimus, vſque ad hæc tempora depoſitarius. Itaque illius eſt, de ſenſu tum traditæ, tum ſcriptæ doctrinæ, cognoſcere, decernere, atque definire: ſi illi qui interpretandi donum aſſecuti, ad antiquitatem, ad vniuerſitatem, ad conſenſionem, tanquam ad Lydium lapidem totius veritatis, occulta & incerta ſapientiæ diuinæ manifeſtauere. Poſt Chriſtum in cœlos abeuntem, Petrus eius ſedis primus, auctoritate à Chriſto collata, interpretabatur ſcripturas. Ille ipſe ſuos ſucceſſores monebat, vt præſcientes veteratorum prauitatem, qua non minus Pauli epiſtolas in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quam cæteras ſcripturas, indocti & inſtabiles, ad ſuam ipſorum perditionem deprauant, cuſtodirent, ne inſipientium errore traducti excidant à propria firmitate. Ad ipſum illum, Apoſtolus Paulus, vas electionis & Magiſter Gentium, qui de conſcientia Chriſti hoſpitis in ſe loquentis loquebatur: *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* quanquam à tali Doctore Doctus, ſemel & iterum Hieroſolymam aſcendit, vt interpretationem ſacrarum quas à Gamaliele didicerat Scripturarum, num ad præſcriptum veritatis Euangelicæ eſſet, cum regula Apoſtolica conferret: quæ ſciret, Petrum, *Dei Villicum, & Chriſti Vicarium* pro officio Paſtorali, *non ſinere Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipſe per Apoſtolos prædicabat; vt Tertullianus affirmabat.*

Pont. Rom. ſummus & primus poſſeſſor cuſtos & cognitor ſac. Script.

S. Paulus Hieroſolymam aſcendit pro interpretatione Scripturarũ à Petro habenda.

Petro ſuccedentes Pontifices, ſiue cum Concilijs tam Oecumenicis quam alijs credenda præſcriberent, ſiue cum controuerſias de rebus fidei ad ſe delatas definirent, ſiue cum conſulentibus reſponſa panderent, ſiue cum ſcripta quorumcunque Doctorum acerrima cenſura cognoſcerent aut notarent, ſiue cum Doctos pioſque viros ad commentandum inuitarent, aut eorum lucubrationes laudatas probataſq; bono publico Eccleſiæ vulgari permitterent, ſacræ Scripturæ interpretis officio fungebantur: vſque ad *Paulum V.* feliciter ſuperſtitem, ſi cui, huic præcipue curæ intentum: qui religione & doctrina viri præſtantes, radijs diuinioris lucis, eas quas aduerſarij cœlo ſacræ Scripturæ offuderunt tenebras, depellant: deinde, qui omnia ad multas vigilias à Scriptoribus Eccleſiaſticis in ſacram Scripturam elaborata; argentum igne examinatum, probatum terræ, ſcilicet, Vniuerſitati & communitati, purgatum ſeptuplum, in lucem prodeant: in hanc rem vnam vnicam, vniuerſis Chriſtifidelibus ſalutarem, olim ab Honorio III. ex Diui Dominici familia, Magiſtro ſacri Palatij inſtituto, ſcilicet Interprete Pontificio ſacrarum literarum, monente eodem Pontifice vigilantiſſimo *Paulo V.* ſuperſtite, incumbente. Ab hac auctoritate Pontificis Romani, vniuerſalis Eccleſiæ Antiſtitis, Auguſtinus, Eccleſiæ tribuebat interpretationem Scripturarum: Patres autem Tridentini iſtud ſaluberrimum ſanciebant: *Præterea, ad coercenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum ipſam ſacram Scripturam interpretari audeat, etiamſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent.*

Petri ſucceſſores S. Scr. interpretes.

contr. Creſcon. lib. 1. c. 30.

Patr. Trid: ſanctio contra petulantia ingenia. *ſeſſ. 4.*

CAPVT XXII.

Pontifex Romanus, Iudex Controuerſiarum de Fide.

NOn aliunde emerſerunt dogmata peruerſitatis, illaqueantia animas, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quæ in eis non bene intelliguntur, etiam temere & audacter aſſeritur: quemadmodum aſſerebat Auguſtinus. Ingenia de ſpiritalibus nequitiæ, cum quibus nobis eſt colluctatio, habent vim excogitandis inſtruendiſque erroribus: (vt Tertullianus cauſam aperiens dicebat,) non adeo mirandam quaſi difficilem & inexplicabilem, cum de ſæcularibus quoque Scripturis exemplum preſto ſit eiuſmodi facilitatis. Vis hodie ex Virgilio fabulam, in totum aliam, componi, materia ſecundum verſus, verſibus ſecundum materim concinnatis? Denique Ouidius Geta Medeam Tragædiam ex Vergilio pleniſſime expreſſit. Meus quidem propinquus ex eodem Poeta inter cætera ſtyli ſui otia Pinacem Cebetis explicuit. Homero centonas etiam vocare ſolent, qui de carminibus Homeri propria opera more centenario ex multis hinc inde compoſitis in vnum ſarciunt corpus. Et vtique fœcundior diuina literatura ad facultatem cuiuſcunque materiæ. Nec periclitor dicere, ipſas quoque Scripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent, cum legam, oportere hæreſes eſſe, quam ſine Scripturis eſſe non poſſent. Sed quæritur, à quo intellectus interpretetur, eorum quę ad hæreſes faciant? A diabolo ſcilicet cuius ſunt partes interuertendi veritatem, qui ipſas quoque res Sacramentorum diuinorum, in idolorum myſterijs æmulatur. Tinguit & ipſe quoſdam, vtique credentes & fideles ſuos expiationem delictorum de lauacro repromittit, & ſic adhuc initiat Mithræ: ſignat illic in frontibus milites ſuos: celebrat & panis oblationem; & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Quid? quæ & Summum Pontificem in vnis nuptijs ſtatuit? habet & virgines, habet & continentes? Cæterum ſi Numæ Pompilij ſuperſtitiones reuoluamus, ſi Sacerdotalia officia, inſignia, & priuilegia: ſi ſacrificalia miniſteria, & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum, ac piaculorum & votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſte diabolus moroſitatem illam Iudaicę legis imitatus eſt? Qui ergo ipſas res, de quibus Sacra-

Hæreſes ex Scripturis bonis non bene intellectis.

tract. 18. in Ioann.

præſcript. c. 39. 40

Verſutia diaboli in æmulandis rebus diuinorũ ſacramentorum.

cramenta Chriſti adminiſtrantur, tam æmnlanter affectauit exprimere in negotijs idololatriæ, vtique & idem, & eodem ingenio geſtijt, & potuit inſtrumenta quoque diuinarum rerum & ſanctorum Chriſtianorum, ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, profanæ & æmnlæ fidei attemperare. Et ideo, neque à diabolo immiſſa eſſe ſpiritalia nequitiæ, ex quibus etiam hæreſes veniunt, dubitare quis debet, neque ab idololatria diſtare hæteſes, quum & auctotis, & operis eiuſdem ſint, cuius & idololatria.

Hæretici à regulis ſuis inter ſe variantes.

Ab hoc omnium errorum ſeminatore, concinnatoreque, docti nouorum dogmatum cupidi, mitum non eſt, ſi bonas Scripturas non bene intelligant, & proinde temere & audacter in pugnam æque inrer ſe, atque in Eccleſiam eant. Mentior, cum eodem Tertulliano, ſi non etiam à regulis ſuis variant inter ſe, dum vnuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulantur quam accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille qui tradidit. Agnoſcit naturam ſuam, & originis ſuæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio ſuo fidem innouare, denique penitus inſpectæ hæreſes omnes in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur: neque id mirum, ſi ex ſacræ Scripturæ inſtrumento captentur argumenta, quum oporteat hæreſes eſſe, quæ eſſe non poſſent, ſi non & perperam Scripturæ intelligi poſſent, vt alibi idem oſtendebat.

lib. de reſur rect. carnis c.40.

Paria eum Auguſtino & Tertulliano, D. Hieronymus ſentiebat, maxime ſi quis ſine Doctore ad Scripturarum intelligentiam, quæ & nunc paſſim fit, acceſſerit. Taceo enim de Grammaticis, Rhetoribus, Philoſophis, Geometris, Dialecticis, Muſicis, Aſtronomis, Aſtrologis, medicis, quorum ſcientia mortalibus vel vtiliſſima eſt; agricolæ, cæmentarij, fabri metallorum, lignorumque cæſores, lanarij quoque & fullones, & ceteri qui variam ſupellectilem & vilia opuſcula fabricantur, abſque doctore eſſe non poſſunt, quæ cupiunt.

Omnes interpretari Scripturas hodie præſumunt.

Quod medicorum eſt, promittunt medici, tractanr fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vendicant. Scribimus indocti, doctique poemata paſſim. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumũt, lacerant, docent antequã diſcant. Alij adducto ſupercilio, grandia verba trutinantes inter mulierculas de ſacris litetis philoſophantur. Alij, pro pudor, diſcunt à fœminis, quæ viros doceane, & ne parum hoc ſit, quadã facilitate verborum. Imo audacia, ediſſerunt alijs quę ipſi non intelligũt.

Taceo de mei ſimilibus, qui ſi forte ad Scripturas ſanctas poſt ſæculares literas venerint, & ſermone compoſito aures populi mulſerint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant: nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint; ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam trahere Scripturam repugnantem. Myſterium olim S. Scriptura ſuerat, nunc primum, (conquerebatur Gregorius) apud nos etiam opificibus effuſa ſunt arcana Theologiæ: atque ita omnes inhiant ratiocinatiunculis & ſermonibus ſyllogiſticis, vt herbæ & paſcuis armenta. Et illi, qui de recta fide ambigui ſunt, & qui nec quomodo credendum ſit ſciunt, nec quid illud quod credere ſe dicunt: illi, inquam, & fora, & porticus, & theatra omnia Theologica compleuerunt: neque Solem hunc teſtem facere impudentiæ ſuæ reuerentur.

Apud Gentiles arcana quædam ſolis Delforũ Theologis commiſſa.

Quomodo autem non ſit abſurdiſſimum, olim quidem, cum florerent Gentilium dogmata, ordinem aliquem fuiſſe: & arcana quæ Delforum Theologis commiſſa erant, nulli alii vel edicere, vel indagare licuiſſe, ſiue is Plato, ſiue Socrates, aut alius ſapientia celebris fuiſſet: apud nos vero, qui purum pietatis myſterium profitemur, ita profanari res diuinas, & omnibus qui de Theologia dicere volunt, id licere ſuopte arbitrio & ſuffragio. Non mirum, ſi ab hac licentia S. Scripturam tractandi, præſertim vbi à ſubula ſutor, ab acu ſartor, à furno piſtor, ab incude faber, ab ouillo vel bubulo iugulo lanius, ab antennis nauta, à ſaliua, & colo mulier, vel quod deterius à calenti ſubatione proſtituta, ad interpretationem ſeſe attollentes, pugnantes, aduerſanteſque ſenſus iugulantes ipſam illam Scripturam educantur: tot vrgentiſſimis concurrentibus cauſis, ſcilicet, opera ſpiritus maligni, qui amat eſſe mendax in ore & in ſtylo nouatorum: temeritate & arrogantia prophanorum, quibus luſus eſt auitam Patrum pietatem contemnere, prophanaſque vocum nouitates excogitare: ſuperbia & proteruа obſtinatione ſeductorum, quibus ſolemne eſt, traditam à miniſtellis impietatem, appoſita alia recens inuenta ſtropha cumulare: præcipiti deſiderio non nullius ex vulgo, qui audent abyſſum altiſſimam ſine ductore pertentare, & turbidam ſine procillatore epotare:

Hæreticorũ mira audacia.

communi vitio effrenium, quibus volupe, ſagenæ ſuæ immolare, videlicet, quæ necdum edormita crapula male ſomniauerant, perdendiſque animabus commenti ſunt, pro oraculo adorare: diabolica audacia fere omnium Eccleſiæ rebellium, quibus nihil eſt ſacras Scripturas, velut naſum cereum, quoquo voluerint detorquere, atque ad ſingula mendacia, & damnatas fallacias, *ſcriptum eſt*, conclamare: ab exemplo illius, qui non ſemel, ſed ter, *ſcriptum eſt* Chriſto proponens, laqueum pedibus Saluatoris nectebat, ſi forte is bonas Scripturas, non bene intellexiſſet.

S. Scriptura abyſſus multa.

Itaq; cum S. Scriptura ſit abyſſus multa, omniũ difficillima: & non aliunde emergant dogmata, quam ſi bona non bene intelligatur: & in tanta varietate Nouatorũ, inter ſe etiam depugnantium, non nemo Scripturarum veritatem pro ſe ſtare affirmat: & in tam innumerabili turba interpretum, quanquam pugnantes ſententias & abſurdas, omnes tamen illas, hoc ſacro ſigillo, *ſcriptum eſt*, omnes obſignare pergunt, atque adeo de veritate interpretationis Scripturę colluctantur; euidentiſſimum eſt, Sacram Scripturam non eſſe, neque poſſe eſſe iudicem Controuerſiarum de fide: maxime, quia illa varios ſenſus recipit, neque dicit, hic verus, hic falſus ſenſus: deinde illa ipſa, quantumuis cum aliis locis conferas, neminem cogere poteſt, ad huic & non alteri ſenſui aſſentiendum; ac potius eſt regula ſecundum quam debet pronunciare de re controuerſa.

1.
S. Scriptura non eſt neq; poteſt eſſe Iudex controuerſiarũ de fide.

Satis clariſſima ſunt verba illa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, hic calix ſanguinis mei:* Tamen de veritate corporis, & ſanguinis Chriſti controuer-

ſiam,

Controuerſia inter Lutheranos & Sacramentarios.

ſiam, inter Lutheranos, & Sacramentarios exortam, nondum diremerunt, his aduerſus illos varijs interpretationibus pugnantibus. Neque minus clara, quæ Moyſes de paradiſo ſcripſit: non tamen controuerſiam in mente Origenis exortam decernere voluerunt, quin ille, omnia quæ erant ſimpliciter intelligenda acciperet figurate, & hiſtoriæ auferret veritatem: dum arborum nomine Angelos, fluminum virtutes cœleſtes, tunicarum corpora, in-

Origenis errores.

terpretatur. Reliqua prætereo, ad literam ipſam meram meram, meridiano Sole illuſtriora: de quibus tamen aduerſarij controuerſiam tum inter ſe, tum contra Eccleſiam mouent: clarumque id faciunt, Scripturam non eſſe iudicem Scripturarum, cum & nemo ſit ſui iudex, & illa non bene intellecta ſit de qua diſceptetur: non autem quæ de vero ſenſu ſententiam ferat.

2.
Spiritus priuatus non poteſt eſſe Iudex controuerſiarũ de fide.

Non etiam ſpiritus priuatus, Iudex Controuerſiarum. Fides Catholica iuris publici eſt, non priuati: quemadmodum Auguſtinus Deum alloquens fatebatur: *Veritas tua, ait, nec mea eſt, nec illius, aut illius, ſed omnium noſtrum, quos ad eius communionem vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere pri-*

11. *Confeſſ.* c. 25.

uatam, ne priuemur ea, Nam quiſquis id, quod tu omnibus fruendum proponis ſibi proprie vendicat, & ſuum vult eſſe, quod omnium eſt, à communi propellitur ad ſua, hoc eſt, à veritate ad mendacium. Qui enim mendacium loquitur. Itaque, ſicut nemo ſibi priuatim fidem fingit, niſi hæreticus eſſe velit: ſic neque iudicium ſibi de rebus ad fidem ſpectantibus arrogare aut præſumere poteſt: pręſertim cum hominis priuati

Orat. contra Arian.
Dæmon omnium hæreſum parens.
2. *Cor.* 11.

ſenſus facile decipiantur, vel à dæmone, vel à dęmonis miniſtris. Veriſſime namque Magnus Athanaſius denunciauit: *Dæmon omnium hæreſum parens, nomen Saluatoris profitetur, Scripturarumque dictionibus amicitur, & verba, quidem profert, veram tamen inde ſententiam ſuffuratur, ac deinde intellectu, quem ipſe confinxit dolis innumbrato, erroneorum homicida efficitur.*

S. Paul. in ſpiritum priuatũ deceptorum.

Veriſſime, & Paulus Apoſtolus, in ſpiritum priuatum deceptorum ſcripſit: *Pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti: & non mirum: ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis, non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ*: nihil aliud ſonantes quam fidem ſinceram, quam Scripturam: ob

contra Luciferianos, & in c. 1. ad Galat.

liti illius aurei Hieronymiani: *Nec ſibi blandiantur ſi de Scripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt, cum & diabolus aliqua de Scripturis ſit locutus, & Scripturæ non in legenda conſiſtant, ſed intelligenda: alioqui, ſi literam ſequimur, poſſumus, & nos quoque nouum nobis dogma compauere, vt aſſeramus in Eccleſia non recipiendos, qui calceati ſunt. vel duas tunicas habent. Non eſt putandum, in verbis Scripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medulla: non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis.*

Euangeliũ non in verbis Scripturarum ſed in ſenſu.

Ab hac facilitate, fallere, & falli ſolentium, cũ quiſq; pro certa veritate affirmet, id, quod, vel à dæmone, vel à dæmonis miniſtro accepit, vel & à propria præſumptione ſibi finxit, aut alijs tradidit, atq; inde inter priuatos naſcantur hæreſes, & iurgia, cum alter quidem has nõ recipiat Scripturas, alter illas: deinde nonnemo ſibi licere putat, quod ſeductori; vnde etiam ſe magis putat à Deo illuſtratum quam alterum, vel ſibi quidem radium veritatis certo illuxiſſe, alterum vero in cæca caligine verſari: & Caluinus quidem Lutherum, Lutherus Caluinum, vtrumque Menno, hunc vterque, iſtos vero, & omnes alios nouitius aliquis condemnet: clarum eſt, neminem priuatum

Hæretici ſe mutuo damnant.

poſſe eſſe iudicem fidei Cõtrouerſiarum: quod iudicium de rebus fidei publicæ ſit auctoritatis quia fides, & veritas eſt iuris publici, quod priuatis non certo adeſt ſpiritus iudicij, quam adeſt cum auctoritate judicanti: quod priuatus nonnemo, & decipi, & decipere ſolens, quod priuatus ſpiritus, radix eſt hæreſis, & ſchiſmatis, quod rudes, & ignari ſunt multo plures, qui neſciunt rationem reddere poſcenti, quod indignum eſſet, vniuerſam Eccleſiam pendere, à ſenſu erroneo cuiuſcumque priuati, quod, qua ratione hæretici contemnunt decreta fidei, à Pontifice Romano, vel Concilis Oecumenicis ſancita, magis riderent, quemadmodum, & rident, & execrantur priuatorum commenta: quodque tot eſſent in Eccleſia fides, quot voluntates, quot fides, tot ſchiſmata, & ad extremum, Chriſtiani ſine fide, arena ſine calce. Vidit hoc Auguſtinus in Manichæis, & quia iudicem Controuerſiarum ſe vnuſquiſque ex illis ſtatuebat, exprobrauit, quod *id agerent, vt è medio tollatur diuina authoritas, vt ſuus vnicuique animus author ſit, quid in vnaquaque re, aut probet, aut improbet.* Vidit, & Hieronymus, atque prænunciauit: *Si non ſit in Eccleſia vna eminens poteſtas, quæ de rebus controuerſis ſententiam ferat, tot futura ſunt ſchiſmata, quot Sacerdotes*: addo, quot cerdones, quot ſutores, quot lanij, quot latrones, quot famoſi, quot ſicarij, quot carnifices, quot lurcones, quot epicuri de grege porci, quot proſtibula, quot ſubuerſores, quot homines. Vnus erat Lutherus, qui ſibi iudicium controuerſiarum arrogabat: attamen ab eius ſubſellijs, Oſiandrini, Stancariani, Maioriſtæ, Flacciani, Synergiſtæ, Adiaphoriſtæ, Vbiquetarij, Subſtantiarij, Accidentarij, Antimonij. Vnus Caluinus, qui ſe iudicem incorruptum indigerabat. Ab eius tamen cortina, Puritani, Caluinopapiſtæ, Baroniſtæ, Anglocaluiniſtæ, Huguotici, Familiares, Clancularij, Politici, Cauſarij. Vnus Menno, qui etiam ſpiritu iudicij turgebat: Cadmęam tamen ſobolem fœcundus portentorum parens, poſt ſe reliquit: dum quiſque licere ſibi putauit, quod ſuo auctori deſertori.

Iudicium de rebus fidei eſt publicæ auctoritatis.

Si priuatum iudicium ſequêdum eſſet forent in Eccleſia fides quot voluntates.

Lib. 22. *cont. Fauſt. c.* 36.
cont. Luciferian.

3.
Nullus Principum Iudex controuerſiarum de fide;

Non etiam aliquis Principum ſæculi, iudex Controuerſiarum de fide. Quamuis enim vna ſit reſpublica Chriſtiana, in quam non tantum Sacerdotes Domini, ſed & Principatus, & Poteſtates, & populi, fide, & communione ſanctorum coniuncti, ſtatim à ſacro fonte concorporantur: atque inter populum vniuerſum, Optimates, & Capita populorum, Imperator, Reges, & Principes cum poteſtate emineant: Deus tamen, quid Sacerdoti, quid Principi incumberet diſcreuit: dum Sacerdoti cuſtodiam ſcientiæ Diuinæ, huic autem regimen terrenorum commiſit: adeoque illum Controuerſijs dę fide, & religione præpoſuit, hunc vero iudicijs ſæcularibus, & curæ temporalium impoſuit. Vidit Ioſaphat Rex optimus, iuxta, & iuris retinentiſſimus, atque pronunciauit: Ad Sacerdotes quidem: *Omnem*

2. *Paralip.* 18. & 35.

cauſam

Probatur ex emplis Ioſaphat, & Ioſiæ Regum.

cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in Vrbibus ſuis, inter cognationem & cognationem, vbicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in Dominum. Amarius autem Sacerdos, & Pontifex veſter, in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porro Zabadius filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Vidit, & Ioſias Rex ſanctiſſimus, & in volumen legis, quod Summus Sacerdos Helcias repererat, non ſibi cognitionem vſurpauit: ſed à Summo Pontifice cum auctoritate recognitum, ſubmiſſe accepit, non tamen legit, ſed Saphan ſcribam ab Helcia miſſum recitantem audiuit: ac tunc demum in defenſionem iuris diuini, à monitione Pontificia armatus, vt fœdus cum Domino percuſſum, ab vniuerſis ſeruaretur, ipſe legens recitando præiuit: non tamen iudicium ſibi de rebus ad fidem ſpectantibus arrogauit. Vidit, & Aurelianus, quamuis Ethnicus Imperator, & quæſtionem inter Catholicos, & Paulum Samoſatenum, de domo Eccleſiæ, in qua ſinguli dogmata ſua vulgarent, à ſuo tribunali, ad Pontificis Romani, quem ſciebat eſſe iudicem omnium Chriſtianitatis controuerſiarum, ſubſellia reiecit. Vidit, & hac vel ſola de cauſa Magnus Conſtantinus, & Magno Patrum Nicænorum cœtui, vltimo, & ſcabello humiliore aſſidens, Sylueſtri Pontificis Romani Legatis, & Patribus, iudicium de controuerſijs fidei permiſit: iſtudq; omnibus Eccleſijs, de Concilij decretis, ſcripſit: *libentibus animis hoc decretum Concilij, tanquam donum Dei, & mandatum venerandum cœlitus demiſſum amplectamini. Nam quicquid in ſanctis Epiſcoporum Concilijs decernitur, id vniuerſum diuinæ voluntati debet attribui.* Vidit, & Gratianus Imperator, atque de fide Nicæna altercantes nonnullos Epiſcopos, audire noluit: *neque iniuriam facere Sacerdotibus ſuſtinuit: ſed ipſos interpretes conſtituit Epiſcopos:* ex qua re, non minimam laudem ſibi acceſſiſſe exiſtimans, Epiſcopo Aquilegienſi epiſtolam ſcripſit, quæ Ambroſio viſa digniſſima, vt in Concilio Aquileienſ. recitaretur, vel propter iſtud ſingulare, & vere Imperatorium: *Neque controuerſiæ dubiæ ſententiæ rectius poterunt expediri, quam ſi obortæ altercationis iudicium, in interpretes ipſos conſtituiſſemus Antiſtites: vt videlicet, à quibus proficiſcuntur inſtituta doctrinæ, ab eiſdem diſcordia eruditionis repugnantia ſolueretur.* Vidit, & Theodoſius Iunior Imperator, atq; Patribus Epheſinis, cur ad magnum Concilium Epheſinum, Comitem Candidianum mitteret, ſignificauit; ſcilicet. *In nullo, quæ facienda ſunt de pijs dogmatibus quæſtiones communicare. Illicitum namque eſt, eum qui non ſit ex ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Vidit, & Marcianus, & Pulcheria cum eo: neque quicquam, Leonis Magni Pontificis Romani auctoritati, in rebus fidei detrahi permiſit; ſed ipſius, & Patrum Chalcedonenſium ſcita, in controuerſia Eutychianorum laudauit, illo memorabili dicto: *Iniuriam facit iudicio reuerendiſſimæ Synodi, qui ſemel iudicata reuoluere & diſputare contendat.* Vidit, & Valentinianus ſenior, atque rogatus à nonnullis, vt ad quędam fidei dogmata definienda ſynodum congregaret, reſpondit: *Mihi vero qui ſum in ſorte plebis, fas non eſt talia curioſius perſcrutari: Sacerdotes, quibus iſta curæ ſunt, inter ſeipſos, quocunque voluerint loco, conueniant, & decernant.* Paria huic Baſilius Imperator in Octaua œcumenica Synodo laicis loquebatur. *De vobis autem laicis*, inquit, *tam qui in dignitatibus, quam qui abſolute verſamini, quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere: neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & vniuerſali Synodo aduerſari. Hæc enim inueſtigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt; qui ſanctificandi, qui loquendi, & ligandi poteſtatem habent: qui Eccleſiaſticas adepti ſunt claues: non noſtrum qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamento ſolui egemus.* Reſpexit Baſilius, ad illud quod aliquando Eulogius Preſbyter Modeſto Præfecto, illud ad aſſentiendum errori Imperatoris inuitanti falſe reſpondit: *Nunquid cum Imperio eſt etiam Sacerdotij dignitatem conſecutus? At qui ego habeo Paſtorem, cuius nutum ſequar*, ſcilicet, aliud eſſe Imperatoris, aliud Sacerdotum munus innuebat, & hos quidem ad fidem docendam, illos ad rempub. tuendam datos eſſe. Acrius, Conſtantio, Oſius Cordubenſis dixit: *Nobis in Eccleſiaſticis ne præcipe, ſed ea potius à nobis diſce.* Recte, recte. Namque longe veriſſimum eſt illud quod aliquando eidem Imperatori Conſtantio, iudicium ſibi de controuerſijs fidei in Concilijs vſurpanti, Magnus Athanaſius intrepide dixit: *Numquam à condito æuo auditum eſt, quod iudicium Eccleſia auctoritatem ſuam ab Imperatore acceperit, aut hoc pro iudicio agnitum ſit. Plurima autem Synodi fuere: multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt. Sed neque Patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit. Nemo videns in decernendo Imperatorem, Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non merito dicat, eum illam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt.* Æquale eſt huic, quod Ambroſius, Imperatori Valentiniano Iuniori, ab Arianis deprauato, de rebus fidei iudicare volenti, libertate Sacerdotali ſcripſit: *Nemo, qui vel Scripturarum ſeriem diuinarum, vel veterum tempora retractauerit, abnuat, in cauſa fidei, in cauſa inquam fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, id eſt, de fide eorum, non Imperatores de Epiſcopis, id eſt, eorum fide iudicare. Eris, Deo fauente, etiam ſenectutis maturitate prouectior, & tunc de hoc cenſebis, qualis Epiſcopus ſit, qui laicis ius Sacerdotale ſubſternit. Pater tuus vir maturioris æui dicebat: Non eſt meum iudicare inter Epiſcopos: tua nunc dicit Clementia: Ego debeo iudicare? Si conferendum eſt de fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio: ſicut factum eſt ſub Conſtantino Auguſtæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit iudicium Sacerdotibus. Factum eſt etiam ſub Conſtantio Auguſtæ memoriæ Imperatore, paternæ dignitatis hærede. Sed quod bene cœpit, aliter conſummatum eſt. Nam Epiſcopi primo ſinceram ſcripſerant fidem: ſed dum volunt quidam de fide intra palatium iudicare, id egerunt, vt circumſcriptionibus illa Epiſcoporum iudicia mutarentur.* Factum etiam tunc, quod Ambroſius dicebat, Liberius enim Pontifex Romanus, de fide Imperatoris iudicauit, cum fidem Ariminenſem,

Aurel. Imp. ethnicus controuerſiam inter Catholicos & Paulum Samoſat. ad Pont. Ro. reiecit. *Euſeb. lib. 7. hiſt. c. 26.*

Euſeb. lib. 3. de vita Conſtantini. Conſtantin. Patribus Nicænis iudicium de controuerſijs fidei permittit. Gratianus Imp. *in act. Concilij Aquileienſ.*

Theodoſ. Iun. Imp.

Marcianus & Pulcheria Impp.

Sozom. lib. 6. hiſt. c. 7. Valentinianus Sen. Imp.

Baſil. Imp.

Athanaſ. Imp. Conſtantino iudicium de controuerſijs fidei vſurpanti. *ep. ad ſolit. vitam agent.*

Baſil. Imp. Valentin. idem faciēti *epiſt. 32. vide etiam caput 25. vbi paria in Gregorio II. & Leone III. & Paſchale. ann. 814. 822.*

nenſem, Seleucienſem, Antiochenam, & alias Imperatoris iuſſu ſcriptas formulas examinauit, & reprobauit: quemadmodum etiam ſuccedentibus ſæculis, Zenonis *Enoticum*, Simplicius, & Felix: & Anaſtaſij *variantes regulas*, Gelaſius, Symmachius, Hormiſda; & Iuſtiniani *anathematiſmos* Vigilius, & Mauritij *Conſtituta* Gregorius; & Heraclij *ecthesin* Seuerinus, Ioannes IV. Theodorus, & Conſtantis *typum*, Martinus, & Vitalianus, & aliorum Imperatorum *aduerſa commenta*, diuerſi Pontifices, iudicarunt. Illuſtre eſt, quod Conſtanti Imperatori Monothelitæ, Sanctus Maximus Abbas aliquando dixit. Obiiciebant viro, quaſi dixiſſet, *nefas eſſe, nec rationi conſentaneum, Regem Sacerdotem appellari*. Ad hoc reſpondens, illud nec ſe dixiſſe, nec ſui diſcipuli eſſe aſſeruit: Sed *hoc tamen verum eſſe affirmauit: quia definire de dogmatibus, & quærere, Sacerdotum magis eſſet quam Regum, quoniam Sacerdotibus conceſſum eſt, & vngere, & manus imponere, & panem cœleſtem offerre, & altari aſſiſtere, & quæcunque alia agere quæ diuiniora ſunt; Sacramentaq; ſubilimiora habent*.

Gelaſius Anaſt. Imp. ep. 10.

Nec minus illuſtre eſt, quod Papa Gelaſius Anaſtaſio libere ſcribebat: *Duo ſunt*, inquit, *Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas: in quibus tanto grauius eſt pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus Domino, in diuino reddituri ſunt examine rationem. Noſti enim, fili clementiſſime, quod licet præſideas humano generi dignitate, rerum tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis, inq; ſumendis cœleſtibus Sacramentis, eiſque vt competit diſponendis, ſubdi te debere cognoſcis religionis ordine, potius quam præeſſe. Noſti itaque inter hæc, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Et ſi cunctis generaliter Sacerdotibus recte diuina tractantibus fidelium conuenit corda ſubmitti: quanto potius Sedis illius præſuli conſenſus eſt adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus, & diuinitas ſumma voluit præeminere, & ſubſequens Eccleſia generalis iugiter pietas celebrauit*, ſcilicet tanquam verum ſupremum iudicem fidei controuerſiarum, cui Chriſtus dedit claues ligandi, & ſoluendi, omnia quod impedimento forent conſequendo regno cœlorum: inter quod obſtantia primum locum obtinent fidem interuertentes, & Eccleſiam vniuerſam perturbantes controuerſiæ de fide, quæ fundamentum, & baſis ſalutis. Hunc etiam cum omnium ouium Paſtorem inſtitueret, omnibuſque agnis, & ouibus proponeret, volebat, vt gregem vniuerſum Chriſtianum paſceret ſcientia, & doctrina in iudicio quemadmodum, & ipſe viuens in terris paſcebat, & tales Paſtores iuxta cor ſuum ſe daturos Eccleſiæ pollicebatur: qui nutantia in rebus fidei fratrum corda fide ſua indeficienti confirmarent, & iudicio acri, ſi quid dubietatis, vel quæſtionis emerſerit, decernerent: non minus

Matth. 18.

quod olim Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus Domini, & poſt eos Summi Pontifices, ſub tanta diſtrictione diuina iudicabant, vt quam ſuperbijſſet nolens obedire Sacerdotis Imperio, ex decreto iudicis moreretur: quemadmodum, & à Chriſti inſtitutione, *ſi quis Eccleſiam*, ſcilicet eius ſupremum Caput, in iniurijs Deo, & Eccleſiæ, ab hæreſi, & turbulenta diſceptatione illatis decernentem, non audierit, ſit velut ethnicus, & publicanus.

Petrus iudicauit in Cõc. Hieroſolymit.

Act. 15.

Galat. 2.

Iudicauit Petrus, in Concilio Hieroſolymitano, controuerſiam de obſeruatione legalium, atque pro auctoritate decreuit. Cumque ad eum Paulus, & Barnabas, vt cum eo Euangelium conferrent, & recens exortas inter fideles controuerſias illi proponerent, Hieroſolymam aſcendiſſent; ille quod ex re fuerat iudicauit. Niſi enim *eius prædicatio à Petro cognita confirmataque fuiſſet, Eccleſia Paulo non credidiſſet*, vt Tertullianus, Auguſtinus, & Hieronymus affirmant.

Rom. Pont. iudicarunt controuerſias de fide

lib 4. cont. Marcionem. lib 28. cont. Fauſtum c. 4. epiſt. 89.

Petro ſuccedentes Pontifices, ſuis temporibus exortas controuerſias de fide, iudicarunt. Victor & Pius, de celebratione Paſchatis: cum S. Irenæus decerneret, *Ad Romanam Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem neceſſe eſſe omnem conuenire Eccleſiam*. Stephanus, & Xyſtus, de non rebaptizandis hæreticis, cum ad illum Dionyſius Alexandrinus, & omnes Africanæ Eccleſiæ negotium detuliſſent, Fabianus & Cornelius de recipiendis lapſis: cum illos Numidæ, Mauritani, & Lybij conſulerent: idque tum ad Sacerdotalem authoritatem, tum ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem pertinere iudicaret Cyprianus: qui etiam pronunciabat: *Non aliunde hæreſes obortas eſſe, aut nata ſchiſmata, quam inde, quia Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec VNVS in ECCLESIA ad tempus SACERDOS, & ad tempus IVDEX VICE CHRISTI cogitatur: cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret Fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum Sacerdotum Collegium quitquam moueret*. Vnum Sacerdotem in vniuerſa Eccleſia, & vnum Iudicem ad tempus vice Chriſti fungentem, deque vniuerſo Sacerdotum collegio pronunciantem Romanum Pontificem Cyprianus indicabat, aſpectu ad illud diuinum Deuteronomij de ſummo Sacerdote, & iudice, etiam in Catholica Chriſtianorum Eccleſia ſancitum. Enimuero, ſicut *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & Eccleſia vna*, aiebat idem Cyprianus, ita *& Cathedra vna ſupra Petram Domini voce fundata*, & Sacerdos vnus ac Iudex pro tempore ſupremus; de quo etiam Auguſtinus à Cypriano edoctus pronunciabat: *In illum ordinem Epiſcoporum*, inquit, *qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prouidens ait de præpoſitis malis: Quæ dicunt, facit; quæ faciunt facere nolite*. De cathedra Moyſi vnica loquutus Dominus vnicam Petri Cathedram, & vnum ſummum Pontificem ac Iudicem vniuerſalis Eccleſiæ iudicabat quem omnibus de fide, & religione controuerſijs iudicandis præponebat. Audebat edicere Cyprianus; *Qui PETRI CATHEDRAM deſerit in ECCLESIA non eſt*; non minus, *quam qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis moriatur*. Doctus à Cypriano Hieronymus, eadem quæ ille de Cathedra Petri, in controuerſia de tribus hypoſtaſibus dicendis, vel reticendis, Damaſo ſupremo Iudici deferebat, neque alium præter Romanum Pontificem, Controuerſiarum Iudicem, Agnoſcebat: *Cum Succeſſore piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt, Cathedræ*

epiſt. 55.

epiſt 25. epiſt. 165.

Malus Pont non præiudicat Eccl. ſiæ & innocentibus Chriſtianis.

lib. de vnit. Eccl.

S. Hieron. de Petri Cathedra.

thedræ Petri communione conſocior. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, ſi quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Qui tecum non colligit ſpargit: qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Si rectum putatis, tres hypoſtaſes cum ſuis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Ita Hieronymus de Petri Cathedra, cuius præparatio iuſtitia atque iudicium.

Recenſentur diuerſæ controuerſiæ quarum Iudices Rom. Pont.

Ex hac Petri Cathedra, veteres Pontifices indicarunt res de Fidè controuerſas, à quamplurimis aduerſarijs excitatas, Marcus, Syluest. Iulius, Liber. Felix quas Ariani, quas Damaſus, Maced. & alij; Cæleſtinus, Neſtorij, Cæleſtij atque Pelagij; Leo Euthychetis, Dioſchori, & aliorum; Vigilius, Theodori Mopſueſteni, Ibæ, Theodoreti, & Origeniſtarum; Agapetus Africanorum; Honorius; Theodor. Martinus, Donus, Agathon, Monothelitarum; Hadrianus, & plurimi eius anteceſſores Iconoclaſtarum; Nicolaus I. & Hadrianus Photianorum; Leo X. Sacramentariorum: Greg. VII. Henricianorum, Nicolaitarum, & Simonianorum; Innocentius II. Petrobruſianorum, Innocentius III. Albigenſium, Valdenſium, & Patarenorum, Honorius III. Greg. IX. Innocentius III. nouorum Manichæorum: Greg. IX. Innocentius IV. nouorum Manichæorum: Greg. X. Clemens VI. Innocentius VI. & Eugenius IV. Græcorum; Clemens V. Templariorum: Benedictus XII. eorum qui præmio viſionis Diuinæ eſſentiæ, animas pie vita functorum, ante diem reſurrectionis priuas eſſe, affirmabant: & alij, aliorum, alias de rebus fidei ortas quæſtiones, cum ſuprema poteſtate cognoſcebant, iudicabantq; cum ad eorum Cathedram, tamquam ad *matricem, & radicem Eccleſiarum*, vt Cyprianus, vel, vt *ad matrem, & Caput Eccleſiarum*, quod Athanaſius, & omnes Ægyptij Epiſcopi, vel tanquam in ſolem, in POTESTATEM ROMANORVM PONTIFICVM, ex qua lumen Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei reciperent quod Maximianus Conſtantinopolitanus fatebatur aſpiciebant. Ad eundem ſolem aſpexerunt, & Orthodoxi, dum citra præiudicium fidei, de rebus ad fidem pertinentibus, pugnas inter ſe cierent; ſiue dum de adoratione Sanguinis Chriſti, Pio ſecundo audiente, ſiue de efficacia gratiæ diuinæ, & de momento infuſionis eiuſdem gratiæ in animam Diuæ Deiparentis conceptæ, coram Sixto IV. & nunc primum coram Clemente VIII. & PAVLO V. eruendæ veritati diſceptarent.

Congregatio de auxilijs nuncupat. ſub Clemente VIII. & S. D. N. Paulo V. & Vnde occaſio controuerſiæ.

De efficacia gratiæ controuertendi occaſionem ſumpſerant Theologi à canone Conc. Trident. cuius hæc ſunt verba: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, & præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; paſſiuè ſe habere, anathema ſit*. Diſceptabant; 1. Nam liberum hominis arbitrium, à Deo excitandum, & mouendum habeat neceſſe prænio Dei influxu quo ad operationem moueatur, & determinetur; vt vere dicere poſſimus Deó, & confiteri cum Iſaia Propheta; *Omnia opera noſtra operatus es in nobis*: an ſufficiat auxilium gratiæ ſimul cum voluntate conſpirans ad operationem virtutis

ſeſſ 6 can 4.
Dubium I.

contra illud Cæleſtini I. Papæ Gall. Epiſcopis reſpondentis: *Ita Deus operatur IN cordibus hominum atque IN ipſum liberum arbitrium, vt ſancta cogitatio, pium conſilium omniſque bonus motus voluntatis ex Deo ſit*, & contra illud Cathechiſmi Romani, iuſſu Conc. Trid. editi, in quo aſſeritur. *Non ſolum autem, Deus, vniuerſa quæ ſunt; prouidentia ſua tuetur atque adminiſtrat, verum etiam quod mouentur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, vt quamuis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præueniat tamen, cum eius occultiſſima vis ad ſingula pertineat: & quemadmodum ſapiens teſtatur: attingat à fine vſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuauiter. Quare ab Apoſtolo dictum eſt, cum apud Athenienſes annunciaret Deum quem ignorantes colebant: non longe eſt ab vnoquoque noſtrum: in ipſa enim viuimus, mouemur, & ſumus*, & contra illud S. Aug. *Præuenit miſericordiſſima gratia ſua Deus; hominis ignorantis, & nondum ſe quærentis voluntatem liberi arbitrij, vt eum ſe ſcire, & quærere faciat*. Secundo, quærebant: Num præuium illud auxilium, quo Deus liberum arbitrium excitat, & mouet, indeterminate, & indifferenter (vt illi loquuntur,) an vero definite ad opus iſtud excitet, & moueat; vt dicere poſſimus cum Mardocheo: *& non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ ſi decreueris ſaluare Iſrael*, & cum Dauide: *Omnia quæcumque voluit, fecit*, & cum Iſaia: *Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? & manus eius extenſa: & quis auertet eam?* & cum Salomone? *Cor Regis in manu Domini, ſicut diuiſiones aquarum, quocunque voluerit, vertet illud*, & cum Diuo Paulo: *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*, & cum Dionyſio Areopagita dicere: *Exemplaria eſſe in Deo, exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingulariter præexiſtentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & diuinas, & bonas voluntates, exiſtentium prædeterminatiuas, & effectiuas, ſecundum quas ſubſtantialis eſſentia omnia prædeſtinauit, & produxit*. Tertio, diſcutiendum proponebant: Num vis fiat libero arbitrio, efficaci auxilio a Deo excitato, & ad operationem moto, vt illud mere paſſiue ſe habeat velut quoddam inanime, quemadmodum Caluinus, & Lutherus, ex illo antecedenti principio Catholico male inferebant; an vero ſuauiter iuxta modum voluntatis illud Deus excitet, & moueat, vt & cooperari poſſit aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, & poſſit ſi velit diſſentire, quemadmodum Patres Tridentini aſſerebant: iuxta illud quod Auguſtinus olim pronunciauerat: *Intelligant, qui filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, vt quod agendum eſt agant: & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant, aguntur enim, vt agant, non vt ipſi nihil agant*, & alibi: *Certum eſt, nos velle, cum volumus; ſed ille facit, vt velimus bonum. Certum eſt nos facere, cum facimus: ſed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit; Faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis. Cum dicit, Faciam, vt faciatis; quid aliud dicit, niſi: Auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis: & dabo cor carneum, vnde faciatis*, & alio capite. *Voluntas humana Dei gratia non tollitur, ſed ex mala mutatur in bonam, & cum*

bona

epiſt. c. 1. in 1. ſymboli artic.

Dubium II.
lib. 3. hypognoſticon.

Iſai 14
Prou. 21.
Epheſ 2.
c. 5. de diuinis nominibus.

Dubium III.

lib. de correptione & gratia c. 2. lib. de gratia & lib. arb. c. 16. & 19.

bona fuerit, adiuuatur, & alibi. *Trahitur, miris modis ab illo, qui nouit intus in ipſis cordibus hominum operari; non vt homines (quod fieri non poteſt) nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant.* Cæteras quæſtiones, à Theologis vtriuſque partis propoſitas prætereo: quarum illi ſolutionem à PAVLO QVINTO, Claues ſoluendi, & decernendi, expectant non minus, quam de hac altera controuerſia. Quo momento Deus gratiam, animæ Deiparentis conceptæ infuderit, num ante, num poſt Conceptionem. Concludo cum Melchiore Cano, id quod hactenus tenuit ac credidit conſenſus Patrum Peincipum, & Populorum, *Pontificem Romanum eſſe iudicem Controuerſiarum de Fide.* Ad eum modum argumentabatur ille: Si legum Chriſti interpres nullus ſanior eſt, quam perpetuus Eccleſiæ vſus; Eccleſia vero in Fidei Religioniſque quæſtione, ac cæteris grauiſſimis controuerſijs, non ad Antiochenum, Alexandrinum, Conſtantinopolitanum Epheſinum, Mediolanenſem, Pariſionenſem, Colonienſem, Toletanum, aut Braccarenſem Epiſcopos, ſed ad Romanum omni ſemper ætate recurrit; quis dubitet, hunc eſſe, quem vt Succeſſorem Petri, ita quoque doctrinæ Apoſtolicæ Magiſtrum, quæſtionumque de Fide iudicem habemus? Nam ſi aliquem eiuſmodi poſt Petrum, in Eccleſia inſtituenda atque in veritate continenda re iquie Chriſtus: nimirum aut hic eſt, aut nullus eſt: quippe cum de aliarum Eccleſiarum Epiſcopis nulla quæſtio ſit, quin non fuerint loco Petri, vniuerſalis Eccleſiæ Doctores Paſtoreſque à Deo dati. Solus Romanus Pontifex, Eccleſiæ vſu interpretante, ille eſt, cui Dominus in Petro ait, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo Claues regni cælorum, & quodcumque ſolueris, &c. ac rurſum Paſce oues meas, & iterum Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos. Iam etiam ipſo rerum experimento comperimus, Chriſti de Petro, Succeſſoribus vaticinia in Eccleſia Romana manifeſtius impleri. Hanc enim conſtat fixam, & immobilem, Orbe etiam toto omni illam machinarum genere quatiente, in Fide, & authoritate Petri permanſiſſe. Et cum cæteras Apoſtolorum Eccleſias, vel ab infidelibus occupatas, ſine Fidei veſtigio, vel ab hæreticis aliquando affectas viderimus: aduerſus hanc vnam Romanam Sedem, nec Pagani, nec Hæretici præualere potuerunt. Pugnatum eſt ſiquidem vehementer, non à Græcis ſolum, ſed ab alijs pleriſque totius orbis Epiſcopis, vt hoc Romanæ Eccleſiæ priuilegium labefactaretur: atque habebant pro ſe illi quidem, Imperatorum arma; & maiorem Eccleſiarum numerum, nunquam tamen efficere potuerunt, vt Romani Pontificis poteſtatem, aut abrogarent, aut in alium tranſferrent Epiſcopum. Quinimo, qui à Romana quidē ſede defecerunt, hi ſchiſmatici ſemper in Eccleſia ſunt habiti, qui vero huius ſedis de fide iudicium detractarunt, hæretici.

Altera controuerſia de conceptione B. V. *lib. 6 de locis Theologicis c. 7.*

Eccleſiam in fidei religioniſque quæſtione omni ſemper ætate ad Rom. Pont. & non aliū recurrit.

Poteſtas Rom. Pont. nunquam potuit abrogari aut in alium Epiſc transferri.

CAPVT. XXIII.

Pontifex Romanus, Conditor Dogmatum.

NOuam Hieruſalem de Cælo deſcendentem, ædificari vt Ciuitatem, cuius participatio ſit inidipſum, diuinus Propheta pronunciabat. Paulus Gentium doctor, Dei ędificationem, Chriſti fideles ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu ſuper ædificatos affirmabatur vterque ad Chriſti verba Petro Principi Apoſtolorum dicta reſpiciebat, cum illi promitteret, *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Vterque ſcilicet, & Chriſtus, & Dauid, ille cum diceret *ædificabo*, iſte cum prædiceret, *ædificetur*, vſque ad conſummationem ſæculi, ædificandam Eccleſiam inſinuabat: quod & Paulus explicabat, *Ipſe ait, dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem Fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.* Ædificatur quotidie vſque ad diem iudicij Eccleſia, cum quotidie in baptiſmate animæ ablutæ, vel lapides pretioſi huic cæleſti ciuitati inſeruntur, & tum Fidei, tum Sacramentorum communione velut glutino quodam compaginantur. Ædificat perpetuo Chriſtus Eccleſiam, cum vel à vexatione quæ dat intellectum auditui, vel à nouo aliquo radio, indice reconditæ alicuius pretioſæ Margaritæ, eruerat illatentes ex ſinu Sacræ Scripturæ dogmata recondita, non ſapphyros, ſeu roborandæ aduerſus portas inferi, ſiue ornandæ ab intus ad oblectationem, pacem felicitatemque credentium Eccleſiæ: vt illud vaticinium Tobiæ ſenioris impleatur: *Portę Hieruſalem ex Sapphiro, & Smaragdo ędificabuntur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido, & mundo omnes plateę eius ſternentur.* Sapphyros, Smaragdos, lapides pretioſos, candidos, & mundos, arcana myſteria, in altiſſimis viſceribus Sacræ Scripturæ abſcondita accipio, quæ plerumq; à vexatione, vel pie, vel impie, curioſorum à cum tempore lucem meridianam aſpiciunt. Neque enim vel omnia quæ Chriſtus tradebat capere poterant Apoſtoli, vel fruſtra ſe ipſum perpetuo affuturum, aut Spiritum Sanctum ſe miſſurum Eccleſiæ pollicebatur, vel etiam ad nihilum Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, & Doctores tam ſecundi, quam primi ordinis, & præſertim ſummos Hierarchas, & Architectos dederat: ſed vt ipſe perpetua luce illuſtraret, vt Spiritus Sanctus omnia, quæ dixerat ſuggeteret, vt Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum attenderent, vt ſummus Architectus ædificationi corporis Chriſti præeſſet, & ſi quid ad agnitionem Filij Dei amplius deſideretur, quod ex ſcripturæ Latomijs poſſit per interpretatio-

Eccleſiæ ſtructura.

Aedificatur quotidie Eccleſia per illos qui baptizantur.

Lapides pretioſi arcana myſteria. *Tob. 13.*

nem ſinceram erui, educeret, poliret, ſtatueret. Si quid etiam ad menſuram augmentumque virile perfectionis myſticæ deforet, vel quis puerilia aliqua, puſilla, ſordida, flatui cuicumque expoſita, inſtabilia, à nequitia hominum, & ab aſtutia maligna circumuentus errore acciperet, & accepta alijs traderet, & carbones pro auro, ſtipulam fænum, & lutum pro Sapphiro, Smaragdo, & lapide pretioſo ac mundo ſuper fundamentum Fidei obtruderet, ille pretioſum à vili ſecerneret, atq; in menſuram plenitudinis ætatis Chriſti Eccleſiaſticum corpus adducere curaret.

Fide conſtituitur Eccleſia. *de conſtitutione Rom Pontif. § 13.*

Libet autem cum Caietano intueri, quamſuaniter commendata ſit fidei definitio, voce Euangelica. Fide ſiquidem conſtrui Eccleſiam conſtat: cùm ſit (vt ad Hebræos 10. dicitur) ſperanderum ſubſtantia rerum: & ideo ædificandi, & confirmandi actui reſpondet, vterque autem actus ſubſtantiam ædificij reſpicit. Sed quoniam Fides donum Dei eſt, idcirco Chriſtus ſibi ipſi attribuit ædificationem Eccleſiæ, ſuper Sedem Apoſtolicam dicens, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Firmare vero fideles in ambiguitatibus, & quæſtionibus, quæ circa fidem emergunt, fluctuantes, quià miniſteriale opus eſt Petri, & Succeſſores, ideò dicitur Petro, & Succeſſoribus: *confirma Fratres tuos*. Quicquid enim agit Sedes Apoſtolica definiendo de fide, nihil aliud eſt quam declarare quid ſub fide à Chriſto data continetur. Sic enim confirmat Fratres ſuos Auctor fidei Chriſtus; conditor dogmatis de fide, Petrus, & non nemo Petri Succeſſor Pontifex Romanus. Enimuero ad illum pertinet condere dogmata, cuius eſt œcumenica Concilia, in quibus profeſſio, & regula fidei præſcribitur congregare, illiſque, & præſidere; & robur adijcere. Illi etiam proprium, & ſingulare eſt, eadem dogmata condere, cui ex auctoritate proprium eſt ſcripturas interpretari, iudicium de vero ſenſu earum ferre, controuerſias de fide cognoſcere, & ea quæ ſunt fidei, vt ab omnibus inconcuſſa fide teneantur, vltimo iudicio diffinire. Cæterum, non alius quam Romanus Pontifex Concilia indicit, congregat, dirigit, moderatur, probat; ille etiam eſt à Chriſto, à Spiritu Sancto, ab Apoſtolis traditæ doctrinæ ſeruator, auitæ religionis Cuſtos, Scripturæ Sacræ hæres, Cognitor, & interpres ſenſus illius, & omnium de fide controuerſiarum iudex, Confirmator Fratrum in fide, ne amplius ſint paruuli fluctuantes, neue circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum: Itaque iure merito ab omnibus ſalutatur, non quidem auctor Fidei, quod hæretici imponunt, ſed dogmatum ſacrorum demiurgus, quod Eccleſia agnoſcit Catholica: Et ratio huius eſt, ait Sanctus Thomas, quia vna fides debet eſſe totius Eccleſiæ, ſecundum illud 1. Corinth. 1. Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.

Auctor fidei Chriſtus cōditor dogmatis de fide, Petrus, & ſucceſ. Rom Pont.

Pont. Rom. Sacrorum dogmatum demiurgus. 22. qu. 1. *art.* 10.

Quod ſeruari non poſſet, niſi quæſtio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt; vt ſic eius ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur. Et ideo ad ſolam auctoritatem Summi Pontificis pertinet noua editio ſymboli, ſicut & omnia alia quæ pertinet ad totam Eccleſiam, vt congregare ſynodum generalem, & alia huiuſmodi. Quamuis enim in doctrina Chriſti, & Apoſtolorum veritas Fidei ſit ſufficienter explicata; quia tamen peruerſi homines Apoſtolicam doctrinã, & cæteras doctrinas, & ſcripturas peruertunt ad ſui ipſorum perditionem, ſicut dicitur 2. Petri vltimo: Ideo neceſſaria fuit, eſt, & erit temporibus procedentibus explicatio fidei contra inſurgentes errores. A qua explicatione, cum in lucem producantur dogmata, quę fide Catholica credi debent, merito Romanus Pontifex Conditor dogmatum eſt, & dicitur; quia illius eſt auctoritatis, Catholicas concluſiones tam ex verbo Dei, quam ex primis fidei articulis deducere, primarios articulos declarare, ſententias quæ de fide ſint, vel non ſint diſcernere; quæ vero ad fidem pertinent, ad credendum, & profitendum proponere.

Explicatio fidei neceſſaria contra inſurgentes errores.

Propoſuit reliquis Apoſtolis Petrus eorum coryphæus, cum illos Chriſtus, Quem ſe vel homines, vel ipſi illi dicerent, interogaſſet. Ipſe enim præ alijs, & pro alijs profeſſus eſt, id quod ei non caro ſed Pater cæleſtis reuelauit; *Tu es Chriſtus Filius Dei*.

Fidei myſteria credēda Chriſti fidelibus propoſuit Petrus

Propoſuit iterum, nec ſemel, cum Chriſti Diuinitatem, incarnationem, paſſionem, mortem, reſurrectionem, & in cælos aſcenſionem necnon reliqua Fidei myſteria credenda fidelibus, pro concione aperuit, ac poſtea in epiſtolis præſcripſit.

Propoſuit amplius in vno, & altero Apoſtolorum Concilio, cum & legalia non amplius ſeruanda eſſe decreuit, & Symboli Apoſtolorum tum primam ſententiam tulit, tum reliquas ab Apoſtolis conlatas authoritate probauit; atq; Euangelij ſcribendi, publicandiq; Marco Euangeliſtæ, & reliquis auctor fuit.

An reliqui Pontifices Petro ſuccedentes eadem auctoritate in explicandis, atq; ab explicatione condendis dogmatibus vſi ſint, ex ſuperioribus, & ex Annalium Eccleſiaſticorum monumentis clariſſimum eſt. Namque.

Diuerſa diuerſorum Rom Pont. dogmata.

Clemens Romanus, legalia non amplius ſeruanda eſſe decreuit.

Pius, & Victor, Paſcha Reſurrectionis Domini die Dominico celebrandum eſſe ſanxit.

Zephyrinus, & Dionyſius, non Patrem, ſed Filium eſſe paſſum, de fide credendum eſſe ſanciuerunt.

Sixtus, & Stephanus Baptiſmum rite collatum, non eſſe iterandum ſtatuerunt.

Fabianus, & Cornelius, lapſis non negandam eſſe veniam iudicarunt.

Euſebius, Sylueſter, Melchiades, Iulius, Liberius, Marcus, Filium Patri conſubſtantialem eſſe pronunciauerunt.

Syllueſter, & Damaſus; in Nicæno, hic in Conſtantinopolitano Concilijs œcumenicis Symbolum Fidei ordinarunt.

Anaſtaſius, Innocentius, Zoſimus, Bonifacius, gratiam Chriſti ad ſalutem eſſe neceſſariam promulgarunt.

Cæleſtinus, Chriſtum verum Deum, & Sanctam Mariam Dei genitricē eſſe pronunciauit.

Leo Magnus in Chriſto duas eſſe naturas impermixtas, in vna perſona ad credendum propoſuit.

Vigilius, duas in Chriſto ſubſiſtentias, non debere dici conſtituit.

Agatho, duas voluntates, & duas in Chriſto operationes confitendas eſſe dixit.

Gregorius II Zacharias, Stephanus III. & IV. Paulus, & Adrianus imagines Chriſti Dei-

paræ

patræ, & ſanctorum colendas eſſe, ex maiorum traditione ſtatuerunt.

Hadrianus addit ſymbolo Conſtantinop. *Filioq; lib. 3. de hereſ. c. 10.*

Hadrianus, Symbolo Conſtantinopolitano illas quatuor particulas *Filioque* addendas, atque Spiritum Sanctum ex Patre Filioq; procedere aſſeruit.

Cumq; Photius Conſtantinopolitanæ Sedi intruſus, præuaricationis Hadrianum argueret, Hugo Ætherarius, non præuaricatorem, ſed conditorem Dogmatum Romanum Pontificem probauit: Nulla inſimulatione, ait, nulla reprehenſione, nullaq; calumnia notandus eſt antiquioris Romæ Antiſtes, quod cauſa interpretationis dictionem vnam, dico autem, *ex filio* procedere Spiritum Sanctum, ſanctorũ plurium Epiſcoporum, ſcientiſſimoq; Cardinalium conſenſu habito appoſuerit. Licuit enim ſemperq; licebit fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, ſicubi aliquid obſcure ſcriptum ſit, & de voluntate ſcriptoris argumentari, iudicio voluntatis illius relicto facere, hoc perſuadente. Is enim eſt, cui oues, & agni commiſſi ſunt; & idcirco non ſolum ſcripti recitator eſſe debet, verum interpres illorum quę adſcripta non ſunt, vt caput ouium, & Dei Paſtor.

Defenditur Hadr. ab Hugone Aetheriano à Photij calumnijs Conſt.

Qua in re manifeſtum eſt, antiquioris Romæ Præſulem poteſtatem in Petro accepiſſe, fidem renouandi (vt verbis Patrum vtar) habendi curam, & regimen omnium Sacerdotum quin etiam omnium Chriſtianorum.

Quare palam, & publicè fit ex his, nequaquam licere cuipiam omnium calumniari ſanctiſſimam, & magnam, omniumq; Principem Romanam Eccleſiam, quaſi aliam fidem conſcripſerit, aut compoſuerit, aut docuerit.

Nam neq; affert, neq; perdocet, neq; aliud traditum, ſi editum à ſanctis Patribus interpretetur, non perpetiens fidem labefactari apud quos ſemper effulſit.

Quæ licet Primatum habeat, attamen humiliat ſeipſam reſpondendo, quod Chalcedone celebrata Synodus quondam ſe calumniantibus reſpondit; Iniuſte, inquit, ærguor, dum non fidem ſed memoriam renouo: non appoſui, non ademi ſalutari Symbolo, ſi dictionem occultam manifeſtaui.

Renouaui enim vt Patres antedicti fidem, & appoſui Nicænæ, & Conſtantinopolitanæ, atq; Chalcedonenſi Synodis, ſed nulla modo illis contraria: quia dum illorum Patrum veſtigia perſequor, ſolummodo quæ tunc quæſita non ſunt, tempore poſt, per interpretationem, & appoſitionem verbi, quod non perſpicue ab omnibus intelligebatur, enucleaui; Æquum eſt igitur, ratum habere quod tanta Eccleſia decernit, quod tantus Pontifex enunciat. Qui autem Primæ ſedis, imo totius Orbis Præſuli reſiſtunt, Chriſti diſpoſitioni reſiſtunt, & niſi reſipiſcant, contumaciæ iudicio plectentur. Quicumque nauiculam Petri ſpernit, incaute nauigat, & niſi plumbeas moles peruicacitatis reijciat, influent maria. *Iſta Hugo Ætherianus pro Hadriano*. Et quoniam in hanc de Spiritu Sancto, à Patre, & Filio proceſſionem incidimus, libet etiam hic adſcribere quæ ante 300. annos Græcis ſcribebat *Barlaamus*, & ipſe Græcus Conſtantinopoli apud S. Saluatorem Archimandrita: cum illis ſint non inæqualia.

Barlaam cõtra Græcos probat Rom. Pont. poſſe fidem explicare, credenda præfinire, dogmata condere. *ep. 1. ad Græcos.*

Hæc gens, ait, propter duo, vt ita dicatur, Latinos accuſans, æſtimat oportere ab eis ſe diuidi. Vnum, & principalius, quod aiunt, Spiritum S. ex Patre Filioq; procedere. Secundum quod per azymos panes ſacratiſſimã celebrant hoſtiam, Ego autẽ tempora examinans video, quod ſchiſma quidem nondum quadragintorũ eſt annorum. Sub Baſilio enim Macedone, & Photio Patriarcha, vt aiunt, incepit: à quibus nondum prædictorum annorũ numerus completus eſt. Eccleſia vero Romana ante inchoatum ſchiſma, pluribus quam ſeptingentis annis per azyma conficiebant ſanctiſſimam Teletam. Alexander enim Romanus Pontifex, qui ſub Adriano, glorioſo martyrio vitam finiuit, hoſtiam de azymo Eccleſiæ Romanæ ſtatuit.

Poſt quem non paucos Romanos Pontifices, Deus, virtute, & martyrio, & miraculis glorificauit: vt etiam vtræque partes in Sanctis eos connumerent. Similiter Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque tamquam ex vno principio procedere, videtur Eccleſia Romana tenere, ante inchoatum ſchiſma, pluribus quam quadringentis annis.

Beati enim illi viri, diuinus Auguſtinus, Ambroſius Mediolanenſis, & Hieronymus, qui claruerunt circa tempora Theodoſij Magni: ex quo præterierunt vſq; nunc plures quam octingẽti anni, quos Latinorum Eccleſia Doctores, & in regula pietatis Duces habuit.

Hi diuinam aperientes Scripturam, multis locis ſuorum operum manifeſtè notant, quod Spiritus Sanctus ex Patre, Filioque tamquam ex vno Principio procedit. At verò Romanus Pontifex Beatus Gregorius, qui dicitur fuiſſe ſub Iuſtiniano, ante ſchiſma pluribus quam trecentis annis, ſuperiores ſuos, & ipſe ſequens eandem de Spiritu Sancto tradit ſententiam. Quare, ſi rationabile eſſet, propter has cauſas à Latinis diuidi, oporteret vtique ab initio hoc facere, & neque ſanctos hos ſapientes, & azyma immolantes putare, neque communia Concilia cum eis pati facere.

Nunc autem poſt vna cum eis celebrata ſeptem Concilia generalia, & multos azyma ſacrificantes, & prædictam de Spiritu Sancto ſententiam in ſuis ſcriptis manifeſtè prædicantes, Sanctos, & ab ipſis Græcis reputatos propter eadem ipſa, poſt multos annos velle ab eis diuidi, quomodo non caret omni ratione? Quamquam de Spiritu Sancto, ſi ſoli illius linguæ Patres hoc traderent, nolle credere, nondum tantùm eſſet malum. Nunc autem, & Græcæ linguæ Patribus idipſum prædicantibus, ſcilicet *Magno Baſilio* in Antireticis, *Sancto Athanaſio* multis locis. *Sancto Cyrillo, Sancto Gregorio Nyſſeno*; quomodo non abſurdum eſt, eos qui eadem nunc cum illis ſapiunt hæreticos reputare? Ego quippe non habens huius rei demonſtrationem, tamquam exiſtentis ſuper demonſtrationem; & videns tantum exercitum Patrum, hoc ſapientium, atque decreto Dei Matrem Eccleſiarum idipſum determinantem, non tutum eſſe cognoſco aliter ſapere.

Quamquam ſi contrarij demonſtratio haberetur, & res huius eſſet perceptiua; neque hic oporteret, piam conſiderationem, tantorum Patrum, ac Sedi Beati Petri ſententiæ, humanam demonſtrationem anteponere. Multa enim demonſtrationibus diſſonantia noſtra decet religio.

At verò, & de azymis, cùm manifeſtum

 ſit,

ſit, quod in Sacra ſcriptura panis nominetur, ſiue fermentatus, ſiue azymus, & quid ſero ſacræ illius cœnæ, prima, vt aiunt tres Euangeliſtæ, azymorum erat, in qua non tantùm comedi panem fermentatum à quoquam Iudæo non licebat, ſed neque omninò iu domo Iudæi inueniri: Et quod duo diſcipuli miſſi ſunt ad præparandum in cœnaculo, legale, & aſſuetum Paſcha: & quod, vt aiunt, Euangeliorum expoſitores omnibus, quæ ſecundùm legem erant conſummatis, Saluator pane accepto cæleſtia tradidit Sacramenta; qui panis intelligitur eſſe ex illo, qui tunc propter legale Paſcha preparatus erat in menſa; & diuino Chryſoſtomo dicente, in octuageſima homilia ſuper Matthæum, nihil contrarium legi ſero illo Saluatorem feciſſe: & quod ſi eſſet panis ille fermentatus, manifeſtè vtique hoc contrarium eſſet legi: ex his omnibus indubitanter concludi video, per panem azymum ſua tradidiſſe Dominum myſteria.

Quoniam autem Apoſtoli, rurſum eadem nobis tradentes uiyſteria, non diſtinxerunt, ſiue fermentatum, ſiue azymum, ideò Orientalis Eccleſia, continuò incepit fermentatum; Occidentalis verò azymum: ea, quod gerit imaginem puritatis, & ſinceritatis, & veritatis. Vtraque, ego quidem firmiter adoro, & colo, Latinos verò in tantùm prudentiores æſtimo, quod illi quidem minimè hoſtiam de fermentato vituperant, ſed ſimiliter venerantur. Horum autem multi non timent in ſancta blaſphemantes.

Adhuc autem multi dicunt ſe ſcandalizari, quia multa contra Apoſtolorum canones, & ſeptem Generalium Conciliorum, vident in Eccleſia Latinorum fieri. Me autem neque hoc ſcandalizare valet. Quare? qui primum quidem diſcurrens, & ipſe eoſdem Canones, & ad præſentia reſpiciens, multa inuenio, & in hac gente contrario modo, quam vt Canones iubent facta; & plura, & maiora, quam illa, quæ aiunt Latinos tranſgredi, vt non ſint ſecundùm hoc ipſi meliores illis, Deinde & hoc conſidero, quod omnium, quæ in Canonibus comprehenduntur alijs exiſtentibus dogmaticis, & de quibus oportet credere; alijs verò in actione, quæ agendum: & non diſtinguunt: & horum rurſus alijs dependentibus à Domino, & Euangelico mandato, alijs verò non: quæ ſingula à ſtudioſis notata ſunt. Canonnm verò de Fide, & quorum eſt Dominicum mandatum, nullum vmquam Eccleſia Romana mutauit, neque poteſt hoc oſtendi, vel reuocauit.

Quos verò mutauit, vel ſi ſunt illorum Canonum, qui neque de Fide ſunt, neque à Dominico pendent mandato.

Quæ enim ita ſe habent, etiamſi ſint per Generale Concilium determinata, ſed rebus conſequentibus, temporibus cadentibus, & humanis diſpoſitionibus mutatis, poteſt Eccleſia ipſa, gratia melioris mutare, vt multa talia reperiuntur, etiam in ipſis Concilijs poſterioribus multa priorum Conciliorum decreta, cum eodem Spiritu, vel omninò irritantibus, vel omninò ad melius conuertentibus.

Sed quia illa, quod huiuſmodi ſunt, propter velocem humanarum rerum mutationem frequentiùs contingunt: in quolibet verò non eſt poſſibile, vel non eſt facile Generale aggregare Concilium, ſed neque eſt quodlibet tantæ difficultatis, vt generali deliberatione indigeat: non oportet turbari, ſi Mater Eccleſiarum, cum ſola circa ſe Synodo, quæ huiuſmodi ſunt, ſuis temporibus Apoſtolica auctoritate corrigit, & mutat, vel irritat. Non enim eo quod ſit maioris auctoritatis, & magis poſſit generale Concilium, quam Apoſtolica Sedes, generalia aggregantur Concilia; ſed quia incidentes Quæſtiones difficiliores ſint, & maiore indigeant diſcuſſione. **Quare cō-gregentur Gener. Cōc**

Iſta, & alia plura, Græcis ſchiſmaticis, Barlaam Archimandrita Conſtantinopolitanus oſtendebat, concludens; Romanum Pontificem ſuperiorem omninò eſſe œcumenicis Concilijs; ac perinde poſſe, quod œcumenica Concilia, & amplius poſſe quam illa: ſcilicèt Fidem explicare, Credenda præfinire: Dogmata condere: & quæ vel ad Fidem non adeò pertinent, vel pro tempore nondum videntur pertinere, corrigere, mutare, prohibere, ſilentium ad tempus diſponere. Non multum antea ad Fidem pertinere videbatur, ſi Symbolo Conſtantinopolitano illæ quatuor ſyllabæ, *Filioque* adderentur, vel non adderentur, dummodò omnes crederent, Spiritum Sanctū ex Patre, Filioque procedere. Itaque Leo III. ne Patribus quidem Aquiſgranenſis Synodi id poſtulantibus, vt in eodem Symbolo adderent, & cum additione circumferrent permittere additionem, *Filioque* voluit: quam tamen paulò poſt ex cauſis grauiſſimis Hadrianus Papa fecit, & credentibus ad profitendum propoſuit. Neque multum ante Hadrianum, ad ſinceræ fidei integritatem ſpectare videbatur, aut vocula duarum, vel vnius voluntatis, atque operationis in Chriſto: dummodo Chriſtum Deum verum, & hominem, in duabus naturis operantem omnes confiterentur: aut illud *Qui crucifixus es*, Monachorum Seuerianorum inuentum: dummodo quis Chriſtum vnum ex Trinitate in carne paſſum, ea locutione indicaret. Itaque variæ, pro varietate occaſionum, & cauſarum emergentium, in vtraque materia decreuere: & primò quidem, nullas prophanas vocū nouitates induci oportere pronunciauere, adeòque vtriſque diſceptantibus ſilentium indixere: deinde cùm à ſilentio indicto, alteri alteros aduerſarum hæreſum inſimularent; ad explicanda, condendaque dogmata, manum Clauibus Apoſtolicis præſtantem admouentes, Duas voluntates, & duas operationes in Chriſto: & Vnum de Trinitate Chriſtum in carne paſſum cofitendum eſſe decreuere: non tamen tryſagio addendum eſſe. *Qui crucifixus ès*, edixere.

Ex his ſententijs, quas pro tempore neceſſitas ad tempus in loco certo, occaſione certarum perſonarum, expreſſit: numeratur famoſa illa, quæ eſt de communione ſub vtraque ſpecie, primum Leonis Magni, deinde tempore Gelaſij ante mille, & amplius annos, occaſione Manichæorum graſſantium propoſita. Manichæi, à veteri ſuperſtitione, à ſanguine abhorrebant. Ad hos detegendos Leo communionem ſub vtraque ſpecie inſtituit, deinde Gelaſius decreuit: *Comperimus autem, quod quidam ſumpta tantummodò Corporis ſacri portione, à Calice ſacri cruoris abſtineant. Qui procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut*

De communione ſub vtraque ſpecie a Gelaſio decreta. *Baron a. 44. de ann. 469.*

ab

ab integris arceantur: quia diuiſio vnius, eiuſdemque myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire.

De cultu ſãguinis Dominici in terram paſſione ſparſi. Comment. Pij 2. lib. 11.

Ex ſententijs porrò, ſi dici poſſunt, *interlocutorijs*, quæ vtrique parti liberam ſuæ opinationis poteſtatem, ad tempus permittunt, fuit illa à Pio II. in materia ſanguinis pronunciata, quando apud Brixiam Ciſalpinæ Galliæ Ciuitatem Iacobus Marchianus Ordinis Minorum profeſſor, Diui Bernardini quondam ſocius, exaduerſo declamaret, pretioſum Chriſti ſanguinem in triduo paſſionis dum iacuit in terra ſparſus, quoniam fuſus, & à corpore Dominico ſeparatus fuiſſet, non eſſe dignum cultu latriæ: exaduerſo autem Fratres Diui Dominici inſtitutum profeſſi affirmarent. Pius II. quanquam ſententiam Prædicatorum, à ſuffragio maioris partis auditorij probaret in aliud tempus decretum declarationis fieri diſtulit: nè multitudo Minorum, quorum eo tempore contra Turcas prædicatio erat neceſſaria, offenderetur.

Controuerſia de tempore, quo de gratia animæ Deiparæ Virg. in vtero materno infuſa.

Aſſimilis eſt huic controuerſia, de momento, quo Deus gratiam, animæ Sanctiſſimæ Virginis Mariæ in vtero materno infudit. Affirmant alij, antequam à coniunctione cum corpore macula originali inquinaretur: alij deinceps. Illi dignitatem, & puritatem Sanctiſſimæ Virginis decere proponunt, nè illa electa vt Sol, omnis creaturæ primogenita, Orbis Auguſta, Angelorum Regina, naturæ noſtræ prodigium, totius Trinitatis delicium, Spiritus Sancti ſacrarium, tanta puritate quanta ſub cœlo nequit intelligi, excelſior ipſis Cherubin, & Seraphin, ſanctior vniuerſis ſanctis quandoque ſeruitutem ſeruiret: alij iniuriam ſanguini Chriſti redemptoris irrogari cenſent, ſi quis ſine peccato originali conciperetur. Scripturæ ſacræ plurima loca, & auctoritates aliquot Patrum pro ſe vtrique adducunt: at ſententiam Sedis Apoſtolicæ humiliter præſtolantur: quod ſciant omnes Orthodoxi Catholicæ Eccleſiæ filij, Romanum Pontificem eſſe ſummum interpretem ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, ac propterea Conditorem dogmatum, quæ ex ſacræ Scripturæ ſinu, per interpretationem illius in lucem producit: quod olim, vt aiunt implicitè credebant fideles, vt expreſsè, diſertè, apertèque profiteantur, refert in canonem, & profitendum proponit. Alios Pontifices nondum attigi, quorum infallibili iudicio plurima dogmata condita fuere, ſiue in Concilijs, ſiue extra Concilia:

Alia dogmata à diuerſis Pont. Rom. condita.

quemadmodum Leo IX. ex occaſione hæreſis Berengarianæ ſub ſpeciebus panis, & vini, verum corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe, ex ſacris ſcripturis, & Patrum doctrina definiuit.

Innocentius III. ex occaſione Arnoldiſtarum Petrobruſianorum, Ioachimi Abbatis, & Valdenſium formulam Fidei de Trinitatis Incarnatione, vnitate Eccleſiæ, ſacrificio Altaris, veritate corporis, & ſanguinis Chriſti, baptiſmo, pœnitentia, ſtatu continentium, & coniugatorum, diſtinctione perſonarum diuinarum, & conſubſtantialitate, condidit, & ex ſententia Concilij Lateranenſis promulgauit.

Ioannes XXII. Chriſtum, & Apoſtolos, aliquid proprium habuiſſe oſtendit.

Benedictus XII. Animas piorum vita functorum, ante diem Iudicij diuinam eſſentiam videre ab interpretatione Patrum, qui contra opinari videbantur, demonſtrauit.

Eugenius IV. in Concilio Tridentino decretum ſuperiùs aſcriptum, de proceſſione Spiritus Sancti, de Purgatorio, deque Primatu Eccleſiæ Romanæ, eiuſque Summi Pontificis, condidit.

Leo X. animam immortalem eſſe credendam, conſtituit.

Paulus III. Iulius III. Pius IV. in Concilio Tridentino plura dogmata, præmiſſo Symbolo, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, de Canonicis ſcripturis, de peccato originali, de iuſtificatione, de diſpenſatione, & myſterio aduentus Chriſti, de Sacramentis in genere, de Babtiſmo, de Confirmatione, de Euchariſtia, Pœnitentia, & partibus illius, extrema vnctione, matrimonio, ordine, poteſtate Clauium, Indulgentijs, & de a ijs, in Canonem reddiderunt, atque anathemate propoſito, profiteri voluerunt. Omnes hi à Chriſto poteſtatem acceperunt in Petro, qui ſolus inter Apoſtolos cauſam definiuit, decreuit, fidei Canonem conſtituit, quidve de fide ſentiendum eſſet, ſolus clauum fixit; ac propterea ſolus *Princeps, & Caput, fideique columna, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, à Domino noſtro Ieſu Chriſto, claues regni accepit*, vt Philippus Presb. PP. Epheſinis in memoriam reuocabat: non vt fidẽ Petrus, affunderet, ſed vt, quid de fide ſentiendum ſit, decerneret. Aliud eſt enim fidei eſſe authorem, aliud canonem fidei ſtatuere: valdeque iſta inter ſe diſſident: *Auctor fidei, & Auctor Canonis fidei*. Auctor fidei Deus, auctor Canonis Petrus, Romanus Pontifex: qui dum fidei canones condit, non ille rem aliquam fidei facit, quæ ante in ſe talis non fuit: ſed declarat, definit, decernit, rem eam; quæ ſemper Deo auctore fidei in ſe fuit, quoad nos quoque eſſe debere, nè amplius fideles omni vento circumferantur, ſed firmiter credant, id, de quo primum dubitabant. *Palam eſt* enim, vt Auguſtinus aliquando Fauſto Manichæo proponebat, *quod in re dubia ad fidem, valeat authoritas Eccleſiæ Catholicæ, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolicis vſque ad hodiernum diem, ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie*, vſque ad PAVLVM V. *& tot populorum conſenſione confirmatur*.

Hanc poteſtaté Rom. Põt. à Chriſto in Petro acceperunt.

Differũt auctor fidei, & auctor canonis fidei.

lib. 11. cap. 2.

CAPVT XXIV.

Pontifex Rom. DOCTOR ORBIS.

TRanslato Sacerdotio Moſaico, ſimulque translatione legis facta, opus erat, & Cathedram Magiſterij transferri, ſtatim atque Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, nouum Teſtamentum in ſuo ſanguine condidiſſet. Legi antiquatæ, Euangelium, Sacerdotio ſanguinario innocentiſsimum, Cathedræ Moyſi, Cathedra Petri ſucceſsit: ſed ampliori cum poteſtate docendi: vt non ſolùm ex circumciſione fideles, verùm omnes quotquot vel ouium, vel agnorum Chriſti nomine audirent, vel in hominum numero cenſerentur, Petrus pro Chriſto Paſtore Doctore, Paſtor, & Doctor Vicarius paſceret, atque doceret. Namque huic primo Chriſtus promiſit: *ex hoc eris homines capiens*. Deinde eidem

Cath. Moyſi Cathe. Petri ſucceſſit, ſed cũ ampliori poteſtate docendi.

com-

commiſit: *Paſce oues meas: paſce agnos meos*: vt interim non taceam, quod illum vnum vnicum, ædificandæ Eccleſiæ, cui portæ inferi non præualerent, petram, ac baſim ſolidam, fore conſtituit. Vni Petro, claues regni cœlorum tradidit. In illius ſolius nauiculam, ex qua turbas populorum doceret, ei contra omnem ventorum, aquarum, fluctuum, tempeſtatũ, iniuriam, ſuppetias, & opem laturus aſcendit.

Pro vnius Petri fide, ac perſeuerantia rogauit. Vni Petro firmandorum fratrum, & in fide ſeu inſtruendorum, ſeu reparandorum, & collegarum, & omnium curam commiſit. Vnius Petri erga ſeſe affectum, atque ſtudium accuratè, imò ter maximè explorauit, & inquiſiuit, eique, & paſcendos, & regendos ſuos agnos, oueſque concredidit: cumque omnibus idem periculum immineret, pro vno Petro oratum Patrem habuit, vt reliquorum extincta, Petri vnius fides, nulla hominum iniuria, nulla mortalium barbarie, nullis diaboli artibus, nulla vi, nullo aſtu, nulla tyrannide deleretur. Exauditus eſt Chriſtus pro ſua reuerentia, vt fides Petri nunquam abroganda, cæterorum & Apoſtolorum, & Eccleſiarum fidem roboraret, aut labefactatam inſtauraret ab eo, eiuſque Eccleſiæ quaſi omnium matrice, & parente reliquæ omnes, veritatis ſempiternæ lumen acciperent, acceptum cuſtodirent, forte amiſſum reciperent, illique demum quicquid tandem æqui, bonique haberent, acceptum ferrent.

Munus docendi ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem Petrus aggreſſus. *Act 2.* *Act.10.& 11*

Sanè, Petrus, Paſtor, & Doctor tam eorũ, qui ex circumiſione, quàm illorũ, qui ex præputio, docendi munus, ſtatimatque Princeps Paſtorũ celos aſcẽderat, aggreſſus, Primus Reſurrectionem Domini Redemptoris, & penitentiam, atque baptiſmum tanto cum fructu Iudæis annunciauit, vt vno die credentium appoſitæ ſint animæ circiter tria millia, altero die quinque millia, alteris verò Dominus augeret, qui ſalui fierent quotidie in idipſum. Primus etiam in exceſſu mentis vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnũ, quatuor initijs ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli: quæ iubebatur occidere, & manducare: ea ſignificatione, quod ille olim vaſtiſsimum mare, mundum videlicet vniuerſum, in quo inſtar maris magni, & ſpatioſi manibus, reptilia, quorum non eſt numerus, animalia puſilla cum magnis, draco formatus ad illudendum, naues maris in principio ad adducendos filios de longe nactus, non vnius populi Iudaici terminos poneret prædicationi ſuæ, ſed quacunque, Oriens, Occidens, Auſter, & Aquilo paterent, & vbicumque humi repentes animales homines, vel aliquanto, aut doctrina, aut nobilitate, aut dignitatibus ſuper alios præſtantes. Philoſophi, Principes, Reges, & Imperia proſtarent, omnas gladio verbi diuini occideret, vt viuificaret, & ad inſtar ſibi commanſi Chriſto in vnitatem Fidei concorporaret. Fecit primus, & cohortis Italiæ Centurionem Cornelium, ac cum eo magnam eius gentis neceſſariorum, non ſine homine futuræ magnitudinis edocuit ſcilicet iam ad arcem Romani deſtinabatur Imperij, vbi Cathedram orbi erigeret: vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo Capite, vt Leo magnus concionabatur, per totum mundi corpus diffunderet: cùm & omnium nationum homines in vrbe eſſent, & quod nullæ gentes poterant ignorare, quæ Roma didiciſſet. Hic enim erant conculcandæ philoſophię opiniones: hic diſſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates: hic confutandi dæmonum cultus: hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſsima ſuperſtitione habebatur collectum, quicquid vnquam fuerat vanis erroribus inſtitutum.

Si verum, vt longè veriſsimum eſt, quod S. Clemens, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Leo Papa, Iſidorus, Petrus Chryſologus, Ruffinus, & alij authores ſcripſere, Apoſtolos in orbem prædicationis gratia profecturos, Concil. Hieroſolymit. celebrato, commodatis, communicatiſque mutuo fidei, religioniſque ſententijs, Capita ipſa in Symbolum, quod vocant confluiſſe, Regulamque, ac theſſeram Fidei compoſuiſſe, auctore Petro, præeunte, atque præſentante Petro: neceſſarium eſt etiam affirmare, diſponente adeòque iubente Petro, ſingulos ad ſingulas Prouincias diſceſſiſſe. Cùm is effectui traderet, quod olim Chriſtus dixit: ſicut me miſit pater, & ego mitto vos. Euntes ergo in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.

Epi. ad Iacob. fratrem Domini in compend. fidei ep. 81. & ſer. 38. ep. 57. ep 13. ſer. 1 in vigilia Pentecoſt. lib 6 Etym. cap 19 in expoſit. Symb.

Diſponẽte & iubente Petro ſinguli Apoſt. ad ſuas Prouincias profecti

Non ſtatimatque Chriſtus iuſſit, prædicarunt omni creaturæ. Namque ſolis Iudæis loquebantur, non gentibus, quin etiam cùm audiſſent Apoſtoli, & fratres, qui erant in Iudæa, quod & gentes recepiſſent verbum Dei, atque Petrus baptizato Centurione Ieroſolymam aſcendiſſet, diſceptabant aduerſus illum, qui erant ex circumciſione, dicentes: quare ad viros præputium habentes introiſſet, neque priùs aut tacuerunt, aut Deum, qui gentibus dedit pœnitentiam ad vitam glorificauerunt, aut gentilibus verbum ſalutis annunciare voluerunt, quam Petrus ex viſione lintei cælitus demiſſi rationem reddidiſſet, primus illis Chriſtus prædicaſſet: & quid niſi, quod Chriſtus olim edixerat, indixiſſet: irent in orbem vniuerſum, prædicarent non ſolis Iudæis, ſed omni creaturæ, inque omnem terram exiret ſonus eorum. Non enim ex vano antiquiſſimus, & temporibus Apoſtolorum vicinus Tertullianus affirmabat, quod Petrus *Dei villicus, Chriſti VICARIVS, non ſineret Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipſe per Apoſtolos prædicabat*. Per Apoſtolos certè prædicabat, quia illos auctoritate ſua, & exemplo, ad prædicandum gentibus diſperſerat, animarat, inſtruxerat: ipſe interim *ſyluam illam frementium beſtiarum, & turbulentiſſima profunditatis Oceanum ingreſſurus. Iam populos, qui ex circumciſione erant, erudierat. Iam Antiochenam Eccleſiam, vbi primum Chriſtiani nominis orta eſt dignitas, fundauerat. Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithiniam legibus Euangelicæ prædicationis impleuerat: ac ita demum trophæum Crucis Chriſti Romanis arcibus intulit, quo illum diuinis ordinationibus anteibant, & honor poteſtatis, & gloria paſſionis.*

Petrus per Apoſt. prædicabat.

Leo ſerm. 1. in natal. Petri, & Pauli.

Antequam Iudæa exceſſiſſet Petrus, pertranſibat vniuerſos, fidei rudimentis imbutos, & ſacro fonte luſtratos: quos manuum impoſitione firmaret, atque Spiritu ſancto donaret. Hieroſolyma diſcedens, ex Collegij Apoſtolorum, & Diſcipulorum ſuffragio, quemadmodum

Act. 8.

dum

Baro. ex variis tom. 1.

dum in locum Iudæ Matthiam ſuffecerat, Iacobum fratrem Domini cognomento Iuſtum, Paleſtinæ, & vniuerſæ Indeæ Apoſtolum, Doctoremque reliqnit.

Ioannes diuerſis populis prædicauit.

Ioannes Zebedæi filius, frater Iacobi, in Aſiam minorem, iuſſu Petri migrauit, eaſque Prouincias, in quibus Petrum Euangelium prædicauerat prædicatione veritatis Euangelicæ excoluit. Alias quoque Orientis Prouincias peragrauit, & in his Parthos, & Baſſoras Chriſtiana fide illuſtrauit.

Iacobus Zebedæi Hiſp.

Iacobum Zebedæi, Hiſpanis Euangelium à miſſione Petri prædicaſſe, conſtans illarum Eccleſiarum traditio narrat.

Andreas ad Scythas miſſus.

Andreas ad Scythas miſſus, traditur ab Origene, & Euſebio. Ruſſis, & Sarmatis prædicaſſe, Alexander Guagninus affirmat. A Sarmatis, ſeù Polonis, in Græciam, & Epirum deſcendit, teſte Nazanzeno, & Chryſoſtomo. Inde Thraciam, Macedoniam, Theſſaliam, & Achaiam peragrauit, ibique longo tempore ſermonibus diuinis, prodigijſq; mirificis Chriſtum glorificans, tandem à Proconſule Ægea Cruci ſuffixus occubuit. Inſuper & Sogdianos, Sacos, & Æthiopas lacte Euangelij candidauit, vt prodidit Sozomenus, & affirmat Dorotheus in Synopſi.

Phili. in Aſiam ſuperi., & aliquam Scith. partē

Philippum, Aſiam ſuperiorem, & aliquam partem Scythiæ Euangelij ſemine conſeruiſſe, & vnà cum Bartholomæo aliquo temporis ſpatio prædicaſſe, demum annos natum 87. Hierapoli Martyrium ſubijſſe, Chryſoſtomus, & Nicephorus teſtantur. Thomæ adſcribitur, quod Theodoretus ait: Parthos, Perſas, Medos, Brachmanas, Indos; aliaſque nationes finitimas, Chriſti Euangelium ſuſcepiſſe. Ad Æthiopiam perrexiſſe, Æthiopiaſque dealbaſſe, auctor eſt Chryſoſtomus. Ad Taprobanam quoque Inſulam veniſſe, Nicephorus tradit. Qui apud Indos reperti ſunt Chriſtiani in regione Marſingenſium, firma, certaque traditione affirmant, Thomas Apoſtolus in regionibus Euangelium prædicaſſe, Eccleſias erexiſſe, ac cætera, quod ad Chriſtianorum inſtitutionem pertinent conſummaſſe. Idipſum quoque profiteri, qui in Indiæ regione Chranganore dicta, & alijs locis adiacentibus agunt, Oſorius Siluenſis Epiſcopus in ſuis Indicis hiſtorijs teſtatur.

Thomas ad Indos, aliaſque finitimas nationes.

Bartholo. in maiorē Armeniā profectus.

Bartholomæus in maiorem Armeniam profectus, Lycaonas eius Prouinciæ populos, veritatem Euangelicam docuit, & ad pietatem inſtituit, vt memorabat Chryſoſtomus. Albanos inſuper fide Chriſtiana imbuiſſe, tradit Sophr. citerioremque Indiam penetraſſe, Orig. Namque de his fidem fecit Pantænus Philoſophus Chriſtianus, qui ad Indos peregrinatus, memoriam de Bartholomæo prædicatione virentem adhuc reperit: quia & Matthæus Euangelium ab ipſo antequam illuc proficiſceretur deſcriptum, ibi inuentum, & ſecum acceptum detulit, cum Alexandriam redijt, vt Hieronymus reliqnit.

Matthæus in Aethiopias.

Matthæum Iudæis primum prædicaſſe, deinde ad Æthiopiam quoque iuiſſe, Orig narrat.

Iacobus Alphæi Hieroſol. Epiſc.

Iacobus Alphæi, frater Domini, cognomento Iuſtus, remanſerat Hieroſolymis tanquam Epiſcopus: nè Iudæi, quorum cauſa munus illud ſuſceperat, omninò derelicti haberentur. Tam conſpicua autem ſanctitate fuit, vt quantumuis in alios Apoſtolos Iudæi ſæuierint, ipſi tamen nullum negotium faceſſerint, niſi cum efferata rabie ſe eſſe homines conuertibiles obliti fuerint: ita vt propter necem ipſi illatam Ioſephus Iudæus affirmet, Hieroſolymam exciſam, & Iudaicum populum acerbiſſima omnium clade afflictum eſſe.

Simon in Meſopotamiā, & Perſidem profectus.

Simon Chananæus, qui & Zelotes, & Iudas dicebatur, in Meſopotamiam profectus, populis illis Euangelium annunciauit. In Perſidem quoque penetrauit. Perſicæ nationes, Zaradæ legibus, matrum, filiorum, ſororum connubijs ſuſque deque commixtæ: audita Apoſtolica voce; Zaradæ leges velut iniquitatem maximam conculcarunt, Euangelicaque protinùs temperantia complexæ ſunt: & qui prius mortuorum corpora canibus depaſcenda, volucribuſque proijciebant, tunc cùm cæperunt in Chriſtum credere, ab eiuſmodi immanitate abhorrebant, & mortuos ſuos terre infodiebant.

Iudas Edeſſenis, & Meſopotam. prædicauit.

Iudas Thaddæus Edeſſenis, & Meſopotamis quoque prædicauit, multaque tum in Arabia, tùm in Idumæa, alijſque adiacentibus regionibus admiranda perpetrauit, vt retulit Nicephorus.

Matthias Aethiopibus.

Matthias in locum Iudæ ſubrogatus, Nicephoro referente, in Æthiopiam quoque profectus eſt: illaſque nationes induxit crucifixi leges accipere, non armis vſus, ſed verborum ſuaſu, oſtenſa legum, quas prædicabat vtilitate. Populum quoque Iudaicum docuiſſe, Sophronius commemorat.

Pauli variæ peregrinanes ad prædicandam Euang.

Paulus Euangelicus pugil effectus, Damaſci fidem Chriſti prædicauit, Iudæorumque perfidiam confutauit. Inde religionem Chriſti Arabiæ intulit: expletoque illic promulgationi Euangelicæ triennio, pertranſita Damaſco Hieroſolymam ad Petrum aſcendit, à quo legatione accepta, Cæſaream, & Inde Tharſum miſſus eſt. Hinc à Barnaba Antiochiam accitus, Cephiam Cuniæ præſulem, vnum ex 70. diſcipulis palàm omnibus coram refellit, vt Dorotheus ait. Deinde oraculo diuini flaminis, poſt inductum ieiunium, poſt fuſas ad Deum preces, ex Senatus Apoſtolici ſententia à Petro Concilij præſide, poſt manuum Apoſtolicarum impoſitionem, varias peregrinationes terra, marique ſubiturus ad gentes miſſus, profectuſque Seleuciam, Cyprum Salamynam, Paphum, Pergen, Pamphiliam, Antiochiam Pſidiæ, Ioninm, Lyſtram, Derben, aliaſque Licaoniæ, Pamphiliæ, & Piſidiæ ciuitates, face Euangelij colluſtrauit. Antiochiam Syriæ reuerſus, oborta de obſeruandis legalibus controuerſia, Hieroſolymam iterum ad Principem Apoſtolorum reuertit, Vbi à Petro, quæſtione dirempta, legeque Moſaica abrogata, vnà cum Barnaba, Sylla, & alijs Diſcipulis, legationem ad gentes à Petro, & ab illis Apoſtolis impoſitam, ſuſcepit, & peragrata Syria, Cilicia, ac Licaonia, Phrygiam, Galatiam, Macedoniam, Mæſiam, Philippos, Troadem, Samotracem, Neapolim, Theatirum, Amphipolim, Apolloniam, Theſſalonicam, Berrhæam, Athenas, Corinthum, Conchras, Epheſum, Cæſaream, verbo diuino recreauit, Eccleſiaſque, confirmauit, propoſitis Concilij Apoſtolici ſanctionibus, liturgicis religionibus, & omni ritu Chriſtiani cultus eradito, vt S. Clemens Romanus in octo libris Apoſtolicarum Conſtitutionum inſinuat. Apud

Aſia-

Aſianos, Græcos, & Syros, aliìſque Orientales, pietate Chriſtiana propagata, cùm vſque Illyricum religionis promouiſſet pomæria, demum ad Occidentis, & Europæ climata excurrens, Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, Orchades, cæteraſque Oceani regiones, ſeù Inſulas extremas, iubente Petro petijt: vt iure merito Innocentius I. & Gregorius Magnus habuerint gloriari, *in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, & Siciliam, Inſulaſque interiacentes, nullum hominum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes.* Non eſt difficile iſtud illuſtribus exemplis demonſtrare. Habuit ab ipſo Diuo Petro Doctores, Sicilia Pancratium, Marcianum, Berillum, & Philippum, Capua, Priſcum: Neapolis Aſprenatem: Tarracina Epaphroditum: Equicolæ populi Marium: Ptolomæum Nepe: Romulum Feſulæ: Paulinum Luca: Rauenna Apollinarem: Verona Eupropium: Patauium Proſdocimum: Ticinum Syrum, Aquilegia poſt Marcum, Hermagoram: Mediolanum, Barnabam.

Doctores diuerſis Eccl. à Petro miſſi.

Habuerunt Galli Lemouicenſes, Toloſſani, & Burdegalenſes Martialem: Tungrenſes, Colonienſes, & Treuerenſes Maternum, nec non Valerium: Remenſes Sixtum: Arelatenſes Trophimum: Senonenſes Sabinianum: Cenomanenſes Iulianum: Vienna, & Moguntia Creſcentem, Catalaunium, Nemmium: Biturlcenſes Vrſinum, Aruernenſes Auſtremonium: Saoctonenſes, Eupropium.

Habuit Germania, Eucharium, Egiſtum, & Marcianum: Hiſpania Torquatum, Feſiphontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Heſychium, Euſratium, & alios; Britannia, poſt ipſius Petri diſceſſum, Ioſephum ab Arimathea: Alexandria Ægypti, Marcum: reliquæ aliæ Prouinciæ, alios à Petro ſubmiſſos Prædicatores: quorum laboribus, & ſollicitudine, auſpicijs tamen, & authoritate Petri, cui Chriſtus in piſcaturam hominum iuſſerat retia expandere, ſocioſque in hanc rem adiungere illi voluerat, à quo iſti omnes miſſionis ſuæ originem acceperunt, omnes gentes ad Chriſti glorioſum regnum acceſſerunt.

Galliarum Epiſcopi, ingenuè fatebantur, in ea, quam Leoni Papæ ſcripſerant epiſtola, Religionis fontem, & originem, ad illos à Sede Apoſtolica Romana propitio Chriſto manaſſe, ſiue quod à Petro aliquos, ſiue quod à Clemente reliquos Doctores acceperint. Namque Clemens Petri ſucceſſor, clauibus regni cæleſtis ſuſceptis ſua intereſſe putauit, his qui in tenebris, & vmbra mortis ſedebant, ianuam lucis Euangelicæ aperire. Hilduinus in Areopagiticis narrabat, quod *cùm Dionyſius arcis Romanæ mænibus præſentiam intuliſſet, Beatum Clementem Pontificem Sanctæ, & Summæ Apoſtolicæ Sedis tam apicem gubernantem inuenerit. Huic Clemens ait: Frater chariſſime Dionyſi. quia de omnibus Catholicæ pietatis rebus, & ſufficienter edoctus, in nomine Domini partes Occidentis aggredere. & Apoſtolica noſtra authoritate omnem ſuſcipiens Galliam, opus fac Euangeliſtæ: ita B. Dionyſius, Sedis Apoſtolicæ priuilegio, tradente ſibi B. Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore, Lutetiam Pariſiorum Domino iubente peruenit*, cum Eleutherio, Ruſtico, & alijs, qui eam partem Franciæ nobiliſſimam Chriſto acquirerent. Ab eodem Clemente habuerunt Doctores, Exuperium Baiocenſes: Taurinum Ebroicenſes; Nicaſium Rothomagenſes: Cæleſtinum, & Felicem Metenſes, qui totum illum tractum, quem Lotharingiam vocant, Chriſto conciliarunt.

S. Dionyſ. cum ſocijs à Clem. I in Franciam miſſus.

Iam Eleutherus, à Lucio Britannico Rege, vt per eius mandatum Chriſtianus efficeretur, epiſtolam accepit: & mox effectum piæ petitionis conſecutus eſt: ſuſceptamque fidem Britanni, vſque in tempora Diocletiani Principis inuiolatam, integramque quieta pace ſeruabant, quemadmodum Venerabilis Beda teſtatur. Ad hunc modum Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto ſubdita ſunt, docentibus Fugatio, & Damiano, ab Eleuthero Pontifice Romano ſubmiſſis.

Diuerſi in Angl. Scot. & alias Orbis partes à Rom. Pont. ad prædicandum miſſi.

li. 1. hiſt. Ang. c. 4.

Donaldus etiam Scotiæ Rex apud Victorem Pontificem Maximum (qui quintus decimus poſt Petrum Eccleſiæ præfuit) per Legatos obtinuit, vt viri doctrina, & religione inſignes in Scotiam mitterentur, quod illum cum liberis, & coniuge Chriſti nomen edocerent, atque baptiſmate inſignirent. Regis exemplum nobilitas ſecuta, Chriſti religionem complexa eſt, quod narrabat Hector Boethius. Cùm verò & Angeli, & Scoti, vel ad gentilitatem reuerſi eſſent, vel nonnihil in errores prolapſi eſſent, vel non aliunde quam à Pontifice Doctores miſſos audierunt: Scoti à Cæleſtino Palladium: Britanni à S. Gregorio Magno Auguſtinum, & ſocios: primi Germanorum populi à Canone, S. Chilianum, cum Diremanno, & Colomanno; Hollandi, Phriſij, Vvſteſtphali, Thuringi, Catti, alijque Germani à Gregorio II. ſanct. Bonifacium: Ambiani & Veromandui à Marcellino, Quintinum Romani Senatoris filium, qui vnà cum Piatone, Dionyſio, Ruffino, Valerio, Eugenio, Criſpino, Criſpiniano, Luciano, Marcello, & alijs religionem Chriſtianam, vel inſtaurarunt, vel propagarunt.

Hiſt. Scot. li. 6

Quanquam vero, Sanctus Patricius extra ordinem à Domino miſſus fuiſſet, vt Hibernis Euangelium prædicaret, exemplo tamen Pauli Apoſtoli qui ad Petrum Principem Apoſtolorum originem doctrinæ & miſſionis ordinariè retulerat, & ipſe ita precabatur, vt recitat Beda: *Perduc me obſecro Domine, ad ſedem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, vt accepta inde authoritate prædicandi, cum fiducia verbum tuum, fiant Chriſtiani per me populi Hibernorum. Nec multo poſt vir Domini Patricius venit ad caput (vt poſtulerat) omnium Eccleſiarum Romam: ibique benedictione Apoſtolica petita & accepta in Hibernia magno cum fructu Euangelium Chriſti prædicauit.*

S. Patricius petita prius & accepta Apoſtolica benedictione in Hiberniam profectus.

lib. 1. vita S. Patricij.

Sancti Patricij exemplo, idem fecit Beatus Benedictus: namque *cum rudis adhuc in gente Anglorum fides & Eccleſiarum inſtitutio floreret, ad Beatorum Apoſtolorum limina peregrinatus aduolauit, vt ibi potius perfectam viuendi formam ſumeret, vbi per ſummos Chriſti Apoſtolos totius Eccleſiæ Caput eminet eximium*, vt ille ipſe Beda pro cōcione dicebat. Inſigne eſt illud, quod aliquando Leo magnus, Maximo Antiocheno Patriarchæ præſcripſit: *Illud quoque dilectionem tuam oportet præcauere, vt præter eos qui ſunt Domini Sacerdotes, nullus ſibi ius docendi aut prædicandi audeat vendicare, ſiue ſit ille Monacus, ſiue Laicus, qui alicuius ſcientiæ nomine glorietur. Quia & ſi optandum eſt, vt omnes Eccleſiæ filij,*

in natali Benedicti Abbatis.

Leo magnus ſtatuit nequis præter Sacerdotes ius prædicandi ſibi vendicet.

Epi. 62.

quæ

quæ recta, & ſana ſunt ſapiant: non tamen permittendum eſt, vt quisque extra Sacerdotalem Ordinem conſtitutus, gradum ſibi Prædicatoris aſſumat: cum in Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe conueniat: vt in vno Chriſti corpore, & excellentiora membra ſuum officium impleant, & inferiora ſuperioribus non reſultent. Præcauebat Leo, ne ordo hierarchicus in Eccleſia turbaretur, neue aliqui inuenirentur, de quibus Deus quereretur, ipſi prædicauerunt & non ex me: ſeu vt ipſe dixit Hieremiæ: *Non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos.*

Iſtud porro non difficile tentarent pſeudoprophetæ, ſi viderent præ Sacerdotibus, alios, munus docendi præſumere: & Sacerdotes non à Principe Sacerdotum miſſos eſſe, ſed ſua ſponte incurrere. Neque enim in Eccleſiaſtica hierarchia præuerti debet ordo docendi, quo Sacerdotes ab Epiſcopis, Epiſcopi à Capite officium præconij accipiunt: vtpote qui ſciant totius ouilis Dominici curam Summo Paſtori commiſſam, qui quos velit mittat. Miſit Melchiades Tornacenſibus, Theodorum, Chryſolimum, Eleuterium, & Medardum, qui eos ſalutis vnda luſtraret: Angloſaxonibus Orientalibus, Honorius I. Felicem: Angloſaxonibus Aquilonaribus Bonifacius II. Sanctũ Iuſtum: Mercijs à Theodoro, Sanctus Finanus, & alij. Sanctus Landolinus Cameracenſis Eccleſiæ presbyter, à Sancto Authberto einſdem Eccleſiæ Epiſcopo ordinatus, quod non ignoraret Rom. Pont. eſſe meſſis ſpiritualis Præfectum, qui operarios in rus ſubmitteret, Romam conceſſit, atque à Sancto Martino Pontifice poteſtatem prædicandi gentibus poſtulauit: à quo demum munus iſtud conſecutus, ad reliquias Francorũ Gentiliũ cõuertendas miſſus, multa miracula perpetrauit, multa monaſteria erexit, Clodoueo Francorũ Rege fauẽte.

Varij in varias prouincias à Sum. Pon. ad prędicandum miſſi.
Baron. anno 650. & ſeq.

Sanctus quoque Amandus Leodienſium Epiſcopus, cum Landoaldo Archipresbytero & Amantio Diacono, Romam ad illa eadem Apoſtolorum limina veniens, benigne à Sancto Martino ſuſceptus, & ad prædicandum Gentibus deſtinatus fructus vberes ex earum conuerſione collegit. Sanctus etiam Follianus exemplo Furſei Germani prouocatus, Romam iuit, petiturus à Martino Pontifice Epiſcopalem benedictionem ad infidelium conuerſionẽ; qua accepta venit in Gallias. Nemo ex his vſurpabat officium prædicationis Gentilibus, niſi qui vocatus atque miſſus fuiſſet à Sede Apoſtolica Romana. Olim Valentinus quidam nomine, ab Oceano in Noricorum vrbem Pattauionem acceſſerat, animo illis prædicandi. Videns autem eius terræ opportunitatem, & quorundam hominum frugalitatem, regionemque iam albam ad meſſem, intra ſe cogitabat: *Non debet concionãdi munus quiſquam ſibi vſurpare, niſi Apoſtolicæ auctoritatis iuſſione: ſicut ſcriptum eſt: Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Hæc dicens adijt Pontif. Roman. qui cum honore eum excepit, audiuit, & Apoſtolica authoritatę eius ſtudium prædicandi confirmauit. Sed & S. Bonifacius Anglus, quanquam vehementiſſimo flagaret deſiderio conuerſionis infidelium, non tamen aut monaſterio egredi, aut tamen officij aggredi auſus eſt, niſi iubente Gregorio II. Pontifice. Hunc itaq; conuenit, & ab eo munus Apoſtolatus per epiſtolam iniunctum obtinuit. Ad hunc modum Gregorius committens ſcribebat: *Ideo in nomine indiuiſibilis Trinitatis, per inconcuſſam authoritatem B. Petri Apoſtolorum Principis, cuius doctrina & magiſterio fungimur, & locum ſacræ ſedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ religionis inſtituimus, atque præcipimus, vt in Verbo Dei (quæ igne ſalutifero, quem Dominus venit mittere in terram, enitere videris) ad quaſcunque gentes infidelitatis errore detentas, properare Deo annuente potueris, myſterium regni Dei per inſinuationem nominis Chriſti Domini Dei noſtri veritatis ſuaſione deſignes, & per ſpiritum virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis, prædicationem vtriuſque Teſtamenti mentibus indoctis conſona ratione transfundas. Diſciplinam deinde Sacramenti, quam ad initiandum, Deo prænio, credituros tenere debeas: ex formula officiorum Sanctę noſtræ Apoſtolicæ Sedis inſtitutionis tuæ gratia prælibata, volumus vt intendas.*

Literæ miſſiuæ Greg. Pp.

Has litteras cum Bonifacio à Gregorio Romano Pontifice accepiſſet, tunc primum Turingiam conceſſit omneſq; illius Prouincię Principes verbis ſpiritualibus alloquens ad ſacrã Fidem & religionẽ complectendã inuitauit: Sacerdoteſq; quos varijs deditos flagitijs cõperit: ſermo Euangelij ad inſtitutionis Canonicæ normã correxit.

S. Bonifacius Thuringos Heſſos & Boiarios conuertit.

Apud Thuringos, cum tantos progreſſus feciſſet, Catti, quos Heſſos vocant, conueniendi erant. Complures, Chriſtiana religione abiecta in varios errores inciderant: alij enim lignis vel fontibus clam vel palam ſacrificabant: alij haruſpicia, diuinationes, preſtigia, & incantationes ſequebantur: pleriſque alijs nefandis ſacrificijs erant addicti: pauci, in via veritatis, quam ſemel dedicerant perſiſtebant. Ad hos conuertendos, non prius accedere voluit Bonifacius quam idem Pontifex Roman. miſiſſet. Ab his ad Baioarios, pariter à Romano Pontifice miſſus, monebatur, vt non vno loco conſiſteret, ſed vbique diſcurreret, atque Apoſtolicã traditionem, cunctos tenere edoceret. Sed & Vvilbrodus genti Friſonum nunc demum lumẽ Euangelij inferre auſus eſt, cum illi Romanus Pontifex. Sergius poteſtatem feciſſet: quo etiam tempore, ab ipſius Pontif. Roman. Legatis, Cedoaldus Rex Britonum ad Chriſtum conuerſus, Romam properauit: vbi à Papa Sergio baptizatus, ad cœlum tranſijt: hoc Epitaphio titulo inſcripto.

Vvilbrodus Friſon. apo.

Beda hi. Angl. lib. 5. c. 11.

Gelfridus l 9 de Geſtis Britannorum.

Culmen, opes, ſobolem; pollentia regna, triũphos
Armipotens Cedoal, liquit amore Dei.
Vt Petrum, Sedemque Petri Rex cerneret hoſpes
Cuius fonte ſacras, ſumeret albus aquas.

Boemi etiam, opera Romani Pontificis, ſiue Stephani VII. ſiue Nicolai I. fidem acceperunt. Morania quoque Chriſti cultum complexa eſt, miſſis eo Cyrillo & Methodio, à Nicolao I. qui varios præterea populos ad Chriſti ſidem adduxerunt, Triballos, Raſcios, Boſnenſes, Seruios & Croatas: vniuerſam denique gentem, quæ Viſtula, Danubio & Vago fluminibus circumdatur, ac demum in Myſia, Bulgaros, & Gazaros. Anſgarius Polonos, Pomeranos, Danos, Suetos, & maris Balthici accolas, à Romano pariter Pontifice miſſus, luce Euangelij ſiue colluſtrauit, ſiue confirmauit: vt paulo poſt Poloni habuerint à Ioanne XIII Prædicatores flagitare, cum id muneris plurimi vndequaque venientes exambirent. Vel ipſorum nomine Polonorum, Stanislaus

Boemi Morauı, & alij populi ad fidem opera Rom. Pont. conuerſi.

in Chimera,

Orichoæus, hæc quæ adſcribo fatebatur: *Admonitu piorum virorum quorundam, Mieſcone Monarcha,cum audiuiſſimus,eſſe ciuitatem quandam Dei, cuius Antiſtes eſſet Romanus Petrus, penes quem eſſet authoritas ſumma, ex ſeruitute diaboli in libertatem Chriſti homines vindicandi ab hoc ipſo, iſtius ciuitatis Antiſtite, Mieſcone Monarcha, opem aduerſus diaboli vim implorauimus.*

Vvilibaldus& alij in Poloniam à Sed. Apoſt. miſſi.

Itaque Ioannes XIII. Vicarius Ieſu Chriſti, Simonis autem Petri ſucceſſor, exoratus à Monarcha, Senatu, populo, doctiſſimos viros Italos, videlicet VVilibaldum, Procorium, Iordanum, Gotfridum, Lucidum, Angelotum, Octauiànum, Iulianum, ad nos Vandalos ac Lechitas miſit: qui & Mieſconem Monarcham, & genus noſtrum illi ſubiectũ ſacri baptiſmatis vndis ab originali culpa abluerent, & ex ciuitate diaboli ablutos ac mundatos, in ciuitatem Dei transferrent, Chriſtique Eccleſiæ dicarent, quod etiam factum eſt. Nam illi viri ſanctiſſimi, Vandaliam, ſiue tu malis Poloniam dici, ingreſſi, prædicabant uobis Chriſtum, & gratiam eius qua nos in communionem ſuorum Deus conuocauerant celebrabant: homines turmatim ad flumina confluentes baptizabant, ac idola ex Vandalia exterminabant.

Pannonij Pruſſi Lituani,& alij diuerſi ad fidẽ conuerſi.

Pannonia & Fruſſia, à Sancto Adalberto Pragano Roma miſſo, Chriſto adiuncta eſt. Liuoniam Medardus, Lituaniam Vitus, Cumanos ſanctus Hyacinthus Odrouanſius, Tartarorum & plurimarum gentium Orientalium populos Dominicanorum plurimi ab Innocentio tertio, Honorio tertio, Gregorio nono, Innocentio quarto, Alexandro quarto, & Gregorio decimo miſſi, Chriſto corporauerunt.

lib. 2. de bono ſtatus religioſ.cap.30

At Bruno, ex Ducali ſamilia, nempe Lotarij Saxoniæ Ducis filius, monaſticam vitam, Romæ, in cænobio B. Alexij profeſſus, (vt Hieronymus, Platus, ex Annalibus recenſet) à Ioanne XIX. ad Rutenos miſſus, multos populos ad viam ſalutis reuocauit: qua in cauſa ne quid illi ad laudem deeſſet, martirij quoque gloria ornatus eſt. Quo etiam tempore Bonifacius, Romualdi diſcipulus, in Ruſſiam profectus, Ruſſianum Principem, eiuſque principatum, præter fratrem conuertit: à quo impie cæſus, vineam à ſe plantatam ſænguine etiam irrigauit. Orho etiam ex Monaſterio Vabergenſi, à Caliſto II. in Pomeraniam miſſus, Varciſlaum principem conuertit cum ſuis. quin idem etiam loca omnia maritima, Daniæ, Poloniæque finitima, cum magna animarum cõuerſione peregrauit: denique complures Saxoniæ ciuitates obiens, magnos vbique ad ſalutem motus effecit. Huic ſimilis fuit Vicellinus, qui miſſu Pontificis Romani, non multo poſt Othonem, vna cum quatuor ſocijs, ex Gallia ad Vandalos profectus, triginta totis annis incredibili labore, vniuerſam illam regionem, in qua innumeri erant populi, Chriſtianis imbuit præceptis & in ijs inſignia cænobia complura fundauit.

Dominicani ad cõuerſionem gentilium ſæpe à Sed. Apoſt. miſſi incredibiles fructus reportarunt.

De Dominic. PP. hoc conſtat, tum alias ſæpiſſime, à Sum. Pont. varia in loca infideli deſtinatos, in conuerſione gentiũ & ſchiſmaticorum præclaram operam Deo Eccleſiæq; nauaſſe, tum vero Innoc. III. temporibus, cum illius iuſſu, ingens eorum numerus ad eandem gentilitium conuerſionem, è diuerſis prouincijs properauit, multaſque barbarorum regiones, in quibus nulla adhuc Chriſti notitia, nullum lumen erat, peragrauit, idque eo fructu, vt ita ſcriptum ſit; iniri non poſſe numerum animarum ad rectam fidem per eos traductarum: præſertim vero in Cumanorum gente: vnde Benedictus, qui cæteris præerat fratribus ad generalem Magiſtrum (quæ adhuc extant litteræ) hoc narrat, multa hominum millia non ſolum ex plebe, ſed etiam ex prima nobilitate baptiſmum ſuſcepiſſe. Ex eadem, & D. Franciſci familia quamplurimi, ab Innocentio eodem miſſi, ad Tartaros, Perſas, Neſtorianos, Iacobitas, Gazaros: & alios Orientales, neque ſemel adierunt: quo tempore cum magnus hominum numerus Euangelium admiſiſſet, paulo poſt ab alijs Pontificibus multo plures illuc operarij deſtinati, monaſteria multa inſtituta, denique res Chriſtiana feliciter prorſus adminiſtrata eſt. Superioribus Pontificibus, non ſegnior Benedictus XI. complures eiuſdem vtriuſque inſtituti ad Tartaros miſit: qui accepta ab Imperatore illo promulgandi Euangelij facultate, multa denuo & templa, & monaſteria, cum diuini cultus propagatione, multaque animarum cõuerſione inſtruxerunt. Ioannes item XX. II. non paruam eorundem manum, tum in Indiam, tum in Perſidem, Armeniam, Aſſiriam, Æthiopiam, & Abyſſinos deſtinauit: inter quos præcipuum fuiſſe ferunt Gonxalum Sauratum, virum doctiſſimum, qui tum concionibus, tum pluribus libris, in illam linguam conuerſis, multum profecit, cum etiam Bartholomæus cognomento paruus, Armenis, Anſelmus quem Aſcelinum alij vocant Perſis, & reliqui ſocij Dominicani alijs gentibus Orientalibus facem Chriſtianæ lucis intuliſſent. Quo pariter tempore, & Paſchalem inter Medos, & Gentilem inter Perſas, à Romano Pontifice miſſos eſſe accepimus, & illius quidem extat Epiſtola, qua narrat ſe, cum munera, & vxores quas barbari illi offerebant, aliaſque blanditias conſtanter repuliſſet, tentatum eſſe contumelijs, bis etiam lapidatum, faciem & plantas igne aduſtas: quibus tamen rebus ira ſe nunquam territum, vt nec habitum depoſuerit, nec à prædicando deſtiterit. De Gentili autem hoc omnino notabile traditur, cum Babylone degeret, neque in ediſcendo Arabico idiomate, cuius illic vſus eſt, magnopere perficeret: decreuiſſe in Italiam regredi: in ipſa autem via occurriſſe illi adoloſcentulum, qui cauſa cognita, redire eum iuſſit: quam Deus, illius ſermonis notitiam illi concederet, itaque ab ea hora tam bene, & expedire ſciuiſſe, ac ſi in eo natus eſſet. D. Dominicum, & S. Petrum Martyrem, pene prætericram, ille ab Innocentio III. in Gallias miſſus, florentiſſimum illud regnum hæreſi Albigènſium infectum, purgauit & ex hæretico Catholicum reddidit: ad centum millia hæreticorum, pars doctrina, pars miraculis, pars oratione quod SS. Roſarij dicunt, ſuperatis. Petrus Veronenſis, Inſubriam, Liguriam, Ethruriam, Æmiliam, maiorem adeo Italiæ partem Manicheiſmo contaminatam depurauit, & plurimos viuens, multo vero plures, ſanguine pro Chriſto effuſo moriens, Catholicæ Eccleſiæ adiunxit; miſſus ab Innocentio IV. cuius Pontificio ab hæreticis cæſus, ad virginitatis, & doctrinæ aureolas, martyrij quoque auream promeruit. Boſna quoque Dalmatiæ, Gerardi Generalis Minori-

Franciſcani quoque ad conuerſionẽ eorundem ſæpe deſtinati.

Donum linguæ Arab. Gentili ad prædicandũ diuinitus datum.

SS. Dominici, & Petr. Mart. fruct. in cõuerſione hæreticorum.

Boſna à Generali Minor. ab hæreſi cõuerſa.

noritarum miniſtri opera conuerſa eſt ab hæreſi, cum illa à Romano Pontifice miſſus fuiſſet: quo etiam iubente, ille deinde pluribus etiam eo miſſis, finitima loca, quæ erant eadem labe infecta, expurgauit, & ad Chriſti ouile reduxit. Odoricus autem Foroliuienſis eodem ipſe quoque ferme tempore, mandato Pontifex Romanus armatus, contulit ſe inter infideles, vbi per varias excurrens prouincias verſus Orientem & Meridiem, eo in opere annis decem & ſeptem poſitis, viginti millia animas ſolus baptizaſſe, & ſalutari doctrina dicitur inſtituiſſe. Gulielmum etiam Pratum, cum amplius 60. operatijs Vrbanus V. Caraium euangelizandi gratia ire iuſſit: memor illius memorandi, in Hungariæ finitimis locis patrati: quæ loca cum Rex Hungariæ recens ſubieciſſet, non plures 8. non pluribus diebus quam 50. bis centum millia hominum ad Chriſtum adduxerunt. Maiora ſunt, quæ Nicolaus Vezik, & Ioannes Epiſcopellus Dominicani Poloni, ab Vrbano VI. in Lituaniam miſſi, Ladiſlao Iagello, ad ſacra peruenientē patrarunt, cum illo trophæa fidei intuliſſent. Immenſi fuiſſet laboris, ſingulos ſacro fonte tingere: turmatim diſtributos, aqua luſtrali conſpergebant, vnicuique turmæ tam virorum quam mulierum ſacro nomine impoſito. Non poterat iniri numerus, eorum quos illi ad puritatem fidei adduxerant. Auorum etiam noſtrorum memoria, Alexander VI. & Iulius II. nouo orbi, à Chriſtopharu Colombo, & Americo Veſputio retecto, Euangelij ſole illuſtrando, Franciſcanos, Dominicanos, & Auguſtinianos deſtinauere, tanto fructu, vt Minoritæ tresdecim, Dominicani totidem, Auguſtiniani non paucas, vt ipſi vocant, prouincias, ampliſſimo numero Cænobiorum breui tempore inſtituerint, ex quibus in vaſtiſſima illa regna excurrerent, idolatriæ eliminandæ, & Chriſti religioni inuehendæ. Paulus quoque III. Paulus IV. Pius IV. & V. nec non Gregorio XII. Societas Ieſu Patres illo ire iuſſerunt: quo cum penetraſſent, parum habuerunt Chriſtianos qui iam erant excolere, niſi etiam Euangelium latius propagarent, eoque inferrent, quo nunquam ante peruenerat. In Iapone enim ſexaginta regnorum regione, quicquid eſt religionis ac fidei, ipſi ſoli plantauerunt, ſoli rigauerunt, Deus autem tale incrementum dedit, vt illic centena millia Chriſtianorum cenſeantur. In Regnum quoque Sinenſe, illud tantum, tamquam opulentum, vt fidem pene excedat, quod antea quaſi clauſum à dæmone tenebatur, illi tamen ſplendorem Euangelij intulerunt, nihil veriti tam hic, quam alibi periculum capitis, quod plurimi ex eis æque atque Franciſcani, Dominicani, & alij adierunt in ſanguine profuſo, ſementem Chriſtianorum ſeuerunt.

Odoric. Foroliu. viginti millia animas ſolus baptizauit.

CC. millia hominum ad Chriſtum in 50. diebus conuerſa.

Quantos fructus fecerint PP. Soc. Ieſu in Indijs in eo-uerſione Gentilium

Dabo aliquos ex Societate Ieſu in amphitheatrum honoris, ab eruditiſſima C. Scribani manu productos: quorum alij inter barbaros, alij inter ſæuiores barbaris hæreticos (nam, & horum miſerti Pontifices Romani, Nuncio miſerant) paratiores ad ſubeunda tormenta, quam crudelitas ad irroganda, per mille excarnificandi lanienas, lacerationes, ignes tardos, ſecures, & funes. hilari oculo ſanguinem, & animas profuderunt: nobili in lucta, quæ fatiget calamos, nō tātum impleat,

FRANCISCVS XAVERIVS.

Creuit ſupra id omne, ad quod Fortuna manum porrigit. Faueret illa ſecundiore curſu, per aduerſa duceret, in malacia veheret; an per minantes ſcopulos, ſæuientes fluctus, æqualem paremque ſibi nec alium Fauonio, alium Aquilonio ſtatu virum dedit: interritum periculis, in aduerſis felicem, in tempeſtatibus placidum, ſemperque ex ſuperiore loco humana proſpeſtantem, altiore mente: videret modo grandines, niues, torrentes ſalebroſos, glacie rigentes, tanquam minora tranſibat. Ardentes vſtularent arenæ, ſaxa, ſpinæ, fodicarent, & quicquid homines timent: ille cæleſtia cogitans, nec niſi ſaluti Indorum inhians, ridebat. Nec aliter quam radij ſolis, qui terram percutiunt, & corpori ſuo inhærent: animus Xauerij inter aduerſa ſautia itineris perturbatur, ſed origini ſuę Deo, ac fini præſcripto hærebat, illuc ſpectabat, nitebatur. Inſurgeret clamor, & late ſonaret repercuſſus ager, accederent barbaræ minæ, ſed & verbera: ille tranſibat altior his cūctus, tamquam ſiluam vento verberatam, tamquam ſegetem ſine intellectu ſonantem, poſt quæ omnia cum ſucceſſiſſet ſomnus, animo vigilabat, & inter creba lærabunda ſuſpiria teſtabatur vigilias, & ſuum Ieſum: vt nec ſuſpicari poſſent indormiſſe. Iam per omnia aſpera iacturus inuictus fame, & paupertate, per medias Orientis ſolitudines, per arentes colles, per multa flumina ex ignoto cadentia, ſuperatis temporum locorumque difficultatibus vix corpus agebat, maior tamen illum vis augebat intus, amor Ieſu ſui, proximorum: que ſalus, cum ſub rrita lacerna, & nullius non iam anguli ſed calcei dominus, poſt Indos, & Iapones, & Sinenſem inhoſpitam terrā, colla ſubdere, Chriſto meditaretur.

Labores ab eo ſuſcepti.

Audere poterat humanæ ſalutis aduerſarius, quæ poteſt infeſtiſſima, quæ pertinaciſſima depromere iacula: nihil tamen efficiebat. Crudelitatem, carceres, catenas, equuleos, cruces, ferrum, ignes, ferarum turbam, & omnem capiti, & pectori inſtrumentum apparatum, velut cunarum terriculamenta ridebat Xauerius. Quid, inquit, mihi febris, an hoſtis manum iugulo admoueat? bilis, tabes, an ignis viſcera torreat? adactus per medium hominem ſtipes, an præcordiorum dolor intima depaſcat? ceruicem gladio, non vlceri præbeam? pedes manuſque catena, an obrigeſcentes, ac ſine ſenſu iacentes nerui ſtringant? perge Fortuna, perge crudelitas. Conuoca ſenatum roboris tui. Sagittis fundiſque petis tam minuta iacularis? leonem ſubula, aprum ariſta, tantum digito excipis? nec molaribus frangitur. Excute rupes; ſi non in eadem oculorum firmitudine, ſpera te quiequam poſſe. Vinceris, & fateris: & nouiſſimum tamen telum mittis; pauperrimam caſulam, furcis fultam labantibus, raris tectam ramalibus; latera, frondes & ſtipula claudunt, cænoſo oblita luto, & illam extra ſolis terræque vias. Nihil agis imbellis manus: excludis terris? cælum recipiet: & è contubernio carnis educto, diſcuſſa caligine diuinam lucem, vndique claram, toramque dabit: quæ nunc per anguſtiſſima emiſſaria ac receptacula oculorum, tantum ſtuporis procul, & obſcure in-

Periculorū contemptus

tuentibus ineutit; quid faciet, cum illam ſuo loco videbimns, reductis velis: vbi nulla ſerenum vmbra turbabit, vbi nullæ nubes obſtacula iutercurrent? Beata dies tot voris optata! dum per has æui moras illi preluditur; tot lachrymis tamquam irriguo amne madidata; tot ſuſpirijs tamquam illicibus amoris flammis prouocata: & hactenus quidem acto per occulta curſu; nunc veſtigia implicata crebris anfractibus, nunc vmbram ſui, nune ludibundnm oſtentauit ex interuallo radium: at tunc integre magnitudine ſuæ reddetur. Et vt Ægypti illud decus, æſtiuo incremento tumens, clauſtra laxar, & oſtia, ſecundatque anhelos campos: ita hæc dies, cum mixtum hoc diuini humanique ſecreuerit, totam ſe diffundet in partem ſui; rapietque ad ſe, graui terrenoque ſolutam; quod tamen nos illi aptauit, & per tot acies dedolauit, in feliciorem partum vitæ melioris.

Numerus ab eo baptizatorum.

Baptiſmo ſacro, Xauerius, abluit, in Socotora plurimos pueros; In Comerino promontorio, totos pagos; In oppido Tolo, 25000. homines Iaponum vno an. 111. millia; in alijs locis complures alios: quatuor á mortuis ſuſcitauit: Moribundos ſanauit: ingentem numerum Chriſto conciliauit, lapidibuſque appetitus, mulris calamiratibus pro fide toleratis, cùm animæ ſuæ petijſſet vt moreretur, Ieſum, & Mariam ſæpius inclamans, ſanctiſſimè obdormiuir, Defuncti corpus magna vi viuæ calcis obrutum terræ mandatum, quarto ab ea humatione menſe, nulla tabe, liuore nullo tactum deprehenſum eſt. Olim magnum fuit, Ionam incolumem exſpui: cùm illud triduum concoquendæ carni cæto ſuffeciſſet: magnum, Iſraelis calceamenta, & veſtes poſt annos 40. indetritas, & inobſoletas perſtitiſſe: & Babylonis ignes, trium ſratrum, nec Sarabaras Iudæis alienas læſiſſe: non minus ſors erit, Xauerij carnem poſt quartum menſem requietæ, & reconditæ calcariæ ſepulturæ: ſucci plenam, colore viridam permanſiſſe, & veſtimenta è viua calce excuſſa, etiam colorem tenuiſſe. Delatum exinde corpus Malacam, cuius Ciues graui per id tempus cum morbo conflictabantur; Deo illorum duritiam, & in Xauerium dum in Sinas ſolueret animos iniquiores edomante, & rudem illorum ad obſequia mentem operoſis exercitationibus dedolante: atque hic, menſe iam poſt mortem, & ſanguis profluit, & redeuntibus incolarum obſequijs, eodem quo Xauerio parentatum eſt die, omnis illa infeſtior ægritudo, tamquam fulmine de cœlo icta, perijt. Goam tendem corpus deuehitur, naui carina debili, ac tantùm non dehiſcente: itavt rei nauticæ peritiſſimus quiſque denuntiaret fore, vt, laxatis in medio curſu compagibus, mergeretur: tenuit tamen portum. Et vt omnes intelligerent, præſidio illam ſuo tutatum fuiſſe Xauerium inter ſaxa, & fluctus: eo ipſo momento, quo creditum ſibi corpus Goanis tradidit, mercibuſque leuata eſt, eodem quo ſteterat loco, in ſumma malacia, nulla alienæ manus acceſſione demerſa eſt.

Obitus in miraculum de corpore ſepulto in calce viua.

Alia in tranſ... itione corporis miracula.

Cogita nunc, quiſquis es, Xauerij corpus, & virgam Moyſis hanc imperantem in mari rubro: vt ſunditus proſciſſum, ſicco Iſraelem pede inteſtino itinere tranſmitteret: rurſuſque ſub eiuſdem virgæ nutu redeunte natura, Ægyptium exercitum vndarum concordia obrueret: Xauerium verò, & Auſtrinos reprimentem flatus, nè toto hoc curſu ſæuirent: & ſcopulis imperantem, vt dimitterent ſaluam, quam amplexam iam tenebant: & carinæ, nè aquam acciperet: & aquæ, nè illam occuparet: & naui, nè diutiùs ſtaret: & mari, vt illam placidè dimitteret, eodem momento, quo onere leuatam ſenſiſſet. Atque hic menſe poſt mortem nono, ita omni parte ſibi corpus conſtare repertum, vt arbitrarentur plerique amica vi ſoporis eliſum: blandaque magis quietis neceſſitate proſtratum, quam anima emiſſa iacere. Illa enim carnem, quam interibilem ſcimus, multa ibi hominum millia, etiam ad explendam omnem curioſitatis auiditatem oculis, ac manibus pertentantes, tanquam de vita recentem, de anima calentem comprobarunt: vt iam tum viderent æternitatis illam felicioris candidatam. Acceſſit aliud, aduerſus ſæculi huius incredulitatis, & peruerſitatis ingenia, prouidentiſſima Dei benignitate: quo fidem, in non paucis laborantem, in veræ fidei ſectatoris corpore animaret: & tamquam manifeſtis luminibus, ab omni ambiguitatis obſcuritate depurgaret: Iuſſu Proregis Indiæ, Medicus proprius veritatem tentaturus, ventrem ſecare aggreſſus, recentiſſimo promanante ſanguine territus, & veneratione ſimul animum pulſante, deſtitit. Inſeruit tamen in vulnus digitos, comperitque nullo tetro odore grauia, inteſtina integra; vt crederes ipſo illo momento animam efflaſſe. Poſt mortem, etiam miracula patrat, quæ ſola ſatis forent, ad ſepeliendam infidelitatem in aliquo capulo perpetuæ rupis. Nam & cæcos perluminat, dæmoniacos expiat, leproſos emaculat, mortuos vitæ reddit: procellas, & freta componens, rurum nauigantibus iter præbet. Fidem inter Indos, & Iaponios, iam inde ab Apoſtolis quaſi per manus traditam, ſartam, tectam, ac ne veſtigio quidem degenerem, verus hæres Apoſtolorum, ſicut hi teſtamento cauerant, ita diſſeminat: non minore gloria, quàm animo.

Caſpar Berzeus Belga.

Dabo te tuo penicillo, Inluſtre Belgij decus: nec quicquam extra te, alieni coloris. Cùm per vina cœlo iuga, perque illa ſaxa, an montes, ſed & duriorem ſaxis niuium gelidatam denſitatem, animarum igne ſuccenſus, euolas alacer; teque, tuoſque animans exemplo Chriſti ſpe futurorum. O qualem virum Orienti dedit Belgica! ſæuiunt maria: calcat vt torrentes. Minitantur prolabentes totis radicibus niuei montes: ridet vt pluuias. Circumſtrepit Barbarorum fremitus, ipſo crudelior ferro; folia huic ſunt Auſtrinis acta fluctibus. Ita maior humanis temnit hæc fortuita, magnus Chriſti miles. Pluat, ningat, grandinet, fulminet, tonet, cœlumque, terramq; miſceri videat: pectus illius altiùs omni nubilo in perpetuo ſereno eſt. Quid miraris? certam ſibi in eo ſedem fixerat magnus ille Sol Ieſus, cuius radios nulla nubes flexit, nulla tenebrauit: ſed & ab huius recogitatu, perpetuo cordi, & ori fluunt mella. Arborem cogita, cuius mediale Autumni tempore ſuccino

Mira eius animi Conſtantia.

lacry-

iacrymat: Agringentinum agrum cogita, ſolo nunquam deficiente, æterna reiectione terram vomentem: at Ieſu nomen perpetua largitione mella fundit: alternataque numquam immoritura ſerie, nunc mentem paſcit cæleſti dape, nunc pectus rorat nectareo ſucco, nunc labra mellie, adipatque. Ex his hauriebat noſter ille ſalubria monita, quibus exſucca gentilia pectora, & Chriſtianorum maciem, tamquam myſtico adipe, & ſpiritalia ruina diſtendebat.

Olim Cretenſibus Minos, Perſis Zoroaſtres, Ægyptijs Menas, Spartanis Lycurgus, Athenienſibus Solon, Romanis Decem-viri leges dederunt: at illæ nihil ad bas, quas Orienti, Orbique nouo Gaſpar Belga dedit.

Deum venerare, propitiare. Illi, ſicubi pec-
I. Diuina eius monita. catum eſt, profuturas lachrymas mitte: ſolidæ cadunt, dum ſtat hæc vita: nam poſt eam ruunt, nihil profuturæ.

II. Virtutem cole, qua ſola diſtinguimur. Nam ſi ortum ſpectes, pares naſcimur, nec ſericata mater nitidius partum fudit: nec minore lympha Regiam prolem abluit docta manus, quam pauperis caſæ. Nec vna tamen contentus viue. Namque ſolitaria mentem explet, & virtus aliam trahit. quarum ſeriem, ſi totam imbibes, nulla te temporum, nulla ingeniorum malignitas è recto, bonoque dimouebit. Vide Inſulas illas herbidas, quæ innatant ſuis fluminibus, arundine, & iunco textas? perſtant in ætates, deraſum licet oſtentent marginem, dum terunt, teruntur que littoribus illiſæ: ita fiet in illo virtutum perpetuo nexu; innatabunt animæ ſuæ, tamquam Oceano perque ſecunda, & aduerſa adraſæ, colorem tamen ſuum ſeruabunt, habitumque.

III. Sed & vis procul à metu vitam ducere, ſeptus firmiore Sicula manu? nulla certior cuſtodia Innocentia. Eſt enim inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Et fruſtra ſe terrore cinxerit, quem odia circumſtant ſuorum, alienorum.

IV. Innocentiam ſequitur conſtans mentis, linguæque concordia, cùm nullam mentiendi cauſam habeat, quæ ferè timorem, aut alieni auidum pectus ſequitur. Seruile enim vitium eſt mendacium. Vnde fit, vt magnitudinem dignitatis ſuæ Chriſtianus, qui mentitur ignoret.

Sed & qui bonus eſſe volet, rectique tenax,
V. implacabilem ſe præbeat ſibi, exorabilem alijs. Ille peſſimus eſt, qui dare veniam, niſi ſibi neſcit. Prior ille ita peccatis abſtinet, tamquam nemini ignoſcat: ita ignoſcit alijs, tamquam ipſe quotidie peccet, poſterior ita alienis iraſcitur, tamquam ſi ipſe numquam labatur; ita labitur. tamquam ſi perpetua venia cum indigeat, tum ſolus ea digniſſimus ſit.

Numquam formæ fidas, non opibus, non
VI. obſequentibus, non blande trahentibus. Impellunt enim hæc ad lubrica; ad non leue præcipitium, at nos in ſicco, in plano, parum firmiter ſtamus.

Inſidias & campus habet, nec foſſa, nec agger,
Nec ſint laxa licet fallere plana ſolent.

Sed & iſta Fortunæ viſcata beneficia habent poſſeſſores ſuos, non hebebuntur; in quibus ſemper ſenties plus aranei veneni, quàm apei mellis.

VII. Magis etiam infelicis luxuriæ tormenta fuge. Nam & Temperantia animum meliore dextera, quam ventrem ornabit, aut onerabit luxuriæ manus. Et neſcio, an non magna pars libertatis ſit bene moratus venter: nec aliud deſiderans, quam foueri: nam & victimę ad ſupplicium ſaginantur; & hoſtiæ ad pœnam coronantur: raro ferri contumeliam ſenſit ſtrigoſum animal.

Nec minus ſemifumantes adhuc à proximo incendio dignitates deuita. Cogita flammam. VIII.
remota illuminat, admota comburit. Sed & volue hiſtorias; & vide illos, quos ſupra ſpem vulgi, ſupra natalium ſuorum modum, in altum Fortuna miſit,

vnde altior eſſet.
Caſus, & impulſa præceps immane ruina.

& vero in humili, rarior lapſus eſt: ſed & ipſa altitudo, attonita habet ſumma; & iſtud honorum faſtigium ad præcipitia curſus eſt. Vis animum ab his immunem: meliore Dei flamma pectus incende. Ita nulla te Fortunæ iacula dehoneſtabunt: decolorabunt forte, & ſupremam cutem tangent; vulnera, ſanguinem neſcient. Et vis ſcire, quam parum fida ſede, quam inſido fulcimento nitaris? circumfer oculos, & vide, quàm volubili orbe circumagamur: maior etiam rerum viciſſitudo eſt, quam ſi intuearis, vitam hanc æuum putabis, & tamen, ſi annos computes, vix iam tempus eſt.

Fuge ſuſurrones perpetui ſecreti. Chriſtia- IX.
no enim, ſi non aperto pectore officia pura miſcentur, ſi cuniculis mens occulatur, plus habet vrticæ quam Euangelicæ virtutis. Sed & nullis magis quam audientibus inſidiantur hi ſuſurri; quos aut adulatio veſtit, aut ſanguis proximi.

Fuge quos ſenties ſpes ſuas in rerum moti- X.
bus habere, & amare tempora dubia. Numquam erunt illi amici tibi; commodis ſuis erunt, vbicumque ea fuerint. Fuge quos videris ad omnem doloſi nummi vela dantes: & tamquam in mari magno, plurimis ad illum ventis vehi, non dicam omnibus; pari felicitate, an perfidia: pari dexteritate, an aſtu; bono ſuo, an fallaci in perniciem tuam diſſimulamento, numquam illi rebus tuis conſulent, niſi viderint eas coniunctas cum augmento rerum ſuarum; ſeca hanc ſpem, & illi vel vertent in portum ſpei ſuæ, vbi vbi fuerit. Nil amica fides, nil mutuæ dexteræ, nil ſanguis, nil religio, nil Deus ipſe. Nam illis hæc omnia in vna Fortuna ſecundiore auri, & dignitatis, numquam in ſummo bono, ſita ſunt.

Amabis verò, & amplexaberis toto niſu, ſi XI.
quæ aduerſa inciderint: ſecunda metues. Illa tibi viam ſternent ad beatas ſedes; hæc deſternent. In illis, ad purum decoctus, diſces ſuſpirioſis vlulatibus Chriſtum quærere, & inuenies; in his mente ſordidus, purpura fulgens, æternum vſturas flammas nolles, & reperies.

Sed cum nullo non tempore, magis ta- XII.
men aduerſantibus rebus, amicos cole, nec imiteris illos, quos vides ijs vti tamquam floribus, eamdiu gratis, quamdiu aliquid adflant odoris: at vt tu eo amicius, eo ſuauius ſtringes; quo faciliùs liuent, & marceſcunt incurrentibus eſperis, quo tempore, ad omnem doloris ſenſum argutiſſimos reperies.

Hæc monita, ab altiore quam ab humana mente. Reliqua ſi velim, vel ſumma per-

uolare

uolare capitum fortium factorum, dictorumque ab eadem diua mente; mentes laſſabit integras. Nimis enim diffuſa meritorum illius laus, quam vt ſtringam tam anguſto ſpatio, aut manu. Addam tantùm vnum, quod mihi ſemper magnum, tu, quiſquis hæc leges, vide an fallar; & ſimul diſpice, miraculi magnitudine vincat, an vincatur natura. Fontes memorant veteres portentoſos, qui ocularias diſſipant ægritudines, coarguendiſque valent furibus: in quibus quiſquis ſacramento raptum negat, ſi periurium nullum eſt, videt clarius, ſin falſum iurauerit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admiſſum tenebris fatetur. Gaſparem, quiſquis adibat crimine grauiore irretitus, lachrymis diffluebat, & melior iam abibat; quod obſtinauiſſet, in ſcelere vix dies pauculos tranſibat inultos.

Inſigne de ipſo miraculum.

Antonius Criminalis.

Non inferiore paſſu Criminalis magnum virum Orienti dedit, Orbi dedit, vt reliqua taceam, illuſtria, & multa, & tot prope miracula, quot vitæ dies: nouiſſima illa hora, quantum virum dabit? Poteſt ſe in tutum recipere, corpus ferro ſubducere. Nihil agis blanda Suadela, ſub tegmine pietatis. Criminalis, negat, quos Chriſto ſacrarat tenellos palmites, ſæuum vrentibus relicturum flatibus. Ferro traderet, qui ſpiritum trahere, in aperto durare à genitali lauacro, tamquam à matris vtero molliori, recentes primo didicerant? durioris tactus manum refugit, quicquid nouercæ mater excuſſit ſinu, & arma feret barbara? Apage ſæuitia. Criminalis oſtentat vbera; ferrum neſcit, nè in alieno quidem; ergo mater eſt, coactiſque ſuis ad certiora, ſolus expectat hos miluos, coruos, aquilas, à quibus circumſeſſus, non orat, mutat. Miraris? tot ante annos, per confragoſa, per aſpera, prærupta, deuexa, dura, quid poſſet in hac hora, quæ ſola virum oſtendit, didicerat: vt nihil illi iam inopinatum, nihil non expectatum accideret: nec mors ipſa: quæ vt venit, credo ſperabat tironem, incidit in veteranum: & ſtupuit ad repercuſſa iacula. Nouum Orbi prodigium: talem fecerat prior vita, è Societatis ſchola: talem Chriſtus militiæ huius Dux magnus: cuius decretoria illa, non permiſſoria imperia vltima, impiger, & vultu etiam ridente excepit Antonius athleta. Ergo, vt vidit ſuo periculo extra periculum eſſe ſuos, armato pectore illo victricium Chriſti armorum decore, haſtile ferrum recepit: & ſimul generoſos illos ſpiritus emiſit ad feliciores ſedes.

Haſtili occiſus.

Alphonſus à Caſtro.

Quid tuos Caſtro ſudores, nec iam guttas, ſed riuos per fortia colla manantes, tam prodige fundis inter Moluccos, gentem barbaram, ludibria artium, & opera manuum ſuarũ adorantes: à quibus, quid ſperes præter irritam operam, & infructuoſam; præter mentem efferam, & poſt beneficia minus gratam; Reſpondebis ſcio, Deum (cuius iudicium in ſuos, non in compede, aut pileo vertitur; ſed in æternitate pœnæ, aut ſalutis) elementorum ſeruitia, totius genituræ tributa, dignis ſimul, & indignis pati occurrere, & ſuſtinere ingratiſſima pectora. Sed parceres ſaltem labori, neq; tam plena manu obijceres caput gladijs, crucibus, beſtijs. Ad quæ athleta Chriſti; ſeueritati, ait, diuinæ declinandæ, quam vel liberalitatæ imitandæ, militi apud Ducem via ſupererit, ſi reformidauero pati pro veritate in ſalutem, quã alij affectauerunt pro vanitate in perditionem! & an non mediceæ ſunt paſſiones, modica omnis obſequij diligentia, ad diuinæ mercedis conſecutionem; Ita eſt. Aliquid tamen dandſi corpori, nec omnis ab illo voluptas in exilium mittenda. Ridet Caſtro: Et quæ, ait, maior voluptas, quam faſtidium voluptatis, quàm ſæculi totius contemptus, quam conſcientia integra, quam mortis timor nullus? Vtque iam voluptas abſit; an non conſultius illa carere momento hoc leui, vt æternum fruaris? & in hac area mundi varijs paſſionum flagellis triturari hominem exteriorem, quam æternum ignibus torqueri! Et ſanè quiſquis contempti Mediatoris conſequitur regnum, velit, nolit, neceſſum eſt, vt ante ſecutus fuerit exemplum: & nos quidem parua toleramus, ſi recordemur quid biberit in cruce, qui inuitat ad cœlum. Hæc generoſus athleta, mira oris qua erat modeſtia, maturaq; cunctatione, quam pari libra, grauitas, comitaſq; venuſtabant. Cumq; omni vita, moribus, ore, voce ad miraculum pacatiſſimus fuiſſet, (perpetua enim apud eũ malacia) vt ſenſit tamen diem adeſſe, ſanguine teſtandi fidem, cæpit, quaſi oblitus modeſtiæ, totum ſe profundere in voces gaudio grauidas, & iam tamquam magnum aliquid parituras: credens ab eodem patre, eum fonte illo quieto, & tranquillo, cùm ſiletur; exſultabundo vero ad cantum, cum tibia inſonuerit, & quaſi ad admirationem dulcedinis vocis vltra margines intumeſcente. Nam ſi Martyris huius vitam intuearis, exemplar videbis omnis modeſtiæ; accedat barbarum ferrum, & inconditus minitantium, & infrendentium clamor; egreditur limites perpetui tenoris, ſeque, vitaque ſua iam maior exſilit; vt ergo incidit in Mauros opimum hoc cœlo natum ſpolium, viduatum veſtibus, dies totos quinque per aſpera, & confragoſa raptant fune adſtrictum.

Poſt varia, grauiſſimaq; tormenta à Mauris in mare mergitur.

Credamus Tragicis quidquid de Colchide torua
Dicitur & Progne

Inde colli nuda cingunt virenti indolato ligno, tamquam trabe,: arbitreris immane iugum: quod tamen, quia Chriſti, leue fuit militi Caſtro, ſed & ſuaue. Sæuiunt demum ferro, corpuſque iam prope vulnus vnum deturbant in mare: excipit illud amicum pignus, quod tertio poſt die reddidit terris; plurima luce circumfuſum; litora complentibus Barbaris ad nouum cœlo, terriſq; prodigium. Mira res, nulla in cadauere ſigna vitæ extortæ; non cutis liuida, non oculi protuberantes, non in obruto vultu iræ veſtigia, aut doloris; viuere putes, & adhuc ineſſe animam. Sed & ſanguis fluit tamquam à recenti cæde roſeus, purpureus, qualis decebat tantam mentem. Nec fuit diu læta ſicarijs cædes. Nam & illi, & quotquot ſceleris conſcij, fautores, igne viſcera exæſtuant adeſi, minantis iudicij exemplaria oſtentabant: paucisque intercurrentibus diebus, inter vindicantia tormenta, irreuocabiles focos deſignabant;

Miraculum de Corpore occiſi, & punitio ſicariorum.

Con-

Conſaluus Silueria.

Seria Silueriam oratio, honorque æternus annalium, non hæc ſuccinctior prædicatio colet, quando in venerationem eius, non theatra, ſed orbis, qua patet, conſurget. Inter Barbarorum noua ſemper cæde hebetatorũ latera dentata, in illo barbaro ſalo decoloratis gurgitibus monſtruoſo, & fluctus frangit, & domat ventos reluctantes transfretatq; obſtantia freta; ſtrideat licet funis, curuetur arbor, gubernacula gemant: hoc eſt eſſe virum.

Animi conſtantia.

Nam ille, qui placido mari vehitur, inglorius ſubit portum. Tu quiſquis es, diſpice, an prioris imaginem reperias in Silueria. Vide quanto conatu, quam ſecunda dexteritate, idololatrici portenti artifices ſubagat, quam valido robore gentilicios aſpides, & regulos ſerpentes, arida, & inaquoſa ſectantes; atq; ideò in baptiſmum inſurgentes, propellat; ipſaſque Regis, matris, procerum trecentorum, nõ iam viduis aquis, ſed ſpiritu animatis, & quodam magni afflatus connubio ſocialibus dextris granidis, & purgatricibus, mẽtes expiet.

A Machometano Antiſt. vocatus in inuidiam apud iuuenem Regẽ.

Inde nata æmulatio Mahometani Antiſtitis, (agnoſce verſutias diaboli; quod ſuo non poteſt, ſuorum ore peragit) qui paulatim per ambiguitates bilingues, verbo, profeſſus veritatem, (non poteſt ædificare mendacium, ſine demolitione veritatis) Silueriam ſugillare, ac quaſi transfunctoria congreſſione oppugnare, exinde occupatis Regis auribus, imprimere vulnera; ignarumque machinationum harum vocare in inuidiam, & in deſtinatã iamdiu animo mortem. Nec fuit hoc ardui moliminis in iuuene Rege, in quo nondum ſatis proceſſerant veri Chriſtiani documenta, quibus illam vim vafram, antiqui erroris artificem, omnis boni auocatricem, noſſet, propelleret. Ergo inaudita cauſa, mors imperata: nec reperit illa ignarum. Deus enim ſeruo ſuo denunciarat: ille amicis, quibus illacrymantibus, fugam adornantibus; Moriamur, ait, ne degeneres Chriſto, dies magna, dies Domini redarguat; aut ſanè ponendum Chriſtianum nomen, cum illo à primordio operatore mendaci diuinitatis. Quod cùm impium ſit, indigniſſimumque Societatis nobili palæſtra, à qua didici ſtare, ſanguinem fundere, Chriſtum imitari, amplectamur lubentes, ſi non coronam ſpinis, & tribulis, in figuram delictorum, plenam; ſi non crucem; funem ſaltem, & mollius elementum. Factum vt dixerat, fune, & aqua vitam finijt.

Fune, & aqua vt prædixerat vitam finijt.

Franciſcus Lopez.

Incidit in Mahometanos: vitam promittunt, ſi ad Mahometem tranſeat. Chriſtum induerat. Mortem illi ingeminant: at ille ſecurus de vita meliore vltro etiam increpitat: non circumtonſa oratione, aut de capſula cincinnata. Non eſt illuſtris animæ criſpata concinnitas, aut fucatus nitor, gaudet ſuo, ſecuruſq; bonæ mentis, magna verba proijcit: credas ingentia ſaxa, credas fulmina de potentiore cœli latere. Ita Lopius, plenus fiduciæ; non curæ; nihil fractum, ac ne manu quidem factum: ſed natiuo robore, & colore plena, animum indurantia, & aduerſus minas erigentia verba promit ex illa ſocietatis nobili pharetra, diuite penu, feraci campo. Mahometem ore, vultu, oculis negat, execratur, damnat: Chriſtum ſuum profitetur. An non iam ſuum, quem tam grandibus paſſibus, ſiccis oculis, interrita fronte, in vulnera ſequitur, inde in mortem, immo in vitam? Hodie mecũ eris in paradiſo. Contingant mihi paria, animus, robur, exitus, vita. Ita fiat magne Deus.

A Mahometanis pro fide occiſus.

Rudolphus Aqua-viua.

Et ego non aliam imaginem dederim viri verè magni, verè nobilis; quam Orbi, quam poſteritati dedit Rudolphus Aqua-viua. Non quod ſecum traheret Imaginum fumoſam ſeriem. Nam, quid, ait, prodeſt

longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Maiorum? aut quid habebit
Diues auis, & vtroq; Iouem de ſanguine ducẽs?

Animus facit nobilem. Planè ita eſt. Nam ſi ad Adamum reuocas, perduxit omnes in hanc diem ex ſplendidis, ſordidiſque alternata ſeries. Mens, ait Aqua-viua, bona nobilem facit. ad hanc, omnes nobiles ſumus: & vna hæc hominis eſt: non quod ante eum fuit, aut Fortuna adiecit.

Mens bona nobilem facit.

Ita eſt. Non magis quam adminicula auream vitem laudatã dabunt: quam gemmei freni equum meliorem; quam bracteata iuba leonem generoſitatem. Magis tamen elucet, fateor, inter opes, & honores, & illa dignitatum faſtigia mens bona: magis etiam mala. Nam in paupertate, & deiecta illa Fortuna, inſtrumenta explicandæ nequitiæ deſunt. Hinc multorum crudelitatem, ambitionem, luxuriam, Fortunæ diu fauor deſeruit; vt primum pleno ſe illis explicauit ſinu, torpentia illa venena excuſſerunt in omnem partem ſui, caſura in non leuia capita. Venio ad Aquamviuam propius, inter illas Orientis ruinas, cum religio quaſi in vno capite periclitata finem reſpiceret, non labantem, non vultum mutantem. Cùm ferrum ſtringit in inermes ſocios illa Barbarã manus, ſtat mens illa magna,

Luxuriatque toris animoſum pectus,

& ſe offert obuiam ſæuientibus. Ita virtus non contenta excepiſſe, vltro ferrum prouocat: ceruices aptat, nè percuſſorem veſtis falleret, nec terrent efferæ voces, non diſcolor vultus: & inter fragores ferri, & minarum, colorem tenet. Tenet? etiam ſocios inenſes inhortatur, & haſtas. Quid agis Crudelitas? cùm viro tibi certamen eſt, alium quære, quem ſubigas, quem à vero dimoueas. Secabis membratim? ſed & ignibus rimare conſtantiam, Adiges in lignũ? etiam manu tot ſcelerum conſcia deſcende in ſecreta pectoris, ingentes animos reperies. Pete de hinc ſocios, *Paciecum, Araneã, Bernam, Antonium, Franciſcum*, ſingula ſidera ſub illo magno ſole inter ſe lumen miſcentia.

Ipſe cũ ſocijs martyrio coronatus.

Emortuam hanc lucem dabis? Age recludat ferrum velamenta illa nouiſſima, corpora dico, & diem videbit Oriens: nam ante tenebræ, aut ſi quos per anguſtiſſimas rimas fractos ſpargebant radios illi ſoles, illa pectoribus cluſa ſydera, auroram promittebant primam: diem nõ dabant. Nunc ferro diſcuſſa caligine, reſeratis adytis, inuolabit lumen totum in oculos omnium. Ita factũ. Nam vt primum magnæ illæ animæ per vulnera migrarunt in meliorem diem omnis æui, excuſſit tenebras illa gentilitas, oculoſq; hac luce percuſſa, defricta ſanie, cæpit agnoſcere diem, quam putabat noctem,

Igna-

Ignatius Azebedeus.

Quam vellem fœcundiore rore in illis pinguibus Aquę-viuæ paſcuis totus immadeſcere, plenoq; gutture fecundo perfundi germine, & alterua dextera iibare mella, calamo ludere; vnoq; penicillo, milie coloribus, licet ruſtica manu, mente tamen bona, omnem hunc agrũ ad miraculum variegatum, caſtiore lilio, integriore lauro, verecundiore roſa, probatiore viola, in omnem ætatem poſthumam, leui ductu adumbrare. Sed negat à Caluini iatere ferrum, quod minas fulminat, tonatque montes. At ego nullum video ex hoc magno magni Azebedei contubernio trepidantem, latitantẽ, aut refugo pede latibula captantem. Omnes aduerſis pectoribus, omnes dum tela excipiunt, lætius ſanguinem fundunt, quam hauriat illud ferrum, hoc eſt glorioſo, & excelſo ſpiritu Chriſtum ſuum, quantum mortalibus paſſibus licet, ſequi, æmularique. Et quos hic cui anteponam? æqualiter ſplendet omne hoc cœli latus. An non cœium, in quo ſibi ſedem cœli magnum numen, & ſedem æternam? Tu mihi tamen ante omnes nobilis cohortis nobilior Ductor. Anima in hoc ferro ponenda! quid dicis Azebede? Hauriat etiã ſanguinem, & Saturno ſuo Caluino libet. Generoſam vocẽ, & neſcio an humana maiorẽ. Cruciatus, & tormenta ibunt per ſingula! Iam diu ad iſta paraui hanc carnem. Potes re eripere; paulum tantùm concede de hoc rigore; potes, & dignitates accerſere.

Gaudeat hoc mendacio, quiſquis à Caluini pulpito ad ferrum volauit: nam ſocietatis ſchola bracteatam hanc felicitatem, non multò poſt igne luendam, ridet. Non vides, ait, quanti malorum montes, quanta maria, ſub hac tenui diuturnioris vitæ, & dignitatis membrana lateant? retege: Ætnæ montes ludos arbitrabere. Sed moriendum! Eadem inquit, omnes expectat hora. At hæc tibi ſuprema eſt! Corpori erit; animæ ſuprema non erit. Verum ante redde hanc ſtatuam, quam pectore foues (erat ea Deiparæ imago) ignibus examinandam! Quid ad hæc Azebedeus? Non ſum, ait, ex Caluiniani theatri magnis viris, quos puluis motus fuga pecorum exult armis, & caſtris. Non ſum ex Lutheri caulæ magnis viris, quos à bibitis, & exeſis noctibus, poſtquam dies extulit ſeruulorum manibus, diſcinxit meritricula. E ſocietatis acie miles adſum, in qua non didici exarmatus mori; loricatus animam ponam, cum ferro ponam. Et loriea mihi, & ferrum, Diuæ Matris hæc imago. Ibit illa mecum teſtis huius animæ, ſanguinis, fidei. Dixerat: & non vno ferro cadit. Cadit, non impar animis *Andradius*, dum in Ignatij ruit amplexus. Quo ego te cothurnio dignum, Deo par? Iungit amor pectora; eademque ferro nectit crudelitas.

Azebedeus cum aliquot ſocijs à Caluiniſtis crudeliter intercepti.

Nobiliores iam mutuo ſanguine, animiſque. Non taceo tamen nouiſſima verba; *Fundamus ſanguinem; prior fudit Chriſtus: Prodigamus illum; prodegit Chriſtus.* Dignam vocem Andradio (momentum, quod in æunm ferat ætatem) ſimile cantibus olorinorum, quorum modulatior eſt clangor in pœnis; ſimilem chordæ lyricę violentius tenſæ, quæ quo plus torta, plus muſica eſt. Eia *Emmanuel*, iuuat ne confractis cruribus, colliſis corpore totis oſſibus, non vnum membrum dare teſtem animi? Prouoca in certamen patientiæ, & ſæuitiæ, non impari libra. At tu quid agis *Robera*? capulis gladiorum eliſum caput; & tamen Ieſum tuũ ſpiras, voce tonas. Fluit cerebrum; ſed & cerebro ſuauis nomen Ieſu. Sed quem video in effigie affixum *Caſtrio*? Pete Caluiniſta glandibus, & Chriſto ſuo configas militem, cæſim, punctim, ſeca, ſode, crucem non refiges pectori. Innatabit illa natatori ſuo, aut feret natantem, deuehetq; in illã melioris ſæculi Lucẽ Magnam.

Aſt aliquid fors ſperas parricidale, Caluinianum agmen, ab affixis graui inualetudine lectis, *Scribanio*, & *Mendoſio*. Vide, & vrere, vltro exiliunt; & ne putes ad latibula, in ferrum. Neque enim expectant beneuolentię diuinæ in martyrio munera; rapiunt illa ſpontanea irruptione.

Crederes morbo adeſos ſallacis dexteræ miſericordiam imploraturos, at illi ferrum exoptante Caluini Manu, quod Martyres facit. Si ſic nõ violenti rapiunt cœlum, vbi exempla reperies? Quid dicis antiquitas? Aſdrubalis vxor in incendium patriæ deuolauit: aſpides Cleopatra immiſit ſibi: ferro patuit Arriæ pectus; addidit & vocem; Pete, non dolet. Horruerant nimirum inimicas manus; mitius ſua caſuræ, Latum Lucretia per vulnus caſtitati nomen dedit: & illa, quæ computreſcentis mariti valetudine cum deſperaſſet, hortata eſt vt moreretur, comes ipſa mortis, dux neceſſitas. At hæ tigrium more, irrita rabie, proprium dedecus voluntaria caſtigantes ruina. Fuerint, & alij furore vecordes, qui imperij pulſi cupiditate, in ferrum, in venena ruerunt. At nobilis illius cohortis non infima decora, *Scribanius*, *Mendozius*, non vitæ tædio, aut hoſtili metu, ſed Ieſu ſui deſiderio: ne quod ſuperetat vitæ, meritis ſterile, vacuum gloria abiret.

Vidiſti flumen hibernis niuibus auctum, & imbribus paſſim fluere qua campus eſt? Non aliter Chriſti milites, modo in hanc, modo in illam ruunt Caluiniſticã manum, & terruit primo audacia duorũ exſanguinũ! recollegit ſe deinde ſæuitia, & in nuda ſeuijt corpora.

Chriſte parce, ſi non ſpargunt ſanguinem milites tui, excoxerat illum longior morbus, & exuxerat: quod ſupererat tamen lubẽtes prodegerunt.

Tu ſcis, cui nullum eſt ſecretum; interes animis, & cogitationibus medijs interuenis. Sed & tu illum eripueras morbo; quod reliquũ feceras, dederunt, & quantis animis, tu noſti. Sed & res loquitur, omnibus ſæculorum titulis, trabibus, ſaxis nobilior: non imaginibus, aut ſtatuis; ſed virtute, meritis, robore, fide, ſpe, zelo, & æternitatis ardore, æternum proroganda.

Felices animæ. Sic mihi puluis ex hac area: gutta ex hoc flumine. Felices iam cœlo ſacrati: nam

quamuis mea carmina ſurgant
Inferiore lyra, memores ſuperabitis annis
tantum *Vos ſpectẽ, ſuprema mihi cũ venerit hora*
Vos teneam moriens deficiente manu.

Sequitur exinde longa ſerie generoſum agmen, quod Quadraginta & ſupra, celſa Nomina dedit cœlo, ademit terris. Faue Deus, tuque ò Diua magna Parens, dux mihi ſemper ſeruatrixque non ſemel. Te colo, veneror; tibi me, meaque dico, voueo. Frendeat hæreticus,

Quadraginta alij ſimiliter pro fide occiſi.

cus, & eat imminutum anguſtum tuum cœlo, terriſque Nomen. Veniet hora, (veniſſe nollet) cùm hos riſus, dentes, excipient ſuſpiria, & numquam profuturæ lacrymæ, in illis æternum ſæuientibus, numquam expiantibus ignibus.

Thomas Cothamus.

A Caluiniſtis triennio carceratus.

Pergo per hæc Diomedea præſepia. Thomas Cothamus valetudine erat morbis extrita; vincula tamen inijciuntur, quibus conſtrictum annos totos tres detinent; vt moram flecteret, & diuturnum malum, quem aduerſus ſubita putabant infractum. Sed erat hæc mora altioris diuini conſilij: quod ante diem agonis, ad duriorem tractationem, à liberiore conditione ſeponebat athletam ſuum, vt robur colligeret, quod ad ſtadium tribunalis productus ingenti pectore effunderet.

Spondent interim Caluiniſtæ, (ita ſemper opulentat de mendacio hæreſis) quæ vellet, tantum intimas illis animi noxas aperiret. Ride, quiſquis hanc audis hyænæ vocem. Olim memini Æthiopiam, ſole terrarum primam, lupum mittere tot modis varium, vt nullum illi colorem dicant abeſſe. Gabennenſis ſchola diſcipulos emittit, tot ementitis in fraudem pigmentis, vt nullus illis ſucus deſit; nullus color in mendacium, dolum interitum. Sed quid Cothamus? Ridet hanc frontem, ab ipſo patre mendacij impudentiam doctam. At illa deuolat ad tormenta, aſſuetum ludum; & immittit veteribus noua, creſcit enim apud eam, vt apud ſcythas de numero cædium pœnarum honor. Sed & militi ſuo ſuggerit Deus animos, & iam ſtupet tortoris dextera ad eundem vultum, ante, & inter tam rara ſæuitiæ experimenta. Vnum Socratem clamet antiquitas: ego centum Cothamos dabo ex vna ſocietate: qui in eodem vultus tenore, non iam poculo, per habitum iucunditatis; ſed Hyrcaniſaneis incurrentibus tormentis, aduerſus omnem dolorem, & inſaniam ſæuientis Caluinianæ lupæ, vniformi propoſito durauere. Maiora audeo. Iſaias ſecatur, nec Deum tacet: Stephanus Hebræo cadit imbre ſaxatili, & orat pro ijs, à quibus perpluitur, Magnus ille operarius victoriæ Dei, orientis primus, abactis gregibus, pecore filijs vna ruina ſepultis, vlceris redundantiam magna æquanimitate diſtringit; ſed & erumpentes beſtiolas, in eoſdem ſpecus, & paſſus foraminoſæ carnis ludendo reuocat. Thomas Cothamus (nihil comparo, rem ſolam retego) amplexu, oſculis, terit os, vultum, manus, ſæuientis laniſtæ; ſed & ſalutaribus monitis Inhortatur ad ſanioris vitæ conſilia.

In tormentis cõſtantia incredibilis

Hoc eſt libratum telum feliciore dextera in torquentem recutere: hoc eſt ſecundo exitu diſpungere crudelitatis intentamina; Et iam dies melioris prænuntia; cùm nudatus veſtibus, non conchararum alueis incoctis ſauis, non purpureis, coccineiſque onibus: ſigna hæc ſunt proſtitutæ mentis: ſed cilicio tectum, (vide triumphalem de carne cathaphractem) Chriſti miles pectus aſperitate diſculptum oſtentabat. Ita illi non ſatis erat ad gloriam tortoris manus, addidit & ſuam: maioris lubentiæ certius documentum. Quid potuit

Cilicio indutus reperitur.

dari ad exemplar, quid ad innocentiæ teſtificationem expreſſius? cùm anhelum adhuc à tormentis pectus, nè integente molliore veſte extinxiſſe videretur doloris ſenſum: delumbataſque ſcapulas veribus nè molliret, nè euigoraret: horrentis ſacri ſcabritie dedolauit. Explica nunc omnes ſiluеſcentes crudelitatum frondes, ex illo immani Caluiniſtico nemore, in vnum corpus, inualetudine languidum, tormentis fractum, cilicio vexatum. Eia innecte funem, ſpiraculi inhibitorium, ſeca, nec contentus ferro, oculis rimare tot abdita naturæ clauſtris, quia & vbi decoxeris nouus Tantalus aut Progne paſcere. Quod ſi quis, dum expanditur omnis hæc crudelitatis pompa, lachrymula vel altiori ſuſpirio, oculorum oriſue teneritudinem confeſſus fuerit, hic ſcelus iam admiſerit apud hos nouos miſericordiæ punitores, rediuiuos Syllas, ſint & exitu, apud quos.

à Caluiniſtis occiditur.

Nec flere quidem, aut lenire dolorem
Colloquijs impune licet.
O nimium felix, nimium crudelis & expers
Imperij Fortuna tui! quæ dicere legem
Fletibus, ac fines audes cenſere dolendi?

Tu interim, Cothame, optima tui parte euola ad parata tibi ante tempora ſæcularia illuſtris certaminis illuſtriora trophæa.

Robertus Sotuellus.

Qua ego cœlo dignum Sotuelli caput corona? auro, gemmis, vulcani opere, Liberi munere, palmite? an hederatum dabo? ſpicatum? an mille floribus, frondibus in luſtrioribus, myrto, olea, lauro, roſis, violis? ridet. Quid ergo? Crinium artificio coronabere? Contemnit, & tamen ſi quid iudico, coronam ambit. Agnoſco. Illam quæ omnes mortis aculeos, in Dominici capitis tolerantia, obtundit. At in hac præter turpitudinem, dedecorationem, & his impleхam ſæuitiam, diuina rempora fœdantem, lancinantem, nihil reperies. Illam vis, illam æmularis? Habes à Caluini manu, quod Chriſto tuo rependas, qui pro tuo caput ſuum obtulit. Sed quid amas Sotuelle? ſpina? fuge: & potes, nec dico, Deiera: ſemel hauſtam fidem tace, quid peccat tacita vox? quid mutus ſonus? Horret Sotuellus ad hanc Scorpiacam peſtem, vltima ſui parte ferientem. Non ſolùm ait, os loquitur. Zacharias vocis orbatione multatus, linguam irritam tranſit; manibus tamen à corde dictat, & nomen filij ſine ore pronunciat, elinguis ſtylus. Sed & omni ſono clariùs, omni litera vocalius, res loquitur, mores, corporis habitudines: quæ ne negatrices vicariæ oris mei in die iudicij aduerſus me proferantur, moriamur. Sed quid adeo magnum eſt, Caluiniſtam è ſublimiore ſede audire detonantem, menſæ videre accumbentem, cum illis fruſtis profani panis? Ad quæ Sotuellus; Neque de hac fabuloſè ſacrificata, & parentata dæmoniorum cœna edo, qui ſolum Chriſtum noui. Nam & illa inquinare ventrem nefas, vt taceam anguſtiora noſtra, atres, oculos.

Poſt dira à Caluiniſtis perpeſſa tormenta, laqueo, necatus.

Sed neque hoc idolotraticum inquina-

mentum inteſtinis tranſigitur: in ipſo ſpiritu & anima digeritur; cuius munditiam Chriſto, debeo, Chriſto ſeruabo. Conciones vero ilas, omnium ſcelerum, & libidinum auctrices, deque ſola ſcurrilitate, de laſciuis, & cruentis vocibus, de impijs, & blaſphemantibus nobiles, procul denitemus. Nam, & de longinquo, vice peſtis, adflatum inſpirant noxium, animæque peremptorem. Hæc Chriſti martyr. At illi ſolo furore accuſatore, teſte, (cum omnis alius accuſator, omnis teſtis deeſſet) tormentis, qualia commenta ſæuitia eſt, ſæuiunt in innoxium pectus: & decies hæc iterare lubuit, quo teſtatius eſſe odium, quo clarior Martiris conſtantia, à qua vt ſe victos vident, decurrunt ad patibulum; ad illud deinde perfidiæ notiſſimum ferrum; ad inluſtrem cacabum Tantalicum, Ityeum. Edite fratres; tali germanitati non alius reſpondet cibus. Comedite; non oculis tantum, ſed & ſcelerate ſanees ſanguine. Tibi vero Sotuelle toto ab hinc orbe

Semper odoris ſpirabunt floribus aræ,
Semper, & Aſſyros felix bibet vrna liquores,
Et lacrymas; qui maior honor:

non illas mæroris; procul hinc fœmineæ genæ: ſed altioris amoris, gaudij, admirationis; æmuli etiam, votiuique paris exitus; quales ſolent eſſe virorum.

Henricus Walpolus.

Sol radijs aquam inlatentem per bibulos atomos extrahit; adeo, vt licet ſaxei montis oppreſſu fontium vena celetur, aperiat tamen illiquentis elementi natura violentior. Calamus hic meus, ex obſcuro receſſu iacentis famæ nobilem athletam Vualpolum dum compellit, publicat dum è latebroſis Anglicani Spoliarij cauaminibus, ſanguine, tamquam ingentium fluctuum confligijs, adeſis, nobiliſſimas has reduuias elicit, prodit felici retectione. Et quæ ætas non beatiſſimum prædicabit, qui omnem patientiæ ſpeciem aduerſus omnem vim diaboli expumſiſti? Non carcer, & vincula, non equuleus, & tormenta, quater & decies repetita crudelitate, nouis ſæuitiæ incrementis, vel colorem potuerunt immutare. Age Sathana, funde in hoc mihi amicum caput, quod non vna facundia aliquando ſacrabo, qua pedes, qua potero eques. Erit enim aliquando tempus

cum laurigero tua fortior aſtro.
Facta canam:

Non quod ab hac dextera premia deſideres, qui omnem gloriam humanæ manus, etiam cum hominem ageres, calcaueris vt habituram: ſed quia ornamentis bonorum incitatur imitatio: & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. Ita fiet. Tu quiſquis hæc leges, vide quantum in vno corpore Deus, & quale vexillum de Caluiniſtis, inimicis gloriæ ſuæ extulerit, cum ad acerbiſſimos cruciatus nihil ore promeret, præter Ieſu nomen. Hoc illi lorica, & clypeus ad retundeuda iacula, regerenda tormenta, delaſſatis Caluiniſtarum animis. Quare hi frendere, & fremere deſpumata ſemel omni crudelitate, & victa: cum interim Vualpolo vultus placidus, frons pura,

Mira martyris in tormentis perſeuerantia.

In tormẽtis nihil in ore præter nomeo Ieſu.

nulla mæroris, minus iræ, rugoſitate contracta: color qualis ſecuris, & innoxijs. Quid nouum? Inſidet candidiſſimo illius pectori, Spiritus ille mitiſſimus, qui nec nubilo linet, nec turbine glomeratur, nec frigore gelaſcit, nec æſtu re accenditur. Noſti Oceanum? refluit reciprocis æſtibus. Fontes? manant venis perennibus. Fluuios? eunt exercitis lapſibus. Vbera? partu maturaſcente lacteſcunt. Tenerum ab vtero fœtum? vbertate lactei roris adoleſcit. Henricus, nouis irruentibus à ſæuitia commentis, virtutes opponit nonas, reciproco ad miraculum pœnarum, & virtutum fluxu: quæ & perpetuant curſum, & inluſtriore deſultatione, ad ſingula pœnarum genera perpetuis auctibus, alueum ſuum complent: nullis diminutionibus ſanguinis aut carnis decreſcentes: vt maiora videas incrementa virtutum, quam tormentorum: exſerat licet vires, euomatque omnes ſæuitia fluctus. Noua terris prodigia? equuleum, crucem, ignes, vbera iures, virtutum lacteumque rorem: non certis dimenſiſque momentis, ſed æterna feneraria ſuffectione. Longior ſummo amoris hic ſemper error, Amplector te amicum pectus in patibulo ſtabis ne crudelitas? non niſi

——— illum plurima ſectum
Fruſta, & periculas, vt multis mortuus vnus
Sufficeret, ſed poterat, *—cõtenta cadauere crudo*, Sæuitiæ modum ponere improba fames. nimis hoc mite: *ardenti decoxit aheno*: nec *longum tardumque putauit*
Expectare focos, nouum inexpletæ crudelitatis genus. Vt non deeſſent, quibus ſe paſcere ſæua lumina, dum nobile ferculum, & ſuauis per fauces poſt ignem iturum, exſpectatur. Quid dices admiratrix Vetuſtas, Inluſtris crudelitatum decantatrix? an non Anglia? *Mæotide ſenior ara*
quippe illa nefandi Taurica ſacri
Inuentrix homines (vt iã, quæ carmina tradunt
Digna fide credas) tantum immolat: vlterius nil
Vt grauius cultro timet hoſtia.

Nouo crudelitatis genere à Caluiniſtis peremptus.

Iacobus Saleſius.

NEque ego vos taceebo *Saleſiorum Saltamachiorum*, clariſſima decora: obſoleto licet ore, longaque mora hebetato. nec vos verborum concinnitatem, muliebre ornamentum; ſed neque ad venuſtatem dictionem criſpam, fœmineæ comæ paramentum, quærItis. plena verba roboris vultis, plena virilis toroſi pectoris. Poſſent illa deeſſe, in proſperiori mitioris Fortunæ flatu: vbi ſecundo curſu, inter illa carbaſa, ad quorum aſpectus erubeſcat byſſus, vita procedit. Poſſent deeſſe in lenta mollique perpetui puluini felicitate. Sed in his calloſis manibus In hoc non modo colorato, ſed ambuſto Fortunæ radijs pectore in hac indomita ceruice ingentia de viua rupe exciſa deſiderari non poſſunt. Res ipſa ſaxa vomit. Quatiat tremoribus orbem Caluinia. na perfidia; & ſi poteſt, vno ſubdueat hiatu, vel igne ferro torreat; ſtabit *Saleſius*, ſtabit *Saltamochius*. Depromе vires Furor, & in illa pectora ferrum. Credes alieni ſanguinis ſpectatores adſtare. Ita veteranus exſecari ſe patitur; at horret medicam manum tyro. Vos interim ſolute malis puræ mentes ite quo

Saleſius, & Saltomachius à Caluiniſtis pro fide occiſi.

ite quo vos ducit felicitas illa ex alto veniens; quo vos hilaritas à ſublimi delapſa æterno. Sed non ſine magno Ieſu nomine; quod vobis in vltimo illo ferro perpetuum in ore. vt videas generoſa pectora; quæ etiam morientia, amant eum pro quo cadunt. Ita magnus nauigij rector tenebit clauum, obruatur licet fluctibus; nec vela deſeret, fluitantia, aut permittet tempeſtati nauem. Docuerunt hoc *Saleſius Saltamachius* ac ne ſatis eſſet dixiſſe, & ad exemplar doctrinæ ſuæ vixiſſe, etiam vitam clauſerunt.

Edemundum Campianum.

EXurge ſtile; quoque magis in anguſtum cogeris, eo potentius vires aduoca, agere. Nunc enim raptim, & ſine cura mihi dicende Campiane ruſticaque manu. Neque excelſior virtus vnguentis madentem dexteram, calamumue medicamentis fucatum ac pollinctum; ſed ingentibus intonantem viribus rebus admittitur nec ego tecollatitijs, aut ad Dominum ſuum redeuntibus adornabo: tuo te, carum pectus, veſtiam: animo illo erecto ac libero, interrito ac ſtabili, ac ſedem ſuam, etiam laſſata tortorum manu, vindicaturo. Vt igitur venit in Angliam ſuam Campianus cIuibus ſuis Fidei lucem illaturus, intulit illum in vincula, in carcerem: quem omni honeſtiorem Londinenſi curia fecit: In carcerem, auitæ religionis teſtem, probatæ virtutis teſſeram, quam ſola virtus exſcendere poteſt. Illius enim gradu, cliuus ille ſuperandus eſt: illius radijs tenebræ illæ luſtrandæ ſunt. Circumfremunt cathenæ? non arctatur virtus: etiam inter vincula patentiſſimos campos habet: & neſcio an alibi latiores. Adſunt quæ ſpondeant libertatem, doctæ in alieno ſanguine mentiri linguæ: at illum nulla tincta melle malignitas, nulla infuſa veneno prauitas deterret, aut excutit fortibus auſis: quin vltro laceſſit, totamque Caluini ſcholam in bella vocat, edita etiam ſuper hac re *Nobili ad immortalitatem libro*. Quære in hoc, funera, Credelitas: Duos reperies: indue huic atrã veſtem: viuet laureatus: imprime, ſi potes, vulnera: numquam ſummam cutem rumpes: ſtabit, videbit: quamquam magnus nunc ad illius faciem inuidentium, tam magnus aliquando admirantium numerus erit, celebrabiturque nobiliſſimorum ingeniorum conatibus, cum illo inuicti roboris athleta, totam Caluini colluiem prouocari ad certamina, & impar numero, vnus in totam turbam: paria tamen in medio poſuit arma: Scripturam, Concilia Patres, Rationem. At illa timida lucis, vt quæ ſolis tenebris habeat oculos, latibula petijt. Ita noctuæ diem auerſantur, ſtupentque ad primum eius ortum, & ſolem ægra lumina formidant.

Incarcerem pro fide Cathol. conie ctus.

Eius Conſtantia.

Arma quibus contra Caluiniſtas vtebatur.

Capita interim conferunt, vanoque curſu mutua terunt Caluiniſtæ limina: quali formicæ per arbuſta repunt, & auguntur inanes. Redeunt tamen ad carceres, magis pollicitationibus tamquam frequenti ariete, virtutis hæc munimenta labefactaturi: venuſtis verbis, tamquam cuniculis turrim hanc ſubacturi: minis, tamquam aggere, arcem hanc æquaturi. Ridet hæc machinamenta virtus altior humano molimine: docetque quid ſit eſſe vere Chriſtianum: quod tot millium ceruicibus ſubactis, & ad impotentiſſimum femineum iugum adactis indomita mente Chriſtum ſuum, & auitam in eo religionem profitetur. Infrendeat Anglicana lupa,

Sextusque oblita minoris

Spumet, & ingentes imitetur femina tauros; etiam Siculos: ſtabit ori, ſtabit fronti ſuus in Campiano color. Vide quiſquis es, in media procelloſi maris tempeſtate, maliciam ſummam. Vide templis ..ata, æternitate dignam virtutem aduerſus omnem apparatum fucatæ mentis, ſæuientis, & ſupra humanum modum ferocientis pectoris, rectos oculos tenentem; Vis etiam maiora? Rapitur in currum Campianus, exornaturus efferam Caluini pompam. at ille nihilo vilior agitur in alieno, quã in ſuo ſtaret. raptatur puluerulentus, luculentus. Virtutis hoc monumentum eſt, balnea, & ſudatoria, illis pellucidis, crepidatis, armillatis Fortunæ manibus, è Caluini theatro iudicibus, illis arboribus, nihil hic præter vmbram, & ſanguinem daturis: nihil alibi, præter alimenta æternum ignea.

Alacritas in tormentis.

Venio ad extrema. Fune ſpiritum intercludit is? non vultis? illam mentem, omnis honeſti cultricem, via ſua ire ad immortalitatem? non damno. Maius oſtium deſiderat Magnus animus. Totum pectus ferro recludite: tota ſe virtus eripiet, quæ coacta has anguſtias tenuit: neque illi vmquam cara in corpore mora fuit, ex alto aſſueta humana ſuumque carcerem deſpicere. Nunc data via, excuſſo ſitu mortalis æui, quidquid inter cælum terraſque formidinis intercurrie, peruolat, ſupraque illud ſpatium, nimborum grandiniſque iactu tumultuoſum, ſeſe erigens, inter ſelices animas, Caluiniani ferri beneficio libera, diuinorum ſpectaculo fruitur, æternitatis ſuæ lætabunda ſpactatrix, cum interim hos iudices (non ibunt ſecula) aliud excipiet tribunal, poſt quod, dies noctesque alterna miſeranda viciſſitudine current inter non prefuturos luctus: vbi ingerentur lacerato pectori, genis, capillis, non emendaturæ manus: exercebitque ſe in omni ſeuitiæ genere nil lenator mæror: curretque per ſingula membra, ſingula dolorum machinamenta, verbera, ignes: & inter tam crebras mortes, nulla ſolum ſudantia ſanguinem lumina mortem videbuntur hbc vno forte magni quod ingentis illius æternum flagrantis materiæ non parua ſint acceſſio. Poſt quos, ne ruant male ſeducti Angli, ſed vt ſalui eſſe velint: æternæ in eos Apoſtoli propenſionis reliquit illis argumentum, quod ſi enubilato oculo intimius perſpexerint, non deſperandum, quin eiurato Gebennenſi errore, ad auitæ religionis verum ſplendorem, alioquin reſpiciant.

Rationes, ſeu preſcriptiones decem.

QVIBVS FRETVS EDMVNDVS Campianus, certamen, in cauſa Fidei Catholicæ, aduerſarijs obtulit Londini.

I *SACRÆ SCRIPTVRÆ.*

CVm multa ſint, quæ aduerſariorum diffidentiam in cauſa loquuntur; tum nihil æque,

, hil æque, atque ſanctorum maieſtas Biblio-
, rum fœdiſſime violata. Etenim, qui poſtea
, quam reliquorum teſtium voces, & ſuffragia
, contempſerunt, eo ſunt redacti nihilo ſecius
, vt vt ſtare nequeant, niſi diuinio ipſis codi-
, cibus vim, & manus intulerint: ij ſe profe-
, cto declarant extrema fortuna confligere,
, & rebus iam deſperatis ac præditis ex-
, periri duriſſima velle atque vltima. Mani-
, chæis, quid cauſæ fuit, vt Euangelium Matt.
, & Acta refigerent Apoſtoli? Deſperatio. His
, enim voluminibus cruciabantur, & qui Chri-
, ſtum negauerant prognatum de Virgine, &
, qui ſpiritum Chriſtianis tum primo cælitus
, illapſum fingerant, quum ipſorum Paracle-
, tus, Perſa nequiſſimus, erupiſſet. Quid Ebio-
, nijs, vt omnes Pauli repudiarent epiſtolas?
, Deſparatio, His enim ſuam dignitatem re-
, tinentibus antiquata circumciſio eſt, quam
, iſti reuocauerant. Quid Luthero vt epiſtolã
, Iacobi contentioſam, tumidam, aridam,
, ſtramineam flagitioſus apoſtata nominaret,
, & indignam ſpiritu cenſeret Apoſtoli? Deſpe-
, ratio. Hoc enim ſcripto confeſſus miſer at-
, que diriptus eſt, cum in ſola fide iuſtitiam
, conſtitueret. Quid Lutheri catuli, vt To-
, biam Eccleſias Machabeos, & horum odio
, complures alios, eadem calumnia compre-
, henſos, è ſincero canone repente diſpunge-
, rent? Deſperatio. His enim Oraculis diſer-
, tiſſime coarguuntur, quoties de Angelis pa-
, trocinio, quoties de arbitrij libertate, quo-
, ties de fidelibus vita defunctis, quoties de
, ſanctorum hominum interceſſione diſputant.
, Itane videlicer Tantum peruerſitatis, tantũ
, audaciæ? Cum Eccleſiaſtici Concilij cathe-
, dras, Patres, Martyres, Imperator Populus,
, Leges, Academica Hiſtoria omnia vetuſta-
, tis, & Sanctitatis veſtigia conculcaſſent, ſcri-
, pto Dei verbo tantum controuerſias velle di-
, rimere proclamaſſent, illud ipſum verbum,
, quod ſolum reſtiterat, exſectis è toto corpo-
, re tam multis tam bonis, tam ſpecioſis par-
, tibus delumbaſſe? Septem enim ipſos de ve-
, teri teſtamento Codices, vt minuta diſſimu-
, lem, Caluiniani præciderunt: Lutherani vide-
, licet etiam Epiſtolã Iacobi, & huius inuidia
, quinque alias de quibus aliquando fuerat, &
, alicubi controuerſum. His quoque libellum
, Heſteris, & tria pene capita Danielis annu-
, merant nouiſſimi Geneuenſes: quã quidem
, Anabaptiſtæ iſtorum condiſcipuli iampri-
, dem damnauerant atque deſinerant.

Manichæi reijciunt. Math. Euág & Acta Apoſt. Ebionitæ Pauli Epiſtol. Lutherus. Iacobi Epiſtol. Lutherani Tobiam. Eccleſiaſt. Machab. & alios.

Auguſt. lib. 28 cont Fauſtin. c. 2. & de vtilit. credendi c. 3. Iren lib. 1. c 26.

Septem Codices de vet. teſt. Caluiniſtæ præciderunt.

, Quanto modeſtius Auguſtinus quod ſa-
, croſanctum Cathalogum pertexens, non ſibi,
, neque Alphabetum Hebraicum, vt Iudæi: ne-
, que priuatum Spiritum, vt ſectarij pro regu-
, la poſuit: Sed illum ſpiritum, quo totum
, corpus Eccleſiæ Chriſtus animat? quæ qui-
, dem Eccleſia cuſtos huius Depoſiti, non Ma-
, giſtra quod hæretici cauillantur, Theſaurum
, hunc vniuerſum quem Tridentini Synodi
, amplexa eſt, vetuſtiſſimis olim Concilij pu-
, blicitus vendicauit. Idem Auguſtinus de vna
, ſcripturarum particula ſpeciatim diſſerens,
, incutere in animum non poteſt, librum ſa-
, pientiæ, qui iam tum Eccleſia calculo, tem-
, porum ſerie, priſcorum teſtimonio, inſtin-
, tione fidelium, vt firmus, & Canonicus ro-
, bur obtinuerat cuiuſque temeritate, vel ſu-
, ſurro, extrudi extra canonem oportere.

, Quid ille nunc diceret, ſi viueret in terris, &
, Lutheros, Caluinoſque concerneret opifices
, Bibiorum: qui ſua lima politula, & elegan-
, tula vetus nouumque Teſtamentum raſerint,
, neque Sapientiam tantum, ſed & alia per-
, multa de Canonicorum librorum ordine ſe-
, greganerint: vt quidquid ex horum officina
, non prodierint, illud ab omnibus phreneti-
, co decreto, tamquam incultum, & horri-
, dum conſpuatur? Ad hoc tam dirum, & exe-
, crabile perfugium qui deſcenderint, ij certe
, licet in ore ſuorum aſſeclarum volitent, ſa-
, cerdotia nundinentur, declamitent in Con-
, cione, ſerreum in Cathedram equuleum, cru-
, cemque conſciſcant, tamen victi, abiecti,
, ſqualidi, proſtrati ſunt: quandoquidem ar-
, repta virgula cenſoria, veluti arbitri ſeden-
, tes honorarij, diuinas ipſas tabulas, ſiquæ
, ad ſtomachum non feciſſent, obliterant.
, Ecquis eſt, vel mediocriter inſtitutus, qui
, talium cuniculos hoſtium reformidet? qui
, hoſtes, quam primum in corona veſtra eru-
, ditorum hominum, ad eiuſmodi veteratorias
, artes tamquam ad familiarem dæmonem
, currerent, non aurium conuitio, ſed ſtrepi-
, tu pedum exciperentur.

Luterani, & Caluiniſtæ Bibliorum opifices.

, Quærentem ab illis, verbi gratia, quo
, iure corpus Biblicum detruncent, atque di-
, ripiant. Reſpondent, non ſe veras ſcriptu-
, ras excindere, ſed excernere ſuppoſititias, quo
, iudice? Spiritu Sancto. Hoc enim reſpon-
, ſum à Caluino præſcribitur, vt Eccleſiæ iu-
, dicium, quo ſpiritus examinantur, ſubterfu-
, giat. Cur igitur alij alias lancinatis, cum
, omnes eodem ſpiritu gloriemini? Caluinia-
, norum ſpiritus recipit ſex epiſtolas, quæ ſpi-
, ritui non placent Luterano: freti tamen vter-
, que ſancto Spiritu. Anabaptiſtæ, hiſtoriam
, Iobi ſabulam appellant, tragicis, & comicis
, legibus intermixtam. Qui ſciunt? ſpiritu
, docente. Caſtalio, myſticum illud Salomo-
, nis Canticum, quod vt paradyſum animæ, vt
, manna reconditum, vt opiperas in Chriſto
, delicias Catholici admirantur, nihilo pluris,
, quam cantilenam de amicula, & cum pediſ-
, ſequis aulæ colloquium amatorum venereus
, furcifer æſtimauit. Vnde hauſit? A ſpiritu.
, In Apocalypſi Ioannis, cuius omnes apices
, excelſum aliquid, & magnificum ſonare
, confirmat Hieronymus: tamen Lutherus, &
, Brentius, & Kemnitius quidam, neſcio quid,
, difficiles Ariſtarchi deſiderant; eo ſcilicet
, prodentes vt exauthoretur. Quem perconta-
, ti? Spiritum.

Quãta apud Hæreticos modernos varietas in recipiendis ſcripturis ſanctis.

, Quatuor Euangelia feruore præpoſtero
, Luterus inter ſe committit, & prioribus tri-
, bus epiſtolas Pauli longe præferens, vnicum
, deinceps Euangelium Ioannis, pulcrum, ve-
, rum, præcipuum, decernit eſſe nominan-
, dum: quippe qui, quod in ipſo fuit libenter
, etiam Apoſtolos ſuarum rixarum ſocios ad-
, ſcripſiſſet, quo doctore? ſpiritu. Quin etiam
, iſte fraterculus non dubitauit Euangelium
, Lucæ petulanti ſtylo perſtringere, quod in eo
, crebrius bona nobis virtutum opera com-
, mendetur, quem interrogauit? ſpiritum.
, Theodorus Beza verbum illud arcanum ex
, Lucæ vigeſimo ſecundo capite, Hic eſt ca-
, lix nouum teſtamentum in ſanguine meo qui
, (calix) pro vobis fundetur: auſus eſt vt cor-
, ruptum vitiatumque traducere, quod hæc

Lutherus. Euág Ioan. vnicũ dicit pulchrũ, verum, præcipuum perſtringit. Euang Lucæ propter mentionem bonorum operum.

Serm. de Phariſ. & Publ.

In Luc 22. c. Poterion. Ekchunomenon.

oratio

, oratio nullam expoſitionem de vino calicis
, conuerſo in verum Chriſti ſanguinem patia-
, tur quis indicauit? ſpiritus. Denique cum
, omnia credant ſuo quiſque Spiritui, nomen
, ſancti Spiritus horribili, blaſphemia menti-
, untur.

,Qui ſic agunt, nonne ſe producunt?
, nonne facile refutantur? nonne in conſenſu
, talium virorum, quales eſtis Academici, te-
, nentur, ac minimo negotio conſtringuntur?
, cum his ego timeam pro fide Catholica diſ-
, putare, qui peſsima fide, voces non humanas
, ſed æthereas tractauere? Nihil hic dico quæ
, vertendo peruerterint, quamuis intollerabi-
, lia ſint, quæ accuſem. Gregorio Martino
, ſcientiſſimo linguarum collegæ meo, qui do-
, ctius, & plenius hoc preſtabit nihil præripio
, nec alijs quibus in laboris eſſe tam præma-
Hæretici ſcripturarũ omniũ perverſores.
, nibus intellexi, facinoroſius crimen eſt ac
, tetrius quod nunc perſequor, inuentos eſſe
, doctorculos qui temulento quodam impetu
, in cæleſte chyrographum inuolarint, id ipſum
, pluribus locis, vt maculatum, vt mancum,
, vt falſum, vt ſurreptitium condemnarint eius
, partes aliquas correxerint, aliquas peruerte-
, rint, aliquas excluſerint: Huic omne propu-
, gnaculum quo muniebatur, in Lutheranos
, ſpiritus tamquam in valla phantaſmatum pi-
, ctoſque parietes commutarint: ne prorſus
, obmuteſcerent quum in ſcripturas erroribus
, ſuis infeſtas impingerent, quas nihilo com-
, modius expedire, quam ſorbere fauillas, aut
, ſaxa mandere potuiſſent.

,Hæc ergo mihi prima ratio vehemens, &
, iuſta fuit, quæ vbi partes aduerſarias vmbra-
, ticas, & fractas oſtendiſſet, animum ſane
, addidit Chriſtiano viro, & in his ſtudijs
, exercitato pro ſempiterni regis diplomate
, aduerſus reliquias profligatorum hoſtium
, decretandi.

Secunda Ratio.

II. Sacrarũ literarum ſententia.

, ALterum eſt, quod me quidem ad con-
, greſſum incitarit, & horum apud me
, copiolas eleuarit aduerſarij peruerſum in
, ſcripturis exponendis ingenium, plenum
, fraudis inane prudentiæ, ſtatim hæc philo-
, ſophi tangeretis. Itaque vos auditores ex-
, petij.

,Sciſcitemus ab aduerſarijs, exempli gra-
, tia, quidnam ſequuti nouam ſectam intraue-
, rint qua Chriſtus excluditur è cæna myſtica,
Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.
, ſi nominat Euangelium accurrimus. A nobis
, verba ſunt. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſan-*
, *guis meus.* Qui ſermo viſus eſt ipſi Luthe-
Lutherus fatetur. Chriſtum in Sacramento ſanctiſſimo vere eſſe præſentem. *Luth. in epiſt. ad Argent.*
, ro tam potens vt cum etiam diſcuperet fieri
, Zuinglianus, quod ea re plurimum incommo-
, dare Pontifici potuiſſet, captus tamen, &
, vinctus apertiſſimo contextu cederet, neque
, minus inuitus Chriſtum vere præſentem in
, Sacramento ſanctiſſimo] fateretur, quam
, olim dæmones victi miraculis Chriſti Dei
Matth. 8. Mar. 1. Luc. 22. Matth. 26.
, filium vociferati ſunt. Egendum, pagella
, ſcripta ſuperiores ſumus, de ſententia ſcri-
, pti contenditur, Hanc perueſtigemus ex ver-
, bis adiacentibus. *Corpus meum quod pro vo-*
, *bis datur ſanguis meus, qui pro multis effunde-*
, *tur.* Adhuc duriſſimæ partes Caluini ſunt,
, noſtræ faciles, & explicatæ. Quid amplius
, conferte ſcripturas: inquiunt, Maxime, con-
Ioan. 6. Matth. 16.
, ſpirant Euangelia, Paulus adſtipulatur Vo-
, ces, clauſulæ, tota connexio panem, vinum,
, inſigne miraculum, cæleſte pabulum carnem
, corpus, ſanguinem reuerenter ingeminant.
, Nihil ænigmaticum, nihil offuſum caligine
Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. & 11.
, loquendi: Tamen perſtant aduerſarij, neque
, vllum finem faciunt altercandi, quid agimus?
, Opinor, audiatur] antiquitas, & quod nos
Mira hæreticorũ perverſitas.
, alteris ſuſpecti non poſſumus, illud omnium
, ſæculorum veneranda canicies, Chriſto pro-
, prior, ab hac lite remotior, decidat arbitrio.
, Non ferunt prodiſſe, aiunt, Dei verbum pu-
, rum, putum inclamant hominum commen-
, tarios auerſantur. Inſidioſe, inepte, Dei
, verbum perurgemus, obſcurant: ſanctos te-
, ſtamur interpretes, obſiſtunt. In ſumma, ſic
, inſtituunt, niſi reorum iudicio ſteteris, nul-
, lum iudicium fore. Atque ita ſe gerunt in
, omni quam exercemus controuerſia.

, De infuſa gratia, de inhærente iuſtitia,
, de Eccleſia conſpicua, de neceſſitate baptiſ-
, matis, de ſacramentis, & ſacrificio, de pio-
, rum meritis, de ſpe & timore, de peccatis
, imparibus, de auctoritate Petri, de Clauibus,
, de votis, de conſilijs Euangelicis, de cæte-
, ris; ſcripturas neque paucas neque parum
, ponderoſas quas paſſim in libris, in collo-
, quijs, in templis, in ſchola citauimus atque
, diſcuſſimus, eluſerunt, veterum Scholia Græ-
, corum, & Latinorum admouimus, adnue-
, runt. Quid tum denique. Doctor Martinus
, Lutherus, aut vero Philippus, aut certe Zu-
, inglius, aut ſine dubio Caluinus, & Beza fi-
, deliter ennarrarunt. Egone quenquam veſtrũ
, exiſtimem tam eſſe mucoſis naribus qui hoc
, artificium monitus non perſentiſcat? quare
, fateor me Scholas Academicas cupide requi-
, rere vt inſpectantibus vobis calamiſtratos
, iſtos milites in ſolem, & puluerem, è ſuis
, vmbraculis euocatos, non meis viribus, qui
, cum noſtris centeſima parte, non ſum con-
, ferendus, ſed valentiſſima cauſa, & certiſſi-
, ma veritate debilitem.

Tertia Ratio.

III. Natura, Eccleſiæ.

, AVdito Eccleſiæ nomine, hoſtis expalluit:
, ſed tamen excogitauit quiddam, quod
Honorificæ Eccleſ. mentio in ſcripturis.
, à vobis animaduerti volo, vt falſi ruinam,
, & inopiam cognoſcatis, ſenſerat in ſcriptu-
, ris tum Propheticis, tum Apoſtolicis vbique
Apoc. 2. Pſal. 7. Iſa. 2. & 35. Cant. 6. Matt. 13. Eph. 5. 1. Cor. 12. 1. Tim. 3. Io. 14. Matth. 16. Matth. 18.
, honorificam Eccleſiæ fieri mentionem, vo-
, cari ciuitatem ſanctam, fructiferam vineam,
, montem excelſum, directam viam, colum-
, bam vnicam, regnum cæli, ſponſam, & cor-
, pus Chriſti, firmamentum veritatis, multi-
, tudinem illam cui ſpiritus proſſimus inſtillet
, omnia ſalutaria, illam inquam vniuerſam
, nullæ ſint vnquam fauces diaboli morſum le-
, tiferum impacturæ, illam cui quicumque re-
Calliditas hæreticorũ.
, pugnet quantumuis ore Chriſtum prædicet,
, non magis Chriſto, quam publicanus, aut
, ethnicus potiatur. Non eſt auſus contraue-
, nire, ſonitu videri noluit Eccleſiæ quam to-
, ties ſcripturæ commemorant refragari, no-
Quomodo Eccleſiam hæretici depingant.
, men callide retinuit, rem ipſam funditus de-
, ficiendo ſuſtulit. His enim proprietatibus
, delineauit Eccleſiam quæ penitus ipſam oc-
, cultam, & domitam à ſenſibus, tamquam

Cal. Inſt. lib. 4 c. 1. nu. 2. & 3.

Quam egregie refellũtur heretici cum eorum ficta Eccleſia.

Apo. 1. 2. 3. Act. 8. 10 11 & ſeq

Lutherus. Zuingli. Caluinus.

' Idæam Platonicam ſecretis obtutibus homi-
' num perpaucorum ſubijciant, eorum tan-
' tummodo qui ſingulariter afflati corpus hoc
, aereum intelligentia comprehenderent, &
, huiuſce ſodalitatis participes ſubtili quodam
, oculo luſtrarent. Vbi candor. Vbi ſimplici-
, citas. Quæ ſcripturæ, quæ ſenſa, qui Patres
, hoc penicillo depingũt Eccleſiam? Sunt Chri-
, ſti ad Aſiaticas Eccleſias, ſunt Petri, Pauli,
, Ioannis, ac aliorum ad diuerſas epiſtolæ fre-
, quentes in actis Apoſtolicis, inchoantur, &
, propagantur Eccleſiæ.
, Quid iſta? non ſoli Deo, & ſanctu ho-
, minibus, an Chriſtianis etiam cuiuſcunque
, generis manifeſtæ? ſed profecto durum telum
, neceſsitas eſt. Ignoſcite. Nam qui ſæculis
, omnino quindecim, non oppidum, non vil-
, lam non domum repetiunt imbutam doctri-
, na ſua, donec infelix monachus inceſto con-
, nubio votam Deo virginem funeſtaſſet, aut
, Heluetus gladiator in patriam coniuraſſet,
, aut ſtigmaticus perſuga Geneuam occupaſ-
, ſet. Ii coguntur Eccleſiam ſi quam volent in
, latebris venditare, & eos parentes aſſerere,
, quos nec ipſi nouerint neque mortalium
, quiſquam aſpexerit. Niſi forte gaudent ma-
, ioribus illis quos hæreticos fuiſſe liquet, vt
, Aetio, Iouiniano, Vigilantio, Heluidio,
, Iconomachis, Berengario, Waldenſibus, Lo-
, hardo, Wilcheffo, Huſsio, à quibus peſtife-
, ra quædam fragmenta dogmatum emendi-
, carint. Nolite mirari ſi fabulas iſtas non
, pertimui, quas, modo ad meridianam lucem
, venero, minime fuerit laborioſum diſpelle-
, re. Hæc eſt enim noſtra ſermocinatio. Dic
, mihi ſubſcribis Eccleſiæ quæ ſæculis antea-
, ctis viguit? omnino. Obeamus ergo terras,
, & tempora, cur cœtui fidelium? quorum
, nomina neſciuntur? ſed conſtat plurimos ex-
, titiſſe, conſtat? pluribus conſtat? Deos quis
, dicit? nos qui diuinitus edocti ſumus, fabu-
, læ qui credam? ſi arderes fide, tam ſcires hoc
, quam te viuere, ſpectatum admiſsi riſum te-
, neatis? Iuberi Chriſtianos omnes adiungere
, ſe Eccleſiæ, cauere ne ſpiritale gladio truci-
, dentur in domo Dei pacem colere, huic ani-
, mas credere columni veritatis, iſtic querelas
, omnes deponere, hinc eiectos habere pro eth-
, nicis, neſcire tamen tot centenis annis tot
, homines vbi nam illa ſit, quique huc perti-
, neant: vnum illud crepare in tenebris, vbi,
, vbi, ſit Eccleſia tantummodo: Sanctos, & in
, æthera deſtinatos ea contineri; ex quo fit, vt
, ſiquis Imperat. ſui Præſulis detrectare velit
, ſcelere ſoluatur, dum modo ſibi perſuadeat
, presbyterum in crimen incidiſſe, & ab Eccle-
, ſia protinus excidiſſe. Cum ſcirem aduerſa-
, rios talia comminiſci quod nullius ætatis
, Eccleſiæ conſueſſent, & orbatos totare, velle
, tamen inter anguſtias vocabulum poſsidere,
, ſolabat me veſtro acumine, atque adeo mihi
, pollicebar fore vt quam primum huiuſmodi
, technas ex ipſorum confeſsione cerneritis,
, ſtatim homines ingenui, & cordati ſtultas
, argutias in veſtram intextas perniciem vi-
, deritis.

Egregia confutatio.

Mira hæreticorum de Eccleſ. opinio.

IV.

Conciliis; Gen. Hieroſ. 1.

Quarta Ratio.

, GRauis, Eccleſia naſcente, quæſtio de
, legitimis carimonijs, quæ credentium
, animos diſturbauit, coacto Apoſtolorum, &
, ſeniorum Concilio ſoluta eſt. Credidere pa-
, rentibus filij, paſtoribus oues, in hæc verba
, mandantibus. *Placuit Spiritui Sancto, & no-*
, *bis*: ſequuta ſunt ad extirpandam hæreſim
, quæ varia quibuſque ſeculis pullulauit, Oecu-
, menica veterum Concilia quatuor tantæ fir-
, mitudinis, vt hijs ante annos mille ſingula-
, ris honos, tamquam diuinis vocibus, habe-
, retur. Non abibo longius: etiam domi no-
, ſtræ Comitijs regni eadem Concilia priſtinũ
, ius inuiolatamque dignitatem obtinent. Hæc
, citabo, teque ipſam Anglia dulciſſima patria
, conteſtabor ſi quemadmodum præ te fers
, quatuor iſta Concilia reuerebere, honorem
, primæ Sedis Epiſcopo, ideſt Petro, deferes:
, Incruentum corporis, & ſanguinis Chriſti
, ſacrificium in altari recognoſces: Beatos
, Martyres, ſantoſque omnes cælites, vt pro
, te Chriſto ſupplicent, obſecrabis: Muliero-
, ſos apoſtatas ab infando concubitu, & ince-
, ſtu publico coercebis: multa facies, quæ de-
, moliris: multa, quæ facis infecta voles. Por-
, ro Synodos aliorum temporum, nominatim
, vero Tridentinam, eiuſdem auctoritatis, ac
, fidei cum primis illis fuiſſe quandovſus vene-
, tit demonſtraturũ me ſpondeo atque recipio.
, Auctus igitur Conciliorum, omnium
, valido, & exquiſito præſidio, cur non in-
, grediar in hanc palæſtram animo tranquillo,
, & præſenti, obſeruaturus aduerſarium, quo
, ſe proripiat? Nam, & euidentiſſima produ-
, cam, quæ diſtorquere non poterit, & proba-
, tiſſima, quæ reſpuere non audebit, fortaſſe
, verboſius obloquendo diem extrahere cona-
, bitur; ſed ab intentis hominibus (ſi Vos ego
, bene noui) nec aures, nec oculos compila-
, bit. Quod ſi quis erit omnino tam demens,
, qui ſe vnum opponat Senatoribus Orbis ter-
, ræ, & ijs quidem omni exceptione maiori-
, bus, ſanctioribus, doctioribus vel tutioribus
, libenter aſpiciam illud os, quod vbi vobis
, oſtendero, reliqua cogitationibus veſtris re-
, linquã. Interim hoc monebo. Qui pleno con-
, cilio rite, atque ordine conſumato monumẽ-
, tum, & pondus abrogat, videri mihi nullo
, conſilio, nullo cerebro, neque ſolum in Theo-
, logis tardum, ſed etiam in politicis incon-
, ſultum, ſi vnquam Dei ſpiritus illuxit Eccle-
, ſiæ, certe illud eſt tempus immittendi numi-
, nis cum omnium Eccleſiarum, quæ ſunt in
, terris patentiſſimæ, religio, maturitas, ſcien-
, tia, ſapientia, dignitas vnam in Vrbem con-
, fluxerit, adhibitiſque modis omnibus diui-
, nis, & humanis, quibus indagari veritas poſ-
, ſit, promiſſum implorent ſpiritum, quo ſa-
, lutariter, & prudenter ſanciant. Proſiliat
, nunc aliquis factionis hæreticæ magiſtellus,
, attollat ſupercilia, ſuſpendat naſum, frontem
, perfricet, iudiceſque ſuos ſcurribiliter ipſe
, iudicet: quos ille ludos, quos iocos dabit? re-
, pertus eſt Lutherus qui diceret anteferre ſe
, Concilio duorum ſuffragia bonorum, &
, eruditorum hominum (putatote ſuum, & Phi-
, lippi) ſi quando in Chriſti nomine conſen-
, ſiſſent. Orciculos. Repertus Kemnitius qui
, Concilium Tridentinum ad ſuos vertiginis
, importunæ calculos exegerit, quid lucratus?
, infamiam. Dum iſte, ni cauerit, ſepelietur
, cum Ario. Tridentina Synodus magis indies
, eoque perennius effloreſcet. Bone Deus? quę
, gentium varietas, qui delectus Epiſcoporum

Act. 15.

Quatuor Oecumenica Concilia

Greg. l. 1. epiſt. 24. An. 1 Euſeb.

Nic. can. 6. Chal. art. 4. & 16.

Conſt. c. 5.

Eph. con. in epiſt. ad Neſtorium.

Nic. ca. 14. Chal. art. 11.

Nic. conc. apud Soc. l. 2 ca. 8.

Vide Chalc. can 4. 15. 23

Qui pleno Cõc. vt decet celebrato pondus abrogat cerebro caret.

Modus celebrandi Concilia.

Lutherus de Conciliis.

lib. de cap. Bab.

Kemnitius cõtra Conc. Trid.

Martini Kemnitij examen conc. Trid.

totius

Qualis ad Concil. Trid. Virorum ſplendor.

totius Orbis, qui Regum, & Rerum publicarum ſplendor, quæ medulla Theologorum, quæ Sanctitas, quæ lacrimæ, quæ ieiunia, qui flores Academici, quæ linguæ, quanta ſubtilitas, quantus labor, quam infinita lectio, quintæ virtutum, & ſtudiorum diuitiæ Auguſtum illud ſacrarium impleuerunt? Adiui ego Pontifices exultantes, & in his Antonium Archiepiſcopum Pragenſem, à quo ſum creatus Presbyter, ampliſſimos, & prudentiſſimos viros, & quod in ea ſchola hæſiſſent aliquot annis, vt nullum Ferdinandi Cæſaris, cui multum debuerant, regalius, & vberius in ſe beneficium colerent, quam hoc fuit, quod in Tridentino Gymnaſio legati ex Pannonia conſediſſent. Intellexit hoc Cæſar qui reuerſis ita in ſchola optima.

Cauſa cur in Huſſium iuſte animaduerſum. Io. Huſſ.

Huc inuitati fide publica, cur non properarunt aduerſarij vt eos palam refellerent, in quos ranunculi coaxante cauernulis? Huſſio, & Hieronymo fregere fidem, inquiunt. Falſum eſt: nullam enim dedere, ſed nec in Huſſium tamen animaduerſum fuiſſet, niſi homo perfidioſus, & peſtilens, retractus ex fuga, quam ei Sigiſmundus Imperator periculo capitis interdixerat: violatis etiam conditionibus, quas ſcripto pepigerat cum Cæſare, vim omnem illius diplomatis eneruaſſet. Fefellit Huſſium, præcipitata malitia. Iuſſus enim, cum barbaras in ſua Boemia tragædias excitaſſet, ſemetipſum ſiſtere Conſtantiæ, deſpexit prærogatiuam Conc. ſecuritatem petijt à Cæſare, Cæſar obſignauit: Chriſtianus Orbis reſignauit maior Cæſare. Redire ad mentem hæreſiarcha noluit, perijt. Hieronym. vero Pragenſis, furtim venit Conſtantiam; protectus à nemine, deprehenſus comparuit, perorauit: habitus eſt perbenigne: liber abijt quo voluit: ſanatus eſt: hæreſim eiurauit, relapſus eſt, exuſtus eſt. Quid toties vnum exemplum, de ſexcentis exagitant? Repetant annales ſuos.

Quare iuſtū Hieron. Prag. ſupplicium. Hieron. Prag.

Luthero fides data ſeruata. Anno 1518. Anno 1528.

Martinus ipſe Lutherus, odium, Dei, & hominum, Auguſtæ poſitus, coram Cardinale Caietan. nonne quod potuit eructauit, & Maximiliani literis communitus exceſſit? Idem auitus Vvormatiam, cum & Cæſarem, & pleroſque Imperij principes haberet infenſos, nonne Cæſaris verbo tutus fuit? poſtremo Lutheranorum, & Zuinglianorum capita præſente Carolo Quinto hæreticorum hoſte, victore, domino, nonne datis inducijs confeſſiones ſuas, toties innouatas, exhibuere Comitijs Auguſt. & ſoſpites abiere? Haud ſecus litteræ Trid. locupletiſſimas aduerſario cautiones prouiderant, vti noluit. Nimirum ſe iactat in angulis, in quibus, vbi tria verba Græca ſonuerit, ſapere videatur, abhorret à luce, quæ litteratorem in numero poneret, & ad honeſta ſubſellia deuocaret, Catholicis Anglis tale chirographum impunitatis impetrent, ſi diligunt ſalutem animarum. Nos Huſſiam non cauſabimur incuriam, verbo Principis innixi conuolabimus.

Auguſtana Confeſſio. Lutheranis ſaluus conductus datus & ſeruatus. Vide Act. Conc. Trid.

Sed vt vnde ſum egreſſus eo regrediar, Concilia generalia mea ſunt, primum vltimum, media his pugnabo. Haſtam expectet aduerſarius amentatam, quam euellere numquam poterit, proſternatur in eo Sathanas, Chriſtus viuat.

Quinta Ratio.

V. Patres. Act. 15. 1. Cor. 12. Epheſ. 4. 1. Cor. 14. Matt. 13. & 23.

ANtiochiæ, qua primum in Orbe Chriſtianorum nobile cognomentum increbuit, doctores, id eſt eminentes Theologi, & Prophetæ, id eſt concionatores per quam celebres floruerunt. Huiuſce generis ſcribas, & ſapientes, doctos in regno Dei, noua promentes, & vetera, Chriſtum callentes, & Moyſem, Dominus ipſe futuro gregi proſpexerat. Hos ingētis beneficij loco donatos explodere quanti maleficij eſt? exploſit aduerſarius, quid ita? quia ſtantibus illis concidiſſet. Id ego, cum pro certiſſimo comperiſſem, pugnam ſimpliciter exoptaui: non illam ocularem qua turbæ velitantur in compitis, ſed iſtam acerbam, & acrem qua congredimur in veſtris philoſophorum ſpacijs. Pede pes, denſuſque viro vir.

Hæreticorū modernorū de ſcriptis ſanctorum Patrum iudicium & blaſphemiæ. S. Dion. Areop. de quo Vide Adron. Tr. in mar. tyrol. Adon. Turo Syn. Suid. Metap. Comment. in 13 17. Deu ac item in capt. B ab. Dial. 5. & 11 Cent. 2. c. 10. Inſt. l. 1. cap. 13. n. 29. Cen 2 c. 5. Vide con. 1. lib. 2. cap. 5. lib. de praſ. ſcriptor. har Orat. de cōſ. ſcen. Iuuel. & c. Cauſ. dia. dia. 8. & 11.

Ad Patres, ſi quando licebit accedere, confectum eſt prælium: tam ſunt noſtri, quam Greg. ipſe XIII. filiorum Eccleſ. Pater amantiſſimus. Nam vt omittam loca ſparſa, quæ ex monimentis Veterum conquiſita, noſtram fidem appoſite, affirmateque propugnant, tenemus horum integra volumina, quæ de induſtria religionem quam tuemur Euangelicam diſtincte, copioſeque dilucidant. Duplex Hierarchia Martyris Dionyſij, quas claſſes, quæ ſacra, quos ritus edocet? Pupugit ea res Lutherum tam valde, vt huius opera ſimillima ſomnijs, nec non pernicioſiſſima iudicaret. Imitatus parentem Cauſſans neſcio quis terræ filius in Gallia, non eſt veritus hunc Dionyſ. inclitæ gentis Apoſtolum vocitare delirum ſenem. Centuriatores vehementer offendit Ignatius, offendit, & Caluinum vt in eius epiſtolis deformes næuos, & putidas nænias hominum quiſquiliæ notarint: cenſoribus illis fanaticum quiddam Iren. edidit. Clem. auctor ſtromatum zizania fæceſque protulit. reliqui patres huius æui, ſane Apoſt. viri blaſphemias, & monſtra poſteris reliquerunt. In Tertul. rapiunt auide quod à nobis edocti nobiſcum communiter deteſtentur, ſed meminerint illum bellum de preſcriptionibus qui noſtri temporis ſectarios tam inſigniter perculit, nunquā fuiſſe reprehenſum. Hippolitus Portuenſis Epiſcop. quam belle quam clare Antichriſti neruum Lutherana tempora præmonſtrauit? eum propterea ſcriptorem infantiſſimum, & laruam nominant. Cyprian. delicias, & decus Africæ, Gallicanus ille Criticus, & Magdeburgi ſtupidum, & deſtitutum Deo, & deprauatorem pænitentiæ nuncuparunt, quid admiſit? ſcripſit enim de virginibus de lapſis, de vnitate Eccl. tractationes eiuſmodi, eas etiam epiſt. Cornel. Rom. Pont. vt niſi fides huic martyri detrahatur, Petrus Martyr, Vermilius omneſque cum eo fœderati, peiores adulteris, & ſacrilegis, habeantur.

Cent 3. c. 4. Cent. 3. c. 4. Canones Pœnitentia veteres.

Ac ne ſingulis inſiſtam diutius, Patres huius ſæculi damnantur: omnes quippe qui doctrinam de pœnitentia mire deprauarint, quo pacto? nam auſteritas canonum, quæ viguit ea tempeſtate, maiorem in modum diſplicet huic ſectæ plauſibili, quæ triclinijs aptior quam templis, voluptarias aures titillare, &

Ezech. 13. Præfat. in cent. 5. Dia. 678. Beza in act. Apoſt. c. 23. Stancha l. de Trid. Lib. con. Hen 8. Reg. Ang.

, re, & puluillos omni cubito ſolet aſſuere. , Quid ætas proxima, quid peccauit? Chryſoſt. , & ij Patres iuſtitiam fidei fœde videlicet ob- , ſcurarunt. Nazianzenus, quem honoris cau- , ſa Theologum veteres appellarunt, Cauſæo , iudice fabulator quid affirmaret neſcij. Am- , broſ. à cacodæmone faſcinatus eſt. Hieren. , æque damnatus atque diabolus, iniurioſus , Apoſt. blaſphemus ſceleratus, impius. Vnus , Greg. Maſſouio pluris eſt Caluinus quam , centum Auguſtini, parum eſt Centum. Lu- , therus nihi facit aduerſum ſe mille Auguſti- , nos mille Cyprian. mille Eccleſ. Longius rem , deducere ſuperuacaneum puto: Nam in hos , qui bachantur, quis miretur in Optatum, , Athanaſ. Hilarium, Cyrillos, Epiph, Baſi- , lium, Vincentium, Fulgentium, Leonem, , Gregoriumque Romanum fuiſſe procaciſſi- , mos: Quanquam, ſi datur vlla rebus iniuſtis , iuſta defenſio, non inficior habere Patres vbi- , cunque incideris quod iſti dum ſibi conſen- , tiunt, neceſſario ſtomachentur.

Vnde odiũ ipſorum in Patres.

, Etenim qui odore ſtata ieiunia, quo ani- , mo oportet eſſe in Baſilium, Nazianzenum, , Leonem Chryſ. qui de quadrageſima, & in , dictis ieiuniorum ferijs, tanquam de rebus , iam vſitatis conciones egregias publicarunt?

, Qui ſuas animas auro, libidine, crapula, , & ambitioſis conſpectibus vendiderunt, poſ- , ſunt ne non eſſe inimiciſſimi Baſilio, Chry- , ſoſtomo, Hieronymo, Auguſtino, quorum , excellentes libri de Monachorum inſtituto, , regula, virtutibus teruntur?

Li. 22. de Ci. Dei c. 88. & ſerm. de di- uer. 34. & ſeq.

, Qui captiuam hominis voluntatem inue- , xere, qui Chriſtiana funebria ſuſtulere, qui , ſanctorum reliquias incẽdere, ſint ne placabi- , les Auguſt. qui de libro arbitrio liberos tres: , De cura pro mortuis vnum: De miraculis ad , Baſilicas, & memorias martyrum prolixum , caput nobiliſſimi operis, & conciones ali- , quot exarauit?

Cõt. ep. Man. quam vocant funda. c. 4.

, Qui fidem ſuis captiunculis metiuntur, , nonne ſuccenſeant Auguſt. cuius eſt inſignis , epiſt. contra Manichæum, qua ſe profitetur , Antiquitati, conſenſioni, ſucceſſioni perpe- , tuæ, & Eccleſiæ quæ ſola inter tot hæreſes , Cathol. nomen vſucapione vendicat, aſſen- , tire.

L. 1 cont. Par men. li. 2. lib. 3. lib. 6. Aug. lib. 1. con. Parmen. De vnit. c. 16 & ti 3. doct. Chriſti c. 40.

, Optatus Mileuit. Epiſc. Donatianam , partem reuincit ex communione Catholica, , nequitiam accuſat ex decreto Melchiadis, hæ- , reſim refutat ex ordine Romanorum Pont. , inſaniam patefacit ex Euchariſtia, & Chriſ- , mate contaminatis, ſacrilegium horret ex , diffractis altaribus in quibus Chriſti membra , portata ſunt, pollutiſque calicibus qui Chri- , ſti ſanguinem tenuerunt. De Optato, quid , ſentiant, aueo ſcire: quem Auguſt. vt vene- , rabilem, & Catholicum Epiſcopum, Ambro- , ſio parem, & Cypriano, quem Fulgentius vt , ſanctum, & fidelem Pauli interpretem Au- , guſtini ſimilem, & Ambroſij meminerunt.

Fulgen. l. 2. admonit. Vide ep. Synod. Al. ad Fel. 2.

, Athanaſij Symbolum in templis conci- , nunt. Num fauent ei qui Antonium Eremi- , tam Ægyptium grauis, & auctor accurato li , bello dilaudauerit, quique cum Alexandrina , Synodo iudicium Sedis Apoſtolicæ diui Pe- , tri ſuppliciter appellarit? Prudentius in hym- , nis quoties precatur martyres quos decan- , tat, quoties ad eorum cineres, & oſſa Regem , martyrum veneratur, Num hunc probabunt?

, Hieronymus pro ſanctorum reliquijs, & , honoribus ſcribit in Vigilantium: In Ioui- , nianum pro Virginitatis gradu, Huncciné , patientur?

Vide ep. D. Am. ad epiſ. li. Item ad Io. l. 10. ep. 85. Item ſer. 91. Aug. l. 22. de ci. Dei c. 1 Greg. Iul. de glor. Mar. c. 16. Metaphr. Inſt. l. 1. cap. 11. nu. 5.

, Ambroſius tutores ſuos Geruaſium, & , Prothaſium celebritate notiſſima in Arria- , nam ignominiam honeſtauit: cui facto diui- , niſſimi Patres Encomion tribuere, quod fa- , ctum Deus non vno prodigio decorauit. , Num beneuoli ſunt Ambroſio futuri?

, Gregorius magnus noſter Apoſtolus, pla- , niſſime noſter eſt, eoque nomine noſtris ad- , uerſarijs odioſus, quem Caluini rabies negat , in ſchola Sancti Spiritus educatum, propte- , rea quia ſacras imagines illiteratorum libros , appellaſſet.

, Dies me deficeret numerantem epiſtolas, , conciones, homilias, orationes, opuſcula , diſceptationes Patrum, in quibus ex appara- , to grauiter, & ornate noſtra Catholicorum , dogmata roborarunt, quamdiu apud biblio- , polas iſta venierint tamdiu fruſtra noſtrorũ , codices prohibentur: fruſtra ſeruantur adi- , tus oræque maritimæ, fruſtra domus, arcæ, , ſcrinia, capſulæ diſquiruntur: fruſtra tot por- , tis minaces tabulæ ſuffiguntur. Nullus enim , Hardingus, nec Sanderus, nec Alanus, nec , Stapletonus, nec Briſtolinus hæc noua ſom- , nia vehementius quam hi quos recenſui Pa- , tres inſectantur. Talia cogitanti accreuit ani- , mus, & deſiderium pugnæ, in qua quoquo , ſe mouerit aduerſarius, niſi gloriam Deo , ceſſerit, feret incommodum. Patres adui- , ſerit; captus eſt: excluſerit, nullus eſt.

Iuelli Caluiniſtę diſceptatio cum Catholicis ex Patribus

, Adoleſcentibus nobis ita contigit. Io- , annes Iuellus anteſignanus Caluinianorum , Angliæ Catholicos ad Diui Pauli Londinen- , ſium, incredibili iactantia, laceſſiuit, in- , uocatis per Hypocriſim, & imploratis Patri- , bus, quicunque intra ſalutis annum ſexcen- , teſimum claruiſſent. Accipiant conditionem , memorabiles viri qui tum exulabant Loua- , nij, ſummis licet difficultatibus, propter ini- , quitatem ſuorum temporum circumſepti. , Auſim dicere tanto popularibus noſtris bono , fuiſſe illam Iuelli aſtutiam, inſcitiam, impro- , bitatem, impudentiam quas ij ſcriptores fe- , liciter expanderunt, at vix aliud quidquam , memoria mea prouenerint Anglorum Eccle- , ſiæ laboranti fructuoſius. Edictum continuo , valuis appenditur, ne qui codices illius mo- , di legerentur, ne ve haberentur, quum tan- , tis clamoribus propemodum extorti prodijſ- , ſent Patres fuiſſe Cath. id eſt noſtros.

Arguitur Iuellus ab Humfredo hæretico. *lib. de vi. Iuel.*

, Neque hoc ſibi ſuiſque vulnus inflictum , Laurentius Humfredus tacuit, qui cum alte , Iuellum quod cætera ſuſtuliſſet, vnam ei no- , tam aſperſit inconſiderantiæ, quod Patrum , calculos recepiſſet, quibus cum ſibi nihil eſſe , commercij, nec fore ſine vlla circuitione pro- , loquitur.

Tobiæ Matthæi hęretici teſtimonium de Patrũ ſcriptis.

, Pertentauimus etiam familiariter ali- , quando Tobiam Matthæum, qui nunc in cõ- , cionibus dominatur, quem propter bonas , artes, & virtutum ſemina dileximus; vt reſ- , ponderet ingenue, poſſet ne, qui Patres aſſi- , duus lectitaret, iſtarum eſſe partium, quas , ille ſuaſerat? retulit, non poſſe, ſi pariter eos , legeret, ijſque crederet: veriſſimum hoc ver- , bum eſt: neque aliter, aut cum nunc, aut Mat- , thæum Huttenum, qui vir nominatus in paucis

paucis verſare Patres dicitur, aut reliquos aduerſarios qui hoc faciunt ſentire arbitror.

Hactenus ergo ſecurus in hanc aciem potui deſcendere bellaturus cum ijs qui quaſi auribus lupum teneant, æternam cauſæ maculam cogantur inurere ſiue recuſent Patres, ſiue depoſcant. Nam in altero fugam adornant, in altero ſuffocantur.

VI.

Sexta Ratio.

Firmamenta Patrũ Io. 5. Patrum circa ſacras litteras ſtudiũ.

SI quibus vnquam cordi, curæque fuit id, quod maximopere noſtris fuit, & eſſe debet, ſcrutamini ſcripturas facile principes, & palmares in hoc genere ſanctiſſimi Patres extitere. Horum opera, ſumptuque tot gentibus, & linguis tranſcripta biblia, & importata ſunt. Horum periculis, & cruciatibus crepta de flammis hoſtilibus, & vaſtitate horum laboribus, & vigilijs omnem in partem enucleata ſtudioſiſſime die noctuque ſacras litteras edidere, immenſa volumina ſacris litteris ditauere, fideliſſimis commentarijs ſacras litteras explicuere, cibos, & inediam ſacris litteris condiere, occupati denique ſacris in litteris ad ſenectutem decrepitam peruenere.

Patres ſacrarum litterarum teſtimonijs maxime vſi. Cant. 4.

Quod ſi frequentes ipſi quoq; ab auctoritate Maiorum, ab Eccl. Praxi, à ſucceſſione Pontif. à Concilijs Oecumenicis à traditionibus Apoſt. à cruore Martyrum, à ſcitis Præſulum, à Viſis euentiſque mirabilibus argumentati ſunt, tamen omnium maximè, & libentiſſimè ſanctarum litterarum teſtimonia denſa conglobant, hæc premunt, in his habitant, hinc armaturæ fortium duces robuſtiſſimi, ſarta tecta Ciuitatis Dei contra nefarios impetus quotidie munientes optimo iure primas partes honoratiſſimaſque porrigunt.

Quo magis demiror illam exceptionem aduerſarij ſuperbam, & fatuam, qui velut aquam in profluente quæritans, ſic in ſcripturis confertiſſimis ſcripturarum penuriam obiectat. Tantiſper ſe Patribus aſſenſurum dicit dum ſacris litteris adhæreſcunt. Num loquitur ex animo?

Patres amiciſſimi ſcripturarum.

Curabo igitur procedant armati, atque ſtipati Chriſto, Prophetis, Apoſt. atque omni apparatu Biblico celeberrimi auctores antiquiſſimi Patres ſanctiſſimi viri Dionyſ. Cyprian. Athan. Baſili. Nazianzenus, Ambr. Hieron. Chryſoſt August. Latinuſq; Gregor. Regnet in Anglia fides illa, vtinam regnet, quam hi Patres amiciſſimi ſcripturarum ex ſcripturis extruunt. Quas afferunt, afferemus: quas conferunt conferemus, quod iuſſerunt inſeremus, placet, exſcrea dic Sodes minimè vero inquis, niſi recte exponant. Quid eſt hoc ipſum rectè arbitratu tuo. Nihil ne pudet Labyrinti. Ergo cum ſperem in Academijs florentiſſimis cõſotiatum iri bene multos qui non pingui Mineruæ, ſed acuto iudicio in has controuerſias inſpecturi ſint, & horum reſponſa nugatoria libraturi, lætus hunc diem campi præſtolabor, vt qui contra ſylueſtres tumulos mendiculorum inermium nobilitatem, & robur Eccl. Chriſti cogitem educere,

Septima Ratio.

VII. Hiſtoria. Antiquiores hiſtorici etiam ab Hæret. vſurpati *Hæreticorum Cronica, & hiſtoria.*

PRiſtinam Eccleſiæ faciem hiſtoria priſca retegit. Huc prouoco, certe antiquiores hiſtorici quos etiam vſurpant aduerſarij fere numerantur Euſeb. Damaſus, Hieron. Ruffin. Oroſius, Socrates, Sozom. Theodoret. Caſſiodorus, Gregor. Turonenſis, Vſuardus, Regino, Marianus, Sigibertus, Zonaras, Cedrenus, Niceph. Quid narrant? Noſtrorum laudes, progreſſus, viciſſitudinem, hoſtes, imo vero, quod obſerues diligenter, illi qui diſſident à nobis odio capitali, Philippus, Panthaleon, Funcius, Magdeburgici quum ſe ad ſcribendam, vel chronologiam Eccl. vel hiſtoriam applicuiſſent, niſi noſtrorum geſta colligerent, ac inimicorum Eccl. noſtræ fraudes, & ſcelera coaceruarent, mille quingentenos annos argumento vacui prætermitterent.

De Hiſtoriograph. certarum regionum. *Hiſtorici certarum gentiũ*

Cum his conſidera peculiares certarum hiſtoriographos regionum, qui vnius acta, cuiuſque populi curioſius operoſiuſque ſcrutati ſunt. Ij quaſi ſpartam adepti, quam locupletare modis omnibus, & perpolire cuperent, qui ne conuiuia quidem lautiora, aut manicatas tunicas, aut pugionum capulos, aut inaurata calcaria, taleſque minutias ſi nouitatem ſaperent, tacuere profecto ſiquid in religione mutatum aut à primis degeneratum ſæculis inaudiſſent frequentes memoraſſent: ſi non frequentes, ſaltem aliqui: ſi non aliqui, vnus aliquis abſque dubio. Nullus omnino, neque beneuolus nobis, neque maleuolus, non modo quicquam tale prodidit, ſed nec ſignificauit.

Aſtabilitate fidei quæ hactenus in Rom. Eccl. permanſit confunduntur hæretici contrarium ex hiſtorijs probare non valentes.]

Verbi gratia. Dant nobis aduerſarij, nec aliter poſſunt, fuiſſe Romanam Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam, tum cum hæc à Diuo Paulo promeruiſſet elogia. *Veſtra fides annunciatur in vniuerſo mundo, ſine intermiſſione memoriam veſtri facio. Scio quoniam veniens ad vos in abundantia benedictionis Chriſti veniam. Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti: Veſtra enim obedientia in omnem locum diuulgata eſt.* Tum cum ibi Paulus in libera cuſtodia diſſeminaret euangelium. Tum cum in ea quondam Babylone collectam Eccleſiam Petrus regeret. Tum cum ille Clemens apprime laudatus ab Apoſtolo ſederet ad ipſa gubernacula. Tum cum prophani Cæſares, vt Nero, Domitianus, Traianus, Antoninus, Romanos, Pontifices laniarent. Tum etiam, vel Caluino teſte, cum Damaſus, Siricius, Anaſtaſius, Innocentius clauum tenerent Apoſtolicum. Hoc enim ſæculo nihil adhuc, præſertim Romæ, digreſſos ab euangelica doctrina liberaliter ille concedit.

Rom. 1. Rom. 1. Rom. 15. Rom. 16. Rom. 16. Act. 28. 1. Pet. 5. Hieron. in ca. ſcript. Eccl. & Papias apud Euſ. 2. hiſt. 15 Phil. 4. Ire. lib. 3. c. 3. Inſt. lib. 4. c. 2. n. 3. & in epiſt. Abſa-doli.

Quando igitur hanc fidem tantopere celebratam Roma perdidit? quando eſſe deſijt, quod ante fuit? Quo tempore? quo Pontifice? qua via? qua vi? quibus incrementis Vrbem, & Orbem Religio peruaſit aliena? quas voces? quas turbas? quæ lamenta progenuit? Omnes Orbe reliquo ſopiti ſunt, dum Roma, Roma inquam, noua Sacramenta nouum ſacrificium, nouum religionis dogma procuderet. Nullus extitit hiſtoricus neque Latinus, neque Græcus, neque remotus, neque

Vide eu in ann. 1523.

citimus qui tem tantam, vel obſcure iaceret in commentarios.

VIII. *Paradoxa.*

Ergo perſpicuum hoc quidem eſt, ſi quæ nos credimus hiſtoria multa, & varia, nuncia vetuſtatis, vita memoriæ, loquitur, ac repetit affluenter: quæ iſti obtrudunt nulla narratio poſt homines natos in Eccleſia valuiſſe commeminit, & hiſtoricos eſſe meos, & incurſiones aduerſarias eſſe frigidiſſimas, quæ nihil mouere poſſint, niſi prius receptum ſit omnium temporum Chriſtianos in ſpiſſam perfidiam atque in Gehennæ voraginem corruiſſe, donec Lutherus Boram conſtupraſſet.

Octaua Ratio.

Hæreticorũ modernorũ de Deo blaſphæmiæ. *De Deo Gal. inſtit. lib. 1. c. 18 lib. 2. cap. 4 lib 3. c. 23. & 24. Pet. Mar. in* Lutheri impietas in Trinitatem. *1. Sam. Melan ann. in c. Rom. 8. Vuittē. 1524. Sic docet Luth in aſſer 36 & in reſp aſſert. 36 & li de ſer. arbit.*

EGo vero præſtantiſſimi viri cum de multis hæreſibus quædam apud me opinioſiſſimorum portenta reputo, quæ mihi veniant expugnanda, me ipſum inertiæ, vecordiæque condemnarem ſi cuiuſquam in expetiundo facultatem, aut vires extimeſcerem. Sit ingenioſus, ſit eloquens, ſit exercitatus, ſit omnium librorum helluo, tamen aridus, & balbus appareat neceſſe eſt, cum hæc tam adynata ſuſtentabit, diſputabitur enim, ſi forte nobis annuent, De Deo, De Chriſto, De Homine, De Peccato, De Iuſtitia, De Sacramentis, De Moribus. Videbo an auſint aſſeuerare quæ ſentiunt quæque rebus addicti neceſſarijs diuulgant in ſcriptiunculis ſaxo norint iſta ſuorum axiomata.

De Chriſti Paradoxa hæreticorũ ſeu potius impiæ blaſphemiæ. *Præf in ann. Philippi. In Apol. eu. An; Vide euch p. an. 1551.*

Deus eſt auctor, & cauſa peccati volens, ſuggerens, efficiens, iubens, operans, & in hoc impiorum ſcelerata conſilia gubernans. Proprium Dei opus fuit vt vocatio Pauli ſic adulterium Dauidis, Iudæque proditoris impietas. Monſtrum hoc cuius Philippum aliquando puduit Lutherus tamen à quo Philippus hauſerat quaſi oraculum cæleſte miris extollit laudibus, & alumnum ſuum eo nomine tantum non exæquat Apoſtolo Paulo. Percontabor etiam quid animi, Luthero fuerit, quem Angli Caluiniani virum diuinitus datum ad orbem illuminandum pronuntiant, cum hunc verſum demeret ſupplicationibus Eccleſiæ. *Cancta Trinitas, vnus Deus miſerere nobis.*

De Chriſto Inſt. lib. 1. c. 13. n. 23. 24. Bez. in Heſhuſ. Beza cont. Schmido lib. de vnio. hypoſta. duar. in Chriſto na. Calui. 10. 14. Cont. Lato. Bau. in Lu. 2 Cal. in har. Eu. Luc. Ioſ. Hem. Mel in Ennuc. do. ſ. poſt. epi. Ma. 730 in Matt. 26 Cal. in Harm. euan. Brent. in Luc p 2. home 65. & in catechiſ an 1551 & in to. hom 54.

Mox ad perſonam Chriſti progrediar. Quæram iſta ſibi quid velint, *Chriſtus Dei filius Deus De Deo* Caluino. *Deus ex ſeſe* Bezæ *non eſt genitus de Patris eſſentia.* Item. *Duæ conſtituantur in Chriſto vniones hypoſtaticæ, altera animæ cum carne, Diuinitatis cum Humanitate altera.* Locus apud Ioannem, *ego & Pater vnum ſumus*, non oſtendit Chriſtum Deum homoouſion Deo Patri, ſed *& anima mea* inquit Lutherus *odit hoc verbum homouſion.* Pergite. *Chriſtus ab infantia non fuit gratia conſummatus, ſed animi dotibus velut cæteri homines adoleuit, vſu factus quotidie ſapientior, ita vt puerulus ignorantia laborarit.* Quod perinde eſt, ac ſi dicerent originis labe, & vitio ſordidatum, ſed cognoſcite ditiora. *Chriſtus cum orans in horto ſudoribus aquæ maneret, & ſanguinis, ſenſu damnationis æternæ pœnam cohorruit, vocem edidit ſine ratione, ſua ſpiritu vocem doloris impetu repentinam, quam vt non ſatis meditatam celeriter caſtigauit,* Eſt ne aliquod amplius? Attendite, *Chriſtus cum actus in Crucem exclamaret, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me Accenſus eſt flammis inferni deſperationis vocem emiſit non aliter affectus quam ſi pereundum ei foret internecione ſempiterna.* His etiam ſi quid poſſunt addant. *Chriſtus* inquiunt, *deſcendit ad inferos, id eſt enim mortuus Gehennam guſtauit nihilominus quam Animæ damnatorum, niſi quod ſibi reſtituendus erat, quandoquidem enim morte corporea nihil nobis profuiſſet: anima quoque luctari cum morte debuit æterna, atque hoc modo noſtrum ſcelus ſuppliciumque dependere.*

Caluini impudentia. *Cal. in ha. eu. in conc. Ioſ. in Mato. 26. Schmidel. conc. de paſſio, & cadem.*

Ac ne quis fortè ſuſpicetur iſtud Caluino per incuriam obrepiſſe, idem Caluinus, omnes vos, ſi qui doctrinam iſtam ſolutij plenam exagitaſtis, perditos appellat nebulones. Tempora! tempora! cuiuſmodi monſtrum aluiſtis! cruor ille delicatus, & regius, quod de innocentis Agni corpore lacerato ſiſſoque ſcaturijt, cuius cruoris vna quæuis guttula propter dignitatem Hoſtiæ mille mundos redimere potuiſſet, nihil humano generi perfecit, niſi mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, mortem quoque ſecundam, mortem animæ, mortem gratiæ, peccati ſolius, & exitiabilis blaſphemiæ ſociam, pertuliſſet. Præ hac inſania modeſtus videbitur Bucerus quamquam eſt impudens qui infernum in ſymbolo ſepulcrum accipiet per epexegeſim valde præpoſteram ac potius tautologiam ineptam atque ſtolidam. Anglicani ſectarij, pars Caluino Idolo ſuo, pars Bucero magno magiſtro ſolent accedere, pars etiam ſubmurmurant in hunc articulũ, ne quod faceſſat vltra moleſtiæ quem admodum ſine tumultu penitus eximatur de ſymbolo. Id vero etiam fuiſſe tentatum in Conventiculo quodam Londinenſi memini narrare mihi, qui interfuit, Richardum Chenium miſerimum ſenem, male mulctatum à latronibus foris, neque tamen ingreſſum in paternam Domum. Hactenus de Chriſto.

Bucerus pro inferno ſepulchrum intelligit. *Aepinus cōm in Pſ 16.* Varietas Anglicanorum de eo. *Oal angl. li. 2. c. 16. Bren. in catec. in 1551. In lib. 2. c. 16 n. 2. 1. Tim. 2. Apoc. 2. Bucer. in Mat. ca. 26.*

De homine quid Imago Dei penitus in homine deleta eſt, nulla boni ſcintilla ſuperſtite, tota natura, quo ad omnes Animæ partes, ita funditus euerſa, vt ne renatus quidem, & ſanctus quiſquam ſit aliud intrinſecus, niſi mera corruptio, atque contagio. Quorſum iſta? Vt qui ſola fide gloria rapturi ſunt, in omnium turpitudinum cœno volutari, naturam accuſent, virtutem deſperent, præcepta dehonorent.

De homine De Origin li peccato Illyrici Magdeburgici ſententia.

Hæc Illyricus Magdeburgenſium primipilus illud ſuum adiecit immane placitum de originis peccato, quod eſſe vult intimam ſubſtantiam animarum, quippe quas poſt Adami lapſum Diabolus ipſe procreet, & in ſeſe transformet. Hoc quoque tritum eſt in hac fece omnia peccata eſſe paria, ſed ita (ne ſtoici reuiuiſcant) ſi Deo iudice ponderentur. Ac ſi Deus æquiſſimus iudex oneri noſtro cumulum potius, quam lauamentum faceret, & id quod non eſt in re, quum ſit ipſe iuſtiſſimus, exaggeraret. Hac trutina non lenius in Deum ſeueriſſime iudicantem, deliquerit ille caupo, qui gallum gallinaceum, quando non eſt opus, occiderit, quam infamis ille ſicarius qui plenus Beza, Gallum Heroa Guiſium, admirabili virtute principem, diſploſa fiſtula clanculum interemit, quo facinore nihil vidit orbis noſter ætate noſtra

Illyri. in va rys lib. de orig. Cal. Inſt. li 2. c. 3. Sacerd. de confeſ. etc. Aepin. de imb. & pec. ſanct. kem contra conſ. col.

Peccata omnia eſſe paria abſurda mentiuntur. *De peccat.*

ſune-

; funeſtius , nihil luctuoſius .

Illyr. in var. lib. de peccat. orig.
Vide Hesbu. in ep. ad Illyr. An peccatum ſit ſubſtantia
Ca. in Antid. Conc. Trid.
Idem docuerat Vvicleff. apud Vvald. lib. 2. de Sacr. c. 154.
De diuina gratia hæreticorũ plaſmas.
De gratia.
Luth. in reſp. contra Lovan.

, Sed fortaſſe qui tam ſunt in peccati con-
, ditione tetrici magnifice philoſophantur de
, diuina gratia, quæ huic malo ſuccurrere, ac
, mederi poſſit. Præclaras vero iſti partes aſſi-
, gnant gratiæ, quam neque infuſam cordibus
, noſtris neque ad reſiſtendum ſceleribus vali-
, dam eſſe latrant, ſed extra nos in ſolo Dei
, ſauore collocant, qui ſauor non emendet im-
, pios, nec purget, nec illuminet, nec ditet,
, ſed veterem illam ſentinam adhuc manen-
, tem, atque ſatentem, ne deformis, & odio-
, ſa putetur, Deo conniuente diſſimulet. Quo
, ſuo plaſmate tantopere delectantur, vt ne
, Chriſtus qnidem aliter apud illos gratia ple-
, nus & veritate dicatur, quam quod ei Deus
, Pater mirandum in modum ſauerit.

De perſeuerantia Calui ni ſententia.
Bucer. in Ioan. 1.
Vvell. in natale Chriſti
Brent. hom. 2. in Io Centur. lib 1 cap 4.

, Quæ res ergo iuſtitia eſt? Relatio. Non
, enim ex Theologicis concinnata virtutibus
, fide, ſpe, charitate, quæ animam ſuo nitore
, conueſtiant, ſed tantum occultatio delicti,
, quam qui ſola fide prehenderit, ille tam de
, ſalute certus eſt, ac ſi iamptidem intermina-
, to cœli gaudio frueretur,

De iuſtitia. Mat. 12. Luc. 11.
Inſt lib 3. c. 2. lib de c. Bab.

, Age, ſomniet hoc; ſed vnde conſtare
, poterit de futura perſeuerantia, qua qui ca-
, ruit exiuit infeliciſſimus, licet ad tempus pure
, pieque iuſtitiam coluiſſet? *Imo vero hac tua*
, *fides*, Caluinus ait, *niſi tuam tibi perſeueran-*
, *tiam firme prænunciet vt hallucinari nequeas*
, *tanquam inanis, & languida ſpernetur*. Agnoſ-
, co diſcipulum Lutheri Chriſtianus inquit ille
, etiam volens non poteſt ſalutem perdere niſi
, nolit credere.

De Sacram. Hæretic. ab ſurditates & pœ ſertim de Sacramento Baptiſmi.
De Sacramẽtis.
Cal. inſt. l. 4. c. 15.
Cent. 1. lib. 1. cap. 10.
Magdeburgici.
Cent. 2. 11. 5. cap. 4.
Lutherus.
Luth. aduerſus Cochl. Item epiſt. ad Melan. to. 2. & in ep. ad Vval.
Pacimontanus Anabap.
Anabapt. Apoc. 15.

, Ad Sacramenta feſtino. Nullum, nul-
, lum: non duo, non vnum, ò ſancte Chriſte,
, reliquerunt, ipſorum quippe panis venenum
, eſt. Baptiſmus, etſi adhuc verus eſt, tamen
, ipſorum iudicio nihil eſt; vnda ſalutaris non
, eſt: carnalis gratia non deriuar in nos Chri-
, ſti merita, ſed ſignificatio dumtaxar ſalutis
, eſt. Itaque nihilo pluris Baptiſmum Chriſti
, quod naturam rei, quam Ioanuis fecere cæ-
, rimoniam; ſi habeas, recte: ſi careas, nihil
, damni: crede, ſaluus es antequam abluare.
, Quid ergo paruulis, qui niſi iuuentur virtute
, Sacramenti, ſua fide, miſelli, nihil aſſequun-
, tur? *Potius quam Sacramento Baptiſmatis quic-*
, *quam tribuamus* inquiunt Magdeburgici *de-*
, *mus ineſſe fidem ipſis infantulis qua ſeruentur*,
, *cuius fidei pulſus quoſdam abditos intelligant*,
, ipſi qui viuant nec ne nondum intelligunt;
, durum, ſi hoc adeo durum eſt, Lutheri phar-
, macum auditote. *Præſtat* inquit *omittere quan-*
, *doquidem niſi credat infans ne quicquam lauatur.*
, Hæc illi quidem ancipites animo quidnam
, enuncient categorice. Ergo Balthaſar Paci-
, montanus diribitor interueniat, qui, parens
, Anabaptiſtarum, cum paruulis motum fidei
, non poſſet affingere, Lutheri cautiunculam
, approbauit, & pædo; baptiſmum eijciens è
, templis, neminem, niſi adultum, fonte ſa-
, cro decreuit abluere. Ad reliqua Sacramenta
, quod attinet, quamuis illa beſtia multiceps
, horrendas eiectet contumelias, tamen quia
, quotidianæ iam ſunt, & callum auribus ob-
, duxerunt, hic prætereo.

Hæreticorũ de vita & moribus ſcripta blaſphemica.

, Reſtant hæreticorum de vita, & mori-
; bus fruſta nocentiſſima, quæ Lutherus euo-
, muit inchartas, vt ex vnius pectoris impuro
, gurguſtio peſtem lectoribus inhalaret. Au-
, dite patienter, & erubeſcite & mihi date ve-
; niam recitanti. *Si nolit vxor, aut non poſſit,*
, *veniat ancilla, ſiquidem res vxoria tam eſt cui-*
, *que neceſſaria, quam eſca potus, ſomnus, Matri-*
, *monium, eſt virginitate multo præſtantius. Eam*
, *Chriſtus, eam Paulus diſſuaſerunt hominibus*
, *Chriſtianis*. Sed hæc fortaſſe propria Lutheri
, ſunt. Non ſunt etiam nuper à meo Charco,
, ſed miſere timideque defonduntur. Vultis
, ne plura? quid ni? *Quanto ſceleratiores* inquit,
, *tanto vicinior gratia. Omnes actiones bonæ pec-*
, *cata ſunt, Deo iudice mortifera, Deo propitio*
, *leuiuſcula. Nemo malum ſuapte voluntate co-*
, *gitat. Decalogus nihil ad Chriſtianos. Opera*
, *noſtra Deus nequaquam curat. Soli recte par-*
, *ticipant cœna dominica qui triſtes, afflictas, per-*
, *turbatas, confuſas, erraticas apportant conſcien-*
, *tias. Confitenda crimina ſunt, ſed cuilibet; qui-*
, *ſite, vel ioco, abſoluerit, modo credideris, ab-*
, *ſolutus es; legere preces horarias non eſt ſacer-*
, *dotum, ſed laicorum. Chriſtiani liberi ſunt à*
, *ſtatutis hominum*. Satis ſuperque lacunam
, iſtam commouiſſe videor, iam finio. Nec vero
, puteris iniquiorem eſſe me, qui Lutheranos,
, & Zuinglianos promiſcue coarguerim. Nam
, iſti, memores à quo proſeminati ſint, inter
, ſe fratres, & amici volunt eſſe, adeoque gra-
, nem interpretantur iniuriam cum in vlla re
, præter vnam diſcriminantur.

Ser de matr. lib. de vo. con. & aſſe ar. 16. lib. de voc. Euang.
Charc. lib. in eiſorem ſuũ.
Luth. ſermo de ppet. Aſſert. 32. lib. de ſer. arbit. ſer de Moyſe. lib. de capt. Bab.
Apolog Eccl. Angl.

, Equidem non ſum tanti, vt vel medio-
, crem locum mihi ſumam in ſelectis Theolo-
, gis, qui hodie bellum hæreſibus indixere:
, ſed hoc ſcio, quantuluſcunque ſum, pericli-
, rari me non poſſe, dum Chriſti gratia, fultus
, aduerſum talia commenta tam inuiſa, tam
, inſulſa, tam bruta, cœlo terraque iuuantibus,
, præliabor.

Nona Ratio. IX.

, Scitum eſt inter cæcos luſcum regnare poſ-
, ſe; apud rudes valet ſæpe fucata diſputa-
, tio, quam ſchola philoſophorum exſibilat.
, Multa peccat aduerſarius in hoc genere, ſed
, quatuor fallacijs plerumque conſuitur quas
, in Academia malim quam in triuio rete-
, xere.

Sophiſmata.

, Primum vitium, Schimachia eſt. quæ
, auras, & vmbras magno conatu diuerberat.
, Hoc pacto contra cælibes iuratos, & votos
, in caſtimoniam, quod nuptiæ bonæ ſint, Vir-
, ginitas, melior, offeruntur ſcripturæ loquen-
, tes honoriſice de coniugio. Quem feriunt?
, contra meritum hominis Chriſtiani, tinctum
, Chriſti ſanguine, alioqui nullum, promun-
, tur teſtimonia, quibus iubemur nec naturæ
, nec legi ſed ſanguini Chriſti fidere. Quem
, refellunt? In eos qui colunt cælites, vt famu-
, los Chriſti maxime gratioſos, citantur inte-
, græ pagellæ quæ vetant colere multos Deos;
, vbi nam ſunt? Huiuſmodi argumentis, quæ
, apud hæreticos infinita reperio, nobis eſſe
, detrimento non poterunt, vobis eſſe faſtidio
, poterunt.

Schimachia.
1. Cor 7.

, Aliud vitium, Logomachia eſt, quæ ſen-
, ſa deſerens loquaciter cum verbo litigat.
, *Inuenias mihi miſſam* inquiunt, *aut purgato-*
, *rium in ſcripturis*: Quid ergo? Trinitas, Ho-
, mooſios, Perſona nuſquam ſunt in Biblijs,
, quia voces iſtæ non ſunt. Affine eſt huic,

Logomachia.

 pecca-

peccatum litterarum aucupium, cum negle-ćta conſuetudine, & mente loquentium, quæ vita vocabuli eſt, aduerſus elementa contenditur. Nempe ſic aiunt. *Presbyter nihil eſt niſi ſenior: Sacramentum quoduis myſterium*, Cæterum acute ſanctus Thomas *vt omnia in vocibus* inquit *videndum non tam ex quo quam ad quid ſumantur.*

Homonymia.

Tertium, Homonymia eſt, longe lateque patens videlicet: *Quorſum ordo Sacerdotum cum Ioannes omnes nos vocauerit Sacerdotes?* etiam hoc addidit. *Regnabimus ſuper terram: Quorſum ergo Reges?* Item. *Propheta celebrat ieiunium ſpirituale, hoc eſt ab inueteratis criminibus abſtinentiam. Valeat ergo ciborum delectus, & dierum præſcriptio.* Siccine igitur inſanierunt Moyſes, Dauid, Helias, Baptiſtes, Apoſtoli qui biduo, triduo, vel hebdomadis inediam terminarunt? quæ quidem, vt à crimine, debebat eſſe perpetua. Hoc quale ſit iam vidiſtis. Propero.

Apoc. 5. Iſaiæ 48.

Circulatio.

Quartum his adijcitur, Circulatio. In hunc modum. *Da mihi notas* inquam *Eccleſiæ? Verbum Dei, & puriſſima Sacramenta.* Hæccine ſunt apud vos? Quis dubitet? ego videlicet pernego. Conſule verbum Dei: iam conſului minuſque vobis quam ante faueo. Ah, tamen planum eſt. Proba mihi. Quia nos ne latum quidem vnguem diſcedimus à verbo Dei. Vbi eſt acumen tuum? ſemperne capies pro argumento illud ipſum quod ponitur in quæſtione? Quoties hoc iam inculco? Non tu euigilas? Num faces admouendæ ſunt? Dico: à te perperam exponi verbum Dei; teſtes habeo quindecim ætates: iſta ſententiæ, non meæ, non tuæ, ſed harum omnium. Stabo ſententiæ verbi Dei: *Spiritus vbi vult ſpirat*. Quum quos gyros quas rotas fabricat. Hic nugator, tot verborum atque ſophiſmatum architectus neſcio cui formidoloſus eſſe queat: moleſtus erit fortaſſe: Moleſtiam veſtra prudentia ſubleuabit, formidinem res eripuit.

X.

Decima Ratio.

Omne Genus Teſtium Iſai. 35.

HÆc erit vobis directa via ita vt ſtulti non errent per eam. Quis enim, quamuis hebes, in plebecula, dummodo ſalutis cupidus, parumper attenderit ſemitam Eccleſiæ, tam egregie complanatam, non videat, non teneat: vepres, & cautes, & auia deteſtatus? Erunt hæc etiam rudibus explorata, ſicut Iſaias vaticinatus eſt, vobis igitur, ſi voletis, exploratiſſima.

Cœlites Auguſt. ſer. 37. de San.
Teſtes producuntur XXXIII. Rom. Pontifices martyres.
Dam in vit. Pont. Rom.
Hier. in cat. ſcript. in ep. ad Smyr.
Alij Martyres.
Euſeb. lib. 3. c. 30.

Theatrum vniuerſitatis rerum ponamus ob oculos, quicquid eſt vſpiam peragremus: omnia nobis ad argumentum ſuppeditant. Eamus in cœlum, Roſas, & Lilia contemplemur, purpuratos nempe martyrio, candidatos innocentia, Romanos *inquam* Pontifices tres & trigiuta continenter occiſos, Paſtores terris omnibus qui ſuum pro Chriſti nomine ſanguinem oppignerarunt: Greges fidelium, qui Paſtorum veſtigiis inſiſtere, ſanctos omnes cælites, qui turbæ hominum puritate, & ſanctimonia præluxere. Noſtros hinc emigraſſe reperias, noſter fuit, vt paucula delibemus, ille martyrij ſitientiſſimus Ignatius, qui in rebus Eccleſiæ neminem, ne Regem quidem, æquauit Epiſcopo: qui traditiones quaſdam Apoſtolicas, quarum teſtis ipſe fuerat, ne dilaberentur, ſcripto mandauit. Noſter Anachoreta Teleſphorus, qui ieiunium Quadrageſimæ, ſancitum ab Apoſtolis, obſeruari ſecurius iuſſit. Noſter Ireneus, qui à ſucceſſione, cathedraque Romana fidem Apoſtolicam declarauit. Noſter Victor, Pontifex, qui Aſiam edicto coercuit vniuerſam, quod cum aliquibus, atque etiam huic Irenæo, viro ſacratiſſimo, videretur aſperius, nemo tamen attenuauit vt exoticam poteſtatem, Noſter Polycarpus, qui ſuper quæſtione Paſchatis Romam adijt, cuius ambuſtas reliquias Smyrna collegit, anniuerſario die, rituque legitimo ſuum Epiſcopum venerata. Noſtri Cornelius, & Cyprianus, aureum par martyrium, ambo magni præſules, ſed maior ille, qui Romanus Africanum errorem reſciderat; hic nobilitatus obſeruantia, qua maiorem eſt proſequutus amiciſſimum ſui. Noſter Sixtus cui ad aram ſolennibus ſacris operanti miniſtrarunt è clero ſeptem viri. Noſter Laurentius huius Archidiaconus quem aduerſarij de ſuis faſtis eijciunt, quem ante mille ducentos annos vir conſularis Prudentius ſic orauit.

Ignatius. Dam in vita Teleſph to 1. con-caſta d. 5. Euſ. 4. hi 14.
Theleſphorus.
Irenæus. Euſ 4. hi 14.
Victor. Suidas.
Polycarp. Cornel. & Cyprianus. Euſ. 7. 6 1.
Sixtus.
S. Laurent. Oratio Prudentij ad S. Laurent.
Prud in hym. de S. Laur.
Vide Aug. ſer. 1. de S. Laur. Ambr. lib. 1. off. c. 28.
Leo ſerm. in die S. Laur.

Quæ ſit poteſtas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Hos inter, ô Chriſti decus,
Audi, & Poeta ruſticum
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem ſua.
Audi benignus ſupplicem,
Chriſti reum Prudentium.

Cæcilia, Agata, Anaſtaſia, Barbara, Agnes, Lucia, Dorothea, Catherina, Helena, Monica, Paula.
Metaphr. Amb. ſer. 90. 93 & lib. 1. de Virg.
Vdo, Tre. in martyr
Euſ. 8. hi. 17. Ruf li. 1. c. 8. ex Aug lib. 9. con c. 7. vſq ad 13. Hier. in cap. Paul. Hieron. Athanaſ. Ambr. in orat. fun. de Satyro.

Noſtræ Virgines illæ perbeatæ Cœcilia, Agata, Anaſtaſia, Barbara, Agnes, Lucia, Dorothea, Catherina, quæ decretam pudicitiam aduerſus & hominum, & dæmonum tyrannidem firmanerunt. Noſtra Helena, quam Dominicæ crucis inuentio celebrauit. Noſtra Monica, quæ moriens orari, & ſacrificari pro ſe mortua ad altare Chriſti religioſiſſime flagitauit. Noſtra Paula, quæ ex Vrbano palatio, & optimis prædijs in ſpeluncam Bethleemiticam tantis itineribus peregrina cucurrit, vt ad Chriſti vagientis cunabula deliteſceret. Noſtri Paulus, Hilarion, Antonius ſeniculi ſolitarij. Noſter Satyrus Ambroſij germanus frater, qui tremendam illam hoſtiam circum ſe geſtans in orario naufragus inſilijt in Oceanum, & fide pleniſſimus enatauit. Noſtri Nicolaus, & Martinus Epiſcopi, exerciti vigilijs paludati cilicijs ieiunio paſti. Noſter Benedictus tot monachorum pater. Chiliadas iſtas decennio non exequerer. Sed nec illos repeto quos in Eccleſiæ doctoribus ante poſueram. Memor ſum breuitatis meæ. Petat iſta qui volet non ſolum ex abundanti veterum hiſtoria, ſed multo etiã magis ex grauiſſimis auctoribus, qui pene ſinguli Sanctos ſingulos memoriæ reliquerant. Renunciet mihi de Chriſtianis illis antiquiſſimis, & beatiſſimis quid autumet vtrius doctrinæ fuerint Catholicæ, an Lutheranæ? Teſtor Dei ſolium, & illud tribunal, ad quod ſtabo rationem rationum harum &

Paulus, Hilarion, Antonius, Satyrus, Nicolaus, Martinus, Benedictus.
Ion. Diac. Sen Sulp. Metaph.
Gregor. lib. 2. dial.
Vi. 12. 20. Surij.
Damnati. Sola Cath. Eccl ſe portis inferorũ oppoſuit. Matth. 16.
2. Probatq; nam vera ſit Eccleſ. à Iudæorum perſecutione.
Iudæi. Euſ 4 hi 5. Hier in epit. Paul. & in ep ad Marc. & paſſim in epiſt.

dicti

, dicti & facti redditurus, aut nullum cælum
, eſſe, aur noſtrorum eſſe illud execramur, hoc
, deſigimus.

Ab Ethnicorum. Ethnici. Leo. ferm de S. Laur.

, Nunc è contrario ſi libet inſpiciamus in
, Tartara. Cremantur incendio ſempiterno
, qui Iudæi, quam Eccleſiam auerſati noſtram.
, qui Ethnici, quam Eccleſiam crudeliſſime
, perſequuti noſtram; qui Turcæ, quæ templa
, demoliti noſtra; qui Hæretici, cuius Eccle-
, ſiæ perduelles noſtræ. Quæ enim Eccleſia
, præter noſtram omnibus inferorum portis ſe
, oppoſuit.

, Cum pulſis Hebræis Chriſtiani ſuccre-
, ſcerent Hieroſolymis, Deum immortalem
, qui concurſus hominum ad loca ſacra fuit!
, quæ verbis religio! quæ ſepulchri! quæ præ-
, ſepij! quæ crucis! quam monumentorum
, omnium, quibus velut exuuijs mariti, Eccle-
, ſia ſponſa delectatur! Hinc manauit in nos
, Iudæorum odium ferum, & implacabile. Que-
, runtur etiam nunc maiores noſtros maiori-
, bus ſuis exitio fuiſſe. A Simone Mago & Lu-
, theranis nullum ictum acceperunt.

Vox Tyranni ad S. Lauren. in craticula toſtum. *Prud. in hymno de S. Laurent.*

, Dein Ethnici violentiſſimi fuere, qui
, toto Imperio trecentis annis per interualla
, temporum ærumnoſiſſima Chriſtianis ſuppli-
, cia machinati ſunt. Quibus Patribus & Fi-
, lijs noſtræ Fidei cognoſcite vocem tyranni
, qui ſanctum Laurentium torruit in craticula.

Hunc eſſe veſtris Orgijs
Moremque, & artem proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis
Libent vt auro Antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auroque nocturnis ſacris
Adſtare fixos cæreos.
Tunc cura ſumma eſt fratribus
(Vt ſermo teſtatur loquax,)
Offerre fundis venditis
Seſtertiorum millia.
Addicta auorum prædia
Fœdis ſub auctionibus
Succeſſor exhæres gemit
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Eccleſiarum in angulis,
Et ſumma pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome theſauros malis
Suadendo quos præſtigijs
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis ſpecu.
Hos poſcit vſus publicus,
Hoc fiſcus, hoc ærarium,
Vt dedita ſtipendijs
Ducem iuuet pecunia.
Sic dogma veſtrum eſt audio
Suum quibuſque reddito.
En Cæſar agnoſcit ſuum
Numiſma nummis inditum,
Quod Cæſaris ſcis, Cæſari
Da nempe iuſtum poſtulo,
Ni fallor, haud vllam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit:
Præcepta ſed verbis dedit,
Inanis à marſupio.
Implete dictorum fidem
Quæ vos per orbem venditis;
Nummos libentes reddite,
Eſtote verbis diuites.

Velum hæreticorum in depeculandis Eccleſijs. *Gen. 10.*
Conſtantin. Magn. Rom. Eccleſ. tranquillauit. *Syl. Zonaras. Euſ. lib. 2. de vit Conſt. c. 7 8. 9. Sozom. lib. 1. cap. 9.*

, Quis videtur? In quos furit? Cuius Ec-
, cleſiæ ſacra, lychnos, ritus, ornamenta con-
, uellit? Cui patellas aureas, & argenteos ca-
, lices, & ſumptuoſa donaria & opulentam ga-
, zam inuidet! Profecto Lutherizat. Quod
, enim aliud velum ſuo latrocinio noſtri Nem-
, rodes obtenderent, cum depecularentur ec-
, cleſias, & Chriſti patrimonium diſſiparent?
, contra vero Magnus ille Conſtantinus, Chri-
, ſtomaſtigon terror, quam Eccleſiam tran-
, quillauit? illam cui Pontifex Sylueſter præ-
, fuit, quem in ſoracte latitantem accerſiuit, vt
, eius opera noſtro baptiſmate tingeretur? Qui-
, bus auſpicijs victor? ſigno crucis. Qua ma-
, tre glorioſus? Helena. Quibus ſe Patribus
, adiunxit? Nicenis. Cuius modi? vt Sylueſtro,
, vt Marco, vt Iulio, vt Athanaſio, vt Nico-
, lao. Cuius ſe precibus commendauit? Anto-
, nij. Quam ſellam poſtulauit in ſynodo? vl-
, timam. O quanto regalior hac ſede quam
, qui Reges titulum non debitum ambierunt!
, ſingula narrare longum eſt, ſed ex his duo-
, bus altero nobis amiciſſimo licebit ſingula
, conijcere, quæ ſunt horum ſimillima. Ete-
, nim vt noſtrorum illa fuit epitaſis turbulen-
, ta, ſic noſtrorum hæc euaſit diuina cata-
, ſtrophe.

à Turcarũ. *Turci. Zonaras vid. Volat. Iouiũ. Aemil. lib 8. Blond: lib 9.* **Per Lutherum & Lutheranos nõ ſtat quin Turcæ totã Europam vaſtent.**

, Turcica videamus. Mahometes, & Ser-
, gius monachus apoſtata in profundo bara-
, thro iacent vlulantes, & ſuis, & poſterorum
, ſceleribus onuſti. Hæc portentoſa & efferata
, bellua Saraceni, Turci, niſi à noſtris ordini-
, bus militiæ ſacræ, niſi à noſtris Principibus,
, & populis occiſa fuiſſet, ac repreſſa, per Lu-
, therum quidem (cui gratias hoc nomine So-
, limanus Turcus litteris egiſſe dicitur) & per
, Lutheranos regulos (quibus Turcorum pro-
, greſſio lætabilis exiſtimatur) hæc iuquam
, Erynnis furioſa, & exitioſa mortalibus totam
, iam depopularetur, & vaſtaret Europam,
, neque indiligentius altaria in ſignia crucis
, quam ipſe Caluinus euerteret. Ergo noſtri
, hoſtes illi ſunt proprij, vtpote noſtrorum in-
, duſtria à Chriſtianorum iugulis repulſi.

ab Hæreticis ipſis. *Hæretici. Clem. lib. 1. recogn. Iren. lib. 1. recogn. Iren lib. 1. c. 2 Cyp ep ad Iubai, & lib. 4. ep 2. Theodor. de fa. hæret. Aug. hær 59. Epiph. hær 75 Socr. lib. 2. c. 35. Hieron in Io. & Aug. hær. 28.*

, Deſpectemus in Hæreticos fæces & ſol-
, les & alimenta Gehennæ. Primus occurrit
, Simon Magus. Quid ille? eripiebat homini
, liberam voluntatem, ſolam fidem percrepa-
, bat. Mox Nouatianus: Quis? Antipapa
, Cornelio Pontifici Romano, Hoſtis Sacra-
, mentorum Pœnitentiæ, & Chriſmatis. Dein-
, de Manes Perſa. Hic docebat baptiſmum
, ſalutem non conferre. Poſt Ærius Arrianus:
, preces damnabat pro mortuis, confundebat
, Epiſcopos Sacerdotes, cognominatus Atheos,
, non minus quam Lucianus. Sequitur Vigi-
, lantius, qui Sanctos orari non ferebat, ac Io-
, uinianus qui virginitatem, & nuptias æqui-
, parabat; denique colluuies vniuerſa Mace-
, donius, Pelagius, Neſtorius, Eutiches, Mo-
, nothelitæ, Iconomachi; cæteri, quibus Lu-
, therum, & Caluinum poſteritas aggregabit.
, Quid iſti omnes mali corui eodem ouo geni-
, ti? ab Eccleſiæ noſtræ Præſulibus deſciuerunt
, ab illis euicti, & exinaniti ſunt.

Terra. **Patriarchæ Sed. Apoſt.**

, Deſeramus Auernum, reddamus terris.
, Quocunque me oculis, & cogitatione con-

uerte-

Antiſtites, Reges Cæſares fidei Cathol. ſeruiunt.

„ uertero, ſiue Patriarchas intueor, & Sedes Apoſtolicas, ſiue Antiſtites cæterarum gentium, ſiue laudatos Principes, Reges, Cœſares, ſiue Chriſtianorum cuiuſque Nationis initia, ſiue vllum iudicium vetuſtatis, aut lumen rationis, aut honeſtatis decus, noſtræ fidei ſeruiunt, & ſuffragantur omnia.

Probat per ſucceſſionē in qua ſemper Eccl. Apoſt. Cathedræ viguit principatus. Sedis Apoſt. ep. 162.

„ Teſtis ſucceſſio in qua ſemper Eccleſiæ (vt cum Auguſtino loquar) Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus. Teſtes illæ religiquæ Sedes Apoſtolicæ, in quas hoc nomen inſiguiter conuenit; quod ab ipſis Apoſtolis, horumue auditoribus, ædificatæ fuerint.

Vide Tertul. de preſ. Aug. lib. 2. de Doct. Chriſti cap. 8. Paſtores & Antiſtites loco diſſiti religioni Cathol. concordes. Diſiunctiſſima terra. Hier. in cat. ſcript. Eccl. & alij.

„ Teſtes vbiuis gentium Paſtores loco diſſiti, religione noſtra concordes. Ignatius, & Chryſoſtomus Antiochiæ. Petrus, Alexander, Athanaſius, Theophilus, Alexandriæ: Macarius, & Cyrillus, Hieroſolymis. Proclus Conſtantinopoli. Gregorius & Baſilius in Cappadocia. Thaumaturgus in Ponto: Smyrnæ Polycarpus: Iuſtinus Athenis, Dionyſius Corinthi: Gregorius Niſſæ. Methodius Tyri Ephremus in Syria. Cyprianus, Optatus, Auguſtinus in Africa. Epiphanius in Cypro. Andreas Cretæ, Ambroſius, Paulinus Gaudentius, Proſper, Fauſtinus, Vigilius in Italia. Irenæus, Martinus, Hilarius, Eucherius, Gregorius, Saluianus in Gallia, Vincentius, Oroſius, Hildephonſus, Leander, Iſidorus in Hiſpania: In Britannia Fugatius, Damianus, Iuſtus, Mellitus, Beda. Denique ne ambitioſus videar in nominibus, quæcunque vel opera, vel fragmenta ſuperſunt eorum qui diſiunctiſſimis terris Euangelium ſeuerunt, omnia nobis vnam fidem exhibent, quam hodie Catholici profitemur. Chriſte quid cauſæ tibi afferam quominus me de tuis exterminen ſi tot luminibus Eccleſiæ tenebricoſos, homulos paucos, indoctos, abiectos, improbos antetulero.

Reges Cæſares Principes Cathol. Ab Oriente, ab Occid. ex Anglia, ex Gallia, ex Hiſpania, Saxonia, Bohemia, Auſtria, Hungaria, India. Vide 12. tom. Surij. Iſai. 48.

„ Teſtes item Principes, Reges, Cæſares, horumque Reſpublicæ quorum, & ipſorum pietas, & ditionum populi, & pacis, bellique diſciplina ſe penitus in hac noſtra doctrina catholica fundauerunt. Hic ego quos ab Oriente, Theodoſios, quos ab Occidente Carolos, quos Edouardos ex Anglia, Ludouicos è Gallia, Hermingildos ex Hiſpania, Henricos è Saxonia, Wenceslaos è Boemia Leopoldos ex Auſtria, Stephanos ex Hungaria, Ioſapharos ex India, quos Orbe toto dynaſtas atque toparchas paſſim accerſere poſſum quod exemplo, quod armis, quod legibus, quod ſolicitudine, quod ſumptu noſtram Eccleſiam nutrierunt. Sic enim præcinuit Iſaias. *Erunt Reges nutricij tui & Reginæ nutrices tuæ*. Audi Elizabeta Regina potentiſſima tibi tantus Propheta canit, te tuas partes edocet. Narro tibi, Caluinum & hos Principes vnum cœlum capere non poteſt. His ergo te Principibus adiunge, dignam maioribus, dignam ingenio, dignam litteris, dignam laudibus, dignam fortuna tua. Solum hoc de re molior ego, & moliar, quicquid de me fiet, cui tamquam hoſti capitis tui, toties iam iſti patibulum ominantur: ſalue bona crux. Veniet Eliſabetha dies ille, ille dies qui tibi liquido commonſtrabit vtri te dilexerint, ſocietas Ieſu, an Lutheri progenies. Pergo.

Probat ab omnib. partibus mundi quib. Euangelium poſt Chriſtum annunciatū fuit. 1. Cor. 1. Idololatria per Catholicos ſublata. 1. Reg. 5.

„ Teſtes iam omnes oræ, plagæque mundi quibus Euangelica tuba poſt Chriſtum tantum inſonuit. Parumne hoc fuit Idolis ora claudere, Dei regnum gentibus importare? Chriſtum Lutherus, Catholici, Chriſtum loquimur. Num diuiſus eſt Chriſtus? minime. Aut nos, aut ille, falſum Chriſtum loquimur. Quid ergo dicam? Chriſtus ille ſit, & illorum ſit qui Dragon inuecto ceruices fregerit. Noſter Chriſtus: opera noſtrorum, vti voluit cum Ioues, Mercurios, Dianas, Phœbades, & illam noctem ſeculorum atram, Erebumque triſtem è tot populorum cordibus relegaret. Non eſt otium longinqua perquirere finitima tantum, atque domeſtica ſpeculemur. Hiberni ex Patritio, Scoti ex Palladio, Angli ex Auguſtino Romæ ſacratis, Roma miſſis, Romanam venerantibus fidem aut nullam, aut certe noſtram, id eſt catholicam inſuxerunt. Res aperta. Curro.

Cumulus Teſtium.

„ Teſtes Academiæ, teſtes legum tabulæ, teſtes vernaculi mores hominum, teſtes electio Cæſarum & inauguratio, teſtes Regum ritus & inunctio, teſtes Equitum ordines, ipſæque chlamydes, teſtes feneſtræ, teſtes nummi, teſtes Vrbanæ portæ, domuſque ciuicæ, teſtes auorum fructus & vita, teſtes res omnes & reculæ nullam in Orbe religionem niſi noſtram imis vnquam radicibus inſediſſe.

„ Quæ mihi cum ſuppeterent, & certe ſic officerent meditantem, vt his hominibus nuncium remittere Chriſtianis, & conſociari cum perditiſſimis quibuſue viderentur inſolentis inſaniæ; non diffiteor animatus ſum, & incenſus ad conflictum, in quo niſi Sancti de cœlo deturbentur, & ſuperbus Lucifer cœlum recuperet cadere nunquam potero. Quo mihi ſit æquior Charius qui me eam immaniter concerpit ſi hanc animulam peccatricem tanto Chriſtus emit, viæ tuæ, viæ certæ, viæ regiæ malui credere, quod Caluini ſcopulis dumetiſue ſuſpendere.

Concluſio.

Habetis à me Florentes Academici hoc munuſculum contextum operis in itinere: ſubriſius animus fuit & purgare me vobis de arrogantia & ſatisfacere de fiducia, & interim, dum ab aduerſarijs vna mecum ad ſcholas inuitemini, quædam apponere deguſtanda, ſi æquum, ſi tutum, ſi honeſtum ducitis, haberi Lutherum, aut Caluinum, Canonem ſcripturę, Mentem Sancti Spiritus, Normam Eccleſiæ, Conciliorum Patrumque Pædagogum, omnium denique teſtium, & ſeculorum Deum, nihil eſt quod ſperem vobis lectoribus, vel auditoribus. Sin eſtis ij quos apud animum formaui meum, philoſophi oculati, amatores veri, ſimplicitatis, modeſtiæ, hoſtes temeritatis, nugarum, ſophiſmatum facile diem in aprico videbitis, qui dieculam anguſta rima diſpicitis. Dicam libere quod meus in vos amor, & veſtrum periculum, & rei magnitudo poſtulat. Non hoc noſcit diabolus vos iſtam lucem, ſi quando cœperitis oculos attollere, conſpecturos. Cuius enim ſtuporis fuerit antiquitati Chriſtianæ Hammeros & Charcos anteponere? Sed ſunt quædam illecebræ Lutheranæ, quibus tuum ille regnum amplificat: quibus ille tendiculis hamatus multos iam veſtri ordinis ineſ-

cauit

cauit. Quanam? Aurum, gloria, delicia, veneres: contemnite. Quid enim aliud iſta ſunt niſi terrarum illa, canorus aër, popina vermium, bella ſterquilinia: ſpernite. Chriſtus diues eſt, qui vos alet; Rex eſt, qui ornabit: Lautus eſt, qui ſatiabit: Specioſus eſt, qui felicitatum omnium cumulos largietur. Huic vos adſcribite militanti, vt cum eo triumphos vere doctiſſimi, vereque clariſſimi reportetis. Valete, Coſmopoli 1581.

Iſtud aureum opuſculum vólui iſthic inſerere, quod & tractationem noſtram velut in breuiarium contractam maxime illuſtret, & vt apud poſteros, quoad extabit, (extabit autem magis, hic alijs iunctum, quam ſeorſum ſparſum) viua ſcriptione oſtendat, Pontificem Romanum eſſe Doctorem Orbis; qui perpetuo doceat libris doctiſſimis, editis ab eis, qui ab eius cathedra docti & miſſi, (vt omittam Doctores, quos Anglis, Belgis, Tranſyluanis, Dacis, Illyrijs, Indis Orientalibus & Occidentalibus, Afris, Iacobitis, Abyſſinis, Babylonijs, Perſis, Græcis, & alijs Gentibus, ex Societate Ieſu, & ex Ordinibus Dominicanorum, Franciſcanorum, Carmelitarum, Diſcalceatorum, Auguſtinianorum, & aliorum Religioſorum miſit; & mittere non deſinit.) Docebit etiam perpetuo Paulus Quintus, tum hæreticos, tum ſchiſmaticos. Commentationibus eorum, quos aura Sancti Spiritus, ab eius Magiſterio, ad lucubrandum impulit. Inter quos & libellus Adami Chaldæi, omnibus Schiſmaticis Romæ, à Sedis Apoſtolicæ diſciplina dictatus: quem Patriarcha Babyloniorum, cum reliquis probauit, & ſubſcripſit, data epiſtola quam adiungo.

Libellus Adami Caldæi probatus à Patr. Babyl.

Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Patri Vniuerſitatis Papæ Paulo V.

Epiſtola Patr. Babylon. ad S. D. N. Paulũ V. de huiuſmodi approbatione & ſubſcriptione.

Minimus filiorum tuorum Elias humilis per gratiam Dei Patriarcha Babylonis, inſeruiens Sedi Sancti Thadai, & cui crediti ſunt omnes greges Orientalium Chaldæorum adorat ante pedes Sanctitatis Veſtra ſine intermiſſione, & offert munera oſculorum immaculatorum magno deſiderio ſanctis veſtris manibus habentibus claues Altitudinis, & profunditatis vere, & exacte, & deinde tanquam pueri parui ante Patrem Piiſſimum laudamus, & os noſtrum inuocatione veſtri nominis ſanctificamus, & reſponſionem verbis Veſtra Paternitatis damus, & ſic dicimus.

Lætitia autem infinita, multiplicata eſt in noſtris regionibus, in aduentu chariſſimi filij noſtri Patris Ada Legati noſtri; & ſic eo ipſo tempore quo peruenit, ſubito ordinauimus eum Archiepiſcopum Ieruſalem, & Amed magna Vrbis, & nominauimus eum Mar Timotheum. Sicut Timotheus diſcipulus dilectiſſimus Apoſtoli Pauli, ita & hic Timotheus, diſcipulus Papa Pauli, & honorauimus eum magnopere, quemadmodum Sanctitas Veſtra ſcripſit in litteris ſuis; & accepimus ab eo munera cum literis quæ miſit pietas veſtra, & fecimus congregationem in Vrbe Amed in principio Dominici Ieiunij. Et iſta perſona inueniebantur in congregatione noſtra.

Antiſtites Synodi Amed.

Mar Gabriel Archiepiſcopus Heſno.

Mar Elias Archiepiſcopus Amed quam dedit propter filiam ſuum ſpiritualem Mar Timotheum.

Mar Ioſephus Archiepiſcopus Inſulæ.

Mar Abraham Epiſcopus Hucbdonſores cum hoc fratre manſueto, & perſona benedicta Patre Thoma Guardiano Alepi. Et legimus Epiſtolas ſanctitatis veſtra, & intelleximus recte ſenſum qui eſt in eis. Et etiam oſtendit nobis Mar Timotheus noſter ſenſus, & intelligentias fidei quam explicauit apud vos: & recte placuerunt nobis, & acceptauimus ea. Veruntamen ex omnibus quæ fecit apud vos hæc elegimus in quibus eſt vtilitas eius rei quæ eſt inter nos & vos, & adiumentum propter noſtras regiones, & hoc eſt exemplar eorum quibus nos omnes aſſentimur.

Sermo de fide Catholica.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sanctitatis.

De fide Catholica, deque profeſſione Orthodoxa loqui volumus fratres. Itaque proximi in Domino noſtro, & Chariſſimi in Ieſu ſpe noſtra petimus à vobis, per humilitatem, & manſuetudinem, & obedientiam Ieſu Chriſti ne quis contendat extra legem contra veritatem, ſed in lege pro veritate vt coronetur. Neque enim fas eſt nobis contradicere Deo propter propenſionem noſtra voluntatis: ſed debemus ſubijcere nos voluntati ſuæ pro ſalute animarum noſtrarum: quia ſicut eſt vnus Deus Pater, & vnus filius Dominus Chriſtus, Deus ſuper omnia, & vnus Spiritus Sanctus omnipotens, ſic vna eſt fides de illo, & vna Eccleſia Sancta Romæ mater omnium Eccleſiarum, & vna eſt Petra ſolida in qua poſiti ſunt Ordines Eccleſiaſtici omnium Eccleſiarum à ſapiente architecto ædificatore vniuerſi. Neque enim fruſtra, & varie dedit claues altitudinis & profunditatis Petro fundamento Eccleſia ſuæ, neque fortuito tradidit ipſi greges rationales emptos ſanguine ſuo pretioſo. Et ſic longa ſucceſſione poſt Petrum accepit ſummum Pontificatum Pater noſter Sanctus Papa, caput ſublime totius Chriſtianitatis cum ſeipſum non laudaſſet vt eſſet Pontifex ſed ille, qui dixit ei: Paſce mihi Agnos meos, paſce mihi oues meas, & ideo etiam nos ponimus fundamenta fidei noſtra ſuper hanc Pêtram immobilem & ſic dicimus.

Vnus Deus

Vna fides.

Vna Eccleſia mater

Vna Petra.

Claues altitudinis & profunditatis Petro data.

De Confeſſione vnius Dei. Cap. I.

Itaque credimus propter hoc, & etiam loquimur: Credimus etiam, & confitemur vnum Deum verum immortalem æternum, non habentem principium neque finem, omnipotentem factorem omnium viſibilium, & inuiſibilium, incomprehenſibilem, habitantem in omnibus, & omnia habitant in eo, & non videtur ab hominibus, quia ex ſe ipſo abſconditus eſt, cum eo plena ſint omnia: omnia nomina non attingunt illum, omnes demonſtrationes infra illum remanent, omnes ſcriptura de eo deficiunt: qui Moyſi per reuelationem demonſtrauit ſe eſſe Aya Ciraya, id eſt æternum, æternaliter, hoc eſt nomen meum in æternum, & hæc eſt memoria mea in generationem generationum dixit. Quia non in tempore ſolum eſt, ſed ante tempus, & ſine principio, & ſine fine eſt, & in æternum tempora omnia in eo includuntur, cum ſit eleuatus ab omni intellectu, eo quod id quod habet ſemper habet, quia non erat aliquando & modo eſt, ſed eſt, & futurus eſt, & eſt cauſa omnis entis, & cauſa cauſa cauſarum omnium, atque cadit natura ipſius ſub decem prædicamenta

Aya Sciraya, i.e. æternus.

iaclu-

includentia omnes naturas, ſermon. de nobis oſtendit vt ſumus, aut ſupra id quod ſumus, aut infra. Sermo vero de Deo non habet quid ſupra ſe, vt de ipſo demonſtret, neque vt eſt poteſt dici. Demonſtrationes ergo infra ſe remanebunt, quia nullus iudicia eius penetrauit, & viæ eius ſunt inueſtigabiles. Quantumuis enim homines multiplicent ſcientiam, hic deſpicitur. Scriptum enim eſt. Noli nimis ſcire ne mireris, Et Gregorius Theologus ait: Ego multa intra me cogitaui per diſcurſum intellectus, & vndique rectificaui ſermonem & volens demonſtrationem de hoc toto negotio accipere, nihil ex inferioribus habui vt compararem mihi ſcientiam Naturæ Diuinæ, licet parua ſimilitudo inueniatur. Et Paulus præcipit ne altiora cogitemus quam decet cogitare, quia Deum ex ſuis creaturis tantum inueniunt inueſtigatores, & non ex eſſentia, dum intellectus Sanctorum illuminatur à Spiritu Sancto, & nullus ex his comprehendit Vſiam Dei, ſed Originem Vſiarum, & vitæ, & ſapientiæ, quæ ex ſumma bonitate perfectiſſimæ eſſentiæ effunditur ſuper omnes ſubſtantias, bonitate ſua apprehendit.

Vſiam Dei nullus comprehendit.

Propterea dicitur de Deo quod ſit charitas, eo quod charitas eſt complementum omnis bonitatis, & bonum eſt contrarium malo, & ſic malum bono. Et ſi dominaretur malum totale, nunquam quicquam conſtitueretur, ſed non exiſtit malum totale; nam cum bonum totale includat omne, & quod eſt, & quod poteſt eſſe, priuat neceſſario malum omni eſſentia. Et ſic dicimus quod bonum tribuat malo priuationem perfectam: Perfecta autem priuatio nihil eſt, & nihil non habet exiſtentiam; ergo valde errant dicentes eſſe alium Deum malum. Et ſic eſt Eſſentia Diuina diſſipans malum naturaliter, & eſt principium bonitatis perfectæ, & cauſa bonorum, & effunditur in omnes eſſentias per ſuam prouidentiam perfectam, & in hoc ipſo bono eſt cauſa omnium quæ ſunt, neq; per vim, neque per artem, neque per calliditatem & inuentiones. Sed propter bonitatem naturalem dedit omnibus eſſe. Naturæ enim ſpirituales excellenter eam deſiderant, & homines per cogitationes, & belluæ in ea per ſenſum exiſtunt, plantæ per virtutem plantalem, & nutritiuam, & inanimata per id quo ſunt. Et ſic inuenitur in ipſo exiſtentia omnium naturarum diuerſarum quas creauit per bonitatem ſuæ gratiæ ineffabilis.

Deus charitas.

Nihil non habet exiſtentiam.

Omnia à Deo.

De Trinitate Perſonarum Diuinarum. Cap. II.

Deus enim vocatur, & eſt principium bonitatis, & cauſa bonorum: & hoc bonum totale reuelauit ſanctis bonitatem ſuæ eſſentiæ, & patefecit diſtinctiones proprietatum perſonarum, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti & per filium patuit & explicatum eſt hoc myſterium præcipientem baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Pater genitor & filius genitus, & Spiritus Sanctus procedens à Patre, & Filio tanquam ab vno principio, nec genitor, nec genitus. Diſtincti proprietatibus, & perſonis. Vnum natura & eſſentia. Propterea omnia ſunt vnum in Diuinis, vbi non obſtat relationis oppoſitio, reliqua enim vt eſſentia, intellectus, & voluntas communia ſunt tribus perſonis. Pater diſtinguitur à filio paternitate, & filius à Patre filiatione, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio ſpiratione paſſiua, & Pater & Filius à Spiritu Sancto ſpiratione actiua: & hæc ſpiratio actiua non conſtituit perſonam, at communis eſt Patri & Filio, & per eam opponuntur Spiritui Sancto oppoſitione originis. Et ſicut ſunt tres perſonæ, ſic tres ſubſiſtentiæ quæ dicuntur ad inuicem, & non ſunt diſtinctæ ab eſſentia actualiter, ſed per intellectum, & Pater per intellectionem ſui intellectus generat Filium. Et quia opus intellectus præcedit opus voluntatis, idcirco proprietate originis generat filium, & dat illi omne quod habet præter perſonam Paternitatis, & Spiritus Sanctus procedit per modum amoris & voluntatis, & in hoc nulla eſt oppoſitio inter Patrem & Filium, quia Pater amat Filium & Filius amat Patrem, & ab hoc amore procedit Spiritus Sanctus, & vocatur ſpiratio actiua, & proprie eſt actio voluntatis: itaque ſpiratio actiua Spiritus in Patre & in Filio eſt ſine diuiſione tanquam in vno, & ſic dant Spiritui Sancto omne quod habent præter Perſonas quæ non communicantur ad inuicem, quia ex relationibus oppoſitis originis exiſtunt. Et iſtæ tres Perſonæ proprietate perſonali conſtituuntur, & vnaquæque illarum intellectualiter per ſe concipitur, & Subſtantiam, & Naturam confitemur ſupra modum fallibilium. In Perſonis autem diuinis præter proprietates vna eſt natura, vna eſt potentia, vna voluntas, vna eſſentia, vna dominatio, vna magnificentia, vna poſſeſſio, vnus intellectus, vna mens: propterea tres Perſonæ vnus Deus ſunt. Tres autem dicimus in proprietatibus non excludentes vnam Deitatem, & non dicimus tres Deos, aut ſubſtantias, aut naturas, ſed vnum Deum, vnam naturam, vnam ſubſtantiam. Et ſic veneremur & affirmemus trine in proprietatibus, & vnice in Deitate; cum ſit eleuatus ab omni modo demonſtrationum, vnde ſcilicet dicimus illum eſſe diſtinctum, & vnicum, ex his quæ ſunt in ſenſibus intelligamus hoc eſſe non poſſe. Ne mireris (inquit Baſilius ad fratrem ſuum) ſi dicamus eundem vnitum & diſtinctum eſſe. Hæc enim per fidem & non per demonſtrationes tenere oportet, & fides à quæſtione libera eſt: at intellectus non quieſcit ab inueſtigando, ſed audet extendere ſe per omnia vt Deus, & habet duas potentias, vnam naturalem, alteram ſupernaturalem: per naturalem per ſyllogiſmum à ſenſibilibus poteſt figurare diuina, & per ſupernaturalem non eget ſyllogiſma per quem ſciat Deum quando eſt purus & caſtus at fides ſufficit. Non enim dicit, quis aſcendit in cœlum & deſcendere fecit Chriſtum, & quis deſcendit in abyſſum inferni & reſurgere fecit Chriſtum è mortuis? Sed tantum fide viuit. At non eſt vnuſquiſque capax huius rei propterea vtimur rationibus. Itaque inueſtigamus Deum qui eſt nobis proximus, per quem viuimus, mouemur, & ſumus, & à creaturis ſuis inuenimus eum qui eſt id quod eſt, immortalis, viuus, & intellectualis. Quia ex his tribus donis videmus creaturas exiſtere, id eſt, vt ſint, viuant, & intelligant, eo quod nihil poteſt eſſe conſtitutum in creaturis cuius principium non ſit apud ipſum Deum.

Pater genitor, Filius genitus Spiritus Sancti: procedens à Patre & Filio.

Tres in perſonis eſſentia vnus

Pater à Filio paternitate, Filius filiatione & Spiritus Sanctus proceſſione diſtincti.

Spiratio actiua.

Tres perſonæ, Deus vnus.

Igitur in ipſo eſt principium bonitatis perfectæ, continentis omnes ſubſtantias per ſuam totalem prouidentiam, & in ipſo eſt principium ſapientiæ intellectualis omnium creatricis, quia ipſe eſt ſapiens ſolus, vt teſtatus eſt Paulus, & in ipſo eſt principium vitæ viuificantis omnia, vt inquit Salomon: Spiritus tuus bonus in omnibus inhabitat. Pater ex ſua præſentia eſt, & non ex ali-

Nihil in creaturis cuius principium non ſit apud Deum.

Pater non eſt ex aliqua cauſa.

ex aliqua cauſa, propterea ab ipſo denominatur omnis Paternitas quæ eſt in cælo, & in terra. Filius eſt Verbum Dei, & ſapientia, & per ipſum creata ſunt omnia. Spiritus vero ſanctus eſt fons vitæ eſſentiæ, per quem omnia viuunt. Et iſtæ tres Perſonæ, eo quod ſunt perfectiſſimæ, nobis ſunt Vnus Deus, ſicut teſtatus eſt Theologus, diuiſiones vero gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus. Nomina vero conuenientia Deo toti Diuinitati competunt, & nomina communia de tota Diuinitate competunt, & nomina communia de tota Diuinitate dicuntur, & quicquid fit per virtutem naturalis Deitatis tribuitur toti Trinitati. Et ſic ſumunt omnes naturæ exiſtentiam, ab vno fonte abundanti æſſentiæ æternæ, in ſimilitudine ſolis, qui dat ſingulis generibus fructuum variarum arborum guſtum naturæ ſuæ, ſine confuſione, & mutatione. Et ſicut ſol producit ſplendorem, & caliditas procedit ab vtroque, hoc eſt à ſole, & ſplendore, ſic filius generatur à Patre, & Spiritus Sanctus procedit à Patre, & filio. Non enim dicimus vnquam caliditatem procedere à ſole ſine ſplendare, nec à ſplendore ſine ſole: ſed ſic ordine recto dicimus, quod ſplendor habet modum generationis à ſole, & caliditas modum proceſſionis à ſole, & ſplendore: & ſic filius genitus, & Spiritus Sanctus procedens eſt alio modo filij.

Filius Verbum Dei. Spiritus ſanctus fons vitæ.

Quicquid fit per virtutem Deitatis tribuitur toti Trinitati.

Proceſſio Spiritus ſancti à Patre & filio.

Propterea Pater, & filius æquales ſunt inſpiratione, eo quod ſunt vita, & principium vitæ perfectæ quia exponitur Spiritus vitæ. Spirituales autem (hoc eſt habentes vitam) & vitæ intellectualium eſt ex igne, & ſpiritu non elementali: ſicut canit Dauid. Fecit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros eius ignem vrentem: & vita plantarum, & cæterorum eſt ex igne, & ſpiritu elementali: & iſta ſimul euaneſcunt ſecundum ſcripturam: Anferes ſpiritum eorum, & morientur, & ad terram eorum reuertentur: Et intellectuales etiam ſi naturaliter viuant, attamen ſunt facti & cauſati, ſequitur neceſſaria quod per gratiam viuant, & non perfecte ex ſe, & per ſe: vt Apoſtolus teſtatus eſt per quem viuimus, & mouemur, & ſumus. Etiam ſcriptum eſt: Dedit eis vitam æternam, hoc perpetuitatem gratiæ indicat, quia ſi cohiberet ſuam gratiam (abſit) deficeret perpetuitas vitæ eorum. Ergo donum non ſuccinditur nec vita corrumpitur. Vita enim diuina non ſic, ſed eſt ſupra omnes mutationes, & accidentia, & tempora, & cauſas, & eſt ſimplex, & origo omnis vitæ, & cauſa: quia ſimplicitatem puram habet natura diuina ſiue compoſitione Deus. Propterea Spiritus Sanctus non procedit pulſatione vocum, neque commotione aeris: præterea non eſt creatus à ſapientia; ergo non eſt priuatus perſona, ſed eſt perſona, perfecta, & omnipotens cum Patre, & filio. Propterea ſpiritus Dei eſt ſemper cum Verbo ſuo, & ſic ex ſe, & per ſe viuit ſemper natura diuina vita ſimplici, ſine mediatione alicuius rei, eo quod eſt origo omnis vitæ: ſicut pſallit filius Iſai. Quia tecum eſt fons vitæ. Spiritus autem qui eſt in nobis non habet tantum ex natura ſua vitam, ſed mediante aere. Spiritus enim Dei non eſt ſic: non enim attrahit aliquid extra, quia non eſt compoſitus ſicut nos: omne compoſitum quia imperfectum componitur vt perficiatur. Deus enim eſt perfectus omnibus ſuis proprietatibus. Ergo motio Spiritus ſancti eſt in ſe, propterea non procedit tantum ab vna perſona. Itaque audite quid dixerit filius dilectis ſuis. Ego ſum via, veritas, & vita. Et: Cum veniet ſpiritus veritatis ipſe reget vos in omni veritate. Ergo ſpiritus veritate procedit ſine contentione. Etiam dicit: Ego in Patre meo, & Pater meus in me eſt. Et: Ego, & Pater meus vnum ſumus. Si filius, & Pater vnum ſunt ad inuicem, & ipſe eſt via, & porta, & ſine ipſo nihil ingreditur ad Patrem, ergo, & ſine ipſo nihil à Patre procedit. De ſpiritu autem ſancto ſic dicit: De meo accipiet, & renunciabit vobis. Et, Omne quod meum eſt tuum eſt, & tuum meum eſt: dixit ad Patrem. Si Spiritus ſanctus à ſuo accipiet, & ipſe eſt æqualis Patri ſuo in omni poſſeſſione; quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis, quis negabit priuando eum Spiritu ſancto? Ecce vt Pater habet vitam in ſe ſic dedit filio habere vitam in ſe. Ergo iuſte oportet credere vere, & indubitanter cum Eccleſia ſancta Romana quod Spiritus ſanctus procedat à Patre, & filio tanquam ab vno principio, & vna ſpiratione actiua ſine dubitatione, & mutatione.

Spiritus Dei ſemper cum Verbo Dauid.

Via veritas, & vita.

Spiritus ſanctus à Patre & filio procedens.

De Generatione æterna Verbi Dei ex Deo Patre Cap. III.

In principio erat Verbum indicauit Ioannes Bereſcith autem eſt vocabulum Hebraicum, Chaldaice principium interpretamur. Et quare dixit in principio, & non in primo? quia primo refertur ad ſecundum: ſi eſt primum neceſſario, & ſecundum, ſi ſecundum, & primum. Non autem ſic principium: quia ſi eſt primum eſt etiam principium, non autem ſi eſt principium eſt primum. Principium eſt hora prima diei primi ſicut etiam ſcripſit Moyſes: In principio creauit Deus cælum, & terram: ſed etiam ſi principium ſit hoc vocabulum, ſed determinatum eſt, quia in eo incipit Deus creare creaturas: Bereſchit autem Ioannis non ſic eſt principium, quia non inchoauit Deus nouiter generare filium, propterea non eſt determinatum, eo quod ſequitur. Erat Verbum: Indeterminate autem quando erat. Ecce aperte ſublati ſunt terminus, & tempus, & quidditas è medio, quia ad Bereſcith Moiſeos de operibus Dei nobis oſtendere pertinebat.

In principio erat Verbũ.

Primum, & Principium differunt.

In principio creauit Deus cælũ, &c. & in principio erat Verbũ quod differãt.

Bereſcith autem Ioannis de generatione æterna, & incomprehenſibili Dei veri de Deo vero nobis aperiebat. Et etiam dicit quod ipſum Verbum erat apud Deum, & Deus erat ipſum Verbum. Oſtendit autem natiuitatem filij eſſentialem à Patre eſſentiali qui non eſt genitus vt corpora in loco, & tempore, & deciſione, & materia; ſed ſicut Verbum ex anima quod quotieſcumque anima eſt, & cogitat, neceſſario etiam verbum ſecum eſt: & quotieſcumque verbum, & anima: & omnis anima eſt verbalis, & omne verbum eſt animale. At ex anima verbum, & non ex verbo anima. Et ſicut voluntas animæ per verbum procedit ad manifeſtationem, ſic voluntas latens Patris per filium, virtutem eius, & ſapientiam manifeſtata, & patefacta cæleſtibus, & inferioribus: ſicut indicauit Theologus filius Tarſorum ſapientiam autem loquimur apud perfectos, ſapientiam non huius ſæculi, neque principatum mundi huius, qui deficiunt: ſed loquimur ſapientiam Dei in myſterio, quæ erat cælata, & Deus prædeſtinauit eam ante ſæcula ad glo-

Verbum ex anima.

S. Paulus.

ad gloriam noſtram. Etiam dicit quod hoc erat in principio apud Deum. Deus enim eſt hoc verbum, & apud Deum eſt, cum non ſit aliud id quod eſt, ſed id quod eſt, eſt quod eſt, apud ipſum. Varietas enim in nullo ſubſtantialiter ſed in perſonis eſt diſtinctia, eo quod vnus eſt apud alium. Ecce ſicut ſol ex interualibus apparuit. Ibi enim Verbum apud Deum, hic vero Deus apud Deum. Ibi demonſtratio apud veritatem.

S. Ioannes Euang.

Bene diuinus ſcriptor totum myſterium Theologiæ terminauit in breuitate ſermonis. Et etiam dixit. Omnia per ipſum, & ſine ipſo factum eſt nihil. In hoc enim: omnia: nihil reliquit quod non eſt incluſum, & determinatum in ipſo. Proſdioriſmos enim includit omnia. Nihil enim eſt extra omnia. Ergo fidele eſt verbum, & dignum vt credatur: quod Verbum, erat in principio non determinato, & temporaneo: creauit cælum, & terram iuxta Paulum. In ipſo autem fecit ſæcula, & per ipſum creatum eſt omne quod in cælo, & in terra, omne quod videtur, & non videtur. Igitur patet omne quod eſt, intellectu, & ſapientia fit, ſicut ſapiens affirmat quod Dominus in ſua ſapientia poſuit fundamenta terræ, & conſtituit cælum in ſua intellectione. Propterea filius Verbum intellectus Dei vocatur à Philoſophis ſpiritualibus, eo quod intellectus eſt virtus rationalitatis, & rationalitas virtus animæ. Et Theologus etiam affirmat Chriſtum eſſe virtutem Dei, & ſapientiam Dei, & ſapientia etiam dicit de ſeipſa. Ego ex ore Altiſſimi proceſſi. Et Salomon etiam in ſua ſapientia magna affirmat quod Deus ſit Pater ſuus, & Dominus omnium dilexit eam, quia eſt à ſecretis Dei, & à Conſilijs: & ſic per Verbum filium ſapientiam Patris omne quod eſt accipit eſſe, & per gratiam ſuam magnam in principio compactionis ſuæ primi generis noſtri vocauit nos, & fecit nos ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: & omnis imago participat ideam in identitate nominis, etiam ſi non in identitate termini: & dum hunc gradum magnum honoris ſiue dignitatis ſuſcepit genus noſtrum, inuidit ei Satan, & traxit naturam humanam ad legem peccati, & corrupta eſt, & maculata eſt effigies imaginis ſuæ, & ſenuit pulchritudo eius in peccato, & cum multos medicos conſtituiſſet factor eius, nullus ex ijs potuit facere vt illa poſſideret ſanitatem.

Omnia per ipſum.

Creauit cælum & terrã

Filius intellectus Dei.

Inuidia Sathanæ peccatum in mundum.

De ſecunda Generatione filij æterni qui incarnatus eſt, & natus eſt iterum cum carne. Cap. IV.

Quid igitur? Videns omnium factor quod corruptum eſt opus manuum ſuarum, & fuerunt Sacerdotes, & Leuitæ, & Prophetæ, nec potuerunt vlcera eius ſanare, nec ſubleuare, miſertus eſt eius, & cœpit opem ferre ei. Et quia congruebat vt genus humanum per eum haberet renouationem, per quem acceperat eſſe; propterea ille qui natus eſt ante tempora à Patre ſine Matre, factus eſt homo in generatione temporanea à Matre ſine Patre: ſicut dixit Baruch. Naſcetur ex Virgine in Bethelem, & exitus eius ante ſæcula, eo quod ei tantum conueniebat hæc diſpenſatio. Et cum eſſet in forma Dei inuiſibilis, exinaniuit ſeipſum formam ſerui accipiens, & deſcendit filius Deus Verbum à ſinu Patris ſui, & habitauit in ventre matris ſuæ Mariæ Virginis, & ſumpſit ab ea naturam humanam perfectam anima, & corpore, & vniuit eam ſubſtantialiter ſuæ perſonæ, ne ſagittæ inimici eius in genus humanum iaciantur, & venenum aſpidis, ſicut antea, illud offendat. Et ſic ambæ naturæ diuina, & humana terminatæ ſunt in vna perſona Verbi, eo quod natura humana non ſecum tulit perſonam humanam, quia non habebat ſubſiſtentiam ante vnionem: propterea terminata eſt in perſona Verbi, vt oliua Syluestris quam inſeritur in oliua bona: & ſic ſubſiſtentia radicis primæ terminat ambas naturas ſine confuſione, quia cum efformatione facta in ventre impleta eſt ſpiritu ſancto, & à ſpiritu ſancto concepta eſt, & vnita eſt perſonæ Verbi ſubſtantialiter. Ac etiam ſi à ſpiritu ſancto concepta eſt, & eo impleta eſt, nihilominus Verbum incarnatum eſt, & genitum eſt ex Beata Maria ſemper Virgine. Ne quis autem ponere poſſit in medium blaſphemiam hæreticam, Angelus confirmauit hoc aperte, eo quod inquit. Quod Spiritus Sanctus ſuperueniet, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: propter hoc id quod naſcetur ex te, ſanctum eſt, & filius Altiſſimi vocabitur. Quia Spiritus Sanctus in diſpenſationibus diuinis dirigit ad id quod decet intellectuales; ſicut ſcriptum eſt. Miſiſti enim Spiritum Sanctum tuum de cælis tuis, & ſic ſemitæ factæ ſunt ſuper terram, & didicerunt homines voluntatem tuam. Et quemadmodum facta eſt viſitatio ad Saulum: primus impletus eſt Spiritu Sancto in impoſitione manus Ananiæ, & cecidit ex oculis quid ſimile ſquammis, & mox cœpit prædicare de Ieſu, quod ſit filius Dei. Propterea poſt ſuam obedientiam determinauit, & confirmauit quod non ſit vllus qui in Spiritu Dei loquatur, & dicat, quod Ieſus ſit anathema neque vllus dicere poteſt quod Dominus eſt Ieſus niſi in Spiritu Sancto.

Congruum vt genus humanum renouaretur per eum à quo acceperat eſſe Filius Deus à Patre ſine matre factus homo a Matre ſine Patre Ex Maria Virg. naturam humanam ſumpſit

Naturæ diuina, & humana terminatæ in perſona vna Verbi.

Verbum genitum ex Maria ſemper Virgine

Saulus prius impletus Spiritu ſancto per impoſitionem manus Ananiæ.

Propterea Spiritus Sanctus cœpit ſplendore in diſpenſatione Domini, & à Spiritu Sancto conceptus eſt: ſed Verbum factum eſt caro, & vniuit naturam humanam ſuæ perſonæ, & ſuſtinuit humilia cum ſua carne, & natus eſt ex ſua Matre, cum non mutatus ſit, aut variatus in ſua natura æterna, neque ſeparatus eſt, aut receſſit à ſinu Paterno; quia illi æqualis eſt: non quod ſua natura per conuerſionem caro facta ſit aut conuerſa in totum hominem ex anima, & corpore. Et neque natura illius Diuina principium ſumpſit à Maria Virgine ſancta, ſed naturam humanam vniuit ſuæ perſonæ, & ſic in vna hypoſtaſi natus eſt ex Beatiſſima Virgine. Quia Verbum per vnionem ſubſtantialem caro factum eſt in vtero puræ Virginis, & ex Spiritu ſancto Virgo concepit iuxta annuntiationem Angelicam. Igitur id quod concipitur neceſſe eſt vt naſcatur, & ſic Deus Verbum appropriauit ſibi natiuitatem carnis ex beata, & benedicta ſancta Virgine Maria. Propterea rectè vocatur, & vere eſt conceptrix Dei, & Genetrix Dei veri, qui ex Deo vero, & Mater Dei qui eſt ſuper omnia.

Verbum caro factum.

Natum de Matre non mutatum aut variatũ in ſua natura æterna.

Mater Dei Virgo Maria.

De Diſtinctione Recta Perſonæ. Cap. V.

Dicimus autem quod eſſentia ſignificat id quod eſt, & Perſona eſt quæ facit ſubſiſtere id quod eſt. Eſſentia aut continet principia ſpeciei quæ definitione explicantur. Perſona autem addit ad principia ſpeciei principia indiuiduationis. Igitur perſona eſt

Eſſentia quid, Perſona quid.

eſt ſubſtantia indiuiſibilis in ſe, et communicabilis alteri, ita vt Perſona ſit ſubſiſtẽs in natura intellectuali in ſe, et ex ſe dum eſt diſtincta actualiter à natura quã ipſa facit ſubſiſtere. At in Diuinis non ſic ſed ſubſtantia, & eſſentia, & ſimilia quæ non dicũtur ad inuicem tribus Perſonis ſunt communia, & quia ponitur relatio oppoſita originis propterea actualiter diſtinguuntur hypoſtaſſes à ſe inuicem, & non ab eſſentia, quæ eſt communis Perſonis Diuinis. In his autem creatis ſubſtantia eſt communis eſſentiæ, & ſubſiſtentiæ, & perſona, quia hæ omnes ſunt ſubſtantia. Eſſentia autem eſt ſubſtantia quæ declaratur per genus, & differentiam: ſubſiſtentia eſt ſubſtantia quæ vltimo conſtituit res vt ſint extra ſuas cauſas: perſona autem eſt ſubſtantia per quam aliquid ſtat per ſe, & ex ſe, dum eſt diſtinctum ab omni alio eſſentia enim in Paulo eſt animal rationale: ſubſiſtentia eſt id per quod vltimo eſt extra ſuas cauſas. Perſona autem eſt id per quod exiſtis incommunicabiliter. Paulus enim non communicat cum Petro. Sicut ſi quis dicat. Ego, tu, Paulus diſtincti ſumus ab inuicem. Ego autem perſonam meam oſtendo, quæ facit ſubſiſtere meam naturam, niſi ego eſſem, natura mea non ſubſiſteret. Et ſic tu, & Petrus facitis vnuſquiſque ſubſiſtere naturam ne cadat. Propterea dicimus in vnitate Chriſti naturas perſonæ, & non perſonas naturarum. Vt ſi quis dicat anima mea, corpus meum natura mea. Eodem modo puta de ſingulis perſonis. Et etiam operationes animæ & corporis prædicantur ad inuicem, & operationes vtriuſque prædicantur de perſona. Vt illud Sampſonis. Moriatur anima mea cum Philiſtyn. *Patet enim animam non mori. Et ecce dicitur de illa mors corporis metaphorice. Et fuerunt etiam mortui, qui mortui ſunt in morte Sampſonis (qui eſt perſona) plures quam mortui ſunt in vita eius. Ecce etiam dicitur mors de perſona, quia illius ſunt anima, & corpus, eo quod ipſa eſt quæ terminat ea. Itaque fratres qui vult relinquere omnes hæreſes, & conformare ſe Orthodoxe in fide Catholica ſic debet conſiderare duas naturas vnitas, Dei, & hominis, cum vult perfecte tribuere omnes proprietates, & actus perſonæ Verbi, tam ſublimia, & alta quæ habet natura Diuina quam infima, & vilia, quæ habet natura humana: & ſic liberatur ab omni fictione falſa. Si autem corpus, & anima, quæ ſunt compoſita, ad tempus, & per mortem iterum diſſoluitur illorum compoſitio, ſic terminat perſona omne quod habeat, ſicut ſupra oſtendimus: quanto magis perſona Verbi, quæ neque per mortem amiſit ſuum? Anima enim reliquit corpus, & Verbum per vnionem ſubſtantialem non receſſit neque à corpore, neque ab anima. Quod enim aſſumpſit non amiſit, nec amittet. Sic cum omnis poſſeſſio perfecta vtriuſque naturæ inuariabilis in ſuis proprietatibus eſt pro perſona Verbi. Et ex his quæ diximus patet, quod filius Chriſtus totus eſt homo ſine variatione naturarum.*

In Trinitate Hypoſtaſes diſtinctæ à ſe inuicẽ, non ab eſſẽtia.

Subſtantia ſubſiſtentia Perſona.

Sampſon.

Duæ naturæ vnitæ Dei, & hominis.

Anima corpus reliquit, Deitas neq; corpus neq; animam Filius totus Deus, totus homo.

De Duabus Voluntatibus, & Duabus Operationibus in Chriſto. Cap. VI.

Naturę Deitatis, & humanitatis non mutatæ per vnionẽ ſubſtantialẽ

Omnis qui fatetur vnum filium eget reciprocatione proprietatum Dei, & hominis: quia quemadmodum habet duas naturas perfectas, ſic duas operationes, duas voluntates, & duos intellectus: eo quod naturæ Deitatis, & humanitatis non mutatæ ſunt per vnionem ſubſtantialem. Sequitur etiam proprietates earum conſeruari in eis ſine mutatione. Propterea dicimus in Verbo eſſe duas voluntates, Diuinam ſcilicet, quæ eſt communis alijs Perſonis Diuinis, & humanam quam propriè habebat, eo quod ipſe ſolus, & non alia perſona terminabat naturam humanam. Idipſum apertè oſtendit Dominus noſter dicens Patri ſuo: fac tranſire à me calicem iſtum, *& mox:* At non mea ſed tua voluntas ſit. *His verbis aperte demonſtrauit ſe habere duas voluntates. Quando enim dixit: Non ſit voluntas mea, non poterat loqui niſi de humana tantum voluntate quam ipſe ſolus habebat. Quando autem dixit. Sit voluntas tua: patet ipſum loquutum eſſe de Diuina, quæ actu erat in tribus Perſonis, eo quod non erat ad alium neque oppoſita alteri Perſonæ oppoſitione originis, vt enim diximus ſuperius omnia ſunt vnum in Diuinis vbi non obſtat relationis oppoſito. Et quemadmodum habet duas voluntates, ſic & duas operationes: quia ea quæ habent vnam operationem, neceſſario, & vnam naturam.*

Duæ in Chriſto voluntates.

Ex duabus naturis diſſimilibus non poteſt procedere vna operatio. At virtutes, & voluntates Dei, & hominis non per ſe, & ex ſe ſingula in natura ſua diuiſibiliter, & ſeparabiliter operabantur, ſed ordine ad inuicem agebant ſua naturalia, ſicut naturæ ordinatæ erant ſine confuſione, & diuiſione: quia vnus erat à quo fiebant. Sicut culter in igne comburit, & incidit, inciſio autem eſt ferri, et combuſtio ignis: et inciſio eſt aliud, et combuſtio aliud, et ab vno ambæ fiunt natura. Et ſic in filio admirationis Ieſu reperiuntur duæ operationes ordinatæ ineffabili admiratione.

Duæ in Chriſto operationes pro ut duæ voluntates

Datum in Ciuitate Amed, Anno 1927. Alexand. Græc. menſe Benedicto Martio, Die Sabbati 9. per abiectum Presbyterum Adelchad.

Humilis Elias per gratiam ſeruiens Sedi Sancti Thadæi Orientis.

Humilis Timotheus Archiepiſcopus Ieruſalem.

Humilis Gabriel.

Humilis Ioſeph.

Humilis Elias.

Sermo Contra Hæreſes Diſſentientes à Veritate Eccleſię Catholicæ Romæ.

Neſtorius ait Ieſum Chriſtum eſſe hominem ſimplicem. Et videtur etiam aſſerere duos filios ex tota doctrina ſua, vnum aſſumptum, alium aſſumentem, vnum latentem, alium patentem, vnum habitationem, alium habitatorem, & tanquam per ſocietatem ipſam vnionem ſubſtantialem Diuinitatis, & humanitatis includit. Propterea ſic contra eum dicimus: ſi enim vere eſt vnio ad duo, neceſſario duo ſunt: at vnus eſt ſolus Chriſtus: in vnione enim ſubſtantiali, & vera, inconfuſa permanſerunt naturæ: Nam etſi ex alio conſtitutus eſt Chriſtus, at non eſt alius, & alius. Omne compoſitum ex partibus imperfectis componitur: ideo patitur mutationem accidentium. Non ita vnitas Chriſti (abſit) ex duabus enim naturis perfectis conſtituitur vnitis ſubſtantialiter: propterea eſt ſupra omnes mutationes, & accidentia: natura enim Diuina incommutabilis eſt: vt ſcrip-

Neſtorius Chriſtum hominem ſimplicem aſſerit.

Ex alio, & alio conſtitutus Chriſtus, non tamen alius.

Vnitas Chriſti ſupra omnes mutationes & accidentia.

Quod eſt proprium Verbo non eſt commune Trinitati

Verbum ſolum incarnatum.

ſum eſt: Ego ſum Deus, & non mutor: *& etiam natura humana ſimiliter ex ſe in ſe exiſteret niſi à Perſona Diuina aſſumeretur tanquam magis hypoſtaſis terminaretur. Ad id quod eſt proprium Verbo, non eſt commune Trinitati etiam ſi tres Perſonæ myſterium incarnationis ſint operatæ: ſed Verbum ſolum incarnatum eſt, & homo factum, in vnitate perſonæ, non naturæ. Si vnus eſt filius, erga, & vna perſona, non enim poſſunt duæ hypoſtaſes exiſtere ſimul in vno. Popter hoc teſtatum eſt Verbum de vnitate ſuæ perſonæ quæ terminat duas naturas dicens:* Amen: Amen dico vobis quod veniet hora, & nunc eſt, cum mortui audient vocem filij Dei, & ij qui audient viuent. *Et demonſtrans vna hypoſtaſim indiuiſibilem terminantem duas naturas iterum dixit,* quod ſit ipſe filius hominis. *Non admiremini quod veniet hora cum omnes qui ſunt in ſepulchris audient vacem eius, & egredientur.*

Neſtorij error de Chriſto.

Etiam dicit Neſtorius: Infans Domini, & Dominus Infantis. At non ſic. Hic enim neceſſario ingreditur relatia ad aliquid, & diuidit in duo; ſed ſtatim caro, caro Domini, ſtatim anima, anima Domini, ſtatim infans, infans Dominus, & ſine præpoſitione Daleth, quæ eſt apud Caldæos ſignum relatiui.

Eiuſdem de Sacramento Eucharıſtiæ

Chriſtus vita Dei.

Panis de cælo.

Sapientia ædificante domum .i. ſeptem ſacramenta.

Eccleſia Rom. fundamentum & mater Eccleſiarum.

Etiam dicit de Sacramentis viuificatibus, corpore, & ſanguine hominis ſimplicis ſine Deo nutriri nos. Abſit: verum enim corpus Dei manducamus, ſed Dei Incarnati vere ſanguinem hominis bibimus, ſed hominis Dei vere corpore, & ſanguine hominis reficimur, at hominis quod fuit in anima viuens, & in ſpiritu viuificans: illius hominis quem vocauit Daniel, vitãm Dei dicens: Quod inſpiciatis vitam Dei ambulantem ſuper terram, & non intelligetis quia in ſimilitudine hominis ambulabit ſuper terram: illius hominis, qui dixit: Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi: *illius hominis qui promiſit ſe aſcendere ad regionem, in qua erat prius illius hominis qui dixit: Nemo aſcendit ad cælum niſi filius hominis qui de cælo deſcendit. Non enim vnquam manducamus id ſine Deo; Abſit, ſi filius vere eſt ſapientia Patris, ſecundum Theologos, ergo ſcriptum eſt de ſapientia, quod ædificauit domum: hæc eſt ſeptem ſacramenta Dominica quæ recipit Eccleſia Apoſtolica Romæ: de qua ſpecialiter dictum eſt hoc, quod ſit fundamentum verum, & Mater Eccleſiarum, & etiam mactauit ſuum ſacrificium, & commiſcuit vinum ſuum, & præparauit menſas ſuas hoc eſt corpus, & ſanguinem Domini. Igitur hoc corpore, & ſanguine filij ſapientiæ Patris procuidubio nutrimur.*

Neſtorij error in diſtinctione nominum Ieſus Dominus, & Chriſtus.

Ieſus verus Deus non homo ſimplex.

Etiam diſtinguit nomina Dominica, quod Ieſus ſit humanitatis, & Dominus Diuinitatis, & Chriſtus Diuinitatis, & humanitatis, ſe non ita, ſi enim naturæ non poſſunt diuidere vnitatem Chriſto, quanto minus nomina quæ ſunt extra naturã? ſed omnia nomina Dominica cum naturis proprietatibus vna perſona Verbi terminat, vt dictum eſt. Scriptum eſt enim in Iſaia. Ego viuo, ait Dominus, & mihi incuruabitur omne genu. *Et Apoſtolus concludit:* In nomine Ieſu omne genuflectatur. *Erga Ieſus eſt verus Deus, & non homo ſimplex. Audi quid dicat ad Patrem:* Pater clarifica nomen tuum, *& vox audita de cælo:* Clarificaui, & iterum clarificabo. *propterea iterum dixit. Quia* Pater eſt qui me clarificat. *Et ſcriptum eſt:* Gloriam meam alteri non dabo. *Ergo non eſt alter à Deo, Ieſus Chriſtus, ſed ipſemet eſt Deus, qui operatur Diuina, & humana quia eiuſdem ſunt ambo: eiuſdem eſt natiuitas ante tempora: & eiuſdem eſt natiuitas temporalis: idem filius Dei & idem filius Mariæ eſt vnum quid cum Patre, & vnum quid cum matre: ipſe qui iacet in præſepe, & eo plenum eſt cælum, & terra. ipſe eſt infans qui creſcebat ſtatura, & ipſe eſt ſenex dierum quem vidit Daniel in reuelatione. & ipſe eſt ſplendor à Patre, & reſplenduit etiam à Domo Dauid, ſicut prophetauit Hieremias, ipſe eſt qui laborauit, & dat requiem defeſſis: ipſe eſt qui eſuriuit, & ſatiat eſurientes: ipſe qui ſitiuit, & habet aquam vitæ: ipſe eſt, qui paſſus eſt, & ipſe eſt impaſſibilis: ipſe eſt qui mortuus eſt, & viuificauit etiam mortuos; ipſe in Caluaria, & ipſe ſuper thronum gloriæ, in carne eius ſunt infixi claui, & lancea, & ſanguis ſtillabat ſuper membra eius: qui non comprehenditur, includitur in ſinu: ipſe, qui deſcendit ad inferiora terræ, & aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Patris ſui. Igitur fatres ne admiremini, neque perturbemini audientes hæc vocabula de vno filio, ſicut fecerunt multi deficientes à veritate, ponentes diuiſionem in vnitate indiuiſibili, quæ exiſtit in vna hypoſtaſi, varie vocabula confundentes quæ de illo prædicantur, & iuxta duas naturas non ſimiles quas habet quia hæ naturæ poſtulant propietates neceſſario.*

Ieſus idem filius Dei idem filius Mariæ.

Qui non comprehenditur in ſinu incluſus fuit.

Chriſtus nõ per accidẽs iuſtificatus.

Chriſtus peccatum non fecit.

Quomodo perfectus Chriſtus.

Propterea aliquando diuine, aliquando humane operatur aliquanda diuina de homine, aliquando humana de Deo dicuntur in vna ſubſiſtentia Verbi. Idcirco omnis qui ſallicite non amplectitur hoc dogma numquam liberatur à ſeductione obſcura hæreſum. Igitur debemus fugere à vocibus blaſphemis, & audire fidem rectam Ieſu Chriſti qui ſubſtantialiter erat perfectus, & rectus & non per accidens iuſtificatus eſt, & perfectus iuxta opinionem hæreticorum. Abſurdum enim eſt fratres, vt quis cogitet de illo qui à Spiritu ſancto conceptus eſt, & Spiritu ſancto impletus eſt dum eſt in ventre materno: egere ſacrificijs vt pro ſe offeret, & ſic paulatim perficeretur, & dignus fieret dignitate Pontificia. Peccatum enim non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: ſicut ipſe teſtatus eſt: Quis ex vobis poteſt me arguere de peccato? *Ideo dictum eſt illi à Dea per Dauidem;* Tu es Sacerdos in æternum. *Et Apoſtolus vocat eum filium perfectum in æternum. Itaque patet nullum eſſe in creatis cuius dignitas Pontificia in æternum duret, nec in rationalibus qui habet perfectionem totalem, nec in hoc ſæculo, nec in illo futuro: ſicut dixit quidam Theologus quod perfectio huius noui ſæculi quam docens ſcriptura, & Patres aſſerunt non ſit in comparatione perfectionis completæ Dei ſed in comparatione carentiæ, & defectus, & compoſitionis ſæculi huius, in comparatione ad illud ſæculum ſpirituale, ſi enim in ſæculo nouo ita perficiuntur ſancti vt non ſit ſumere gratiam nec dare gloriam, nec ſoluere, neque præſtare gratiarum actionem ob perfectione illorum, defecit igitur ratio vt ſint ſine neceſſitate completi: nulla eſt enim perfectio cõpleta ſed ſoli Naturæ diuinę, quę dat perfecte, & non defecit. Ita Ieſus Chriſtus non eſt perfectus eo quod accipit vt ſancti perfecte, ſed eo quod perfecte dat vt Deus. Non enim ſurrexit inter natos mulierum maior filio Zaccarię, & clamat. Egeo te baptizari: neque vllus eſt perfectior Ioanne minori, qui in ſuo Bereſcith tetigit occulta ante ſęcula, & paterfacit abſcondita diuina, & teſtatur non omnes accepiſſe à plenitudine eius. Ex hoc neceſſario ſequitur vt Ieſus Chriſtus Dominus*

minus gloriæ, & ſubſtantialiter, & proprie ſit perfectus in æternum.

Neſtorij de Deipara Virg. hæreſis.

Etiam dicit Neſtorius tamquam in templo Diuinitatem in humanitate inhabitare accidentaliter, & non ſubſtantialiter, & Chriſtum eſſe hominem ſimplicem, idcirco non vocari Mariam Virginem, ſanctam Dei Genitricem: ſicut nec matrem Moyſis appellari Matrem Dei, eo quod vocatus eſt ſilius eius, Deus; Et hæc blaſphemia ſcelere eſt plena, eo quod Moyſes non eſt filius Dei, ſed filius Amſam, & ſequitur neceſſario eſſe illius à quo natus eſt, Chriſtus enim eſt filius Dei: propterea Deus eſt. Nunc audiſtis legē per Moyſem datam eſſe, veritatem autem. & gratiam per Ieſum Chriſtum exiſtere. Moyſes enim metaphorice nominatus eſt Deus Pharaonis vnius Parſopa. Chriſtus autem non nuncupatus eſt, ſed eſt Deus ſuper omnia: Deus magnus inquit Paulus. Et alibi eſſe multos Deos, multoſque Dominos ſed nobis eſt vnus Deus Pater, per quem omnia, & nos per ipſum, & vnus eſt Dominus Chriſtus per quem omnia, & nos per ipſum. Igitur inanis eſt hæc opinia exiſtimare Chriſtum eſſe hominem Deiferum aut non perfectum Deitate, ſed in parte plusquam alij ſancti.

Lex per Moyſen Veritas, & gratia per Chriſtum.

Quidam Theologus ſic dixit Diuinitatem Chriſti non eſſe partem neque totum. At Apoſtolus indicauit quod filius Dei Ieſus Chriſtus non erat, eſt, & non, ſed eſt erat in ipſo: propterea non eſt Deus in Chriſto dubitanter, ſed Deus in natura eſt Chriſtus, eo quod habitauerit in eo plenitudo Diuinitatis corporaliter vt dixit Apoſtolus: hoc eſt, non ſolum ſpiritualiter habitauit Deus in Chriſto per gratiam, ſicut in vno ſancto ſed etiam corporaliter in illius corpore, quod erat ſubſtantialiter vnitum Perſona Diuina. Et ſi dicas: Apoſtolus dixit plenitudinem Diuinitatis, & non ſpecialiter, Deum Verbum, & hoc ſequitur tres Perſonas propterea impoſſibile eſt. Parce mihi audi filium dilectum quid dicat. Pater meus qui in me habitat, ipſe facit hæc opera. Modo certum eſt nullum accidens aut mutationem eſſe in natura Diuina: ſed eſt, ſicut erit, & erit, ſicut eſt. Igitur eſſentialiter habitat in ipſa Pater, & ex hoc neceſſe eſt, vt ſpiritus ſanctus ex eo procedat, tamquam ex Patre: & ipſe habet ſubſtantialiter corpus naturæ ſuæ humanæ, & ſic in ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinatis corporaliter. Et ſi forta non ſufficit tibi hoc, audi, dicam aliud clarius. Apoſtolus enim ſollicitudine magna in Epiſtola ad Coloſſenſes agens de plenitudine Diuinitatis, & humanitatis Chriſti, quomodo exiſtant in vna hypoſtaſi indiuiſibili, & indiſtincta; propterea ſic primo dicit; Ille qui eſt ſimilitudo Dei inuiſibilis &c. quæ de ſua Diuinitate oſtendunt. Et mox de ſua humanitate dicit quod ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ qui eſt principium, & primogenitus ex mortuis vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, & in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Modo videlicet in ipſo capite corporis Eccleſiæ inhabitat omnis plenitudo cum donis, quæ ſunt in ea ſiue quæ ſunt in cælo ſiue in terra: at non ſine Diuinitate ſua ſed cum Diuinitate ſua eo quod prius affirmauerit ipſum eſſe imaginem Dei inuiſibilis, & inde mox in ipſo inhabitare omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter: hoc eſt, non ſine humanitate ſed cum ſua humanitate nec ſpiritualiter tantum ſed etiam corporaliter. Ibi enim corpus corporatum ſecum tulit imaginem Dei inuiſibilis ad communicationē plenitudinis eius. Hic enim inuiſibilis communicauit corpori in ſua plenitudine, & volens Apoſtolus congregare duas plenitudines in vna hypoſtaſi, iterum præcipit Coloſſenſibus, & dixit: Expoliate hominem veterem cum omnibus ſuis actibus, & induimini nouum hominem qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius qui creauit illum, vbi non eſt Gentilis, & Iudeus, nec circumciſio, & præputium, nec barbarus, & Scytha: ſeruus, & liber: ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. Hic enim terminatur quod ſcriptum eſt Deus omnia, & in omnibus, & tota hæc plenitudo, & perfectio completa eius qui omne in omnibus perficit.

Plenitudo diuinitatis in Chriſto corporaliter habitauit.

Deus omnia, & in omnibus.

Deprecatio Auctoris.

Accenſus eſt calamus, & charta in igne tuo Ieſu intellectus, intellectuum rationabilium, & defatigatus eſt, & quieuit ſubtilis intellectus ab inueſtigando myſteria tua ineffabilia. Inflammati ſunt oculi, & debilitati digiti, & permanſerunt ab effigurando tuas ſimilitudines, quæ non aſſimilantur, cum non ſit præter te aliquid per quod comprehendaris. Propterea contritum eſt cor meum ſupra calamum, & volo effringere eum, qui me decepit, & gratis me defatigauit in frequentia ſcripturarum atramentalium, & non perduxit me ad portum terminarum tuorum interminatorum: ſed tu omnipotens educ me tuo rete à profundo ignorantiæ ad portum gratiarum tuarum, vt ſim tua part. Amen.

Oppoſitio contra Dogmata Theodorica.

Theodori impia aſſertio de Spiritu ſancto quē Apoſt. poſt Reſur. ſufflante Domino acceperunt.

Theodorus dixit: ſtultitiam dicere poſt reſurrectionem ſufflantem Dominum noſtrum in ſuos Diſcipulos dediſſe eis Spiritum ſanctum: aliter fruſtra diceretur eis: Manete in ciuitate Ieruſalem, donec induamini virtutem ab alto. Nos autem dicimus illam eſſe magnam ſtultitiam vt quis ponat terminum, & tempus, & limites, Perſonis Diuinis ſimplicibus. Ecce enim filius à Spiritu ſancto conceptus eſt, & in ſuo baptiſmo deſcendit ſuper eum Spiritus ſanctus ſicut corpus columbæ, & certum eſt quod non accepit de nouo Spiritum ſanctum quaſi non haberet. Propterea credimus, & fatemur vere Apoſtolos accepiſſe Spiritum ſanctum à Domino noſtro Ieſu Chriſto, ante paſſionem, & reſurrectionem ſuam, ante Aſcenſionem, & poſt Aſcenſionem ſuam per donum dignitatum. Ante paſſionem enim cū ordinauit eos miniſtros, & miſit eos binos, & binos, & dedit eis poteſtatem ſpiritus immundas expellendi, Et hoc aperta demonſtrauit Dominus cum eos miſit aſſerens eis; Non enim vos eſtis qui loquimini ſed Spiritus Patris veſtri loquitur in vobis, non enim dixit loquitur pro vobis: Et ſic poſt reſurrectionem ſuam inſufflauit in eos, & acceperunt Spiritum ſanctum, & virtutem dimittendi peccata.

Patr. Babil. Aſſertio contra.

Etiam ante Aſcenſionem extendit manus ſuas ſuper eos, & benedixit eis: id eſt, & conſolabatur eos promiſſione Paracleti dicens: Ego orabo Patrem meum, & alium Paracletum dabit vobis, quod interpretatum eſt, ſpiritus conſolationis vt conſolaretur illorum triſtitiam. Et volens magis confirmare eos, dixit. Eſt in vobis, & habitat apud vos, non enim dixit apud vos habitat

bitat tantummodo, ſed & n vobis eſt: oſtendens per hoc quod ſit vnus quem accepiſtis antea, & quem accipietis poſtea. At diuiſiones gratiarum diſtinctæ ſunt, ſed vnus eſt Spiritus: & ſic Apoſtoli per deſcenſum Paracleti ſuſceperunt conſolationem, & ſpem rectam.

Aliud Theodori impiũ dogma.

Etiam affirmat quando dixit Tomas Dominus meus, & Deus meus *Chriſto, non dixiſſe ei ac ſi ipſe eſſet Dominus eius, & Deus eius ſed clarificaſſe Deum propter opus mirabile quod vidit in ſua reſurrectione. At reſpondit aperte Thomas, & dixit.* Dominus meus, & Deus meus *per hanc dictionem clare oſtendit tantum Chriſto dixiſſe: Dominus meus, & Deus meus. Niſi enim adeſſet hæc dictio, forte aliquis dubitare de hoc poſſet.*

Contraria aſſertio.

Alia Theodor. falſa doctrina.

Etiam de eo quod dixit Simon in Actibus Apoſtolorum. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini Ieſu. *dicit hoc nomen non eſſe Dei ſed hominis Ieſu, & quia ab eo inuentus eſt baptiſmus, nuncupatur ſuo nomine, & habet diſtinctum ſenſum ab eo quod præcepit Dominus baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. At neque hæc opinio vera eſt: nomen enim pertinet ad communitatem (non autem impedit Perſonas Diuinas) præter perſonam genitoris, & geniti, & proceſſionem actiuam, & productionem. Propterea dum aliquis dicit. In nomine Patris: commemorat implicite tres Perſonas Diuinas. In nomine filij, aut in nomine Spiritus Sancti, tres Perſonas inuocat. Non enim præcepit Dominus baptizari in nominibus Patris, Filij, & Spiritus ſancti pluraliter: ſed in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti ſingulariter, quia vnus eſt Deus: ſicut dixit filius;* Pater clarifica nomen tuum, *& etiam dicit:* Eſt Pater qui me Clarificat. *Ecce enim vnum nomen prædicatur de ambobus quia non eſt oppoſitio relationis. Etiam dixit.* Paracletum Spiritum ſanctum mittet Pater in nomine meo, *& ſic in nomine filij etiam Spiritus ſanctus mittitur à Patre. Ergo nullo modo diſtinguitur Baptiſmus collatus per ſermonem Simonis qui præcepit in nomine Domini Chriſti, ab ei quo præcepit Dominus noſter baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Illud enim quod præcepit Simon baptizari in nomine Domini Ieſu, hoc eſt, vt obtemperent præcepto Domini Ieſu, & baptizarentur baptiſmo quem docuit: quia neque ignorabat Simon id quod præcepit Dominus baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Etiam negat prophetias factas eſſe de Chriſto. O homo quid reſpondes? Iacob qui prophetauit de Chriſto naſcituro de ſemine Iuda, qui aperte dicit:* Non peribit ſceptrum è Iuda, & dux à pedibus eius donec veniat cuius eſt venire: & ipſum expectabunt gentes. *Et Daniel affirmat de hoc dicens ad ſuos:* Veniet, & ſui non cognoſcent eum, *& dixit: Non poſſum explicare de illo quid ſit, ſed in ſpiritu ſecretum de illo dicam. Etiam Philippus inueniens Nathanael ſic ei dixit:* quem ſcripſit Moyſes in lege, & in Prophetis inuenimus, Ieſum filium Ioſeph à Nazareth, *& clarius Ieſus docuit Lucam, & Cleopham, incipiens à Moyſe, & Prophetis interpretari illis de ſeipſo. Breue mihi iam tempus enarrare de ſingulis Prophetis, quomodo de illo prophetauerunt, & quomodo completa ſunt de ipſo verba eorum: non enim dico, quia prophetauerunt de ipſo venit, ſed quia venturus erat prophetauerunt de illo.*

Aſſertio contraria.

Alia Theodor. hæreſis.

Aſſertio contraria.

Etiam dicit quod Deus Verbum non ſubſtantialiter ex Virgine natus eſt, ſed aſſociatus eſt cũ eo qui eſt ex ſubſtantia Virginis, propterea omnino non decet vocari Matrem Dei, ſed Chriſti tantum. Et exponens verbum Domini dicentis. Pater qui in me habitat facit opera hæc, *hoc confirmat ad homine Ieſum dictum eſſe, ad Patrem Deum, Hoc eſt: Ego ex natura mea humana non poſſum quicquam facere, ſed habitat in me filius vnigenitus, & vere Pater in ipſo eſt propterea ipſe facit hæc opera. Non ſic, ſi enim homo templum eſt tantum Diuinitatis, iuxta ſermonem tuum quare non dixit: ille qui in me habitat hæc opera facit: ſed: Pater meus qui in me habitat aperte dixit: Hoc oſtendit de vna hypoſtaſi quæ terminat ambas naturas vnius filij: & quemadmodum Deus, Deus Pater huius filij eſt, ſic eſt etiam Maria mater huius filij, & ſi vt dixiſti homo eſt habitatio Diuinitatis, & habitat in ipſo Pater, ſicut & habitat in ipſo Pater, ſicut & habitat in ipſo filius, ergo fruſtra diceretur: Verbum caro factum eſt, quod abſurdum eſt.*

Alia Theodor blaſphemia.

Refellitur.

Etiam dicis: Humanitas eſt tamquam forma, quæ complet ſimilitudinem illius quod non eſt præſens. Bene dicis illius quod non eſt præſens; ore proprio iudicaris quia humanitas Chriſti non eſt forma illius quod non eſt præſens, ſed illius qui eſt preſens propterea homo eſt imago plena ab Idæa quæ eſt Deus, & ſic Idæa complectitur imaginem, & ambæ fuſæ ſunt in vna formula quæ eſt perſona Verbi, & in vna ſphera ſplendeſcit gloria ambarum: & ſic vna adoratione adorantur ſimul non tamquam forma vacua à ſua Idæa, & formatur ab alia quod non eſt ſuum. Ecce enim dictum eſt à Domino Deo: Venite, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram quæ eſt apud Adam antiquum formatum exemplar illius, & apud Adam nouum opere completum eſt. Itaque omnis Imago quæ habet ſimilitudinẽ perfectam ſuæ Idea non eſt imago ſimplex, ſed ipſamet Idæa, ſicut Philoſophi aſſerunt.

Alius Theodor. error.

docetur.

Etiam Theodorus de Chriſto dicit, quod Spiritus ſanctus ducebat eum ad decentia ſemper, & egebat ab illo habere virtutem, qua aduerſa vinceret, & purus, & iuſtus videretur. Non ſic ſi Verbum ſubſtantialiter vniuit naturam humanam ſuæ Perſonæ, ergo in ipſo eſt omnis operatio perfecta quia ſingulæ Perſonæ Diuinæ ſunt ex ſe, & in ſe perfectæ, & non egent cooperatione alterius ad perficienda ſua opera, quia perſona remouet omnem imperfectionem ab eoquod terminat, & ſic ſubſiſtit in ſe, & ex ſe ſine neceſſitate, & ſi inueniatur in aliquo imperfectio ibi nõ prædicatur perſona. Ecce enim homo componitur ex duabus rebus, hoc eſt, corpore, & anima, & vnum quodque illorum habet operationes diſtinctas: at non poteſt anima perficere ſuas operationes ſine corpore, nec corpus ſine anima, propterea non prædicatur perſona, nec de anima, nec de corpore, & dum copulantur ad inuicem tunc terminatur ab vna perſona neceſſario, & ſic producunt ſuas actiones in actum, & exiſtunt vna perfectione, & vna connexione compoſita. In Diuinis non ſic: ſed vnaquaque Perſona eſt perfecte Deus, & natura perfecta, & vſia perfecta, propterea ſunt tres Perſonæ vnus Deus, & illa vnitas indiuiſibilis quam habent ad inuicem non eſt vt auxilium ſumant, & virtutem ad perficiendas ſuas operationes; ſed naturaliter ſunt vnitæ inter ſe ſine confuſione, quia vna eſt natura illarum, vna poteſtas, vna virtus, vna eſſentia, vna maieſtas, vna fortitudo, & non

Alia Theodor. abſurditas.

refellitur.

eſt vna

eſt vna maior, altera minor, neque prior, neque poſterior, propterea vnus Deus ſunt. Et ſic Spiritus ſanctus non adhærebat filio propter neceſſitatem ipſius filij ſed propter vnitatem naturæ.

Alis Theodor impietas.

Etiam interpretatur id quod dixit Dominus cuſtodicati ſuum ſermonem. Ego, & Pater meus veniemus, & manſionem apud eum faciemus; *dixit hoc non poteſt eſſe iuxta carnem vt poſſit facere manſionem apud ſingulos ſanctos: propterea affirmabat hoc tantum conuenire filio Verbo. Nos enim dicimus quod Duæ naturæ vnitæ ſubſtantialiter, non diuidunt vnitatem vnius filij. Et etiam peruerſa videtur interpretatio huius rei, ſi enim homo cauſa filij eſt filius, filius inquam non filij, ſed Patris: Ergo etiam filius Verbum, cauſa hominis eſt filius matris, ſi enim illum qui non eſt participans in generatione æterna niſi cauſa vnionis hypoſtaticis in generatione temporali vocas, & eſt filius Dei, quanto magis ille qui eſt particeps vnionis hypoſtaticæ in generatione temporali vocandus, & debet eſſe vere filius Mariæ? Et ſi dicas, non comprehenſus eſt Deus in ventre Virginis: etiam hoc nos tecum confitemur. At non eſt comprehenſus quia non habet limites; non quod pars aliqua eius vnita ſit homini, ſicut tu fateris, ſed perfecte in tota ſua incomprehenſibilitate humanatus eſt. Et ſic humanitas cum tota Incarnatione Deificata eſt. Propterea credimus vere quod faciat manſionem cum ſuo Patre apud vnum quemque ſanctorum, quemadmodum, & cum corpus eius ſit in cælo, in Eccleſiis reperitur in ſacramento Altaris, & ſinguli ſumptores ſumunt totum corpus perfectum, & non particulam, & ipſe eſt qui eſt in cælo, & in terra. Nunc ego hæc aſſero?*

Contraria doctrina.

. *Vnigenitus Deus qui eſt in ſinu Patris ſui explicauit myſterium ſuæ incarnationis dicens:* Nemo aſcendit in cœlum niſi filius hominis qui de cœlo deſcendit. *Igitur quomodo deſcendit de cælo qui in ventre efformatus eſt? Et etiam dixit: Videbitis filium hominis aſcendentem in regionem, in qua erat prius. In qua regione erat prius (quatenus filius hominis) niſi in vulua virginali: Ac propter vnionem ſuam hypoſtaticam cum Perſona Verbi prædicantur de illo diuina. Et ſi homo ille ſecundum te eſt ſimplex homo, expone nobis quæ ſunt iſta mirabilia, quæ de ipſo dicuntur. Sed hic multi intellectus phantaſmata paſſi ſunt, & aberrauerunt à vero, volentes figurare Deum ſimilitudinibus, & non potuerunt. Propterea beabo eum qui illum miratus eſt in eius ſapientia, & comprehendit ſcientiam illam ſublimiorem omnibus ſcientijs quæ eſt nutrix puerorum in Chriſto, in quo ſunt abſconditi theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ. Ieſus collectus, & ſimplex in parte, & in toto, fac me dignum tuis miſericordijs æternis, per quas hoc omne ad eſſe adduxiſti.*

Nos enim in Congregatione noſtra aſſenſi ſumus huic ſententiæ Domini Timothei noſtri, & anathematizauimus, & anathematizamus omnem qui dixit, vel dicit, vel dicturus erit ſimiles blaſphemias.

Datum in Ciuitate Amed; Anno Græcorum 1927. menſe Martio, Die Veneris 15. per abiectum presbyterum Abdelehad.

Humilis Elias Patriarcha, per gratiam ſeruiens Sedi ſancti Thadæi Orientis.

Humilis Timotheus Archiepiſcopus Ieruſalē.

Humilis Gabriel.

Humilis Ioſeph.

Humilis Elias.

E cubiculo Patriarcali Orationes, & benedictiones concedantur vobis.

CAPVT XXV.

Pontifex Romanus, Iudex hæreticorum, & Vltor.

PAſtor Paſtorum Supremus, quid in grege ſuo ſatagat, renunciabat: *Ecce ego*, ait, *iudico inter pecus: & pecus arietum, & hircorum.* Perpetuum tribunal inter gregem, quem quem creauit erexiſſe ſe inſinuat: dum non iudicaſſe, non iudicaturum olim, ſed dies, noctesque iudicare ſe, inquit; hoc verbo, æternitatis indice, *iudico*. Quid porrò criminis det, arietibus, & hircis? nam hos inter, & pecus iudicat, expreſſit, adeoque exprobrando coarguit, *Nonne ſatis vobis erat paſcua bona depaſci? inſuper & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris: & cùm puriſſimam aquam biberetis, reliquis pedibus veſtris turbabatis & oues meæ, his, quæ conculcata fuerant pedibus veſtris paſcebantur, & quæ pedes veſtri turbauerant, hæc bibebant.* Pſeudoprophetas, ſalſiuidos, falſidicos, ſalſi nominis ſcientiæ venditores, veteratores, hæreticos, quibus volupe eſt paſcua opima Sacræ Scripturæ, ſtylo, ore deruncare, & ſi quid à manu violenta reſiduum eſt, calamo interpretatiuo conculcare; nec non limpidiſſima fluenta doctrinæ Apoſtolicæ, ab illa magna Domo, quàm columna, & firmamentum veritatis eſt, cryſtallino alueo decurrentia conturbare; hos arietes cornibus ferreis armatis, hos hircos petaces, & ſalaces, Princeps Paſtorum Chriſtus æternum indicat: dato ſpiritu iudicij ardentiſſimi zeli Vicarijs Prothopaſtoribus, Romanis Paſtoribus, qui paſcua optima, & opima Sacrorum librorum, & puriſſimam aquam clariſſimorum dogmatum, vigilantia ſumma cuſtodirent: adeoque arietes, & hircos conculcatores, & turbatores myſteriorum, cum poteſtate iudicarent. *Labia Sacerdotis*, ait, *cuſtodient ſcientiam.*

Perpetuum tribunal inter Gregē. Ezech. 34.

Spiritus iudicij a Chriſto Roman. Pōtificibus datus.

Cùm enim homines rationem habeant à natura menti inditam, vigentem, ſagacem, & celerrimè multa ſimul agitantem: eadem verò natura ingenerauerit cupiditatē homini veritatis nouitiæ peruestigandi, ſub ſpecie autē veri, ſimplicis, ac ſinceri, plerumque plurima vana, ſalſa, & fallentia ſubliteſcunt: ideò ne omnibus promiſcuè quippiam in religione, quæ fulcrū eſt ſalutis priuatæ iuxtà, ac publicæ nouare liceret, Sūmo Hierarchæ id poteſtatis à Chriſto datum eſt, cum ei paſcendi oues, & agnos onus impoſitum eſt, inter pecus & pecus, quieti, vel inquieti ſpiritum, conſentiens, vel diſſentiens, in captiuitatem redigens intellectum, vel cornibus omnia ventilans, iudicare, & cenſere, nè nouitas vetuſtatem conuellat, conturbetque, neue aliud præter id, quod à maioribus traditum eſt, nullo vitio deprauatum, nullo zizanio, vel aconytho ſuperſeminatum, nullo cæno mixtum ſeruetur. Primum in ſchola ſua Iudam Chriſtus iudicauit, & diabolum nuncupauit. Primos Sacramentariorum, & Arianorum anteſignanos, idem ipſe cenſura notauit, & illos quidem cæcos, hos verò ex

Chriſtus Iudam.

parte

parte natos aſſeruit. Primos, Macedonij præambulones, Ananiam, & Sapphyram, & Simonem Magum, Petrus Vicaria auctoritate examinanit, & dignos virgula cenſoria notauit: dato exemplo ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, qui ſi quid inſolens contra puritatem Religionis auitæ emergeret, inquirerent, cognoſcerent, & cenſerent.

Petrus Ananiam, Saphyr. & Sim. Magus.

Papiam, & Cerinthum, Clemens Pontifex Petri ſucceſſor iudicauit. Hi enim, vt memorabat Areopagita, ad carnales cogitationes declinantes, dixerant, præſenti vitæ ſimilem eam, quæ Sanctis promiſſa eſt, requiem; cibóſque vitæ variabilis proprios, his, qui Angelis æquales ſunt euaſuri, nefariè applicauerant. Vtrumque, Clemens, iudicio Apoſtolico notauit, & Orientalibus Eccleſijs indicauit. *Cumque ex Doſithei diſcipulis aliqui inuerecundè fornicarentur, quod etiam tunc faciebant Nicolaitæ falſi nominis;* Clemens, in Conſtitutionibus Apoſtolicis eos ſuggillauit, & diſciplina Eccleſiaſtica percutiendos eſſe decreuit. Cùm verò à Nicolaitis progeniti Borborite cenoſi, qui & Carpocratiani, & Gnoſtici dicebantur, inter alia, & communes vxores haberent, & liberorum generationem auerſarentur, Euariſtus Papa, authores hæreſis indicauit, ac tum demum id eſſe legitimum matrimonium docuit, ſi vxor vni viro iungatur, ſed primo *ab ijs in quorum poteſtate eſt, petatur, ſponſetur, & à Sacerdote benedicatur, vt bonæ ſoboles generentur*. Eleutherus pari authoritate vſus in Tarianum, quod is præter nuptias, carnium quoque eſum damnandum eſſe diceret, tam illum, quàm Seuerum, eadem cum Encratitis ſentientem, virga iudicij exercuit, decretumque edidit, *nullum cibum velut ex ſe malum, eſſe reſpuendum*. Cataphrygatum illi, qui ſecundùm Æſchinem dicebatur, mortuos cum baptizarent, Victor Papa eos in ius vocauit, ac deinde non tantùm mortuos baptizari prohibuit, ſed nec permiſit etiam in articulo neceſſitatis id fieri, præterquam ſi quis Chriſtianæ credulitatis confeſſionem edidetit: quam exhibere mortui non poſſunt, nec dum baptizantur (vt adulti) nec poſtea, vt paruuli.

Clemẽs Cerinthum, & Nicolaitas. *de Eccl. Hierarch. cap. 7. Euſeb. lib. 3. c. 23. & Iren. lib. 3. c. 3. Conſt. Apoſt. l. 6. c. 8.*

Euariſtus Berbotitas. *Theophil. lib. 3 ad Autolycum.*

Eleutherus Tarianum.

Victor Cataphrygas, & alios.

Is ipſe Victor, & Quartaderimanos Orientales, & Afros in Sacramentorum adminiſtratione diſcrepantes, iudicauit; & Blaſtum Romanum Presbyterum, eo quod Chriſtum ad legem redigens, gratiam Euangelicam euacuaret, Presbyterij Eccleſiaſtici gradu abdicauit. De Marcione, & Valentino Tertullianus narrabat, quod hi, *Principatu Antonini, in Catholicam primo doctrinam credidiſſent apud Romanenſem Eccleſiam, donec ſub Epiſcopatu Eleutheri benedicti, ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ſemel, & iterum eiecti, Marcion quidem cùm ducentis Seſtertys, quæ Eccleſiæ intulerat, nouiſſimè in perpetuum diſcidium relegati, venena doctrinarum diſſeminarunt. Poſtmodum Marcion pœnitentiam confeſſus, cùm conditioni ſibi data occurris, ita pacem recepturus, ſi cæteros quoque, quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præuentus eſt*. Cerdon, ante Marcionem, inquit Irenæus, *ſub Hygino, qui fuit octauus Epiſcopus Romanus ſæpe in Eccleſiam veniens, & exhomologeſin faciens, ſic conſummauit, modo quidem latenter docens, modo verò exhomologeſin faciens, modo verò ab aliquibus traductus, in his, quæ docebat male, & abſtentus eſt à religioſorum hominum conuentu*. Iſtud etiam de eodem Tertullianus canebat.

Marcionem & Valentinum Eleutherius iudicatus. *Euſeb. lib. 3. cap. 14.*

Sub Hygino Cerdon iudicatus. *Iren. lib. 3. cap. 4.*

Aduenit Romam Cerdo, non vulnera geſtans:
Detectus, quontam voces, & verba veneni
Spargebat furtim: quapropter ab agmine pulſus
Sacrilegum genus hoc genuit ſpirante dracone.
Conſtabas pietate vigens Eccleſia Roma,
Compoſita à Petro, cuius ſucceſſor & ipſe
Iamque loco nono cathedram ſuſcepit Hyginus.

lib. 3. carm. cont. Marcion.

In confeſſo enim, non tantùm apud Catholicos, ſed etiam fidei perduelles fuerat, Romanam Eccleſiam eſſe omnium Eccleſiarum Metropolim, earumque gerere principatum; vtpote cuius eſſet Fidem probare, atque perfidiam condemnare.

Sanè Victor, Quartadecimanos, Eccleſiaſtica communione, ex ſententia Concilij Romani, priuauit: & Africanis variantibus Epiſcopis ſcripſit: *Perlatum eſt ad Sedem Apoſtolicam, aliquos veſtrum in Sacramentis diſcrepare, & ob id contentiones, & æmulationes inter vos fieri, à quibus ſi vos auertere neglexeritis, ab Apoſtolicæ Sedis, & totius Eccleſiæ communione vos pelli non dubitetis*. Euſebius etiam ſcriptũ reliquit: *explorate cognitum eſſe, Victorem, qui tunc erat Pontifex Romanus, Theodotum Coriatum, qui primus Chriſtum ſolum hominem dicebat, Chriſtiana communione interdixiſſe*.

Victor Quartadecimanos excommunicatos pronunciauit. *ep. 2. lib. 5. c. 26. 27.*

Zephyrinus etiam Papa, Natalium hæreticum, indicauit, & ab hæreſi reducem abſoluit, ac recepit. Res eſt digna, quæ ſciatur. Aſclepiodotus, & Theodotus Trapezita, Theodoti coriarij ſectatores, hominem ſeduxerant corruperantque centum quinquaginta menſtruis denarijs illi oblatis, vt eorum erroris Epiſcopus crearetur. Monebatur à Deo per viſiones frequentes, vt reſipiſceret. At aliquantum obdurerat; primæ apud illos Sedis Epiſcopalis appetitione tamquam hamo ineſcatus, & turpi quæſtu, qui multis perniciem affert, irretitus. Tandem magno Dei beneficio per integram noctem à Sanctis Angelis flagris vſque adeò grauiter cæſus eſt, vt cum primo mane ſurgeret, cilicio, & ſacco indutus cineribus aſperſus, verbo cum mœrore, & lachrymis, ad pedes Zephyrini Pontificis ſe ſupplicem abijceret, & non modo ad Cleri, ſed Laicorum etiam genua aduolueretur; ita vt Chriſti miſericordis Eccleſiæ illum ſummoperè cõmiſerata, lamentis vna ſe dederet. Attamen ille licet multis precibus vſus fuiſſet, & plagarum, quas pertulerat vibices oſtendiſſet, vix tandem in communione Eccleſiæ fuit receptus.

De Natalio hæretico à Zephyrino iudicato, & eius poſtea abſolutione

Offendit ea, non quidem in iudicando ſeueritas, ſed in abſoluendo clementia Zephyrini, Tertullianum, recens à Pſeudoparocleto in ſectam Cataphrygum ſeductum. Fors enim hinc occaſionem ſumpſit, in alium errorem prolabendi: quo, mœchos pœnitentes non debere ad Eccleſiam virginem recipi dicebat, atque ideò in Zephyrinum, quem tamen *Pontificem Maximum, & Epiſcopum Epiſcoporum* vocat, inuectus irridebat: titum tamen, quem Eccleſia vniuerſa in recipiendis lapſis oſtendebat, his verbis: *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens, conciliatum, & concineratum, cum dedecore, & horrore compoſitum proſternes in medium ante viduas, ante Presbyteros omnium lacrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua*

Tertulliani errores.

de pudicit. cap. 13.

genua detinentem: inque eum hominis exitum, quantus potes miſericordiæ illecebris, Bonus Paſtor, & Benedictus Papa concionaris, & in parabola ouis, capras tuas quæris, tua ouis ne rurſus de grege exiliat: cæteras etiam metu comples, cùm maximè indulges; ſcilicèt, tanti æſtimabat puritatem Eccleſiæ Tertullianus, pro qua Chriſtus tradidit ſanguinem, vt eam ſibi exhiberet glorioſam, ſine ruga, & ſine macula, nec habentem aliquid huiuſmodi: vt piaculum exiſtimauerit, ſi quis lapſus reuertens, pœnitens quantumuis, in eius communionem admitteretur. De hæreticis certum, quod eos Eccleſiaſtica ſocietate indignos habuerint. Irenæus narrabat de Polycarpo; ſuo tempore fuiſſe, qui audierunt eum dicentem: quoniam Ioannes Domini diſcipulus, in Epheſo iens lauari, cùm vidiſſent intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens: *quod timeat, ne balneum concidat, cùm intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis*. Et ipſe autem Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti ſibi, & dicenti, *Cognoſce nos*, reſpondit: *Cognoſco te primogenitum Satanæ*. Tantum Apoſtoli, & horum diſcipuli habuerũt timorem, ne verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem, quemadmodum & Paulus ait: *Hæreticum autem hominem poſt vnam correptionem deuita, ſciens quoniam peruerſus eſt, qui eſt talis, & à ſemetipſo damnatus*. Ea propter, primum ſpiculum, quod in illos Eccleſia detorquebat, fuit anathema, quod merebant.

lib. 3. cap. 3.

Ioãn. Euãg de Cerintho Polycarpi ad Marcion. reſpõſum:

Tit. 3.

Iſto, nè percelleretur Origenes, Romam, ſiue à Fabiano Pontifice vocatus, ſiue ſpontè crimen purgaturus venit. Paſſim malè audiebat, quod à recta Fide abſceſſiſſet, libroſque erroribus multis ſiue ipſe inſerſiſſet, ſiue ab alijs ſibi maluolentibus infarctos non à ſe reieciſſet. Itaque, cum à Dionyſio Alexandrino ob eam rem exagitaretur, Fabiano Romano Epiſcopo, de ſua recta, & Orthodoxa fide ſententiam ſcripſit. Quam, quia Fabianus non receperat, Romam ille conceſſit, vt tantùm à ſe facinus amoliretur, ſeque Orthodoxum eſſe oſtenderet, apud ſupremum Iudicem hæreticorum. Namque Fabianus, eos, qui Fidem eiurauerant Trinitatis, falſi damnauerat, promulgato edicto: *Nec eis omninò credendum eſt, qui Trinitatis fidem ignorant*. Infeliciore euentu Nouatus Presbyter ex Aſrica Romam venit. Tertullianeo errore, de non recipiendis lapſis imbutus, Cornelio, inuidiam de lapſis receptis conflare volens, quorundam Epiſcoporum litteras, qui tempeſtatem perſecutiones Decianæ euaſerant, Nouationo, qui tum Cathedram Romæ, contra cathedram erigere parabat, tradiderat: atque hic authoritate literarum, aduerſum fas ſacerdotij ſingularis, alterius ſibi Epiſcopi nomine aſſumpto, Cornelium lapſis communicaſſe arguerat, ſeque innocentem vindicare voluerat; vt Pacianus memorabat. Tunc Concilium maximũ Romæ cogitur, quod narrat Euſebius, in quo ſexaginta Epiſcopi, & Presbyteri totidem, atque amplius, vnà cum Diaconis in vnum conueniunt. A Paſtoribus etiam ſeparatim per ſingulas cuiuſque regionis Prouincias, quid de ea re agendum eſſet deliberantibus colloquia fiunt. A quibus omnibus tandem decernitur, Nouatum, eiuſque fautores tanta ſuperbia inflatos, & qui illius inhumaniſſimæ, & à fraterna charitate alieniſſimæ opinioni aſſentirentur, in eorum numero, qui ab Eccleſia excluderentur haberi, fratres autem, qui caſu infelici prolapſi eſſent, pœnitentiæ medicamentis curari. Qui tempore, Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus Fauſtinus, vnà cum cæteris Galliarũ Coepiſcopis Stephano Cornelij ſucceſſori detexerat, quod Marcianus Arelatenſis Epiſcopus, Nouatiano ſe coniunxiſſet, & à Catholicæ Eccleſiæ veritate, atque à corporis Eccleſiaſtici, & ſacerdotij conſenſione diſceſſiſſet, tenens hæreticæ præſumptionis duriſſimam prauitatem, vt Seruis Dei pœnitentibus, & dolentibus, & ad Eccleſiam lachrymis, gemitu, & dolore pulſantibus diuinæ pietatis, & lenitatis paterna ſolatia, & ſubſidia clauderentur; nec ad fouenda vulnera admitterentur vulnerati: ſed ſine ſpe pacis, & communicationis delicti, ad luporum rapinam prædam diaboli proijcerentur.

Orig. Romam venit purgaturus ſe coram Pontif.

Euſeb lib. 6. cap 19.

Nouatus excommunicatus in Conc. Rom.

ep. 3 ad Sympronia. lib 6. c. 39.

Eiuſdem rei monuerat Fauſtinus, & Cyprianus Carthaginenſem Epiſcopum, qui, quod nec ipſe, nec alios, tantùm auctoritatis habere putaret; vt Marcianum aut in ius vocare, aut in ordinem redigere poſſent, Stephano Romano Pontifici hæreticorum ſupremo vindici ſcripſit, vt is pro poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine, faceret pleniſſimas litteras ad Coepiſcopos in Gallijs conſtitutos, nè vltra Marcianum peruicacem, & ſuperbum, & diuinæ pietatis, ac fraternæ ſalutis inimicum Collegio Eccleſiæ inſultare pateretur: quod necdum videatur ab Eccleſia abſtentus; qui iam pridem iactabat, & prædicabat, quod Nouatiano ſtudens, & eius pernicaciam ſequens, à communicatione ſe Eccleſiæ ſegregauiſſet. *Dirigantur*, inquit, *etiam in Prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te litteræ, quibus abſtento Marciano, alius in locum eius ſubſtituatur: & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus, & vulneratus, contemnitur, colligatur*. Iſta quidem Cyprianus, ad Stephanum: cuius & ipſe cum plurimis Epiſcopis iudicium ex hac cauſa ſubierat.

Cyprianus ſcribit Stephano PP. in cauſa Marciani Arelat. Epi. Nouatiani. *Cypr. ep 67.*

Hiſt Eccleſ. anno 258.

Nouitiani, & Cataphrygæ, ab Eccleſia Catholica apoſtatas, rebaptizabant. Ex hac occaſione magna tunc in Eccleſia orta eſt tentatio, diſputantibus inter ſe Epiſcopis: *Num etiam, qui ab hæreticis baptizati erant, cùm ad Catholicam Eccleſiam ſe conferrent, eſſent denuò baptizandi*. Et quidem qui ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, alijſque proximis regionibus Orientalibus Iconium conuenerant Epiſcopi, decreuerant: repudiandum eſſe omninò baptiſma, quod ſit extrà Eccleſiam conſtitutum: nec quicquam eorum, quæ ab hæreticis facta eſſent, ab Eccleſia Catholica recipiendũ eſſe: non ordinationes, non baptiſmum, non manuum impoſitionem, nec aliud quoduis ſacrum. At Stephanus Romanus Pontifex auctoritate Apoſtolica oppoſitum, de baptiſmo ritè, à quocumque hæreticorum adminiſtrato decernens, ſcripſit epiſtolam de Heleno, de Firmiliano, deque omnibus Epiſcopis, qui erant ex Cilicia, & Cappadocia, & Galatia, & ex omnibus Gentibus, quæ erant finitimæ: quod neque cum illis quidem ob eam cauſam omninò communicare vellet: eo quod videlicet hæreticos rebaptizarent. Et licèt decreta etiam in maximis Epiſcoporum Concilijs facta fuiſſent, vti qui ab hæreſis impietate recedunt,

Diſputatio de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis.

dunt, deberent primum in fide inſtitui, deinde veteris, & impuri fermenti eluuie, ac ſordibus elui, purgarique: Epiſcopi quoque non in Africa ſolùm iſtam conſuetudinem de hæreticis rebaptizandis iam inuexerant, verum etiam longo tempore ante, Epiſcoporum memoria, qui hæc tempora antegreſſi erant, in Eccleſijs maxima frequentia hominum celebratis, & Synodis fratrum, tum Iconij, tum Synodis, tum alijs in locis conuocatis, iſtud decretum fuit.

Cęterum Stephanus Papa, à rebaptizatoribus adeo adhorrebat, vt nec Legatos eorum Epiſcopos patienter ſatis,& leniter ſuſciperet, nec eos ad ſermonem ſaltèm colloquij communis admitteret: quinimò fratribus vniuerſis præciperet, ne quis eos in domum ſuam reciperet; vt venientibus, non ſolùm pax, & communio, ſed tectum, & hoſpitium negaretur. Durum id planè videbatur Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo. Is enim ſiue Tertulliani, quem Magiſtrum appellabat, ſiue Agrippini, quem anteceſſorem ſuum ſciebat,ſiue ſeptuaginta, & vnius Prouinciæ Africæ, & Numidiæ Epiſcoporum, quos ad Concilium vocauerat auctoritate (quemadmodum Stephano in Synodica ſcripſit) citra tamen vnionis Eccleſiaſticæ diſcindendæ periculum, *baptiſmum apud hæreticos non eſſe, ideoque eos, qui ſint foris extra Eccleſiam tincti, & apud hæreticos, & Schiſmaticos profana aqua labe maculati, quando ad Eccleſiam, quæ vna eſt, venerint, baptizari oportere*. Reſtitit Cypriano Stephanus, atque iudicauit: *Nihil nouandum,ſed quod traditum erat, ſeruandum eſſe*. Hic vniuerſi negotij exitus vſitatus, & ſolitus fuit: Retenta eſt ſcilicet antiquitas, & exploſa nouitas, licèt ipſi nouitiæ adinuentioni tunc patrocinia non defuerint. Tanta enim vis ingenij adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus aſſertorum numerus,tanta veriſimilitudo, tanta diuinæ legis oracula,ſed planè nouo, ac malo more intellecta, vt illa conſpiratio nullo modo poſſe deſtrui videretur, niſi ſolam tanti moliminis cauſam, ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata nouitatis profeſſio, Romanæ Eccleſiæ inuiſa, deſtituiſſet. Poſtremo ipſius Africani Concilij, ſiue decreti vires, donante Deo, & Stephano iudicante, nullæ: ſed vniuerſa tamquam ſomnia, tamquam fabulæ, tamquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt: &, ò res mira, Stephanus Papa hæreticorum Iudex, de maxima parte Orbis iam tum triumphauit, non minore laude conſtantiæ, quam cum etiã Victor anteceſſor, omnes ferè Orientales, Paſcha, Iudaico die celebrantes, vel à communione Eccleſiaſtica peruicaces reieciſſet, vel communionis Eccleſiaſticæ cupientes reduces, in ouile Dominicum admiſiſſet. Quæ adiungo, paucis poſt annis acciderunt.

Stephanus P.P. iudicauit de controuerſia.

Paulus Samoſatenus, præter Sabellianam hæreſim, Chriſtum dicebat communi ſolùm hominis natura præditum,nec aliud quicquam fuiſſe: Conuictus à Firmiliano Cappadociæ Epiſcopo,ſententiam ſe mutaturum pollicitus, fidem non ſeruauit,canonem Eccleſiæ reliquit, doctrinam adulterinam prædicauit, in verbi Dei interpretes vita functos bacchatus eſt, & næ quid ad impietatem deeſſet, pſalmos, & hymnodias in honorem Chriſti editos riſit, & exploſit. Patres Antiochię Conuentu celebrato, erroris, & peregrinæ opinionis conuictum, & Epiſcopatu, & Eccleſia Catholica indignum pronunciauerant. Quod autem ſcirent, ſupremum aduerſus hæreticos tribunal Romæ proſtare, Dionyſio Romano Pontifici ſcripſerunt, qui ſententiam probaret. Nec tantùm hi contra Paulum Samoſatenum, ſed & plurimi Ægyptij Epiſcopi Dionyſium Alexandrinum Epiſcopum magnæ doctrinæ, & auctoritatis virum,ad ſubſellia Dionyſij Romani traxerunt, tunc temporis.

Synod. Antioch. ſentẽtia contra Paulum Samoſaten. per Rom. Pont. probata. *Euſeb. lib 7. cap. 23. 24.*

In Pentapoli ſuperioris Lybiæ, quidam Epiſcoporum ſententias Sabellij amplectabantur. Recognita, Dionyſius, (ad cuius curam ex Eccleſiæ pertinebant (epiſtola ſcripta humanitatem Chriſti ex Euangelijs commõſtrat, vt illis filium Dei abnegantibus, & humana eius Patri imputantibus, Patrem non eſſe Filium perſuaderet, & paulatim ad veram Filij Dei Deitatem credendam, & Patris cognitionem eueheret. In hac epiſtola, dum illis verba, quæ humanitus, & humiliter de Saluatore ſonant, obijceret, vt rebus humanitatis eius interſepirentur, quo minus Filium Patrem eſſe dicerent, failioremque illis viam ad credendam diuinitatem ſtrueret, quidem ex Eccleſia, rectè quidem ſentientes, ſed tamen ignari eius cauſæ, cur ita ab eo ſcriptum eſſet, *Romam aſcenderunt, ibique cum apud Dionyſium eiuſdem nominis Romanum Præſulem accuſarunt*, quaſi qui Filium, opus, & non Conſubſtantialem Patri diceret. Synodus Romæ coacta indignè tulit, & Romanus ad cognominem ſibi Epiſcopum omnium ſententiam ſcripſit. Qua re comperta Alexandrinus, ſimul & contra Sabellij ſectatores, & Arrij dogmata, propter quod ab Eccleſia eiectus fuit, volumen compoſuit; vbi æquales, ſed tamen contrarias hæreſes eſſe docet, in Sabellij dogmatibus, & blaſphemijs eorum, qui dicunt, Dei verbum, opus, vel creaturam eſſe: *poſtulauitque à Romano Præſule, vt obiecta ſibi indicarent. Quibus acceptis*,opus edidit ſub nomine Elenchi,& Apologiæ: vbi ſceleratam officinam Chriſti rebellium redarguit, & quo pacto hanc infamiam contra ipſum excitarint, demonſtrauit. Propter illam ad Ammonium, & Euphranorem ſcriptam epiſtolam, apud illos, qui apologeticum eius non viderant, præſertim verò apud Auguſtinum, & Baſilium male audiebat Dionyſius Alexandrinus, quaſi ipſe eſſet fons Arrij, & quaſi aberrarit à ſcopo rectiſſimæ ac ſincerioris doctrinæ; cùm tamen ſecundum illum Romanus Pontifex pronunciarit, quia neque ab alijs Epiſcopis de impietate conuictus fuerit, neque hæreſim propugnando ab Eccleſia ſeceſſerit, ſed in ea cum pietate obdormierit, memoriaque illius hactenus cum Patribus celebrata ſit, & in Cathalogum relata.

Rom. Pont. de Sabellij errorib. iudicauit. *Hiſt. Eccleſ. anno 263. ex Athaſio li. de ſenten. Dionyſ. Alexand.*

Pro Dionyſio Alexandrino accuſato reſcribit.

Grauius iudicium exercuit Syluester in Arrium, Hunc diuinitatem Filio Dei detrahentem, Alexander Alexandrinorum Epiſcopus coacta, plus minus centum Ægyptiorum, & Lybiæ Epiſcoporum Synodo, anathemate deuouerat. Turbas ille ciebat, nactus fautores, & complices, quorum agmen ducebat Euſebius Cæſarienſis, & Paulinus Tyri. Hinc tumultus ingens in Eccleſ. excitatus eſt. Nam videre licebat, non modo Eccleſiarum Præſides, maledicis, & contumelioſis verbis, alium

Syluester Pont. in Arrium iudiciũ exercuit. *Hiſt. Eccle. anno 318.*

ab

ab alio vexatos: verum etiam populi multitudinem in duas partes, diremptam, quarum altera in horum, altera in illorum ſententiam inclinauit. Itaque res eſt eo ſceleris, & turpitudinis prolapſa: & Chriſtiana religio palam in ipſis theatris omninm irriſione luderetur. Ariani enim porro ſeditiones quotidie in Orthodoxos concitare, graues ciere perſecutiones, & interdum lites, per muliercularum (ſeptingentas Arrius ſeduxerat) impurarum ſermones, quas ipſi in fraudem impulerant, intenderunt, nonnumquã Religionem Chriſtianam, ſuas tenellas meretriculas, quas virgines dici volebant, per ſingulas plateas circumducentes, grauiſſimis contumelijs affecere: quin etiam inconſutam, & indiſſolubilem Chriſti tunicam, quam tortores noluerunt diſcindere, hi diſcerpere non dubitarunt. Tantæ enim arrogantiæ fuerunt, vt neminem vellent ex anquis Patribus ſibi comparari, neque ſanctiſſimis quibus Alexander, & reliqui Catholici Epiſcopi vſi ſunt præceptoribus, ſe pares exiſtimari ſinerent: imo videlicet ne vnum quidem ex Doctorum Eccleſiæ numero, vel ad mediocrem ſapientiam perueniſſe, cenſerẽt: ſed ſe ſolos ſapientes, ſolos egeſtatem voluntariam ſectantes, ſolos dogmatum inuentores, & ſibi ſolis ea doctrinæ patefacta eſſe myſteria, quæ in nullius vmquam ſub ſole cogitationem vel mentem venerint arbitrarentur. Adeo autem ſpiritu plane Satanico, impijs animis velut callum malitiæ obduxerant, vt neque diuina veterum Scripturam claritas vllum ipſis potuerit inurere pudorem, neque conſentientes Doctorum, & pia de Chriſto doctrina eorum audaciam reprimere: quorum ſcelus nefarium, ne dæmones quidem, (nam ij cauent, ne maledicam, aut contumelioſam, vocem contra Filium Dei eloquantur) omnino ferre videbantur.

His reprimendis, cum Alexander non par eſſet, Syluestri Pontificis Romani Iudicium poſtulanit: qui Oſium Epiſcopum Cordubenſem, Alexandriam, cognoſcendis reb. Legatum deſtinauit: & tandem in conſeſſu trecentorum decem, & octo Patrum Nicænorum perfidum Arium, & ſocios, impietatis damnauit: cum etiam antea Cõcilio CC.LXXXIV. Epiſcoporum Romæ in thermis Traianis conuocato, præſentibus Conſtantino, & Helena Auguſtis, primæ actionis exordio condemnaſſet, Hippolytum Diaconum Valentinianæ hæreſis ſectatorem, Calliſtum hæreſi Sabellij maculatum, & Victorinum, ſed non Pictauienſem Epiſcopum, qui receptos ab Eccleſia Paſcales Cyclos redarguere præſumpſiſſet. Quod Arrij damnationem attinet, illum, & Euſebium, & Theognidem, Conſtantinus magnus exilio multauit, & pœnam capitis in eum conſtituit, qui librum ab Arrio conſcriptum non illico incendiſſet: cum placuiſſet Concilio, communibus ſuffagijs anathema denunciare eius nefariæ opinioni, & verbis execrabilibus quibus vſus eſt ad Filium Dei plaſphemia afficiendum. Probauit Deus ſententiam Syluestri, Conſtantini, & Nicæni Concilij contra impium propalatam. Nam inter grauiſſima ventris tormina, Arrius impuram animam efflauit, cum non minus quam Iudas crepuiſſet medius, diffuſaque ſunt eius viſcera in terram. Probauit etiam tunc Conſtantinus, vere ſibi cordi fuiſſe ſtudium conſeruandæ ſuſceptæ religionis, cum & Arrianos, & Meletianos in Eccleſia conſpirantes, & priuilegijs priuaſſet, & alijs oneribus obligaſſet hac edita ſanctione: *Priuilegia, quæ contemplatione Religionis indulta ſunt, Catholicæ tãtum legis obſeruatoribus prodeſſe oportet. Hæreticos autẽ atq; ſchiſmaticos non tantũ ab his priuilegijs alienos eſſe volumus, ſed etiã diuerſis oneribus cõſtringi, et ſubijci.*

Sozom. lib. 2. cap. 20.

Conſtant. Magn. ſtudium in conſeruanda religione ſuſcepta.

Qamquam autem Nouatianis, Eccleſias, & loca ſepulchris apta, alias priuilegio daro permiſiſſet: tantum poſtquam à Patribus Nicænis extra Eccleſiam, ac proinde, & hæreticos, & ſchiſmaticos pernunciatos eſſe audiuiſſet, in eoſdem, æque ac Valentinianos, Marcionitas Paulianos, & Cataphrygas legem tulit: *Et hæc*, inquit, *cautio eo vim ſuam porrigat, vt non modo non in publicis, ſed in priuatis quidem ædificijs, aut in villis locis ſeparatis, huius veſtræ ſuperſtitioſæ amentiæ factiones coeant. Et propterea etiam iubemus, vt vniuerſæ ædes veſtræ, in quibus congreſſus illos celebrare conſueuiſtis, penitus euertantur. Ac, quo prouiſio hæc incurandis erroribus, robur & firmitatem ſibi neceſſariam aſſequatur, mandauimus, vt omnia ſuperſtitionis veſtræ loca, in quibus conuenire ſolebatis, omnia dico hæreticorum templa (ſi modo templa appellare conuenit) ſine recuſatione aut controuerſia diruantur, & diruta abſque mora Catholicæ tradantur Eccleſiæ; reliqua loca publica, Reipublicæ vſui addicantur, nec vlla in poſterum vobis cõuentus celebrandi relinquatur facultas.* Hæc Conſtantinus vere Magnus, qui ab illo ſuperſtitionis Gentilitiæ Imperatore Aureliano ſuperare noluit: cum is etiam Eccleſias, quas Samoſateni occupauerant, illis auferri, & his concedi edixerat, quibus Pontifex Romanus, Iudex Chriſtianorum condixiſſet.

Syluestro Iulius ſuccedens, & ipſe hæreticos iudicauit. Euſebiani à Marcello Galatiæ Epiſcopo de hæreſi reprehenſi, hæreſeos recriminationem illi viciſſim impingentes, hominem in exilium eiecerant; & apud Iulium Romanum Pontificem accuſauerant. Ille autem Romam profectus, ſeſe innocentem docuit, ſermone in ſui defenſionem ad Iulium facto. Dicebat: *Quandoquidem aliqui ex condemnatis, prius ob hoc quod non recte credunt, quos ego in Nicæna Synodo redargui, contra me ſcribere ad pietatem tuam auſi ſunt, tamquam ego non recte, neque Eccleſiaſtice ſentiam, ſuam culpam in me transferre ſtudentes: ea gratia neceſſarium duxi, me conferre Romam, & commonefacere te, vt eos qui contra me ſcripſerunt, accerſas: quo preſentes in vtriſque à me redarguerentur, & quod contra me ſcripſerunt, falſa ſunt & quod adhuc permanent in ſuo ipſorum errore priore, & horrenda contra Dei Eccleſiam, tum contra nos Præſides ipſorum, auſi fuerunt. Quandoquidem igitur apparere noluerunt, cum demiſeris tu presbyteros ad eos: & hoc, cum ego annum & tres integros menſes in Roma vixerim, neceſſarium putaui hinc diſceſſurus, meam fidem, mea manu à me conſcriptam cum omni veritate tibi tradere, quam didici, & ex diuinis ſcripturis ſum edoctus, & ſimul de his quæ ab ipſis male dicuntur commonefacere; quo cognoſcas, quibus ſermonibus ad decipiendos auditores vtentes, veritatem occultare volunt.*

In cauſa Marcelli Galat. Epiſ. & Atanaſij Alexãdrini contra criminationes Euſebianorum iudicauit Iulius Pp

Athan. ad Solitar. vitam agens.

Faciebat iſtud apud ſupremum Iudicem

hæreſ. 72.

Marcellus, *vt ne excideret per depoſitionem à communi Epiſcoporum collegio ac regula*: ait Epiphanius. Cum autem Ariani, pari malignitate, Athanaſium quoque Alexandrinum ex conciliabulo Antiocheno, criminarentur; & is Romam ad Iulium ſeſe contuliſſet, ad quem etiã

Athanaſ. ſup.

Euſebiani contra illum ſcripſerant; *Iulius Presbyteros ſuos Elpidium, & Philoxenem cum literis ad Euſebianos miſit, certum diem definiens, vt aut ſe præſentes ſiſterent, aut cognoſcerent, ſe omnibus modis ſuſpectos haberi. Cæterum Euſebiani vbi ſemel audiſſent, Eccleſiaſticum conſeſſum fore, vbi nec Comes affuturus eſſet, neque ſatellites pro foribus excubarent, nec ex Cæſaris præſcriptis omnia fierent, quibus, & non alijs Epiſcopis vicerant, imo qui ſine hoc præſidio ne loqui quidem auderent, ita ſuborruerunt, & metu quidem contracti ſunt, vt Presbyteros detinerent vltra diem condictum, cauſificationem interim turpem fingentes. Romæ videlicet congregati Epiſcopi, prope quinquaginta, Euſebianos vt ſuſpectos, timenteſque ſe ſiſtere non receperunt, & quia ab ipſis ſcripta eſſent, pro vanis habuerunt, Athanaſium autem receperunt, eiuſque communionem amplexi ſunt.*

Euſebianorum μακρόστιχον à Iulio reprobatur.
Sozom. li. 2. c. 10
Athan. de Synodis & er. 1 cont. Ari.

Quod ad Fidei formulam attinet, iucunda eſt narratio, & huic loco accommoda: cum & illam, & auctores illius, Iulius reieciſſet. Res eſt. Euſebiani quaſi pœnitentia laborarent, quod quattuor Fidei regulas, in Antiocheno conciliabulo edidiſſent, iterum in conſeſſum venerant, & aliam fidei formulam, quam μακρόστιχον, i. e. prolixam, vel multas lineas comprehendentem nominabant, propterea, quod multo pluribus verbis ac nominibus, quam priores formulæ conſcripta fuiſſet. In ea, vt eſſentiæ Dei nullam facere mentionem, ſic illis, qui Filium Dei aſſerebant, vel ex nihilo ortum, vel ex alia eſſentia quam Dei Patris conſtare, vel tempus ſæculumue fuiſſe, quando non erat, anathema indixere, & Occidentis Epiſcopis tranſmiſere.

Hanc formulam, cum Eudoxius, Martyribus, & Macedonibus Iulio detuliſſent, is pro ſuprema auctoritate malignantes iudicauit, & formulam reprobauit, reſpondens, ſe velle decreta Niceni Concilij integra ſeruare, & præter illa nihil amplius exquirendum putare. Magnus Athanaſius ridebat Euſebianorum errorem; quia ad inſtar eorum, qui tabulas pactaque ſcribunt, ſimulantque ſe pro fide ſcripta conficere, mire fædi, & ridiculi, quotannis in vnum coirent; & quod ſcripta ſua, non modo ab alijs, ſed ab ipſiſmet ipſiſſimis variata exploderent.

Exprobrat Athan. Euſebian. S. ſcripturam incõſtantiam, & varietatem.

Nam ſi fidere auſi fuiſſent prioribus ſuis ſcriptis, ait, *non ſecundo ſcripſiſſent; neque illis denuo repudiatis: ad tertiam ſcripturam proſiluiſſent prorſus ſtudio habentes, vt rurſum eo mutarent, ſi vel pauxillum temporis interceſſiſſet, vel occaſionem nacti fuiſſent, pro ipſorum conſuetudine inſidiandi. Tunc enim cum inſidijs ſtuderent, magnopere ſe ſimulabant de Fide ſcribere: vt quemadmodum Pilatus lauit manus, ita & ipſi pios religioſoſque in Chriſtum ſcribendo interficerent; ac dum de Fide definienda negotioſos ſe fingebant. In crimen infamiamque diuerſæ, alieneque à recta Fide opinionis incurrerent; dumque perpetuo ſcribebant, ſuamet ipſi immutantes, incertam ſuam fidem vel potius certam infidelitatem dementiamque oſtenderent.* Valens, & Vrſatius, Pannoniæ Epiſcopi magna pars fuere hæreticorum, qui fidem variabant.

Valens & Vrſatius Hæret. Romam ad Iul. pro abſolutione contendunt.

Hi tandem, ſiue pudore ſuffuſi, ſiue timore perculſi, Romam cum libellis ſuis ad B. Iulium Romanum Epiſcopum profecti, in ea Eccleſia, vbi nullius niſi Dei metus, & vbi libere quiſque ſententiam proferebat, ſponte pœnitentiam ſuam profeſſi, ſcripto ediderunt, & in communicatem ad pœnitentiam recipi poſtularunt. Namque ea Eccleſia, quam Patrum decretis rite gubernata erat, omninoque à contentione, & captioſis verborum argutijs quod inde naſci ſolent libera, & vacua; cum Valens, & Vrſatibus ex Pannonia oriundi, & Auxentius Epiſcopus Mediolani, impenſe laborarent opinionem Arrij in Occidentalem Imperij partem traducere, hos abdicauerat: & Romanus Antiſtes, illius hæreſis germina amputarat: vt Athanaſius, Epiphanius, & Sozomenus teſtantur: qui etiam addit: quia *Oſius, & Protogenes, qui principem locum inter Epiſcopos Occidentis, qui Sardicæ conuenerant, obtinebant, veriti, ne quibuſdam viderentur decreta Concilij Niceni innouare, ſcripſere ad Iulium, & teſtati ſunt, ſe illa quidem rata habere, ſed quo facilius intelligerentur, eadem pluribus verbis explicaſſe, eo conſilio, ne Arriani, qui breuitate formulæ Fidei in eo Concilio editæ, abutebantur, facultas ex verbis daretur, imperitos in abſurdam aliquam opinionem rapiendi.* Metuebant videlicet, ne tanquam ſuſpecti de fide in iudicium traherentur. Ideo preuenire, & ſe innoxios perfidiæ, apud Summum Iudicem oſtendere voluerunt.

ad Solitar. vitam agent. hæreſ. 8. lib. 13. c. 22. 12. 11.

Iulio, Liberius, in eandem Iudicij cathedra ſucceſſit. Euſtachius, Syluanus, & Theophilus Epiſcopi, à Macedonianis miſſi, admiſſionem poſtulantes, litteras illi offerebant. Ille eas recipere noluit. Nam eos *ſectæ Arianæ fautores eſſe* dixit, *& propterea non poſſe ab Eccleſia recipi, vt pote quod fidem Concilij Nicæni abrogaſſent.* Cui illi reſpondebant, *ſe pænitentia inductos, veritatem agnouiſſe fidem eorum qui Filium Patri diſſimilem eſſe docent, iam pridem reieciſſe; Filium in omnibus Patri ſimilem conſiteri, atque illam vocem ſimilem nihil à voce Conſubſtantiali diſcrepare.* Hæc cum dixiſſent, Liberius poſtulauit ab illis, *vt opinionis ſuæ declarationem ſcriptis mandarent.* Illi porrò libellum obtulere, in quo verba in formula fidei Nicæ edita comprehenſa, fuere præſcripta. Huic addentes anathema, quo *Arrium, impiam eius doctrinam, diſcipulos, opinionis fautores, hæreſim Sabellij Patripaſſianos, Marcioniſtas, Photianos, Marcellianos, & Pauli denique Samoſateni ſectatores condemnabant*, ſubiungebant; *Quod ſi quos poſt hanc fidem à nobis expoſitam, aut contra nos, aut contra illos quod nos miſerunt, aliquod crimen adduxerit, cum tuæ ſanctitatis litteris, ad Orthodoxos Epiſcopos quos tua pietas probauerit, veniat, & coram illis nobiſcum de eo diſceptet: & ſi quod offenſum eſſe conſtiterit, in auctorem illius vindicetur.* Libello ſupplicum accepto, & lecto Liberius, tum demum illos in communionem admiſit, atque omnibus in Oriente Orthodoxis Epiſcopis ſcripſit, *ſe hanc Catholicam, & Apoſtolicam Fidem agnoſcere, quam vſque à Concilio Nicæno hactenus*, inquit, *integra ſtabiliſque permanſit, Et quamquam*, addebat, *neque, & ſcelerati Arriani effecere, vt omnes Epiſcopi Occidentis Arimini in vnum cogerentur, quo ibi vel perſuaſione, vel, vt verius dicam, Imperatoris auctoritate illud quod erat ad ſummam cautionem in fidei formula poſitum, aut tolle-*

Liberij de Euſtachio Syluano, & Theophil. Epiſc. Macedonianis iudicium.
Socrat. lib. 4. c. 11.

tollerent, aut per ſe inficiarentur, nihil hac fraudolenta ſolitione omnino perfecerunt. Nam omnes illi fere Epiſcopi, quod Arimini conuenerant, quodque vel fallacibus ineſcati illecebris, vel vi compulſi à fide tum quod de deſciuerant, nunc tamen ad ſanam mentem reuerſi, fidei formulâ ab Epiſcopis Arimini conuocatis edita, anathema denunciarunt, & Fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ Nicææ confirmatæ ſubſcripſerunt, & nobiſcum iam communicant.

Conc. Ariminen. caſſauit.

Non communicaſſent porro, niſi Liberius, reduces ſupplices audiuiſſet, iudicaſſet, probaſſet, recipiſſetque: quia pariter, quod Concilium Ariminenſe caſſauerit, proculdubio de omnibus illis quod vel conuenerant, vel ſubſcripſerant iudicium exercuerit; ſupremus Iudex perfidiæ præuaricationis. Sozomenus addebat, quod cum tam hi qui Filium Patri diſſimilem, quam qui ſimile aſſerebant, nec non Spiritum Sanctum adminiſtrum, & à Patre ſubſtantia diuerſum affirmabant, inter ſe contenderent, atque contendendi ſtudio, controuerſia in dies magis magiſq; creſceret, *Epiſcopus Romanus de ea certior factus, ſcripſit ad Eccleſias Orientis literas, vt vna cum Sacerdotibus, & Epiſcopis Occidentis Trinitatē, & conſubſtantiale eſſe, & gloria æqualem exiſtimarent. Quo facto ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis acquieuerunt: hæcque controuerſia finem habere viſa eſt.* Omnes illi detulerunt tamque Iudici, & Controuerſiarum, & perſonarum ſupremo.

lib. 6. c. 22.

Hiſt. Eccl. anno 369.

Poſt Liberium Orthodoxum, Damaſus, cathedram iudiciariam aſcendit. Aduerſus quem, cum Vrſinus in ſuburbanis, cryptis, arenarijs, priuatorumque ædibus ſectarios congregaret, & cathedram contra cathedram erigeret, placuit Valentiniano Auguſto, ad Olybrium Vrbis Præfectum, & ad Aginatium Vicarium reſcribere: vt *populo à Damaſo diſſentienti, nulla intra vigeſimum lapidem, vel religio ad coeundum poſſet eſſe, vel copia; vt ſi ceſſare non vult, migret inſana collectio.* Ad eum modum, vtinam ſic geſſiſſet, in cauſa Auxentij Mediolanenſis veternoſi hæretici Valentinianus, non ſanguineas tunc lachrymas ploraſſet Eccleſia. Impoſuerat illi Auxentius, cum dediſſet ſcripturam, planè ſtylo Antichriſti compoſitam. Namque vim Epiſcopis Nicęæ illatam affirmabat, Patri autem filium ſimilem ita callide fatebatur, vt nonniſi doctiores aſtū penetrarent, dolum explicarent, blaſphemiam agnoſcerent. Ante omnia tempora Chriſtum eſſe dicebat: coæternum tamen eſſe negabat, Deum verum, Dei Filium prædicabat: non tamen vnius diuinitatis, & ſubſtantiæ eſſe ſentiebat. Quæ omnia cum Hilarius deprehendiſſet, monebat: *Abſiſtite ab Auxentio Satanæ Angelo, hoſte Chriſti, vaſtatore perdito, fidei negatore: quam ſic eſt Regi profeſſus, vt falleret: ſic feſellit, vt blaſphemaret.*

Damaſus de Auxentio hæreſiarcha iudicat.

Intellexit eam rem Damaſus Papa, & Concilio Nonaginta Epiſcoporum Romę conuocato, condemnandum, & non tantum à dignitate Epiſcopali, verum etiam à communione fidelium eijciendum eſſe tam illum, quam ſocios, qui Nicænam fidem reprobarent, aut poſt Ariminenſem clanculariam approbarent, cenſuit. Felicior, S. Baſilius ille magnus diuinorum dogmatum propugnator. Partim diſſimulationis, partim impietatis notam, maligni quidam ei imponebant, & apud Damaſum accuſauerant: tantumque ſiniſtris delationibus effecerant, vt Damaſus ne ad epiſtolas quidem illius reſponderet. Fretus innocentia Baſilius, iudicium Damaſi ipſe ſponte flagrauit, illudque omnibus cum neceſſe eſt imitandum ſcripſit: *Siue volueritis ad nos proficiſci, & per vos ipſos infirma noſtra ſcrutari, an vere ita habeant vt auditis, vel ex falſis adiectionibus grauiora ſint de nobis ad vos relata delicta, fiat, & hoc. Parati namque ſumus, obuijs manibus veſtrum excipere aduentum, noſque ipſos diligenti ſiſtere examini, duntaxat, in ijs, quæ ſiunt, ſuperiores habeat charitas. Siue veſtro iudicio locum quemdam deſignare placuerit, in quo & quod nos concernit, viſitationis debitum implebimus, & quantum fieri poteſt, noſtri experientiam offeremus, vt & præterita curentur, & nullus deinceps calumniæ relinquatur locus: per nos licebit, vt & hoc fiat:* Iſta ex Oriente; hæc ex Occidente narrabat Sulpicius Seuerus. *Inſtantius, Saluianus, & Priſcillianus, in Synodo apud Cæſar auguſtam hæreſeos damnati, Romam profecti ſunt, vt apud Damaſum ea tempeſtate Vrbis Epiſcopum, obiecta purgarent. Hi vbi Romam peruenere, Damaſo ſe purgare cupientes, ne in conſpectum quidem eius admiſſi ſunt.*

S. Baſil. contra criminatores Damaſi iudicium flagitat. ep. 77.

lib. 2. ſacra hiſt.

Sciebant illi qui Romam conceſſerant, Pontifici Romano poteſtatem ſupremam ad iudicandum omnes ineſſe, qua ſententias etiā aliorum poſſit probare, vel improbare, & ſolus ſecundum æquitatē decernere ac damnare. Damnauit Timotheū, & Magiſtrum eius Apollinarem, quod Chriſtum ſuſcepiſſe carnem ſine anima affirmarent: *Vterq; enim iudicio Sedis Apoſtolicæ abdicatus eſt,* quemadmodum ipſe Orientalibus Epiſcopis apud Theodoretum ſignificabat. Damnauit, & Seleucianos atq; Hermianos, qui ideo quod Angelos de igne, & ſpiritu creare animas crederent, in aqua non baptizabant: illudque Paulino Theſſalonicenſi reſcripſit: *Non in nomina Angelorum, ſed in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum baptizati ſumus.* Damnauit, & Manichæos, tanto numero in vrbe frequentes, vt propter eos etiam Chriſtiani Catholici, in fabulam, apud Gentiles venirent: qui ſi aliquem viderent pallentem atque triſtem, miſerum, & Manichæum vocabant. Auctor etiam Valentiniano Imperatori fuit, qui eos huiuſmodi reſcripto coerceret; *Vbicumque Manichæorum conuentus vel turba huiuſmodi reperitur, Doctoribus graui cenſione mulctatis, domus, & habitacula, in quibus profana inſtitutione docetur, fiſci iuribus indubitanter adſciſcantur.* Grauiora Valens, & Valentinianus iunior, contra omnes hæreticos edixerunt: quod reſcriptum non integrum reperitur.

Diuerſa de diuerſis hæreticis Damaſi PP. iudicia.

lib. 5. c. 10 & c. 11.

Valentin. Imp. reſcriptum contra Manichæos.

Valentis, & Valen. Iun. contra omnes hæretic.

Hoc eſt eius initium; *Olim pro religione Catholicæ ſanctitatis, vt cœtus hæreticæ vſurpationis conquieſcerent, iuſſimus, ſiue in oppidis, ſiue in agris, extra Eccleſias, quas noſtra pax obtinet, ne conuentus agerentur, publicari loca omnia, in quibus falſo religionis obtentu altaria locarentur: quod ſine diſſimulatione Iudicum, ſeu profanorum improbitate contigerit, eadem erit ex vtroque pernicies:* cætera deſunt: hæc alia extat in Tabulario iuris Romani, contra Manichæos rebaptizantes: Flauiano Africæ Vicario ſcripta. *Eorum condemnamus errorem, qui Apoſtolorum præcepta calcantes, Chriſtiani nominis Sa-*

nii Sa-

nie Sacramenta ſortitos, alio rurſus baptiſmate non purificant ſed inceſtant, lauacri nomine polluentes. Eos igitur authoritas tua erroribus miſeris lubebit abſtinere, Eccleſijs quas contra Fidem retinent reſtitutis Catholicæ. Eorum quippe inſtitutiones ſequendæ ſunt, qui Apoſtolicam Fidem ſine intermutatione baptiſmatis probauerunt. Nihil enim aliud præcipi volumus, quam quod Euangeliorum, & Apoſtolorum Fides, & traditio incorrupta ſeruauit, ſicut, & lege Diuali parentum noſtrorum, Conſtantini, Conſtantis, Valentiniani decreta ſunt. Sed plerique expulſi de Eccleſijs, occulto tamen furore graſſantur, loca magnarum domorum, ſeu fundorum illicite frequentantes: quos fiſcalis publicatio comprehendet, ſi piaculari doctrinæ ſecreta præbuerint, nihil vt ab eo tenore ſanctio noſtra diminuat, qui dato dudum ad Vincentium præcepto fuerat conſtitutus. Quod ſi errorem ſuum diligunt, ſuis malis, domeſticoque ſecreto, ſoli tantum foueant viros impiæ diſciplinæ. Theodoſius Imperator, ſtatim atque diadema auguſtum ſacro baptiſmate depurauit, ſanctiora pro Catholica Religione, contra vniuerſos hæreticos, de conſenſu Gratiani, & Valentiniani Collegarum ſanxit. Ita habere edictum, æternitate digniſſimum.

Edictum Theodoſij Imp contra vniuerſos hæret.

Cunctos populos, quos Clementiæ noſtræ regit temperamentum, in tali volumus Religione verſari, quod Diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio vſque nunc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis, hoc eſt, vt ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicamque doctrinam, Patris, & Filij, & Spiritus S. vnam Deitatem, ſub parili maieſtate, & ſub pia Trinitate credamus. Hanc legem ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum iubemus nomen amplecti: reliquos vero dementes, veſanoſque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, nec conciliabula eorum Eccleſiarum nomen accipere. Diuina primum vindicta, poſt etiam motus noſtri quem ex cæleſti arbitrio ſumpſerimus, vltione plectendos.

Maximus Conſtant. à Damaſo dãnatus. *Soz. li. 7. c. 5.*

Hæc Imperatores, cum in hæreticos ſanxiſſent, Orientalibus Orthodoxis ad pietatem rite colendam animos addiderunt. Maximus in Conſtantinopolitanam Sedem intruſus, ſcandalum Fidelibus generabat, quod & ad Apolliuaris hæreſim defeciſſet, & tum in ipſam fidem, tum in vniuerſam Eccleſiam ealamum ſtrinxiſſet. Damnauit hæreticum Damaſus, atque Theodoſium incitauit, qui profanum, Eccleſia atque vrbe eijceret, ac vna cum alijs Imperatoribus legem aliam ſcriberet, in perfidos quam adiungo.

Lex Theod. Imp. contra perfidos hæreſiarchas

Nullus hæreticis myſteriorum locus, nulla ad exercendi animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio. Sciant omnes, etiam ſi quid ſpeciali quolibet reſcripto per fraudem elicito, ab huiuſmodi hominum genere impetratum eſt, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ. Vnius, & ſummi Dei nomen vbique celebretur. Nicænæ Fidei dudum à maioribus traditæ, & diuinæ religionis teſtimonio atque aſſertione firmatæ obſeruantia ſemper manſura teneatur. Photinianæ labis contaminatio, Ariani ſacrilegij venenum Eunomianæ perfidiæ crimen, & nefanda monſtruoſis nominibus auctorum prodigia ſectarum ab ipſo etiam aboleantur auditu. Is autem Nicænæ aſſertor Fidei, Catholicæ religionis verus cultor accipiendus eſt, qui Omnipotentem Deum, & Chriſtũ Filium Dei vnum ſubſtantia confitetur, Deum de Deo lumen de lumine; qui Spiritum Sanctum: qui id quod ex ſummo rerum parente ſperamus, accipimus negando non violat: apud quem intemeratæ fidei ſenſu viget incorrupta Trinitatis indiuiſæ ſubſtantia, quæ Græci aſſertione verbi Οὐσία recte credentibus dicitur. Hæc profecto nobis magis probata, hæc veneranda ſunt. Qui vero ijſdem non inſeruiunt, deſinant affectatis dolis alienum veræ religionis nomen aſſumere, & ſuis apertis criminibus denotentur: ab omnium ſummoti Eccleſiarum limine penitus arceantur: cum omnes hæreticos illicitas agere intra oppida congregationes vetemus. At ſi quid eruptio factioſa tentauerit: ab ipſis etiam Vrbium manibus exterminato furore propelli iubemus, vt cunctis Orthodoxis Epiſcopis, qui Nicænam fidem tenent, Catholicæ Eccleſiæ toto Orbe reddantur.

Præter Maximum Cynicum, in Oriens Macedonius, pneumatomachus, in Occidente Iouinianus multarum hæreſum inuentor, Eccleſiam perturbabant. Vtrunque Damaſus in Concilio Romano damnauit, & altero Oecumenico Conſtantinopoli indicto, miſſa & fidei formula, & in profanos ſententia; tam Macedonium, quam Maximum cœtu piorum excluſit. In eum modum, Patres, in Maximum protulerunt ſententiam; *Quod ad Maximum Cynicum attinet, & ea quæ illius tempore, inhoneſte, indecenter, ac flagitioſe Conſtantinopoli acciderunt, decreuimus ac cenſuimus, Maximum, neque Epiſcopum, fuiſſe, aut eſſe: neque eos qui ab eo in quocumque gradu Eccleſiæ ordinati ſunt, Clericos vel fuiſſe, vel eſſe debere: omnibus his quæ circa ipſum, vel ab ipſo acta ſunt, improbatis ac reſciſſis.* Porro, cum hæretici, & præſertim Ariani, & Aetiani, Eccleſijs quas Catholicis eripuerant pulſi, templa ſibi extruerent, & iſtud quoque Theodoſius Imperator interdixit, lege lata huiuſmodi:

Macedonius & Iouinianus hæretici à Damaſo damnati. *hiſt. Eccl. anno 381.*

Nullam Eunomianorum, atque Arianorum, vel ex dogmate Aetij, in Ciuitatibus, vel Agris fabricandarum Eccleſiarum copiam habere præcipimus. Quod ſi temere ab aliquo id præſumptum ſit: domus eadem vbi hæc conſtructa fuerint, quæ conſtrui prohibentur, fundus etiam vel priuata poſſeſſio, protinus Fiſci noſtri iuribus vindicetur, atque omnia loca Fiſcalia ſtatim fiant, quæ ſacrilegi huius dogmatis, vel Sedem receperint, vel Miniſtros.

Theodoſ. lex contra Arianos, & Aethianos.

Contra Manichæos pariter, curante Damaſo, Imperatore reſcripſerunt, cum cœtus ſacrilegos celebrare didiciſſent; *ſublimitas tua det Inquiſitores, aperiat forum, indices denuntiatoreſque ſine inuidia delationis accipiat. Nemo præſcriptione communi exordium accuſationis huius infringat; nemo tales occultos cogat latenteſq; conuentus: agris vetitum ſit, probibitum mœnibus, ſede publica priuataque damnatum: ac ſumma exploratione rimetur, vt quicumque in vnum Paſchæ diem non obſequenti religione conuenerint, tales indubitanter, quales hac lege damnauimus, habeantur.* Gratianus ſolus, paulo antequam occumberet, in procinctu militari, hanc etiam contra Apoſtatas, & ſacrilegos publicauerat ſanctionem.

Contra Manich. lex.

Chriſtianorum, ad aras, & templa migrantium, negata teſtandi licentia, vindicamus admiſſum. Eorum quoque flagitia puniantur, qui Chriſtianæ religionis, & nominis dignitate neglecta, Iudaicis ſemet polluere contagijs. Eos vero, qui Manichæorum nefanda ſecreta, & ſceleroſos aliquando

Gratiani Imp ſanctio contra Apoſtatas & ſacrilegos.

quando ſectari maluere ſeceſſus, ea ingiter atque perpetuo pæna comitetur, quam vel diualis arbitrij genitor Valentinianus adſcripſit, vel noſtra nihilominus ſæpius decreta iuſſerunt. Auctores videlicet perſuaſionis huius, qui lubricas mentes in proprium deflexerant conſortium, eademque reos erroris huiuſcemodi pæna comitetur: quin etiam grauiora plerumque promotibus Iudicum, & qualitate commiſſi, extra ordinem promi in nefarios ſceleris huius artifices ſupplicia cenſemus. Sed ne vel mortuos perpetua vexet eriminationis iniuria, vel hæreditariæ quæſtiones temporum varietate longorum prorſus emortuæ in rediuiuos ſemper exagitentur conflictus: huiuſcemodi quæſtionibus metam temporis adſcribimus: vt ſi qui defunctum violatæ atque deſertæ Chriſtianæ religionis accuſat, eumque in ſacrilegia templorum, vel in ritus Iudaicos, vel ad Manichæorum dedecus tranſiſſe contendit, eaque gratia teſtari minime potuiſſe confiemat: intra quinquennium iuge, quod eum officioſis actiantibus conſtitutum eſt, proprias exerat actiones: futurique iudicij huiuſcemodi ſortitus exordium, vt eodem in luce durante, cuius præuaricatio criminanda eſt flagitij huius, & ſceleris particeps fuiſſe doceatur, publica ſub teſtificatione teſtatus probet indicium: neque quam ſuperno numini tacitus præſtitit perfidiam, ſceleribus acquieſcens, præuaricationem deinceps tamquam ignarus accuſet.

hiſt Eccl. anno 383.

Amplius aliquid, eodem anno ſanxit in hæreticos Theodoſius Imperator, ex occaſione S. Amphilochij Iconiorum Epiſcopi. Annuente Damaſo Romano Pontifice, qui per id temporis Arcadio octauum annum nato inſtituendo, Arſenium R. E. diaconum miſerat Imperator Concilium Cōſtantinopoli aliquot Epiſcoporum conuocauerat, vt principes hæreſum poſſet aliqua ratione ad Eccleſiam Catholicam reuocare. Opere pretium eſt primum narrare, quid Syſinnius Lector, Nectario præſidente Imperatori, & Patribus perſuaſerint. Conſulebat, vt fugerent inſtitutas cum ſectarijs diſputationes, vtpote rixarum atque pugnarum fomites; ſed ex ipſis quærerent: Reciperent ne eos, qui ante Eccleſiæ diſtractionem interpretes, & Doctores fuiſſent Sacræ Scripturæ. *Etenim, ſi horum teſtimonia reiecerint,* inquit, *à ſuis ipſorum conſortibus exploden- tur: ſin autem, ſufficere eos ad Controuerſias decidendas arbitrabuntur, produci oportet eorum libros.* Certo enim ſciebat, veteres omnes, qui coæternum cum Patre Filium cognouerant, auſos non fuiſſe dicere, illum ex aliquo principio duxiſſe originem. Cum igitur, & Nectario id ſe recte habere videretur, & Imperator edoctus conſilium collaudaſſet: animos ſectariorum pertentabat, quidnam ipſi de veterum interpretationibus ſentirent. Illis ea magnifice laudantibus ipſe palam verbis expreſſis propoſuit: Num illorum dictis in finiendis quæſtionibus ſtatuiſi ſint: & ſatis ne locupletes doctrinæ teſtes eos iudicent?

Sozom. lib 7. c. 12.

Inſtructio Patrum Conc. Conſtant contra hæreticos.

Orta, & circa hanc quoque rem inter ſectarum Principes diſſenſione, (neque enim conſimiliter ſinguli de veterum libris ſentiebant (animaduertit Imperator quod nudis priuatarum opinionum altercationibus nixi, definitum aliquid pronunciare detrectarent. Quamobrem damnata hac illorum pertinacia, iuſſit vt vnaquamque ſecta doctrinæ ſuæ libellum illi porrigeret. Cum diuerſi diuerſos obtuliſſent, aderat inter hæc Amphilochius, & Theodoſium quidem pro more ſalutauit, Arcadium videlicet aſtantem ſine honore dimiſit. Imperator arbitrans Amphilochium officij oblitum, admonuit, vt & filium conueniret, eumque oſcularetur. At Amphilochius reſpondit, ſatis eſſe, quod ei honorem habuiſſet. Imperator grauius rem ferens, probrum filio obiectum, pro ſua iniuria numerauit. Tum ſapiens Amphilochius, declarans Imperatori quod animo inſtituerat, contenta voce: Vides inquit, ô *Imperator quam ægre ignominiam filij tui patiare: imo vero illis, qui in eum inſultant, vehementer ſuccenſes. Credas igitur mihi velim huius vniuerſitatis rectorem Deum; eos qui contra vnigenitum Filium ſuum loquuntur blaſphemias, itidem deteſtari, & tamquam ingratos erga Saluatorem, & patronum ſuum odio proſequi.* Intellexit Imperator, quo ſpectaret Amphilochij parænesis, & quidem acceptis ſingulorum libellis, ſolos eos approbauit, qui conſubſtantialem Trinitatem aſſerebant; reliquos vero vt abſurdos diſrupit, deinde protinus reſcripſit.

Amphilochij ad Theodoſ. Imp. parænesis.

Omnes omnino, quoſcumque diuerſarum hæreſum error exagitat; id eſt Eunomiani, Ariani, Macedoniani, Pneumatomachi, Manichei, Encratitæ, Saccophori, Hydroparaſtatæ, nullis circulis coeant, nullam colligant multitudinem, nullum ad ſe populum trahant, nec ad imaginem Eccleſiarum parietes priuatos oſtendant: nihil, vel publice, vel priuatim, quod Catholicæ Sanctitati officere poſſit, exerceantur ac ſi quis extiterint, qui tam euidenter vetita traſcendat: permiſſa omnibus facultate, quos recta obſeruantiæ cultus, & pulchritudo delectat, communi omnium bonorum coſpiratione pellatur.

Reſcriptum Theod: Imp. contra hæreticos.

Item *Vitiorum inſtitutio Deo atque hominibus ex ſa, Eunomiana ſcilicet Ariana, Macedoniana, Appollinariana, cæterarumque ſectarum, quas veræ religionis venerabili cultu Catholicæ obſeruantiæ fides ſincera condemnat, neque publicis, neque priuatis aditionibus intra Vrbium atque agrorum, ac villarum loca, aut colligendarum congregationum, aut coſtituendarum Eccleſiarum copiam præſumat: nec celebritatem perfidiæ ſuæ, vel ſolemnitatem diræ communis exerceat: neque illam creandorum Sacerdotum vſurpet atque habeat ordinationes: Eadem quoque domus, ſeu in vrbibus, ſeu in agris, in quibus paſſim turba profeſſorum, ac miniſtrorum talium colligentur, Fiſci noſtri dominio iurique ſubdantur: ita vt hi qui vel doctrinam, vel myſteria conuentionum talium exercere conſueuerunt perquiſiti, ab omnibus Vrbibus ac locis, præpoſita legis vigore conſtricti expellantur à cœtibus, & ad proprias vnde oriundi ſunt terras redire iubeantur, ne quis eorum, aut commeandi ad qualibet alia loca, aut euagandi ad Vrbes habeat poteſtatem. Quod ſi negligentius ea, quæ Serenitas noſtra conſtituit, impleantur, officia prouincialium Iudicum; & principales Vrbium, in quibus coitio vetita congregationis reperta mōſtrabitur, ſententiæ, damnationiq; ſubdantur.* Ab his Imperatorijs reſcriptis, Letorius Epiſcopus Melitinenſis, multa monaſteria, imo ſpeluncas latronum, hæreſis Saccophororum morbo infectas, incendit, & lupos à grege abegit.

Aliud ſimile.

Amphilochius quoque Lycaoniæ Paſtor, multa loca eadem hæreſi imbuta depulit, & greges ab illa labe eripuit. Edeſſam quoque hac peſte Flauianus purgauit. Antiochiam

Hæretici vndiq; expelluntur.

Sacco-

Saccophoros vocauit, accuſatores calumniatores eſſe, & teſtes falſum dicere, illiſque ſe non credere finxit, atque quendam ex eis Adelpium ſenem opinionis ſummam explicare iuſſit: Adephius autem dixit: Diuini baptiſmi lauacrum, his qui eo tincti erant, nihil omnino prodeſſe: ſed ſolas præces ardentes dæmonum ex animis expellere. Nam ſingulos quoque eduntur in lucem, ex primo parente, vt naturam, ita dæmonum ſeruitutem traxiſſe: quibus ex animis oratione expulſis, Spiritum Sanctum deinceps accedere, ſuamque præſentiam tum ſenſibus, tum viſui oſtendere: & non ſolùm corpus perturbationum motibus liberare, ſed etiam animum inclinatione ad deteriora prorſus eripere: adeo, vt de cætero neque ieiunio opus ſit ad corpus coercendum, neque doctrina ad refrenandam eius libidinem, & danda præcepta, quibus recta viuendi via incedere diſcat: & quod ſit huius rei compos factus non modo à laſciuis corporis concitationibus liberum fore, verum etiam præuidere futura, & S. Trinitatem oculis cernere.

Huiuſmodi errore prudenter detecto Flauianus, illos omnes Syria exegit. Sydæ quoque præſidente Amphilochio Iconij Epiſcopo, vigintiquinque Epiſcoporum Concil. contra eoſdem hæreticos celebratum fuit, à cuius ſententia damnati, omnibus locis eiecti ſunt: Damaſo ſupremo Iudice, & Concilij decreta, & Auguſtorum edicta contra illos probante; maximè cùm Theodoſius iterùm reſcripſiſſet.

Aliud Theodoſ. Imp. reſcriptum.

Eunomiani, Macedoniani, Ariani, necnon Apollinariani: inter ſacræ religionis officia pro ſuis erroribus famoſa ſunt nomina. Omnes itaque, qui harum profeſſionum, vel Pontificium ſibi, vel miniſterium vendicarunt, qui ſe fugati nominis adferunt Sacerdotes, quique in crimineſa religione miniſtrorum ſibi nomen imponunt: qui docere ſe dicunt, quod aut ſcire, aut diſcere ſit dedecoroſum: huius vrbis latebrijs indagine curioſiore perſpectis, ſine vlla gratia interuentione pellantur: in alijs locis viuant, ac penitùs à bonorum congreſſibus ſeparentur. Curabant Imperatores, nè vel Miniſtros, vel Eccleſias haberent hæretici, quod illud contagioni, hoc probro Chriſtianis eſſet, ſi in Eccleſijs Deum blaſphemarent, atque ſacra Chriſtianorum deriderent, ſiue pollueren. Attenderent Principes Eccleſiaſtici huius temporis, qui tolerant, Templa Deo dicata à Nouatoribus occupari, quid olim S. Ambroſius, Valentiniano Iuniori, Baſilicam pro Arianis poſtulanti, & iam vim Sacerdotibus inferre paranti, pro concione dixit.

Mira Ambroſij conſtantia in deneganda Valentiniano Iun. pro Arrianis poſtulanti Baſilica.

Legebatur tunc, quando Imperator ſatellites miſit, vt Baſilicam eriperent, lectio de Achab, & Nabuthe. Ab huius exemplo vineã defendentis, dicentiſque: *abſit, vt ego patrum meorum tradam hæreditatem* Ambroſius conuentus ait: *Abſit à me, vt tradam Chriſti hæreditatem. Si ille Patrum hæreditatem non tradit: ego tradam Chriſti hæreditatem? Ille vites ſuas, vel proprio cruore defendit, nec vineam tradidit ſuam: nos trademus Eccleſiam Chriſti?* Addidit inſuper: *Abſit, vt tradat hæreditatem Patrum: hoc eſt hæreditatem Dionyſij, qui in exilio cauſa Fidei defunctus eſt; hæreditatem Euſtorgij Confeſſoris, hæreditatem Myroclis, atque omnium retro fidelium Epiſcoporum. Reſpondi ego, quod Sacerdotis eſt: quod Imperatoris eſt, faciat Imperator. Prius eſt, vt animam mihi, quam fidem auferat.* Addidit inſuper, cùm vaſa poſceretur: *Me, ſi de meis aliquid poſceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris eſſet, libenter offerre: templo Dei nihil poſſe decerpere, nec tradere illud, quod cuſtodiendum non tradendum acceperim. Conſulo etiam Imperatoris ſaluti: quia nec mihi expedit tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi ſacerdotis: ſi vult ſibi eſſe conſultum, recedat à Chriſti iniuria. Si tributum petit, non negamus: agri Eccleſiæ ſoluunt tributum. Si agros petit Imperator, tollat ſi libitum eſt. Non dona, ſed non nego, ſoluimus, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Tributum Cæſaris eſt, non negatur. Eccleſia Dei eſt! Cæſari vtique non debet addici: quia ius Cæſaris eſſe non poteſt, Dei templum. Nihil honorificentius, quam vt Imperator filius Eccleſiæ eſſe dicatur. Nam intra, non ſupra Eccleſiam eſt. Bonus enim Imperator quærit auxilium Eccleſiæ, non refutat. Hæc vt humiliter dicimus, ita conſtanter exponimus, Sed incendium aliqui, gladium, deportationem minantur? Didicimus Chriſti ſeruuli non timere. Non timentibus, numquam eſt grauis terror. Si patrimonium petitur inuadite. Si corpus: occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione populorum; nec altaria tenebo, vitam obſecrans, ſed pro altaribus gratius immolabor.* Cæterum, cùm iam milites irruiſſent in templum, mandantes Ambroſio: *Trade Baſilicam*, ille ait; *Ad Imperatorem Palatia pertineat: ad Sacerdotem Eccleſiæ. Publicorum Imperatori mœnium ius commiſſum eſt, non Sacrorum. In ea, quæ Dei ſunt, non eſt ius Imperiale.* Dixerat iſta Ambroſius: & Deus Imperatoris peruicatiam fregerat, vt tandem ab extorquenda Baſilica deſtiterit.

Religioſior Theodoſius, qui gemellas iterum Conſtitutiones contra hæreticos promulgauit, iſtis verbis.

Binæ Theodoſ. Imper. contra Hæreticos conſtitutiones.

Apollinarios, cæteroſque diuerſarum hæreſum ſectatores, à noſtris locis iubemus inhiberi, à mœnibus Vrbium, à congreſſu honeſtorum, à communione Sanctorum. Inſtituendorum Clericorum non habeant poteſtatem; colligendarum Congregationum, vel in publicis, vel in priuatis Eccleſijs careant facultate. Nulla ijs faciendorum Epiſcoporum, præbeatur authoritas. Ipſi quoque Epiſcopi nomine deſtituti, appellationem huius dignitatis ammittant. Adeant loca, quæ hos potiſſimum quaſi vallo quodammodo ab humana conuerſatione ſecludant. His etiam illud adiungimus, vt ſupra memoratis omnibus adeundi, atque interpellandi Serenitatem noſtram aditus denegetur. Item *Omnes diuerſarum, perfidarumque ſectarum, quos in Deum miſera veſania conſpirationis exercet, nullum vſquam ſinantur habere conuentum: non inire tractatus, non cœtus agere ſecretos, non nefariæ præuaricationis altaria manus impiæ officijs impudenter attollere, & myſteriorum ſimulationem ad iniuriam veræ religionis aptare. Nulli egreſſo ad publicum, vel diſceptandi de religione, vel tractandi, vel conſilij aliquid deferendi pateſcat occaſio. Et ſi quis poſt hæc auſu graui, atque damnabili contra huiuſmodi legem veniendum eſſe crediderit, vel inſiſtere motu peſtiferæ perſeuerationis audebit, competenti pœna, & digno ſupplicio coerceatur.* Grauius edixit Theodoſius, monente Siricio, qui damnauerat in Iouinianum.

Hic ex Mediolanenſi Monaſterio erumpens, hæreſiarcha, & Epicurus Chriſtianorum, pudicitiæ aduerſarius; luxuriæ magiſter, illud interim prædicabat; Manducemus, bibamus, cras enim moriemur. Addebat; Raro ieiunate, crebrius nubite: non enim poteſtis implere opera nuptiarum, niſi multum & carnes, & nucleum ſumpſeritis. Viribus opus eſt ad libidinem: cito caro conſumpta marceſcit. Nolite timere fornicationem. Qui ſemel in Chriſto baptizatus eſt, cadere non poteſt: habet enim ad deſpumandas libidines ſolatia nuptiarum. Quod ſi & cecideritis, redintegrabit vos pœnitentia; & qui in baptiſmo fuiſtis hypocritæ, eritis in pœnitentia ſolidæ fidei. Neque turbemini, putantes inter iuſtum, & pœnitentem aliquid intereſſe: & humiliorem gradum dare quidem veniam, ſed coronam tollere. Vnam enim eſt retributio, qui ad dexteram ſteterit, introibit ad regna cœlorum. Hæc, & alia plura abſurda, cùm Iouinianus vulgaret, & ab ipſius Salacitate alij corrupti, quemadmodum appellabat Hieronymus, hirci plurimas ſecum capras traherent, equi inſanientes, in fœminas facti, ſtatim vt mulieres vidiſſent, adhinnirent, & quod deterius eſt impatientiam ſuam ſcripturarum ſolarentur exemplo, Siricius Papa auctorem, & ſectarios damnauit, auctorque Ambroſio fuit, qui vnà cum Baſſiano, Euentio, Maximo, Felice, Geminiano: Euſtaſio, & Conſtantio ſcriberet, *quos Sanctitas tua damnauit, ſcias apud nos quoque ſecundùm iudicium tuum eſſe damnatos.* Theodoſius, cum primum ſententiam Siricij in Salaces prolatam accepiſſet, & ipſe quoque edixit: *Iouinianum, ſacrilegos agere conuentus extra muros Vrbis Sacratiſſimæ, Epiſcoporum quærela deplorat. Quare ſupranominatum corripi præcipimus, & contuſum plumbo, cum cæteris ſuis participibus, & miniſtris exilio coerceri: ipſum autem machinatorem in Inſulam Beam feſtina celeritate deduci: cæteris prout libuerit (dummodo ſuperſtitioſa coniuratio exilij ipſius diſcretione ſoluatur) ſolitarijs, & longo ſpatio inter ſe poſitis Inſulis in perpetuum deportatis. Si qui autem pertinaci improbitate vetita, & damnata repetiuerit, ſciat ſe auſteriorem ſententiam ſubiturum.* Item.

Siricius Iouinianum cum Sectarijs damnat.

Lib. 10. epiſt. ad Syricium.

Edictum Theod. Imp. contra Iouinian. monẽte Syricio Papa.

Hæreticorum polluta contagia pelli vrbibus vicinis, proturbari, ac nullis penitùs iubemus patere conuentibus: ne quoquam ſacrilega cohors talium hominum colligatur, nulla eorum peruerſitati, vel publica conuenticula, vel latiora erroribus ſecreta tribuantur. Item contra apoſtatas, Fidei proditores.

Contra Hæreticas.

Hi, qui Sanctam fidem prodiderint, & ſanctum Baptiſma profanauerint, à conſortio omnium ſegregati ſint, à teſtimonijs alieni: teſtamenti non habeant factionem. Nulli in hæreditate ſuccedant; à nemine ſcribantur hæredes. Quos etiam præcepiſſemus procul abijci, ac longius amandari, niſi pœna viſum fuiſſet eſſe maioris, verſari inter homines, & hominum carere ſuffragijs. Sed nec vmquam in ſtatum priſtinum reuertentur; non flagitium morum oblitterabitur pœnitentia; neque vmbra aliqua exquiſitæ defenſionis, aut muniminis obducetur. Quoniam quidem eos, qui fidem quam Deo dicauerant, polluerunt, & prodentes diuinum myſterium in profana migrarunt, tueri ea quæ ſunt commentitia, & concinnata non poſſunt;

Contra fidei proditores.

Siricio, Anaſtaſius ſucceſſit. Hic Sanctæ, & beatæ memoriæ Epiſcopus, cùm Romanam ſuſcepiſſet Eccleſiam, de Orientalibus partibus (Ruffinum, & Marcellam Origeniſtas Hieronymus indicabat) *Hæreticorum ſæua tempeſtas, ſimplicitatem fidei, quæ Apoſtolis voce laudata eſt, polluere, & labefactare conata eſt. Sed viri ditiſſimæ paupertatis, & Apoſtolicæ ſolicitudinis, ſtatim noxium percuſſit caput, & ſibilantia hydræ ora compeſcuit. Acciti ab eo frequentibus litteris hæretici, vt ſe defenderent, venire non ſunt auſi; tantaque vis conſcientiæ fuit, vt abſentes damnari, quam præſentes coargui maluerint.*

Epiſt. 16.

Acuit ea damnatio calamum Ruffino, in Hieronymum, quaſi is Anaſtaſium ad ſententiam ferendam impuliſſet. Cui cùm Hieronymus duas apologias, in damnationem Origeniſtarum oppoſuiſſet, concludebat inuitando: Omittamus hæreticorum patrocinium, & nulla erit inter nos contentio. Eodem feruore, quo Origenem ante laudauimus, nunc *damnatum toto Orbe damnemus*. Iungamus dexteras, animos copulemus; & duos Orientis, & Occidentis Trophæophoros Theophilum, & Anaſtaſium alacres ſequamur inceſſu. Errauimus iuuenes, emendemus ſenes; Depone gladium, & ego ſcutum abijciam. In vno tibi conſentire non poſſum, vt parcam hæreticis. vt me Catholicum non probem. Si iſta eſt cauſa diſcordiæ, mori poſſum, tacere non poſſum. Sit inter nos vna fides, & illico pax ſequetur. Gloriabatur etiam tunc Hieronymus: *Vt Romanæ Vrbis Pontifex Origeniſtas miro odio deteſtetur, meum conſilium fuit: vt totus Orbis poſt Ruffini tranſlationem in Origenis odium exarſerit, quem antea ſimpliciter lectitabat, meus operatus eſt ſtylus.* Ad extremum, quaſi ad probatam, probatoriamque petram prouocans, aiebat: Fidem ſuam, quam vocat? Eamne, qua Romana pollet Eccleſia? an illam, quæ in Origenis voluminibus continetur? *Si Romanam reſponderit! Ergo Catholici ſumus.*

Origeniſtæ ab Anaſtaſio Papa damnati.

Damnatis Origeniſtis, Innocentius quoque, Donatiſtas Africanos, ex ſententia Conciliorum condemnauit. Hi quod in Catholicos vehementius (quod ſolenne eſt hæreticis, cum præualent viribus) ſæuirent, Honorius Imperator legibus pœnalibus coercendos putauit. Itaque non tantùm aurarias, ſed etiam capitales conſtituit, quibus & pro flagitijs caſtigarentur, & metu illarum ad Eccleſiaſticam vnitatem reducerentur. Plurimi eorum corrigebantur, & Eccleſiæ adiungebantur: adeò vt Auguſtinus habuerit opinionem de legibus pœnalibus contra hæreticos latis corrigere, & hæc efferre: *Mea quidem*, ait, *primitus ſententia erat, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum; verbo agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum: ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium exemplis ſuperabatur. Nam primo mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota eſſet in parte Donati, ad vnitatem Catholicam timore legum Imperialium conuerſa eſt: quam nunc videmus, ita Donatiſtarum animoſitatis perniciem deteſtari, vt in ea numquam fuiſſe credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur: vt ipſis rebus agnoſcerem etiam in hac cauſa rectè intelligi paſſe, quod ſcriptum eſt:* Da Sapienti occaſionem, & ſapientior erit. *Quam multi enim (quod certo ſcimus) iam volebant eſſe Catholici, manifeſtiſſima veritate commoti: & offen-*

Donatiſtæ ab Innocen. PP. condẽnati.

S. Auguſtin. de legib. pœnalibus contra hæreticos afferentes homines cogi nõ debere, nec ad bonum. *epiſt. 48.*

ſionem ſuorum reuerendo, quotidie differebant? Quam multos, non veritas, ſed obduratæ conſuetudinis graue vinculum colligabat, vt in eis compleretur diuina illa ſententia: Verbis non emendabitur ſeruus durus: ſi enim & intellexerit, non obediet? *Quam multi propterea veram putabant Eccleſiam eſſe partem Donati, quia eos ad cognoſcendam Catholicam veritatem ſecuritas torpidos, faſtidioſos, pigroſque faciebat? Quam multis aditum intrandi obſerabant rumores maledicorum, quod neſcio quid aliud nos in altare Dei ponere iactitabant? Quam multi nihil intereſſe credentes, in qua quiſque parte Chriſtianus ſit, ideò permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde diſcedere, atque ad Catholicam nemo tranſire cogebat?*

His omnibus legum timor (quibus promulgandis Reges ſeruiunt Domino in timore) ita perfuit, vt nunc alij dicant; Iam hoc volebamus: ſed Deo gratias, qui nobis occaſionem præbuit, iamque faciendi, & dilationum morulas amputauit, alij dicant: hoc eſſe verum, iam ſciebamus, ſed neſcio qua conſuetudine tenebamur. Gratias Domino, qui vincula noſtra dirupit, & nos ad pacis vincula tranſtulit, alij dicant. Neſciebamus hic eſſe veritatem, nec eam diſcere volebamus: ſed nos ad eam cognoſcendam metus fecit intentos, quo timuimus, ne forte ſine vllis rerum æternarum lucris, damno rerum temporalium feriremur. Gratias Domino, quod negligentiam noſtram ſtimulo terroris excuſſit, vt ſaltem ſolliciti quæremus; quod ſecuri nuſquam eſſe curauimus. Alij dicant, Nos falſis rumoribus terrebamur intrare, quos falſos eſſe neſciremus, ſi non intraremus: nec intraremus, niſi cogeremur. Gratias Domino, qui trepidationem noſtram flagello abſtulit, expertos docuit, quàm vana, & inania de Eccleſia ſua mendax fama iactauerit. Hinc iam credimus, & illa falſa eſſe, quod auctores huius hæreſis criminati ſunt: quando poſteri eorum tam falſa, & peiora finxerunt. Alij dicant; Putabamus quidem nihil intereſſe, vbi Sedem Chriſti teneremus: ſed gratias Domino, qui nos à diuiſione collegit; & hoc vni Deo congruere, vt in vnitate colatur, oſtendit. Alia quoq; complura Auguſtinus in eam ſententiam, quod Hæretici, vel inuiti, trahendi ad Eccleſiam, docebat: quæ hic non incongruum adducere. Imprimis ſcribebat, Donato Presb. epiſt. 204. *Neminem exiſtimas cogendum eſſe ad bonum. Attende quod dixerit Apoſtolus, Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Et tamen tam multi vt Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inuiti, producuntur includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur, quæ nolunt, donec adſit eis voluntas ſuſcipiendi operis boni. Quanto magis vos ab errore pernicioſo, in quo vobis inimici eſtis, trahendi eſtis s & perducendi ad veritatem, vel cognoſcendam, vel eligendam, non ſolùm vt honorem ſalubriter habeatis, ſed etiam ne peſſimè pereatis? Dicis Deum dediſſe lib. arb. ideò non debere cogi hominem, nec ad bonum. Quare ergo illi, de quibus ſupra dixi coguntur ad bonum?*

Attende ergo, & conſidera non ideò voluntas bona miſericorditer impenditur, vt mala voluntas bona miſericorditer impenditur, vt mala voluntas hominis diligatur. Nam quis neſciat, nec damnari hominem, niſi merito malæ voluntatis, nec liberari niſi bonam habuerit voluntatem? Non tamen ideò, qui diliguntur, malæ ſuæ voluntati impunè, & crudeliter permittendæ ſunt, ſed vbi poteſtas datur, & à malo prohibendi, & ad bonum cogendi. Nam, ſi voluntas mala ſemper ſuæ permittenda eſt libertati, quare Iſraelitæ recuſantes, & murmurantes tam duris flagellis à malo prohibebantur, & ad terram promiſſionis compellebantur? Si voluntas mala ſemper ſuæ permittenda eſt libertati, quare Paulus non eſt permiſſus vti peſſima voluntate, qua perſequebatur Eccleſiam, ſed proſtratus eſt vti excæcaretur, excæcatus vt mutaretur, mutatus vt mitteretur, miſſus vt qualia fecerat in errore talia pro veritate pateretur? Si voluntas mala ſemper ſuæ permittenda eſt libertati, quare monetur pater in Scripturis Sanctis filium durum non ſolùm verbis corripere, ſed etiam latera eius tundere, vt ad bonam diſciplinam coactus, ac domitus dirigatur? vnde idem dicit, Tu percutis eum virga, animam autem eius liberas à morte. Si mala voluntas, ſemper ſuæ permittenda eſt libertati, quare corripiuntur negligentes paſtores, & dicitur eis Ezech. 34. Hierim. 23. Errantem ouem non reuocaſtis, perditam non inquiſiuiſtis? Et vos oues Chriſti eſtis; characterem Dominicum portatis in Sacramento, quod accepiſtis, ſed erratis, & peritis. Non ideò vobis diſpliceamus, quia reuocamus errantes, & quærimus perditos. Melius enim facimus voluntatem Domini monentis, vt vos ad eius ouile redire cogamus, quam conſentiamus voluntati ouium errantium, vt perire vos permittamus.

Noli ergo iam dicere, quod te aſſiduè audio dicere: ſic volo errare, ſic volo perire. Melius enim nos hoc omninò permittimus, quantùm poſſumus. Modo, quod te in puteum vt morereris miſiſti, vtique libera voluntate feciſti. Sed quam crudeles eſſent Serui Dei, ſi huic malæ voluntati tuæ te permitterent, & non te de illa morte liberarent? Quis eos non merito culparet? Quis non impios rectè iudicaret? Et tamen tu te volens in aquam miſiſti, vt morereris, illi te nolentem de aqua ſeruauerunt, ne morereris. Tu feciſti ſecundùm voluntatem tuam, ſed in perniciem tuam, illi contra voluntatem tuam, ſed propter ſalutem tuam. Si ergo ſalus iſta corporalis ſic cuſtodienda eſt, vt etiam in nolentibus ab eis, quod eos diligunt, ſeruetur, quantò magis illa ſpiritalis, in cuius deſertione mors æterna metuitur? quamquam & in iſta morte, quam tibi tu ipſe inferre voluiſti, non ſolùm ad tempus, ſed etiam in æternum morereris, quia etſi non ad ſalutem, non ad Eccleſiæ pacem, non ad Chriſti corporis vnitatem, non ad ſanctam, & indiuiduam charitatem, ſed ad aliqua mala cogereris; nec ſic tibi ipſe mortem inferre debuiſti. Repetis ſicut audio, quod in Euangelio Ioan. 6. ſcriptum eſt, receſſiſſe à Domino 72. diſcipulos, & arbitrio ſuæ malæ, atque impiæ diſceſſionis fuiſſe permiſſos: cæteriſque 12. qui remanſerunt, fuiſſe reſponſum, nunquid & vos vultis ire? Et non attendis quia tunc primum Eccleſia nouello germine pullulabat, nondumque in ea fuerat completa illa prophetia: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient illi. Quod antequam quantò magis impletur, tantò maiore vtitur Eccleſia poteſtate, vt non ſolùm inuitet, ſed etiam cogat ad bonum. Hoc tunc Dominus ſignificare volebat, qui quamuis haberet magnam poteſtatem, prius tamen elegit commendare humilitatem. Hoc & in illa conuiuij ſimilitudine ſatis euidenter oſtendit, vbi miſit ad inuitatos, & venire noluerunt, & ait ſeruo. Exi in plateas &c. vſque domus mea. Vide nunc quemadmodum de his, qui prius venerunt dictum eſt,

intro-

introduc eos, nunc dictum ei compelle. Ita ſignificata ſunt Eccleſiæ primordia adhuc creſcentis, vt eſſent vires etiam compellendi.

Et in Ioan. tract. 11. *ad c.* 3. *quantum vult Deus concitare poteſtates aduerſus hæreticos, aduerſus Schiſmaticos, aduerſus diſsipatores Eccleſiæ, aduerſus exſufflatores Chriſti, aduerſus blaſphematores baptiſmi, non mirentur, quia Deus concitat, vt à Sara verberetur Agar, cognoſcat ſe Agar, & ſupponat ceruicem, quia cùm humiliata diſcederet à Domina ſua, occurrit ei Angelus, & dixit, quid eſt Agar ancilla Saræ? cum queſta eſſet de Domina, quod audiuit ab Angelo? reuertere ad Dominam tuam. Ad hoc ergo affligitur vt reuertatur, atque vtinam reuertatur, quia proles eius ſicut filij Iacob, cum fratribus hæreditatem tenebit. Mirantur autem, quia commouentur poteſtates Chriſtianæ aduerſus deteſtandos diſſipatores Eccleſiæ: Si non ergo mouerentur, quando redderent rationem de Imperio ſuo Deo? intendat charitas veſtra quod dicam, quia hoc pertinet ad Reges ſæculi Chriſtianos, vt temporibus ſuis pacatam velint matrem ſuam Eccleſiam habere, cum ſpiritualiter nati ſunt. Nabuchodonoſor dixit Dan.* 3. *Quicumque blaſphemauerit &c. Ecce quomodo ſæuit Rex alienigena ne blaſphemaretur Deus Iſrael qui potuit tres pueros de igne liberare, & nolunt, vt ſæuiant Reges Chriſtiani, quia Chriſtus exſufflatur à quo non tres pueri, ſed Orbis terrarum cum ipſis Regibus à gehennarum igne liberatur. Quomodo nõ moueantur, quando audiunt dici Chriſtianis, dic te non eſſe Chriſtianum. Occidunt animas, affligantur in corpore, ſempiternas mortes faciunt, temporales perpetiuntur, Elias* 3. *Reg.* 18. *Pſeudoprophetas. Moyſes Exod.* 32. *idoli fabricatores, Paul.* 1. *Timot.* 1. *quoſdam vt diſcerent non blaſphemare. Eleemoſynam magnam cæcitate.*

Et epiſt. 50. *ad Bonifacium Comitem. Quis non poteſt amplius amare quam Chriſtus, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis? Et tamen cùm Petrum, & alios Apoſtolos ſolo verbo vocaſſet, Paulum prius Saulum Eccleſiæ ſuæ poſtea magnum ædificatorem, ſed horrendum antea vaſtatorem, non ſolùm voce compeſcuit, verum etiam poteſtate proſtrauit, atque in infidelitatis tenebris ſæuientem, ad deſiderandum lumen cordis, vt ſurgeret, prius corporis cæcitate percuſſit. Si pæna illa non eſſet, non ab ea poſtmodum ſanaretur, & quando apertis oculis nihil videbat, ſi eos ſaluos haberet, non ad impoſitionem manus Ananiæ, vt eorum aperiretur obtutus, tanquam ſquammas, quibus clauſus fuerat inde cecidiſſe ſcriptura narraret. Vbi eſt, quod iſti clamare conſueuerunt, liberum eſt credere, vel non credere. Cui vim Chriſtus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum Apoſtolum, agnoſcant in eo prius cogentem Chriſtum, & poſtea docentem, prius ferientem, & poſtea conſolantem. Mirum eſt autem, quando ille, qui pæna corporis ad Euangelium coactus introiuit, plus ille omnibus, qui ſolo verbo vocati ſunt in Euangelio laborauit, & quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras miſit timorem. Cur ergo non cogeret Eccleſia perditos filios vt redirent, ſi perditi filij coegerunt alios vt perirent.*

Hæc Auguſtinus pro legibus pænalibus contra hæreticos latis, à quarum rigore plurimi non tantum Donatiſtarum, ſed etiam aliorum hæreticorum ad vnitatem Eccleſiæ, & ad veræ Fidei agnitionem peruenerunt. Dignum quod ſciatur, Conſtantinopoli tunc accidit, à cura, & prædicatione Sanctis Ioannis Chryſoſtomi, qui Arcadium Imperatorem, ad leges pænales ſanciendas, reque ipſa, ſtabiliendas adduxerat. Arriani tantum animorum ſumpſerant, vt extra vrbem procedentes, hymnos concinerent, quibus Fidem Conſubſtantialis proſcindebant. Ibi Chryſoſtomus, rem non armis ſed conſilijs transigendam ratus, hymnos quoque in laudem Conſubſtantialis compoſitos noctu in proceſſionibus, præclaris ab Eudoxia ſuppeditatis argenteis Crucibus, quæ ita erant excogitata, vt eis lucernæ cereæ imponerentur, concinere imperauit. Hi quod multo plus digniores eſſent, Arrianos ad æmulationem inflammarunt, & ad ſeditionem pronos excitarunt, quam vna noctium concitantes, Briſonum Imperatoris Eunuchum inter reliquos Orthodoxos lapide in frontem percuſſerunt. Hac re commotus Arcadius, Arianis interdixit, ne hymnos in publico recinerent, neue ad litanias faciendas intra ciuitatem noctu vel interdiu conuenirent. Habuit etiam Ioannes die feſto Epiphaniæ Imperatorem in templo compellare: *Dic mihi, ô Imperator, ſi quis huic tuæ ſpecioſæ coronæ quoſdam obſcuros lapides inſeruiſſet: tolerares? Quid videlicet non putas vniuerſorum Regem iraſci, ſi in pia ciuitate, pars quæ male ſentit, ſinatur habitare; cum ab illis oporteat exigere, vt vel conuertantur, vel emigrent?* Dixit Chryſoſtomus.

Hiſt. Eccl. anno 400.

Arianorum ſeditio contra Orthodoxos ob leges pænales ab Arcadio contra hæreticos latas.

Imperator primos Arianorũ accerſiuit, atq; conuerti recuſantes ciuitate eiecit, dignitatibuſque, & Magiſtratu eos qui fungebantur priuatos fecit. Multi ex illis per dolum Orthodoxis ſeſe commiſcebant, & perfidiam ſimulatione occulebant. Vnam ex eis, cuiuſdam à Macedoniana hæreſi conuerſi vxorem, Deus miraculo caſtigauit, atque emendauit. Perſeuerabat illa in hæreſi; at maritus ſaluare eam deſiderans ſæpe minabatur; *Niſi*, inquit, *in religione mihi conſors fueris, nec in vitæ quidem communione poſt hac eris*. Ibi mulier, data fide pollicetur: ad ſacramentum Chriſti cum ancilla communicatura accedit; Sacrum Chriſti ori inditum, atque eiectum, ancillæ credit; aliud quiddam pro Sacra hoſtia ex manu ancillæ ori imponit: quod quidem ſimul atque dentibus ad motum fuit, in lapidem obduruit; mulierem magno metu perterruit, rem prout acciderat fateri coegit, atque Epiſcopi tribunal accedere compulitur à quo cum profuſis lacrymis veniam impetraſſet, cum marito deinceps in fide homouſij, concors vixit. Ad eum modum miraculo patrato, Arcadius longe ardentior contra hæreticos fuit; cum & Honorius paribus pœnis eos mulctaret, illudq; Imperatorium in ore habere; *Nullus nobis ſit aliqua ratione coniunctus, qui à nobis fide, & religione diſcordat*. Sanxit præterea Honorius: *Eos qui Catholicæ ſectæ ſunt inimici, intra Palatium militare prohibemus*. Item.

Sozom. lib. 8 *c.* 5.

Mulier hæretica miraculosè caſtigata & conuerſa.

Ea quæ circa Catholicam fidem, vel olim ordinauit antiquitas, vel parentum noſtrorum authoritas religioſa conſtituit, vel noſtra Serenitas roborauit, nouella ſuperſtitione ſummota, integra, & inuiolata cuſtodire precipimus, &

Honorii contra Hæreticos ſanctiones.

Sciant omnes Sanctæ legis inimici, plectendos ſe pæna, & proſcriptionis, & ſanguinis, ſi vltra conuenire per publicum, eſecranda ſceleris ſui temeritate tentauerint.

Pelagiani ab Innoc. & Zozymo damnati.

Per id temporis vero, cum Pelagiana hæreſis, ab inferis excitata emerſiſſet, *Innocentius, & Zozimus Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, ſuis diuerſis temporibus Pelagianiſtas notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis literis ad Africanas Orientis, & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos, & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt. Et hoc tale de illis Eccleſiæ Dei Catholicæ prolatum iudicium, etiam pyſſimus Imperator Honorius audiens, ac ſequens, ſuis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere conſtituit*, vt Poſſidius narrabat Vigilantium quoque ſanctorum hoſtem, Innocentius Romanus Pontifex dammnauit. Dolebat peſſimus, martyrum reliquias, pretioſo operiri velamine.

In vita S. Auguſt. c. 17.

Vigilantius dannatur.

lib. cont. Vigilant.

Huic D. Hieronymus, nubem teſtimoniorm, pro veneratione ſacrorum pignorum opponens, ſcribebat: *Ergo ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt. Sacrilegus, & nunc Arcadius, qui oſſa B. Samuelis longo poſt tempore de Iudæa tranſtulit in Traciam. Omnes Epiſcopi non ſalum ſacrilegi, ſed & fatui iudicandi, qui cineres diſſolutos, in ſerico, & vaſe aureo portauerunt. Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui accurrerunt ſanctis reliquijs, & tanta lætitia, quaſi præſentem viuentemque prophetam cernerent, ſuſceperunt, vt de Palæſtina vſque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem vna voce reſonarent. Male ergo facit Romanus Pontifex, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem puluiſculum, offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria!* Iſta Hieronymus Vigilantio à Sede Apoſtolica damnato ingerebat, ne impius ſanctis vita functis inſultaret, quo tēpore cum in Orientæ variæ hæreſes graſſarentur, Theodoſius iunior contra hæreticos legem tulit, ò vtinam, à Principibus Catholicis obſeruandam.

Theodoſii iun. lex contra Hæreticos.

Hæreticorum ita eſt repeimenda inſania, vt ante omnia, quas ab Orthodoxis acceptas tenent vbique Eccleſias, ſtatim Catholicæ Eccleſiæ tradendas eſſa non ambigantur, quia ferri non poteſt, vt qui nec proprias habere debuerant, ab Orthodoxis poſſeſſas aut conditas, ſuaque temeritate inuaſas, & vltra retineat. Deinde, vt ſi alios ſibi adiungant Clericos, vel (vt ipſi æſtimant) ſacerdotes; decem librarum auri mulcta per ſingulos ab eo qui fecerit, & qui fieri paſſus ſit, vel ſi paupertatem prætendant, de communi Clericorum eiuſdem ſuperſtitionis corpore, vel etiam donarijs ipſis extorta, noſtro inferatur ærario. Poſt hæc quoniam non omnes eadem auſteritate plectendi ſunt; Arianis quidem Macedonianis, Apollinarianis, quorum hoc eſt facinus, quod nocenti meditatione decepti credunt, de Veritatis Fonte mendacia, intra nullam ciuitatem Eccleſiam habere liceat. Nouatianis autem, & Sabbatianis omnis innouationis adimatur licentia, ſi quam forte tentauerint.

Eunomiani vero Valentiniani, Montaniſtæ ſeu Priſcillianiſtæ, Phryges, Marcionitæ, Borboriani, Maſſaliani, Euchaitæ, Entuſiaſtæ, Donatiſtæ, Audiani, Hydroparaſtatæ, Aſcodrogitæ, Photiniciani, Pauliani, Marcelliani, & qui ad vnam vſque ſcelerum nequitiā peruenerunt Manichæi, nuſquam in Romano ſolo conueniendi, oradique habeant facultatem; Manichæis etiam de ciuitatibus pellendis, quoniam nihil omnibus relinquendum loci eſt, in quo etiam ipſis elementis fiat iniuria. Nulla his penitus præter cohortaliuam in prouincijs, & caſtrenſem indulgenda militia, nullo donationis facienda inuicem, nullo teſtamenti aut voluntatis vltima penitus iure conceſſo: cunctiſque legibus, quæ contra hos cæteroſque qui noſtræ Fidei refragantur latæ ſunt, diuerſiſque promulgata temporibus, ſemper viridi obſeruantia valituris; ſiue de donationibus in hæreticorum factis Eccleſias, ſiue ex vltima voluntate rebus qualitercumque relictis, ſiue de priuatis ædificijs, in qua domino permittente vel conniuente conuenerint, veneranda nobis Catholica vendicandis Eccleſia: ſiue de procuratore, qui hoc neſciente domino fecerit, decem librarum auri mulctam, & exilium, ſi ſit ingenuus, ſubituro: metallum vero poſt verbera, ſi ſeruilis conditionis ſit: ita vt nec in publico conuenire loca, nec ædificare ſibi Eccleſias, nec ad circumſcriptionem legum quicquam meditari valeant: omni Ciuili, & militari, Curiarum etiam, & Deſenſorum, & Iudicum ſub viginti librarum auri interminatione prohibendi auxilio. Illis etiam in ſua omnibus manentibus firmitate, quæ de militia, & donandi iure, & teſtamenti faciendi vel negandi penitus, vel in certas vix conceſſa perſonas, pauiſque varijs de diuerſis ſunt hæreticis promulgata: ita vt nes ſpeciale quidem beneficium aduerſus leges valeat impetratum. Nulli hæreticorum danda licentia, vel ingenuos, vel ſeruos proprios, qui Orthodoxorum ſunt initiati myſterijs, ad ſuum rurſum baptiſma deducendi: nec dum ſua ſuperſtitioni coniunctas, prohibendi Catholicæ ſequi religionem Eccleſiæ. Quod ſi qui fecerit, vel cum ſit ingenuus, in ſe fieri paſſus ſit, vel factum non detulerit, exilio & decem librarum auri mulcta damnabitur, teſtamenti, & donationis facienda vtrique deneganda licentia. Quæ omnia ita cuſtodiri decernimus, vt nulli Iudicum liceat delatum ad ſe crimen, minori, aut nulli coertioni mandare; niſi id ipſe pati velit, quod alijs diſſimulando conceſſerit Dat. III. Cal. Iun.

Neſtorius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ad Epiſcopatum adductus, Zelum religionis Catholicæ palam præſetulerat, & proconcione Imperatori dixerat; mihi ò Imperator terram hæreticis tu purgatam tribue, & ego tibi cælum tribuam. Tu mihi in profligandis hæreticis ſubueni, & ego tibi in profligandis Perſis ſubueniam, hac Imperatoria lege armatus, exordia ſui Pontificatus zelo fidei exornare contendit, & primum quidem Arianos eo impulit, vt ſuæ ipſorum Eccleſiæ, à Catholicis incenſæ, ipſi quoque faces admouerint. Nouatianos deinde exagitare aggreſſus, deinde Quartadecimanos, tota Aſia, Lydia, & Caria, non ſine cæde multorum afflixit. Macedonianis demum Conſtantinopoli, Cyzici, & alijs in locis Helleſponti Eccleſias eripuit, cum hi quoque Antonium Germæ vrbis Helleſponti Epiſcopum, contra eos acerbius agentem occiderint. Factum eſt propterea, vt multi eorum ad Eccleſiam reuerſi, Fidei conſubſtantialis aſſeſerint. Perſeueraſſet vtinā diutius in Orthodoxa Neſtorius; non orbi Chriſtiano tanti incendium, non fidelibus tantā ruinam, non ſibi iuſtam Cæleſtini Rom. Pontif. vindictam excitaſſet, quantam excitauit. Iudicio Apoſtolico, & ante Concilium

Neſtorius Patr. Conſtant. a Cæleſtino Pp. propter hæreſes iudicatur & condemnatus.

Ephe-

Epheſinum, & in Magna Synodo Epheſina damnatus, quid Pontifici Romani in hæreſiarchas etiam Patriarchas poſſint, oſtendit.

Sententia damnationis à Cæleſtino Cyrillo miſſa.

His verbis Cæleſtinus ſententiam damnationis conceptam, Cyrillo pronunciandam ſcripſerat: *Quamobrem noſtræ Sedis auctoritate aſcita, noſtraque vice & loco cum poteſtate vſus, eiuſmodi non abſque exquiſita ſeueritate ſententiam exequeris; nempe, vt niſi decem dierum internallo ab huius admonitionis noſtræ die numerandorum nefariam doctrinam ſuam conceptis verbis anathematizet, eamque de Chriſti Dei noſtri generatione fidem in poſterum confeſſurum ſe ſpondeat, quam & Romana, & tuæ ſanctitatis Eccleſia, & vniuerſa denique religio Chriſtiana prædicat, illico ſanctitas tua illi Eccleſiæ perſpiciat.* Hac Vicaria poteſtate fretus Cyrillus, tum demum Alexandriæ Synodum in cauſa Neſtorij conuocauit, Neſtorioque renunciauit; *Ecce igitur*, ait, *vna cum ſacra Synodo, quam in magna Romanorum ciuitate, piiſſimo Epiſcopo fratre ac Comminiſtro noſtro Cæleſtino præſidente, conuenit, iam tertio bis te literis conteſtamur, & obiectamur, vt conſilium noſtrum ſecutus, ſtolidis illis abſurdiſque dogmatibus quæ foris publiceque doces, quam primum nuncium mittas, Fidemque rectam, & iam ab initia per ſacras Apoſtolos, & Euangeliſtas, quod verbi ſpectatores, & miniſtri fuerunt, S. Eccleſijs traditam reuerenter ſuſcipias. Quod ſane, niſi iuxta tempus in literis Cæleſtini ſacratiſſimi Reuerendiſſimique Romanorum Epiſ. expreſſum præfinitumque preſtiteris, certo ſcias nullam tibi deinceps cum Epiſcopis, & Sacerdotibus Dei conſuetudinem, nullum ſermonem, nullum denique inter eos locum futurum eſſe. Neque enim æquum eſt, vt nos Eccleſias turbatas, populos offenſos, fidem rectam labefactatam, gregem Chriſti miſere abs te diſſipatum, qui illum, ſiquidem perinde ac nos rectæ Fidei doctrinam conſectari, Sanctorumque Patrum pietatem æmulari libuiſſet, conſeruare alioqui debueras, diutius negligamus.*

Contempſit Neſtorius, adeoque Cæleſtino neceſſitatem impoſuit, qui Concilium Epheſi indiceret, atque Legatos qui præſiderent eo deſtinaret. In quo poſt accuratam impietatis Neſtorij cognitionem, Patres, *tum Eccleſiæ Canonibus, tum epiſtola Sanctiſſimi Patris* (ita dicebant) *noſtri, & collegæ Cæleſtini Epiſcopi Eccleſ. Roman. neceſſario compulſi, ad hanc ſeueram ſententiam, idque non ſine crebis lachrymis contra Neſtorium pronunciandam venimus. Igitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quem ſuis ille blaſphemijs impetiuit, per Sacram hanc Synodum, eundem Neſtorium omni prorſus Epiſcopali dignitate priuatum, & ab vniuerſa nihilominus Sacerdotio, & cœtu alienum eſſe decreuit.* Non ex vano, Chriſtum, eius ſententiæ quam ex iudicio Cæleſtini in Neſtorium protulerant, authorem fecerunt. Agnouit ſuam namque, & probauit, cum Neſtorium propere extinxit: qui imperiali iuſſione in Oaſim deportatus, ſæpe ſæpius locum mutans, tandem putredine totum corpus occupante conſumptus, lingua à vermibus exeſa, cum huius vitæ miſerijs, ad grauiora ſupplicia iuſto Dei iudicio infligenda tranſiuit. Theodoſius Imperator, Diuæ Virginis Deiparentis iniuriam vlturus, iſta contra impium reſcripſerat: *Cum Neſtorius Catholicæ quondam Eccleſiæ Sacerdos, nunc rectæ Fidei proditor, tantorum ſcelerum mole oppreſſus teneatur: opera pretium eſt, vt Serenitatis noſtræ ſententiæ ſubijciatur, calamitateque moribus illius digna opprimatur; vt quod venerandis Eccleſ. legibus abiectis, traditionibuſque contemptis, nefandæ hæreſeos auctor extiterit; quique dum illorum quos proditionis ſuæ ſocios ſibi adiunxit, fidē corrupit, alienæ corruptionis crimen ſuo ipſius capiti aggregauit. Tua proinde celebris auctoritas, hac pragmatica ſanctione, ſiue hac propria auctoritate oſtenſa, prædictum Neſtorium ob admiſſam à ſe impietatem in perpetuum exilium Petras abire compellat, omniaque illius bona Eccleſiæ Conſtantinopolis Fiſco addicat: quo auguſti illius loci opes, cuius ille ſacra myſteria nuper prodidit, auctiores euadant. Hac enim ratione futurum eſt, vt, & religio ſantiſſima fidei intacta in mentibus hominum perſeueret, & regni noſtri felicitas religione munita quotidie magis magiſque floreat.* Addidit in Neſtorianos.

Patres Conc. Cæleſtini ſententiam in Neſtorium pronunciant

Reſcribit Theodoſ. Imp. contra Neſtorium

Pergit contra Neſtorianos

Damnato portentoſæ ſuperſtitionis auctore Neſtorio, nota congruis nominis eius inuratur gregalibus, ne Chriſtianorum appellatione abutantur: ſed quemadmodum Ariani lege Diuæ memoriæ Conſtantini ob ſimilitudinem impietatis Porphyriani à Porphyrio nuncupantur, ſic vbique participes nefandæ ſect. Neſtorij Simoniani vocentur, vt cuius ſcelus ſunt in deſerendo Deo imitati, eius vocabulum iure videantur eſſe ſortiti. Nec videlicet impios libros nefandi ſacrilegij Neſtorij ad verſus venerabilem Orthodoxorum ſectam, decretaque ſanctiſſimi cætus Antiſtitum Epheſi habiti, ſcriptas habere, aut legere, aut deſcribere quiſquam audeat; Quos diligenti ſtudio requiri, ac publice comburi decernimus. Ita vt nemo in religionis diſputatione aliquam ſupradicta nomine faciat mentionem, aut quibuſdam eorum habeadi concilij gratia, in ædibus, aut villa, aut ſuburbio ſuo, aut aliquolibet loca conuenticulum clam, aut aperte præbeat, quos omni conuentus celebrandi licentia priuari ſtatuimus. Scientibus vniuerſis, violatorem huius legis publicatione bonorum eſſe coercendum. Collega Theodoſij Valentinianus iunior addidit in Manichæos: *vt vbicumque terrarum, quiſquis Manichæorum fuerit deprehenſus, pœnas quas in ſacrilegos iura ſanxerunt, auctoritate publicæ ſeueritatis excipiat. Sitque crimen publicum, & omni volenti ſine accuſationis periculo tales arguere ſit facultas. Nec cuiquam licitum, tutumque ſit, aut celare tales, aut talibus conniuere: vt nouerint vniuerſi, eos dignitate militiæ, & vrbium habitatione priuandas, ne quis innocens talium conuerſatione, & ſocietate capiatur. Succeſſiones etiam nec capiant, nec relinquant: ſed Fiſci noſtri iuribus aggregentur. Nec quod palam eis interdicitur, vlla fraude quæratur. Iniuriarum careant actione: contractus liberos omnino non habeant. Primates vniuſcuiſque militiæ, vel officij, mox exigenda per apparitionem veſtram decem librarum auri mulcta percellat, ſi quem hac ſuperſtitione pollutum ſiuerit militare. Neque enim aliquid nimium in eos videtur poſſe decerni, quorum inceſta peruerſitas, religionis nomine, lupanaribus quoque ignota, vel pudenda committit.* Iſta quidem Imperatores piiſſimi, in impios.

Alii hæretici a Cæleſtino damnati.

Quod Cæleſtinum attinet, præter Neſtorium hæreſiarcham, damnauit etiam Pelagium, Cæleſtinum, Iulianum, Præſidium, Florum Marcellinum, Orientium, ac plures alios gratiæ Chriſti inimicos. Cuius damnationis literis, in conſeſſu Patrum Epheſino-

ſinorum perlectis,atque ex earum præſcripto, hæreſi Pelagiana à Synodo Oecumenica damnata, ciues Epheſij ardore Fidei Catholicæ æſtuantes, Pelagianos, populari tumultu protinus extra ciuitatem expulerunt. Non deerant, qui Auguſtini aduerſus eos ſcripta ſuggillarent. Ceterum illa Cęleſtinus aduerſus iniurias vindicauit, atque auctoritatem illis conciliauit. Nobile eſt illud, quod de Cæleſtino Proſper ſcripſit. *Venerabilis*, ait, *memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui ad Catholicæ Eccleſiæ præſidium, multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis non examen iuſtitiæ, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtium, quaſi non diſcuſſo negotio, audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus iuſſit extrudi. Nec videlicet ſegniore cura, ab hoc eodem morbo Britannias liberauit, quando quoſdam inimicos gratiæ ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, facit etiam barbaram Chriſtianam. Per hunc virum etiam Orientales Eccleſiæ gemina peſte, purgatæ ſunt, quando Cyrillo Alexandrinæ Vrbis Antiſtiti, glorioſiſſimo fidei Catholicæ defenſori, ad execandam Neſtorianam impietatem, Apoſtolico auxiliatus eſt gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum proſternerentur. Per hunc virum intra Gallias iſtis ipſis qui Sanctæ memoriæ Auguſtini ſcripta reprehendunt, maleloquentiæ eſt adempta libertas: quando conſultantium actione ſuſcepta, & librorum qui errantibus diſplicebant pietate laudata, quid oporteret de eorum authoritate ſentiri, ſancto manifeſtauit eloquio.*

contra collatorem. Proſper de geſtis Cæleſtini PP.

Pari acrimonia, & Xyſtus Cæleſtini ſucceſſor, Iulianum Pelagiani erroris aſſertorem damnauit. Veterator, ſe iniq; damnatum querebatur, & audientiam poſtulabat. Cum non audiretur, *correctionis ſpem præferens, molitus eſt in communionem Eccleſiæ irrepere. Sed his inſidijs Xyſtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum auditum peſtiferis conatibus patere permiſit: & ita omnes Catholicos defectione fallacis beſtiæ gaudere fecit: quaſi tunc primum ſuperbiſſimam hęreſim Apoſtolicus gladius obtruncaſſet.* Ad hunc modum, vt idem Proſper canebat.

Xyſtus Iulianum Pelagianum damnat. *Proſper. in Cron.*

de ingratis

Poſt ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quę Paſtoralis honoris
Facta CAPVT mundo, quicquid non poſſidet armis
Religione tenet.

Demonſtrabat iam tum Leo Diaconus, quo ardore inſecuturus eſſet in poſterum ſui temporis hæreticos. Namque factus Pontifex, ſi quid aliud, hoc maximè curauit, quomodo Fidei puritatem, & Chriſtianæ plebis innocentiam, incontaminatam, inuiolatamque, ab hæreticorum labe, & noxa ſeruaret. Quarto Pontificatus anno, Manichæos in vrbe latentes retexit, deque ſecretis ſuis erutos, & oculis totius Eccleſiæ publicatos, omnes dogmatis ſui turpitudinem, & damnare fecit, & perdere. Hæc cura viro Sancto diuinitus inſpirata, non ſolum Romanæ Vrbi, ſed etiam Vniuerſo Orbi plurimum profuit. Siquidem confeſſionibus in Vrbe captorum, qui Doctores eorum, qui Epiſcopi, quiue Presbyteri, in quibus Prouincijs, vel Ciuitatibus degerēt, patefactum eſt: multiq; Orientalium partium Sacerdotes, induſtriam Rectoris imitati ſunt.

Feruor eius contra hæreſes. *Hiſt. Eccl. anno 443. & 444.*

Manichęi in Vrbe ab ipſo detecti

Leo Papa, cum fideles pro concione exhortaretur, vt eos inquirerent, narrabat eorum errores, permiſſa hac aurea ſententia: *Magna eſt pietas prodere latebras impiorum, & ipſum in eis cui ſeruiunt, diabolum debellare. Non ſinantur itaque latere homines qui legem per Moyſem datam, in qua Deus vniuerſorum conditor oſtenditur, recipiendam eſſe non credunt: Prophetis, & Spiritui Sancto contradicunt: Pſalmos Dauidicos, qui per vniuerſam Eccleſiam cum omni pietate cantantur, damnabili impietate auſi ſunt refutare: Chriſti Domini natiuitatem ſecundum carnem negant, paſſionem, & reſurrectionem eius ſimulatam fuiſſe dicunt, & non veram: Baptiſmum regenerationis totius gratię virtute diſpoliant: nihil eſt apud eos ſanctum, nihil integrum, nihil verum. Nemo autem hos eſſe ambigat Manichæos, qui in honore ſolis ac Lunæ die Dominica, & ſecunda feria deprehenſi fuerint ieiunare. Vno enim peruerſitatis ore bis impij, bis profani ſunt, qui ieiunium ſuum, & ad ſyderum cultum, & ad reſurrectionis Chriſti inſtituere contemptum. Cumque ad tegendam infidelitatem ſuam, noſtris audeant intereſſe myſterijs, ita in ſacramentorum communione ſe temperant; vt interdum tutius lateant, ore indigno Chriſti corpus accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire declinant.*

Aurea Leonis PP. ſententia.

Fallebant Manichæi ſimpliciores Chriſtianos, diſcretionibus ciborum, ſordibus veſtium, vultuumque palloribus. Præferebant enim exterius ſpeciem pietatis, cum interius eſſent ſacrilegijs contaminati. Ad detegendos itaque illos ipſos, ex Eccleſiaſtico ſtatuto omnes fideles vtramque ſpeciem ſacroſancti Euchariſtiæ Sacramenti deſumebant; nimirū vt illi confunderentur, qui Chriſto Saluatori non veram carnem fuiſſe mentiebantur. Leo etiam cohibebat fideles, qui priuſquam ad B. Petri Apoſtoli Baſilicam peruenirent, ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum aræ ſuperioris aſcendebatur, conuerſo corpore, ad naſcentem ſolem ſe reflectebant, & curuatis ceruicibus, in honorem ſplendidiſſimi Orbis inclinabant: vt ab huiuſmodi ſpecie officij abſtinerent. ne videlicet honos vni Deo debitus, eorum ritibus, qui creaturis deſeruiebant, miſceretur. Concilium quoque ad eos iudicandos conuocauit. In quo, quidnam factum fuerit narrabat. *Reſidentibus* ait, *itaque mecum Epiſcopis ac Presbyteris, ac in eundem conſeſſum Chriſtianis viris ac nobilibus congregatis, Electos, & Electas eorum iuſſimus præſentari. Qui cum de peruerſitate dogmatis ſui, & de feſtiuitatum ſuarum conſuetudine multa reſerarent: illud quoque ſcelus, quod eloqui verecundum eſt, prodiderunt, quod tanta diligentia inueſtigatum eſt, vt nihil minus credulis: nihil obtrectatoribus remaneret ambiguum. Aderant enim omnes perſonæ, per quas nefandum facinus fuerat perpetratum; puella ſcilicet vt multum decennis, & duæ mulieres, quæ ipſam nutrierant, & huic ſceleri præparaſrant. Præſto etiam erat adoleſcens vitiator puellæ, & Epiſcopus ipſorum deteſtandi criminis ordinator. Omnium horum par fuit, & vna confeſſio & patefactum eſt execratum, quod aures noſtræ vix ferre potuerunt. De quo, ne apertius loquentes, caſtos offendamus auditus, Geſtorum documenta ſufficiant, quibus pleniſſimè docetur, nullam penitus reperiri caſtitatem: in qua lex eſt menda-*

Manichęorum hypochriſis.

Conc. ſub Leone contra Manichæos.

cium,

eium, diabolus religio, ſacrificium turpitudo.

Sollicitudo Leonis pro extirpanda eorum vbique hæreſi.

Horum plurimos, & Doctores, & ſequaces in Vrbe, Leonis inueſtigatio reperit, vigilantia diuulgauit, auctoritas, & cenſura coercuit, ita vt plurimi de voragine impietatis ſuæ, confeſſi ſurrexerint, manu medica Pontificis ſubleuati. Et quia complurimi eorum ex vrbe effugerant, & hinc inde diſperſi innocentes inficiebant; ideo tum proximas Vrbi, tum longe remotas prouincias, & Epiſcopos earum voluit admonere, vt qua deberent, & poſſent ſollicitudine vigilarent ad inueſtigandos eos, necubi occultandi ſe, reperirent facultatem, ſed vbique ſecundum Chriſtianorum Principum Conſtituta punirentur, ne ſcilicet ſanctum gregem ſua contagione polluerent. Fere aſſimilis peſtis, ante aliquot annos Neapolim Campaniæ nunc primum cum hæc ſcriberemus infecerat. Exſecrandis eorum libidinationibus præerat vna quam beatæ titulo ſalutabant, qui inter hæc proſtibula. Aderat, & aliquis in ſpeciem Myſtæ, qui præiret, & quæ pudor eſſet, & ſcribere, & legere, inſtillaret, ac doceret, & quod horror eſt, adoraret, ac paradiſi voluptates prædicaret. Iam ſectam collegerat beata, in quam (aiunt) & prælustres ſdribebantur.

Noui Manichæi in Regno Neap. emergentes à Paulo Quinto in limine ſuppreſſi; vnde ipſi ſtatua erecta.

Hiſt. Eccl. anno 447. epiſt. 93.

PAVLVS V. aquilino odorato fœtorē ſubolfecit: beatam myſten, & Auditorem, quam auctores turpis ſcholæ interceptos Romam adduci, ſceleratæque infamiæ conuictos, in hanc rem theatro in ampliſſima D. Deiparentis Baſilicam quæ ad Mineruam dicitur, extructo, ex ſententia S. R. E. Cardinalium Sacri Officij. Præſidum, productos, impietatiſque conuictos, damnari, & carceribus perpetuis addici imperauit, anno Domini *M. DC. XV.* Sed nos ad Leonem Magnum. Cui in perſequenda libidinante hæreſi, non inferior PAVLVS V. cui *ob purgatum à nouorū Manichæorum ſordibus Neapolitanam vrbem, ſtatuā Pudicitia vindicata merito erexerit S.P.E.N.*

Mandatum Leonis Pp. Epiſcopis Hiſpaniæ contra Priſcillianiſtas inualeſcentes.

Leo porro cum Hiſpanijs, ſectat Priſcillaniſtarum inualeſcere accepiſſet, ad faciendam vindictam in nationibus accinctus, Turribio Aſturicenſi, & alij Epiſcopis iubebat: *Habeatur vero inter vos Epiſcopale Concilium, & ad eum locum qui omnibus opportunus ſit, vicinarum prouinciarum conueniant ſacerdotes: vt ſecundum ea quæ ad tua conſulta reſpondimus, pleniſſimo diſquiratur examine an ſint aliqui inter Epiſcopos, qui huius hæreſeos contagio polluantur, à communione proculdubio ſeparandi ſi nefandiſſimam ſectam per omnium ſenſuum prauitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum eſt, vt qui prædicanda fidei ſuſcepit officium, is contra Euangelium Chriſti, contra Apoſtolicam doctrinam, contra vniuerſalis Eccleſiæ ſymbolum audeat diſputare. Dedimus itaque litteras ad Fratres, & Coepiſcopos noſtros, Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallicianos eiſque. Concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis ſolicitudinem pertinebit, vt noſtræ ordinationis authoritas ad prædictarum prouinciarum Epiſcopos deferatur.*

Leo Eutychetem. Hæreticum damnat per Conc. Conſtant.

His in occidentem datis mādatis, aliqua quoque iudiciaria dedit in Orientem Eutyches Archimandrita monachorum Conſtantinopolitarum, & Presbyter, Valentini, & Apollinaris peruerſitate ægrotans, & eorum blaſphemias immobiliter ſequens, contra recta dogmata, confitebatur, vnam tantummodo naturam in Chriſto manſiſſe poſt adunationē. Flauianus Patriarcha, poſtquam monendo, & ſuadendo nihil contra peruicacem promouiſſet, authoritate Domini Ieſu quem impius blaſphemabat, extraneum eum eſſe ab omni officio ſacerdotali, & à ſanctorum communione, nec non à primatu monaſterij pronunciauerat. Verſutus, non ignarus, quanti ponderis eſſet authoritas Romani Pontificis appellationem ad illum ſe interpoſuiſſe mentitus, tandem iudicium illius non potuit euadere. Enimuero Leo, à Theodoſij Imperatoris, & Flauiani Patriarchæ de toto negotio certior factus, ad omnem cauſam pie ac fideliter iudicandam Legatos Conſtantinopolim deſtinauit, qui Synodo, quam Imperator congregari poſtulauerat præſiderent, & Eutychetem, vel abſoluerent, ſi errores eiuraret, vel damnarent, ſi errare perſeueraret.

Dioſcori factione, in Epheſinos Conciliabulo ſeu potius latrocinio fides, & veritas Orthodoxa oppreſſa gemebat, cum omnium ſceleſtiſſimus non tamen Eutychetem recta ſentire, & Flauianum anathemate ferire, inque exilium eijcere, verum, & in Leonem excōmunicationem ferre auſus fuiſſet. Qua contumelia percuſſus Leo, ad proſtratæ Fidei iniuriam vindicandam, Marciani, & Pulcheriæ Auguſtorum litteris excitatus, Concilium ſexcentorum Patrum Chalcedone indixit, alios Legatos qui iudicarent eo miſit. Hi in primis ex ſcheda recitarunt; Beatiſſimi atque Apoſtolici Papæ Vrbis Romæ, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus eſt eius Apoſtolatus, vt Dioſcorus Alexandrinorum Epiſcopus non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur. Eiecto ex Patrum conſeſſu Dioſcoro, Marcianus Imperator, de Fide non eſſe diſceptandum, his verbis pronunciauit: *De cætero autem de Natiuitate Domini, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, aliud diſputare, præter quod Apoſtolicum proæmium trecentorum decem, & octo ſanctorum Patrum conſonans huic doctrinæ tradidiſſe noſcitur: ſicut ſanctiſſimi Leonis Papæ, qui Apoſtolicum gubernat thronum, ad ſanctæ memoriæ Flauianum Regiæ Vrbis Conſtantinopolitanæ quondam Epiſcopum teſtantur litteræ.* Interdicta diſceptatione de Fide, Euſebius Dorilæi Epiſcopus, libellum, de damnandis Latrocinij Epheſini, auctore Dioſcoro actis, Synodo obtulit.

Conc. Chalced. contra Dioſ. Alexandr. & eius condemnatio, relegatio, & obitus.

Marciani Imp ſtatutū contra ſtatuta Patrum Conc. in dubium vocātes aut de fide diſputantea.

Lectis accuſationum articulis, & probatis, tandem conuictos ſcelerum Eutychetem, & Dioſcorum, ex præſtripto Leonis Papæ damnauerunt. Concilio abſoluto Dioſcorus iuſſu Imperatoris Gangram Paphlagoniæ à militibus deportatus, infelix diem clauſit extremum. Marcianus porro legem fixit, in eos qui ſtatuta Patrum Concilij vellent in dubium vocare, aut de Fide amplius diſputare. *Ceſſet,* inquit, *iam profana contentio. Nam vere impius atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot ſacerdotum ſententiam, opinioni ſuæ aliquid tractandum reliquit. Extremæ quippe dementiæ eſt, in medio, & perſpicuo die commentitium lumen inquirere. Qui enim poſt veritatem repertam aliquid vlterius diſcutit, mendacium quærit. Nemo itaque vel Clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis de Fide Chriſtiana publicè turbis adunatis,*

tis, & aduenientibuc tractare conetur impoſterum, ex hæc tumultus, & perſidiæ occaſionem requirens: Nam iniuriam facit iudicio religioſiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel iudicata, ac recta diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contendit: cum ea quæ nunc de Chriſtiana fide ſtatuta ſunt, iuxtà Apoſtolicas expoſitiones, & Statuta Sanctorum Patrum trecentorum decem, & octo, & tentum quinquaginta, deſinita eſſe noſcantur. Nam in contemptores huius legis pœna nõ deerit, quia non ſolùm contra fidē benè compoſitam veniunt, ſed etiam cùm Iudæis, & Paganis ex huiuſmodi certamine prafanant veneranda myſteria. Igitur ſi Clericus fuerit; qui bublicè tractare de religione auſus fuerit, à canſortio clericorum remouebitur: ſi verò militia præditus ſit, cingulo ſpoliabitur. Cæteri etiam huius criminic rei, de hac ſauctiſſima Vrbe pellantur, pro rigore iudiciario etiam competentibus ſupplicijs ſubiugandi. Conſtat enim hinc hæreticæ inſauia exordia, fomitemque præberi, dum publicè quidam diſputant, atque contendunt. Vuuerſi ergo, quæ à Sancta Synodo Chalcedonenſi ſtatuta ſunt, cuſtodire debebunt, nihil poſthac dubitantes. Hoc itaque noſtra cammoniti ſerenicatis edicto, abſtinete à prafanis vocibus, & vlterius deſinite de diuinis diſputare, quod nefas eſt: quia non ſolùm diuino iudicio peccatum hoc (prout credimus) punietur, verum etiam legum, & Iudicum auctoritate coercebitur.

AlteraMarciani Imp. conſtitutio contra eoſdem.

Hac Conſtitutione promulgata, cum Marcianum Imperatorem plurimi viderent lenta manu eorum temeritatem cohibere, audaciores ex clementia facti contra Concilium Chalcedonenſe nihilominus ſuſurrabant, & pertinaciter diſſerebant. Quamobrem neceſſe habuit ſecundo iubere, *vt in futurum*, air, *à probibitis omnes abſtineant, nec conuenticula colligant ſuper religione certantec, quia in huiuſmodi peruerſitate, & vanitate, detecti, & ſtatutas dudum ſuſcipiant pœnas, & iudiciario motu (prout religioſis temporibus conuenit) puniantur. Oportet enim Chalcedonenſem Synodum ſequi, in qua, omnibus diligenter quæſitis, ea deſinita ſunt, quæ pridem tres prædicti cætus Apoſtolicam fidem ſecuti omnibus ſeruanda tradiderunt.*

Leo contra Timotheũ Ælurum in iudicium exurgit.

Dioſcoro Alexandrino, ad illum quem diximus modum damnato extinctoque habuit Leo, contra aliud monſtrum in iudicium exurgere. Timotheus Ælurus is fuit: qui ex monacho, Presbyterij gradum aſſecutus, Monachis Eutychianis audita Marciani morte in Ægypto tumultuantibus ducem ſe præbuerat: quorum ſtudio, vt aliquando Alexandrinum Epiſcopatum obtineret, Angeli per ſpeciem, monachis illuſit, ne Protherio Patriarchæ cõmunicarent, & ſe eligerent. Facinus deinde horrendum aggreſſus, Proterium ſacris operantem trucidauit, corpus vnco per ciuitatem traxit, membratim concidi imperauit, demum igni conciſum exuſſit, & cineres in aerem diſperſit: ſemet ipſumque inthronizauit; ordinationes Epiſcoporum, & Clericorum, Epiſcopus ſine impoſitione manus exiſtens, admirante populo fecit: deinde adſcitis quatuor, vel quinque Epiſcopis Orthodoxæ Fidei contrarijs, communicatores ſancti, & vniuerſalis Concilij, & ſanctæ memoriæ Protherij anathematizauit; Theophyli, Cyrilli, atque Proterij nomina ex venerabilibus Dipryehis expunxit, Dioſcori vero, & ſuum inſcripſit, Epiſcopos, & Clericos Fidei Orthodoxæ expulit, alios vero ſuæ communionis ordinauit, ſubordinauit: ſummum Archiepiſcopum Romanum Leonem, & Anatholium Conſtantinopolitanum, & Baſilium Antiochenum, cunctumque Concilium Calcedonenſe, omneſque totius Orbis Epiſcopos, & vndique Orthodoxos clericos ſimul, & laicos anathemate damnauit: Proterij Sedem igne incendit: Monaſteria Virginum, & monachorum profanauit, cultumque diuinum abrogauit, & his omnibus perpetratis, impudenter tamen datis ad Leonem Imp. litteris, profeſſorem ſe Nicænæ, & Epheſinæ vtriuſque (ſcilicet, & illius quæ in prædatorio cõciliabulo ſub Dioſcoro ſcripta) Fidei renunciauit.

Timothei parricidiũ & alia impia geſta.

Statim atque iſta execranda Leo Papa intellexit, [Legatos *non ad confligendum cum hoſtibus Fidei*, ita Leoni Imperatori ſignificabat, *nec ad certandum contra illos: quia de rebus* ait, *& apud Nicæam, & apud Calcedonem, ſicut Deo placuit, deſinitis, nullum audemus inire tractatum: tamquam dubia vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit authoritas:* ſed partim ad inſtruendos paruulos, partim ad iudicandos refractarios, erranteſq; parricidas, miſit in Orientem: monens inter alia Leonem Imperatorem, ne Timotheo Synodum congregari poſtulanti aurem daret, ſed in parricidam hæreticum legibus vteretur. *Apud Chriſtianum Principem*, ait, *& inter Chriſti prædicatores digna honore numerandum, vtor Catholicæ fidei libertate: & ad conſortium te Apoſtolorum, ac Prophetarum ſecurus exhortor, vt conſtanter deſpicias ac repellas eoc qui ſe Chriſtiano nomine priuauere; nec patiaris parricidas ſacrilega ſimulatione de Fide agere, quos conſtat Fidem velle euacuare. Ne etiam patiare, vt Alexandrina Eccleſia, quæ ſemper fuit domus orationic, fiat ſpelunca latronum. Manifeſtum quippe eſt, per crudeliſſimam, immaniſſimamque ſæuitiam, omne illic cæleſtium Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta eſt ſacrificij oblatio, defecit Chryſmatis ſanctificatio, & parricidialibus manibus impiorum, omnia ſe ſubtraxere myſteria. Nec vllo modo ambigi poteſt, quid de his decernendum ſit: qui poſt nefanda ſacrilegia, poſt ſanguinem probatiſſimi Sacerdotis effuſum, & concremati corporis in contumeliam acris cælique cinerem diſperſum, audent ſibi ius peruaſæ dignitatis expetere, & poſt Apoſtolicæ doctrinæ inuiolabilem fidem ad Concilia prouocare. Magnum ergo vobis eſt, vt diademati veſtro de manu Domini etiam fidei addatur corona, & de hoſtibus Eccleſiæ triumphetis. Quia, ſi laudabile vobis eſt, aduerſus Gentium furorem arma conuertere: quanta erit gloria, ab inſaniſſimo tyranno Alexandrinorum Eccleſiam, in cuius contritione omnium Chriſtianorum iniuria eſt, liberare?* Epiſt. 15

Liberauit, Imperator: & illum ſcelerum omnium miniſtrum, vna cum Petro hæretico in Cherſonam relegauit, iudicio Leonis Pontificis condemnatum.

Timotheus Leonis Pp. iudicio cõdemnatus ab Imperat. relegatur.

Cæterum, cum Timotheus, opera Eutychianorum, à Zenone Imperatore, in ſedem Epiſcopalem iterum intruſus fuiſſet: Simplicius Apoſtolici iudicij tenax, iterum damnauit nefarium hæreticum, Zenonique ſcripſit, procul à regno pietatis ſuæ funeſti capitis venena depelleret, neue inimicos antiquæ fidei ſineret impune graſſari, qui optaret ſuos hoſtes habere ſubiectos. Hihil curauit Zeno, monita, & preces Simplicij. Quamobrem Deus

Baſi-

Zeno Imp. ad correuerſus Hæreticos à Rom. Pōt. iudicatos ſe dib.eiicit & exilio mulctat.

Baſiliſcum tyrannum contra eum excitauit, eo quod is contra Chriſtum, Timotheum carnificem introduxiſſet. Itaque Imperio exutus, in Iſauriam vix effugit, vbi, ſecundùm Danielis Stylitę prophetiam, iuſto Dei iudicio, quemadmodum olim Nabuchodonoſor cum belluis vixit, vitamque herbis, & radicibus tolerauit. Tandem pœnitentia tactus, & tum ad cor reuerſus, tum ad Imperium reuocatus, Pontifici Romano iudicandi hæreticos in poſterum obſequens, Petrum Fullonem Antiochena, & Paulum intruſum Epheſina Sede eiecit, quos Simplicius Papa impietatis condemnarat. Quin & Petrum Mogum hominem peſtilentiſſimum, quem mortuo Timotheo Æluro Alexandrini ſua ipſius auctoritate, ſibi Epiſcopum delegerant, quod à Sede Apoſtolica anathemare propter hæreſim eſſe percuſſum intellexiſſet, exilio multauit: atque Timotheum Catholicum, qui Proterio ſucceſſerat, & propter populi ſeditionem in Canopum ſeceſſerat, Sedi ſuæ reſtituit. Mirum aliquid eo tempore in Oriente accidit, in conuerſionem hæreticorum Eutychianorum. Multi eorum Monachi in Palæſtina, Eccleſiam diſcindentes, alios inficiebant. Hos vt vellet caſtigare Imperator, Martyrius Hieroſolymitanus Patriarcham, Phidum Diaconum vindictę implorandę cauſa ad Zenonem ablegarat.

Mira Monachorum Eutychianorū à ſua prauitate conuerſio.

Nauigabat ille, cùm S. Euthymius illi naufraganti apparuit, proximam Eccleſiarum vnionem renunciauit, & pallio quodam inter fluctus texit, atque in momento in littore domeſtico collocauit. Narrante Phido miraculum, Marcinnus Archimandrita Monachorum hæreticorum Primas, eos in vnum congregauit, & ſortibus rem committendam, *Quem* videlicèt, *an Epiſcopos Catholicos, an Monachos ſequerentur*, decreuit. Iactis ſortibus cecidit in Epiſcopos: quod Monachi Eutychiani, aſpicientes, ad Martyrium Patriarcham acceſſerunt, hæreſim eiurarunt, Concilio Calcedonenſi adhæſerunt, & Catholicis Epiſcopis omnes communicarunt: maximè cum etiam viderent, (quod Acacius Patriarcha Conſtantinopolitanus Simplicio Papæ ſignificauerat) Chriſtum vindicias exercere apertè aduerſus hæreticos: qui Timotheum Ælurum, ſpumantem procellas, & Eccleſiaſticam tranquillitatem conturbantem, vitæ ſubduxiſſet humanæ; Petrum autem Mogum, qui ab Alexandria mote ſimiliter procellæ ſurrexerat, diſſipaſſet, atque in æternam fugam, Spiritu Sancto flante conuertiſſet: cùm is Petrus, noctis exiſtens filius, & operum dierum lucentum alienus apparens, omninò tenebras ad latrocinium peragendum congruas earum cooperatas inueniens, media nocte, adhuc iacente cadauere illius, qui paternos canones ſubuertebat, inſepulto, vno & ſolo præſente, & eo qui conſors illius inſaniæ inſiſtebat, in Sedem ſurrepſiſſet, nec tamen quod ſperabat, diu tenuiſſet. Steriſſet diutius ea pax, Alexandrinæ, & Antiochenæ Eccleſijs, neque interim Conſtantinopolitanam Sedem, verſutia hęreticorum perturbaſſet. Namque Zeno ab Eutychianis ſeductus, paſſus eſt, & Mogum Alexandriam, & Fullonem Antiochiam reuerti, & Acacium Conſtantinopolitanum ab eis ſeductum, Calcedonenſem fidem violare.

Felix Zenoni Imp. ab Eutychianis ſeducto ſcribit Petrum Mogum dānat: Acaciū Patr. Conſt. peruicacem abdicat.

Non intermiſit quicquam officij, Felix, Simplicij ſucceſſor, ſed imprimis Zenoni ſcripſit, qui illos priores ab vtraque Sede expelleret, & Acacium ad Concilium Calcedonenſe ſubſcribendum compelleret. *Detulit*, ait, *vobis diuina prouidentia facultatem, qua itidem perfringatis opera perfidorum. Depulit ille noſtræ religionis vaſtatorem; vos ab eius Eccleſiæ ceruicibus irruptionem deturbate prædonum. Pacauit ille Rempublicam à tyrannide hæretica: libertatem vos, ab ipſis hæreſeos præceptoribus populo eruentes, Chriſtianis reſtituite. Ille vos aula legitima reſtituit, Imperatoris iure ſuffultos, reddite vos Magiſtro diſcipulum: Sedem Beati Marci Euangeliſtę ad communionem beatiſſimi Petri, debita eorum meritis deuotione reducite.* Præter hæc Felix, Petrum Mogum damnauit; Acacio Conſtantinopolitano ad cauſam dicendam diem dixit, ac poſtquam totis quinque annis eius pœnitentiam expectaſſet, tandem aliquando abdicauit. In Petrum etiam Fullonem, quod fidem Trinitatis corrumperet, hymnoque tryſagij. *Qui crucifixus es*, adderet, ſententiam dixit.

Sententia Fœlicis Pp. in Petrum Fullonem hæreticum.

Quoniam, ait, *peſtiferis doctrinis imbutus, & impietate verborum, non curaſti ſequi præordinatos Patres, qui Sedem beatæ memoriæ Ignatij glorioſi Martyris ordinauerunt: qua etiam cùm ſis indignus, neſcio quemadmodum adeptus fueris principatum, & ſceleribus tuis profanis, impuſq; dogmatibus inferre putaueris Eccleſiæ Catholicæ nouitatem, vt non propter nos Chriſtum crucifixum dicas, ſed paſſionem impaſſibili Deo iniquiſſimè intuliſti, & immortali ſpiritui mortem apponere præſumpſiſti. Nec exterritus es, quæ tibi à Sanctis Euangeliſtis, & Apoſtolis, & viris probatiſſimis, & beatiſſimis Patribus tradita ſunt, ſed callidis hæc commentis aſtruere, & ſenſum proprij languoris, & huius hæreſeos ſcandalum ſimplicioribus inculcare, ita vt nec ſimilis prioribus videatur hæreſibus, ſed multipliciter potiùs hæc tranſcendat: nec ambulare in veritate, nec noſtris duabus epiſtolis aurem accommodare voluiſti.*

Nunc igitur ſum exorſus aduerſum te proferre ſententiam (magis autem Princeps Apoſtolorum Petrus, qui inter Sanctorum Apoſtolorum præconia præco veridicus eſt) & non ſolùm aduerſum te, qui eius nomini non conſentis, neque fidei parem te eſſe cognoſcis, quoniam ab eius intentione recta, fideque inuiolabili deuiaſti: ſed etiam aduerſus eos, qui non erubeſcentes Euangeliorum venerabiles characteres, neque horum ſequacium Apoſtolorum, perfectorumque virorum doctorum ſermones inconſtanti ſententia, iniquis traditionibus tuis incumbunt: ita vt malæ ſectæ deteſtabiliter reuera ſequantur, nec huiuſmodi execrabilem auerſantur impietatem. Dicimus ergo tibi, ſicut etiam illis: Quoniam dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem, magis quam loqui æquitatem; dilexiſti omnia verba præcipitationis, & linguam doloſam: Propterea deſtruet te Deus in finem, non ſolùm ab Antiochenæ Eccleſiæ Sede, ſed etiam ab omni Ciuitate. Etenim ſit in te fixa hæc damnatio à me, & ab his, qui ſub me conſtituti Epiſcopales Sedes gubernare noſcuntur, & Acacio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Paſtore, & Venerabilibus Epiſcopis eius iuri ſubiectis, tamquam & ipſis minimè conſentientibus tuis commentis. Commemorabat plura Felix, in ea ſententia, qua Fullonem abdicauit, & communione Eccleſiaſtica indignum iudicauit.

Flaccianns Rhodopenſis inter alios, Petrum monebat, nè permaueret in in iudicio Patrum, ſed reſipiſceret, atque vigilaret. *Scis enim*, ait, *quia neque Reges, neque Poteſtates, neque Principatus ſoluere ſe poterunt hoc vinculo; niſi, conuictus, relinquas temporalem dignitatem, ſedeaſque tamquam Iob ſuper ſordes extrà Ciuitatem, & redeas ad implorandam Eccleſiæ benignitatem.*

Gelaſij Pp. iudicium de quodam Seneca Pelagiano Picenum inficiente.

Gelaſius, non minor Felice, in hæreticis arcendis, iudicandiſque Seneca quidam miſerabilis Senex, Picenum reliquijs Pelagianorum inficiebat. Eum Pontifex cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubiecit, præcepitque; *Nuſquam loci prorſus inueniatur præfatæ peſtis aſſertor, nec acceſſum prorſus Eccleſiæ, vel vſquam participationem Catholicæ communionis inueniat, qui hæreticorum mauult ſubſequi nefariæ profeſſionis conſortium, & hi cum quibus antea probabitur noxium miſcuiſſe colloquium, niſi reſipiſcunt, & ab eius ſocietate diſcedunt, ab Eccleſiaſtico remoti ſeruitio, debita vltione plectantur, quo cæteris cauendi miniſtretur exemplum. Nullum adeant, nec vnquam loci damnata olim blaſphemia iam ſinantur.* Præter Senecam, Petrum quoque Fullonem, & Acacium Cũſtantinopolitanum, & Manichæos vrbicos, Gelaſius damnauit, idque potuiſſe abſque Synodo Oecumenica facere, rationibus à ſcriptura, & exemplis ſuperiorum temporum petitis, datis ad Dardaniæ Epiſcopos litteris oſtendit: quod Romano Pontifici authoritas ſit ſuprema in Synodos, adeo vt poſſit ſecundum æquitatis dictamen, & abſoluere, ſi quos damnauerint, & damnare, ſi quos per conuenientiam iudicauerint innoxios. Inciderant etiam in Eutychianam hæreſim, Anaſtaſius Imperator Orientis: Hunc, miſſis diuerſis Legationibus, Anaſtaſius, Simmacus, & Hormiſda Romani Pontifices, cum non poſſent ad rectæ Fidei confeſſionem reducere, ſuis temporibus ſinguli anathemate percuſſerunt. Secuta eſt diuina vindicta, in impium. Nam in fulmine ictus interijt, qui Apoſtolica Pontificum monita, & fulmina contemnebat, & preces Sanctorum virorum, quibus Orthodoxiam ab eo extorquebant, deſpectui habebat. Theodoſius, & Saba Cænobiarchæ Imperatorem ab hæreſi dehortabantur: hic vere nihil non agebat, vt eos in ſuum errorem pertraheret. Namque Theodoſio magnam vim auri offerebat, ſi illum fulgore aliquomodo immutaret, aut inflecteret.

Damnati P. Fullo Acacius Conſt. & Manichæi vrbici. ep. 11.

Anaſtaſius Imperat. ab Anaſt. Symmacho & Hormiſda Pont. anathemate percuſſus (poſtea fulmine interiit.

Cæterum Theodoſius donatia contempſit, & imperatori per breuem quidem, at libertatis plenam epiſtolam ſcripſit: quemadmodum & Saba hanc quam adſcribo; dignam quæ legatur. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, omnium Rex æternus, & Deus, excelſi poſt illum Regni ſceptra piæ veſtræ poteſtati ſua benignitate tradidit, reuera volens omnibus quidem Sanctiſſimis Eccleſijs, præcipue autem matri Eccleſiarum bonum pacis conciliare per veſtram in Deum pietatem. Sciunt videlicet omnes, quod cum ab hac Eccleſia cæpiſſet vere magnum veræ religionis myſterium, peruaſit vſque ad finem Orbis terræ. Quod quidem nos horum diuinorum locorum habitatores ab alto à SS. acceptum Apoſtolis ſanum, & integrum in hodiernum vſque diem conſeruauimus, & in æternum Chriſti gratia conſeruabimus, à recta verbi ſemita minime ſeducti ab aduerſarijs, aut corrupti profanis, & vanis eorũ vocibus. In hac ergo intemerata, & in quam nulla cadit reprehenſio fide, cum enutritum, & educatum ab ineunte ætate fueris veſtrum Imperium, venit nobis in mente admirari, quemadmodum in diebus veſtræ pietatis, tantus tumultus, & tanta perturbatio inuaſerit matrem harum Eccleſiarum, vt ne parcatur quidem his, qui Deo miniſtrant, ſed Sacerdotes, & Monachi, quod virtutem ſequuntur à pueris, modeſteque & ſilentio vitam tranſigere delegerunt, in conſpectu Iudæorum, & quorumdam aliorum Gentilium, ab ipſa Sancta Sion per mediam ciuitatem turpiter trahantur, & intemperanter, & in prophana quædam loca expellantur; quidam etiam cogantur aliqua facere, ad rectæ fidei labem, & repræhenſionem: adeo vt quod huc veniunt voti cauſa, propter vtilitatem animæ recedant repleti ſcandalis, & offenſione. Rogamus ergo veſtram potentiam, vt nos quoque aliquando à tantis malis relaxemur, quorum omnium auctor, & origo eſt Seuerus: cui vt in Antiochena præſideat Eccleſia, mandatum eſt ad pœnam noſtrorum peccatorum: ad malum quidem prius ſuæ animæ, & totius Eccleſiæ multitudinis. Quomodo enim non eſt abſurdum, nos qui ſumus Hieroſolymitani, modum doceri de fide? & quod fuimus omnium patres, ad verbum pietatis, tam ſero videri didiciſſe veram religionem? Quomodo hinc non eſt manifeſtum, quod hæc quæ recenter apparet, & videtur eſſe correctio recta, & ſanæ Fidei quam fuit tradita à Patribus, non eſt reuera correctio, ſed ſubuerſio, & adulteratio potius eius quod recte habent, eius ſuſceptæ mercedem ijs qui perſuadentur procurans animæ interitum? Nos ergo, nec patiemur aliquid addere, præter ea quæ decreta ſunt à trecentis decem, & octo Patribus, quæ fuerunt Niceæ, & tribus quæ poſtea ſubſecutæ ſunt Synodis; nec quicquam aliud innouare, ſed pro eis etiam animas profundere, & innumerabiles, ſi fieri poſſit, mortes parati ſumus ſuſcipere.*

Saba ad Anaſt. Imper. epiſtola pro defenſione veræ fidei Cath.

Hæc Saba Anaſtaſio Imperatori, ad quem confundendum, Deus, infirma ignobilia, & contemptibilia mundi elegerat, ne portæ inferi aduerſus Eccleſiam præualerent. Seuerum, Saba memorabat. Hic vt Synodum, Conſtantinopoli, recens ab Iuſtino Anaſtaſij ſucceſſore collectam conuelleret, Fidem Calcedonenſem blaſphemabat, & vna cum Scythiæ quibuſdam Monachis conſpirans, illud ſolemne, *Qui crucifixus es*, triſagio miſcebat. Damnauit Hormiſda pertinacem, damnauit, & Iuſtinus Imperator, & ille quidem à communione Eccleſiaſtica ſeparandum eſſe dixit, hic videlicet abſciſionis linguæ ſententiam in eum tulit, quam ille tamen fuga elapſus euitauit. Damnauit, & pſeudomonachos Seuerianos, Hormiſda, & ne quid triſagio adderetur, prohibuit. Iuſtinus porro Imperator ſuper hæc fidem ſuam hæreſeos extirpatione illuſtrauit. Cum enim eo tempore, in Orientis partibus, per ſingula loca, hæreſis Ariana vigeret, Orthodoxe fidei omnino ſatagere cæpit, vt hæreticorum nomen extingueret, & eorum Eccleſias Catholica vbique religione cõſecraret. Theodoricus Rex Arrianus, eo quod in Italia, religionis cauſa nullum perturbaſſet, quinimo Eccleſ. Rom. quã à Sciſmaticis oppreſſam, quã ab hæreticis tentatam vindicaſſet, iure quoque mutuæ cuiuſdam viciſſitudinis, ab Iuſtino expoſtulare cenſuit, ne ſuæ ſectæ Arria-

Seuerus hæreticus cum pſeudomonachis ſuis ab Hormiſda damnati.

Zelus Iuſtini Imp. pro extirpatione hæreſum

nis

nis in Oriente negotium faceſſeret. Si recuſaret: totam Italiam voluit gladio extinguere.

Legationem itaque ea de re ad Iuſtinum deſtinauit, cuius Principem orauit eſſe Ioannem Romanum Pontificem. Hic porro, cum in Senatu eſſet, tantum abeſt, vt pro Arianis, quod Theodoricus Rex voluerat, egerit, quinimo contra eoſdem magna cum libertate animi, vt vrbibus pellerent, Eccleſiæque eorum ad vſus Catholicorum conuerterentur, laborarit: & ab exemplo Imperator magis inflammatus, tanto alacrius Synodicam ad omnes Italiæ Epiſcopos ſcripſerit; iubens: *Eccleſias videlicet Arrianorum vbicumque inueneritis, Catholicas eas diuinis precibus, & operibus abſque vlla mora conſecrate: quia & nos,* inquit, *quando fuimus Conſtantinopoli, tam pro religione Catholica, quam, & pro Theodorici Regis cauſa, & negotijs, ſuadente, & hortante, Arrianaſque extirpante piiſſimo, atque Chriſtianiſſimo Iuſtino Orthodoxo Imperatore, quaſcumque illis in partibus Eccleſias reperire potuimus, Catholicas eas (Dominio opem ferente) conſecrauimus.*

Synodica ad Ital. Epiſcop. pro expellendis hæreticis epiſt.

Magnus tunc temporis in Oriente, cuiuſdam *Abrahamij* preſbyteri, in deteſtandis hæreticis ardor eluxit. Apud Homeritas Arabiæ Felicis [c] Dunaam Hæbræorum potentiſſimus, & Chriſtianorum generi inimiciſsimus Perſarum Regem, & Saracenorum Principem, in excidium eorum ſollicitabat. Et effeciſſet ſane quod tentabat, niſi vtrumque Iuſtinus Imperator fœderum cum Chriſtianis admonuiſſet, miſſo ad Saracenum *Abrahamio Presbytero*, viro pio. Cum legatione apud Alamundium ab Auguſto fungeretur, magno zelo exarſit tunc Abrahamius, quoniam Silas Neſtorianorum Epiſcopus blaſphemaret coram, dicens. Quomodo, qui naſcitur ex muliere, & componitur ex eo qui eſt in ipſa ſanguine, & paulatim accipit incrementum: deinde etiam laborat, & ſitit, & tandem ad crucem agitur, & moritur, Deus eſſe dicitur, vt citra rationem Abrahamio, & Iſacio Presbyteris videretur?

Ardor Abrahamii preſbyteri Iuſt. Imp. ad Regem Perſ. legati in deteſtandis hæreticis.

Hæc cum ſic dicerentur, ij pij viri non ferentes diutius Deum affici contumelia, ſciſſis ſuis veſtibus, eos qui ita dicerent vocabant hæreticos, & magno animo eos ab Eccleſia expulerunt, Neſtorium eorum Magiſtrum damnãres, vt qui tales effutijſſet blaſphemias. Deinde copioſius etiam exponebant, ea quid pertinebant ad diuinæ carnis ſuſceptæ diſpenſationem, ipſique Ortodoxia diuinorum Apoſtolorum & Patrum ſequentes dogmata, Deum perfectum, & hominem perfectum confitebantur Chriſtum in vna hypoſtaſi duas naturas coniungentes, citra confuſionem,

Agapetus Pp. Iuſtiniani Imp. ſententiam in hæreticos latam ſuo reſcripto firmat.

Iuſtinianus Imperator, nihilo feruentior fuit Iuſtino, in damnandis, extirpandiſque hæreticis, Namque Cyrum acæmentam; & ſequaces ipſius, quod Eutychiano fermento puterent, à communione aliorum ſecernendos putauit, quoad ſtatutis Sanctæ Apoſtolicæ Sedis non obtemperarent. Eam rem cum accepiſſet Agapetus Papa, reſcripſit; *Noſtra authoritate firmamus, laudamus, amplectimur; non quia laicis authoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtra Patrum noſtrorum regulis conueniens confirmamus atque roboramus, per quod iam, & vnitas peruenit Eccleſia, & reliqua Catholica membra Eccleſia ad eius compagem Chriſtianitatis conſtantia reditura confidimus. Coſtituentes, vt ſi quis Catholica noſtræ fidei contraire tentauerit, quam pro ſubmouenda hæreticorum ſuſpicione paternis regulis conſentaneam præſenti definitione firmamus, ſancta communionis efficiatur extraneus, Vnde, & Cyrum, eiuſque ſequaces, iam ante pro hac inſania ab Eccleſia Catholica communione ſuſpenſos, & in ſua hactenus perfidia permanentes, niſi ſub ſatisfactione canonica doctrinam Apoſtolicam fuerint conſecuti, nullatenus patimur eos ſacræ communioni reſtitui, ſed etiam vt hæreticos anathemati ſubijcimus: vt qui noſtris conſtitutionibus parere contempſerit, Eccleſiaſticum ſtatum puritatemque non maculet.* Statuit deinde Agapetus, ne Arriani ad Eccleſiam reuertentes, dignitatibus fungerentur: neue Imperator priuatas fidei profeſſiones aut ſcriberet, aut mitteret: quod non ad eum iſta pertinerent.

Reſcripſit etiam Iuſtinianus, monente Agapæto, ne Arriani, Donatiſtæ, aut alij quicumque, qui Orthodoxam religionem minime noſcuntur colere, communionem ad Eccleſiaſticos ritus vel cœtus haberent, ſed à ſacris, & templis nefandis excluderentur; & nene ordinarent Epiſcopos aut clericos: neque baptizarent quaſcumque perſonas, neque publicis actibus admonerentur, neque Orthodoxis imperarent, neque ſpeluncas aut aliqua quaſi ritu Eccleſiaſtico poſſiderent, neque Chriſtianos ſeruos emerent, neue quicquam commune cum Chriſtianis haberent.

Reſcriptum eiuſdem Imper. contra hæreticos monente Agap. Pp.

Maius eſt iſtud, quo Iuſtinianus, Agapæti Romani Pontificis virtutem exercuit, atque exeruit. Accerſiuerat Conſtantinopolim Pontificem, vt is de Anthimi Patriarchæ Seuerianiſmo cognoſceret, atque decerneret. Venit; Iuſtinianum Theodoræ artibus deluſum inuenit, ad Diocletianum ſe veniſſe in faciem dixit, peruicaciam illius fregit, Anthimum hæreſis Seuerianæ coram conuicit, damnauit, talemque hunc Eccleſiæ adulterum, & populi ſeductorem ſine vllis morarum obſtaculis Eccleſia expulit, & pænitentiæ eidem tempus indixit; compliceſque eius, Seuerum pſeudoepiſcopum Antiochenum, & Petrum Apamenum, & Zoarem presbyterum canonica ſecure percuſſit: & ſacra altaris ſediſque velamina ſacrilegi Anthimi inflecta flatibus, ſuis Catholicis precibus eluit: omneſque templi ædes ab inflictis inibi per Anthimum maculis, Orthodoxis obſecrationibus expiauit; mercenario lupoque ouium à dominica caula detruſo extra Eccleſiæ parietes.

Hiſt. Eccleſ. ann. 539. Liberum Agap. Pp. ad Iuſtin. Imp. dictum ac eiuſdem de Anthimo hæreſiarcha & ſectariis iudicium.

Epiſcopi Orientales, Clerus, Archimandritæ, ac Monachi, cum viderent Seuerum omnium malorum præcentorem, fauente protegenteque Theodora, adhuc Conſtantinopoli cum Anthimo hærere, tum apud Agapetum, tum apud Iuſtinianum conclamabant, ne perfidi peſtibus ſui venenariis, ſimplices inficerent, ſed omnino orbe expellerentur. Iſto argumento, Marianus presbyter, & Primas omnium monaſteriorum, nomine omnium Archimandritarum, & Monachorum ſcribens Agapæto, vtebatur.

Egregium Mariani Archimandr. ad Agap. Pp. dilemma quo hæreticorum expulſionem vrget.

Non poſſunt, ait, *duo contraria ſimul eſſe vera. Si hæreticis facultas datur hæreſes prædicandi: iſtud ipſum fateri eſt apud ipſos veritatem eſſe; à nobis autem illam penitus defeciſſe: Sin autem eam apud nos eſſe iure firmemus; illos ea*

deficere, & vt mendaciorum textores Deo, & hominibus execrabiles eſſe abijciendos dicere neceſſe eſt, cum præſertim in eo ſtatu res modo poſitæ eſſent, vt tolerare iſta, & ſi non iubere, patique ſaltem ipſum Principem ſub pacatiſſimo, & florentiſſimo Imperio, cum vbique terrori eſſet, etiam longe poſitis barbaris, indecens eſſet, atque propemodum eiſdem conſentire, ac patrocinio ipſos ſouere ſuo. Quoniam igitur ex hac cauſa, in multas domos eorum qui in excellentia ſunt intrant, & indecentia faciunt, captiuantes mulierculas quaſdam peccatis oneratas; qui varijs ducuntur deſiderijs, & ſemper addiſcunt, & numqaam ad cognitionem veritatis venire poſſunt, verum etiã in ipſis proprijs domibus, & ſuburbijs, altaria, & baptiſteria erigunt in oppoſitum veri altaris, & ſancti fontis; & omnia ſimul contempſerunt, propter attributum eis patrocinium, ab his qui in domo Domini, & aliquo alio modo potentes ſunt: Nolito pati beatiſſime, non vti ſolita fiducia, ad refrenandum tantum malum, ſed ſicut prius contra Anthimum inſurrexiſtis, & lupum qui conabatur cooperiri per pellem ouis, & tranſcendere oſtium Eccleſiaſticorum ordinum, ſanctionum, & canonum, & qui latrocinanter mandram ouium tranſcendere, pelle denudaſtis, & ipſummet demonſtraſtis, & procul à mandra expuliſtis: ſic & nunc iterum vigilate: & oſtendite pijſſimo Imperatori noſtro, quod nullum lucrum exierit (vt inquit diuinus Gregorius) ſtudio reliquo ſuo circa Eccleſias, ſi tale malum in deſtructionem ſanæ fidei per ipſorum fiduciam præualebit, & permittantur adhuc iſti ad corruptionem Eccleſiæ nidificare in domibus Dominorum, & in proprijs, & iniqua in ipſis facere: Hæc quidem dumtaxat portamus, licet incredibilia, & à diris doloribus incuruati: ſpem habentes ad clementiſſimum Deum, qui in tempore opportuno veſtrum aduentum nobis oſtendit: quod ſicut Petrum Magnum Apoſtolorum Principem his qui erant Romæ in depoſitionem Seueri, Petri, & Zoara, & eorum quod ſimilia eis ſapiunt, & quod omnigenis honoribus circumfouentur ad inhonorationem Dei, blaſphemiaſque ac hæreſes, dabit vobis poteſtatem, coopitulante vobis pijſſimo, & à Deo cuſtodito Imperatore noſtro, iſtos expellere de omni Eccleſia tamquam inſidiatores, & violatores non ſolum ſanctiſſimarum Eccleſiarum, ſed & politiæ ipſius. Nam cum hos ad ſuam malitiam conuenientia organa inſidiator boni diabolus inueniſſet, totum Orbem terrarum commotum fecit, & Sanctorum ſanguine terram contaminauit, & ciuitates iugulationibus, & tumultibus turbauit. Hæc, & plura alia illi Agapæto. Sed, & Imperatori Iuſtiniano, in eundem fere ſenſum, iſtud legendum à quibus intereſt Principibus Catholicis, addentes.

Eiuſdem Mariani ad Iuſtinian. Imp.

Vos autem cum Dauid ad Dominum cum fiducia clamate: Nonne, qui oderunt te Domine, odio habui, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio odiui illos, & inimici facti ſunt mihi: *Timendum eſt enim, pijſſime Imperator, ne propter multam dilationem, illud Iſraelitici populi patiamur, & nos, in medio habentes ab omni Sacerdotio anathematizatos: qui quoniam in medio habuit Acham, & Ionatham, inſcientia, & ignorantia ſeipſos anathemati ſubijcientes, in periculo fuit totaliter perire: licet ignoraret, quod in medio haberet anathema. Non ergo, Chriſtianiſſimi Imperatores, tale malum contemnite, ſed animi zelo ad cognitionem Dei, & horum quæ ipſius ſunt, adimplentes, quod ſcriptum eſt:* Ventilator impiorum Rex ſapiens. *vt cum Dauid, & Ioſia, Elia, ac Agapeto, qui maxime zelauerunt pro Deo, partem habeatis vos in præſenti ſicut, & illi, & ſub ſcabello pedum omnes inimicos veſtros ſubijciat; in futuro vero cum illis æternum regnum tribuat, qui promiſit coram iſto centuplum, & in futuro ſæculo æternam vitam donare.*

Vigilius tria Capitula iudicauit & Origeniſtas damnauit.

Agapeto, & Syluerio, Vigilius in alterum virum ab aſſumptione mutatus, cum ſucceſſiſſet, atque in Quinta Oecumenica Synodo, propter grauiſſimum quod metuebatur ſchiſma, opinionem quoque mutaſſet, Tria Capitula, ſcilicet Theodorum Mopſueſtenum, Theodoretum, & Ibam iudicauit, nec non Origenem, Didymum, Euagrium, & alios Origeniſtas damnauit.

Riccardus Hiſp. Rex anathematiſmis à Pelagio contra hæreticos miſſis ſubſcribit.

Iuſtiniano Imperatori, pietate non impar Riccardus Rex Hiſpaniarum, non tantum tolerauit, ſed & coram in conſenſu ſeptuaginta Epiſcoporum laudauit, probauitque damnationem Arrianorum, à Sancto Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo, Pelagij Romani Pontificis nomine Concilio præſidente, renunciatum. Subſcribebat anathematiſmis à Pelagio miſſis vna cum Patribus edicens: *Quicumque hanc fidem, nimirum in Concilijs Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino primo, & Calcedonenſi ſtabilitam deprauare, corrumpere, mutare tentauerit, aut ab eadem fide, vel communione Catholica, quam nuper ſumus Deo miſerante adepti, egredi, ſeparari, vel diſſociari voluerit, ſit Deo, & vniuerſo mundo crimini infidelitatis in æternum obnoxius. Floreat autem Eccleſia Sancta Catholica per omnem mundum pacatiſſime, & emineat doctrina, ſanctitate, poteſtate.*

Ediſtum S. Greg Mag. ad omnes Patriarchas contra hæreſiarchas.

Gregorius Magnus, aliquid amplius quam Pelagius anteceſſor præſtitit. Nam non Arianos tantum, aut eos qui in quatuor Synodis, verum etiam, & illos qui in Quinta Synodo condemnati fuerant, & ipſe quoque pariter deteſtatus eſt; dato ad omnes Patriarchas iſto edicto; *Quia*, inquit, *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: ſicut Sancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor: Nicænum ſcilicet, in quo peruerſum alia dogma deſtruitur: Conſtantinopolitanum quoque, & quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur. Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur; Calcedonenſe vero, in quo Eutychetis Dioſcorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione cuſtodio; quia in his veluti in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit; & cuiuslibet vitæ atque actionis exiſtat, quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror: in quo epiſtola quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: in quo Theodorus, perſonam mediatoris Dei, & hominum in duabus ſubſtantijs ſeparans, ad impietatis perfidiam cecidiſſe conuincitur: & in quo ſcripta quoque Theodoreti, per quæ Beati Cyrilli fides reprehenditur, auſa dementia prolata, refutantur. Cunctas vero, quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo: quas venerantur, amplector: quia dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſoluere quos ligant, aut ligare quos ſoluunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema*

ius ſit. Quiſquis vero prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei ſit in Deo Patre, per Ieſum Chriſtum Filium eius, qui cum eo viuit, & regnat, conſubſtantialiter Deus, in vnitate Spiritus Sancti, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Monothelitæ à Rom. Pont. damnati.

Succedentibus temporibus, Honorius, Sergium Conſtantinopolitanum, Seuerinus Heraclium Imperatorem peſſimæ Ectheſis auctorem, Ioannes Cyrum, & Petrum Alexandrinos, Theodorus Pyrrhum Conſtantinopolitanum, S. Martinus Paulum Conſtantinopolitanum, & Conſtantem Imperatorem typi, (ita appellabat fidei formulam, quam ad ſubſcribendum Martino miſerat) conditorem, & reliquos Monothelitas, anathemate percuſſerunt, impietatis conuictos. Ad eum modum, in Concilio Lateranenſi, Martinus detonabat.

Damnatio impie ſentientium à Mart. Pp. in Cōc. Later. lata.

Si quis ſecundum Sanctos Patres, non confitetur proprie, & ſecundum veritatem, omnia quæ tradita ſunt, & prædicata Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, perindeque à Sanctis Patribus, & venerandis vniuerſalibus quinq; Concilijs, vſque ad vnum apicem, verbo, & mente, condemnatus ſit.

Si quis ſecundum Sanctos Patres conſonanter nobis pariterque fide non reſpuit, & anathematizat anima, & ore, omnes quos reſpuit, & anathematizat nefandiſſimos hæreticos, cum omnibus impijs eorum conſcriptis vſque ad vnum apicem, Sancta Dei Eccleſia Catholica, & Apoſtolica (hoc eſt, ſanctæ, & vniuerſales quinque Synodi, & conſonanter omnes probabiles Eccleſiæ Patres) id eſt, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Polemonem, Eutychem, Dioſcorum, Timotheum Aelurum, Seuerum, Theodoſium, Colluthum, Themiſtium, Paulum Samoſatenum, Diodorum, Theodorum, Neſtorium, Theodolum Perſam, Origenem, Didymum, Euagrium, & compendioſe, omnes reliquos hæreticos, qui à Catholica Eccleſia reprobati atque abiecti ſunt, quorum dogmata diabolicæ operationis ſunt germina, & eos qui ſimilia cum his vſque ad finem obſtinate ſapuerunt, aut ſapiunt, vel ſapere reperiuntur; cum quibus merito numeramus, vtpote ſimiles ais parique errore præditos, ex quibus dogmatizare noſcuntur, proprioq; errore vitam ſuam determinantes, hoc eſt, Theodorum quondam Epiſcopum Pharanitarum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Conſtantinopolitanum, vel eius ſucceſſores Pyrrhum, & Paulum in ſua perfidia permanentes, & omnia impia illorum conſcripta, & eos qui ſimilia cum illis vſque ad finem obſtinate ſapuerunt, aut ſapiunt, vel ſapere ſperantur: hoc eſt, vnam voluntatem, & vnam operationem Deitatis, & humanitatis Chriſti, & ſuper hæc impiiſſimam Ectesin, quæ perſuaſione eiuſdem Sergij facta eſt ab Heraclio quondam Imperatore aduerſus Orthodoxam fidem, vnam Chriſti voluntatem, & vnam ex continuatione definientem operationem venerari, ſed & omnia quæ pro eâ, impie ab eis ſcripta vel acta ſunt; & illos qui eam ſuſcipiunt, vel aliquid de his quæ pro ea ſcripta, vel acta ſunt, & cum illis denuo, ſceleroſum Typum, qui ex ſuaſione prædicti Pauli nuper factus eſt à Sereniſſimo Principe, Conſtante Imperatore, contra Catholicam Eccleſiam, vtpote duas naturales voluntates, & operationes, diuinam, & humanam, quæ à Sanctis Patribus in ipſo Chriſto Deo vero, & Saluatore noſtro pie prædicantur, cum vna voluntate, & vna operatione, quæ ab hæreticis impie in eo veneratur, pariter denegare, & taciturnitate conſtringi promulgantem, & propterea cum Sanctis Patribus, & ſceleroſos hæreticos ab omni reprehenſione, & condemnatione iniuſtè liberari definientem, in amputationem Catholicæ Eccleſiæ definitionum, ſeu regulæ. Si quis igitur, iuxta quod dictum eſt, conſonanter nobis, omnia hæc impiiſſima hæreſeos illorum dogmata, & ea quæ pro illis, aut in difinitione eorum à quolibet impie conſcripta ſunt, & denominatos hæreticos, Theodorum dicimus, Cyrum, & Sergium, Pyrrhum, & Paulum, non reſpuit, & anathematizat, vtpote Catholicæ Eccleſiæ rebelles exiſtentes: aut ſi quis aliquem de his, qui ab illis vel ſimilibus eorum in ſcripto, vel ſine ſcripto, quocumque modo, vel loco, aut tempore temere depoſiti ſunt, aut condemnati, vtpote ſimilia eis minime credentem, ſed Sanctorum Patrum nobiſcum confitentem doctrinam, vti condemnatum habet aut omnino depoſitum: ſed non arbitratur huiuſmodi quicumque fuerit, hoc eſt, ſiue Epiſcopus, aut Presbyter, vel Diaconus, ſiue alterius cuiuſcumque Eccleſiaſtici ordinis, aut Monachus, vel Laicus, pium, & Orthodoxum, & Catholicæ Eccleſiæ propugnatorem, atque in ipſo firmius conſolidatum in quo vocatus eſt à Domino ordine, illos autem impios, atque deteſtabilia eorum pro hoc iudicia, vel ſententias vacuos, & inualidas atque infirmas, magis autem profanas, & execrabiles, vel reprobabiles arbitratur: huiuſmodi condemnatus ſit.

Si quis ea quæ ſceleroſi hæretici ſapiunt, indubitanter profeſſus atque intelligens, per inanem proteruiam dicit hæc pietatis eſſe dogmata, quæ tradiderunt ab initio ſpeculatores, & miniſtri verbi, hoc eſt dicere, ſanctæ, & vniuerſales quinque Synodi; calumnians vtique ipſos Sanctos Patres, & memoratas ſanctas quinque Synodos, in deceptione ſimplicium, vel ſuſceptione ſuæ profanæ perfidiæ, huiuſmodi condemnatus ſit.

Si quis ſecundum ſceleroſos hæreticos, quocumque modo, aut verbo, aut tempore, aut loco, terminos remouens illicite quos poſuerunt firmius Sancti Catholicæ Eccleſiæ Patres, id eſt, ſanctæ, & vniuerſales Quinque Synodi, nouitates temere exquirere, & fidei alterius expoſitiones, aut typos, vel leges, aut definitiones, vel libellos, aut epiſtolas, aut conſcripta, aut ſubſcriptiones, aut teſtimonia falſa, aut Synodos, aut geſta monumentorum, aut ordinationes vacuas, & Eccleſiaſticæ regulæ incognitas, aut loci ſeruatoras incongruas, & irrationabiles; & compendioſe, ſi quis aliquid aliud quod impiiſſimis hæreticis conſuetum eſt agere, per Diabolicam operationem, tortuoſe, & callide agit, contra pias Orthodoxorum Catholicæ Eccleſiæ, hoc eſt dicere, paternas eius, & Synodales prædicationes, ad euerſionem ſinceriſſimæ in Dominum Deum noſtrum confeſſionis, & vſque in finem ſine pœnitentia permanet hæc impie agens; huiuſmodi in ſæcula ſæculorum condemnatus ſit: & dicat omnis populus, fiat, fiat.

Conſtans Imp. Typũ execratur.

Iſtum in modum S. Martinus Papa damnabat impie ſentientes: cum antea Conſtanti Imperatori, ad ſubſcriptionem Typi inuitanti, ſumma cum execratione volumen reſpuens, reſponderit: *Etiamſi totus Orbis dogmata peregrina, & à fide aliena complecti velit, ſe nec minis cuiuſque, nec blandimentis nec morte ipſa, à doctrina Euangelica, & Apoſtolica vllo pacto poſſe euelli.* Cum autem per idem temporis, Paulus Theſſalonicenſis Epiſcopus, multorum ſeductor, profeſſionem fidei hæreticam Martino miſiſſet: eam ille cum indignatione execratus,

Paulũ Theſſalon. Epiſ. ob hæreſim deponit.

tus,

tus, Catholicam Paulo miſit. Quam eum ille repuliſſet, & pro pura ſineeraque Patrum confeſſione, ſuæ abſurditatis doctrinam adulterine ſubieciſſet, & multos infælices, multis ſermonibus in damnationem irretiuiſſet, Martinus illum ab omni Sacerdorali dignitate; & miniſterio in ſancta Dei Catholica, & Apoſtoliea Eccleſia depoſuit: quo ad ſine vlla prætermiſſione omnia quę Romæ Synodaliter ſaneita erant ae definita, ad confirmationem fidei Catholicæ ſcripto confirmaret, & vna cum Romano Pontifice confiteretur. Peruagata eſt aliqnantum hæreſis Monothelitarum Orientem: ſed & oon minus Sedis Apoſtolicæ virga, in eorum iudicium vigilauit: donec Agatho Pontifex, annuente, & interpellante Conſtantino Pogonato Imperatore, anctores impietatis, in ampliſſimo ſextæ Synodi Oecumenicæ Patrum conſeſſu, condemnaſſet. Adeo delirabant proteruientes hæretici, vt ex eis præcipui, Macarius, Stephanns, Anaſtaſius ex Presbytero, Leontins ex Diacono, Polyehronius, Epiphanius, & Anaſtaſius ex Presbyteris, & incluſis, à ſententia Concilij cui Agathonis Legati præſederant, ad Agathonem, quaſi is retractare deberet qnod ſanxerat, prouocauerint, atque mitti poſtularint.

Monothelitæ in Or. ab Agathone condemnati *hiſt. Eccleſ. ann 681. & 683.*

Hos quidem Imperator, ad appellationem perſequendam, Romam tranſmiſit, ſed Leoni, qui recens mortuo Agathone ſucceſſetat, ſcripſit: *Quamebrem viriliter age, & confortare, & verbi gladie accingere, eumque exacue zelo diuino: ſta firmus propugnator pietatis, omnemqae hæreticum auditam, & introdactionem præcidere ſtade: quemadmodum, & primitus Iudæci auditus ſenſum gladio Petrus percutiens abſtulit, legalis, & ſeruilis Syaagogæ præſiguificans ſurditatem, Exteade ſecnrim ſpiritus, & omnem arborem ferentem fructus hæreſeos, aat immuta erudiendo, aut canoaicis pœnis excinde, & igni futuræ gebennæ tranſmitte, vt præciſis ijs omnibus quæ fidem labefactant, valens ſit atque integrum Eccleſiæ corpus, pace ſpiritus cannexum, & coagmentatum: quæ ſtaate, & immota, conquaſſatur inimicerum factio atque impagnatio. Per Petram enim fidei cenfirmatur ſolium noſtræ ſerenitatis: cenſilia, & conatus poteſtatis noſtræ, ad commanem vtilitatem dirigantur: ac totius Romanæ Reipub. ſtatus, cum tranquillitate fidei tranqaillatur.*

Animat Imper. Leonē Pp. contra hæreticos qui Romam à damnatione Conc. appellauerāt.

A Conſtantino Imperatore, in pietatis ſtudio deſciuit Leo Iſaurus, in Deum, Diuam Deiparentem, & omnes cælites pluſquam impius. A nonnullis Iudæorum ſeductus, ſacris imaginibus bellum intulerat. Conabatur Gregorius Iunior, væſanum ad mentis ſanitatem reuocare. Sed fruſtra, tam Seripturarum auctoritate, quam Apoſtolica traditione, laborauerat. Itaque Patrum Coneilio Romæ connocato, Leonem, & ſequaees Iconoclaſtas, ſynodico anathemate obſtrinxit: & vectigalia quæ ad id vſque tempus Imperatori ex Italia pendebantur, inhibuit: cum tameo prius ſæpè dediſſet operam, vt Leonem ab odio Dei renocaret, atque ad cultum ſacrarum imaginum reduceret, ſcribens ad eum dogmaticam epiſtolam: *Non oportere Imperatorem de Fide facere verbam, vel edictum promulgare, & nouitate violare antiqua dogmata Eccleſiæ Catholicæ, quæ à Sanctis Patribus ſunt prædicata.*

Leo Iſaurus Iconoclaſt. cum ſequacibus à Gregor. Pp. anathemate cæſus.

Furijs inuectus Leo, miſerat, qui Gregorium aut interficerent, aut gradu deijcerent ſi is imagines ex adytis oon eieciſſet. At Gregorius oon tantùm non acquieuit, ſed moltò magis conrra eum tamquam hoſtem ſacrorum ſe armauit, & hæreſim illius reprobauit, ſeribens omnibus Orthodoxis, qui ab eo excitatam impietatem execrarentur. Tum demum, & Principes Italiæ, nouum Imperatorem creare, Conſtantinopolimque ducere decreuerant, & Orthodoxi Patres calamum pro ſanctis imaginibus aduerſus profanatorem ſtringere non dubitauerunt: ex quibus Ioanoes Damaſcenus, hæe memoranda ſeribebat, oſtendens, non Regum eſſe de rebus fidei decernere, aut aliquid nouare. *Cùm ante hac*, ait, *Sacerdotes, Regeſque fuerint Chriſtianæ Reipublicæ diuinitùs dati, pietate, doctrina, & vita ſanctitate præſtantes, plurimaque Concilia à ſanctis, & diuino ſpiritu afflatis Patribus celebrata: cur nemo eorum imaginum vſum cenſuit improbandam? Noaam fidem doceri non patiemur. Ex Sion enim veniet lex (vt per Prophetam inquit Spiritus Sanctus) & verbum Domini ex Hieruſalem. Non permittemus, vt alind aliàs ſenſiſſe, & temporibus mutati eſſe videamur: ne fidem noſtram, ij, qui ſunt ab ea alieni, riſum, & ludum putent. Regio non cedimus Imperio, Patrum eonanti auertere conſuetudinem. Neque enim piorum eſt Regum Eccleſiaſticam conuellere conſuetudinem. Non paternam pietatem, ſed latronum ſaaitiam arguunt, quæ pecunia imperantur, non autem verbis perſaadentur. His de rebus ſtatuere atque decernere, non ad Reges pertinet, ſed ad Concilia. Nam* vbi duo, vel rres (*inquit Dominus*) congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio ipſorum.

Memoranda S. Io. Damaſ. ſcripta quib. Imp. oſtendit Regum non eſſe de fide decernere aut aliquid nouare.

Ligandi, & ſoluendi poteſtatem, non Regibus, ſed Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, & Paſtoribus, & Doctoribus Chriſtus dedit. Conſidera enim quid Apoſtolus dicat: & quoſdam quidem io Eccleſijs poſuit, primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tum Paſtores, atque Doctores, *ad Eccleſiæ coaſtitutionem non adhibuit Reges. Et rurſum:* Obédite, *inquit*, Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris redditurі. *Item rurſus:* Mementote, *inquit*, Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuerſationis, imitemini fidem. *Verbum non ſant loquuti vobis Reges, ſed Apoſtoli, & Prophetæ, Paſtoreſque, atqae Doctores. Regum eſt ciuilis adminiſtratio: Eccleſiaſtica verò conſtitutio Paſtorum, atque Doctorum. Impetus iſte latronum eſt, fratres. Saul ſcidit pallium Samuelis: & quid ei contigit? Abſcidit Regnum eius Deus. Manichæi Euangelium ſecundùm Thomam conſcripſerunt: & vos ſecundùm Leonem Euangelium ſeribite. Non ſuſcipio Regem ſibi per tyrannidem Sacerdotium vendicantem. Noui Valentem Regem, qui cam Chriſtianus nominaretur, Orthodoxam fidem perſequebatur: Zenonem item, & Anaſtaſium, & Heraclium, & Conſtantinum illum, qui in Sicilia fuit, & Bardanſcem, qui & Philippicus appellatus eſt. Non Regijs regulis, ſed patris inſtitutis, tam ſcriptis, quàm non ſcriptis Eccleſiam cenſeo conſtitui, & gubernari oportere. Quemadmodum enim in Orbem vniuerſum monumentis literarum promulgatum eſt Euangelium: ſic in vniuerſo terrarum Orbe ſine ſcriptis eſt conſtitutum, vt Chriſtus Deus carnem indutus: &*

Sancti

Sancti homines imaginibus exprimerentur, ſicut etiam vt Crux adoraretur.

Audite itaque populi, tribus, linguæ, viri, mulieres, paruuli, ſenes, adoleſcentes, infantes, gens Chriſtianorum ſancta: Si quis euangelizauerit vobis, præter id, quod Eccleſia Catholica à Sanctis Apoſtolis, à Patribus, atque Concilijs acceptum ad hunc vſque diem ſeruauit, eum ne audieritis, neue ſerpentis conſilium acceperitis, quemadmodum Eua fecit, ex quo mortem eſt aſſecuta. Licet Angelus, licet REX euangelizet vobis præter id, quod accepiſtis aures occludite. Hæc Damaſcenus cùm ſcriberet, & Leonem impietatis argueret, meruit, manum ſibi à Leone præciſam, ope Diuæ Deiparentis, quam in imaginibus venerabatur, per miraculum recuperare.

S. Io. Damaſc. manus à Leone Imp. ab ſciſſa à B. V. reſtituta.

Cæterum, cùm Leo amplius in cultores ſacrarum imaginum, & in Romanam Eccleſiam ſeuiret, etiam Gregorius III. pari, atque anteceſſor zelo inflammatus, ad peſtilentem condemnandum inſurrexit, ac Romæ, nonaginta trium Epiſcoporum concilio conuocato, aſtante Clero, & populo, & Conſulibus ſententiam dixit: *Si quis deinceps*, ait, *antiquæ conſuetudinis, & Apoſtolicæ Eccleſiæ fidelem vſum contemnens, aduerſus venerationem Sanctarum imaginum, videlicet Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Genitricis eius ſemper Virginis Immaculatæ, atque Glorioſæ Mariæ, Beatorum Apoſtolorum, & Sanctorum omnium depoſitor, atque deſtructor, & prophanator, vel blaſphemus extiterit, ſit extorris à corpore, & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & totius Eccleſiæ vnitate, atque compagine.* Egit tunc Deus vindicias in contemptores ſacrorum. Nam & Leonem Imperatorem cita morte extinxit, & Anaſtaſium Patriarcham Conſtantinopolitanum ter impium inſigni ſupplicio è viuis eripuit. Nam is per os ſtercora euomens, paſſione miſerabili, quæ dicitur Cordapſos, dignam mercedem ſcelerum ſuorum moriens accepit. Grauiorem vindictam, in Anaſtaſij ſucceſſorem, Conſtantinum pſeudopatriarcham, à Stephano III. & Paulo I. Romanis Pontificibus, propter iconoclaſim damnatum, Deus exercuit. Conſtantinus Copronymus, Leoni in impietate ſuccedens, Conſtantinopoli, Pſeudoſynodum, aduerſus Sanctorum imagines, & cultum coegerat, atque vniuerſos præſentes, per ſacram Crucem, & Euchariſtiam diuinam, ne imaginibus cultum impenderent, iureiurando aſtrinxit.

Iterùm à Greg. III. excommunicatur Leo Imp.

Vindicta diuina in Iconoclaſtas.

Conſtant. Copron. bellum ſacris Imaginibus indicit coacta pſeudoſynodo. *hiſt. Eccleſ. anno 754.*

Deerat, qui locum ſceleſtiſſimi Anaſtaſij impleret. Ibi Conſtantinum eiuſdem, cuius ipſe fidei, & ſententiæ, nactus, illi, proh facinus! Eccleſiæ curam, adminiſtrationemque commiſit; non Patrum electione, non Synodi examinatione, non denique canonico ſuffragio, atque decreto, ſed tyrannica potiùs poteſtate Antiſtitem ipſum conſtituens. Etenim non ſecus quam in ſcena luderent, ac non ſerio agerent, ambo in pulpitum aſcenderunt, ac deinde Imperator manibus impuris diploidem ſacram nefario homini profanè impoſuit, dignumque Epiſcopatu eum eſſe clamauit, qui graui potiùs ignominia dignus erat. Sanè videre erat impuram, & abſurdam audaciam, & facinus execrandum, quum is, qui enſe accinctus fuerat, Antiſtitem ſacrum creabat; quique bellis, ac ædibus per omne vitæ tempus operam dederat, initiatoris ſacri munere fungebatur: & qui cum tribus mulieribus flagitioſiſſimè ſeſe contaminarat, inter ſceleratos, Pontifices conſtituebat: id quod nec apud Gentilium quidem Sacerdotes vnquam perpetratum fuiſſe repertum eſt: ita vt illud Sacræ Scripturæ hîc locum haberet: *Qualis populus, talis Sacerdos.* Cùm itaque in hunc modum obſcænum illud par coijſſet, Conuentum Epiſcoporum coegerunt, & verè coegerunt: deinde inſigne Deiparæ, quod in Blachernis fuit templum, eximia quadam, ac penè incomparabili pulchritudine, & lapillis aureis in vtroque pariete arte ſumma exornatum, abraſerunt, & deletis omnium ſacrarum imaginum formis (carnalis Chriſti natiuitas, & diuina ipſius miracula, & venerandorum myſteriorum traditio, ac denique per ipſius Crucem in infernum deſcenſus, & reſurrectio, eximio artificio picta erant) atque horrendum in modum ſublatis, arborum ſpecies, & auium depingi iuſſerunt, deinde in eodem venerando templo, idem ille conſceleratus tyrannus, vnà cum impio illo gregis mercenario, necnon minus execrandis Epiſcopis, decreta execranda edixerunt. 1. *vt ſacras imagines idola quilibet nuncuparet, eorum verò cultores idolatras.* 2. *vt omnes ſacrarum imaginum cultores, atque inprimis Orthodoxus Fermanus verus Patriarcha, ſubijcerentur.* 3. *vt omnes exiſtimarent, Sanctos in Cœlis regnantes, & illam ipſam Dei Genitricem Virginem inutilem quandam poſt mortem, & commodi omnis expertem rem eſſe, nec cuiquam omninò adiumento, ac præſidio poſſe eſſe.* 4. *vt nemo Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, ac Virgines titulo Sanctorum appellaret.* 5. *vt idem conciliabolum ſeptima Synodus Oecumenica diceretur; qui verò ei non ſubſcriberent Orthodoxi, inter Neſtorianos, Arianos, Dioſcorianos, Eutychianos, atque Seuerianos recenſerentur.*

Conſt. Eccl. Cóſtant. Patriarcham impie præficit.

Ex templo Deiparæ Virg. in Blachernis picturæ ſacræ parietibus abraſæ.

Impia Pſeudosyn. decreta.

Ad tantam abominationem, tantumque proiectam Conſtantinorum audaciam exhorruerunt omnes Orthodoxi: quod qui in pſeudoſynodo congregati fuere, inter ſanctum, & prophanum non diſtinxiſſent, ac inter purum, & impurum diſcrimen non ſtatuiſſent, ſed imaginem Domini Dei noſtri, cum imagine ſimul Satanæ idolum appellaſſent. Super omnes verò Stephanus III. & Paulus I. Romani Pontifices, zelo Dei inflammati, ſceleſtiſſimos Conſtantinos, Patriarcham falſum, & Imperatorem mente Iudæum. diris percuſſerunt. Secuta eſt diuina vltio, in impium Sacerdotem. Conſtantinus Imperator, illum in Principem Inſulam, quod is ſecreta eius nefanda propalaſſet, ablegauit, inque locum illius Nicetam ſubrogauit, deinde reduci, & tali contumelia conficere voluit. In foro publico iuſſerat parari locum, cumque in gremio magnæ Eccleſiæ ſedere. Vbi cùm ex charta omnia illius ſecreta ſcelera legerentur, ad ſingula capita ſecreta, quæ dicebatur reuelaſſe, ipſe Imperator percutiebat faciem eius, Niceta in Confeſſione ſedente, & intuente. Poſt hæc verò cùm impoſuiſſent eum in ambonem, & rectum ſtare feciſſent; accepit Nicetas chartam, & miſit Epiſcopis, & ablato ſuperhumerali eius, anathematizauerunt eum, & hunc ſocium Abiron cognominantes, ab Eccleſia abſtraxerunt.

Steph. III. & Paul. I. Pontif. Cóſtantinum, & Pſeudopatr. diris percutiunt.

Horrendũ Conſtantini falſi Patr. ſupplicium Deo ſic volente ob eius impietates.

Poſtera die cum ludi Circenſes agerentur, raſerunt faciem eius, & barbam denudauerunt,

capi-

capitiſque, & ſuperciliorum pilis abraſis, indutum eum laneo breui, ac ſine manicis veſtimento ſedere fecerunt ſuper aſinum ſagmina ferentem, & ipſius tenere caudam, & duxerunt per Dippium in Hippodromium, cuncto pupulo imprecante illi mala, & conſpuente: trahebat autem aſinum Conſtantinus nepos eius naſo reciſo. Cumque ad vulgus veniſſent, deſcenderunt, & conſpuerunt, & puluerem iecerunt ſuper illum: & dum abduxiſſent eum ad Conſiſtorium, deiecerunt eum de aſino, & calcauerunt ſuper collum eius, & collocatus contra vulgus, audiebat ab illis ludrica verba vſque ad abſolutionem ludorum equeſtrium. Miſſis poſtea ad eum Imperator Patricijs; interrogauit: Quid dicis de fide noſtra, & Concilio, quod fecimus? Poterat tunc Conſtantinus omnia delicta ſua ſanguine profuſo eluere, coronamque martyrij, ſi rectè reſpondiſſet, promereri, ſed infauſtus, ſenſibus ad vanitatem conuerſis, reſpondebat: Bene, inquiens, & credis, & Concilium operatus es, putans ſe illum ob hoc ſibi placare. Et confeſtim illi reſpondentes, dixerunt: Nos hoc audire voluimus, ab ore tuo polluto: ex hoc ergo vade in tenebras. Et ſic accepta ſententia, deſcendit ad clauſtra ferarum, & decollatus eſt, & caput quidem per aures ligantes, tribus diebus in Milio ad oſtenſionem plebis ſuſpenderunt: corpus verò reſte pede ligato per plateas vſque ad loca pelagi traxerunt, & ſociandum biothanatis ſtatuerunt: ſimiliter & caput eius poſtridie delatum illuc proiecerunt; nihil veriti ſanctum lauacrum, ex quo duos Imperatoris filios ex tertia coniuge ſuſceptos, in ſuas vlnas exceperat ter infelix Conſtantinus.

Sētentia Steph. IV. PP in Cōc. Rom. cōtra Hagiomachos.

Stephanus etiam IV. Paulo ſuccedens, vtrumque Conſtantinum, & omnes Hagiomachos damnauerat, hac ſententia in Concilio Romano pronunciata: *Qui alium terminum fidei, ſiue Symbolum, aut doctrinam habet, præter quod traditum eſt à Sanctis magnis, & vniuerſalibus ſex Synodis, & confirmatum eſt ab his Sanctis Patribus, qui in eis conuenerunt, & non adorant imaginem, ſiue figuram Domini noſtri Ieſu Chriſti, neque humanationem eius confitentur, ſicut qui deſcendit, & incarnatus eſt propter genus humanum, talem impium anathematizamus, & alienum extraneumq; deputamus Catholicæ Apoſtolicæ Eccleſiæ.* Probauit Deus, Apoſtolicæ Sedis in ſceleratum Copronymum ſententiam. Is namque non multò poſt, expeditione in Bulgaros parata, anthrace in cruribus diuinitus percuſſus, & hinc ardentiſſima febre aduſtus, miſerabiliter abijt vociferans: viuens adhuc, igni ſum inextinguibili traditus: Sanctamque Virginem Dei genitricem laudari expoſcens, cùm ſine fœdere ei fuerit inimicus, iuſſit eam exinde honorari, ac celebrari voce Deiparam. Cadauer, non etiam multò poſt exhumarunt, & igni concremarunt Orthodoxi. Aſſimili fere modo, Leonem IV. Iconoclaſtam, ab Adriano Papa anathemate percuſſum Deus extinxit, Auſus ille fuerat coronam auream, multis gemmis præſertim verò carbunculis nitentem, ex magna Eccleſia auferre, capitique ſuo nefando imponere.

Infelix Copronymi interitus.

Leo IV. Iconoclaſt. ab Adrian. Pp. dominatus malè perit.

Vltus eſt ſtatim Deus contumeliam ſacris illatam, dirumque illius verticem carbunculis infecit, & totum hominem febre aduſſit, ex qua ille amans carbunculos, ex ſacrilegio carbunculos paſſus occubuit. Vnde Hadrianus, ad impietatem compeſcendam magis inflammatus, Conſtantino, & Irene Imperatoribus poſtulantibus, Concilium Oecumenicum apud Nicæam indixit: inque eo Præſidens miſſis Legatis, Gregorium Neocæſareæ, Baſilium Ancyræ, Theodorum Myræ, Theodoſium Amorſi, & reliquos Iconoilaſtarum iudicauit, ac eiurantes quidem hæreſim, ad Eccleſiaſticam pœnitentiam recepit, calumniatores verò Orthodoxorum anathematis damnauit. Nec verò illos tantùm, qui in hac vita in errore manebant, ſed etiam eos, qui vitam turpiter, & peruerſè proiecerant, omnes hæreticæ prauitatis tàm Principes, quàm eorum Sectatores, prophanatione, & condemnatione execratus eſt Adrianus: & ex eius præſcriptione Patres Nicæni damnauerunt, quemadmodum Tharaſius Patriarcha, data ad eum ſynodica, ex omnium ſententia teſtabatur: ſcilicet illius ſtudio, falſiloquorum, & mendacium labia fuiſſe repreſſa, tenebras abſurdarum blaſphemiarum depulſas, omnem hæreticam impietatem eiectam & propulſatam, cum Chriſtus, verbo gratiæ ſuæ, & Machera ſpiritus, manu Adriani, ſimul cum veteribus hæreſibus errorem nouæ prauitatis Iconoclaſtrarum, exſecuiſſet; pulchritudinemque veritatis dogmatum oſtendiſſet: ex qua Eccleſia proprium ornatum receperit, & requiem ex immenſis laboribus inuenerit.

Iconoclaſtæ in Cōc. Nicen ab Adr. PP. dānati.

ZachariamPontificem pene prætérieram, qui etiam in hæreticos Aldeberdum & Clementem, ſententiam, in Concilio Romano pronnnciauit. Dicebat *Aldebertus, cuius nobis actus ac nefaria commenta lecta ſunt, & qui ſe Apoſtolum cenſuit nominari, & capillos, & vngulas ſuas populis pro ſanctitate tribuit, quique ſub obtentu Angelorum dæmones in ſuum auxiliū inuocat: ſit ab omni officio Sacerdotali alienus, agens pœnitentiam pro commiſſis: & amplius iam populum non ſeducat. Sin autem in his erroribus perſeuerauerit, & populum amplius ſeduxerit: ſit anathema, & æterno Dei iudicio condemnetur, omniſque pariter qui ei conſenſerit, & eius doctrinam ſecutus fuerit, aut adiunctus fuerit. Similiter, & Clemens, qui per ſuam ſtultitiam Sanctorum Patrum ſtatuta, omniaque Synodalia acta reſpuit, inſerens etiam Chriſtianis Iudaiſmum, dum prædicat fratrem fratris defuncti accipere poſſe vxorem: Inſuper, & Dominum Ieſum Chriſtum deſcendentem ad inferos omnes pios, & impios exinde prædicat abſtraxiſſe: ab omni Sacerdotali officio nudatus ſit, & anathematis vinculo obligatus, pariterque Dei iudicio condemnatus; & omnis qui eius ſacrilegis prædicationibus conſenſerit.*

Zacharias PP. ſentent. in Conc. Rom. contra Adelbertum & Clementem hæreticos fert.

Ad Adrianum reuertor qui Felicem & Elipandum Hiſpanos Neſtorianos, in Concilio Francofurtienſi coram Carolo Magno iudicatos, iterum iudicauit. Namque Carolus Felicem Vrgelitanum, erroris conuictum Romam ad Adrianum miſit. Vbi etiam coram ipſo, in Baſilica S. Petri Apoſtoli, hæreſim confeſſus eſt, atque abdicauit; cum hanc ſententiam Pontificiam Francofurti in Concilio audijſſet: *Elipandum atque Felicem nouos hoſtes Eccleſiæ, ſed veteroſa face perfidiæ pollutos, niſi ab hac ſtultitia reſipiſcant, & per rectæ fidei ſatisfactionem lamentis ſe abluant pœnitentiæ: indignos, & ingratos eos etiam, qui poſt hanc tam ſaluber-*

Felix, & Elipandus Hiſp. Neſtor. ab Adr PP. in Cōc. Francofurt. iudicati.

Caroli Magn. Imp. in amb. ſenten tia reſeruato iore Rom Pont.

luberrimam defiuitionem, quam plenarlu Synodus ſancto afflata ſpiritu concorditer ſubtili ſinceritate terminauit, falſiſſimis eorum aſſertionibus, ſiue clam, ſiue iu publicu voce præbuerint aſſenſum, ſimili eos ſententiæ viudicta ſancimus eſſe plectendos, reſeruata per omnia inris priuilegio Summi Pontificis Domini, & Patris noſtri Hadriaui Primæ Sedis Beatiſſimi Pupæ. Vſus erat Hadrianus Sedis Apoſtolicæ, in Iudicandis hæreticis auctoritate, & Gallæciæ Hiſpaniarumq; Epiſcopis ſcripſit: *Si exigentibus indiguis meritis, tam iuſolubili eos malignus ſpiritus perfidiæ laqueo iuſto Dei Iudicio ſtrangulauit, vt reſolui nequeant: ex auctoritate prorſus Sedis Apoſtolicæ, ac B. Petri Apoſtolorum Principis, ac per eum qui illi Magiſter ac Dominus tradidit poteſtatem, & ſoluendi ligandique licentiam tribuit, (quod ſine graui mærore dicere non poſſumus) perpetuo eos anathematis vinculo religatos, vltrici eum ſequacibus ſuis iudicamus viudicta plectendos, ac per hoc à gremio matris Eccleſiu, & à noſtro conſortio diffinio ulienos.*

Leo Armenius Iconomachorum hæreſim ab inferis reuocat.

Vſus eſt eadem, ad vlciſcendos hæreticos auctoritate, & Leo III. & Paſchalis: quando hæreſis Iconomachorum, à Leone Armeno ab inferis reuocata paſſim volitaret. Seductus à quodam Philomelienſi pſeudomonacho, Imperator, adiunctis ſibi quibuſdam Iconoclaſtis, omnem multitudinem Monachorum cum Epiſcopis, & Metropolitis, ac Nicephoro Patriarca, ad ſe in Palatium accerſiuerat: vt per ſpeciem colloquij, de fide, mutui, quod ſemel à Concilio Oecumenico definitum fuerat, in dubium reuocaret, & ſtatuta Patrum conuerteret. Ibi Orthodoxi non ſunt paſſi eos homines quos Imperator volebat, aut coram ſe prodire, aut eis facultatem dicendi dari, quod eos execrabiles haberent, & certo ſcirent Imperatoris voluntatem ad malum proclinem eſſe, neque illis vnquam ſe perſuaſuros fore, quamuis totam Scripturam teſtem ei afferrent. Inter alios Æmilianus Cyzici Epiſcopus dixit: *Si quæſtio Eccleſiaſticu, Imperator, hæc eſt iſta, vt dixiſti, in Eccleſia inquiratur, vt mos eſt. Altius enim, & à principio ipſo, Eccleſiaſticæ quæſtiones, in Eccleſijs, non in Palatijs Regijs inquiruntur.*

Theodorus Studites, poſtquam multa interlocutus fuiſſet cum Patribus, Imperator ſubiunxit: *Ne tentes nunc, ò Imperator, Eccleſiaſticum ſtatum diſſoluere, Ait enim Apoſtolus:* Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Paſtores, & Doctores ad perfectionem ſanctorum. *Non dixit Reges. Tibi quidem, ò Imperator, ciuilis ſtatus, & exercitus commiſſus eſt; hæc igitur curu; Eccleſiam autem Paſtoribus, & Doctoribus (vt ait Apoſtolus) derelinque. At ſi non vis hæc facere: ſi quis peruertendæ fidei noſtræ cauſa de cœlo nobis aliquid annunciauerit, ipſum non audiemus: tantum abeſt, vt te audituri ſimus.*

Lib. 2. ep. 12.

Theodor. Studit. iuſſu Imp. in exiliū ob imaginum defenſionem miſſus ad Rom. Pont. iudicium prouocat.

Dixit Theodorus; in exilium iuſſu Imperatoris deportatus fuit: ad Summum Pontificis iudicium prouocans exinde, primum Leonis, deinde Paſchalis, vindicias implorauit: illud graue plorans: *Lupi graues irruperunt in caulam Domini: portæ inferi, vt olim, ruptæ ſunt in ipſam. Quid hoc? Perſecutionem patitur Chriſtus cum matre, & miniſtris. Siquidem contra imaginem incurſus, prototypi eſt perſecutio. Hinc detentio Patriarchalis capitis, & exilia, & relegutiones Archiepiſcoporum, & Sacerdotum, & Monachorum, Monacharumque, & compedes, & vincula ferrea, tormentaque, & ad extremum mors. O horribilem auditionem! veneranda imago Saluatoris noſtri Dei, quam, & Dæmones perhorreſcunt, contumelijs affectu, & ludibrio habitu, non ſolum in Regia Vrbe, verum etium in omni regione ac oppido. Altaria deletu ſunt, templu deſtructa, ſacra profanatu, effuſus eſt ſanguis, & effunditur, eorum qui tenent Euangelium. Perſecutiones, & exilia, eorum qui adhuc reliqui ſunt. Conticuit omne pium os metu mortis: aperta eſt aduerſaria, & blaſphemu lingua; itu vt non immerito quis ratiocinatus fuerit, eſſe aduentus Antichriſti præludiu, tantum differentiu, quantū ab exemplari imago in quam etiam deſcenitur. Huc igitur ab Occidente, ò Chriſti imitator, exurge, & ne repellas in finem. Tibi dixit Chriſtus noſter:* & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. *Ecce tempus, ecce locus: opitulare nobis, qui es à Deo ad hoc ordinatus, porrige manum, quantum fieri poteſt. Habes poteſtatem à Deo, eo quia omnium Princeps es, in quo poſitus es. Terreto, ſupplicamus, hæreticus feras calamo verbi tui. Paſtor bone, pone animam pro ouibus. Audiat Eccleſiu quæ ſub cœlo eſt, quod à vobis anathematizantur per Synodum, qui hæc auſi; & iam ſanctos Patres noſtros anathematizant. Hoc fuerit Deo acceptum, & Angelis, & ſanctis gaudium, concuſſis firmamentum; fundatis ſtabilimen, lapſis reſurrectio, omni Orthodoxorum Eccleſiæ exultatio, & tuæ certe Celſitudini ſecundum eos qui antiquitus præceſſerunt, æternum monimentum.*

Imp. obſtinatus in impietate gladio Eccleſiaſtico cōfigitur, & Deo vltore à coniuratis in templo ictibus confoditur.

Audiuerunt Pontifices Romani, ſanguineas Theodoti, & aliorum qui Romam accurrebant Orthodoxorum lachrymas; ac poteſtate ſuprema accincti, nihil monitiones paternas facientem Imperatorem; quin potius magis, & in ſancta, & in ſanctos debachantem, gladio Eccleſiaſtico confixerunt. Confixit, & Deus vltor ſceleris: qui coniuratis permiſit, vt impium, inter penetralia altaris, cruce quam execrandus execrabatur ſeſe defendentem, ictibus confoderint, & manu amputata, caput quoque ei reciderint: cum is neque piorum aut precibus, aut ſuaſionibus, neque oſtentis, & prædictionibus, ab amentia dimoueri ſe ſiuerit.

Viſio matris Leon. Arm Imp.

Aliquando, mater illius per viſum acceperat, ſe, cum in ædem Deiparæ Blachernenſem crebro commearet, virgini cuidam occurrere albatis viris ſtipatæ, porro ædem ſe videre ſanguine repletam, & Virginem cuidam albatorum mandare, vt ollam ſanguine impleret, matrique Leonis bibendum porrigeret, ſe autem multorum annorum viduitatem prætendere, cuius gratia, neque carnes, neq; quicquam ſanguine præditum guſtaſſet: ideoque etiam olla hac abſtineret. Tum Virginem iratam dicere: *Qui ergo filius tuus, non deſinet, ſe multo cruore implere, eoque me, & filium Deum meum irritare!* Referebat hæc ſæpiſſime, mater, Leoni, & vt ab Iconomachorum hæreſi abſtineret, hortabatur. Cæterum nihil hic penſi duxit ſtultus, paratus ad modum victimæ in diem vltionis diuinæ.

Mich. Balb. Imp. Iconoclaſta Conc. Ortod. & Iconocl. cogit.

Non eo melior Michael Balbus ſucceſſor, & ipſe, cenſuræ tum Pontificiæ, tum diuinæ ſubiectus. Copronymum per omnia imitatus, cultoribus imaginum inprimis negotium exhibuit, vtq;

Orthodoxi cum Iconomachis conuenirent, deque cultu imaginum coram diſſererent, laborauit.

Recuſantiũ Orthodoxorum reſponſum. *lib. 2. ep. 129*

Recuſarunt Catholici, & hæc vt Theodorus Studites diceret, edixerunt: *Iniquum, & alienum eſt, vt cum Heterodoxis ſermonem conferamus. Non enim de rebus ſæculi carniſque ſermo eſt, de quibus iudicandi penes Imperatorem poteſtas eſt, & iudicium ſæculare: ſed de diuinis ac cœleſtibus dogmatibus, quæ alijs commiſſa non ſunt, quam ijs quibus Deus verbum dixit:* Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlis. *Quinam autem hi ſunt, quibus hoc iuſſum fuit? Apoſtoli, & eorum Succeſſores. Quinam porro ſunt Succeſſores? QVI ROMANAM NVNC PRIMAM SEDEM TENET. Qui Conſtantinopolitanam ſecundum: qui Alexandrinam, & Antiochenam, qui Hieroſolymitanam. Hæc Prima Sedes Quinivertex, hoc eſt, Quinque Patriarcharum, poteſtas Eccleſiæ, penes hos diuinorum dogmatum iudicium. Imperatorum vero, & Præſidum eſt opē ferre, & comprobare quæ decreta ſunt, & reconciliare qui carnaliter diſſident atque diſcrepant. Haud aliud quicquam Regibus de diuinis dogmatibus, neque à Deo traditum eſt. Nec ſi aliquid ab eis in hoc negotio fiat, ſtabit. Propterea enim explaſa, & reiecta fuerunt, circa diuinarum imaginum dogma, ea quæ ſub Conſtantino quondam, & Leone, Regia potentia atque audacia in Conciliabulo acta, & perperam dicta ſunt, quorum cauſa diuiſa hæc noſtra Eccleſia fuit à cæteris quatuor, anathematiſmis affecta perennibus approbante Spiritu S. Poſt hæc, Deo miſerante, erectum eſt cornu fidei Orthodoxæ magna Irene imperium obtinente, cum ſurculo ſuo: quo tempore coaluerunt quæ diuulſa erant, vſque ad proximum Leonem. Sub quo iterum diſcerpta eſt Eccleſia noſtra, & ab iiſdem pariter anathemate damnata. Fieri ergo nulla ratione poteſt, Domine, vt ſæculari iudicio diuinum iudicium comparetur, aut coaleſcat hæc Eccleſia non conſentientibus quinque Patriarchis. Mittenda eſt ad Romanum (ſi à veritate deflexit Nicephorus Patriarcha) ex vtraque parte legatio, & inde fidei petenda certitudo. Etenim ſic res habet, vt ſi aberret vnus è Patriarchis, à cæteris eiuſdem ordinis (quemadmodum diuinus Dionyſius tradit) correctionem admittat: non ab Imperatoribus iudicetur exurgāt licet omnes quotquot vnquam fuerunt Imperatores Orthodoxi.*

Lud Occid. Imp. à Michael. Balbo pro ſententia rogatus negotiũ ad Rom. Pont. refert.

Miſerat Michael ad Ludouicum Occidentis Imperatorem Legatos, qui ſententiam requirerent. Cæterum tantum abeſt, vt is controuerſiæ de Imaginibus, aut de imaginum cultoribus cognitionem ſuſceperit, quin potius ad Eugenium Paſchalis ſucceſſorem totum negotium retulerit: ſciens, illius ſolius munus eſſe, his de rebus, & perſonis inquirere, Concilia conuocare, & quicquid ex canone Sacræ Scripturæ, Conciliorum, SS. Patrum & antiqua traditione eſſet, definire. Definiuit Eugenius: & Anathema omnibus Iconoclaſtis ex ſententia Concilij Romani dixit: quin, & nonnullos Epiſcopos, qui iuſſu Ludouici Imperatoris, prope Vrbem Pariſiorum, in cõſultationem de ſacrarum imaginum cultu conuenerant, ac retinendas quidem, non vero venerandas imagines decreuerant, redarguit: Iure merito, potens illos anathemate ferire, ſi pertinaciter errori adhæſiſſent: quemadmodum Claudius Taurinenſis Epiſcopus, Felicis in Concilio Francfordienſi damnati hæretici diſcipulus, & Michael Balbus, infeliciter adhæſerunt.

Iconoclaſtæ damnantur ab Eugē. Pp.

Claudius ſolus cupiens renouare vanitatum ſuarum ineptias, antequã diuerſorum contra eum ſcribentium telis perfoderetur, ſuo iudicio damnatus interijt: Michael paulo poſt dyſenteriæ morbo extinctus eſt: homo ſanguinarius, & profanus, & Iudæis addictus, qui reſurrectionem mortuorum non credebat, eoque bona futura ſuggillabat, Prophetas irridebat, dæmones eſſe negabat, ſcortationem peccatum non iudicabat, Iudæ ſalutem ominabatur interq; beatos illum numerabat; & ne quis imagini ſanctorum nomen ſancti adſcriberet, edicebat.

Mich: Balb. obitus.

Pari morte, in fuga exceſſit turpiſſima, & Theophilus Imperator Balbi filius, atque in impietate ſucceſſor, à Gregorio IV. propter hæreſim damnatus: niſi quod ad portas inferi fere deductus, imagines adorauit. Mira miranda ſunt, quia morienti acciderunt. Cum è viuis excedere deberet, os ſuum aperuit ſupra modum, ita vt etiam interiora ipſa intueri liceret. Auguſtā vero Theodora maximo propterea dolore affecta, vix ad ſomnum conuerſa, huiuſmodi viſionem aſpexit: Immaculatam ſcilicet Dei genitricem, infantem ante omnia ſæcula genitum vlnis geſtantem, & Angelis lucidiſſimis circumſeptam, Theophilum autem eius coniugem ab ipſis, flagris, & contumelijs affectum. Cum igitur ſomnus ipſam dimiſiſſet, & Theophilus parum reſpiraſſet, vehementer exclamauit: *Heu mihi miſero, qui propter ſanctas imagines percutior.* Qua re audita, Imperatrix, quamprimum Dei genitricis imaginem ſuper ipſum collocauit, illam multis cum lachrymis deprecans. Theophilus vero licet ita ſe haberet, cum vidiſſet adſtantium quendam imaginem paruam collo alligatam geſtantem, illam arreptam oſculabatur, & venerabatur. Quapropter continuo, illud os, quod antea aduerſus imagines rugiebat, & guttur, quod ita turpe apertum cernebatur, ad priorem ſtatum conuerſum eſt, & à frequenti illa anguſtia, & moleſtia requieuit, & obdormiuit: cum antea aperte confeſſus eſſet: *Bonum eſſe ſanctas imagines honorare, & venerari.*

Theophilus filius ob eãdem hæreſin damnatus. *Ex Triodo Græcorum.*

Mira quæ morienti Theophil. Imp. acciderunt.

Mich. Theoph. filius per omnia impius, & ſacrilegus. *Hiſt. Eccleſ. anno 863.*

Iſta, & alia plura, Michaelem Theophili filium, non continuerunt in officio pietatis, ad quam illi mater Theodora præibat. Namque is à Bardæ, & pædagogi auſpicijs planè ſimilis Neroni euaſerat, Diuum contemptu, ſæuitia, libidine, atque faſtidio matris recta conſulentis. Horror eſt cogitare, quia perditiſſimus in contumeliam ſacrorum perpetrabat, maximè cum Ignatium Patriarcham eieciſſet, & Photium ſceleribus patrandis idoneum, in Conſtantinopolitanam intruſiſſet, Bardus Photio affinis, in gratiam illius omnia infanda faciebat, Michaele, vino, laſciuia, & ſæuitia obruto. Cum talibus belluis potius quam hominibus, Nicolao Romano Pontifici, cuius iudicium Ignatius aduerſum hæreticos flagitauerat, fuit agendum. Confiſus tamen in eo qui dixit Petro, *Occide, & manduca*, nihil timuit contra truculenta monſtra, pro fidei Catholicæ, & iuſtitiæ æquitate, gladium Euangelicum diſtringere, quo & Michaelem Imperatorem, & Bardam auunculum illius,

Mich. Imp. Bardas, & Photius à Nicol. Pp. excommunicati.

illius, & Photinm intruſum, authores Latrocinalis contra Ignatium, & contra fidem Synodi, authotite Apoſtolica confixit. Probauit Deus ſententiam Pontificis. Non enim multum temporis præterjit, cum Bardam, ad pedes Imperatoris fugientem, coniurati obtrucariut, fruſtatimque conciderint: ac paulo poſt, ipſum quoque Michaelem, ex vino titubantem trucidarint: Photius vero, iterum ab Hadriano II. & aliquot Pontificibus Romanis, & Patribus Octauæ Oecumenicæ Synodi iuſſu Hadriani damnatus, neſcitur, qua morte occubuerit, ſupplicia æterna promeritus.

Bardas, & Mich. à cõiuratis trucidati.

In hunc modum, Patres Conſtantinopolitani Concilij, Photio acclamabant, poſtquam Nicolai, & Hadriani Pontificum Romanorum contra illum acta, lecta fuiſſent: *Photio ſæculari, & forenſi, anathema. Photio neophyto, & tyranno, anathema. Photio ſchiſmatico, & damnato, anathema. Photio mœcho, & parricida, anathema. Fabricatori mendaciorum, anathema. Inuentori peruerſorum dogmatum. anathema. Photio nouo Maximo Cynico, anathema. Nouo Dioſcoro, anathema. Nouo Iudæ, anathema. Omnibus ſequacibus, & fautoribus eius, anathema. Gregorio dudum Epiſcopo Syracuſano, anathema. Eulapio depoſito, & ſchiſmatico, anathema. Nicolai beatiſſimi Papæ Romani, æterna memoria. Noui Phinees, æterna memoria. Noui Danielis æterna memoria. Noui Martini, æterna memoria. Hadriano ſanctiſſimo Papæ Romano, multi anni. Interemptori noui Simonis, multos annos. Percutienti nouum mendacem Ananiam, multos annos.*

Photius ſæpius excommunicatus.

Patrũ Cõc. Conſtant. acclamatio contra Photium.

Ab hic acclamationibus, omnium in ore erant Iambi iſti;

Photius qui pridem inſuperabilem Petram
Fraudibus malignis conturbauit inſipienter;
Pellitur nunc vt atrociſſima fera
A thalamo caſto, & venerabilibus templis,
Sathanæ peſſimo miſerrimiſque tenebris
Bene præmiſſus, & paſſus, digne,
A iudicibus recte ſententibus atque ſanctis,
Doctiſſimo videlicet Nicolao
Hadrianoque diuino Papa Romano
Et Ignatio martyrium paſſo.
Et tribus reliquis ſedibus Orientis
Orthodoxis, & ſapientibus valde.

Ioannes quoque VIII. in Photium veteratorem, multa fraudibus conantem, ſententiam tulit: *Quicumque non habet damnatum Photium diuina ſententia, ſicut ipſum reliquit Nicolaus, & Hadrianus, ſanctiſſimi Papæ prædeceſſores, mei, ſit anathema.*

Ioan. VIII. in Photiũ ſententia.

Benedictus IX, & Leo IX. eadem conſtantia iudicandis vlciſcendiſque hæreticis. Horum temporibus Berengarius Turonenſis, Archidiaconus Andegauenſis, vna cum Brunone Epiſcopo Andegauenſi, execrandam hæreſim de Sacra Euchariſtia ſparſerant. Prædamnarat Robertus Rex impios, quod etiam volebat facere Henricus paternæ pietatis hæres, conuocato Triburienſi Concilio. Cæterum, quod Durandus Leodienſis Epiſcopus ſciret, Epiſcopum non oportere damnationis ſubire ſententiam, præter Apoſtolicam authoritatem, Henrico Regi author fuit, vt de ea re primo moneret Romanum Pontificem: *cum quo*, ait, *quæ vindicta in eos ſtatuetur deliberandum eſt*. Significauit Rex, primum Benedicto, deinde Leoni: qui Vercellis Concilium congregauit, ad quod Berengarius vocatus non venit. Lanfrancus autem Cantuarienſis Archiepiſcopus, in ſuſpicionem eiuſdem hæreſis adductus, cui antea in Romana ſynodo Leo præceperat vt ſurgeret, praui rumoris maculam à ſe abſtergeret, fidem ſuam exponeret, expoſitam plus ſacris auctoritatibus quam rationibus probaret; quamquam Romæ in Concilio Epiſcoporum ſurrexiſſet, quod ſenſit dixiſſet, quod dixiſſet probauiſſet quodque probaſſet ille, omnibus placuiſſet, nulli diſplicuiſſet, tamen non peius eum dimiſit, quam ad Synodum cum eo acceſſiſſet.

De Hæreſi Berengarij.

In hac Synodo, in audientia omnium, qui de diuerſis mundi partibus illuc conuenerant, Leonis auctoritate, ſententia Berengarij damnata eſt, & Fides S. Eccleſiæ quam Lanfrancus tenebat, & tenendam aſtruebat, audita, & concordi omnium ſenſu confirmata. Duo clerici, qui ſe legatos Berengarij dixerant, volentes ipſum defendere, in primo ſtatim auditu defecerunt, & capti ſunt. Vnde Berengarius furijs innectus, defunctum paulo poſt Sanctum Leonem maledicis verbis, & ſcriptis laceſſebat, ſanctiſsimum illud ac reuerendiſsimum Eccleſiæ Dei ſpeculum ſummum, non Pontificem, ſed pompificem atque pulpificem vocans, eumque infatuatione Lanfranci infatuatum Concilium vanitatis adunaſſe blaſphemans. Cæterum, Turonis item generali aggregato Concilio, præſente venerabili Gregorio Romano tunc Archidiacono, panem, & vinum in ſacrificio Domini, non vmbratice, ſed vere Chriſti carnem, & ſanguinem fieri, dato propriæ manus Sacramento, confirmauit. Inde poſtmodum deſipiſcens, itidem Romæ in Generali Concilio, conflictu rationis reuinctus, libellos ſuos propria manu ſub præſentia felicis memoriæ Papæ Nicolai, coram omni Synodo cremauit, errorem anathematizauit, confeſſionemque bonam quam Turonis fecerat, præſtito itidem propriæ manus Sacramento renouauit his verbis: *Ego Berengarius anathematizo omnem hæreſim: conſentio autem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ ſedi, & ore, & corde profiteor, de Sacramentis Dominicæ menſæ eam fidem me tenere, quam Dominus venerabilis Papa Nicolaus, & hæc ſancta Synodus authoritate Euangelica, & Apoſtolica tenendam tradidit, mihique firmauit: ſcilicet, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem, non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe. Eos autem qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & ſectatoribus ſuis æterno anathemate dignos pronuncio.*

Leonis Pp. ſentẽtia Bereng. damnata.

Gutmundus de Sacramento altaris.

Berengarius libros ſuos cremat & bonam fidei profeſſionem emittit.

Antequam palinodiam ceciniſſet, traditus in reprobum ſenſum, etiam Eccleſiam Romanam vocabat Eccleſiam malignantium, Concilium vanitatis, & ſedem Sathanæ: quod quidem, hactenus, vt Lanfrancus garrienti reponebat, *garriſſe nemo legitur, non hæreticus, non ſchiſmaticus, non falſus aliquis Chriſtianus. Quotquot enim*, ait, *à primordio Chriſtianæ Eccleſiæ, Chriſtiani nominis dignitate gloriati ſunt, & ſi aliqui relicto veritatis tramite, per deuia erroris incedere maluerunt; Sedem Sancti Petri Apoſtoli magnifice honorauerunt, nullamque aduerſus*

eam huiuſmodi blaſphemiam vel dicere, vel ſcribere, præſumpſerunt.

Michaelis Cerul. Patr. Coost. errores ex ſententia Leonis PP. condemnati. *hiſt. Eccl. an.* 1054.

A Berengario doctus, Michael Cerularius Patriarca Conſtantinopolitanus etiam in cælum os ponere, & Romanam Eccleſiam, omneſque Latinos contumelijs grauiſſimis, homo hæreticus, proſcindere voluit. Non tulit iniuriam fidei Leo Papa, ſed Legatos, qui cognoſcerent, vtrum clamor opere completus fuiſſet, Conſtantinopolim miſit; qui renunciatis omnibus Patriarchæ ſchiſmaticorum erroribus ex ſententia Leonis condemnarunt profanum decernentes.

De Mich. Cerul. perniciosis erroribus.

Quantum ad Michaelem abuſiue dictum Patriarcham, & eius ſtultitiæ fautores attinet, nimia Hizania hæreſeon quotidie ſeminantur in medio eius. Quia ſicut Simoniaci, donum Dei vendunt. Sicut Valeſij, hoſpites ſuos caſtrant, & non ſolum ad clericatum, ſed inſuper ad Epiſcopatum promouent. Sicut Ariani, rebaptizant, In nomine Sanctæ Trinitatis baptizatos, & maxime Latinos. Sicut Donatiſtæ, affirmant, excepta Græcorum Eccleſia, Eccleſiam Chriſti, & verum ſacrificium atque baptiſmum ex toto mundo perijſſe. Sicut Nicolaitæ, carnales nuptias concedunt, & defendunt, ſacri altaris miniſtris. Sicut Seueriani, maledictam dicunt legem Moyſi. Sicut Pneumatomachi, vel Theomachi abſciderunt à Symbolo Spiritus ſancti proceſſionem in Filio. Sicut Manichæi, inter alia quodlibet fermentatum fatentur eſſe animatum. Sicut Nazareni, carnalem Iudæorum munditiam adeo ſeruant, vt paruulos morientes ante octauum à natiuitate diem baptizari contradicant; & mulieres in menſtruo vel partu periclitantes communicare, vel ſi paganæ fuerint baptizari prohibeant; & capillos capitis ac barbas nutrientes, eos qui comas tondent, & ſecundum inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ barbas radunt, in communione non recipiant. Pro quibus erroribus, & alijs pluribus factis ſuis ipſe Michael literis Domini noſtri Leonis Papæ admonitus, reſipiſcere contempſit.

Inſuper nobis nuntijs illius, cauſas tantorum malorum rationabiliter reprimere volentibus: præſentiam ſuam, & colloquium denegauit, & Eccleſias ad miſſas agendum interdixit: ſicut & prius Latinorum Eccleſias clauſerat, & eos Azymitas vocans, verbis, & factis vbique perſequutus fuerat, in tantum vt in filijs ſuis anathematizaſſet ſedem Apoſtolicam, contra quam ſe ad huc ſcribit œcumenicum Patriarcham. Vnde *nos quidem ſanctæ primæ, & Apoſtolicæ ſedis inauditam contumeliam & iniuriam non ferentes, Catholicamque fidem multis ſubrui modis attendentes, auctoritate ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, atque Apoſtolicæ ſedis cuius legatione fungimur, & cunctorum Orthodoxorum Patrum, & Conciliorum ſeptem, atque totius Eccleſiæ Catholicæ, anathemati quod Dominus noſter Reuerendiſſimus Papa eidem Michaeli, & ſuis ſequacibus, niſi reſipiſcerent, denunciauit, ita ſubſcribimus: Michael abuſiuus Patriarca, Neophytus, & ſolo humano timore habitum Monachorum adeptus nunc etiam, criminibus peſſimis à multis diffamatus; atque cum eo Leo Acridanus Epiſcopus dictus; & Sacellarius ipſe Michaelis Conſtantinus, qui Latinorum ſacrificium profanis conculcauit pedibus; & omnes ſequaces eorum in præfatis erroribus, & præſumptionibus ſiut anathema Marantha cum Simoniacis, Valeſijs, Arrianis, Donatiſtis, Nicolaitis, Seuerianis, Pneumatomachis, Manichæis, & Nazarenis, & cum omnibus hæreticis, imo cum Diabolo & Angelis eius, niſi forte reſipuerint, Amen, Amen, Amen. Quicumque Fidei ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ ſedis, eiuſque ſacrificio impertinenter contradixerit; ſit anathema maranatha, nec habeatur Chriſtianus Catholicus, ſed Procimita hæreticus. Fiat, fiat, fiat.*

Legati Apoſtolici denunciant Rom. Pont. anathema Michaeli Cerul. obſtinato.

Ad hunc modum cum Leo hæreticos damnaret, Henricus quoque II. Imperator, non eis pepercit. Nam Goslariæ natalem Domini celebrans, cum ibi aliquo Manichæorum eſſe intellexiſſet, omnes patibulo ſuffigi imperauit, ne cæteros inficerent.

Manichæi ab Hen. II. Imp. ſuſpēſi.

A Græcanico contagio, duæ hæreſes præcipuę, Simoniacorum videlicet, & Nicolaitarum, aliquas Occidentis prouincias infecerant. Ad harum authores perquirendos damnandoſque Victor II. Pontifex intentus, Hildebrandum S. Roman. Eccleſ. ſubdiaconum, Legatum in Gallias miſit. Is Lugduni Concilio conuocato, hoc miraculo, quendam Archiepiſcopum Simoniæ accuſatum conuicit. *Credis ne*, ait, *ò Archiepiſcope, Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio vnam eſſe ſubſtantiam Deitatis?* quo reſpondente; *Credo*, addidit Legatus: *Dic Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, Tunc ille, *Gloria Patri, & Filio*, expedite dicebat, ſed *Spiritui ſancto*, nullatenus potuit proferre. Quem verſum cum frequenter inchoaret, nihil proficeret, videns ſe per diuinum iudicium omnino confuſum, procidit ad pedes Legati, confitens ſe Simoniæ criminis reum eſſe. Poſtquam vero à Sacerdotali, & Epiſcopali officio depoſitus eſt, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, libera, & clara voce decantauit. Quod factum Simoniacos in tantum perterruit, vt Epiſcopi 45. alij Prælati Eccleſiarum XXVII. Simoniacos ſe eſſe confeſſi, dignitatibus ſeſe abdicarint. Nicolaus II. non ſegnior in ijſdē vindicandis, contra Nicolaitas ſanxit. *Nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere aut ſubintroductam mulierem.* Contra vtroſque autem Petrum Damiani Legatum miſit: qui ſynodo Mediolani congregata, tantum conatus eſt, vt & Epiſcopum iuramento obligarit, & Clerum reliquum induxerit ad extirpandas Simonis, & Nicolai turpes labes. Florentiæ quoque Synodum, ab Alexandro II. miſſus Damianus celebrauit: vbi cum Petrus cognomento Igneus, Petrum eiuſdem vrbis Epiſcopum, miraculo ignis quem ille illæſus tranſierat Simoniacæ hæreſis conuiciſſet, Alexander conuictum ab Epiſcopio depoſuit.

Victor. II. legatum in Gallias mittit propter hæreſes exortas. *anno* 1055.

Miraculum de Simoniaco Epiſc.

Alexand. II contra hæreſes ſtrenue decertat.

Moguntinum quoque Coloniensem, & Bambergenſem Epiſcopos Alexander, Romam euocauit: & Moguntino quidem atque Bambergenſi diem pro Simoniaca hæreſi dixit: fatentibus pœnitentiam ſalutarem impoſuit; atque ad propria reuerti permiſit: cooperante in hæreticis extirpandis Hildebrando, Sanctę Romanæ Eccleſiæ Cancellario qui etiā ad Pontificatum aſſumptus, in Concilijs, Henricianæ hæreſis accuſatos, iudicauit, & ab Epiſcopali Sacerdotalique officio, reos peractos abdicauit, coram quo inſuper relapſus

Beren-

Berengarius, hæreſim eiurauit; atque is ſilentium ei perpetuum niſi quantum opus eſſet ad conuerſionem eorum quos ſeduxerat, impoſuit: nec non Henricum Imperatorem hæreſis conditorem anathemate percuſſit, Regnoque priuum decreuit, cuius ſententiam poſtea Vrbanus II. confirmauit. Deus autem inſigni vltione, Henricum, à filio expelli, regno priuari, miſereque mori permiſit adeo vt cadauer defuncti diuturno tempore extra Eccleſiam iacuerit.

Neque minus Paſchalis II. Henrico IIII. paternæ hæreſis ſucceſſori pepercit, ſed canonica cenſura, illum & ſectarios notauit: quod & Gelaſius II. & Caliſtus II. fecit donec Imperatoris peruicaciam fregiſſent, & melius ſapere docuiſſent.

Romanorũ Pont. de diuerſis hæreſibus iudicia.

Secutus eſt Innocentius II. qui Arnoldum Brixienſem, & Petrum Abailardum in Concilio Romano damnauit. Eugenius autem III. Petrum Bruis, & Petrobuſianos, atque Henricum quendam apoſtatam & Gilbertum Poretanum contra quos S. Bernardus Claræuallenſis, & diſputationibus, & miraculis dimicauerat, diris percuſſit in Concilio Rhemenſi. Quo etiam tempore Eudo quidam hæreſiarcha, tantæ pertinaciæ diſcipulos fecit, quos ſcientiam, Sapientiam & iudicium appellauit, vt hi magis ardere, quam corrigi maluerint, flammis vbique addicti. Eudo autem pro contumaci ſatuitate ſua, Sigerio Abbati S. Dionyſij commiſſus, ab eoque arctæ cuſtodiæ mancipatus, vitam breui amiſit omnibus monitis ſalutaribus contemptis. Ab his pſeudomagiſtris emerſerunt peiores diſcipuli, Cathari, & Pathareni, ſeu Publicani, quos Alexander III. in Concilio Lateranenſi anathemati ſubiecit. A Patharenis deinde, Humiliati, Pauperes de Lugdono, Waldenſes, Albigenſes, noui Anabaptiſtæ & recentes Manichæi, Arnoldiſtæ, Speroniſtæ, Paſſageni, Toſſepeni, & alia portentoſa monſtrua, Innocentii III. & IIII. Honorij III. & IV. Gregorij IX. & X. Alexandri IV. Nicolai IV. & aliorum Pontificum iudicium ſubire. Sanè Innocentius III. per Pariſienſem Epiſcopum egit, vt ex ſepulchro erueretur Almaricus Pariſienſis Doctor, & cremaretur: quoniam, quamquam eum pænituiſſe viſum eſſet hæreſis, qua alias laborarat, (hæc autem ſimplicis Spiritus nomine ab eo appellabatur) hæreſis ipſa adhuc repullulare putabatur. Contra Albigenſes quoque, qui ferè vniuerſam Galliam infecerant, non ſolùm viros doctrina, & ſanctitate præſtantes miſit, verumetiam piam militiam decreuit: vt ſi minus gladio verbi Dei percellerentur, armis tamen, aut perterrentur, aut prorſus cohiberentur, vel extirparentur. Simon Montfortius ſæculi ſui Machabbęus, ingentes triumphos egit de proſtrata armis impietate; quam in Hiſpanijs Ildephonſus Rex Aragonum, in Imperio autem Romano Fridericus Imperator, legibus arcendam eſſe putauerunt. Omitto eam quam Alphonſus, has adſcribo, quas Imperator in omnes hæreticos promulgauit, iſtis verbis.

I.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus, Hieruſalem, & Siciliæ Rex, dilectis Principibus ſuis, Venerabilibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſque Prælatis Eccleſiarum, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Poteſtatibus, Sculteris, Burgrauijs, Aduocatis, Iudicibus, Miniſterialibus, Officialibus, & omnibus per totum Imperium conſtitutis præſentes litteras inſpecturis fidelibus ſuis, gratiam ſuam, & omne bonum.

Federici Imper. Leges contra omnes hæreticos, eorum defenſores, ac receptatores.

Commiſſi nobis cœlitus cura regiminis Imperialis, cui dante Domino præſidemus, faſtigium dignitatis, materialem quo diuiſim à Sacerdotio fungimur gladium aduerſus hoſtes fidei, & in exterminium hæreticæ prauitatis exigunt, vt perfidiæ filios contra Dominum, & Eccleſiam inſultantes, tanquam materni vteri corroſores in iudicio, & iuſtitia perſequamur: maleficos viuere non paſſuri, per quorum ſcientiam ſeductricem mundus inficitur, & gregi fidelium per oues has morbidas grauius infligitur corruptela. Statuimus itaque ſancientes, vt hæretici quocunque nomine cenſeantur, vbicumque per Imperium damnati fuerint ab Eccleſia, & ſęculari iudicio aſſignati animaduerſione debita puniantur. Si qui verò de prædictis poſtquam fuerint deprehenſi, territi metu mortis redire voluerint ad fidei vnitatem, iuxta Canonicas ſanctiones ad agendam pœnitentiam in perpetuum carcerem detrudantur. Prætereà quicunque hæretici reperti fuerint in Ciuitatibus, Oppidis, ſeù alijs locis Imperij per Inquiſitores ab Apoſtolica Sede datos, & alios Orthodoxæ fidei delatores, ſi qui iuriſdictionem ibidem habuerint, ad Inquiſitorum, & aliorum Catholicorum virorum inſinuationem, eos capere teneantur: & eos captos arctius cuſtodire, donec per cenſuram Eccleſiaſticam condemnentur, & damnabili morte pereant, qui fidei Sacramenta, & vitæ damnabant. Simili quoque pœna plecti cenſemus omnes, quos ad fouendum hæreticorum errorem, callidi hoſtis aſtutia ſuſcitat aduocatos, vel parat illicitos defenſores: maximè cùm facinus, quos inquinat, æquat; niſi monitione præmiſſa deſtiterint, & eorum vitæ duxerint conſulendum. Eos præterea, qui conuicti in vno loco fuerint de hæreſi, & ad alia loca ſe transferunt, vt cautiùs poſſint effundere virus hæreticæ prauitatis, debitam cenſemus ſubire vindictam: niſi ſuper hoc viros ab eodem errore conuerſos ad fidem, nec non & per alios, qui eos de hæreſi conuicerint (quod & in hoc caſu concedimus licitè faciendum) eorumdem teſtimonium habeatur. Item mortis ſententiæ ducimus adijciendos, ſi quos hæreticorum ad iudicium tractos, in extremo vitæ periculo hæreſim abiurantes, poſtmodum de falſo iuramento conſtiterit, & fide mentita conuinci, ac eos contigerit eiuſdem morbi ſpontaneam incurrere recidiuam, vt ſibi damnabilius iniquitas ſit mentita, vt pœnam debitam mendacium non euadat. Omne inſuper proclamationis, & appellationis beneficium, ab hæreticis, receptatoribus, & fautoribus eorundem penitùs amouemus; volentes, vt de finibus noſtri Imperij, in quibus ſemper exiſtere debet vera fides, hæreticæ labis germina, modis omnibus deleantur. Cæterum, quia quanto maiora diuinæ nutu miſerationis accepimus, & altio-

Negatur ipſis beneficiũ appellationis.

rem

,rem locum pro filijs hominum obtinemus,
,tanto debemus deuotiora obſequia gratitu-
,dini conferentis: ſi quando igitur in noſtri
,nominis contemptores excandeſcit authori-
,tas: ſi reos læſæ maieſtatis, in perſonis eo-
,rum, & ſuorum, & liberorum exhæredatione
,damnamus; multò fortiùs, iuſtiuſque con-
,tra Dei blaſphematores nominis, & Catholi-
,cæ detractores fidei prouocamur: eorumdem
,hæreticorum, receptatorum, fautorum, &
,aduocatorum ſuorum hæredes, & poſteros,
,vſque ad ſecundam generationem; beneficijs
,cunctis temporalibus, publicis officijs, & ho-
,noribus, Imperiali auctoritate priuantes; vt
,in paterni memoriam criminis continuo mœ-
,rore tabeſcant verè ſcientes, quod Deus eſt
,Zelotes, peccata patrum in filios potenter
,vleiſcens. Nec quidem à miſericordiæ fini-
,bus duximus excludendum, vt ſi qui paternę
,hæreſis non ſequaces, latentem patrum perfi-
,diam reuelauerint, quacumque reatus illo-
,rum animaduerſione plectantur, prædictæ pu-
,nitioni non ſubiaceat innocentia filiorum.
,Adhæc notum fieri volumus, Fratres Prædi-
,catores de Ordine Prædicatorum, pro fidei
,negotio in partibus Imperij noſtri contra
,hæreticos deputatos; cæteros quoque, qui ad
,hæreticos iudicandos acceſſerint, & venerint,
,niſi aliqui eorum ab Imperio ſint proſcripti;
,eundo, morando, & redeundo, ſub noſtra,
,& Imperiali defenſione ſpeciali recipimus: &
,quod apud omnes ſub ope, & recommenda-
,tione fidelium Imperij eſſe volumus inoffen-
,ſos vniuerſitati veſtræ mandantes, quatenus
,quocumque, & apud quemcumque veſtrum
,peruenerint, benignè recipiatis eoſdem; &
,perſonas eorum ab incurſu Hæreticorum eis
,inſidiantium conſeruantes indemnes, omne
,conſilium, ducatum, & auxilium impendatis:
,pro tam acceptis coram Deo negotijs exe-
,quendis. Hæreticos verò, quos oſtenderint
,ipſi vobis, in iuriſdictione veſtra ſinguli ca-
,pientes, diligenti cuſtodia detinendos donec
,poſt Eccleſiaſticæ damnationis iudicium,
,pœnam ſubeant quam merentur: ſcituri, quod
,in executione ipſius negotij, gratum Deo, &
,laudabile nobis obſequium conferetis, ſi ad
,expellendam de partibus noſtri Imperij ne-
,uam, & inſolitam hæreticæ prauitatis infa-
,miam, opem, & operam, vnà cum eiſdem
,Fratribus præſtiteritis efficacem. Et ſi quis
,foret exinde negligens, & remiſſus, inutilis
,coram Domino, & in conſpectu noſtro po-
,tuerit merito culpabilis apparere. Datis Pa-
,duæ XXII. Februarij.

II.

,Fridericus, Dei Gratia &c. Inconſuti-
,lem tunicam Dei noſtri diſſuere conantur hę-
,retici, & vocabuli vitio ſæuientes, quod ſi-
,gnificationem diuiſionis enunciat, & in ipſius
,indiuiſibilis fidei vnitatem nituntur induce-
,re ſectionem, & oues à Petri cuſtodia, cui
,paſcendæ à Paſtore bono ſunt creditæ, ſegre-
,gare. Hi ſunt lupi rapaces intrinſecus, eouſ-
,que manſuetudinem ouium prætendentes,
,quouſque ouile poſſint Dominicum ſubintra-
,re. Hi ſunt Angeli peſſimi. Hi ſunt filij pra-
,uitatem, à patre nequitiæ, & fraudis aucto-
,re ad decipiendas ſimplices animas deſtinati.
,Hi ſunt colubri, qui columbas decipiunt. Hi
,ſunt ſerpentes, qui latenter videntur inſer-
,pere, & ſub mellis dulcedine virus euomunt:
,& dum vitæ cibum miniſtrare ſe ſimulant, à
,cauda feriunt, & mortis poculum velut quod-
,dam diriſsimum aconitum immiſcent. Ho-
,rum ſectæ veteribus non ſunt notatæ nomini-
,bus, vel ne in publicum prodeant, vel (quod
,eſt forte nefandius non contentæ, vt velut ab
,Arrio Arriani, vel à Neſtorio Neſtoriani, aut
,à ſimilibus ſimiles nuncupentur; ſed in exem-
,plum martyrum, qui pro fide Catholica mar-
,tyrium ſubierunt, Patarenos ſe nominant, ve-
,lut expoſitos paſſioni. Huiuſmodi miſeri
,Patareni, à quibus abeſt ſancta credulitas
,Trinitatis æternæ, ſub vno contextu nequi-
,tiæ inſimul tres offendunt, Deum videlicet,
,proximos, & ſeipſos. Deum: dum Dei Fi-
,lium, & fidem non agnoſcunt. Decipiunt
,proximos, dum ipſis ſub ſpecie ſpiritualis ali-
,moniæ, hæreticæ prauitatis oblectamenta
,miniſtrant. Crudelius etiam ſæuiunt in
,ſeipſos, dum præter animarum diſpendium
,corpora deniq; ſæuæ mortis illecebris, quam
,per agnitionem veræ fidei poſſent euadere,
,vitæ prodigi, & necis improuidi ſectatores
,inuoluunt: & (quod eſt ipſo dicto duriſſimum)
,ſuperſtites etiam non terrētur exemplo. Con-
,tra tales igitur, Deo & hominibus ſic infeſtos,
,continere non poſſumus motus noſtros, quin
,debitæ in eos vltionis gladium exeramus, &
,tanto ipſos perſequamur inſtantius, quantò
,in euidentiorem iniuriam fidei Chriſtianæ,
,propè Romanam Eccleſiam, quæ caput om-
,nium aliarum Eccleſiarum iudicatur, ſuper-
,ſtitionis ſuæ ſcelera latiùs exercere noſcuntur
,adeò, quod ab Italiæ finibus, & præſertim
,à partibus Lombardiæ, in quibus pro certo
,perpendimus ipſorum nequitiam amplius
,abundare, iamque vſque ad Regnum noſtrum
,Siciliæ, ſuæ perfidiæ riuulos deriuarunt. Quod
,acerbiſſimum reputantes, ſtatuimus impri-
,mis, vt crimen hæreſeos, & damnatæ ſectæ
,cuiuslibet, quocumque nomine cenſeantur
,ſectatores, (prout veteribus legibus eſt indi-
,ctum) inter publica crimina numerentur: imò
,crimine læſæ maieſtatis iniuriam noſcitur at-
,tentatum, quamuis iudicij poteſtate alterum
,alteri non excedat. Nam ſicut perduellio-
,nis crimen perſonas adimit damnatorum, &
,bona, & damnat poſt obitum etiam memo-
,riam defunctorum; ſic & in prædicto crimine
,quo Paterni notantur, per omnia volumus
,obſeruari. Et vt ipſorum nequitia qui (quia
,Deum non ſequuntur) in tenebris ambulant,
,detegatur, etiam nemine deferente, inueſti-
,gari volumus diligenter huiuſmodi ſcelerum
,patratores, & per Officiales noſtros, ſicut
,& alios malefactores inquiri: ac inquiſitione
,notatos, etiamſi leuis ſuſpicionis argumento
,tangantur, à viris Eccleſiaſticis, & Prælatis
,examinari iubemus. Per quos, ſi inuenti
,fuerint à fide Catholica ſaltem in aliquo de-
,uiare, ac per ipſos paſtorali more commoni-
,ti, tenebroſis Diaboli relictis inſidijs nolue-
,rint agnoſcere Deum lucis, ſed in erroris
,concepti conſtantia perſeuerent, præſentis no-
,ſtræ legis edicto damnatos, mortem pati Pa-
,terenos, alioſque hæreticos quocumque no-
,mine cenſeantur, decernimus quam affectant,
,vt viui in conſpectu hominum comburantur,
,flammarum commiſſi iudicio. Nec dole-
,mus, quod in hoc ipſorum ſatisfacimus vo-
lun-

Pœna in poſteros ad ſecundam generationem.

Contra Patarenos.

luntati, ex quo pœnam ſolummodo, nec fructum aliquem alium conſequuntur erroris. Apud nos pro talibus nemo intercedere præſumat. Quod ſi quis fecerit, in ipſum noſtræ indignationis aculeos non immerito conuertemus. Dat, Paduæ XXII. Februarij.

III.

Contra Patarenorum receptores.

Patarenorum receptatores, & complices & quocumque modo fautores, qui vt à pœna poſſint alios eximere, de ſe velut improuidi non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum cenſemus. Et ipſorum filij, ad honores aliquos nullatenus admittantur, ſed infamiæ perpetuæ nota laborent: vt nec in teſtes, nec in cauſis, quibus repelluntur infames aliquatenus admittatur. Si tamen aliquis de filijs fautorum huiuſmodi detexerit aliquem Patarenum, de cuius perfidia manifeſtè probatur, in fidei premium quam agnouit famæ priſtinæ de Imperiali clementia, reſtitutionis beneficium in integrum conſequatur.

IV.

Banniuntur omnes hæretici cum bonorum confiſcatione.

Catharos, Patarenos, Speroniſtas, Leoniſtas, Arnoldiſtas, Circumciſos, Paſſagines Ioſephinos, Garatenſes, Albanenſes, Franciſcos, Begardos, Commiſſos, Valdenſes, Romanolos, Communellos, Varinos, Ortulenos, cum illis de Aquanigra, & omnes hæreticos vtriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus, cenſentes, vt bona talium confiſcentur, nec ad eos vlterius reuertantur: ita quod filij, ad eorum ſucceſſionem peruenire non poſſint; cum longe ſit grauius æternam quam temporalem offendere maieſtatem. Qui autem inuenti fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi ad mandatum Eccleſiæ iuxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ, propriam innocentiam congrua purgatione monſtrauerint, tamquam infames, & banniti ab omnibus habeantur; ita quod, ſi ſic per annum permanſerint, extunc eos ſicut hæreticos condemnamus. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, vt Poteſtates, & Conſules, ſeu Rectores quibuſcumque fungantur officijs, pro defenſione Fidei præſtent publicè iuramentum, quod de terris iuriſdictioni ſuæ ſubiectis, vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos, bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt: ita quod à modo, quandocumque quis fuerit in perpetuam poteſtatem, vel temporalem aſſumptus, hoc teneatur Capitulum iuramento firmare: alioquin, neque pro Poteſtatibus, neque pro conſulibus ſeu conſimilibus habeantur, eorumque ſententias ex tunc irritas decernimus, & inanes. Si vero Dominus temporalis requiſitus, & monitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, poſt annum à tempore monitionis elapſum terram ipſius exponimus Catholicis occupandam: qui eam, exterminatis hæreticis, abſque vlla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſeruent, ſaluo iure Domini principalis: dummodò ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat; eadem nihilominus lege ſeruata, contra eos qui non habent Dominos principales. Credentes præterea, receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum bannimus: ſtatuentes, vt ſi poſtquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus ſatisfacere contempſerit infra annum extunc ipſo iure ſit factus infamis, nec ad publica officia, ſeu conſimilia, vel ad aliquos eligendos ad huiuſmodi, nec ad teſtimonium admittatur. Sit etiam inteſtabilis, nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Nullus ei præterea, ſuper quocumque negotio reſpondeat, ſed ipſe aliis reſpondere teneatur. Quod ſi iudex extiterit, eius ſententia nullam obtineat roboris firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad eius audientiam deferantur. Si fuerit Aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, eius inſtrumenta confecta per manum eius nullius penitus ſint momenti. Adiicimus inſuper, quod hæreticus per hæreticum conuinci poſſit: & quod domus Patarenorum, defenſorum & fautorum, ſeu vbi docuerint, ſiue vbi aliis manus impoſuerint, deſtruantur, nullo tempore reſtaurandæ. Datum Paduæ XXII. Febr.

Similiter, & eorum receptatores.

Hęc Fridericus Imperator ſanciebat, monitore Honorio III. Pontifice Romano, qui quod ſciret Diuum Dominicum Ordinis Prædicatorij Conditorem, maximam cum Fratribus Prædicatoribus nauaſſe operam in hæreticis conuertendis, euertendiſque, vniuerſa fere negotia fidei Orthodoxæ, illi, illiuſque Ordinis Fratribus tractanda, tuendaque commiſerat, impoſito illi inprimis, tum Magiſterio Sacri Apoſtolici Palatij, interpretandis Sacris Scripturis, librisque cenſendis, tum Sacræ Fidei Quæſitura, de tegendis, & ab errore reuocandis, vel ſi perſiſterent in impietate, damnandis hæreticis. Ingenti bono reipublicæ Chriſtianæ, gemellum munus exceperunt à Sede Apoſtolica, proximè ſuccedentes in vices Dominicani: illud Propheticum in Patriarca ſuo hactenus impleri videntes in re Orthodoxa ſeruanda: *Spiritus meus qui eſt in te, non recedet de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodo, & vſque in ſempiternum*: Quod enim Italia, Hiſpania, Gallia, Sicilia, antiqua dogmata retinent, & ea propter optatiſſimam pacem fruuntur, per hos fidei Cenſores ſtetit, qui ab his religioſiſſimis Regnis, frequenter hæreſiarchas profligarunt, errores eradicarunt, ſeditioneſque, & tumultus qui ex miſcella religione naſci ſolent, præuerterunt, atque in ſemine ſuppreſſerunt. Illo ipſo Friderico, qui legem aduerſus hæreticos ſanxit, rerum potente, vniuerſa fere Italia in Manichæiſmum abibat. Detexit, & oppreſſit illos Petrus Mediolanenſis Inquiſitor; & ſanguinem abunde dedit pro hæreſi extirpanda, à ſicarijs occiſus. Reliquiæ Manichæorum paulo poſt Mediolani excitatæ, iam ſectam fecerant, auctoribus Andrea Seramita, & Guillelma. His conſuetudo fuerat, mares ac fœminas occulto in loco ſub Bariloti nomine, ad Bacchanalem exercendam licentiam congregandi: vbi peractis ſacris quæ Guillelma in Sacerdotali veſte obibat, cum cæteri in Clericorum habitu miniſtrarent, extincto lumine, promiſcuæ libidinis genus omne permittebatur. Detectos conſceleratos, iuſſu Pontificis Bonifacij VIII. & Clementis V. iudicarunt extinxeruntque

Honorius III. Pp negotia fidei orthodoxæ Fratribus Ord. Prædic. tractanda ac tuenda commiſit impoſito illis Magiſterio ſacri Palatij.

S. Pet. mart. Dominicanus.

Dominicani Inquiſitores detegunt Manichæos Mediolani.

que Dominicani Inguiſitores: cum Andreas viuens cum aliquot huius ſectæ hominibus conbuſtus fuiſſet, additumque Guillelmæ cadauer, quæ antea mortua erat, & vſque ad id tempus in Claræuallis monaſterio ſepulta, ſanctarum honore colebatur. Quo etiam tempore Bonifacius VIII. ab Inquiſitione Dominicani Inquiſitoris certior factus, Hermanui Pongilnpi eremitæ corpus, Ferrariæ honorifica ſepultura decoratum, poſt viginti annos erui, cremari, cinereſque in profluentem amnem proijci iuſſit: quoniam certiſſimis argumentis poſt mortem eius detectum fuerat, ipſum in Fratricellorum hæreſi fuiſſe. Quod Fratricellos attinet; eorum complures, Bonifacius VIII. Clemens V. & Ioannes XXII. flammis addixere: alios in ergaſtula conieccere. Addir Clemens V. Templarios in Concilio Viennenſi damnare Ioannes XXII. hoſtes poſſeſſionum Ecceleſiæ, & Patrimonij Chriſti erroris arguere, & de peruicacibus ſupplicium ſummere: Gregorius XI. Raymundum Lullum Cathalanum propter hæreſes quam plurimas iudicare: Martinus V. Ioannem Huſſum, & Hieronymum Praganum, in Concilio Conſtantienſi, ignibus tradere: Vrbanus VI. Ioannem Wicelefſum anathemate percutere; Paulus II. Gregorium Podiebradium Regem Boemiæ atque Thaboritas, & reliquos Huſſi ſectarios Boëmos; cenſura Eccleſiaſtica notare; Leo X. in Martinum Lutherum, fidei Orthodoxæ, & religionis probatæ deſertorem, hæc quæ adiungo edicere.

Herm. Pōgilupi corpus poſt XX. annos è terra erui, & cremari iuſſit Bonifac. VIII.

Leo Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Bulla Leon. X. contra Lutherum, & eius hæreſes.

EXurge Domine, & iudica cauſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipientibus fiunt tota die. Inclina aurem tuam ad preces noſtras quoniam ſurrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam cuius tu torcular calcaſti ſolus, & aſcenſurus ad Patrem, eius curam, regimen, & adminiſtrationem Petro tamquam Capiti, & tuo Vicario, eiuſque ſucceſſoribus inſtar triumphantis Eccleſiæ commiſiſti. Exterminare nititur eam aper de Sylua, & ſingularis ferus depaſcitur eam. Exurge Petre, & pro Paſtorali cura præfata tibi (vt præfertur) diuinitus demandata; intende in cauſam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Matris omnium Eccleſiarum, & fidei Magiſtræ; quam tu, iubente Deo, tuo ſanguine conſecraſti: contra quam, ſicut tu præmonere dignatus es, inſurgunt Magiſtri mendaces, introducentes ſectas perditionis, ſibi celerem interitum ſuperducentes; quorum lingua ignis eſt, inquietum malum, plena veneno mortifero: qui zelum amarum habentes, & contentiones in cordibus ſuis, gloriantur, & mendaces ſunt aduerſus veritatem. Exurge tu quoque quæſumus Paule, qui eam tua doctrina, & pari martyrio illuminaſti atque illuſtraſti. Iam enim ſurgit nouus Porphyrius; quia ſicut ille olim ſanctos Apoſtolos iniuſte momordit, ita hic ſanctos Pontifices prædeceſſores noſtros, contra tuam doctrinam, eos non obſecrando ſed increpando, mordere, lacerare ac vbi cauſæ ſuæ diffidit, ad conuicia accedere non veretur, more hæreticorum, quorum (vt inquit Hieronymus) vltimum præſidium eſt, vt cum conſpiciant cauſas ſuas damnatum iri, incipiant virus ſerpentis lingua diffundere; & cum ſe victos conſpiciant, ad contumelias proſilire. Nam licet hæreſes eſſe ad exercitationem fidelium tu dixeris oportere; eas tamen, ne incrementum accipiant, neue vulpeculæ coaleſcant, in ipſo ortu, te intercedente, & adiuuante, extingui neceſſe eſt. Exurgat denique omnis ſanctorum, ac reliqua vniuerſalis Eccleſia, cuius vera ſacrarum litterarum interpretatione poſt habita, quidam, quorum mentem pater mendacij excæcauit, ex veteri hæreticorum inſtituto, apud ſemetipſos ſapientes, ſcripturas eaſdem, aliter quam Spiritus Sanctus flagitet, proprio duntaxat ſenſu, ambitionis, auræque popularis cauſa, teſte Apoſtolo, interpretantur imo vero torquent, & adulterant: ita vt iuxta Hieronymum, iam non ſit Euangelium Chriſti, ſed hominis, aut quod peius eſt, Diaboli.

Exurgat, inquam, præfata Eccleſia Sancta Dei, & vna cum Beatiſſimis Apoſtolis præfatis, apud Deum Omnipotentem intercedat, vt purgatis ouium ſuarum erroribus, eliminatiſque à fidelium finibus hæreſibus vniuerſis, Eccleſiæ ſuæ ſanctæ pacem, & vnitatem conſeruare dignetur.

Dudum ſiquidem, quod præ animi anguſtia, & mœrore exprimere vix poſſumus, fidedignorum relatu, ac fama publica referente, ad noſtrum peruenit auditum, imo vero, proh dolor! oculis noſtris vidimus ac legimus multos, & varios errores, quoſdam videlicet iam per Concilia, ac prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones damnatos, hæreſim etiam Græcorum, & Bohemicam expreſſe continens: alios vero reſpectiuè, vel hæreticos, vel falſo, vel ſcandaloſos, vel piarum aurium offenſiuos vel ſimplicium mentium ſeductiuos, à falſis fidei cultoribus, qui per ſuperbam curioſitatem mundi gloriam cupientes, contra Apoſtoli doctrinam plus ſapere volunt quam oporteat: quorum garrulitas (vt inquit Hieronymus) ſine Scripturarum auctoritate non haberet fidem, niſi viderentur peruerſam doctrinam, etiam diuinis teſtimonijs, malè tamen interpretatis, roborare. A quorum oculis timor Dei receſſit, humani generis hoſte ſuggerente, nouiter ſuſcitatos, & nuper apud quoſdam leuiores in inclyta natione Germaniæ ſeminatos; Quod eo magis dolemus ibi eueniſſe, quod eandem nationem, & nos, & Prædeceſſores noſtri, in viſceribus ſemper geſſerimus charitatis. Nam poſt translatum ex Græcis à Romana Eccleſia in eoſdem Germanos imperium, ijdem Prædeceſſores noſtri, & nos, eiuſdem Eccleſiæ Aduocatos, Defenſoreſque, ex eis ſemper accepimus, quos quidem Germanos, Catholicæ veritatis vere germanos, conſtat hæreſum acerrimos oppugnatores ſemper fuiſſe: cuius rei teſtes ſunt laudabiles illæ Conſtitutiones Germanorum Imperatorum, pro libertate Eccleſiæ, proque expellendis exterminandiſque ex omni Germania hæreticis, ſub grauiſſimis pœnis, etiam amiſſionis terrarum, & dominiorum, contra receptatores, vel non expellentes olim editæ, & à noſtris Prædeceſſoribus confirmatæ: quæ ſi hodie ſeruarentur, & nos, & ipſi vtique hac moleſtia careremus. Teſtis eſt in Concilio Conſtantienſi, Huſſitarum, ac Wicleffiſtarum, necnon Hieronymi Pragenſis damnata, ac punita perfi-

Germani antea hæreſum oppugnatores acerrimi.

perfidia: Teſtis eſt toties contra Bohemos Germanorum ſanguis effuſus. Teſtis denique eſt, prædictorum errorum, ſeu multorum ex eis, per Colonienſ. & Louanienſ. Vniuerſitates, vtpote agri Dominici piiſſimas religioſiſſimaſque cultrices, non minus docta, quam vera ac ſancta confutatio, reprobatio, & damnatio. Multa quoque alia allegare poſſemus, quæ, ne hiſtoriam texere videamur, prætermittenda cenſuimus. Pro Paſtoralis igitur officij, prædictorum errorum virus peſtiferum vlterius tolerare ſeu diſſimulare, ſine Chriſtianæ Religionis nota Orthodoxæ Fidei iniuria, nullo modo poſſumus. Eorum autem errorum aliquos præſentibus duximus inſerendos, quorum tenor ſequitur, & eſt talis.

Recenſentur peruerſi aliquot Lutheri errores.

1. Hæretica ſententia eſt, ſed vſitata, Sacramenta nouæ legis iuſtificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero poſt baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum, & Chriſtum ſimul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingreſſu cæli.

4. Imperfecta charitas morituri, fert ſecum neceſſario magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam Purgatorij, & impedit introitum Regni.

5. Tres eſſe partes pœnitentiæ, Contritionem, Confeſſionem & ſatisfactionem, non eſt fundatum in ſacra Scriptura, nec in antiquis Sanctis Chriſtianis Doctoribus.

6. Contritio quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat, annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

7. Veriſſimum eſt prouerbium, & omnium doctrina, de contritionibus hucuſque data præſtantius, de cætero non facere ſumma pœnitentia: optima pœnitentia, noua vita.

8. Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed omnia mortalia: quia impoſſibile eſt, vt omnia mortalia cognoſcas. Vnde in primitiua Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum.

10. Peccata non ſunt vlli remiſſa, niſi remittente Sacerdote, credat ſibi remitti; imo peccatum maneret, niſi remiſſum crederet. Non enim ſufficit remiſſio peccati, & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum.

11. Nullo modo confidas abſolui propter tuam contritionem, ſed propter verbum Chriſti, Quodcumque ſolueris &c. Hic, inquam confide, ſi Sacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te obſolutum, & abſolutus vere eris, quicquid ſit de contritione.

12. Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſerio ſed ioco abſolueret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.

13. In Sacramento pœnitentiæ, ac remiſſione culpæ, non plus facit Papa, aut Epiſcopus, quam infimus Sacerdos, imo vbi non eſt Sacerdos, æque tantum quilibet Chriſtianus, etiamſi mulier aut puer eſſet.

14. Nullus debet Sacerdoti reſpondere, ſe eſſe contritum, nec Sacerdos inquirere.

15. Magnus eſt error eorum qui ad Sacramenta Euchariſtiæ accedunt, huic innixi, quod ſint confeſſi, quod non ſint ſibi conſcij alicuius peccati mortalis, quod præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria; omnes illi ad iudicium ſibi manducant, & bibunt: ſed ſi credant, & confidant ſe gratiam ibi conſecuturos, hæc ſola fides facit eos puros, & dignos.

16. Conſultum videtur, quod Eccleſia in communi Concilio ſtatueret laicos ſub vtraque ſpecie communicandos: nec Bohemi communicantes ſub vtraque ſpecie ſunt hæretici, ſed ſchiſmatici.

17. Theſauri Eccleſiæ, vnde Papa dat indulgentias, non ſunt merita Chriſti, & ſanctorum.

18. Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum: & ſunt de numero eorum quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.

19. Indulgentiæ his qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iuſtitiam.

20. Seducuntur credentes Indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum Spiritus vtiles.

21. Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris ſolummodo & impatientibus.

22. Sex generibus hominum, indulgentiæ, nec ſunt neceſſariæ, nec vtiles; videlicet mortuis, ſeu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt ſed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes, ſunt tantum externæ pœnæ, nec priuant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.

24. Docendi ſunt Chriſtiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex, Petri ſucceſſor, non eſt Chriſti Vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias, ab ipſo Chriſto in B. Petro inſtitutus.

26. Verbum Chriſti ad Petrum, Quodcumque ſolueris ſuper terram &c. extenditur duntaxat ad ligata ab ipſo Petro.

27. Certum eſt, in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe ſtatuere articulos fidei, imo nec leges morum ſeu bonorum operum.

28. Si Papa, cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret; ad huc non eſt peccatum, aut hæreſis, contrarium ſentire; præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem: donec fuerit per Concilium vniuerſale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta eſt enarrandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quicquid verum videtur, ſiue probatum fuerit, ſiue reprobatum à quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Ioannis Huſs condemnati in Concilio Conſtantienſi, ſunt Chriſtia-

niſſimi, veriſſimi, & Euangelici, quos nec vniuerſalis Eccleſia poſſet damnare.

31. In omni opere bono inſtus peccat.

32. Opus bonum optime factum, eſt veniale peccatnm.

33. Hæreticos comburi, eſt contra voluntatem ſpiritus.

34. Præliari adverſus Turcas, eſt repugnare Deo viſitanti iniqnitates noſtras per illos.

35. Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

36. Liberum arbitrinm poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo: & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non poteſt probari ex ſacra Scriptura, quæ ſit in canone.

38. Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de eorum ſalute, ſaltem omnes: nec probatum eſt vllis aut rationibus, aut Scripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ charitatis.

39. Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas,

40. Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragiis viuentium, minus beantur quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.

41. Prælati Eccleſiaſtici & Principes ſeculares, non male facerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

Qui quidem errores, reſpectiue, quam ſint peſtiferi, quam pernicioſi, quam ſcandaloſi, quam piarum & ſimplicium mentium ſeductiui, quam denique ſint contra omnem charitatem, ac S. R. E. matris omnium fidelium & magiſtræ fidei reuerentiam, atque neruum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, obedientiam ſcilicet que fons eſt & origo omnium virtutum, ſine qua facile vnuſquiſque infidelis eſſe conuincitur, nemo ſanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmiſſis, vtpote grauiſſimis, propenſius (vt decet) procedere; necnon huiuſmodi peſti, morboque canceroſo, ne in agro Dominico tanquam vepris nociua vlterius ſerpat, viam præcludere cupientes, habita ſuper prædictis erroribus & eorum ſingulis diligenti trutinatione, diſcuſſione, ac diſtricto examine, maturaque deliberatione, omnibuſque rite penſatis, ac ſæpius ventilatis cum venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac Regularium Ordinum Prioribus ſeu miniſtris Generalibus, pluribuſque aliis Sacræ Theologiæ, nec non vtriuſque Iuris Profeſſoribus ſeu Magiſtris, & quidem peritiſſimis: reperimus eoſdem errores, reſpectiue (vt præfertur) aut articulos, non eſſe Catholicos, nec tanquam tales eſſe dogmatizandos, ſed contra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, ſiue traditionem, atque ab ea veram diuinarum Scripturarum receptam interpretationem, cuius auctoritati ita acquieſcendum cenſuit Auguſtinus, ut dixerit ſe Euangelio non fuiſſe crediturum, niſi Eccleſiæ Catholicæ interueniſſet auctoritas. Nam ex eiſdem erroribus, vel eorum aliquo, vel aliquibus palam ſequitur, eandem Eccleſiam quæ Spiritu ſancto regitur, errare, & ſemper erraſſe. Quod eſt vtique contra illud, quod Chriſtus diſcipulis ſuis in Aſcenſione ſua (vt in ſancto Euangelio Matthæi legitur) promiſit dicens; Ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſæculi: nec non contra Sanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoque & ſummorum Pontificum expreſſas ordinationes, ſeu canones; quibus non obtemperaſſe, omnium hæreſum & ſchiſmatum, teſte Cypriano, fomes & cauſa ſemper fuit.

Damnatio errorum cum adiectione pœnarum in contra venientes.

De eorundem itaque Venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio & conſenſu, ac omnium & ſingulorum prædictorum, matura deliberatione prædicta, auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, præfatos omnes & ſingulos articulos, ſeu errores tanquam (vt præmittitur reſpectiue) hæreticos, aut ſcandaloſos, aut piarum aurium offenſiuos, vel ſimplicium mentium ſeductiuos, & veritati Catholicæ obuiantes damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus ac pro damnatis, reprobatis, & reiectis ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus haberi debere, harum ſerie decernimus & declaramus. Inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ, nec non quoad Eccleſiaſticas & Regulares perſonas, Epiſcopalium omnium etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Monaſteriorum quoque & Prioratuum, etiam Conuentualium, & quarumcumque dignitatum, aut beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſecularium, aut quorumuis ordinum Regularium, priuationis & inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda, quo vero ad Conuentus, Capitula, ſeu domos, aut pia loca, ſecularium vel Regularium, etiam Mendicantium, nec non vniuerſitates etiam ſtudiorum Generalium, quorumcumque priuilegiorum, indultorum, à ſede Apoſtolica, vel eius Legatis, aut alias quomodolibet habitorum vel obtentorum, cuiuſcumque tenoris exiſtant: nec non nominis & poteſtatis ſtudium Generale tenendi, legendi, ac interpretandi quaſuis ſcientias & facultates, & inhabilitatis ad illa & alia imposterum obtinenda; Prædicationis quoque officij, ac amiſſionis ſtudij Generalis, & omnium priuilegiorum eiuſdem, quo vero ad ſeculares eiuſdem excommunicationis, nec non amiſſionis cuiuſcumque emphyteuſis, ſeu quorumcumque feudorum, tam à Romana Eccleſia, quam alias quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda: nec non quoad omnes & ſingulos ſuperius nominatos, inhibitionis Eccleſiaſticæ ſepulturæ, inhabilitatiſque ad omnes, & ſingulos actus legitimos, infamiæ ac diffidationis, ac criminis læſæ maieſtatis, & hæreticorum & fautorum eorumdem in iure expreſſis pœnis, eo ipſo & abſque vlteriori declaratione per omnes & ſingulos ſupradictos, ſi (quod abſit contrafecerint, incurrendis à quibus vigore cuiuſcumque facultatis, & clauſularum, etiam in confeſſionalibus, quibuſuis perſonis, ſub quibuſuis verborum formis contentarum, niſi à Romano Pontifice, vel alio ab eo ad id in ſpecie facultatem habente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolui nequeant. Omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, tam

lai-

laicis, quam clericis, ſecularibus, & quorumuis ordinum Regularibus, & aliis quibuſcumque perſonis cuiuſcumque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, & quacumque Eccleſiaſtica vel mundana præfulgeāt dignitate, etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum; & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Eccleſiarum Prælatis, Clericis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus, & quorumuis ordinum etiam Mendicantium Regularibus, Abbatibus, Prioribus, vel Miniſtris generalibus vel particularibus Fratribus ſeu Religioſis, exemptis & non exemptis: ſtudiorum quoque vniuerſitatibus ſecularibus, & quorumuis Ordinum etiam Mendicantium Regularibus; nec non Regibus, Imperatori, *Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, omnibuſque officialibus, Iudicibus, Notarijs Eccleſiaſticis & ſecularibus, communitatibus, Vniuerſitatibus, Potentatibus, Ciuitatibus, Caſtris, Terris, & locis, ſeu eorum, vel earum ciuibus, habitatoribus, & incolis, ac quibuſuis alijs perſonis, Eccleſiaſticis, vel regularibus (vt prefertur) per vniuerſum orbem, vbicunque, preſertim in Alemania exiſtentibus, vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos, peruerſamque doctrinam huiuſmodi aſſerere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet, publice, vel occulte, quouis quæſito ingenio, vel colore, tacite vel expreſſe fauere præſumant.*

Scripta Lutheri in quibus dicti eius Articuli continentur damnat illaque penes aliquem retineri prohibet quinimmo comburi mandat.

, 5. Inſuper, quia errores præfati, & plures alij continentur in libellis ſeu ſcriptis Martini Lutheri, dictos libellos & omnia dicti Martini ſcripta, ſeu prædicationes, in latino vel quocumque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores, ſeu eorum aliquis continentur, ſimiliter damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus, & pro omnino damnatis, reprobatis, ac reiectatis, (vt præfertur) haberi volumus mendantes in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis prædictis eo ipſo incurrendis, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus ſuperius nominatis, ne huiuſmodi ſcripta, libellos, prædicationes, ſeu ſchedulas vel in eis contenta capitula, errores, aut articulos ſupradictos continentia, legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare ſiue defendere, per ſe vel alium, ſeu alios, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, publice vel occulte, aut in domibus ſuis, ſiue aliis, publicis vel priuatis locis teneri quoquo modo præſumant: quinimo illa ſtatim poſt harum publicationem vbicunque fuerint, per ordinarios, & alios ſupradictos diligenter quæſita, publice & ſolemniter in præſentia Cleri & populi, ſub omnibus & ſingulis ſupradictis pœnis, comburant.

Pont. citari fecit Lutherum & deinde eum dehortatus fuit vt ab erroribus deſiſteret.

, 6. Quod vero ad ipſum Martinum attinet (bone Deus,) quid prætermiſimus, quid non fecimus, quid paternæ charitatis omiſimus, vt eum ab huiuſmodi erroribus reuocaremus. Poſtquam enim ipſum citauimus, mitius cum eo procedere volentes, illum inuitauimus, atque tam per diuerſos tractatus cum legato noſtro habitos, quam per literas noſtras, hortati fuimus, à prædictis erroribus diſcederet, aut oblato etiam ſaluo conductu, & pecunia ad iter neceſſaria, ſine metu, ſeu timore aliquo, quem perfecta charitas foras mittere debuit, veniret, & ſaluatoris noſtri, Apoſtolique Pauli exemplo, non occulto ſed palam, & in facie loqueretur. Quod ſi feciſſet, pro certo (vt arbitramur) ad cor reuerſus, errores ſuos cognouiſſet: nec in Romana curia, quam tantopere, vanis maleuolorum rumoribus pluſquam oportuit tribuendo, vituperat, tot reperiſſet errata, docuiſſemuſque eum luce clarius, ſanctos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros quos præter omnem modeſtiam iniurioſe lacerat, in ſuis canonibus, ſeu conſtitutionibus, quas mordere nititur, nunquam erraſſe: quia iuxta prophetam, nec in Galaad reſina nec medicus deeſt.

Lutherus ad futurum Cōcilium prouocauit.

, 7. Sed obaudiuit ſemper, & prædicta citatione omnibus, & ſingulis ſupradictis ſpretis venire contempſit, ac vſque in præſentem diem contumax, atque animo indurato cenſuras vltra annum ſuſtinuit; & quod deterius eſt, addens mala malis, de citatione huiuſmodi notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum Concilium, contra conſtitutionem Pij ſecundi, ac Iulij ſecundi prædeceſſorum noſtrorum, qua cauetur, taliter appellantes hæreticorum pœna plectendos, (fruſtra etiam Concilij auxilium implorauit, qui illi ſe non credere palam profitetur,) ita vt contra ipſum, tamquam definire notorie ſuſpectum, immo vere hæreticum, abſque vlteriori citatione, vel mora ad condemnationem, & damnationem eius tamquam hæretici, ac ad omnium, & ſingularum ſupraſcriptarum pœnarum, & cenſurarum ſeueritatem procedere poſſemus.

Pont. iterū eum, eiq; adhærentes ad conuerſionē hortatur.

8. , Nihilominus de eorundem fratrum noſtrorum conſilio, omnipotentis Dei imitantes Clementiam qui non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat: omnium iniuriarum hactenus, nobis, & Apoſtolicæ Sedi illatarum obliti omni qua poſſumus pietate vti decreuimus, & quantum in nobis eſt, agere vt propoſita manſuetudinis via, ad cor reuertatur, & à prædictis recedat erroribus, vt ipſum tanquam filium illum prodigum ad gremium Eccleſiæ reuertentem, benignè recipiamus. Ipſum igitur Martinum, & quoſcunque ei adhærentes, eiuſque receptores, & fautores per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & per aſperſionem ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo & per quem humani generis redemptio, & ſanctæ Matris Eccleſiæ ædificatio facta eſt, ex toto corde hortamur, & obſecramus, vt ipſius Eccleſiæ pacem, vnitatem, & veritatem, pro qua ipſe ſaluator tam inſtanter orauit ad patrem, turbare deſiſtant, & à prædictis tam pernicioſis erroribus prorſus abſtineant: inuenturi apud nos, ſi effectualiter paruerint, & paruiſſe per legitima documenta nos certificauerint, paternæ charitatis affectum, & apertum manſuetudinis, & clementiæ fontem.

Luthero interdicitur prædicationis officium.

9. , Inhibentes nihilominus eidem Martino ex nunc, vt interim ab omni prædicatione, ſeu prædicationis officio omnino deſiſtat.

10. , Alioquin in ipſum Martinum, ſi forte iu-

Luthero, & ei adhærentibus termi nus præfigitur ad deſiſt. ab eorum erroribus.

te iuſtitiæ, & virtutis amor à peccato non retrahat, indulgentiæque ſpes ad pœnitentiam non reducat, pœnarum terror coerceat diſciplinæ, eundem Martinum, eiuſque adhærentes, complices, fautores, & receptatores, tenore præſentium requirimus, & monemus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub prædictis omnibus, & ſingulis pœnis, eo ipſo incurrendis, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus infra ſexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro ſecundo, & reliquos viginti dies pro tertio, & peremptorio termino aſſignamus, & ab aſſixione præſentium in locis infra ſcriptis, immediatè ſequentes numerandos, ipſe Martinus, complices, fautores, adhærentes, & receptatores prædicti, à præfatis erroribus, eorumque prædicatione, ac publicatione, & aſſertione, defenſione quoque, & librorum, ſeu ſcripturarum editione ſuper eiſdem ſiue eorum aliquo omnino deſiſtant, libroſque, ac ſcripturas, omnes, & ſingulas, præfatos errores, ſeu eorum aliquos quomodolibet continentes, comburant, vel comburi faciant. Ipſe etiam Martinus errores, & aſſertiones huiuſmodi omnino reuocet, ac de reuocatione huiuſmodi per publica documenta in forma iuris valida, in manibus duorum Prælatorum conſignata, ad nos infra alios ſimiles ſexaginta dies tranſmittenda, vel per ipſummet (ſi ad nos venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato pleniſſimo ſaluo conductu, quem ex nunc concedimus, deferenda, nos certiores efficiat, vt de eius vera obedientia nullus dubitationis ſcrupulus valeat remanere.

In hoc termino Lutherus & multi ſequaces impœnitentes fuerunt non nulli autem conuerſi ſicut habes inf. conſt. ſeq.

11. , Alias ſi (quod abſit) Martinus præfatus, complices, fautores, adhærentes, & receptatores prædicti, ſecus egerint, ſeu præmiſſa omnia, & ſingula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleuerint, Apoſtoli imitantes doctrinam, qui hæreticum hominem, poſt primam, & ſecundam correptionem, vitandum docuit, ex nunc, prout ex tunc, & è conuerſo, eundem Martinum, complices, adhærentes, fautores, & receptatores præfatos, & eorum quemlibet, tanquam aridos palmites in Chriſto non manentes, ſed doctrinam contrariam Catholicæ Fidei inimicam, ſiue ſcandaloſam, ſeu damnatam, in non modicam offenſam diuinæ maieſtatis, ac vniuerſalis Eccleſiæ, & Fidei Catholicæ detrimentum, & ſcandalum dogmatizantes, claues quoque Eccleſiæ vilipendentes, notorios, & pertinaces hæreticos, eadem auctoritate, fuiſſe, & eſſe declarantes, eoſdem vt tales, harum ſerie condemnamus, & eos pro talibus haberi ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus ſupradictis volumus, & mandamus eoſque omnes, & ſingulos omnibus ſupradictis, & alijs contra tales à Iure inflictis pœnis, præſentium tenore ſubijcimus, & eiſdem irretitos fuiſſe, & eſſe decernimus, & declaramus.

Et in obedientes pœnis his contentis innodat.

12. , Inhibemus præterea ſub omnibus, & ſingulis præmiſſis pœnis, eo ipſo incurrendis, omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus ſuperius nominatis, ne ſcripta, etiam præfatos errores non continentia, ab eodem Martino quomodolibet condita, vel edita, aut condenda, vel edenda, ſeu eorum aliqua, tanquam ab homine Orthodoxæ Fidei inimico, atque ideo vehementer ſuſpecta, & vt eius memoria omnino deleatur de Chriſti fidelium conſortio, legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, ſiue defendere per ſe vel alium, ſeu alios, directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè, publicè, vel occultè, ſeu in domibus ſuis, ſiue alijs locis, publicis, vel priuatis, tenere quoquo modo præſumant; quinimo illa comburant, vt præfertur.

Opera Lutheri omnia damnantur, & prohibetur illa imprimi vel teneri.

13. , Monemus inſuper omnes, & ſingulos Chriſti fideles ſupradictos, ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna, vt hæreticos prędictos declaratos, & condemnatos, mandatis noſtris non obtemperantes, poſt lapſum termini ſupradicti euitent, & quantum in eis eſt, euitari faciant, nec cum eiſdem, vel eorum aliquo, commercium, aut aliquam conuerſationem, ſeu communionem habeant, nec eis neceſſaria miniſtrent.

Monentur omnes fideles vt cauēt ſupradictos hæreticos.

14. , Ad maiorem præterea dicti Martini, ſuorumque complicum, fautorum, & adhærentium, ac receptatorum prædictorum, ſic poſt lapſum termini prædicti declaratorum hæreticorum, & condemnatorum confuſionem, vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Eccleſiarum Prælatis, Capitulis, alijſque perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & quorumuis ordinum, etiam Mendicantiū (præſertim eius Congregationis, cuius dictus Martinus, eſt profeſſus, & in qua degere, vel morari dicitur) regularibus exemptis, & non exemptis, nec non vniuerſis, & ſingulis Principibus, quacunque Eccleſiaſtica vel mundana fulgentibus dignitate, Regibus, Imperatori, Electoribus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, Communitatibus, Vniuerſitatibus, Potentatibus, Ciuitatibus, Terris, Caſtris, & locis, ſeu eorum habitatoribus, Ciuibus, & Incolis, omnibuſque alijs, & ſingulis ſupradictis, per vniuerſum orbem, præſertim in eadem Alemania conſtitutis mandamus, quatenus ſub prędictis omnibus, & ſingulis pœnis, ipſi vel eorum quilibet, præfatum Martinum complices adhærentes, receptantes, & fautores perſonaliter capiant, & captos ad noſtram inſtantiam retineant, & ad Nos mittant: reportaturi pro tam bono opere, à nobis, & Sede Apoſtolica remunerationem, præmiumque condignum: vel ſaltem eos, & eorum quemlibet, de Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, & alijs Eccleſijs, Domibus, Monaſterijs, Conuentibus, Ciuitatibus, Dominijs, Vniuerſitatibus, Communitatibus, Caſtris, Terris, ac locis reſpectiuè, tam Clerici, ac Regulares, quam Laici omnes, & ſinguli ſupradicti omnino expellant.

Pōtifex Lutherum eiuſque ſequaces capi mādat ſub pœnis de quibus hic.

15. , Ciuitates vero, Dominia, Terras, Caſtra, Villas, Comitatus, Fortalicia, Oppida, & loca quæcunque vbilibet conſiſtentia, eorum, & earum reſpectiuè Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, & alias Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Domus, Conuentus, & loca religioſa, vel pia, cuiuſcunque ordinis, vt præfertur, ad quæ prę ſa-

Loca ad quæ declinauerit Lutherus ac eius ſequaces interdicto ſubijciuntur.

tum

tum Martinum, vel aliquem ex prædictis, declinare contigerit, quamdiu ibi permanſerit, & triduo poſt receſſum, Eccleſiaſtico ſubijcimus interdicto.

Pontifex præcipit Prælatis, vt Lutherum, & ei adhærentes hæreticos publicari faciant.

16. Et vt præmiſſa omnibus innoteſcant mandamus inſuper vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedraliū, ac Collegiatarum Eccleſiarum, Prælatis, Capitulis, alijſque Perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumuis Ordinum ſupradictorum Regularibus, fratribus, Religioſis, Monachis, exemptis, & non exemptis ſupradictis, vbilibet præſertim in Alemania conſtitutis, quatenus ipſi, vel eorum quilibet ſub ſimilibus cenſuris, & pœnis, eo ipſo incurrendis, Martinum, omneſque, & ſingulos ſupradictos qui elapſo termino huiuſmodi mādatis, ſeu monitis noſtris non paruerint, in eorum Eccleſijs, Dominicis, & alijs feſtiuis diebus, dum inibi maior populi multitudo ad diuina conuenerit, declaratos hæreticos, & condemnatos publicè nuncient, faciantq; & mandent ab alijs nunciari, & ab omnibus arctius euitari.

Præſentem conſtitutionem publicari mandat & excommunicati publicationem impedientes.

17. Nec non omnibus Chriſti fidelibus, vt eos euitent, pari modo ſub prædictis cenſuris, & pœnis vt præſentes litteras, vel earum tranſumptum ſub forma infraſcripta factum, in eorum Eccleſijs, Monaſterijs, Domibus, Conuentibus, & alijs locis, legi, publicari, atque affigi faciant. Excommunicamus quoque, & anathematizamus omnes, & ſingulos, cuiuſcunque ſtatus, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ fuerint, qui, quominus præſentes litteræ, vel earum tranſumpta, copiæ ſeu exemplaria in ſuis terris, & dominijs, legi, affigi, & publicari poſſint, fecerint, vel quoquo modo procurauerint, per ſe vel alium, ſeu alios, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, tacitè vel expreſsè.

Trāſumptis credi iubet.

18. Poſtremo quia difficilè foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferri, in quibus neceſſarium foret: volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod earum tranſumptis manu publici Notarij confectis, & ſubſcriptis, vel in Alma Vrbe impreſſis, & ſigillo alicuius Eccleſiaſtici Prælati munitis, vbique ſtetur, & plena fides adibeatur, prout originalibus litteris ſtaretur, & adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Iuſſio publicandi hanc Bullam. Quam publ. non inueni, ſed hic Pōt. de ea teſtatur in ſeq. Bulla.

19. Et ne præfatus Martinus, omneſq; alij ſupradicti, quos præſentes litteræ quomodolibet concernunt, ignorantiam earundem litterarum, & in eis contentorum, omnium & ſingulorum prætendere valeant, litteras ipſas in Baſilica Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non Cathedralium Eccleſiarum Brandeburgen. Miſnen. & Merſpergen. valuis affigi, & publicari volumus. Decernentes, quod earundem litterarum publicatio ſic facta ſupradictum Martinum, omneſque alios, & ſingulos prænominatos quos litteræ huiuſmodi quomodolibet concernunt, perinde arctent, ac ſi litteræ ipſę die affixionis, & publicationis huiuſmodi, eis perſonaliter lectæ, & intimatæ forent: cū non ſit veriſimile, quod ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

20. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſeu ſi ſupradictis omnibus, & ſingulis, vel eorum alicui aut quibuſuis alijs à Sede Apoſtolica prædictā, vel ab ea poteſtatem habentibus, ſub quauis forma, etiam confeſſionali, & cum quibuſuis etiam fortiſſimis clauſulis, aut ex quauis cauſa, ſeu grandi conſideratione indultum, vel conceſſum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenā, & expreſſam, ac de verbo ad verbum; non autem per clauſulas generales idem importātes, de indulto huiuſmodi mentionem, eiuſdem indulti tenores, cauſas, & formas, perinde ac ſi de verbo ad verbum insererentur, ita vt omnino tollatur, præſentibus pro expreſſis habentes.

Clauſula derogatoria

Sanctio pœnalis.

21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ damnationis, reprobationis, reiectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obſecrationis, requiſitionis, monitionis, aſſignationis, conceſſionis, condemnationis, ſubiectionis excommunicationis, & anathematizationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo qaingenteſimo vigeſimo, XVII. Cal. Iuly, Pontif. noſtri anno octauo.

II.

Edita A. D. 1521.

Procemiū.

Leo Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem, ex tradita ſibi diuinitus poteſtate, pœnarum ſpiritualium, & temporalium, pro meritorum diuerſitate, diſpenſatorem conſtitutum, ad reprimendum nefarios conatus peruerſorum, quos noxia voluntatis adeo deprauata captiuat intentio, vt DEI timore poſtpoſito, canonicis ſanctionibus, mandatiſque Apoſtolicis neglectis, atque contemptis, noua & falſa dogmata excogitare, ac in Eccleſia DEI nefarium ſchiſma inducere, aut ſchiſmaticis ipſis inconſutilem Redemptoris noſtri tunicam, Orthodoxæque fidei vnitatem ſcindere ſatagentibus, fauorem præbere, aſſiſtere, adhærereque non verentur, ne Petri nauicula ſine Gubernatore & remige nauigare videatur, contra tales eorumque ſequaces, acrius inſurgere, & exaggeratione pœnarum, & alias oportuno remedio ita prouidere, ne iidem contemptores in reprobum ſenſum dati, illiſque adhærentes, falſis commentis, ac ſubdolis eorum malitijs ſimplicem turbam decipiant, ac in eundem errorem, & ruinam ſecum trahant, ac veluti morbo contagioſo contaminent, & ad maiorem ipſorum damnatorum confuſionem; omnibus Chriſti fidelibus publicè oſtendere, ac palam declarare, quam formidabilium cenſurarum, & pœnarum illi rei exiſtant ad hoc vt ipſi ſic declarati, & publicati, confuſi tandem, & compuncti, ad cor ſuum redire, & ab eorundem excommunicatorum, & anathematizatorum prohibita conuerſatione, & participatio-

pationе, at etiam obedientia, ſe penitus ſubtrahant, vt diuinam vltionem euadant, illorumque damnationis particeps minimè fiant.

Hic Pont. edidit cōtra Lutherum conſt. præcedentem. Poſt cuius publicationem multi illius ſequaces ad fidē catholicam conuerſi ſunt, Lutherus autem peiora commiſit, & ſequaces multos habuit.

1. Sanè aliàs, cùm quidam falſi fidei cultores, mundi gloriam quærentes, &c.

Omittitur reſiduum huius narratiuę, quoniàm tota bulla eſt, quæ immediatè præcedit.

2. Cum autem, ſicut accepimus, licèt poſt literarum affixionem, & publicationem, poſt elapſum termini, ſeù terminorum huiuſmodi in literis per nos præfixi huiuſmodi, ſeù præfixorum (quos quidem terminos elapſos fuiſſe, & eſſe omnibus Chriſti fidelibus, & per præſentes ſignificamus, & fidem facimus) nonnulli ex eis, qui eiuſdem Martini errores ſecuti fuerunt, ipſarum literarum, ac monitionum, & mandatorum noſtrorum notitiam habentes, ſpiritu ſanioris conſilij ad cor reuerſi, errores ſuos confitentes, & hæreſim in manibus noſtris abiurantes, & ad veram fidem Catholicam ſe conuertentes, abſolutionis beneficium, iuxtà facultatem eiſdem Nuncijs deſuper conceſſam obtinuerint, & in nonnullis Ciuitatibus, & locis dictæ Alemaniæ, libri, & ſcripturæ dicti Martini, iuxta mandata noſtra publicè cremati fuerint, tamen ipſe Marthius (quod non ſine graui animi moleſtia, & mentis noſtræ perturbatione referimus) in reprobum ſenſum datus, non ſolùm errores ſuos infra præmiſſum terminum reuocare, & de reuocatione huiuſmodi nos certiores facere, ſeu ad nos venire contempſit: verùm tanquam petra ſcandali peiora prioribus cōtra Nos, & hanc Sanctam Sedem, & fidem Catholicam ſcribere, & prædicare, & alios ad hoc inducere non eſt veritus: propter quod, ſicut ipſe iam hæreticus eſt declaratus, ita & alij etiam non paruæ auctoritatis, & dignitatis, propriæ ſuæ ſalutis immemores, ipſius Martini peſtiferam hæreticorum ſectam publicè, & notoriè ſequentes, eique palàm, & publicè, auxilium, conſilium, & fauorem subminiſtrantes, ipſumque Martinum in ſuis, inobedientia, & contumacia confouentes, & alij publicationem dictarum literarum impedientes; pœnas in dictis noſtris litteris contentas damnabiliter incurrerunt, & hæretici meritò ſunt habendi, atque ab omnibus Chriſti fidelibus euitandi, dicente Apoſtolo, Hæreticum hominem, poſt vnam, & ſecundam correctionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit cùm ſit proprio iudicio condemnatus.

Martinum, & eius ſequaces anathematis, ac alias pœnas incurriſſe decernit.

3. Vt igitur cum Martino, & alijs hæreticis excommunicatis, & anathematizatis, & maledictis meritò copulentur; & ſicut in delinquendo dicti Martini pertinaciam ſequuntur, ita pœnarum, & nominis participes fiant, ſecumque Lutherani vocem, & debitas portent pœnas, cum præmiſſa adeo manifeſta, & notoria ſuo effecta, & permanentes, ita vt nulla probatione, aut monitione, vel citatione indigeant, prout ſic fore decernimus, & declaramus: Martinum, & alios, qui eundem Martinum in ſuo prauo, & damnato propoſito obſtinatum ſequuntur, ac etiā eos, qui eum etiam præſidio militari defendunt, cuſtodiunt, proprijs facultatibus, vel aliàs quomodolibet ſuſtentare non verentur, ac auxilium, conſilium, vel fauorem quouis modo præſtare, & ſubminiſtrare præſumpſerunt, & præſumunt, quorum omnium nomina, & cognomina, & qualitates, etſi quis is celſa, vel grandi præfulgeant dignitate, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, ac ſi nominatim exprimerētur, ac in illorum publicatione vigore præſentium facienda nominatim exprimi poſſent, decernimus: excommunicationis, & etiam anathematis, necnon maledictionis æternæ, & interdicti, ac in eos, & eorum deſcendentes dignitatum, honorum, & bonorum, priuationis, & inhabilitationis ad illa: nec non bonorum confiſcationis, & criminis læſæ Maieſtatis, & alias ſententias, cenſuras, & pœnas, etiam in hæreticos, à Canonibus inflictas in dictis literis contentas damnabiliter incidiſſe.

4. Ciuitates quoque, Terras, Caſtra, Oppida, in quibus tunc pro tempore fuerint, & ad quæ eos declinare contigerit, ac quæ in illis ſunt, ac aliàs etiam cathedrales, & Metropolitan. Monaſteria, & alia religioſa, & pia loca, etiam exempta, & non exempta, quocumque Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita eſſe, ita, vt illo durante illis, prætextu cuiuſuis indulti Apoſtolici, præterquam in caſibus à iure permiſsis, & in illis, non aliàs quàm ianuis clauſis, ac excommunicatis, & interdictis, excluſis, nequeant Miſſæ, & alia diuina officia celebrari; Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium declaramus: illoſque pro excommunicatis, & anathematizatis, maledictis, interdictis, priuatis, & inhabilibus, vbique locorum denunciari, & publicari, ac ab omnibus Chriſti fidelibus arctius euitari præcipimus, & mandamus.

Interdictū Eccleſiaſticum opponit.

5. Et vt in omnibus tantùm in Dei Eccleſiæ ſuæ vilipendium, Martini ſequacium, & aliorum inobedientium obſtinatæ temeritatis audacia innoteſcat, nè morbida pecus gregem inficiat, parſque ſyncera ad infectionem trahatur: vniuerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitan., Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum Prælatis, Capitulis, & perſonis Eccleſiaſticis, & quorumuis ordinum etiam Mendicantiū religioſis exemptis, & non exemptis vbilibet conſtitutis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis mandamus, quatenus ipſi & quilibet eorum, ſi & poſtquam vigore præſentium requiſiti fuerint, infra tres dies, quorum vnum pro primo, & alium pro ſecundo, & reliquum pro tertio & peremptorio termino, ac canonica monitione præmiſſa aſſignamus, eoſdem Martinum & alios excommunicatos, anathematizatos, maledictos, & hæreticos declaratos, aggrauatos, interdictos, priuatos, & inhabiles, & in præſentium executione nominatos in eorum Eccleſijs, Dominicis, & alijs feſtiuis diebus (dum maior inibi populi multitudo conuenerit ad diuina) cum Crucis vexillo pulſatis campanis, & accenſis candelis, ac demum extinctis, & in terram proiectis, & conculcatis cum trina lapidum proiectione, aliiſque ceremonijs in ſimilibus obſeruari ſolitis, publicè nuncient, & faciant, & mandent ab alijs nunciari, & ab omnibus Chriſti fidelibus arctius euitari. Ad maiorem inſuper præfati Martini, aliorumque hæreticorum ſupradi-

Martin. & ſequaces à Prælatis excommunicatos publicari mandat.

cto-

, ctorum , adhærentium , & ſequacium , & ſan-
, torum confuſionem , in virtute ſanctæ obe-
, dientiæ , mandamus omnibus, & ſingulis Pa-
, triarchis , Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alia-
, rum Eccleſiarum Prælatis , vt ſicut ipſi , ad
, ſedandum ſchiſmata , auctore Hieronymo ,
, conſtituti fuerunt , ita nunc , vrgente neceſſi-
, tate , prout eorum incumbit officio conſti-
, tuant ſe murum pro populo Chriſtiano , non
, tacendo tanquam canes muti, non valentes
, latrare , ſed inceſſanter damnando , & exal-
, tando vocem , & prædicando , & prædicari
, faciendo verbum Dei , ac veritatem fidei Ca-
, tholicæ , contra damnatos articulos , & hæ-
, reticos ſupradictos .

Contra Martini hæreſes ardencius prædicari iubet.

6. , Nec non omnibus , & ſingulis paro-
, chialium Eccleſiarum Rectoribus , ac Reli-
, gioſis quorumcunque Ordinum , etiam Men-
, dicantium , exemptis , & non exemptis , vt
, præmittitur , ſimiliter in virtute ſanctæ obe-
, dientiæ mandamus , vt ſicut ipſi nubes à Do-
, mino conſtituti ſunt ita ſpiritualem imbrem
, in populo Dei ſeminare , & contra ſupradi-
, ctos articulos , vt præfertur , damnatos, ſicut
, etiam eorum incumbit officio, publicè publi-
, care non vereantur : ſcriptum eſt enim, quod
, perfecta charitas foras mittit timorem : Vos
, igitur , & veſtrum ſinguli onus tam meritorij
, negotij deuota mente ſuſcipientes : vos in
, illius executione ſic ſolicitos , ac verbo , &
, opere ſtudioſos , atque diligentes exhibeatis,
, quod ex veſtris laboribus , diuina nobis ſa-
, uente gratia, ſperati fructus adueniant : ac
, per ſolicitudinem noſtram , quæ cauſas pias
, gerentibus pro retributione debetur, palmam
, gloriæ , non ſolùm conſequi mereamini , ve-
, rum etiam apud nos , & Sedem prædictam
, non immerito valeatis , de exacta diligentia
, veſtra vberius commendari .

Formam publicationis præſcribit.

7. , Verùm , quia difficile foret præſentes
, declarationis, & publicationis literas ad præ-
, ſentiam , & perſonam propriam Martini , &
, aliorum declaratorum , & excommunicato-
, rum huiuſmodi perſonaliter deducere , pro-
, pter eis fauentium potentiam , volumus , vt
, affixio , & publicatio præſentium literarum
, in valuis duarum Cathedralium , ſeù Metro-
, politan. aut vnius Cathedralis , & alterius
, Metropolitanæ in dicta Alemania conſiſten-
, tium Eccleſiarum , per vnum ex Nuncijs no-
, ſtris ibidem exiſtentibus facta , ita eos liget ,
, & arctet , Martinumque , & alios declaratos,
, damnatos huiuſmodi , demonſtret in omni-
, bus , & per omnia , ac ſi eis , & eorum cuili-
, bet perſonaliter , intimatæ , & præſentatæ
, fuiſſent .

Tranſumptis credi declarat.

8. , Et quia etiam difficile foret præſen-
, tes literas ad ſingula quæque loca deferre , in
, quibus earum publicatio neceſſaria foret, vo-
, lumus , & præfata auctoritate decernimus ,
, quod earum tranſumptis, ſigillo alicuius Præ-
, lati Eccleſiaſtici , ſeù ex Nuncijs noſtris præ-
, dictis munitis , & manu alicuius publici No-
, tarij ſubſcriptis vbique ſtetur , prout præſen-
, tibus originalibus litteris ſtaretur , ſi eſſet
, exhibitæ , vel oſtenſæ .

Quibuſcumque non obſtaut.

9. , Non obſtantibus Conſtitutionibus ,
, & ordinationibus Apoſtolicis , ac omnibus
, illis , quæ in prioribus literis noſtris prædi-
, ctis voluimus non obſtare , cæteriſque con-
, trarijs quibuſcunque .

Sanctio pœnalis.

10. , Nulli ergo omninò hominum liceat
, hanc paginam noſtræ conſtitutionis , decla-
, rationis , præcepti , mandati , aſſignationis ,
, voluntatis , & decreti , infringere , vel ei auſu
, temerario contraire . Si quis autem hoc at-
, tentare præſumpſerit , indignationem Omni-
, potentis Dei , ac beatorum Petri , & Pauli
, Apoſtolorum eius , ſe nouerit incurſurum .

D P. An 8. 3. Ianuarij.

Datum Romæ apud S. Petrum , Anno Incarnationis Dominicæ , milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo , tertio Nonas Ianuarij Pontific. Noſtri anno octauo.

Hactenus verò in Lutherum ,

Edictum Caroli V Imp. contra Lutherum.

Placuit Carolo Imperatori iudicium Apoſtolicæ Sedis , qui etiam quod ſe Defenſorem fidei Orthodoxæ meminiſſet , calculum ſuum adiecit in profanum, hæcque, in conſeſſu Principum Imperij , Wormatiæ edixit . *Ad veri Romanorum Imperatoris officium pertinet , non ſolùm fines huius Sacri Imperij , quod Prædeceſſores noſtri Germaniæ Principes , ob defenſionem Sanctæ Romanæ , & Vniuerſalis Eccleſiæ , ſuo , ſuorumque ſæpius effuſo ſanguine , per diuinam gratiam ſibi quæſierunt , ad Orthodoxam fidem adductis , vel expulſis infidelibus , propagare , verum etiam ne qua hæreſeos labes , aut ſuſpicio , in iam ſibi ſubditis nationibus , Sacroſanctam noſtram Religionem commaculet , ſummo ſtudio prouidere , ac ſi qua iam oriri cæperit , eam omni ope , omniq; cura , iuxtà normam à Sancta Romana Eccleſia hactenùs obſeruatam , delere penitus , & extinguere . Ad honorem itaque omnipotentis , Romanique Pontificis , & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ debitam reuerentiam , pro Imperialis dignitatis officio debito , nec non zelo , & ſtudio , quo noſtrorum maiorum more , & ingenita etiam nobis vi ad defenſionem Catholicæ fidei , Sanctæque Romanæ , & Vniuerſalis Eccleſiæ honorem , tutelam , & protectionem , omnes noſtras vires , & facultates , Imperium , Regna , dominium , amicos , vitam denique & animam ipſam noſtram exponere ſumus parati : ex imperiali , & Regia authoritate , nec non conſilio , & aſſenſu Electorum , & omnium Sacri Romani Imperij Principum , Ordinum , & ſtatuum , in hac celeberrima , & frequentiſſima Imperiali dieta Vuormatiæ congregatorum , ad perpetuam rei memoriam exequendo Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ , VERI IN HAC PARTE IVDICIS ſententiam , decretum , & condemnationem in literis Apoſtolicis ad nos directis contentam Martinum Lutherum , vt membrum ab Eccleſia Dei abalienatum , vt obſtinatum , ſchiſmaticum , & notorium hæreticum à nobis haberi declaramus , & vt talem , à vobis omnibus , & ſingulis habendum decernimus , & edicimus.* Hæc Carolus V. Imperator more maiorum ſuorum Religioſiſsimorum Principum ſignificabat , ſanciebatque pœnis etiam Imperialibus in Lutherum , atque ſectarios propoſitis .

Labor Romanorum Pontif. pro profliganda hæreſi Lutherana.

Fuiſſet , vtinam , tanta obſequentia in ſubditis aliquibus , quanta promptitudo in Imperatore , ad extirpandos in ſemine hæreticos , nõ tot monſtra monſtruoſiſſima ſeptentrio , vel peperiſſet , vel pertuliſſet ; ad quæ profliganda Romani Pontifices , pro vigilantia Paſtorali , nihil non egerunt . Nam & huic rei Paulus III. & IV. & Pius IV. Concilium Oecumenicum Trid. celebrarunt , & in refractarios ſectatores , leges ſaluberrimas Eccleſiaſticas condiderunt , atque anathematis iaculum aduerſus aduerſarios ſtrinxerunt : cùm pro conſuetudine Eccleſiæ ,

ad

Bulla Cœnæ Domini.

ad diem Cœnę Dominicę ſingulis annis recurrecurrentem, pnblicè, in aſpectu Orbis Edictum, quod Bullam Cœnæ Domini vocant, damnatione hæreticotum inſigniuerunt, atq; inſigniunt. Iſti verbis Paulus V. anno Domini M. DC XVII. iudicium proferebat.

S. D. N. Pauli V. Iudicium aduerſus hæreticos anno 1697.

Paſtoralis, Romani Pontificis vigilantia, & ſolicitudo, cùm in omni Chriſtiana Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tum potiſſimum in Catholica fidei ſine qua impoſſibile eſt placere Deo vnitate, atque integritate retinenda, & conſeruanda, maximè elucet. Nimirum, vt fideles Chriſti non ſint paruuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumuentionem erroris, ſed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum; neque ſe in huius vitæ ſocietate, & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat: ſed potius in vinculo charitatis coniuncti, tamquam vnius corporis membra ſub Chriſto capite, eiuſque in terris Vicario Romano Pontifice Beatiſſimi Petri ſucceſſore, à quo totius Eccleſiæ vnitas dimanat, augeantur in ædificationem: atque ita diuina gratia adiutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſanè cauſas Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, hodierna die, quæ anniuerſaria Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria iuſtitiæ arma per miniſterium ſummi Apoſtolatus, ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſolenniter exercere conſueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quam fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem, & iuſtitiam, Deo auctore, tueri, vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes, Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, quoſcumque Huſsitas, Vviclephiſtas, Lutheranos, Zvinglianos, Caluiniſtas, Vgonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana fide Apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios hæreticos, quocumque nomine cenſeantur, & cuiuſcumque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet eorum defenſores; ac eorumdem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeù quomodolibet defendentes ex quauis cauſa, publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore: nec non Schiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt. Sex, vel ſeptem cauſas Pontifex aſſignabat, propter quas hæreticis anathema Maranatha dicebat, eaſque à communione omnium ſecernebat. 1. Nè Catholicæ fidei integritas deintegretur. 2. Nè Chriſti fideles circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris. 3. Nè ſocietas, & communio vitæ lædatur. 4. Nè offendiculum pijs exhibeatur. 5. Nè ab vnitate Eccleſiaſtica credentes diuellantur. 6. Nè pax, & iuſtitia publica violetur. 7. Nè ab vnius Paſtoris obedientia, oues ſubtrahantur, ab hæreticis, quibus ſolenne eſt id omne, quod Pontifex expendebat.

Cauſæ propter quas Anathema hæreticis.

I.

Hæretici, Catholicæ fidei integritatem corrumpunt.

Petrus, & Paulus, Apoſtolorum Principes, aperte id denunciarunt. Petrus quidem, cum magiſtros mendaces, ſectas perditionis introducentes, & eum qui emit eos Deum negantes, & ſuperinducentes ſibi celerem perditionem, & viam veritatis blaphemantes, & in auaritia fictis verbis de fidelibus negotiantes, & ſuperba vanitatis loquentes, & in deſiderijs carnis luxuriæ pellicientes eos qui paululum effugiunt, quique in errore conuerſantur, & in ſumma, deprauatores Scripturum appellaret. Paulus autem, cum illos Subuerſores Euangelij: & quid niſi fidei Orthodoxæ corruprores ? vocaret. Enimuero, quod Æſopico cani accidit, qui panem quidem reliquit, in vmbram autem huius impetum fecit, & perdidit eſcam: idem hæreticis, qui veritati non credentes, in mendacio voluntatis perdiderunt panem veræ vitæ, in vacuum, & profundum vmbræ incidentes: ab illo qui eos vocauerat in gratiam, in aliud Euangelium Cacangelium tranſlati. Principalitatem veritati, poſteritatem autem mendacitati deputandam eſſe oſtendebat Tertullianus, ex illius parabolæ patrocinio, quæ bonum ſemen frumenti à Domino ſeminatum primo conſtituit, auenarum autem ſterilis fœni adulterium ab inimico diabolo poſtea ſuperducit. Propriè enim doctrinarum diſtinctionem figurat; quia, & alibi verbum Dei ſeminis ſimilitudo eſt. Ita ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Dominicum, & verum, quod ſit prius traditum: Id autem extraneum, & falſum, quod ſit poſterius immiſſum. Itaque quod poſterius immiſſum eſt, corruptela eſt eius, quod prius traditum eſt. At poſterius eſt, quod poſt Apoſtolos, & Apoſtolicæ doctrinæ ſeruatores eſt: Itaque quod ab hæreticis ſuperſeminatum eſt, zizania, extraneum, & falſum eſt. Itaque quod ab Huſſitis, Wicleffitis, Lutheranis, Caluiniſtis, Anabaptiſtis, Trinitarijs, & alijs Sectarijs eſt; Orthodoxæ fidei corruptio eſt, excogitata à Nouatoribus, quibus voluptas eſt Euangelium ſubuertere, & fidem omnium ſæculorum atque populorum deprauare. Irenæus Martyr oppoſite comparabat. *Quomodo*, inquit, *ſi quis Regis imaginem bonam, fabricatam diligenter, & ex gemmis pretioſis à ſapiente artifice ſoluens, ſubiacentem hominis figuram, transferat gemmas illas, & reformans faciat ex his formam canis vel vulpeculæ, & hanc male diſpoſitam conformet, & dicat, hanc eſſe Regis illam imaginem bonam quam ſapiens artifex fabricauit, omnes gemmas, quæ bene quidem à primo artifice in Regis imagine compoſitæ erant, male vero à poſteriore in caruis figuram tranſlatæ ſunt, & per gemmarum phantaſiam decipiat idiotas, qui comprehenſionem Regalis formæ non habeant: & ſuadeat, quoniam hæc turpis vulpeculæ figura, illa eſt bona Regis imago؛ eodem modo, & Nouatores, anicularum fabulas aſſumentes, poſt deinde, & ſermones, & dictiones, & parabolas hinc inde afferentes, aptare volunt fabulis ſuis eloquia Dei, ſcilicet fidei Orthodoxæ corrumpendæ; atque adeo euertendæ.* Semel enim permiſſa nouandi licentia, eueniet id quod olim in ſynodo Seleuchiæ, Sophronius Pompeiopoli-

S. Petrus de hæreticis.

S. Paulus.

Hæretici cani Æſopici comparati.

Parabola boni ſeminis, & zizaniæ in Euãg

S. Irenæi ſimilitudo. lib. 1. cap. 1.

Nouādi licentia permiſſa tot erunt fides quot voluntates. Nice ph. lib. 8 cap. 43.

politanus Epiſcopus, Acacio Antiocheno Nouatori reſpondit: *Si quotidie voluntatem ſuam exponere*, ait, *fidei formulam edere eſt, deſtituet nos veritatis ipſa certitudo*. Eueniet, & illud, quod S. Hilarius Conſtantio Auguſto ſcripſit: Tot exiſtent fides, quot voluntates: tot doctrinæ, quot mores: tot cauſæ blaſphemiarum, quot pullulant vitia: dum aut ita fides ſcribentur, vt ſinguli voluerint, aut ita intelligentur. Et cum ſecundum vnum Deum, & vnum Dominum, & vnum Baptiſma, fides etiam vna ſit, excident ab ea fide quæ ſola eſt: & dum plures fiunt, ad id incipient eſſe, ne vlla

De praſcript c. 42.

ſit. *Mentior enim*, (præſcribebat Tertullianus) *ſi non etiam à regulis ſuis variant, dum vnuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille, qui tradidit. Agnoſcit naturam ſuam, & originis ſuæ morem, profectus rei*. Idem licuit Valentinianis, *Luteranis*, quod Valentino, *Lutero*; idem Marcionitis, *Caluiniſtis*, quod Marcioni, *Caluino*, de arbitrio ſuo fidem innonare, & quid, niſi euertere; Ab hac ſola cauſa, digni hæretici, qui confundantur, & euertantur, ſi perſeuerant. Sabbathum violatum, & ſolus arcæ ruituræ contactus, in temporibus antiquis, tantam indignationem. Dei prouocauerat, vt qui hæc auſi fuerant, ne minimum quidem veniæ ſint conſecuti; longe magis indigni ſunt venia, qui adoranda, & ineffabilia dogmata, à quibus eſt ſalus, & felicitas æterna, pro arbitrio corrumpnnt.

I I.

Hæretici, ad circumuentionem erroris, credentes ſeducunt.

Hæretici ſeductores. Tertull.

Præclare poſt Petrum, & Paulum Apoſtolos, qui Subuerſores Euangelij, ſednctorum nomine ſignarunt, Tertullianus, ſtudiorum deceptorum non ignarus, notabant: *Hoc negotium eſt illis*, ait, *non ethnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi. Hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi iacentibus eleuationem operentur: quoniam, & ipſum opus eorum, non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione. Noſtra ſuffodiunt, vt ſua ædificent*. Noſtros ſuffurantur, & ſubducunt, vt ſuæ ſectæ, ſcilicet non Catholicos, non Ortodoxos, non Apoſtolicos, ſed Apoſtaticos, ſed Cacodoxos, ſed vel Lutheranos, vel Caluiniſtas, vel demum atheos efficiant. Itaque, quod ouilla pelle amicti, lupos agant; nec non veniant vt furentur, vt mactent, vt perdant, vt ſeducant, vtque in præceps ducant; inſtam Eccleſiæ vindictam merentur, ab ordinatione

Deut. 13.

diuina, qui ait; *Propheta autem ille, aut fictor ſomniorum interficietur*: vel ſi etiam *frater, filia, vxor, amicus fuerit, non parcet ei oculus tuus, vt miſerearis, & occultes eum, ſed ſtatim interficies; vel ſi filij Belial fuerint, qui auertere voluerint à Deo tuo, inquires ſollicite ac diligenter, & rei veritate perſpecta. ſtatim habitatores vrbis illius in ore gladij interficies, & ciuitatem cum omnibus quæ in ea ſunt ſuccendes, ita vt vniuerſa conſumas Deo tuo, & ſit tumulus ſempiternus. Non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua, vt auertatur Dominus ab ira furoris ſui, & miſereatur tui, multiplicetque te ſicut iurauit Patribus tuis.*

I I I.

Hæretici, communionem, & ſocietatem vitæ, lædunt.

Impuritate vitæ, quam ex profeſſo profitentur: vt ſi nolit vxor, veniat vel illa. Sanctus Ephræm Syrus, ex Sacra Scriptura depromptis ſymbolis, hæreticos animas peruertentes, ſeminis fluxu laborantibus, & leproſis componebat. Quemadmodum enim menſtruatus immundum reddit, ſecundum legem, vbi conſederit, vel quodcunqne conſputauerit: ſic & horum impurorum fluxus animæ malæ affectæ, ſermonumque conſputatio, execrabiles reddit ſuſcipientes. Et omnis quidem Sanctorum cætus zonam habebat lumbos conſtringentem; aſperitatem inquam vitæ demonſtrantem: nam armaturam Spiritus Sancti poſſidebant, & vndequaque virtute Spiritus Sancti confirmati erant. Iſtos autem ex propria negligentia, hoc dono Spiritus ſancti cernimus nudatos: nec lumbi ipſorum, cogitationibus caſtis coercentur: verum cuncti eorum mores diſſoluti, atque corrupti ſermones, actioneſque. Atque is quidem qui circa fidem laborat: quid noceat, ait, cum quouis homine verſari, ſiue recte credat, ſiue male ſentiat, modo ſanam fidem nos teneamus? & qui voluptatibus ventris, & his quæ infra ventrem ſunt indulgent, dicunt; & quid obeſſe poterit edere, ac bibere, & genio indulgere, & carnalis concupiſcentia? Quid iſto fluxu impurius, aut eiuſmodi lepra turpius, ac indecentius? Ideo non permittit Deus, execrandas haſce cogitationes in ſanctarum animarum caſtris verſari: ſicut neque lepræ contactu notatos, ſinit lex tentoria figere in medio caſtrorum filiorum Iſrael: ſed quia immundus cum ſit, ſeparatus ſedebit: extra caſtra erit conuerſatio eius: quemadmodum DEVS proſcribebat.

1. Hæretici à S. Ephræm ſeminis fluxu laborantibus & leproſis aſſimilati. De virtute cap. 8.

Improbitate etiam vitæ, hæretici, lædunt humanam ſocietatem. Veriſſime olim à Lactantio ſcriptum: *Religio, & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem: quam ſi tollis, vita hominum, ſtultitia, ſcelere, immanitate complebitur*. Hæretici, Religinem Dei tollunt, quia fidem Ortodoxam tollunt: timorem quoque Dei excutiunt: quia fidem mortuam tanti faciunt, & vel fato omnia attribuunt, vel arbitrium ſeruum conſtituentes, in Deum omnia mala æque ac bona reijciunt. Quapropter. ab hoc gutture, quod patens ſepulcrum: & ab hac lingua doloſa, quæ venenum aſpidum inſanabile, os illis maledictione, & amaritudine in Conuictores plenum; manus illis aduerſus omnes, & in omnia extentæ: pedes illis veloces, ſed ad malum, & ad ſanguinem effundendum; conatuſque illorum, ad tollendam vitæ ſocietatem. Furor illis, qui errauerunt ab vtero, & illis qui ad ſeducendū locuti ſunt falſa, in ſimilitudinem ſerpentis, & aſpidis obſurdatæ, ad voces diuinas, humanas, ſanguinis, lachrymarum, mortis. Serpentibus ſimiles hæreticos Chryſoſtomus dicebat. Sicut illi varij in corpore! Sic in erroribus. Serpens ſuper ventrem graditur! ita heretici, cauſa ventris, & vanæ gloriæ omnia faciunt. Terram ſerpens manducat! & iſti illos lucrantur, qui in terra hærent, id eſt carnales. Non ſolum ſunt ſerpentes, ſed & vipe-

2. lib. 2. de Ira cap. 12.

Hæretici ſerpentibus, & viperis. Hom. 46. in 23. Matth.

ræ, quarum natura eſt; vt viſcera materna rumpentes naſcantur: ſic authores hæreſum, rumpentes fidem, & vnitatem, & communionem matris Eccleſiæ, ad principatum proceſſerunt: violatores Societatis humanæ: qui, vt Michæas ait, *mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem.* Libertatem conſcentiarum à Principibus Orthodoxis extorquere conantur, & interim necem Catholicis machinantur; ac vbi præualent viribus, ſanguine innocentium inebriantur: docti, poſt exauſtos efferatos rabidi pectoris ardores, carnifice libidine infantes per matrum viſcera lacerare, ac inuerecundo puluere, impudenti ſubiecto igne, earum naturæ ſecreta, erubeſcente ſole fundere; viros nobiles cænoſis paludibus mergere: circumactu rotarum fruſtatim membra exterere: ſpargere humanam carnem, & ſanguinem, belluarum pabulum, inagereque in viſcera, ferru prius manibuſque inarata feras: lenta morte per flagra, ſoleas, clauos, ardentes laminas, cruces ſæuire: libertatem ingenuis abrogare: fratres, filios, parentes, parricidali congreſſione committere, & inter has mortes creſcentibus per momenta pœnis, noua feritate perpetuo cachinno abeuntes proſequi: Sacerdotes imagini Chriſti de cruce pendentis alligare, & plumbeis glandibus turmatim traijcere: In ipſo altari in calice ſanguinis Dominici, fœdam inteſtinorum eluuiem egerere: virginum, & matronarum in ædibus ſacratis pudorem exuere: infanda proluuie omnia ſacra polluere, & nihil omnino immanitatis omittere. Vidit, & tulit hæc monſtra Gallia, in qua vno anno M. D. LXII. Sacerdotum aut Deo Sacratorum XLII. millia ferro, flamma, omnique crudelitatis genere extincta; & à cruenta Caluiniana manu, flumina per ſanguinationem adæquata.

Mich. 3.

Hæreticorū crudelitas, & impietas efferata.

In Gallis.

Vidit, & tulit Anglia, in qua omnia humana diuinaque temerata, & mortibus Catholicorum funeſtata. Guilelmus Roſſæus, refert, fœdiora proculcati Catholiciſmi exempla relicta fuiſſe ab Hæreticis nuper noſtra ætate in Gallia, quam vnquam fuerint à Turca ipſo Conſtantinopoli aut in Hungaria: cum illic poſt cruentiſſimas expugnationes cernere eſſet, Eccleſias euerſas, ſacra vaſa, conuaſata, ſuppellectilem ſacratam in profanos vſus conuerſam, reliquias, incenſas, Monachos, & Sacerdotes vario genere ſuppliciorū enectos, virgines, viduas, & iunctas ſtupratas, Catholicorum vrbes funditus euerſas, Catholicos ipſos trucidatos, & quod Tertullianus Gentilibus obijciebat, *nec mortuis parcitum eſt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis, iam alios, iam nec totus auellerent, diſſecarent.* Itum eſt, *inquit Roſſæus*, in viſcera terræ, & in ſepulcra mortuorum pari barbarie ſæuitum, & antiquiſſimi Aurelianenſium Pontificis S. Aniani, qui precibus ſuis vrbem illam ab Hunnorum furore ſeruauerat incolumem, corpus ex tumulo rapuerunt, & flammis indicauerunt. Proxime in Regis tum viuentis fratrem, paulo ante defunctum Franciſcum II. pari impietate deſæuierunt, eiuſque cor è monumento vbi reconditum erat extractum, eodem incendio abſumpſerunt.

In Anglis.

Immanis. & pluſquam belluina Caluiniſtarum in Gallia ſæuitia in viuos, & defunctos, Reges Duces, & alios.

In Cleriaco oppido, poſt templum Diuæ Virginis quod Ludouicus Rex ſumptuoſiſſime extruxerat, euerſum, ipſum Regem è monumento tulerunt, vnaque Reginam vxorem, quæ cum Rege ſepulta erat: quorum vtriuſque corpora, poſtquam ad aliquot dies, cum ſingulari Regij nominis contumelia per totam vrbem raptaſſent, quando iam ſemiputrida oſſa vix ſibi diutius poſſent adhæreſcere, vtrumque ad flammas damnarunt, & accenſa pyra in cyneres redegerunt.

Inde in ſacellū Ducum Longauillæ irrumpentes, vbi item tumulati erant ex Regis ſtirpe permulti, eos ex ſepulchris extraxerunt, inque ſterquilinia proiecerunt: mox ad Reginam Henrici Nauarræ matrem proficiſcentes, ea inſpectante, quoſdam Principes familiæ Borboniæ, mariti ſui conſanguineos è ſepulchris erutos combuſſerunt. Itum eſt & in Galliæ Apoſtolos, atque non impari feritate ſæuitum. Notum eſt quid Lugduni fecerint contra Sanctum Irenæum, Veteres olim Pagani, primum eius vrbis Epiſcopum Pothinum virum Apoſtolicum occiderunt, ac deinceps eius aliorumque martyrum corpora cōbuſta in Rhodanum flumum ſparſerunt. Caluiniſtæ Photini ſucceſſorem Irenæum exhumarunt, publice concremarunt, cineresque in præterfluentem Rhodanum proiecerunt. Sanctus Hilarius olim etiam apud Arrianos, quamuis eos ſcriptis perſtrinxiſſet, in honore. Namque Conſtantius Imperator eum ab exilio reuocauit. Hunc Caluiniſtæ ad ſuum tribunal ex ſepulchro trahentes, primum libros ſua manu contra Arrium exaratos, deinde ſacrum eius corpus apud Pictauos exuſſerunt. Sancta Radegundis Regina, Clotharii vxor, iacebat in eodem loco, cæterum Caluiniſtarum furorem non potuit euadere, quin ex monumento erueretur, & flammis addiceretur. Poſt hæc Pictauienſis ciuitatis omnes Eccleſias, ſepulturas, bibliothecas, imo nec tantum illius, ſed plurimarum in Gallijs Vrbium ignibus tradiderunt. Erat in alio oppido Burdegallenſis oræ (S. Ioannis Angelici vocabant) pars quædam capitis inclyti Præcurſoris Domini, quo nemo maior inter natos mulierum: proceſſerunt eo immanitatis hæretici, vt poſt Diui Matthiæ caput Vulcano datum, etiā occiput Diui Ioannis, poſtquā cum Herode, & Herodiade magnis cōtumelijs affeciſſent, magna cerimonia, magna pyra medio foro incenſa, iniecerunt, & combuſſerunt.

Quomodo, & quam crudeliter in Sanctorum reliquias ſæuitum.

Aurangi, poſt ordinaria hæreticorum facinora, diſturbatas Eccleſias, euerſa Sanctorum monumenta, exuſta corpora, & inter alia patroni & primi Apoſtoli ſui Sancti Eutropii, & huiuſmodi cætera; ad extremum, ſcite formatam Chriſti crucifixi imaginem templo eduxerant, funibuſque alligatam aſino impoſuerant, & per omnes plateas & compita perpetuis eam maledictis, ac vna continuis flagellis, & verberibus afficientes circumduxerunt, & deinde non quidem in crucem egerunt, ſed quod eiuſdem erat immanitatis, in ignem proiecerunt. Iidem Hugenoti in diœceſi Carnotenſi longe ſupra hanc diritatem progreſſi ſunt: qui in Eccleſiam quandam, vbi Sacerdos diuinum illud Chriſtianorum Sacrificium peragebat irrumpentes, proculcata ſuis pedibus ſacrata hoſtia, & effuſo ſanguine, calice loco matulæ abutentes, & Sacerdotem ad lotium exhauriendum compellentes, mox eundem cum crucifixi

Pluſquam Turcica barbaries.

fixi

fixi Chriſti imagine alte colligarunt, & Chriſtum cum Sacerdote plurimorum ſclopetorum glandibus transfixerunt, idemque facinus pluſquam diabolicum pluribus in locis perpretarunt. Præter hæc, Creſcentem Viennenſem, Dionyſium Areopagitam Pariſienſem, Martialem Lemouicenſem, Trophimum Arelatenſem, Apoſtolos, noui Galliæ Cannibales vſtularunt. Alias non minus inſignes Caluiniſtarum immanitates prætereo, & ThEueto Galliarum hiſtoriographo credo, qui ſcribit, nunquam ſub Oſtrogottis & Wandalis tantum fuiſſe patratum crudelitatis in Gallia contra Catholicos, presbyreros, Monachos, ſanctimoniales, vt ab hæreticis in Gallia. In Anglia fuit, quæ fœmina Mezentium expleret.

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis
Componens manibuſq; manus atq; oribus ora.

Geſta hæreticorum in Polonia.

In Polonia, Hoſius Cardinalis referebat, non minus fuiſſe calamitoſum ſtatum, quam olim in Oriente, temporibus Arrianorum. *Graue*, inquit, *piaculum viſum eſt Baſilio, quod clauſa tum fuerint domus orationum! At nunc à paucis illis, partim priuatorum domicilia factas, partim in horrea & equorum ſtabula commutatas, partim prorſus euerſas: & quod horrendum eſt dictu, vix etiam apud poſteros credibile futurum, Crucem in quam furti aut alicuius ſceleris condemnati aguntur, eo ipſo loco vidimus collatam, vbi Crucis qua redempti ſumus & mortis Chriſti iugis repræſentatio recordatioque fiebat. Altaria tum ſpirituali cultu vacabant? Nunc diruta ſunt & confracta vt pleriſque in locis ne veſtigium quidem illorum ſuperſit vllum. Olim temerata erant coniuges, prophanatæ Virgines! Nunc etiam de locis ſacratis, ſacræ Chriſti ſponſæ violenter abductæ & violatæ. Tum ſacra omnia prophanaque, priuata ac publica commixta; affinitates, cognationes, amicitiæ, domus, vrbes, populi, nationes, Imperia concuſſa atque funditus commota ſunt, tum ſanguine omnia reſperſa! Neque nunc minora facinora, coniurationes vulgi, inteſtiua belli, violenti inſultus, cædes, effuſiones ſanguinis, multa inaudita crudelitatis genera in ſacra & ſacros, iuxta & ſeculo addictos.*

Hæc in Polonia: ſed nec meliora in vniuerſa Germania, Boemia, Hungaria, Dania, Suecia, Scotia, Nouergia, & aliis Regnis atque Prouinciis, quæ furor hæreticorum validus inuaſit. Quod ſi aut menſtruatum, aut leproſum eſſe extra conſortium humanum voluit Deus, & in homicidas atque proximos his humani generis hoſtes vindicias ſanxit: omni iure itaque, tam Romanus Pontifex, quam ſecularis poteſtas, vltricem & ſpiritualem & viſibilem armaturam ſtringit: velut in Corruptelas & Læſuras humanæ ſocietatis.

I V.

Hæretici offendiculum piis exhibent, publice blaſphemi.

Si aliud non eſſet, quam blaſphemia in Deum, & Sanctos & Sancta, ſatis eſſet ad eos terra marique exturbandos. Solenne eis namque eſt, in probe cognitis corrumpi, in ignota vero linguam acuere. Iudas Apoſtolus ſignificauit: quod in his quæ naturaliter norunt, velut bruta animantia corrumpuntur: quæ autem ignorant, blaſphemant.

Blaſphemia Caluini.

Caluino blaſphematori, Deus eſt auctor peccati, ſuggerens, iubens, operans, mouens, cogens. Eidem nefaſto, Chriſtus, ſiue in horto ſudore ſanguineo madidus, ſiue in Cruce Patri ſupplex, ſenſu damnationis cohorreſcit, inque inferno nihilominus gehennam, (ô blaſphemiam!) guſtat quam animæ damnatorum. Luthero, Bucero, Kemnitio, Illyrico, & reliquis, imago Dei in homine deleta; poſt peccati lapſum, libertas titularis: gratia Dei, nec purgans, nec illuminans, nec dictans, nec efficaciter mouens, ſed peccata non imputans: Panis Euchariſticus, purus putus panis: Quo quis ſceleratior, tanto vicinior gratiæ: Omnia opera bona, peccata: Soli recte participant Cœnæ Dominicæ, qui triſtes, afflictas, perturbatas, confuſas & erraticas apportant conſcientias: Purgatorium figmentum; Inferni ſupplicia, fabulæ Virgilianę; Diua Deiparens, quemadmodum altera fœminarum; Catholici ſanctos & ſacra pignora venerantes, idololatræ, & quis alia paradoxa numeraret? Hæc vero, an toleranda, an prohibenda, vindicandaque fuerint, nemo dubitauerit: qui meminerit diuini edicti, quo iubet: Educ blaſphemum extra caſtra: lapidibus obruatur: manus non tangant eum.

Luth. & aliorum hæret. blaſphemiæ

Ad hæreticorũ portentoſas blaſphemias Ambroſius reſpiciens pronũciabat: *Hæreſis*, ait, *velut quædam hydra fabularum, vulneribus ſuis creuit; & dum ſæpe reciditur pullulauit: igni debita, incendioque peritura.* Credo, hinc inde viuicomburium apud maiores, in hæreticos increbuiſſe. Alexius Comnenus Imperator, communi Senatus vtriuſque, & Eccleſiaſtici, & Palatini decreto, Baſilium, Bogomilorum ducem, Conſtantinopoli, ignibus tradidit. Petrus de Bruis, apud S. Ægidium in Galliis, zelo fidelium flammis exuſtus, de igne ad ignem, de tranſeunte ad æternum tranſiit. Eonis Britonis diſcipuli, quos ille ſpecioſis nominibus, ſapientiam, ſcientiam, iudicium, inſignierat, Rhemis vſtulati. Arnoldus Brixienſis, ille cuius conuerſatio mel, & doctrina venenũ, cui caput columbæ, cauda ſcorpionis fuerat, Hadriano IV. Pont. Rom. combuſtus eſt.

Hæreſis hydra fabularũ *lib. 4. de fide cap. 4.*

Viuicomburium hæreticorum.

Nouariæ, cum in vicinis montibus noua Fraticellorum hæreſis, à Dulcino quodam & Margarita inſanis hominibus ſuſcitaretur, quam mares & fœminæ ſimul habitantes in ſpeluncis & cauernis, ad nullum non facinoris colbant. flamma ferroque ea peſtis extincta eſt. Quin & Deus, non ſemel vel igne cœleſti, vel alio quouis ſupplicio blaſphemantes hæreticos vltus eſt. Olympius Epiſcopus Arrianus, Carthagine in Elyanenſium balneo lauans, cum Trinitatem publice blaſphemaret, tribus ictus fulminibus, conſumptus eſt. Iuliani Imperatoris theſaurarius, cum nonnihil ex occaſione ſacrorum vaſorum blaſphemaſſet, ſanguine ex toto corpore per os emiſſo, miſerrime interiit. Eiuſdem Imperatoris domus Præfectus Elpidius, propter blaſphemiam in Chriſtum, affectatæ tyrannidis ſuſpicione bonis exutus, & carceri incluſus periit. Valens Imperator, quod Chriſtum conuitiis inceſſiſſet, in primis ſagitta vulneratus, & à Gothis circumiecto igne conflagrauit. Anaſtaſius Imperator, poſtquam ei XIV. annos vitæ Deus detraxiſſet, tandem fulminibus extinctus occubuit. Iuliani Imperatoris

Vltio diuina in hæret. blaſphemantes.

ris Apoſtatæ mors quam cruenta, quam acerba fuerit, non eſt neceſſe commemorare. Alios omitto, quorum innumerabilis eſt numerus, quos Deus variis ſuppliciis propter blaſphemantem linguam extinxit.

V.

Hæretici, ab vnitate Eccleſiaſtica auellunt: publice ſeditioſi.

Hæretici animales.

Apoſtolus, iure merito *animales* nominauit, quod *ſpiritum Dei non habeant*, vnitatis Eccleſiaſticæ auctorem, & ideo *ſegregant ſe* ab vnitate corporis myſtici, vt alius quidem eorum ſe dicat Lutheri, alius Caluini, alius Socini: longe grauiore ſciſſura, quam olim Apoſtolorum temporibus, quando alius ſe dicebat Pauli, alius Apollo, alius Cephæ. Hi namque, ab his à quibus tincti, & eruditi, nomina, citra diſſenſum tamen fidei & ſpiritus præferebant, neque vehementer in ſectas abibant: hæretici autem in via Core abeuntes, nihil commune volunt, quam inter ſe, tam cum Eccleſia, quæ vna, ſub vno viſibili Capite & Paſtore. Itaque non minus quam Core quo veteris ſynagogæ ſupremo Pontifice contempto ſectam fecit, hi noui Teſtamenti ſummo Sacerdote conculcato, vnitatem ſcindunt; digni in quos vltore vindicta animaduertatur. Animaduertit Deus in Core, Dathan atque Abiron, quibus ſeditioſis terram ſubduxit, ac viuos in infernum demiſit.

Hæreticus alter Core.

Vltio diuina in vet. leg.

Ioſ. 22.

Animaduerterunt & filii Iſrael, in tribum Ruben & Gad, & dimidiam Manaſſe quod in poſſeſſione Galaad, iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis ſibi ædificaſſent: namque aſcenderant, vt dimicarent contra illos, quod à cultu diuino receſſiſſent, & altare ſacrilegum ædificaſſent. Qui ſi maculæ huius ſuſpicionem non abſterſiſſent iureiurando, iam reliquæ Tribus in procintu fuerant, vt delerent terram poſſeſſionis eorum. Animaduertit & ille idem Deus, in Paſtores, quod ſuſtinuiſſent errare greges ipſius in cunctis montibus, & in omni colle excelſo, ſuper omnem faciem terræ diſpergi, & non requirerent, neque ad vnitatem ouilis reducerent. Animaduertit & Paulus, in eos qui diſſenſiones & offendicula ſuſcitabant, atque vnitatem corporis myſtici concidebant: dignos pronuncians, in quos diceret: *declinate ab illis*. Et, *Deus autem Pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter*. Petrus quoque Princeps Apoſtolici Senatus, dignos vindicta, maxime diuina ſignificauit, eos qui ſectas non metuunt introducere blaſphemantes: eo loci, vbi Angeli ſegreges, fortitudine & virtute quamquam ſint maiores, tamen portant adverſum ſe iudicium execrabile. Namque ſi Deus Angelis thronum contra thronum erigentibus, & in cohortem ſegregatam ab hierarchico ordine abeuntibus, adeoque grauiſſime contra vnitatem Cæleſtis exercitus peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos; quid parcere velit his qui à ſpiritu auulſi, poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contendunt, audaces, ſibi placentes, vnitatem ſcindunt, ſectaſque introducunt?

Ezech. 34.

Rom. 16.

Deus non pepercit Angelis.

2. Petri 2.

Certum, quod hi velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem, in his quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem iniuſtitiæ, cum illis iudicium iam olim non ceſſet, & perditio eorum non dormitet: quod ſint fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur.

VI.

Hæretici pacem & iuſtitiam publicam violant, publice Turbatores.

Optime quidam pronunciauit: *Religio vna, auctor vnionis, & ab ea confuſę, ſemper Turba*. Ratio eſt ipſa; vt *in æxternis rebus, facile, promptoque diffideant, qui in ſenſu interno, & in ſalutis ipſa ſumma*. Recte Mœcenas Auguſto dicebat: *Noua numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationes rerum: vnde coniurationes, ſeditiones, conciliabula, & cædes exiſtunt*. Namque à diſſenſu in ſenſibus de Deo, primum ſe alternis impios & prophanos nuncupant: deinde *anathema maranatha* ſibi mutuo dicunt: in compito ſalutem reciprocam defugiunt: colloquia, commercia, menſam, thorum execrantur: & ad extremum nec lædere iam verentur eos, quos læſiſſe Deum ipſum arbitrantur. Prompti ad has turbas hæretici, quibus Catholici Orthodoxi, propter cultum rerum ſacratiorum idolatræ, & propter ſequelam Romani Pontificis, Antichriſtiani. Vel recens Patrum ætas vidit, quid Proteſtantes in Germania, contra Carolum Quintum, & reliquos Magiſtratus, pace publica, & iuſtitia violata attentarint. *Excuſſa eſt* (ita eos Eraſmus Roterodanus commemorabat) *ab eis obedientia Epiſcoporum, ſed ita vt ne prophanis quidem Magiſtratibus pareatur. Magna olim Senatus fuit reuerentia, populi magna obedientia: nunc eo res recidit, nulla vt ſit Senatus auctoritas, populi verò ſumma licentia. Olim Chriſtiani ſub Ethnicis Principibus quiete viuebant, ſtudioſè cauentes, ne quam ſeditionis occaſionem darent, exhibentes honorem, cui debebatur honor, vectigal cui vectigal, tributum cui tributum, hortabantur Chriſtianos, vt idolatris etiam Magiſtratibus obtemperarent, proque incolumitate eorum quotidie Deum orabant. At iſte populus, tam Euangelicus, etiam Turcarum Principi dicitur eſſe deteſtabilis: quem, ait, ſeditioni natum. Quos enim ſubinde tumultus non excitat? Quoties de cauſis lenibus non procurrit ad arma? Quot millium ruſticorum contra Magiſtratus commouit turbam?* Quæris à quo commotus populus, in Imperatorem, & in Principes turbas concitarit, atque promptus concitare? Dico, à Miniſtris hæreticis, quibus ſolemne eſt, pacem, ac iuſtitiam publicam violare. Dabo ipſis illorum verbis, quid in Principes ſtatuerint.

A Religione noua turbæ.

Eraſmus Roterod. de turbis German. in epiſt. cont. Pſeudoeuangelicos.

Statuta hæreticorum in Principes

Vvicleffus.

Ioan. Wicleff. *Nullus eſt Dominus Ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

Item: *Quilibet tyrannus poteſt, & debet licitè, & meritorie occidi per quemcumque vaſallum ſuum, vel ſubditum, etiam per clancularias inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocumque præſtito iuramento, ſeù confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia, vel mandato Iudicis cuiuſcumque.*

Lutherus.

Martinus Lutherus. *Inter Chriſtianos, nulla po-*

la poteſt eſſe ſuperioritas. Princeps eſt caro ferina in Cælo, id eſt, rara auis. Principes ſunt apparitores, lictores, & carnifices Dei.

Contra Cæſarem.

Item, contra duo Cæſaris mandata; *Mendaces, & obſtinati ſunt Principes noſtri, nec homines ratione præditi, ſed Germanicæ beſtiæ. Turca, decies probior eſt, prudentiorque, quam noſtri Principes.*

Ad Ducem Saxon.

Item, ad Ioannem Ducem Saxoniæ: *In Miſnia, in Bauaria, in Marchiia, aliyſque locis promulgauerunt tyranni edictum, vt noua teſtamenta hinc inde in præfecturas tradantur. Hic ſubditi ſic agant. Non foliolum, non literam vnam tradant ſub periculo ſalutis ſuæ. Quiſquis enim id fecerit, is tradit Chriſtum Herodi in manus. Illi enim agunt velut Chriſticidæ, ſicut Herodes. Ab initio mundi admodum rara auis eſt Princeps prudens: adhuc multò rarior Princeps probus. Sunt communiter maximi fatui, aut peſſimi nebulones ſuper terram.*

Contra Reg. Angl.

Item, contra Regem Angliæ: *Reputo illos Principes velut recentes lendes, quæ, priuſquam inde pediculi naſcuntur, inanes, aridæque ſunt pediculæ. Ego autem huiuſmodi lendibus bene faueo, vt glorientur, & cantent: Hic reſidemus nos lendes ſuper caput nobiliſſimi animalis in terra, in crinibus eius. Non ſumus vilis proſapiæ: pediculi ſunt parentes noſtri, magni illi Gigantes, qui etiam Romanorum Imperatorem Syllam, multoſque alios interfecerunt. Ego ſine larua, ſed apertè dico, Regem Angliæ Henricum iſtum planè mentiri, & ſcurram leuiſſimum mendacijs ſuis magis referre quam Regem.* Item in eodem libro:

Lutheri proteruia.

Aio ergo D. Martinus Lutherus, Domini noſtri Ieſu Chriſti indignus Euangeliſta, quod hunc articulum (ſola fides ſine vllis operibus iuſtificat apud Deum) ſaluum, & incolumem eſſe ſinere debebit Imperator Romanorum, Imperator Turcarum, Imperator Tartarorum, Imperator Perſarum, Papa, Cardinales omnes, Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, totus mundus, dæmones vniuerſi: atque inſuper ſine alicuius bona gratia ignem tartareum habebunt in capita ſua, &c. Tanta eſt dignitas mea, quod ad doctrinam, & miniſterium meum attinet mihi diuinitus datum, & quatenus vita, ac mores cum illo congruunt, vt nemo vnquam (præcipuè verò tyranni) nec patientiam, nec ſubmiſſionem, nec aſſentationem in me experturus ſit, &c. Adeſte omnes, vos inquam Papiſtæ, Sectarij, Satanæ adminiſtri, & ſatellites, ac totum agmen Diabolici gregis: vnanimiter vires coniungite veſtras, huc copias adducite, confertis agminibus vnum Lutherum adorimini: Papiſtæ in frontem aciem dirigite, à tergo inuadant Sacramentarij. Prouocatus, elinguis non ero.

Item de Captiuitate Babylonica: *Nulla eſt alia remedij ſpes, niſi reuocato libertatis Euangelio, vt ſecundùm ipſum ſemel deſtructis omnium hominum omnibus legibus omnia iudicemus, & regamus, Amen.*

Thom. Monetarius. opor. Germ. Luth. fol. 132 epiſt. ad ſuos ſect.

Thomas Monetharius, Lutheri diſcipulus: *Nolite puſillanimes effici, nolite peruerſis illis phantaſticis, & ſceleratis nebulonibus diutius adulari; incipite, & pugnate prælium Domini. Iamdudum tempus eſt. Adhortamini fratres veſtros ad hoc, vt diuinum teſtimonium non irrideant, alioquin omnes peribunt. Tota Germania, Gallia, & Italia commota eſt: Magiſter vult ludum ludere: per eundem eſt ſceleratis nebulonibus. Verum agite nunc, agite, agite, tempus eſt. Nebulones iſti valdè vecordes ſunt, vt canes. Incitate fratres, vt ad paſcua veniant, & commotum teſtimonium reddant. Agite, agite, agite, ne moueamini miſericordia, etiamſi Eſau bona verba vobis proponat* Gen. 33. *Rogabunt vos tam amice, deprecabuntur, flebunt vt pueri: nolite miſericordia moueri, vt per Moyſen mandauit Deus,* Deut. 17. *& nobis quoque item manifeſtauit. Agite, agite, agite, dum ignis calet: caucte ne ignis veſter à ſanguine frigeſcat. Fabricamini pinckpanck ſuper incude Nembrod: deijcite illis turrim. Non eſt poſſibile vt liberi ſitis à timore hominum, quamdiu viuunt iſti: non poteſt vobis aliquid dici de Deo, dum illi vobis dominantur.*

Caluin. de Fran. I. Gall. Rege in Præl. Daniel. & in cap. 6.

Ioannes Caluinus, de Franciſco I. Galliarum Rege, & alijs eius tempeſtatis Principibus: *In aulis Regum, videmus primas teneri à beſtijs. Nam hodie, ne repetamus veteres hiſtorias, vt Reges fere omnes fatui ſunt, ac bruti, ita etiam ſunt quaſi equi, & aſini brutorum animalium. Quo igitur quiſque audacior eſt, ac proteruior, eo plus auctoriſatis conſequitur in aulis, &c. Nunc nihil aliud ſpectant Reges, niſi vt efferant ſuos lenones, vel ſcurras, vel qui ipſis adulantur. Interea non erigunt, niſi homines nihili, & quos Deus quaſi ignominia notauit. Et cùm ſint indigni, qui cenſeantur in numero hominum, tamen ipſi ſunt Reges Regum; quia Reges hodie ſunt ferè mancipia, & Abdicant ſe poteſtate terreni Principes, dum inſurgunt contra Deum (id eſt, rebelles hæreticos puniunt) imo indigni ſunt, qui in numero hominum cenſeantur. Potiùs ergo conſpuere oportet in ipſorum capita, quam illis parere. &c. Monarchæ ſemper in ſuis titulis hoc obtendunt, ſe eſſe Reges, & Duces, & Comites, Dei gratia. Sed quam multi falſo nomen Dei prætexunt in hunc finem, vt ſibi aſſerant ſummum Imperatorem. Quid enim valet ſæpe in Regum, & Principum titulis, Dei gratia? nempe ne agnoſcant ſuperiorem, quemadmodum dicunt. Interea libenter Deum, cuius clypeo ſe protegunt, calcarent pedibus: tantum abeſt vt ſerio reputent ſe habere eius beneficio, vt regnent. Merus igitur fucus eſt, quod iactant ſe Dei gratia pollere dominatione. Cùm ita ſit, facile hinc iudicium fieri poteſt, quàm ſuperbè contemnant Deum profani Reges: etiamſi obijciunt nomen eius fallaciter, quemadmodum illi nebulones, qui palàm Deum ſubſannant, & ita nomen gratiæ profanant.*

De particula Dei gratia in titulis Regum & Princip.

Hæreticorũ Euangeliũ igne, & ferro ſeminatur.

Ab hac Caluini doctrina, quidam eius aſſecla, Pariſijs, anno M.D.LXI. Semen verbi Dei ſeminauit ſclopetorum globulis, ad tympani ſonum vexillis explicatis. Ab hac eadem præceptione, eodem tempore alius, primæ librorum paginæ, romphæam flammantem hac inſcriptione præfixit: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Ab hac illa ipſa, Ioannes Knoxus Caluiniſtarum coryphæus in Scotia, in libello Geneuæ impreſſo, quem vocat appellationem ad nobilitatem, & populum Scoticum, *Illud audacter affirmauerim,* ait, *debuiſſe nobiles, Rectores, Iudices, populumque Anglicanum non modo reſiſtere, & repugnare Mariæ illi Iſabelli, quam vocant Reginam ſuam; verum etiam de ea, & Sacerdotibus eius, & alijs omnibus, quotquot ei auxilium tulerunt, mortis ſupplicium ſumere, vt primum apertè cœperunt Chriſti Euangelium ſupprimere.* Ab hac illa ipſa, Theodorus Beza, rebelles Regi Galliarum, qui eum anno Domini 1562. Lutetiæ adoriri moliebantur, cum diuina ope proſtrati, in planitie ad Druidum

pag. 36.

Diuerſa, & funeſtæ Clades Galliæ ab Hæreticis inflictæ. Præfat. Noui Teſt.

oppi-

oppidum iacerent, eos vt fortiſſimos Chriſti milites, vt Martyres collaudauit: *qui prima*, inquit, *reſtituendæ in Gallijs Chriſtianæ Religionis fundamenta ſanguine ſuo feliciter Deo conſecrarunt*, ſcilicet Deo conſecrat ſanguinem ſuum, qui perduellionis reos, rebellis Regi cui ſe ſolemni iuramento auctorauerat, pœnas luit rebellioni, perduellioni debitas. Ab hac illa ipſa, Caſtelnouanus, & Renaudius armati, Regium Franciſci latus petebant, Regiam matrem filamentis deſtinabant, Regium ſanguinem in omni capite ferro deuouebant: Fayrum Noyſiumque, qui ſacro Palmarum die, quo ſacratius ſcelus eſſet, Carolum Regem, nobilitatemque vniuerſam delerent, inſtruebant. Ab hac eadem illa, viri Principes ceciderunt, Nauarræ Rex Monpenſeius, Nemourſius, Longauillanus, Niuernenſes, Aumalij, Tanamus, Byronius, Matignionius, Sanctandreanus, Mottegundrinus, ſed & Præſes Minardus media luce in ipſa Pariſienſi Vrbe. Ab eiuſdem monitu, annis non totis decem, Gallorum vicies centena millia occubuerunt, Sacerdotum ſupra quinque millia extincta, hoſpitalia ſupra nongenta euerſa, Monaſteria ſupra duo millia, aliarumque Eccleſiarum minimum viginti millia fundamentis exciſa, nobiliſſimæ vrbes, & prouinciæ vaſtatæ, nullaque pars Galliæ intacta. Ab hac illa ipſiſſima, miniſtri Scotiæ, controuerſia in domo priuata inter paucos agitata: *poſſent ne idololatriam* (ita Orthodoxam fidem Buchananus hiſt. ſcripſit.) *iamiam in omnium perniciem graſſaturam compeſcere, & ſummum Magiſtratum intra legum præſcripta per vim reducere*, reſponderunt, *Poſſe*. Ab hac eadem libellus, titulo, *Miles Gallicus*, qui pacatiſſimi Regni

Buccanã lib. 17.

Liber *Miles Gallicus* dictus.

feſſa putri rubigine tela
Hortenſesque ſitu gladios, in ſæua recuruat
Vulnera, & attrito cogit iuueneſcere ſaxo.

Quiſquis illum legerit, videbit ſupra omne Phrygiæ monſtrum, perpetua proluuie linguę, & calami regna dedecorare, vel ſola primorum orbe purpuræ decoloratione, atque inuerecunda verborum inceſtatione, in poſteritatem iturum: ſola cædes, ſanguinem, viſcera magnæ Galliæ ructantem; vt in vno Gallicano ſtomacho videre liceat,

Biſtonij ſtabulum Regis, Buſiridis aras,
Antiphatæ menſas, & Taurica regna Thoantis
ſolitoſque cruentum
Lac potare Getas, & pocula tingere venis.

Ipſumque adeo Polyphemum, qui

membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent ſub dẽtibus artus.

Libri ſeditioſi a Caluino ſcripti.

Ab hoc ipſo Caluiniano calamo, alij libelli, in Deum blaſphemi, impij in Reges, in Principes contumelioſi, ſeditionibus, & cædibus excitandis ſcripti, 1. Matutinum ſuſcitabulum, 2. Secretum Fiſci, 3. Toqueſingum, ſeu Campaniferium homicidarum, 4. Franco-Gallia, 5. Hiſtoriæ Turbarum, 6. Vita Catherinæ, 7. Antiguiſartus, 8. Henricus Eremita, 9. Epiſtola Bruccij, 10. Furor Francorum, 11. Alethia, 12. Concilium Sacrum, 13. Iunius Brutus contra tyrannos de poteſtate Principum, & populi, & alia inſanorum capitũ ſomnia, per quæ ementitis probris, confictis flagitijs, mendaciterque adinuentis ſceleribus Reges Chriſtianiſſimos, Henricum II. cum Regina vxore, Regiam ſobolem, Franciſcum II. Carolum IX. Henricum III. alioſq; Regij ſanguinis Principes, mendaciſſimè onerarunt, vt atroci in popularibus animis odio concitato, ad rebellionem, perfidiamque eos impellerent. Nocere, verberare, mouere, nunquam quieſcere, neminem ſinere, hæreticorum eſt: ideò non valdè mirum, ſi vnumquemque Principum Orthodoxorum, ſeditionem excitare. Non ineptè aliquis, hæreticos, locuſtis Apocalypticis comparabat, quibus *Poteſtas eſt nocere hominibus*, præſide Rege Angelo abyſſi, *cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollion, Latine exterminans.*

Hæreticorũ proprium.

Quod ſi tales, vt tales ſunt hæretici; & Deus tam cornupetam bouem, quam cornupetæ herum, ſcientem, nec homicidia prohibentem, æque atque omnem in populo malefactorem, non vult impunè eſſe in terra: Iure itaque optimo tam Pontifex Romanus, quàm ſæcularis Magiſtratus in hæreticos agunt: eo quod Patre Exterminatore, natos fame, rei, vitæ exterminandæ, non eſt æquum eſſe iuultos. Sed nos ad extremum pro Romano Pontifice, vltimam iſtam cauſam adduxerimus.

Ad iſtud reſpexit Sigiſmundus Rex Poloniæ Auguſtus, cùm in ſemine extinguere voluit irrumpentem noxam.

Iſta ſanxit, digna, quæ ab omnibus, qui publicam ſalutem amant, legantur, & ſeruentur.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS DEI GRAtia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Bruſſiæ, Maſouiæ Samagitiæque, &c. Dominus, & hæres.

Decretũ Siſmundi III. Seren. Reg. Polon. contra imergentes hæreſes.

VNiuerſis Palatinis, Caſtellanis, Capitaneis, Proconſulibus, Aduocatis, Scabinis, & quibuſcumque cum poteſtate Magiſtratibus, tam in Caſtris, quàm Oppidis, & Villis, vbicunque per Regnum noſtrum conſtitutis, ſyncere, & fidelibus dilectis gratiam noſtram. *Syncere fideles dilecti. Ex pleriſque cum veteribus tum recentibus exemplis externis, nunc autem iam quoque ex domeſtica hac experientia noſtra, apertè cognoſcimus, conſenſu quidem, & cõcordia religionis firmari, ac ſtabiliri Reſpub. eaſdem autem cõmutandis, ac perturbandis, pro cuiuſq; arbitrio religionibus, ſi qua vlla alia re diſſipari maximè, & euerti. Quod quidem cum omnes omnium nationum quantumuis barbaræ, & inanes ac falſa religiones confirmare videntur, tum noſtra potiſſimum Chriſtiana verum eſſe oſtendit: quæ vt ſola vera religio eſt, ita vbi in Catholicæ Eccleſiæ conſenſu iiſdem ſtudijs ac ceremonijs culta fuerit, ibi præſentem prope ac propitium Deum: & contra, vbi ſtudijs ac ritibus diuerſis contaminata fuerit, ibi maximè facit alienum, & auerſum. Cuius ſanè vtriuſque rei, noſtra, & maiorum noſtrorum memoria facilè exempla ſuppeditare poteſt. Prætermi donec patrum noſtrorum memoria, idem de religione Chriſtiana eſſet noſtrorum hominum ſenſus, & conſenſus, vidimus quanta, & ſeueritas in legibus, & authoritas in magiſtratibus ac pudor, & obedientia dominaretur in priuatis: Tum vero etiam, quanta omnium rerum proſperitas omnia illorum, & facta, & conſilia diuinitus conſequeretur: ſic quidem vt & vniuerſus hic imperij noſtri Orbis quam longè, & latè patet, & vniuerſus hic ſplendor opum, quem per Dei gratiam,*

tiam, his fere adhuc temporibus in Regno noſtro intuemur, ſola propemodum religionis Chriſtianæ conſenſione, & ab initio partus, & per ſexcentos annos ad noſtra vſque tempora vſſe conſeruatus videatur: Cum contra ante paucos hos annos, vbi ab eius religionis concordia, obliti muneris officijque noſtri diſcedere cœpimus, & leges elanguerint, & magiſtratus prope dignitatem omnem amiſerit, ac pudor, & obedientia planè interierit: quas res, & priuatim quidem confuſio, & publicè tanta omnium rerum perturbatio eſt conſequuta, vt interdum vix vllis noſtris conſilijs poſſe videatur ſuperari. Quod quidem ira atque indignatione iuſtiſſima immortalis ipſius Dei non dubitamus eueniſſe. Cum enim hactenus impunita extiterit in regno noſtro homunucionum quorundam aperta in Dei maieſtatem, & Catholicam religionem petulantia, qui neſcimus ex quibus latebris prodeuntes, non ſolum religionis noſtræ myſteria, Sacramenta, ſacraque omnia perſtringere, ſed etiam ipſi Dei filio palam conuicium facere non verentur: & quæ ab hominum atque adeo Angelorum ipſorum intelligentia remota ſunt, ea ſub ſenſus ipſos ſubijcere conantur. Idcirco in his quoque Politicis rebus, meritò noſtra quidem ſententia Deus confudit conſilia noſtra, vt interdum ne ſatis quidem ipſa explicari poſſe videantur. Quamobrem, de conſtanti atque conſentienti totius conſilij noſtri ſententia, quod nobis in hoc Pareboujenſ. Conuentu Generali adſint, ita ſtatuimus, & præſentibus litteris noſtris edicimus, ac ſeuere mandamus, vt omnes externi homines, qui ex alijs regionibus propter ſupra dictam religionis cauſam extorres huc confluxerunt, & qui à Catholica religione auerſi, noua dogmata noſtra hominibus obtrudere, eaque ſiue priuatim, ſiue publicè, tam ſcripto quam voce viua profiteri audent, continuo ex omnibus ditionibus noſtris ita emigrent, vt ne quis prorſus eorum ad Calend. Octobres intra fines noſtros remaneat. Quos nos iam quidem hoc eiuſmodi Decreto noſtro proſcribemus, & ex omnibus ditionibus noſtris exterminamus, proſcriptoſque, & exterminatos eſſe, & haberi volumus. Denuntiamus ſingulis eorum, quod quiſquis eiuſmodi poſt tempus deſignatum intra fines noſtros verſari auſus fuerit, is vbique per officium Præfectorum, Capitaneorum noſtrorum, capi, vinciri, ac vti facinoroſus ac ſeditioſus in Repub. plecti ac puniri: & præterea à priuatis hominibus ſi quid fortè eiuſmodi ſibi euenerit, eius rei culpam omnem non in alium quam in ſeipſum conferre debebit. Neque enim amplius ſanè ferre poſſumus, vt propter paucorum quorundam exulum, & abiectorum hominum licentiam ac temeritatem diutius hæc irati atque infeſti Dei iudicia ſuſtinere omnes in vniuerſum neceſſe habeamus. Itaque ſi quis Præfectorum noſtrorum in exequendo hoc Decreto noſtro ſiue remiſſior ſiue negligentior fuerit, in eum nos quidem vti edictis ac mandatis noſtris Comitialibus conuenientem, animaduerſuri ſumus. Interea autem ſubditis noſtris, ac præſertim inferioris ordinis hominibus mandamus, ne nouis iſtis, & peregrinis doctrinis vllis, in aliud Euangelium quam quod ab initio in hoc Regnum illatum, nobiſque per manus traditum fuit, abduci ſe patiantur: ſed vti ſubiectionem noſtram verbo, & alijs Ciuilibus argumentis libenter profitentur, ita quoque religionem, ac pietatem noſtram, quam nos à maioribus noſtris conſtanter retinemus ſtudeant imitari. Præcipuè vero caueant, vt ſe ab omni peſtiferæ iſtius, & recens exorta ſectæ ſocietate atque contagione puros conſeruent: quæ nimis altum ſapiendo os in cælum poſuit, deque Dei immortalis ingenio prorſus abſcondita, ea in vulgus iactare non erubeſcit, quæ ſunt non ſolum arrogantiæ non ferenda, ſed etiam curioſæ cuiuſdam impietatis pleniſſima. Alioqui niſi eiuſmodi mandato noſtro obtemperauerint, daturi ſumus ad magiſtratus noſtros multo ſeueriora madata, quibus animos ipſorum in officio omnino contineant, nihilque ijs permittant quod à noſtris Catholicæque Eccleſiæ moribus quoquomodo alienum, ac domeſtica alicuius, & Ciuilis ſeditionis ſeminarium eſſe poſſit. Quarum omnium rerum ne quis ſit qui ignorantiam poſſit prætendere: Mandamus omnibus ab initio nominatis, vt hoc edictum noſtrum vbique publicari, & preconis voce de more promulgari faciant. Pro gratia noſtra. Datum in conuentione noſtra generali Parchouien. die VI. Auguſti, Anno Domini M.D.LXIV. Regni noſtri XXXV.

Ad mandatum Sacræ Regiæ Maieſt. proprium.

VII.

Hæretici, ab obedientia Summi Pontificis fideles ſubtrahunt: adeoque in Paſtorem oues armant: Salutis Reipublicæ Chriſtianæ perpetui hoſtes.

Stanislaus Hoſius, S. R. E. Cardinalis affirmabat, quod certo certius ſciebat; *Iurarunt, ait hæretici, vt cum primum liceret, coniunctis viribus concurrerent, ad tres, vt dicunt iſti, peſtes exterminandas, nimirum Pontificiam Poteſtatem atque Eccleſiam, nobilitatem, & iuris diſciplinam.* De nobilitate, & iuris diſciplina, verum perhibuiſſe Hoſium, demonſtrauimus: de Pontificis Romani poteſtate extinguenda, tam clarum, quam clarum eſt, in eo omnes hæreticos eſſe, vt quamquam in grauiſſimis, ac ferè omnibus ſalutis humanæ myſterijs diſſideant, in hoc tamen conueniant, qua ratione Romani Pontificis authoritatem exterminent. Non eſſent à porta inferi, niſi in hoc ſolidum totius ædificij ſpiritualis ſaxum incurrerent, impingerentque. Non eſſent ſegreges à Chriſti vnico ouili, ſi Paſtoris vocem, & virgam non execrarentur. Non eſſent membra Satanæ, ſi Caput viſibile corpori myſtico non detraherent: neque Antichriſti præcurſores, ſi Vicarium Chriſti Chriſto congregantem, lingua, calamo, manu, armis non impugnarent. Da quoſcumque volueris hæreticos, primum, Alpha ſingulorum, & omnium eſt, ab hoc vnico omnium Ouium, & Agnorum Paſtore, ſe & alios ſegregare: illum Antichriſti loco habere. & aduerſus Chriſtum Domini tum conſurgere, tum alios concitare. Lege, & execrare, Philippi Mornæi Domini de Pleſſis, Chriſtianiſſimi Regis in Sacro Conſiſtorio Conſiliarij, Cataphractorum Turmæ Ductorum, Salmurienſis ditionis præſidijs, Domus Regiæ Nauarrenæ Præfecti (hos titulos enim ſibi homo peſtilentium omnium peſtilentiſſimus adſcripſit) ſuaſoriam epiſtolam, ad Iacobum Magnæ Britanniæ Regem, de ſuſcipienda aduerſus Romam, & Pontificem Romanum expeditione, iſtis verbis ab Antichriſti præcurſore conceptam.

libro de adorãda Trinitate.

Stan. Hoſius de hæreticis in Polonia.

In eo omnes hæret. vt Rom. Pont. auctoritaté exterminét.

Impia Philip. Mornæi ſuaſoria Epiſtola ad Iac. Reg. Angl. de ſuſcipienda exped. aduerſus Romam, & Rom. Pont.

Progreſſum Myſterij iniquitatis, ploſque

Papa-

Papatui obnitentium conatus, tot retro ſæculis ſigillatim executus, cui dicare debeam; ambigere nefas, Sementem tu Rex Sereniſſime vltro dediſti: Meſſem quaſi coloni tui accipe: ſed æquus, ſed facilis, quia tua ex tuis. Vindicem enim te præterea ega indignus experior, cui toties ab aduerſarijs crimini datum, quod Laicus, quod militiam profeſſus, Theologica tractare, Papatum aggredi non ſim veritus. Quid igitur, cum tu τυραννον ipſe λαῶν, tot ſceptris decorus, ſacroque baltheo diuinitus accinctus, ſtilum in eum tuum ſtringere non digneris, operæ tuæ pretium putas? quem calamatam feliciter confixiſti, quidni prope diem vltore gladio glorioſè transfixurus? Liceat enim mihi auguſtam illam tuam præfationem ita interpretari: eo alias nomine non cenſendam, quam vtique τόλμα ipſum, opus ἀνάλογον mox ſit conſecuturum. Venatio illa, tanto munerario orbi exhibenda, Belluæ illius Apocalypticæ, quæ ſanè Regia indagine, Regis plagis, venabulo demum tuo digna iam ſola. Arduum opus, aiunt, Arduum vere: ſed carni, & ſanguini, ſed homini. At ei minimè, qui Verbum caro factus, qui Homo Deus, qui dixit, cui dixiſſe ſatis. Arduum olim nec diffiteor: at iam procliue: quia maturum, quia die interpellante, quia ipſa rerum natura obſtetricante, quia Fatis ſibi viam aperientibus, quia Dea auſpice, auctore, adiutore, impulſore. Adſit modo qui conetur, qui auſit, qui velit, in irritum neutiquam caſurum: cum poſt tot tantaq; veneficia, parricidia, ad truculentiæ cumulum nihil deſit, ſuperſit ad impietatis faſtigium planè nihil. Ergo apage, Rex magne, calamos. Hunc ego meum iam appendo ſatur. Alios mores hæc ætas poſtulat, alijs poſt hac talis opus. Nouus nobis prodeat ex Britannia Conſtantinus; Maxentium, Pharaonem alterum, in Ponte Miluio calcaturus, peſſum daturus. Ambiguos, ille conſilij Principes ac populos firmet, ſtudijs ſciſſos agglutinet, palantes colligat, alacres exacuat. Alpibus inde ſuccollantibus, Eridano ſeſe ſpontè diffidente, diſſiliente Appennino, multis ad Libertatis ſignum concurrentibus, cæteris in euentum cernuis, Romam intrepidus, nunquam fruſtra tentatam recta ducat. Quis ad ipſum turbarum clangorem ſubſeſſuros colles, procubituros muros, Molem adeo ipſam dubitet? At pergat ille porro, Iudiciorum Dei rigidus exactor, Iouem Capitolinum de Sede, nunquam reponendum, excuſſis fulminibus exturbes, Babylonem ipſam refuſa Tyberi, reſtagante ipſo Auerno, nunquam emerſuram, molæ inſtar demergas. Hanc tu Rex potentiſſime laudem, hanc lauream, abſit vt tibi præripi patiaris: cuiquam alij ſeruatam velis, non ſanguine, non vita, non carioribus cæteris redemptam malis.

At tu Iehoua Deus, cuius res, cuius gloria hic propriè agitur, cuius abſque ope, fruſtra ſint vota, ſuſpirta molimina noſtra, euigila, exurge, robur indue, iuſtitiam vt loricam. Voca ſeruum tuum per nomen ſuum, prehende dexteram vncti tui, ambula ante faciem eius: complanentur valles, ſubſidant montes, conſternantur fluuij, pateant ianuæ, conterantur vectes, contremiſcant populi, corruat Iericho illa in Spiritu oris tui, in conſpectu eius. Ego ſexagenario licet iam maior, lateri tunc ipſius hæream indiuulſus, inter anguſta, inter aſpera Alpium ſenectam exuam, inter principia prælium miſceam, inter triumphos, præcinente Angelo CECIDIT illud congeminem, ſanctæ huic lætitiæ totus immergar, æternæ contiguus immoriar raptus. Hæc Pleſſeus oggannIebat, Salmurij An. M. DC. XI. qui omnium hæreticorum calamo, & animo, claſſicum in Pontificem Romanum canebatur à cuius Suaſoria certiſſimum eſt mihi argumentum, in hoc omnes hæreticos eſſe, & fuiſſe, vt Poteſtatem Romani Pontificis deterant, & omnes ab obſequentia reuerentiaque illius retrahant inprimis, ac in ipſius iugulum omnes arment. Ab hac cauſa, iuſtiſſimæ Pontifici Romano in eos vindiciæ; maximè à pollicitatione diuina, qua aiebat; *Omne vas, quod fictum eſt contra te, non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem tibi, in iudicio iudicabis. Hæc eſt hæreditas Seruorum Domini, & iuſtitia eorum apud me, dicit Dominus.*

Hæretici omnes ab obedientia, & reuerentia Rom. Pont. retrahere, & in ipſius iugulum arma re ſtudent.

Iſa. 54.

CAP. XXVI.

Pontifex Romanus, innocens ab hæreſi.

FElix medicus, qui non audit: *Cura te ipſum.* Felix monitor, qui non habet primo eijcere *trabem ex oculo* proprio, vt *feſtucam* ex alieno eijciat. Felix Iudex, qui in eo in quo iudicat alterum, ſeipſum non condemnatur, ſcilicet, non agit eadem, quæ iudicat: memor illius Paulini dicti: *Exiſtimas autem hoc, ò homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? Qui alium doces, te ipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras: qui confidis teipſum ducem eſſe cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ, & veritatis in lege,* cæcutis, palpitas, deſipis, balbutis, erras, hallucinaris?

Pont. Rom. fœlix medicus.
Fœlix monitor.
Felix Iudex

Rom. 2.

Fœlix proinde Romanus Pontifex, Dux cæcorum, Lumen in tenebris ambulantium, Eruditor inſipientium, Magiſter infantium, Doctor Orbis, Iudex, & vindex hæreticorum, quod innocens ab hæreſi, de qua iudicat male ſanos. Rogauit pro eo Chriſtus, ne Fides illius deficeret: atque adeo pro reuerentia ſua impetrauit, ne, *thronus eius ſicut Sol, & ſicut Luna perfecta in æternum*, atque *teſtis in cælo fidelis*, aliqua erroris, & macula, vel nebula infuſcaretur, aut obſcuraretur. Quamobrem confidenter gloriari poteſt Eccleſia Romana, quod illam ſibi Chriſtus exhibuerit ſponſam: *ſine ruga, ſine macula*, & ſine *aliquo huiuſmodi*: propter indeficientem Pontificum Romanorum Fidem, qui hactenus innocentes & impolluti ab hæreſi.

Dux Cæcorum, Lumen in tenebris ambulantiū, eruditor inſipientium. Magiſter infantium. Doctor Orbis Iudex hæreticorū Eccl. Rom. ſponſa ſine ruga.

Innocens Primus à Chriſto, Petrus, pro quo primum Chriſtus orauit: & cui ipſe ille Filius Dei, diſcipulorum *Ignorantia cognita*, vt Baſilius Seleucienſis Epiſcopus pro Concione affirmabat, *diuino quodam moda reſponſum ſubiecit: & ad quam vocem ſponte mouebatur, Primatem inclinauit, velut citharam quamdam ratione præditam exſuſcitans.* Is enim Hilario teſte, *Fide cæteros Apoſtolorum anteiuit: felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ inferni leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret.* Is Origene te-

S. Petrus fide cæteros Apoſt anteiuit.

Orat 25 in illud. Quem in c 14. Matth. & in c. 16 eiuſdem.

Petrus Petra ſolidiſſima. tract. 3. in Matth. Fidei columna. orat. 26. de modo in diſput. ſeruan. ſerm. 29. de SS. & ſerm. 124. de tempore. Eccl. Cath. fundamentū Part. II. act. III.

ne teſte; *magnum Eccleſiæ fundamentum, & petra ſolidiſſima, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, aduerſus quam portæ inferi non præualent.* Is Nazianzeno, *Petrus petra, quæ Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ concredita habet:* Auguſtino, *dignus qui ædificandis in domo Dei populis, lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentamentum, clauis ad regnum: in quo ipſo capite Eccleſiæ, totius corporis morbum curaret Chriſtus, & in ipſo eodem vertice componeret membrorum omnium ſanitatem, in ipſa confeſſionis Crepidine, in ipſo immobilis fidei fundamento. Nulli etiam dubium eſt,* vt Philippus presbyter, Patribus in Concilio Magno Epheſino narrabat, *imo omnibus ſæculi notum eſt, quod Sanctus Beatiſſimuſque Petrus Apoſtolorum Princeps, & Caput, Fideique columna, & Eccleſiæ Catholicæ Fundamentum, à Domino Ieſu Chriſto Saluatore humani generis ac Redemptore, Claues Regni accepit: ſoluendique ac ligandi peccata, poteſtas ipſi data eſt; qui ad hoc vſque tempus, & ſemper, in ſuis ſucceſſoribus viuit, & iudicium exercet,* vt Patres etiam Chalcedonenſis Concilij agnoſcebant

Act. III.

profitebanturque, *Ter Beatiſſimus, & omni laude dignus Beatus Petrus Apoſtolus, qui eſt Petra, & Crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ Fidei Fundamentum,* cui Sanctus Hippolitus martyr acceptum ferens, quicquid de rebus Fidei credidiſſet, dicebat: *Princeps Petrus, Fidei Petra, quem Beatum iudicauit Chriſtus Deus noſter, ille Doctor Eccleſiæ, ille primus Apoſtolorum, qui claues Regni habuit, docuit me.*

A Chriſto beatus dictus. lib. de conſummatione ſæculi.

Ab hoc & diuino, & Patrum Orthodoxorū teſtimonio, ſi Petrus ter beatiſſimus, & omni laude dignus, quem Beatū iudicauit Chriſtus, ille Doctor Eccleſiæ, ille, primus Apoſtolorum, ille qui Claues Regni habuit, ille Primas quē ad vocem ſponte deſideratam Chriſtus mouit, ille qui fide reliquos Apoſtolorum anteiuit, & propter hanc meruit eſſe Eccleſiæ fundamentum, & petra ſolidiſſima, quæ inferni vires diſſolueret, & fidei ſundamenta concredita haberet, ille, & lapis, & columna, & clauis, & Caput, & vertex, & Crepido Eccleſiæ, fidei, ſcientiæ, eruditionis: neſcio quis temerarius auſit illi imponere, quaſi vnquam à Fide defecerit. Fateor equidem, quia Chriſtum, olim, ſemel & tertio negauerit: non tamen ea propter fidem perdiderit: cum aliud ſit Fides, aliud Fidei confeſſio, & hæc ſit oris, illa cordis: & hæc interna, illa externa: adeoque hæc poſſit à metu externo opprimi, illa ſalua, & integra. Fateor etiam, qui Paulo dignus viſus eſt quem is reprehenderet; non tamen de Fide, ſed de facto: de conuerſatione, non deffinitione: de ea re quæ nedum non mortifera, ſed ab ipſo Paulo quandoque vſu probata; adeo vt Petrus potuerit, imo neque debuierit, aſpectu ad circumſtantias loci, temporis, perſonarum, ſalutis, eam conuerſationem vel refugere, vel ommittere: Fide integerrima integerrime ſeruata, qua cæteros Apoſtolorum anteiuit, & propter quam fuit Fundamentum Eccleſiæ.

Negando Chriſtum fidem non perdidit.

Non de fide ſed de facto à Paulo reprehenſus.

Ab hæreſi Innocentes poſt Petrum XII. Pontif. Pontifices ſuccedentes teſtimonio S. Irenæi. lib. 3. c. 3.

Innocentes poſt Petrum Duodecim ſuccedentes Pontifices, Linum, Anacletum, Clementem, Enariſtum, Alexandrum, Sixtum, Teleſphorum, Hyginium, Pium, Anicetum, Soterem, Eleutherium, Sanctus Irenæus ab hæreſi vindicat; affirmans, *hac ordinatione, & ſucceſſione, eam quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia Traditionem, & veritatis præconiationem perueniſſe vſque ad* illa tempora: *& hinc pleniſſimam eſſe hanc oſtenſionem, vnam, & eandem viuificatricem Fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis, vſque nunc,* ait, *ſi conſeruata, & tradita in veritate:* à qua oſtenſione ſucceſſionis *Epiſcoporum, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, confundimus omnes eos,* inquit, *qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt.*

Auguſt. & Opt. Mileuit. longe plures Pont. innocentes ab Hæreſi pronuntiant. ep. 165.

Longe plures Pontifices, Auguſtinus, & Optatus Mileuitanus, innocentes ab hæreſi pronunciant, & ab hac ſucceſſione Orthodorum Epiſcoporum Romanorum, hæreticis ſuis temporis præſcribunt. Auguſtinus quidem: *Si ordo Epiſcoporum ſuccedentium ſibi conſiderandus eſt, certius, & vere ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super* hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portę inferorum non vincent eam. *Petro enim ſucceſſit Linus: Lino, Clemens: Clementi, Anacletus: Anacleto, Euariſtus: Euariſto, Alexander: Alexandro, Sixtus: Sixto, Teleſphorus: Teleſphoro, Iginus: Igino, Anicetus: Aniceto, Pius: Pio, Soter: Soteri, Eleutherius: Eleuterio, Victor: Victori, Zepherinus: Zepherino, Calixtus: Calixto, Vrbanus: Vrbano, Pontianus: Pontiano, Antherus: Antero, Fabianus: Fabiano, Cornelius: Cornelio, Lucius: Lucio, Stephanus: Stephano, Xyſtus: Xyſto, Dionyſius: Dionyſio, Felix: Felici, Eutychianus: Eutychiano, Gaius: Gaio, Marcellinus: Marcellino, Marcellus: Marcello, Euſebius: Euſebio, Miltiades: Miltiadi, Syluester: Syluestro, Marcus: Marco, Iulius: Iulio, Liberius: Liberio, Damaſus: Damaſo, Siricius: Siricio, Anaſtaſius. In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur.*

Eoſdem Pontifices Romanos, vſque ad Siricium, opponit Parmeniano Donatiſtæ Optatus Mileuitanus. *Negare,* ait, *non potes, ſcire te in Vrbe Roma, Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum CAPVT Petrus: vnde, & Cephas appellatus eſt: in qua vna cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, in qua Prior ſedit Petrus, cui ſucceſſit Linus,* &c. *Liberio Damaſus, Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt ſocius: Cum quo nobis totus Orbis commercio formatus, in vna communionis ſocietate concordat.*

Cæterum, ſi Optato teſte, totus Orbis cum Siricio, & ante hunc cum alijs antecedentibus Romanis Pontificibus communicabat: & totus Orbis idem in fide ſapiens, ab hæreſi innocens fuerat: euidens eſt, & luce meridiana clarius, omnes retro Siricium Romanos Antiſtites, ab hæreſi innoxios ſediſſe. Auguſtinus certe tanti faciebat eam Orthodoxorum Epiſcoporum in Fidei cathedra ſucceſſionem, vt pronunciare habuerit: *In Eccleſia tenet, ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus cōmendauit, vſque ad præſentem Epiſcopum ſucceſſio Sacerdotum,* aſpectu quorum, & Ruffinus,

contra ep. Fundamenti c. 4. in Symboli.

Franc. Turrian. a Chriſti oratione & à prærogatiua Sedis Rom. nullũ fuiſſe vel ſuturum eſſe Pont. Rom. hæreſi infectum.

quamquam Origenis errore imbutus, aliquando ſcripſit: *Hæreſis nulla, in Eccleſia vrbis Romæ ſumpſit exordium*. Præclare, poſt alios, Franciſcus Turrianus lib. III. de dogmaticis characteribus Verbi Dei, quod Pontificum Romanorum perpetuo ſibi ſuccedentium nullus fuerit, aut futurus ſit hæreſi affectus, demonſtrabat, à Chriſti oratione, & à prærogatiua Sedis Romanæ. *Chriſtus pro Petro orauit, propter Eccleſiam*, ait, *quæ ſe ad illum debet tamquam ad Caput conuertere, vt vxor ad virum ſuum. Itaque vt illud quod Dominus à principio dixit: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam, non de Adam, & Eua tantum dixit, ſed idem in futuro de cæteris omnibus legitimis coniugibus dictum eſſe voluit; ſic, quod de Petri fide non defectura, & de Eccleſia ſorore, & ſponſa caſta firmanda dixit, idem in futuro de vnoquoque ſucceſſore Petri, & de Eccleſia Fratrum Catholica ſuſtentanda, & perpetuo ſtabilienda intellegi voluit, ſecundum promiſſionem ſuam de ædificanda Eccleſia ſuper Petrum, quem propter firmitatem Fidei numquam defecturæ, Petrum appellauit, vt magni Doctores Gregorius cognomento Theologus, Baſilius, Cyrillus, & alij quos prætereo, interpretati ſunt. Cur enim Petro ſucceſſerit, & vſque ad conſummationem ſæculi perpetuo ſuccedat Epiſcopus Apoſtolicus, reliquis vero Apoſtolis non ita (neque enim Alexandriæ Epiſcopus Apoſtolicus Beato Marco ſemper ſucceſſit, aut Hieroſolymis Beato Iacobo, aut Ioanni Epheſi) in cauſa eſt, quia diuina prouidentia, ac ſapientiſſimo conſilio vnum eſſe voluit Chriſtus totius Eccleſiæ Caput, quod ita ſanum eſſet, vt reliqua corporis ex eo connexi membra ſanitate firmare poſſet, ſi ſanis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſermonibus*, vt Apoſtolus ait, *acquieſcere vellent. Quod quidem effecit, orando pro eo, & pro fide Eccleſiæ Catholicæ cui præerat. Quam quidem prærogatiuam vnius capitis ſupra reliqua omnia, quia non conueniebat cum alijs communem eſſe: non ſic pro aliorum fide, neque pro fide Eccleſiarum quæ eis commiſſæ ſunt rogauit, ita vt eas ſuper fidem huius, aut illius Apoſtoli ædificaret. Vbi enim, aut quando dixit de Ioanne, aut fide eius: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, id eſt Epheſinam? Aut de Marco: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, id eſt Alexandrinam? in qua Gregorius, Sergius, Cappadox, Lucius, Dioſcorus, Timotheus Ælurus, Moggus, & alij hæretici ſederunt*. Quare falſum eſt, quod ſcribit Caluinus in Inſtitut. de fide cap. 8. artic. 23. numquam apud Græcos interruptam fuiſſe Epiſcoporum ſucceſſionem, *apud quos tamen* (inquit) *Eccleſiam eſſe negemus*. Falſum inquam eſt, Loquimur autem de legitima ſucceſſione Epiſcoporum. Nullus enim ignorat, quam multi hæretici Patriarchæ fuerint Conſtantinopoli, Macedonius, Acatius, Sergius, Pyrrus, Paulus, Petrus, Anaſtaſius, Photius, & alij. Hieroſolymis vero Ioannes Origeniſta, Saluſtius, Arſenius, Heraclius, Hilarius, Antiochiæ, Paulus Samoſatenus, Eulalius, Euxoius, Ioannes, Domnus Petrus Gnaphæus, Macarius, Romæ nullus.

Petro ſucceſſit, & vſque ad finem mundi ſuccedet Epiſc. Apoſtolic. reliquis Apoſtolis nõ ita contigit.

Hæretici Patriarchæ Conſtantinopoli.

I.

Non LINVS.

Quod enim in eo Centuriatores rident, quia iuſſerit, *ne qua mulier, niſi capite linteis cooperto templum ingrederetur*: inprimis, nec hæreſis eſt; nec primum eius ſed Pauli Apoſtoli inſtitutum, qui præcepit, *fœminas eſſe velato capite, propter Angelos*, ſcilicet vel maxime propter reuerentiam ſacerdotum, qui Angeli exercituum Domini.

Aſtruitur Linus cõtra Centuriat.
1. Cor. 11.

II.

Non ANACLETVS.

Quod enim in eo iidem Madgeburgenſes ſuggillant, quod *Confeſſionem S. Petri extruxerit atque ornauerit*. Caius ſcriptor, Apoſtolorum temporibus vicinus laudauit, atque ſepulcra Petri, & Pauli, trophæa, quibus Romana Eccleſia, quaſi columnis firmiſſimis communitur prædicauit: quæ Magnus Conſtantinus Imperator, ſumptuoſa Baſilica, totque donarijs aureis, & argenteis amplificauit: de quibus Chryſoſtomus loquens, *non ita cælum ſplendeſcere quando radios ſuos ſol ex ſeſe dimittit*, ait, *quemadmodum Romanorum ciuitas duas illas lampades vbique terrarum effundens*: propter hæc duo corpora, quæ vrbem muniunt, magis tutiorem quam à quauis turris, innumeriſque mœnibus ac vallis, Romanam Eccleſiam pronuncians.

Confeſſio S. Petri ab Anacleto extructa, & ornata.
apud Euſeb. lib. 2. c. 25. hom. vlt. in epiſt. ad Rom.

III.

Non TELESPHORVS.

Quod enim in eo Centuriatoribus non placet, quia ſeptem hebdomadas abſtinentiæ ante Paſcha à carnibus, clericis præſcripſerit, quia tres miſſas in die Natiuitatis Domini offerri præceperit, atque Clericorum dignitatem ſupra plebeiam eminere voluerit: placuit Eccleſiæ vniuerſæ quæ non ignorat, Teleſphorum, Apoſtolos Petrum, Paulum, & Ioannem, potuiſſe videre ſuperſtites, & ab his multa informandæ Eccleſiæ accepiſſe, quæ fidelibus ſeruanda proponeret. maxime quod Paulus, non niſi Iudaicam ciborum abſtinentiam, in ea quam Coloſſenſibus ſcripſit, ſe fidelibus interdicere declarauerit, & hierarchicum Eccleſiæ ordinem à Chriſto in Eccleſia inſtitutum fuiſſe oſtendens, ſacrati ordinis viros plebeis antepoſuerit.

Teleſphor. Cleric. abſtinentiam à carnibus ante Paſcha præſcripſit. tres miſſas in die Natiuitatis Domini offerri præcepit. Clericos laicis præminere voluit.

III.

Non VICTOR.

Victorem, decimum quintum à Petro Pontificem, aliqui hæreticorum criminabãtur, quaſi is Chriſtum purum hominem eſſe docuiſſet. Cæterum tantum abeſt, vt ille eam hæreſim aſſeruerit, etiam animoſe aduerſus ſurgentem ſurrexit, atque Theodorum auctorem illius diris deuouerit: vt Euſebius commemorat.

Victor contra hæreſim de ſola in Chriſto humana natura emergentem inſurrexit.
lib 5. hiſt. c. 28.

IV.

Non ZEPHYRINVS, aut ANICETVS.

Quod enim aliquis eorum, Montaniſtis, litteras Pacificas, quas poſtea Praxea ſuaſore, reuocare opus ſuit, conceſſiſſet: error ſuit de perſonis, non de fide. Enimuero, (vt alibi oſten-

In conceſſione Pacificarũ Montaniſtis fuit de perſonis

non de fide. *Tertullian. libro contra Praxeam.*

oſtendimus) Montaniſtæ multam pietatem præſeferentes, & in multis dogmatibus cũ Eccleſia Romana idem ſentientes, profitebantur, quaſi eiuſdem eſſent cum Romano Pontifice ſententiæ: atque ideo Pacificas poſtulabant. Quas alter eorum non potuit negare, nondum detectis, ſed vna fidei profeſſione, quam fingebant, deuinctis. Reuelato tandem vultu malètecto hæreticorum, eas litteras reuocauit: adeoque nullus eorum, (quod Rhenanus mentitur) Montanizauit.

V.

Non VRBANVS.

Manuum impoſitio in Confirmatione non Vrbani ſed Apoſtolica inſtitutio & obſeruatio. *Act. 8. & 19. l. de baptiſm. lib. de reſurrection. carnis. de præſcript.*

Confirmatio Chriſtianorum poſt baptiſmum, in qua à manuum impoſitione illi accipiunt Spiritum Sanctum: quam Centuriatores execrantur, non Vrbani, ſed Apoſtolica inſtitutio, & obſeruatio fuit, quam Eccleſia ante Vrbani tempora vſu recepit. Tertullianus antiquior Vrbano memorabat: *Egreſſi de lauacro perungimur benedicta vnctione: deinde manus imponitur, per benedictionem aduocans, & inuitans Spiritum Sanctum. Caro abluitur, vt anima emaculetur; caro vngitur, vt anima conſecretur.* Adeo vero communis in Eccleſia tam ablutio baptiſmatis, quam ſignatio confirmationis fuit, ab ipſis vſque Apoſtolorum temporibus, vt Sathanas transfigurator, & ſimius operum diuinorum, eadem in ſuis ſeruauerit. Tingit, (inquit Tertullianus,) & ipſe quoſdam, vtique credentes, & fideles ſuos: ſignat illic in frontibus milites ſuos.

VI.

Non PONTIANVS.

A Chriſto data ſacerdotib. poteſtas corpus dominicum conficiendi.

Quod enim is dixit; Sacerdotes, corpus Dominicum conficere, populis tradere, ac peccata dimittere, ac populos Deo reconciliare; à Chriſto accepit, qui dixit: *Hoc facite; quorum remiſeretis peccata*: à Paulo accepit, qui Euchariſtiam populis tradidit, atque Sacerdotem conciliandis cum Deo mortalibus creatum eſſe aſſeuerauit. Quamobrem rectè ſcribebat Hieronymus ad Heliodorum: *Ab ſit, vt de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt, per quos, & nos Chriſtiani ſumus: qui Claues Regni cælorum habentes quodammodo ante iudicij diem iudicant,*

VII.

Non CORNELIVS.

AbApoſtolis introducta traditio vino aquam miſcendi.

Aquam vino in calice ſacrificij miſcendam, eſſe contra Euangelicam inſtitutionem, Centuriatores numquam oſtenderunt, numquam oſtendent: & Cyprianus, nihil ea de re Cornelio ſcripſit: tantum abeſt, vt illum erroris arguerit: cum aquam vino miſcere, traditio ſit ab Apoſtolis vſque in Eccleſiam introducta: & longe ante ab Alexandro Papa recognita, qui prohibuit, ne quicquam aliud præter aquam in calice ſacrificij Euchariſtiæ miſceretur.

VIII.

Non STEPHANVS.

Stephanus ex traditione Apoſtolica rectè Paſcha celebrauit, & de non rebaptizandis Hæreticis rectè ſanciuit. *lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſt.*

Patronum hæreticorum, Cyprianus cõmotior, aliquando ſcripſit, quod hæreticos non rebaptizandos eſſe cenſuerit. Præter hęc, & Apoſtolis contrarium, aliquantum muſſitauit, quod non XIV. Luna, quemadmodum Apoſtoli Paſcha celebraret. Cæterum Auguſtinus pro Stephano olim propugnans, illum Orthodoxa ſentientem demonſtrauit, atque Eccleſia vniuerſa vſu recepto oſtendit, Stephanum, ex traditione Apoſtolica rectè Paſcha celebraſſe, atque de rebaptizandis hæreticis ſanctè ſanciuiſſe: *vt Si quis, à quacumque hæreſi ad Eccleſiam veniret, nihil innouaretur, ſed illud ſeruaretur quod traditum eſſet: videlicet, vt manus illi imponeretur in pænitentiam.* Sanè, & Cyprianus errorem quem ipſe errabat agnouit, inque communione Eccleſiæ Romanę ſanguinem pro Fide fudit: tam ſancta opinione Stephano perennante, vt Donatiſtæ, quanquam illi aduerſarium ſententiam, Africanorum Conciliorum auctoritate defenderent; in ipſum tamen, propter eminentem iudicij cum Sanctitate coniunctam auctoritatem, ne mutire quidem ſint auſi, imo, & laudare compulſi, & Epiſcopatum illibate geſſiſſe confiteri: quod Auguſtinus ſtupore dignum iudicauit.

de vnil. bapt. cont. Petil. c. 14.

IX.

Non MARCELLINVS.

Marcellinus confeſſionem fidei non fidem perdidit.

Idolis, thura, metu mortis adoleuit; non tamen idolatriam, aut docuit, aut excuſauit. Confeſſionem fidei, non Fidem perdidit. In charitatem, non in fidem peccauit. Proditor, ſeu Negator Chriſti, ore, & opere, non hæreticus corde, aut doctrina, aut definitione fuit: neque pertinaciter facto hæſit; ſed libertatem nactus, crimen accuſauit, defleuit, iudicioque ſuo ſe damnauit.

X.

Non IVLIVS.

Epiſtola de Incarnat. Verbi ad Dionyſ. quẽdam nõ Iulij ſed Apollin. hæretici fuit. *Act. 8. tomo 9 Bibl 8. lib. 3. c. 31.*

Gennadius imponit, quaſi ille de Incarnatione Domini, ad Dionyſium quendam ſcripſiſſet epiſtolam, quæ poſtea foret fomentum Eutychianæ, & Timotheanæ impietatis. Cæterum Leontius de ſectis. non Iulij, ſed Apollinaris hæreſiarchæ, epiſtolam illam fuiſſe, multis argumentis demonſtrauit: aduerſus ſolemnem Neſtorianorum, morem, qui multos Apollinaris libros Athanaſio, Gregorio Thaumaturgo, & Iulio, mutatis titulis tribuebant, vt notauit Euagrius.

XI.

Non FELIX.

Epiſcopum, ſeu Corepiſcopum dicere volueris nunquam à Fide deflexit. Quod ab Arianis, in Sedem Liberij intruſus, eiſdem antequam legitimè ſedere cæpiſſet communicauerit; non ſectæ diuerſitate, ſed communio-

Felix pro defenſione fidei Homouſij contra Arrianos martyrio coronatus.

nis, & ordinationis conuenientia, ſeſe maculauit. Facto peccauit, non fidem eiurauit: quinimo iam verus Pontifex, & ab Arianorum conſortio abſtinuit, & Homouſij Fidem aduerſus Arianos animosè defendens, Constantij gladio occubuit: martyrum albo ideo inſcriptus. Falſo, imponitur Hieronymo, quaſi is Felicem, *Arianum*, in Acacio inſcripſerit. Namque ea vox aliunde irrepſit, contra veterum teſtimonia de Felice: & nec in antiquis *MS.* nec in translatione Sophronij, nec in Freculpho, nec in Adone hiſtoricis, qui ad verbum ex Hieronymo exſcripſerunt, inuenitur, vt Marianus Victorinus notauit.

X I I.

Non LIBERIVS.

Eudoxius, & cæteri cum eo Antiochiæ, hæreſis Ætianæ fautores, rumorem diſſipatant, Liberium quoque verbum Conſubſtantiale reieciſſe, aſſeruiſſeque, Filium Patri diſſimilem eſſe. Falſo: Legati enim Epiſcoporum Occidentis Conſtantio Imperatori; viciſſim Confeſſionis Fidei formulam à Liberio adduxerunt, quæ illis, qui Filium Patri non ſubſtantia, & cæteris rebus omnino ſimilem aſſeuerarent, interdixit Eccleſia, vt Sozomenus narrabat. Res eſt, vt ipſe Magnus Athanaſius, ſolitariam vitam agentibus ſignificauit.

Lib. 4. c. 14

De Liberij Pp. contra Arianos in fidei confeſſione Conſtantia.

Ariani, Orthodoxis infeſti, cum multis Catholicorum Epiſcoporum, vel in ſententiam ſuam ſeduxiſſent, vel in exilium conſtantes abegiſſent, ne Liberio quidem Romano Epiſcopo pepercerunt, nulla reuerentia ducti, vel quod Sedes illa Apoſtolica eſſet, vel quod Roma Metropolis eſſet Romanæ ditionis, vel quod eos Apoſtolicos viros in litteris ſuis appellaſſent, Sed omnia ſimul miſcentes, atque olim obliuiſcebantur, neque quicquid illis cura niſi ſola impietas fuit. Nam quum Liberium vidiſſent Orthodoxum, & oſorem quidem Arianicæ ſectæ, ſtudioſum verò in hoc, vt cunctos ab ea hæreſi retraheret, iſta ſecum impij cogitarant: Si Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, omnes breui ſuperabimus. *Rem igitur ad Imperatorem deferunt: Ille autem ſperans, per Liberium omnes ſe poſſe attrahere, mittit Eunuchum quendam cum litteris, & donis ad eum, vt donis quidem blandiretur, litteris vero minaretur.*

Reſpuit Imper: munera & contra Athan. ſubſcribere, ac cum Arrianis communicare recuſat.

Profectus igitur Romam ſpado, primum incitabat Liberium, vt contra Athanaſium ſubſcriberet, & cum Arianis communicaret: id enim Imperatorem velle, & pro Imperio iubere. Deinde munera oſtentans, verbis inſtabat, manuque Liberij apprehenſa, ita locutus eſt: Obtempera Regi, & iſta accipe: *Epiſcopus contra verbis quærebat, quomodo hoc contra Athanaſium poſſet fieri?* Quem enim (inquiens) non vna ſed iam altera Synodus probe ab omni crimine liberum pronunciauit, & Romana Eccleſia cum pace dimiſit, quomodo poterimus condemnare? Aut quis nos probaret, ſi quem præſentem dileximus, & habuimus in noſtra communione eundem abſentem auerſemur? Non ita ſe habet Eccleſiaſticus Canon., neque vmquam accepimus talem à Patribus traditionem, quam ipſi à Beato, & Magno Apoſtolo Petro acceperunt. Quod ſi Imperator curam ſuam pro Eccleſiaſtica pace interponere quærit, aut ſi ſcripta à nobis pro Athanaſio deleri iubet: deleantur quoque ea, quæ contra illum ſcripta ſunt, fiatque deinde Eccleſiaſtica Synodus longe à Palatio, vbi nec Imperator præſto eſt, nec Comes ſe ingerit, nec Iudex minatur, & vbi ſolus timor Dei ad omnia ſufficit, & Apoſtolorum inſtitutio: vt eo in loco ante omnia Eccleſiaſtica Fides aſſeratur, quemadmodum à Patribus definitum eſt in Niceno Concilio, ijque qui Arianicæ ſententiæ ſunt eijciantur, & eorum hæreſis anathemate damnetur, ac deinde iudicium de Athanaſio fiat. *Eunuchus autem oblitus ſui, quod coram Epiſcopo ſtaret, magnis minarum denunciationibus iactis, domo egreſſus, in templo Apoſtoli Petri ea ipſa dona conſecrauit. Quod cum reſcitum eſſet à Liberio magnopere increpuit Cuſtodem loci, quod id non prohibuiſſet. Ipſe deinde progreſſus, dona illa vt victimam illicitam proiecit. Scribit igitur Imperator Romam, rurſumque Palatini, & Comites emittuntur, & litteræ ad Præfectum, vt Liberium aut per dolum è Roma ſeductum in caſtra ad ſe mittereat, aut vim in eo perſequendo adhiberent.*

Trahitur ergo Liberius ad Imperatorem: quo cum perueniſſet, magna quoque, & ibi libertate dicendi vſus eſt; Deſine, inquiens, *proſequi* Chriſtianos; ne tenta per me hæreticam impietatem in Eccleſiam introducere. Ad omnia potius ſuſtinenda parati ſumus, quam nos Chriſtiani eo deueniamus, vt Arriani appellemur. Ne coge nos fieri Chriſti perduelles. *Ita tunc Liberius locutus, omnibus admirationi erat. Miſſis quoque à Liberio ad Cæſarem, Eutropio Presbytero, & Hilario Diacono, alterum eorum, nempe Presbyterum in exilium miſere, alterius vero terga detractis veſtibus flagellis conciderunt, flagellatumque extorrem facere, inter verbera ita Diacono verbis inſultantes; Quare Liberio non reſtitiſti, ſed eius litteras attuliſti? Ad iſtum modum Rom. Eccleſ. adorti ſunt peruertere, cupientes illi admiſcere ſuam impietatem.* Iſta Athanaſius. Paria huic de Liberio, Ammianus Marcellinus, quamuis Ethnicus: *Athanaſium Epiſcopum, ait, apud Alexandriam Synodus remouit à ſacramento quod obtinebat. Hunc per ſubſcriptionem abijcere Sede Sacerdotali, paria ſentiens cæteris, iubente Principe, Liberius monitus perſeueranter renitebatur, nec viſum hominem, nec auditum damnare, nefas vltimum ſæpè exclamans, apertè ſcilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim Conſtantius Athanaſio ſemper infeſtus, licet ſciret impletum, tamen AVCTORITATE, QVA POTIORES ÆTERNÆ VRBIS EPISCOPI, FIRMARI, deſiderio aitebatur ardenti. Quo non impetrato, Liberius ægrè populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit aſportari:* & hæc quidem Romæ. Addit Sozomenus. *Imperator Roma Syrmium reuerſus, rogatu Legatorum, quos Epiſcopi Occidentis ad ipſum miſerant, Liberium Beræa reuocauit. Atq; præſentibus Legatis Epiſcoporum Orientis, & quibuſdam Sacerdotibus qui erant in exercitu, in vnum coactis, compellere eum tentauit fateri, Filium Patri non eſſe conſubſtantialem. Stetit hac in parte infractus Liberius: ac vtinam tam conſtans in cauſa Athanaſij fuiſſet: cæterum poſt exactum in exilio biennium, inflexus eſt, minisque mortis ad ſubſcriptionem contra Athanaſium inductus.*

Trahitur Liberius ad Imp.

Ammianus Marcellin. Ethnicus de eadem Liberij conſtantia.

Ammian lib. 15.

lib. 4. cap. 14.

Hiero-

in Cathalogo in Chron.

Hieronymus, atque Hilarius, (ſi tamen non eſt pſeudo Hilarius, tantopere Liberio inimicus) à rumoribus Ætianorum diſſipatis perſuaſi, crediderant, adeoque ſcripſerant, Liberium impulſum fuiſſe *ad ſubſcriptionem hæreſeos.* Verùm tamen Hieronymus poſtea certior factus, quod à fide homouſij diuelli non potuerit, correxit ſtylum, & *in hæreticam prauitatem ſubſcripſiſſe* dixit. quæ hæretica prauitas fuerat, vt Athanaſius ab Alexandrino Conciliabulo damnatus, & multis poſteà impoſturis prægrauatus, ſubſcriptione quoque Liberij Romani Epiſcopi, damnaretur. Subſcripſit etiam Liberius Confeſſioni priori editę Sirmij, & alteri in Encenijs Antiochiæ, contra Photinum conceptis: quæ etſi vocabulum *homouſij* non continerent, Hilarius tamen eas Catholicas agnoſcit: & ipſe Liberius, quo certiores redderet Fidei ſuæ omnes Orthodoxos, antequam Syrmio rediret, anathema omnibus dixit, qui Filium Patri in ſubſtantia, alijſque rebus diſſimilem blaſphemarent: vt Nicephorus memorabat, poſt Sozomenum: *eam ab Arrianis ſcriptam profeſſus fidem*, vt teſtatur Auguſtinus, *quam nouerat eſſe Catholicam, & nihil habere, quod rectæ Fidei contrarium eſſet.*

Anathema dicit omnibus qui filium Patri in ſubſtantia, alijſque rebus diſſimilem blaſphemarent.

lib. 9. c. 37. epiſt. 174. Socrat. lib. 4. cap. 11.

Ab exilio etiam reuerſus, tantum abeſt vt hæretici erroris macula ſeſe impiauerit, vt etiā Macedonianorum litteras recipere noluerit: *Nam eos ſectæ Arianæ fautores eſſe dixit, & propterea ab Eccleſia non poſſe recipi, vtpote qui fidem Nicæni Concilij abrogaſſent.* Cui cùm illi reſpondiſſent, *ſe pœnitentia inductos veritatem agnouiſſe, Fidem illorum, qui Filium Patri diſſimilem eſſe docent iampridem reieciſſe, Filium in omnibus Patri ſimilem confiteri, atque illam vocem ſimilem nihil à voce Conſubſtantiali diſcrepare:* Liberius, vt opinionis ſuæ declarationem ſcriptis mandarent, poſtulauit: nec primum eos in communionem accepit, quam illi in libello, verba in Fidei formula Nicæ edita comprehenſa, inſeruiſſent, & expreſsè, *Arrium, impiam eius doctrinam, diſcipulos, opinionis fautores, hæreſim Sabellij, Patripaſſianos, Marcioniſtas, Photinianos, Marcellianos, & Pauli denique Samoſateni ſectarios* condemnaſſent, atque ſubiunxiſſent: *Quod ſi quis poſt hanc Fidem à nobis expoſitam, aut contra nos, aut contra illos, qui nos miſerunt, aliquod crimen adduxerit, cùm tua Sanctitatis literis ad Orthodoxos Epiſcopos, quos tua pietas probauerit, veniat, & coram illis nobiſcum de eo diſceptet: & ſi quid offenſum eſſe conſtiterit, in auctorem illius vindicetur.* Cùm ad hunc modum Macedoniani profiterentur, neque virus aliquod (quod poſtea ad ingenium reuertentes effuderunt) oſtentarent, quinimo Orthodoxos ſe eſſe ſimularent. Liberius eos in communionem pro eo tempore admiſit, & vnà cum Epiſcopis Occidentis, Orientalibus ſcripſit Orthodoxis *ſe hanc Catholicam, & Apoſtolicam fidem agnoſcere, quæ vſque à Niceno Concilio hactenus, inquit, integra, ſtabiliſque permanſit. Et quanquam nequam, & ſcelerati Arriani effecere, ait, vt omnes Epiſcopi Occidentis Arimini in vnum cogerentur, quo ibi vel perſuaſione, vel, vti verius dicam, Imperatoris auctoritate, illud quod erat ad ſummam cautionem in Fidei formula poſitum, aut tollerent, aut peruersè inficiarentur; nihil hac fraudulenta molitione omninò profecerunt. Nam fere omnes illi Epiſcopi, qui Arimini conuenerant, quique vel fallacibus ineſcati illecebris, vel vi compulſi à Fide tum quidem deſciuerant, nunc tamen ad ſanam mentem reuerſi, Fidei formulæ ab Epiſcopis Arimini conuocatis editæ, anathema denunciarunt, & Fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ Nicææ confirmatæ ſubſcripſerunt, & vobiſcum iam vna communicant.* Cauſam, cur ad Liberium, & cum eo congregatos Epiſcopos Occidentis, Orientales accurriſſent, Sozomenus reddebat, ſcilicet *quod illi Fidem ab Apoſtolis ductam, ratam, firmamque tenerent, & præ cæteris deberent religioni proſpicere.* Quamobrem cùm Legati ad eos reuertiſſent, Concilium Thyanis habuerunt, & præſente inbidem Gregorio Nazianzeno, omnibus Eccleſijs ſcripſerunt, vt *literas Liberij, & aliorum Epiſcoporum Italiæ, Africæ Galliæ, & Siciliæ diligenter perlegerent, deinde numerum omnium (concilium namque Ariminenſe longè ſuperabant) ſecum ſubducerent, tum vt doctrina ſe illis, & communionis ſocios adiungerent.*

Quomodo ſe contra Macedonianos hæreticos geſſerit.

lib. 6. c. 10. & 12.

Conc. Thyan.

Ab his certiſſimum eſt, Liberium, nunquam hæreſi, ſed tantùm damnatione Athanaſij, maculatum fuiſſe. Cuius cauſa, quod videretur eſſe cauſæ Fidei coniuncta, plerique in ſuſpicionem hæreſis illum trahebant; adeo vt Clerici, & Sacerdotes Romani, Liberio in vrbem reduci, neque in Eccleſia, neque alicubi locorum voluerint communicare; maximè cùm didicerint, cum Arrianis, quamquam non in fide, communicaſſe. Non potuit alia ratione illos ſuboffenſos conciliare, niſi Macedonianis tantiſper repudiatis, donec illi Fidei Nicenæ ſubſcripſiſſent. Tanti ſcilicet fuit nomen *Conſubſtantialis* in formula Fidei expreſſum, vt quantumuis aliæ formulæ eſſent Orthodoxæ, ſi voculam illam *Conſubſtantialis* non continerent, in dubium vocarentur, & qui ſecundùm eas profiterentur, in numerum Hetherodoxorum traherentur. Itaque quod Liberius formulæ illi Sirmienſi, quæ eſt contra eos, qui Filium Patri non ſubſtantia, & cæteris omnibus ſimilem aſſeuerabant, ſubſcripſiſſet, & *Conſubſtantialis* vocula, in ea non eſſet expreſſa, facile inuidia laborauit. S. Vigilius Tridentinus, hominem innoxium ab hæreſi abundè oſtendit, cùm cenſuit, partem illam contra Photinum Concilij Sirmienſis, Catholicam eſſe, quam nullus fidelium audet reſpuere, aut cunctatur recipere, ſi non vult cum Photino anathematis ſententiæ ſubiacere. Sanctus quoque Hilarius, non dãnauit hæreſis Liberium, cùm conſtanter aſſeuerauit, neminem, præter Oſium fuiſſe, qui nomen Conſubſtantialis, & per omnia conſimilis filij tacendum exiſtimauerit.

Non hæreſi ſed Athanaſij dãnatione maculatus Liberius.

Vox *Conſubſtantialis* quãti momenti.

aduerſus Eutychetem li. 5

Oſius tacendum exiſtimauit.

lib. de Synodis.

XIII.

Non LEO.

Leonem, aliqui, Felici martyri ſubſtituunt, eumque conſimili morte, atque Arius: effuſione ſcilicet inteſtinorum, propter non abſimilem culpam extinctum eſſe fabulantur. Falſi fictores fabellarum: quos Hieronymus, Auguſtinus, Optatus, Theodoretus, Ruffinus, qui Cathalogos Pontificum ſcripſerant, falſitatis redarguunt, cum Liberio, & Felici, non Leonem, ſed Damaſum ſufficiunt. Itaque non eſt opus illum ab hæreſi purgare, quem conſtat, neque inter viuos aliquando vixiſſe.

Arguuntur falſitatis quidam impoſtores de Leone ſcribentes.

XIV.

XIV.

Non SIRICIVS.

Defenditur Siricius contra Caluinũ.

Siricium, Caluinus, hæreſis accuſat, quaſi is in epiſtola ad Hiſpanos, Matrimonium pollutionem dixiſſet: cùm tamen is coniugium verum, & legitimum, hac infamia non reſperſerit; ſed illam eorum coniunctionem, ad quam poſt pœnitentiam, propter eam factam, aliqui redierint, pollutionem nominauerit. Nemo autem pœnitentiam vnquam egit, aut agit, propter matrimonium initum.

Quare non potius nec debuit Ruffinum Aquileg. propter Periachon initio prædamnare. *ep. 136 & ſeqq.*

Aliqui, in crimen vocant, quod Ruffinum Aquilegienſem, qui impia Periarchon opera, manu Scorpij emendata, ſcilicet hæreſibus, & erroribus Origenis referta, vulgabat, non ſtatim damnauerit, quin etiam litteras communicatorias illi, & Origeniſtis conceſſerit. Cæterum ille nec potuit, nec debuit, Ruffinum initio prædamnare, quod is & verſionem Periarchon ſuam eſſe negaret, & tam ipſe, quàm Origeniſtæ Catholicos ſe eſſe clamarent. Sanctus Hieronymus, ſimplicitati, & innocentiæ Pontificis id attribuit, quod de ſuo ingenio cæteros æſtimans, minimè adduci potuerit, vt crederet in Christianis adeò ſama conſpicuis, hæreſis venenum occultari: ex probitate animi ſui neſciens mala exiſtimare de alijs.

X V.

Non INNOCENTIVS.

Innoc. ex vrbe occulta Dei prouidentia ſubtractus ne periret cum impijs. *lib. 7. c. 39.*

Falſus Zoſimus, qui, religioni ſuæ ſalutem vrbis antepoſuiſſe, & Gentilitia ſacra fieri, ſecreto conſenſiſſe, calumniatus eſt Innocentium. Tantùm enim abeſt, vt eiuſmodi ſcelus admiſerit, vt contra cùm innocentiſſimus eſſet, ne periret cum noxijs, tamquam Loth, (inquit Oroſius) è Sodomis occulta Dei prouidentia ſubtractus fuerit; cùm ad Honorium Imperatorem Rauennam acceſſerit, ibique ſubſtiterit, nè peccatoris populi videret excidium. Certè, ſi tam graui ſcelere ſeſe impiauiſſet Innocentius, Sozomenus Græcus ſcriptor, qui ſui temporis res proſecutus eſt, ſecta Nouatianus, & aduerſus Innocentium, quod primus omnium Nouatianos vrbe eieciſſet, grauiter commotus, tam infame probrum non reticuiſſet.

Centuriatorum de eo criminatione refelluntur.

Falſi etiam Centuriatores, qui imponunt, quaſi in epiſtola 2. c. 12. præceperit, ne ſacra virgo ad pœnitentiam reciperetur, ſuperſtite illo, eum quo peccauit; deinde, quaſi Alexandro Antiocheno Epiſcopo ſcripſiſſet, Ratum quidem eſſe Arrianorum baptiſmum, ſed non conferri per eos Spiritum Sanctum; quia ſe ab Eccleſia ſeparauerunt. Tertiò, quaſi in epiſt. 12. c. 1. Iudaicis adhuc teneri legibus Christianos voluerit, cùm docuerit, Sacerdotem non poſſe eſſe eum, qui viduam in vxorem accepiſſet; cùm Moyſes in lege præcipiat, vt Sacerdos virginem vxorem accipiat. Primum quod obijciunt, non integrè recitarunt, neq; mentem Innocentij explicarunt. Namque is conſtituit; ne ſacra virgo, quæ ſeparari non ſuſtinet ab adultero ſuperſtite, ad pœnitentiam recipiatur; quod adeò iuſtiſſimum eſt, vt illi indigni ſint abſolutione, qui in peccato perſeuerant. Secundùm, quod criminantur, non aſſequuntur. Namque Innocentius, de hæreticis, ab hæreticis, vel baptizatis, vel ordinatis diſſerebat: qui, quod ſint hæretici, eo ipſo quod hæretici, Spiritum Sanctum non habent, & quamdiu hæretici, non aſſequuntur, ſed nec ius legitimè Ordines exercendi. Id enim iuris ordinator per hæreſim perdidit, alteri concedere non potuit. In tertio, Centuriatores toto cœlo errant. Innocentius enim, non lege Moſaica teneri, Christianos dixit, ſed vel à ſimili, vel à maiori argumentum duxit, hoc ſenſu; In lege veteri, Sacerdos non ducebat aliam quam virginem: viduam, neque attingebat! Itaquè magis hoc conuenit Sacerdotibus nouæ legis, ne viduarum fuerint mariti,

X V I.

Non CÆLESTINVS.

Falſus Laurentius Valla, rerum Eccleſiaſticarum imperitus Grammaticus, qui Cœleſtium à Cæleſtino Pontifice damnatum, pro hoc ipſo Pontifice Orthodoxo accepit, & Neſtorianiſmi innocentiſſimum accuſauit, cùm tamen ſolus Cæleſtinus, eam impietatem in Magno Epheſino Concilio condemnaſſet.

Falſus Valla Cæleſtium pro Cæleſtino accipiès.

XVII.

Non XYSTVS.

Ruffini imposturam de libro Xyſto Pytag. hominis ethnici quẽ Xyſto Pp apponebat detegit. *lib. 4. in Hieron. & ep. ad Cteſiphontem 2. retract. c. 40.*

Origeniſtæ, Neſtoriani, & Pelagiani, virum Catholicum in partes ſuas trahebant, atque nomine illius multa ſcripta confixerant, euulgarantque. Ruffinus, Xyſti, ſeu Sexti Pythagorici hominis Ethnici librum, Xyſti Papæ titulo ediderat, ex eoque præpotentes ſententias, pro confirmatione erroris elicuerat: quibus quaſi Romani Pontifices eſſent, reluctari nefarium duceremr. Retexit imposturam Ruffini, Hieronymus, atque impoſtorem ſalſi coarguit. Sanctus Auguſtinus: doli adhuc ignarus, multas ex eo libro à Pelagio adductas ſententias, tituli authoritate perculſus, ad rectum ſenſum inflectere conatus eſt: ſed rem demum edoctus, quod antea dixerat, retractauit, quám retractationem, quod auctor ille de viris Illuſtribus, nomine Iſidori editus, non vidiſſet, priore Auguſtini auctoritate fretus, librum Xyſto Pontifici Romano attribuit, ſed ab hæreticis vitiatum eſſe dixit: qua etiam de cauſa, Gelaſius Papa, ſuppoſitum ab hæreticis eundem librum (ex quo etiamnum excerptæ circumferuntur.

Neſtoriani epiſtolam falſam tanquam xyſti eſſet effingunt. *Baron. anno 433.*

Neſtoriani, non meliores Ruffino. Enim verò, & iſti finxerant epiſtolam, nomine Philippi S. R. E. Presbyteri, in Concilio Epheſino Sedis Apoſtolicæ Legati, qua ſignificaret ille, Xyſtum ægrè tuliſſe damnationem Neſtorij, Retexit imposturam Cyrillus Alexandrinus, datiſque ad Epiſcopos Orthodoxos litteris, Xyſtum, à calumnia, ex rebus ab eo aduerſus Neſtorianos geſtis defendit: quod etiam ipſe Xyſtus abundè oſtendit, ſcriptis ad Cyrillum ipſum, & Ioannem Antiochenum dogmaticis, in quibus Neſtorium execratur, & de concordia inter Orthodoxos inita vehementius lætatur.

Pelagiani, Neſtorianis coniuncti, in eundem lapidem impegerunt, & tria volumina

haud

Pelagiani tria volumina ſuis erroribus referta Xyſti nomine edunt. Aug. ep. 104.

haud ita pridem typis mandata, vnum de Diuitiis, alterum de malis Doctoribus, & operibus Fidei, & iudicio futuro, tertium de Caſtitate, Pelagianiſmis referta, nomine Xyſti ediderant. Cæterum Xyſtus, acerrimus Pelagianorum oppugnator, non modo nihil pro eis, quin potius plurima, grauiſſimaque edicta contra eos vulgauit, & fere ſolus impietatem Pelagianam ſtylo Apoſtolico iugulauit, ſcriptoque contra illos Commentario calumniam diluere procurauit.

XVIII.

Non ZOSIMVS.

Quare Zoſimus Cæleſtij Pelag. librum aut Pelagium prædamnauit.

Iulianus Epiſcopus Capuanus, Pelagij hæreſiarchæ ſectator, in partem erroris Pelagiani illum trahebat, quod Cæleſtij Pelagiani librum non improbaſſet, & in cauſa Pelagij, litteras ad Epiſcopos Africæ dediſſet, quibus illum Catholicum, eius vero accuſatores, ac præcipue Herotem & Lazarum Gallos Epiſcopos calumniatores declaraſſet. Cæterum non poterat Zoſimus, aut librum Cæleſtij reiicere, aut Pelagium condamnare, tunc enim illi Catholicos ſe eſſe ſimularent. Namque Cæleſtius, poſt fidei ſuæ confeſſionem, in libello arte ſumma concinnato addiderat: *ſi forte (vt hominibus) quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit veſtra ſententia corrigatur.* Pelagius quoque eodem ingenio litteras ad Innocentium, à Zoſimo acceptas, concluſerat: *Hæc eſt fides*, inquiens, *quam ſemper tenuimus, in qua ſi nimis perite, aut parum caute aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem & Sedem tenes.* Propter hæc additamenta, dum nondum detecti fuiſſent hæretici, non potuit illos prædamnare. Verumtamen, poſtquam vbique locorum contra eos anathema conclamaretur, & Afri Epiſcopi vna cum Gallis fraudes hæreticorum reuelaſſent, tum demum Zoſimus, vtrumque, & ſcripta eorum, Apoſtolico maturo iudicio reprobauit. Cum autem Iulianus Zoſimum, præuaricationis accuſare non erubeſceret, quaſi is olim cum Pelagio ſenſiſſet, Auguſtinus eius impudentiam egregie retudit, atque Zoſimum à calumnia vindicauit.

Aug. in diuerſis locis apud Baron. anno 417. & 418.

XIX.

Non LEO MAGNVS.

Leo Calumniam ſibi ab Anatolio Conſtant. illatam Synodica depulit. hiſt. Eccl. anno 453.

Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, calumniabatur, quaſi decreta Concilij Calcedonenſis reſpueret, defenſores Orthodoxæ fidei deprimeret, & ſuſpectos de hæreſi exaltaret. Depulit eam calumniam Leo, data ad omnes Epiſcopos Synodica, in qua omnia ad fidem ſpectantia approbauit; decernens: *Si quis vnquam auſus fuerit, vel Neſtorij perfidiam tueri, vel Eutychetis ac Dioſcori impium dogma defendere, à Catholicorum communione reſecetur, nec habeat eius corporis participationem, cuius abnegat veritatem.*

Quæ Leo ſcripſit non ſunt erronea quæ Centuriat. imponunt non Leonis ſunt epiſt. 79.

Anatolium ſecuti Centuriatores, eundem erroris arguunt, quaſi concederet, mulieribus putantibus, vel mortuum, vel non rediturum maritum, alteri nubere: & primo redeunte ad eiuſdem connubium reuerti, ſi velit: ſi autem nolit, poſſe cum ſecundo manere. Cæterum Leo Niceſio ſcribens, non tam multa quam vellent, nec quomodo illi volunt pronunciauit. Namquam primo dixit: non peccare mulierem: quæ viuente priore marito, alteri nupſit: quia illum putauit eſſe defunctum, Secundum ſcilicet non peccare nubentem alteri, viuente primo, quem putat è captiuitate vel peregrinatione non reuerſurum; non dixit, quemadmodum, neque peccare dixit: quia illud certiſſimum eſſe, quod peccaret, apud omnes exiſtimauit, Tertio, debere mulierem, ad virum repetentem, redire aſſeuerauit: quemadmodum & virum mulierem volentem, redire oportere aſſeruit. Porro, ſi vterque amplius commanere in coniugio tali poſt reuerſionem recuſauerit, vtrumque quoad vſum coniugij debere ſeparari denunciat. Quæ Leo ſcripſit, non erronea ſunt, quæ Centuriatores imponunt, non Leonis ſunt.

XX.

Non GELASIVS.

Centuriatorum de Gelaſio Pp. errores.

Centuriatores, vnum pro altero videntes, Gelaſio impingunt, quaſi his in libro aduerſus Euthychetem ſcripſerit, cum carne Chriſto in Sacramento manere, verum panem, cum tamen is libellus, non Gelaſij Papæ, ſed Gelaſij Cæſarienſis Epiſcopi fuerit: quod meminit Hieronymus, in ſcriptorum Eccleſiaſticorum Cathalogo. Alterius erroris criminantur, quaſi is dixerit, non poſſe ſine ingenti ſacrilegio, ſumi vnam partem Sacramenti Euchariſtiæ ſine altera: cum tamen Gelaſius, tantum de Sacerdote ſacrificium offerente id dixerit, qui non poteſt vnica tantum ſumpta ſpecie ſacrificium ſine ſacrilegio conſumare, quia oblationem redderet imperfectam.

XXI.

Non ANASTASIVS.

Falſitas Centuriator de Anaſt. Pp. II

Falſi Centuriatores, qui affirmant, quaſi Acacium à Felice & Gelaſio damnatum reuocauerit: aut nomen eius in diptychis reponi iuſſerit: cum & Acacius ante Anaſtaſium obierit; & Anaſtaſius, Imperatori, Anaſtaſio ſcripſerit, qui iuberet nomen Acacij tacere, quod iuſte à Felice fuiſſet damnatus. Itaque inanis eſt impoſtura quam de illius morte repentina fingunt; cum violenta ſubitaneaque morte, non Pontifex, ſed Imperator Anaſtaſius pœnas hæreſis dederit, fulmine ictus diuinitus.

Gratiani de eodē error.

Falſus etiam Gratianus, qui errorem putat, quod Anaſtaſius, baptiſmata, & ordines, ab Acacio collatos probauerit. Nemo enim ignorat, baptizatos ab hæreticis vere eſſe baptizatos, ſi illi ſecundum ritum rectum baptizauerint: pariter ordinatos ab hæretico, vere eſſe ordinatos, ſi tamen ordinator hæreticus, vere Epiſcopus fuerit.

XXII.

Non SYMMACHVS.

Anaſtaſius Imperator, Manichæiſmum illi affingebat. Symmachus autem aduerſario

apo-

Apologeticum Symmachi quo calumniantem Anaſt. Imp. coofutat.

apologetico calumniam diluens, reponebat; *Dicis, inquit, me eſſe Manichæum. Nunquid ego Eutychianus ſum, vel Eutychianos defendo, quorum furor maxime Manichæorum ſuffragatur errori? Roma mihi teſtis eſt, & ſcrinia teſtimonium perhibent, vtrum a fide Catholica, quam in Sede Beati Apoſtoli Petri veniens ex paganitate ſuſcepi, aliqua ex parte deuiauerim. Procedat aliquis, & qualibet ratione conuincat, alioqui conuitia ſunt iſta, non criminum probamenta. Inter imbres lapidum, tutus euaſi. Iudicauit Deus. An quia Imperator es, contra Petri niteris poteſtatem. Et qui Petrum Alexandrinum recipis, Beatum Petrum Apoſtolum in ſuo qualicumque Vicario calcare contendis? An benefactus eſſem, ſi Eutychianis fauerem, ſi Acacij nomini communicarem? Latere non poteſt, cur iſta prætendas.* Suggillabat Imperatorem, Eutychianiſmo pollutum: qui Acacio Conſtantinopolitano communicabat, & ne ex ſacro albo deleretur curabat.

XXIII.

Non VIGILIVS.

Vigilio lib. & Epiſtola falſo apponuntur.

Aliqui, in ſexta Oecumenica Synodo, errores de vna voluntate & operatione in Chriſto recens inuentos ſtabilire volebant authoritate Vigilij, quaſi is ad Iuſtinianum & Theodoram Impp. Augg. epiſtolam ſcripſiſſet, in qua dogma hæreticum confirmaret. Meminit eiuſdem Epiſtolæ, & Liberatus, in ſuo Breuiario hiſtorico, quod hæretici in contumeliam Romani Pontificis, non illibenter legunt. Cæterum Patres ſextæ Synodi, eam infamiam à Vigilio amolire conati, oſtenderunt, neque librum, neque epiſtolam eſſe Vigilii. ac proinde dixerunt; *Anathema libellis, qui dicuntur facti fuiſſe a Vigilio ad Iuſtinianum & Theodoram diuæ memoriæ; qui & ſunt falſi demonſtrati.*

Act. 14. & Act. 3.

XXIV.

Non GREGORIVS MAGNVS.

Craſſus Durandi error de Greg. Magn.

Durandus, erroris aguit, quod in epiſtola Ioanni Epiſcopo Caralitano ſcripta, presbyteris permiſerit, conferre Confirmationis Sacramentum quod iure diuino ſolis Epiſcopis conuenit. Verumtamen, ſi ad id quod Concilium Florentinum & nuperrime Tridentinum animaduertit, ſcilicet Epiſcopum eſſe ordinarium miniſtrum Confirmationis, Durandus aſpexiſſet, adeoque extraordinarie poſſe alium quam Epiſcopum eſſe administrum huius Sacramenti, intellexiſſet; non os in ſanctum virum aperuiſſet, neque Adriano erranti occaſionem obtuliſſet errandi, ſcribendique Pontificem errare poſſe in definiendis fidei dogmatibus.

XXV.

Non BONIFACIVS.

Bonifacij ſcriptum à Magdeburg corruptum.

Enimuero, id quod Centuriatores volunt, illum Eduino Regi Anglorum ſcripſiſſe, *Chriſtum nos à ſolo originali peccato redemiſſe*, vocem *ſolo*, in ea epiſtola is non ſcripſit, ſed ſcripſit: *Accedite ergo ad agnitionem eius qui vos creauit, qui in vobis vita inſufflauit ſpiritum, qui pro veſtra redemptione Filium ſuum vnigenitum miſit, vt vos ab originali peccato eriperet.* Quare vocem, *ſolo*: non illam reperies à calamo Apoſtolico, ſed à Magdeburgico appoſitam.

XXVI.

Non HONORIVS.

Præter ea quæ ſuperioribus Cap. XIV. & XV. pro eius innocentia adduximus, libet iſta adijcere, veritati agnoſcendæ. Res eſt. Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Monothelita hæreticus, volens alios hæreticos, quorum Alexandriæ ingens fuit copia, ſuæ ſectæ facere, dogmatica quædam capitula, pro omnium concordia ſcripſit: in quorum ſeptimo hæreſim ſuam vomuit, affirmans: eundem vnum Chriſtum & filium, operatum eſſe Deo decibilia & humana, vna Dei virique Dei virili operatione, quam Theandricam, ſeu mixtam ex diuina & humana operatione, ad eum ſenſum, quemadmodum Eutyches, ex diuina & humana natura mixtam eſſe & confuſam vnam Chriſti naturam, appellauit ſcilicet vt ab hac ſubtilitate vnius mixtæ operationis, confuſionem quoque & mixtionem naturarum in Chriſto inferret; & quia in Deo actiones ſubſiſtentes cenſentur, ab hac mixta operatione, vnum Chriſtum ex duabus naturis, vnicam operationem poſſe dici blaſphemaret, adeoque poſt vnionem & naturas, & voluntates duas, Chriſto detraheret, inque vnam confunderet. Sophronius Monachus, poſtea Patriarcha Hieroſolymitanus Cyro obſtitit, & Conſtantinopolim concedens, Sergio Patriarchæ: hic vero Honorio Papæ, ſed in fraudé & dolo, ſignificauit; monuitque, vt nouitatem vocum prohiberet, & quid de duabus operationibus, aut vna mixta Theandrica ſentiendum eſſet, exponeret.

Sergius Honorio in epiſt. Synod. 6. Actione 12.

Graſſabatur id temporis apud hæreticos Orientales opinio, de duabus humanis in Chriſto voluntatibus: quarum altera alteri eſſet contraria: vt quod vna vellet, altera recuſaret. Ab hac opinione neceſſario inferendum fuerat, Chriſtum non tantum carnem, ſed etiam concupiſcentiam carnis, quæ vel peccatum, vel fomes peccati eſt, aſſumpſiſse. A priore autem quæſtione de vna mixta vel duabus operationibus abſolute, occaſio; calumniandi varijs hæreticis proferri videbatur. Nam, ſi vna omnino probaretur. Eutychiani nouitatem libenter amplectebantur: ſi duæ, Neſtoriani: illi vnam naturam, ſi duas perſonas in Chriſto per blaſphemiam ponentes. Honorius, in eas anguſtias Fidem Orthodoxam adductam eſse perſpiciens, in primis, duas naturas, duaſque operationes & voluntates, alteram diuinam, alteram humanam, iſtis verbis aſſeruit: *vtraſque naturas, in vno Chriſto, vnitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes: atque operatrices confiteri debemus. Et diuinam quidem, quæ Dei ſunt operantem; & humanam, quæ carnis ſunt exequentem: non diuiſe, neque confuſe, aut conuertibiliter, Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum conuerſam edocentes, ſed naturarum differentias integras confitentes.* Secundo nō eſſe duas in Chriſto cōtrarias volūtates humanas,

S. Maximus in ep. ad Marinum Cyprium.

Honorius ep. 2. ad Sergium Conſtantinopolit.

iſtis

Narratio de duabus operationibus in Chriſto ſub Honor. Pp. & quomodo à Monothelitis in inuidiam inductus ſit.

iſtis verbis affirmauit; *Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia profecto à diuinitate aſſumpta eſt noſtra caro non culpa, quia ſine peccato conceptus de Spiritu Sancto, etiam abſque peccato, eſt partus de Sancta, & Immaculata Virgine Dei Genitrice, nullam experiens contagium vitiatæ naturæ. Nam lex alia in membris, aut voluntas diuerſa non fuit, vel contraria Saluatori, quia ſuper legem natus eſt humanæ conditionis. Etſi quidem ſcriptum eſt.* Non veni facere voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me Patris. *&*; non quod ego volo, ſed quod tu vis Pater; *& alia huiuſmodi: non ſunt hæc diuerſæ voluntatis, ſed diſpenſationis humanitatis aſſumptæ. Iſta enim propter nos dicta ſunt, quibus dedit exemplum, vt ſequamur veſtigia eius, pius Magiſter diſcipulos imbuens, vt non ſuam vnuſquiſque noſtrum, ſed potius Domini in omnibus præferat voluntatem.*

Tertio, ad id quod à nouitate vocum, de duabus operationibus vel vna mixta Theandrica metuebatur, aſpiciens, neque tunc oportere ad dogmata Eccleſiaſtica retorquere ea, quæ neque Synodales apices, neque authoritates canonicæ viſæ ſunt explanaſſe, animaduertens: ſcilicet, vt vnam, vel duas energias aliquis præſumeret Chriſti Dei prædicare, quas neque Euangelicæ, vel Apoſtolicæ, litteræ, neque Synodalis examinatio ſuper his habita viſæ ſunt ad id temporis terminaſſe: niſi fortaſſis quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condeſcendentes ad informandas mentes, atque intelligentias paruulorum, quæ ad Eccleſiaſtica dogmata trahi non debent, quæ vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundans, videtur ſecundùm propriam ſententiam explicare: reſpondit, quia *Dominus Ieſus Chriſtus, Filius ac Verbum Dei, per quem facta ſunt omnia, ipſe ſit vnus, & idem operans diuina, & humana plenè, ſacræ litteræ luculenter demonſtrant; Vtrum autem propter opera diuinitatis, & humanitatis, vna, an geminæ operationes debeant deriuatiuè dici, vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis, qui ſolent paruulis exquiſita deriuando nomina venditare. Nos enim non vnam operationem, vel duas, Dominum Ieſum Chriſtum, eiuſque Sanctum Spiritum eſſe, ſacris litteris percepimus, ſed multiformiter cognouimus operatum. Scriptum eſt enim:* Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic eius non eſt, *& alibi*; nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. *Si enim diuiſiones operationum ſunt multæ, & has omnes Deus in membris omnibus pleni corporis operatur: quanto magis Capiti noſtro Chriſto Domino hæc poſſunt pleniſſimè cooptari? vt Caput, & corpus vnum ſit perfectum; vt profectò occurrat (ſicut ſcriptum eſt) in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Si enim in aliis id eſt in membris ſuis, Spiritus Chriſti multiformiter operatur, in quo viuunt, mouentur, & ſunt; quantò magis per ſemetipſum Mediatorem Dei, & hominum plenè, ac perfectè, multiſque modis, & ineffabilibus confiteri nos communione vtriuſque naturæ concedet operatum? Et nos quidem ſecundùm ſanctiones diuinorum eloquiorum oportet ſapere, vel ſpirare, illa videlicet refutantes, quæ quidem*

Nota; duas opiniones, *ab Honor. agnoſci porro, non deberi dici, Chriſtũ eſſe vnã, aut duas operationes; aut vnam, vel duas virtutes, aut duos ſpiritus; vel duas, aut vnam energiam, oſtendi.*

nouæ voces noſcuntur Sanctis Dei Eccleſiis ſcandala generare: nè paruuli, aut duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos nos veſana ſapere arbitrentur: aut certè, ſi rurſus vnam operationem Domini Noſtri Ieſu Chriſti fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementivm fateri putemur; præcauentes, ne quorum inania arma combuſta ſunt, eorum cineres rediuiuos ignes flammiuorarum denuò renouent quæſtionum, ſimpliciter, atq; veraciter confitentes, Dominum Ieſum Chriſtum vnum Imperatorem, diuinæ, atque humanæ naturæ; electius arbitrantes, vt vani naturarum ponderatores, otioſè negantes, & turgidi aduerſus nos inſonent vocibus ranarum philoſophi, quam vt ſimplices, & humiles Spiritu Chriſtiani, poſſint remanere ieiuni. Nullas enim decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam diſcipulos Piſcatorum, eorum doctrinam ſequentes, omnia enim argumenta ſcopuloſa diſputationis callidæ, atque fluctiuaga, intra eorum retia ſunt colliſa. Hæc nobiſcum Fraternitas veſtra prædicet, ſicut & nos ea vobiſcum vnanimiter prædicamus: hortantes vos, vt vnius, vel geminæ nouæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, vnum nobiſcum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei viui, Deum veriſſimum, in duabus naturis operatum diuinitus, atque humanitus, Fide Orthodoxa, & vnitate Catholica prædicetis.

Hæc reſpondens Honorius, confitebatur, 1. duas naturas, non diuiſè, non confuſè, aut conuertibiliter in Chriſto eſſe. 2. eaſdem naturas ſua propria, non diuiſè, non confuſè, aut conuertibiliter operari. 3. voluntatem humanam, neque diuinæ, neque ſuæ contrariam, ſed vnam conſenſione, & obſequentia fuiſſe. 4. Chriſtum, neque vnam mixtam, neque duas operationes, aut energias, vel ſpiritus dici poſſe. Sanctam Theandricam, ſeu mixtam operationem in Chriſto ponere: id ad ſubtilitates Scholaſticas, ſeu Philoſophicas pertinere; adeoque profanam vocis nouitatem, quæ ianuam Eutychianiſmo, vel Neſtorianiſmo aperiret, & eſſe, & vitari debere. 6. non duas contrarias, ſeu aduerſarias voluntates humanas dici in Chriſto debere. 7. De operatione mixta *Theandrica*, an vna, vel duæ ſint in Chriſto: nè ex profanis vocum nouitatibus, occaſio hæreticis nouandi daretur, nihil nouari; ſed vnum, & eundem Chriſtum operantem plenè, & diuina, & humana, à ſimplicibus ſpiritu Chriſtianis confiteri. 8. Vnius, vel geminæ *mixta Theandrica* operationis, nouæ vocis inductum vocabulum, id temporis fugiendum eſſe. 9. Concludebat, in epiſtola ſecunda, docens modum loquendi; *Auferentes ergo ſcandalum nouellæ adinuentionis non nos oportet, vnam, vel duas operationes definientes prædicare; ſed pro vna* mixta, ſeu Theandrica, *quam quidam dicunt, operatione, oportet nos vnum Operatorem Chriſtum Dominum in vtriſque naturis veridicè confiteri; & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipſas potius duas naturas, id eſt, diuinitatis, & carnis aſſumptæ in vna perſona vnigeniti Filii Dei Patris inconfuſè, indiuiſè, atque inconuertibiliter nobiſcum prædicare propria operantes.*

Iſta omnia, quamquam ex Catholico ſenſu, Honorius reſcripſiſſet, & initio naſcentis Monothelitarum hæreſis ritè iuxta, atque cautè, profanas vocum nouitates interdixiſſet,

Xx in

in inuidiam tamen à Monothelitis inductus eſt; ex quibus plerique ſuarum partium fuiſſe mentiti, occaſionem ſumpſerint, alijſque dederint, viro innocentiſſimo hæreſim imponendi, & quaſi in ſexta Synodo damnatus cum reliquis hæreticis eſſet, criminandi. Tharſius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, in epiſtola ad Patriarchas, quæ lecta eſt in VII Synodo, act. 3. Theodorus Epiſcopus Hiaroſolymitanus in epiſtola Synodica, in eadem actione recitata: Epiphanius Diaconus Catholicus, in diſputatione cum Gregorio hæretico, quæ eſt in 6. act. VII. Synodi, Pſellus in carmine de ſeptem Synodis; Beda de ſex ætatibus in vita Conſtantini IV. Imperatoris, & liber Pontificalis in vita Leonis II. Honorium, quaſi duas voluntates in Chriſto negaſſet; inter Monothelitas recenſent: & tum ab Agathone Papa in epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, quæ eſt in 4. act. VI. Concilij Generalis; tum à Leone II. in epiſtola ad eundem Imperatorem, quæ eſt ad finem eiuſdem Concilij VI. tum à Patribus ſextæ Oecumenicæ Synodi, & VII. tum ab Adriano II. Papa, & Concilio Romano, lecta eius epiſtola in VIII. Synodo, act. 7. accuſatum, damnatumque hæreſis, præſumunt; non alia de cauſa, quam propter duas illas epiſtolas, de duabus in Chriſto voluntatibus humanis.

Cæterum S. Maximus Abbas, Doctor, & Martyr Græcus cum Pyrrho diſputatione per dialogiſmum inſtituta, Honorium ab impoſtura egregie defendit. Maximi verba ſunt. *Pyrrhus: Eſto, de Vigilia ita ſit, quid habes de Honorio dicere, qui ad prædeceſſorem meum ſcribens, vnam Domini noſtri Ieſu Chriſti voluntatem apertè dogmatizauit? Maximus qui epiſt. illius fide dignus erit interpres, qui eam ex perſona Honorij compoſuit, & viuit adhuc, inter alia ſua bona, hoc etiam conſpicuus, quod pietatis dogmatibus vniuerſum illuſtrauit Occidentem, an Conſtantinopolitani de corde ſuo loquentes? Pyrrhus qui eam compoſuit. Max. Ille igitur ad Diuum Conſtantinum quondam Imperatorem ſcribens rurſum ex perſona S. Papæ Ioannis de ipſa: vnam inquit, voluntatem Domini diximus, non Diuinitatis eius, & humanitatis, ſed ſolius humanitatis. Cùm enim ſcripſiſſet Sergius, eſſe qui dicerent in Chriſto duas contrarias voluntates, reſcripſimus, Chriſtum non habuiſſe duas contrarias voluntates carnis inquam, & ſpiritus, vt nos habemus poſt tranſgreſſionem: Sed vnam tantùm, quæ natura iter humanitatis eius nota eſſentialis eſt. Id ita eſſe euidenter ex eo demonſtratur, quod membrorum, & carnis facta eſt mentio, quæ diuinitati quoque eius non poſſunt attribui.* Rectè, & ex ipſis verbis epiſtolæ Honorianæ, Secretarius Honorij, & S. Maximus, innocentiam Pontificis oſtendit, manifeſtumque fecit, Conſtantinopolitanos *de corde ſuo* impoſturam Honorio affinxiſſe; quaſi, duas voluntates, humanitatis, & diuinitatis in Chriſto negaſſet, adeoque in VI. Synodo à Patribus iudicatus, & ex epiſtola Agathonis damnatus fuiſſet: cùm tamen nihil tale ille ſcripſerit, quod cenſuram Patrum meruerit: neque Agatho in litteris ſuis ad Imperatorem Conſtantinum, & ad Patres pro infirmatione actorum Legatis Sedis Apoſtolicæ datis, Honorij, vel per ſomnium meminerit: neque Patres, (ſi verum, vt longe veriſſimum eſt, quod illos tantùm hæreticos, quos Agatho in duabus ſuperiùs nominatis epiſtolis damnabat, damnarunt) Honorio Romano Pontifici anathema dixerint, quod ille numquam demeruerit.

Defenditur Honor. Po. ab hæreticorum calumnijs.

Solemne Græcis fuit, libros vitiare Orthodoxos. Sanctus Leo quærebatur, quod Græci, epiſtolam, quam ad Flauianum ſcripſerat, ipſo adhuc viuente corruperint. S. Gregorius Magnus teſtatur, Conſtantinopolitanos Synodum Chalcedonenſem corrupiſſe: idemque ſe ſuſpicari de Epheſina. S. Nicolaus I. Papa, remittens Michaeli Imperatori epiſtolam Adriani I. demonſtrauit; à Græcis interuerſam eſſe. Quæ enim ipſe adducit in epiſtola ad Photium, ex epiſtola Adriani ad Tharſium, non habentur in illa ipſa, vt legitur in VII Synodo. Patres quoque ſextæ Synodi act. 3. 12. & 14. deprehenderunt, Græcos, acta Concilij Quinti deprauaſſe: cùm Legati Sedis Apoſtolicæ, aſſaturam detexiſſent, dixiſſent: *Piiſſime Domine falſatus eſt præſens liber quintæ Synodi, nequaquam relegatur ſermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, quia fictus eſt, & iterum, cùm relegerentur duo libri, ſeptimæ actioni aſſuti, quaſi ex nomine Vigilij, vnus quidem ad Iuſtinianum Imperatorem, alter ad Theodoram Auguſtam, iterum exurgentes Legati Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ, vnaq; qui cum eis erant Deo amabiles viri, exclamauerunt, dicentes: Non faciat Deus Domine, non dixit Vigilius vnam operationem. Non ſunt libelli Vigilij. Falſatus eſt hic liber, ſicut & exordia primi libri præſentis quintæ Synodi. Nam, Domine, ſi vnum operationem docuit Vigilius, & ſuſceptus eſt à Synodo, vtique & in definitione eiuſdem ſanctæ Quintæ Synodi, de vna operatione vox habuit comprehendi, & relecto eodem libro vſque ad deffinitionem; ipſaque definitione vſque ad finem relecta, nullo modo aliquid de vna operatione in eadem definitione inuentum eſt contineri.* Quapropter Patres, libros Quintæ Synodi, ab hæreticis vitiatos eſſe iudicarunt. Itaque III. & IV. V. & VII. Synodi acta, & præſertim de vna operatione, cùm Græci vitiaſſent: & tam Mennæ, quàm Vigilio, calumniam, *de vna operatione* affinxiſſent, facilè credo Anaſtaſio Bibliothecario, ex Theophane Iſauro Græco hiſtorico aſſerenti, quod Theodorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Monothelitarum hæreſis à Patribus Sextæ Synodi damnatus, & inter alios hæreticos recenſitus, nomen ſuum ex albo illo eraſerit, & loco ſui *Honorium*, per ſummum ſcelus aſcripſerit.

Epiſt. 83 ad Palæſtinos li. 5. ep. 14. Narſem.

Græci Codices Concil. vitiarũt

Opinio Authoris.

Præter argumenta, & teſtimonia ſuperiùs in eam rem à me, c. 14. & 15. adducta, & iſtud me mouet, quod cùm verba illa, quæ feruntur eſſe Adriani II. allocutione 3. in Concilio Romano, recitata in 7. act. VIII. Synodi, ſcilicet. *Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum: ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus maiorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel prauos ſenſus liberè reſpuendi, quamuis & ibi, nec Patriarcharum; nec cæterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi ſententiam, niſi eiuſdem primæ Sedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet auctoritas*, in omnium antiquiſſimo Octauæ Oecumenicæ Synodi Codice Græco Vaticano, numero 836. ſignato, ex ſacrario olim Eccleſiæ Metropolitanæ Ciuitatis Nicææ, in quo religioſiſſimè

ſer-

ſeruabatur, allato, & à Cuſtode eiuſdem ſacrarij hunc in modum, characteribus notis: *Ego Magnus Archipresbyter, & Magnus Sacrarij Cuſtos Sanctiſſimæ Metropoleos Nicææ, Stephanus Pintileus, ſanctiones Sanctorum Patrum Octo Synodorum, credo, & confiteor ex tota anima, & ex tota mente mea, vſque ad finem vitæ meæ:* cùm, inquam, illa verba Adriani de Honorio, in hoc fere authographo Græco codice non reperiantur: facilè in iſtam ſententiam adducor, vt quemadmodum acta Octauæ Synodi Græci de Honorio vitiauerunt, pari audacia, & Codices Sexti Concilij deprauarunt, & Honorium fruſtrà commaculare laborarūt; mendacio, & fraude vbique pellucente.

Præter hoc enim, quod ſententia illa, propter initium iſtud, *licet enim*, textui narrationis, vt clariſſimum eſt legentibus, non cohæret, adeoque à corruptore ſtylo inſerta aliunde fuiſſe apparet, falſitate etiam omnimoda nititur, cum mentitur; *Primæ Sedis Pontificis conſenſus auctoritatem præceſſiſſe*, in damnatione Honorij. Neque enim Agatho quicquam de Honorij damnatione, aut Imperatori ſcripſit, aut Legatis Apoſtolicæ Sedis pro Sexta Synodo miſſis præſcripſit; quin potius confidenter ſcripſit, *Romanam Eccleſiam à tramite traditionis Apoſtolicæ, numquam erraſſe; & omnes prædeceſſores ſuos, Dominicis doctrinis inſtructos, ex quo nouitatem hæreticā in Christi immaculatam Eccleſiam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſules introducere conabantur, numquam neglexiſſe eos hortari atque obſecrando commonere, vt à praui dogmatis hæretico errore ſaltem tacendo deſiſterēt.*

Nomina tandem hæreticorum, ſcilicet Appollinarim, Seuerum, Neſtorium homicolam, Theodoſium, Alexandrinum, Cyrum Alexandrinum, Theodorum Epiſcopum Pharanitanum, Sergium Conſtantinopolitanum, Pyrrum, Paulum, & Perrum, Sergij ſucceſſores, expreſſe recenſuit, hoſque damnatos, vel damnandos merito iudicauit, nulla mentione Honorij facta. Ex huius Epiſtolæ, & alterius quæ ex Synodo 125. Epiſcoporum Romæ cum Martino Papa congregatorum Legatis data eſt præſcripto, cum & Legati Apoſtolici egiſſent, & Patres Sextæ Synodi hæreticos iudicaſſent, damnaſſetque; falſum apparet, quod de Honorio iudicium inſtituiſſent, aut hæreſis reum pronunciaſſent, aut Primæ Sedis Pontificis conſenſus authoritas, iſtud indicium, aut damnationem præceſſiſſet, eum nullus conſenſus, aut Agathonis, aut Legatorum præceſſiſſet. Ex his, etiam Leonis II. illa verba in confirmatoria Sextæ Synodi; *necnon, & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam, non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtrauit, ſed prophana proditione immaculatā fidem ſubuertere conatus eſt*, impoſtorum, qui inſeruit manifeſtè produnt: præſertim cùm in Græco textu germano non habeantur, ſed iſta duntaxat, *immaculatam fidem maculari permiſit*, habeantur; & ſiue primo Latine, ſiue ex Græco, vt adduxi, legantur, Agathoni Papæ contradicant, qui & hæreſis, & negligentiæ, & proditionis crimen, ab omnibus prædeceſſoribus ſuis tam apertè amolitur.

Fruſtra aliqui laborant, Honorium I. vt hominem erraſſe; & à ſolis Orientalibus condemnatum fuiſſe: cum neque vt homo errauerit, & à nullo fuerit in VI. Sinodo iudicatus; quamquam à Monothelitis, qui Pontificis Romani auctoritatem errori ſuo præſcribere conati ſunt, in partes eorum traheretur, quemadmodum, & Mennas, & Vigilius Papa trahebantur.

Falſus proinde, & Tharaſius, qui in epiſtola, act. 3. Synodi VII. recitata, Honorium anathemati ſubijciebat, ſi ſubijciebat: & Theodorus Epiſcopus Hieroſolimitanus, qui in Synodica, in act. eadem VII. Synodi lecta, Honorio, à Patribus Sextæ Synodi anathema dictum eſſe, renunciabat, ſi tamen renunciabat: & Epiphanius Diaconus, qui in diſputatione cum Gregorio Epiſcopo, recenſita in 6. act. eiuſdem VII. Synodi, Honorium à Catholica Eccleſia anathemarizatum eſſe affirmabat, ſi tamen affirmabat: & non alius quiſpiam, impoſtor, Actionum Septimæ Synodi Vitiator, Honorium inter hæreticos, per ſummam fraudem inſcribebat.

Proinde, & reliqui falſi, qui authoritate VI. VII. VIII. Synodorum vitiatarum freti, auſi ſunt Honorio crimen imponere: à quo illum innocentem pronunciarunt, Sanctus Maximus Honorij contemporaneus, in dialogo contra Pyrrhum: Theophanes Iſaurus in hiſtoria, Emanuel Calleca in libro pro Latinis contra Græcos, Photius Conſtantinopolitanus, hoſtis Eccleſiæ Romanæ in libello de Septem Synodis. Zonaras in Conſtantino IV. Paulus Diaconus in eodem Conſtantino, & reliqui.

XXVII.

Non S. MARTINVS.

Falſitas Cēturiatorum de S. Martino Pp.

Centuriatores imponunt, quaſi Nouatianiſmum induxerit, cum Amando ſcripſerit, non dandam eſſe veniam presbyteris vel Diaconis poſt ordinationem ſuam peccantibus: cum tamen iſtud Martinus numquam ſcripſerit, aut iuſſerit: ſed tantum rigoris Eccleſiaſtici tenax, ſtatuerit, Presbyteros, & Diaconos grauiter peccantes, deponi à gradu ſuo. & ſiquidem pænituerint, à peccatis abſolui, cæterum ad gradus nequaquam reſtitui, ex veteri diſciplina.

XXVIII.

Non GREGORIVS III.

De Greg. III.

Nunquam is ſcripſit, (quod ijdem Centuriatores fingunt,) iterum conſecrari debere, ordinatos ab alijs, non ab his quos Epiſcopus Romanus miſiſſet, ſed tantum eos, qui non à veris Epiſcopis ordinati forent.

Nunquam is ſanxit, virum debere aliam vxorem ducere, priore viuente, atque propter infirmitatem debitum reddere, impotente: ſed tantum, tamquam minus malum eſſe dixit vnam tantummodo concubinam habere, quam cum pluribus ſcortari.

XXIX.

Non NICOLAVS I.

Photij in Rom. Eccl. & omnes Latinos calumniæ. epiſt. 70.

Photius Conſtantinopolitanus, Nicolaum, Romanam Eccleſiam, & in vniuerſum omnes Latinos, calamo in lacu blaſphemiæ tincto,

ſto, luto erroris pro atramento vſus, reprehendebat, *quod ieiunamus in Sabbatis, quod Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere dicimus. Dicunt præterea* (Nicolaus, Epiſcopis Galliæ ſignificabat (*nos abominari nuptias, quia presbyteros ſortiri coniuges prohibemus. Et inſimulare tentant, quoniam eoſdem presbyteros chryſmate linire baptizatorum frontes prohibemus. Quod chriſma nos ex aqua fluminis conficere, fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilominus moliuntur, quod octo hebdomadibus ante Paſcha à carnium, & ſeptem hebdomadas à caſei, & ouorum eſca, more ſuo, non ceſſamus. Mentiuntur quoque, nos agnum in Paſcha more Iudæorum ſuper altare olim Dominico corpore benedicere, & offerre.*

Quin, & reprehendere ſatagunt; quod penes nos Clerici barbas ſuas radere non abnuunt, & quia Diaconus, non ſumpto Presbiteratus officio, apud nos Epiſcopus ordinatur; cum ipſi etiam illum quem Patriarcham ſuum nominant à laico ſubito tonſuratum, ac monachum factum, ſaltu ad Epiſcopatus apicem Imperiali fauore, & brachio, prouehere non formidant. Reponebat Nicolaus, quod *aut falſa ſunt, quæ nobis,* ait, *impingere moliuntur; aut certe iam à priſco tempore, ſine cuiuſquam contradictione, in Eccleſia Romana, imo in tota Occidentali parte hactenus cuſtodita, & cum floruerint etiam apud ipſos magni Doctores Eccleſiæ, nullus tamen eorum de his reprehenſionem fecit, niſi hi, qui non zelo iuſtitiæ feruide, ſed zelo inuidiæ perculſi, Eccleſiæ lacerare traditiones anhelant: præcipue cum de ieiunio Sabbati, tempore Sancti Syluestri Confeſſoris Chriſti, ſit ſatis diſcuſſum, & diſputatum, atque vt celebraretur, per omnia definitum: nulluſque poſt hæc auſu temerario contra illud ſtatutum venire aut ſaltem mutire præſumpſerit: cum potius è diuerſo, Sedis Apoſtolicæ inſtituto, & Eccleſiæ Romanæ ſequens obſeruantia, eiuſdem ſalutiferi conſtituti executrix fuiſſe huc uſque reperiatur.*

Grecorum impoſturæ refelluntur a Nicol. Pp

Præterea, de proceſſione Spiritus Sancti quis neſciat illuſtres viros, & præcipue Latinos nonnulla ſcripſiſſe, quorum fulti auctoritatibus iſtorum ſane oppido poſſemus reſpondere inſaniæ, ſi vel illis nos reprehendi, vel nobis eis contentioſa fauce gannientibus rationem reddendi conſuetudo quælibet extitiſſet? Sed quid mirum ſi hoc iſti prætendunt, cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana Vrbe Imperatores Conſtantinopolim ſunt tranſlati, tunc, & Principatum Romanæ Sedis ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam tranſmigraſſe, & cum dignitatibus Regiis etiam Eccleſiæ Romanæ priuilegia tranſlata fuiſſe? ita vt eiuſdem inuaſor Eccleſiæ Photius etiam ipſe ſe in ſcriptis ſuis Archiepiſcopum atque Vniuerſalem Patriarcham appellet.

Videte ergo Fratres; ſi hæc Eccleſiæ Chriſti non præiudicent: videte, ſi tolerabilia valeant æſtimari. Conſiderate, ſi debeant illi Eccleſiæ Romanæ huiuſmodi derogationes, vel detractiones ingerere: cum ipſa, ex quo cæpit Chriſtiana religio dilatari, quæ ſemel in Petro Patrono, ac Inſtitutore ſuſcepit, immutilata tenuerit, & incorrupta per alia mundi clymata docuerit: nec apparuerit quiſquam per tot ſaltem ſæculorum curricula, qui eius TRADITIONIBVS derogauerit, aut obuiare præſumpſerit: licet vt retulimus in Eccleſia, crebro magni Doctores effulſerint, nec vlla ſit vnquam Eccleſia (vt non dicam Conſtantinopolitanam, quæ longe poſt inſtituta eſt) cuius hæc doctrinam, vel auctoritatem ſecuta ſit: cum ipſa potius alias Eccleſias inſtituerit, atque nonnullas traditiones contulerit: adeo, vt, quemadmodum Bonifacius Sedis Apoſtolicæ Præſul teſtatur, INSTITVTIO VNIVERSALIS ECCLESIÆ NASCENTIS, de Beati Petri ſumpſerit honore principium, in quo regimen eius, & ſumma conſiſtit.

Hæc, & multa alia Nicolaus, ad refellendas impoſturas Græcorum, quibus etiam Hincmarus Rhemenſis, & Odo Bellouacenſis, eo tempore demonſtrauere; 1. Sabbati ieiunium, ex traditione Apoſtolorum manaſſe. 2. Cælibatum ſacerdotum ab Apoſtolis inſtitutum eſſe. 3. Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere, ipſimam veritatem eſſe, reliqua omnia vel calumnias, vel friuole obiecta, ridiculaque potius quam ſeria eſſe.

De baptiſmo in nomi mine Chriſti ſine expreſſione trium perſonarum. ep 340.

Reprehendunt alij Nicolaum, quod is baptiſmum, in nomine Chriſti, ſine expreſſione trium perſonarum, ratum eſſe dixerit. At etiam reprehendere deberent Apoſtolos, qui Actorum 10. cap. in nomine Ieſu baptizauerint, & Ambroſium, lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. qui illud baptiſma ratum habuerit. Quo etiam aſpectu, Sanctus Bernardus Henrico Archidiacono reſpondit: quendam, qui dixerat, *Baptizo te in nomine Dei, & ſanctæ, & veræ Crucis*: vere baptizaſſe, neque tantum peccaſſe, vt vel illius, vel baptizati præiudicaret ſaluti: *Neque enim*, ait, *Eccleſiaſticam contempſiſſe formam, ſed ex deuotione quadam feſtinantis fidei, in hanc vocem erupiſſe videtur.*

XXX.

Non LEO IX.

Aliæ Mich. Cerul. calūniæ contra Sedem Apoſt. & Latinos. *hiſt. Eccleſ. anno* 1054.

Paria, cum Photio, & Græcis ſchiſmaticis, Michael Cerularius Conſtantinopolitanus, Leoni Nono, Sedi Apoſtolicæ, atque omnibus Latinis obijciebat, ſcribebatque: *Quapropter illos omnino auerſari neceſſe eſt*, ait, *qui Iudæorum more multa peragunt: qualia ſunt. vt error, qui illis tribuitur de azymo, & quod ſuffocatum comedunt, & barbam radunt, & ſabbata cuſtodiunt, & comedunt immunda. Monachi carnibus veſcuntur, nidore videlicet ſuis, & larido omni, quod vſque ad carnem pertinet, & quod etiam attinet ad primam hebdomadam Quadrageſimæ, qua nos ouis tantum, & lacte veſcimur, & propterea Caſei hebdomadam illam appellamus. Sed præter hæc talia; & huiuſmodi ſe habentia, in ſacro Symbolo hanc etiam adhibent additionem, male & perditioſe ſentientes: ita enim ſe habet*: Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit. *In ſacra etiam miſſa illud, vnus ſanctus, vnus Dominus Ieſus Chriſtus in gloria Dei Patris per Spiritum Sanctum, alta voce dicunt.*

Præter hæc nuptias ſacerdotum prohibent: illos videlicet, qui vxores habent, vt nullo pacto ſacerdotij dignitatem conſequantur, permittunt: ſed innuptos manere volunt eos, qui Sacerdotes eſſe cupiunt. Duo etiam fratres, duas ducunt ſorores. Et in ſacra miſſa tempore communionis alter miniſtrorum comedens azyma, alios amplexatur, & pacem illis largitur. Epiſcopi etiam anulos geſtant in manibus quaſi vxores Eccleſias accipientes, & arrhabonem ferre dicunt. Ad bellum etiam exeuntes, manus ſuas ſanguine coinquinant,

& in

& in conſpectu ſuo animas occidunt , & occiduntur : quemadmodum etiam à nonnullis, qui hoc affirmant , accepimus . Sacrum baptiſma ita peragunt, vt eos qui baptizantur , vnica merſione baptizent , In nomine Patris , & Filij , & Spiritus Sancti , *dicentes . Sale etiam præterea , eorum qui baptizantur ora implent . Male etiam Apoſtolicum illud accipientes , quod ait : Modicum fermentum totam maſſam fermentare : ipſi vero ita ſcriptum habent, Modicum fermentum totam maſſam corrumpit : contendentes hac modica huius verbi occaſione tollere fermentatum quod panem ſubleuat , & attollit . Quinimo Sanctorum reliquias , illorum nonnulli non venerantur , nec ſanctas etiam imagines Sanctos etiam , & magnos illos Patres noſtros Baſilium , & Chryſoſtomum cum reliquis Sanctis nan connumerant, nec illorum doctrinam omnino recipiunt .* Hæc, & alia nonnulla , ſed futilia , Michael Leoni, & Occidentali Eccleſiæ imponebat . Cæterùm Petrus Antiochenus , & Humbertus Cardinalis , ſcriptis libris aduerſus impoſtorem , calumniarumq́ , & futilitatis reum Michaelem oſtenderunt ; eum quædam Orthodoxa dogmata pro erroribus reputet , & errores falſo imponat illi præſertim Eccleſiæ, quę velut ſol inmaculatis radijs, nulloque nubilo obtenebratis effulget .

XXXI.

Non STEPHANVS VI. aut SERGIVS.

Peccatum quorundã contra Formoſum .

Facto , & malo exemplo peccauerunt , cum ordinationes Formoſi anteceſſoris ſui , quem propter iuſiurandum antea ab ipſo conceptum , non legitimum Pontificem fuiſſe putauerant , reſciderunt : non tamen in doctrina errauerunt : cum non decreuerint , ordinationes legitimi Pontificis reſcindendas fore .

XXXII.

Non IOANNES XIII.

De Cãpanarum benedictione .

Centuriatores ſacrilegij accuſant , quod campanas baptizauerit : cum tamen non baptizauerit , ſed benedixerit , & cultui diuino per conſecrationem addixerit : memor verbi Paulini , qui dixit ; *omnem creaturam per verbum Dei ſanctificari .*

XXXIII.

Non SYLVESTER II.

Bennonis Schiſmatici de Syluestero II. mẽdacium .

Aſtrologiæ liberali ſcientia , non magiæ fallacia inſtructus fuit . Falſus , Benno ſchiſmaticus ; & odio Pontificum imbutus , qui execrandis artibus ad Pontificatum euaſiſſe , & animam dæmoni deuouiſſe mentitur : cum Sergius ſucceſſor , qui illi epitaphium in Lateranenſi Baſilica poſuit , & Orthodoxum , & Doctiſſimum , & optimum ſui temporis , ſancte obijſſe affirmet .

XXXIV.

Non GREGORIVS VII.

Gregorio Septimo , Simoniacam , & Berengarianam hæreſim , Benno , Henricus IV. & ab his Magdeburgenſes , falſo obijciunt . A Simoniaca hæreſi , Sanctus Anſelmus Epiſcopus Lucenſis , innocentem pronunciauit , cum Guiberto ſcripſit , in electionem , aſſumptionemque Gregorij VII. poſſe dici illud , quod de Cornelio Beatus Cyprianus ſcripſit : *Factus eſt Epiſcopus de Dei , & Chriſti eius iudicio : de Clericorum pene omnium , & , vt verius dicam , omnino omnium teſtimonio: de plebis quæ tunc aderat ſuffragio : de Sacerdotum antiquorum , & bonarum virorum collegia : cum nemo ante ſe factus eſſet : cum Alexandri locus, id eſt , cum locus Petri , & gradus cathedræ Sacerdotalis vacaret .*

Defenditur Greg. VII ab aliquorum impoſturis .

Reſpexit Sanctus Anſelmus , ad teſtimonium Cleri Romani , qui renunciabat : *Nos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales , Cleri , Acolyti , Subdiaconi , Presbyteri , præſentibus Epiſcopis , Abbatibus , multiſque tum Eccleſiaſtici , tum Laici Ordinis, eligimus hodie, X. Kalen Maij in Baſilica S. Petri ad Vincula , anno ſalutis M. LXXIII. in verum Chriſti Vicarium Hildebrandum Archidiaconum, virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis , prudentiæ , iuſtitiæ , conſtantiæ , religionis , modeſtum ſobrium , continentem .* Satis hæc erant , ad innocentiam Gregorij probandam , impiumque Imperatorem impoſtorem falſitatis conuincendum : cæterum ex ſuperabundanti , voluit Gregorius eandem in frequentiſſimo Patrum , & Procerum Concilio, hunc in modum oſtendere ; Vbi Miſſarum ſolemnia celebraſſet , proferens manu corpus Dominicum , ad Regem palam ait : *Ego iampridiem à te , tuiſque fautoribus inſimulor, Sedem Apoſtolicam per Simoniacam hæreſim occupaſſe , & alijs criminibus vitam maculaſſe . Quo igitur ſatisfactionis compendia , omnem omnibus ſcandali ſcrupulum auferam , Deum precor , vt ſuo me hodie iudicio , vel abſoluat ſubiecti criminis ſuſpicione , vel ſubitanea morte interimat , ſi reus ,* & mox partem Dominici corporis accepit , & comedit : Qua liberrimè aſſumpta , cum populus innocentiæ Pontificis congratulatus in laudes Dei aliquandiu acclamaſſet , ad Regem conuerſus : *Fac* , inquit *fili* , *ſi placet, quod me facere vidiſti* . Rex poſt dilationem impetratam , recuſauit eo modo ſe purgare .

Quomodo Greg VII. coram Imp. innocentiã ſuam probauerit . *Lambertus Schaffnaburgen. in hiſt.*

Quod ad Berengarianam hęreſim attinet, tantum abeſt , vt Gregorius Papa illius reus fuerit , vt etiam Concilio Patrum numeroſiſſimo Romæ conuocato , Berengarium ad eiurandam hæreſim compulerit , & ex auctoritate Apoſtolica illi præceperit , ne amplius aut diſputare , aut docere præſumeret , excepta cauſa reducendi ad Fidem Orthodoxam, illos quos ipſe ſeduxerat .

Conc. Rom cõgregauit contra hæreſim Bereng. *anno 1079.*

Sigebertus pariter falſus eſt , imponens Gregorio , quaſi aſſeruiſſet , quod Presbyter Concubinarius non conſecret . Nihil enim eiuſmodi , aut dixit , aut ſanxit . Schafnaburgenſis verior , qui habet . *Hildebrandus Papa cum Epiſcopis Italiæ conueniens, iam frequentibus Synodis decreuerat vt ſecundum inſtitut a antiquorum Canonum , Presbyteri vxores non habeant : habentes , aut dimittant , aut deponantur . Sed cum plures Clerici (vt ait Marianus Scotus anno* 1075.) ſub *ſententia interdicti Apoſtolici eſſe mallent , quam fœminis , & vxoribus carere , vt ſaltem per alios caſtigarentur, decreuit Papa etiam Synodica Legatione , vt nullus Chriſtianus audiret Miſſam coniugati Presbyteri* . Addit Trithemius , quod laicis interdixerit , ne Miſſas Sacerdo-

Refellitur Sigebertus.

cerdotum concubinas habentium audire præſumerent,

Sanctus Anſelmus Sigeberto, & antiquior, & ſanctior, quid Gregorius iuſſerit, aut ſtatuerit, verius: *De Presbyteris*, inquit, *qui ſe aperte reprobos, & libidinis commercio Deo execrabiles exhibent, omnino tenendum eſt, quod Apoſtolica prouidentia, Ecdleſiaſtico, iuſtoque rigore conſtituit: nempe nullatenus conuenit, vt ibi reuerenter aſtetur, vbi pertinaciter, aperta, & impudenti libidine fætentes, Dei, & Sanctorum probibitionem contemnendo, ſacris altaribus deſeruiunt: imo non deſeruiunt, ſed quantum ad ipſos pertinet, turpiter commaculant*. Non quo quis ea quę tractant comtemnenda, ſed ipſos, potius tractantes execrandos exiſtimet; vt qui Dei, & Angelorum præſentiam non reuerentur, vel hominum deteſtatione repulſi, ſacra contaminare deſiſtant.

epiſt. 8.

XXXV.

Non PASCHALIS II.

In Synodo Lateranenſi, habuit illi, aliquis hæreſim cauillatorie imponere, qund is Henrico Imperatori, inueſtituras Eccleſiaſticorum, conceſſiſſet. Habuit etiam cauillatori, Ioannes Caietanus Epiſcopus in faciem reſiſtere: Tunc hic, & in Concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem, appellas hæreticum? Scriptum, *ait*, quod fecir Dominus Papa malum quidem eſt, ſed hæreſis non fuit. Subiecit alins; nec malum quidem dici debere. Quia ſi liberare populum Dei, bonum eſt; quod Dominus Papa fecit, bonum fuir. Sed liberare populum Dei bonum eſt, auctoritate Euangelij, qua præcipimur animas quoque pro Fratribus ponere. Subiunxit Paſchalis: Fratres, & Domini mei audite: Eccleſia iſta nunqnam habuit hæreſim: immo hic omnes hæreſes conquaſſatæ ſunt. Hic Arriana hæreſis, quæ per trecentos fere annos viguit, annullata eſt. Ab hac Sede hæreſis Eurychiana, & Sabelliana conerita, Photinus, cæterique hærerici deſtructi ſunt.

De conceſſione inueſtiturarum Eccleſiaſt. ab Henric. Imp. à Paſchali per vim extorta, & eius cauillatione, & reuocatione.

Pro hac Eccleſia, Filius Dei in paſſione ſua orauit, cum dixit: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Addidit: Scripta, quæ in tentorijs, in quibus cum multitudine clericorum, & Ciuium Vrbis, & totius Prouinciæ cuſtodiebantur, pro libertate Eccleſiæ & pro abſolutione captiuorum omnium, & pro excidio quod Eccleſiæ, Vrbi, & vniuerſæ Prouinciæ, ſuperincumbente vndique gladio imminere videbatur, de electione, ſeu de inueſtituris perſonarum facta ſunt, videlicet; vt electione facta libera, ſine vi, & Simonia, conſenſu Regis, facultatem habeat Rex inueſtiendi per virgam, & anulnm; & electus à Clero, & Populo, non conſecretur, niſi à Rege inueſtiatur; ego Canonica cenſura caſſa omnino, & irrita iudicio, & ſub damnatione perpetua permanere decerno, vt nullius vmqnam auctoritatis ſint, & nullius bonæ memoriæ. Ea vero, quæ Sacri Apoſtolorum canones, & Antiochenum, ac vniuerſalia Concilia, & prædeceſſores noſtri, & præcipuè felicis memoriæ Dominus Gregorius, & Vrbanus de his prohibuerunt, damnauerunt, & firmauerunt; ego prohibeo, damno, conſtituo, & confirmo, & me illorum ſanctiones profiteor ſeruaturum. Itaque amplector omnem diuinam ſcripturam, ſcilicet veteris, & noui Teſtamenti, Legem Scriptam à Moyſe, & à SS. Prophetis. Amplector quatuor Euangelia, ſeptem Canonicas epiſtolas, & epiſtolas glorioſi Doctoris Beati Pauli Apoſtoli; Sanctos Canones Apoſtolorum; Quattuor vniuerſalia Concilia, ſicut quattuor Euangelia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe: decreta SS. Patrum Romanorum Pontificum, & præcipuè decreta Domini mei Papæ Gregorij, & Beatæ memoriæ Papæ Vrbani. Quæ ipſi laudauerunt, laudo: quæ ipſi tenuerunt, teneo: quæ confirmauerunt, confirmo: quæ damnauerunt, damno: quæ repulerunt, repello: quæ interdixerunt, interdico: *quæ probibuerunt, probibeo in omnibus, & per omnia, & in bis ſemper perſeuerabo*. Ad extremum, excommunicariones à varijs Concilijs in Henricum Regem latas, Paſchalis confirmauit: factum, quod in caſtris admiſerat, & quo, non doctrina, neque definitione peccauerat, non excuſauit, ſed accuſauit, damnauit, reprobauit.

XXXVI.

Non ALEXANDER III. aut CÆLESTINVS III.

Opinatus eſt, non deffiniuit. matrimonium, per verba de præſenti contractum, non autem conſummatum, per aliud matrimonium poſſe dirimi, quemadmodum etiam Cæleſtinus III. non deffiniuit, ſed velut probabile ſibi videri reſpondit, per hæreſim matrimonium ita ſolui, vt aliud poſſet iniri ab eo, cuius prior coniunx in hæreſim lapſus eſt.

Alex & Cæleſt. opinio de matrimonio, non definitio.

XXXVII.

Non INNOCENTIVS III.

Non ad litteram, neque abſolute, ſed quatenus ad legem nouam figurate pertinet, ea quæ in Deuteronomio continentur, ſeruanda eſſe dixit. Ideoque Diuo Petro, non ſeruanda eſſe veteris legis præcepta, ad litteram dicenti, non contradixit.

Innoc. III. non contradixit Petro.

XXXVIII.

Non NICOLAVS IV. aut IOANNES XXII.

Quod enim Chriſtus, aliquando, perfectiſſimam paupertatem, verbo, & exemplo docuerit: & aliquando, velut communis omnium parens, & Doctor, minus rigidam exemplo oſtenderit, veriſſimum eſt, quemadmodum etiam veriſſimum eſt, quod dominium, & proprietatem rerum habuerit. Alterum Nicolaus IV. alterum Ioannes XXII. de Fide definiuit: ſed alteri alter, in hoc grauiſſimo, non contrarius fuit, licet, in his quæ non ad Fidem ſpectant, nondum inter Doctores conuenerit.

Quomodo Nic IV. nõ fuerit contrarius Ioann. XXII.

XXXIX.

XXXIX.

Non IOANNES XXII.

Oppinio Ioan. XXII. de viſione Dei Inquiſitio fuit nō definitio.

Opiniones veterum quorundam Patrum aliquando ſecutus, & ipſe opinatus eſt, animas beatorum non videre Deum ante reſurrectionem. Inquiſiuit, non deffiniuit; paratus, quam didicerat veritatem, deffinire, niſi mors illum præoccupaſset. Falſus Caluinus, qui imponit, quaſi is immortalitatem animæ negaſset: cum Ioannes, non niſi de illa priore quæſtione, ſine periculo hæreſis, re nondum deffinita, conſultanerit, ſeu diſſeruerit: neque Ioannes Gerſon, quem Caluinus teſtem adducit, aut tempore Ioannis XXII. vixerit, aut tale quid de eo retulerit.

XL.

Non BONIFACIVS VIII. aut IOANNES XXIII.

Aſtruuntur Boniſ. VIII & Ioann. XXIII. ab impoſturis calumniatorum.

Falſus Pulcher Philippus Rex Galliarum, qui reum hæreſis dixit: quem Clemens Quintus, actione de ea re in Concilio Viennenſi inſtituta, innocentem pronunciauit; eo quod rumor, quem aduerſarij in defunctum Pontificem ſparſerant, nonniſi vanus rumor fuit: quemadmodum etiam vanus, neque vnquam probatus, in Ioannem XXIII. fuit; quaſi is vitam futuram, & carnis reſurrectionem pernegaſſet. Sane neque Patres Concilij Conſtantienſis inter cauſas damnationis Ioann. XXIII. alicuius hæreſis meminerunt; cum tamen illa ſola ad eius depoſitionem ' damnationemque ſuffeciſſet: ſi eiuſdem conuinctus fuiſſet. Quod Benedictum XIII. attinet, quem nomine hæreſeos Patres Conſtantienſes damnauerunt, is non verus Pontifex fuit: & ideo Pontificio Romano non præiudicauit, quin perpetuo ab omnibus dicatur: PONTIFEX ROMANVS, INNOCENS AB HÆRESI. Si quis alius, certe PAVLVS QVINTVS, doctus Aquilina vigilantia, captiuare, ac re ſerpentem intellectum in obſequium Chriſti, ne pluſquam oportet ſapere ſapiat, ſed ad ſobrietatem Fidei Orthodoxæ ſapiat.

CAP. XXVII.

Pontifex Romanus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, ſc. à communione hæreticorum incontaminatus.

Paulus V. Babylonios Neſtorianiſmi ſuſpectos in communionem nō admiſit priuſquam errores eiurarēt.

PAVLVS QVINTVS, ſi quis alius, puritatis Eccleſiaſticæ retinentiſſimus, cum Babylonii, Neſtorianiſmo polluti, nuper in communionem admitti poſtularent, promiſit, non admiſit, priuſquam errores eiurarent, & ex formula præſcripta Fidem profiterentur. *Oportet*, inquit, *ſi deſideratis, vt proculdubio nobis perſuademus, vero, rite, ac ſtabiliter vos ad Sanctam Romanam Eccleſiam Matrem veſtram adiungere: & ab ipſa in gremio ſuo, vt vehementer optat, amanter recipi, duo faciatis: Primum, vt deſertis verbis claris & apertis confiteamini, vnam eſſe in Chriſto Deo & homine, cum duabus naturis ſubſiſtentiam, & illam eſſe diuinam: quam vnitatem ſubſiſtentiæ & perſonæ credere profiteamini ad ſenſum Sanctæ Romanæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ: ſicut etiam quod Beatiſſima Virgo verè ſit Mater Dei. Alterum, quod facere debetis eſt, vt declaretis agnouiſſe errores, quibus implicati longo tempore habiti eſtis Neſtoriani: ideoque anathematizauiſſe Neſtorium & Theodorum, omneſalios hæreticos à Patribus damnatos, præcipuè in Epheſina, Chalcedonenſi, & Quinta, & Sexta vniuerſalibus Synodis. Quorum perditorum hæreticorum nomina & doctrinam, neceſſe eſt vt ex veſtris libris abradatis, noſque de his omnibus per authentica documenta in ſcriptis certiores faciatis. Quæ omnia, vt perfeceritis, vt confidimus: firma, & conſtituta erit veſtra cum Sancta Romana Eccleſia vnitas, atque communio. Tunc omnia amoris & charitatis officia, vobis, alacriores, promptioreſque præſtabimus: optatum Sacellum in Eccleſia Sanctiſſimi Sepulchri Redemptoris noſtri Hieroſolymis commodius obtinebitis; & difficultates, quas in Indijs patiuntur homines nationis veſtræ remouebuntur. Nam cum intellexerit Chariſſimus in Chriſto filius noſter, Philippus Hiſpaniarum Rex potentiſſimus vos coniunctos nobiſcum 'eſſe, & Sanctæ Apoſtolicæ Sedi verè obedientes: nullo pacto permittet vobis detrimentum, aut iniuriam inferri: præſertim à nobis hac de re efficaciſsimè requiſitus. Datum Romæ apud S. Petrum, die feſto eius ſolemnitatis, ſub Annulo Piſcatoris III. Cal. Iulij M. DC. XVII. Pontif noſtri anno Tertiodecimo.*

Paulus Ap. hæreticos cauendos monet.

Non facile admittendos eſſe, Neſtorianiſmi ſuſpectos Babylonios cenſuit Paulus Quintus, vt & ipſe conſeruaret Eccleſiam, quemadmodum ſine ruga & ſine macula hæreſeos, ita etiam ne quid huiuſmodi à communione hæreticorum, contagionis arriperet: memor Pauli Apoſtoli, qui Timotheum monebat: caueret ab eis qui *profana & vaniloquia* loquuntur, eo quod hi tales *multum proficiunt ad impietatem; & ſermo eorum vt cancer ſerpit*: eo quod *ſpeciem pietatis habeant*, quamquam eius *virtutem obnegent; ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes, quin potius veritati perpetuo reſiſtentes, homines corrupti mente, reprobi circa fidem*, omnibus modis vitandi; præſertim *poſt vnam, & ſecundam correptionem*, nonniſi eius gratia conueniendi, vel in conſpectum admittendi. Memor fuit etiam Paulus Quintus monitionis Petri anteceſſoris, qui hortabatur: vt *Satagerent omnes, immaculati, & inuiolati* Chriſto Domino *inueniri, refugienteſque coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti*, ne his *rurſus implicari* ſuſtinerent, à contage eorum, qui *fontes ſine aqua, nebulæ turbinibus exagitatæ, ſuperba vanitatis loquentes, pelliciunt in deſiderijs carnis, luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuerſantur*.

Quam execrandi fuerint ſemper Orthodoxis Hæretici, & Schiſmatici.

Tam execrandi fuerunt ſemper in Eccleſia, hi qui vel à Fide Orthodoxa, vel ab obedientia Apoſtolica declinaſſent, vt neque cibum cum eis ſumere, neque Aue illis in compito dicere, neque commiſceri eis in aliquo negotio, ex præſcripto Apoſtolico tolerarent; ſed anathema maranatha illis dicerent, hi qui in vnitate Fidei, ſub vno Paſtore Chriſti Vicario conteſſerarent: S. Ioannes, cum Cherintho,

tho, in vno balneo lauari recuſans, ex eo loco quantocius effugit. S. Ignatius Martyr in epiſtolis, fere nihil aliud magis inculcauit, quam vt velut feras immaniſſimas euitarent nonnullos improbiſſimos, qui ſolebant dolo malo, nomen quidem Chriſtianorum circumferre, cæterum cum eſſent vaniloqui & ſeductores, non Chriſtiani, ſed Chriſtempori, Chriſtilucriones, quique ex nomine Chriſti quæſtum facerent, fraude circumferentes illius nomen, & adulterantes verbum Euangelij, patrantes quædam indigna Deo, & ſentientes ea quæ puguant cum Dei doctrina, in exitium proprium, & eorum qui illis credunt, habentes peruerſam doctrinam peregrini & maligni ſpiritus, cuiuſmodi fuiſſe oſtendebat, Simonis hæreſim habentes, Menandrum, Baſilidem, Ebionem, Cherinthum, & eorum ſectatores Nicolaitas, Theodotum, & Cleobulum, & reliquos, qui vna cum Euangelio legem eſſe ſeruandam: nihilque penitùs eſſe credendum quam quod in Euangelio in Archiuis ſeruato ſcriptum eſt, docebant; qui Chriſti incarnationis oeconomiam ſubuertebant: qui Chriſti crucem negabant: qui Ieſum à Chriſto diuidebant, qui Chriſtum nequaquam Crucifixum fuiſſe, niſi per imaginem quendam, mentiebantur: qui fabulis & genealogijs nunquam finiendis veritatem Euangelicam obſcurabant: vacare operibus iuſtis, ſeruitutem eſſe dicebant: liberum negantes arbitrium, omnia fato aſſignabant: indifferenter vti fœminis præcipiebant: dominationem ſpernebant: in ſplendores maledicta congerebant: oculos plenos adulterij, cor exercitatum auaritia gerebant; ad ſalutem, ſolam fidem ſufficere mentiebantur; collectionem fratrum deſerebant, ſcripturas deprauabant; Fratres ſuſcipere prohibebant, & eos qui reciperent, de Eccleſia eijciebant; Chriſtum nudum hominem, ex Ioſepho natum, & ex conſequenti Mariam, nec Virginem, nec Deiparam aſſerebant: Euchariſtiam, non eſſe carnem Chriſti quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, blacterabant: communes vxores faciebant: ſacramenta ridebant: & in ſumma hæreticis huius temporis præibant.

Nicolaitarum errores

Hos impoſtores, ne ad communionem admitterent fideles, Ignatius ſerio, & ſedulo monebat. Hi ne incontaminatam Fidem Eccleſiæ ſurgentis contaminarent, à Lino, Anacleto, Clemente, Euariſto, cauebatur; factumque eſt feliciter ab hac Apoſtolica cura, vt ad tempora Euariſti, Eccleſia Virgo per antonomaſiam diceretur: quod corruptores, & maculones Orthodoxiæ, ab eius communione arcerentur, & ipſi ſe ſua ſponte ſegregarent, animales, ſpiritum non habentes, vt Clemens Alexandrinus memorabat. Sanctus Irenæus tradit, conſueuiſſe Carpocratis diſcipulos, varijs nominibus, ſcilicet, Gnoſticos, Adamitas, Barborianos, Epiphanitas, Coddianos, Stratonicos, Phibionitas, Barbelitas, Zacchæos, Nanſianos, Antitactas, Baſilidianos, Carpocratianos, Valentinianos, Secundianos appellatos, conſueuiſſe dexteræ auris poſteriorem partem perforare, *vt eo ſigno ſe ab alijs ſecretos* oſtenderent. Planè feliciter, nè per ſpeciem pietatis, Pontificibus Romanis imponerent; quemadmodum inprimis Valentiniani, & Gnoſtici imponere ſatagebant.

Eccleſia *Virgo* per Antonoma. vocata.

lib. 7. Stromat.

lib. 1. cap. 23.

Horum enim princeps Valentinus Romam veniens, quemadmodum in Gnoſticorum ſocietatem ſe inſinuauit, ita etiam his ſibi adiunctis, in communionem Romani Pontificis irrepere conatus fuit; ſed fruſtrà. Nam Theleſphorus hominem ſceleratum, communione Eccleſiæ virginis indignum iudicauit: vtque illum, & ſectatores, & ſocios, ab Eccleſiaſtica communione ſecretos oſtenderet: non velis obducto altari, neque in tenebris, quemadmodum Valentiniani, & Gnoſtici, ſed patentibus omnibus, non tantùm clara diei luce, ſed luminaribus inſuper accenſis, ſacra faciebat, & fieri iubebat: ſiquidem veritas nihil erubeſcit, niſi abſcondi.

Valentinus hæreticus fruſtra in Communionem Rom. Pontif. irrepere tentat. *hiſt. Eccleſ. anno* 145.

Eiuſdem Teleſphori, & poſtea Aniceti, & Eleutheri, & Hygini communionem, Marcion hæreſiarcha ſæpius exambiuit; ſed impetrare ad extremum non potuit: ſocietate ſanctorum propter repetitam hæreſim, & mores corruptos, indignus ab Eccl. Rom. Pontificibus iudicatus: præſertim, quod ſemel & iterum, vnà cum Valentino, nomen Catholici præſeferrent, & palimodiam recantaret, ſed ad vomitum tandem ambo redijſſent, vt meminerunt Irenæus, & Tertullianus. Tanti fuerat auctoritas Eccleſiæ Romanæ, vt etiam hæretici planè profiterentur, non aliundè ſibi licere nomen Catholicum, vel ſpecietenus præſeferre, quam ex eius communicatione quoquo modo ſurrepta.

anno 145.

Marcion itidem hæreſiarca.

lib. 3. c. 4. de præſcript. cap. 30.

Itaque ſub eius manu exomologeſin fingebant, & auctoritatem ex communione ambiebant: quod apud omnes non tantum Catholicos, ſed etiam fidei perduelles in confeſſo eſſet, eam eſſe totius Eccleſiæ metropolim, & omnium Eccleſiarum gerere principatum, vt pote cuius eſſet Fidem probare, atque perfidiam condemnare: & cuius Paſtor ſupremus clauiger eſſet, claudens quod nemo aperiret, aperiēs quod nemo clauderet oſtium ad Chriſti ouile, & ad ſanctam *Hieruſalem*, *cuius participatio* eſt *inidipſum*, in ſanctorum communione. Falſi Nouatores, qui horum hæreticorum prædicatione, Fidei Orthodoxæ, & ſanctæ ſocietatis puritatem, Romæ, vel violatam, vel commaculatam fuiſſe comminiſcuntur: cum, Irenæo, & Tertulliano teſtibus, Romana Eccleſia non tantum eos eiecerit, ſed & velut lapis Lydius cunctis fuerit, ad cuius traditionem ab Apoſtolis per manus receptam omne dogma examinaretur.

Quanta tūc eſſet Rom. Eccl. authoritas.

Rom. Eccl. lapis Lydius

Cæterum, quod Iuſtinus martyr ſe ſcripſiſſe affirmet ad Papam, de nonnullis qui per traditiones hominum, inſtitutionem, & diſciplinam Eccleſiaſticam corrupiſſent; non video cur exinde aliquis poſſit rectè interpretari, Iuſtinum ſcripſiſſe ad Romanum Pontificem, de corrupta Romanæ Eccleſiæ doctrina. Indicabat Iuſtinus aliquos ſeductores, qui ſui ſimiles aliquot, non vero vniuerſam ſanctorum communionem infecerant, à qua abſtenti eiectique fuerant. Ideoque officij Romanum Pontificem monebat, vt ſaluti gregis proſpiceret; & ſi qui à tramite veritatis Apoſtolicæ, per hæreticos Romæ occultos ſeducti errâſſent, eos auctoritate Apoſtolica reuocaret, ad vnius Fidei, & Sacramentorum participationem, in quam Eccleſia Romana adeo conſpirabat, vt Hegeſippus, ex Iudæo Chriſtianus, & Theologus eruditiſſimus, ac ſcrip-

tor

Hegeſipp. ſcriptor celeber. apud Euſeb. lib. 4. hiſt. c. 21.

tor celeberrimus, qui Romæ ab Aniceti, vſq; ad Eleutherij tempora, curioſus ſectator omnium dogmatum Romæ hæſerat, indubitanter aſſeruerit, vſque ad Eleutherum, ſub quo ea ſcribebat, *nullam fuiſſe Eccleſiam, in qua non ita ſeruata fuiſſent omnia vt Lex præſcripſerat, docuerant Prophetæ, & Dominus ipſe prædicanerat*. Non diſſimilia Tertullianus, oſtendens tum hæreticorum irritos conatus, tum Pontificum Romanorum cautelam iu non admittendis illis ad communionem Eccleſiaſticam, pangebat.

Tertul de conatibus hæreticorũ & cautela Rom. Pont. lib. 3. contra Marcion.

Nam ſeruire Deo, totoque incumbere corde
Intemerata fides, libertas ſponte paratur.
Ergo Patres iuſti, Sancti, ſine labe Prophetæ,
Aduentum Domini multis cecinere futurum:
Teſtanturque fide cæleſtia iuſſa prophanis,
Cum quibus immanes ſatiati gloria Chriſti,
Conſortes virtutis verba ſacrata replentes
Firmauere fidem, factis prædicta probando.
Quorum diſcipuli, qui ſucceſſore per orbem.
Conflati virtute viſi, noſtrique Magiſtri,
Coniunctos operis nobis tribuere honores
Ex quibus electum magnum, plebique probatum
Hac Cathedra, Petrus qua ſederat ipſe, locatum
Maxima Roma Linum, primum conſidere iuſſit.
Poſt quem Cletus, & ipſe, gregem ſuſcepit ouilis.
Huius Anacletus Succeſſor ſorte locatus.
Quem ſequitur Clemens, Is Apoſtolicis bene notus.
Euariſtus ab hoc rexit ſine crimine legem.
Sextus Alexander Sixto commendat ouile.
Poſt expleta ſui qui luſtri tempora tradit
Teleſphoro, excellens hic erat, martyrque fidelis;
Poſt illum ſocius legis, certuſque Magiſter:
Quum veſtri ſceleris ſocius, præcurſor, & auctor.

Cerdo à cõmunione reiectus.

Aduenit Romam Cerdo, noua vulnera geſtans,
Detectus, quoniam voces, & verba veneni
Spargebat furtim: qua propter ab agmine pulſus,
Sacrilegum genus hoc genuit, ſpirante dracone.
Conſtabat pietate vigens Eccleſia Roma
Compoſita à Petro, cuius ſucceſſor, & ipſe,
Iamque loco nono cathedram ſuſcepit Hyginus.
Poſt hunc deinde Pius, Hermas cum germine frater,
Angelicus Paſtor, quia tradita verba locutus,
Atque Pio ſuſcepit Anicetus ordine ſortem,
Sub quo Marcion hic veniens, noua Pontica peſtis

Marcionis hæreſes detectæ.

Nondum ſecretum facinus ſuo corde recluſum.
Paſſim vulgo loquens latebroſa perfidus arte.
Sed poſtquam cæpit mortis proferre ſagittas
Abiectus merito tam ſæui criminis auctor,
A ſanctis reprobus; patuit mirabile monſtrum.

Tantum Apoſtoli, ait Irenæus, *& horum diſcipuli habuerunt timorem, nec verbotenus communicarent alicui eorum qui adulterauerant veritatem, quemadmodum, & Paulus ait*: Hæreticum autem hominem poſt vnam correptionẽ deuita, ſciens quoniam peruerſus eſt qui eſt talis, & à ſemetipſo damnatus.

De Montano, & eius hæreſi, ac Tertul. in eam lapſu.

Fere etiam Aniceti temporibus, in Phrygia emerſerat Montanus, hæreſis Cathaphrygarum author, in quam poſt ingentes pro Orthodoxia exanthlatos labores Tertullianus prolapſus, *magna fuit, in Eccleſia Dei*, vt Lyrinenſis deplorabat, *tentatio*. Ferunt, primum inſatiabili quadam animi cupiditate in primatum abiendo inflammatum, ſimulatque aditum diabolo aduerſario ad ſe pateſecerat, Spiritu quodam maligno ſolitum abripi, & de repente furore, & mentis inſania exagitatum bacchari; atque mox non temere ſolum garrire, ſed peregrinas quaſdam voces fundere, & contra quam Eccleſiæ conſuetudo cum traditione, tum ſucceſsione antiquitus, ab Apoſtolorum temporibus eoſque deriuata poſtulabat, prophetare ſcilicet occœpiſſe.

Ex illis, qui eo temporis articulo adumbratas eas voces audierant, nonnulli contra illum tamquam inſano ſpiritu præditum, dæmonio agitatum, falſi erroris quaſi vento pulſum, & hominum denique multitudinem magnopere conturbantem inſurgentes, acriter increpabant; & Domini tum diſtinctionis, qua ſpiritus erroris innoteſcerent, tum minarum quibus perterrefacti, vigilantcr pſeudoprophetarum aduentum præcauerent recordati; ne ita deinceps garriret, prohibebant. Alij autem Dominicæ diſtinctionis penitùs obliti, de eo, velut Spiritu Sancto & dono prophetiæ imbuto, ſeſe glorioſe exultarant, atque inſolenter intumuerant: à quo in fraudem adducti, Spiritum illum væſanum fallaciter blandientem & populum in errorem aſturè introducentem, vehementer ſollicitarant, vt ſe à loquendo non amplius prohiberi permitteret.

Montanus & Sectarij ſpeciem pietatis præſeferentes. Hiſt. Eccleſ. anno 173.

Facile autem poterat impellere ad credendum. Namque & ipſe Montanus, & ipſius ſectatores, in principio, in omnibus ſpeciem pietatis præſeferebant: Scripturas omnes tam veteris quàm noui teſtamenti cum Catholicis recipiebant: de Patre, Filio, & Spiritu Sancto paria cum Eccleſia ſentiebant; dona ſpiritus eſſe pariter in Eccleſia, ac fidelibus etiam impertita affirmabant: diſciplinam inſuper Eccleſiaſticam ſe arctiſſimè ſeruare profitebantur; ieiunia, martyria, & cuncta alia quæcumque in prætio eſſent in Eccleſia Catholica excolere diligentiſſimè curabant: nec ea quidem verbis duntaxat, ſed reipſa præſtare videbantur; ita vt Eleuthero Pontifici Romano illuſiſſent, cum ſe Catholicos eſſe ſimularent, donumque prophetiæ iactarent, niſi ciuis quidam ex numero tunc temporis fidelium, Praxeas nomine ex Aſia Romam veniens, vt Tertullianus teſtatur, illum *agnoſcentem iam non hæreſes ſed Prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ea agnitione Pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem*, quæ erant vera *de ipſis* pſeudoprophetis *& Eccleſiis eorum adſeuerando, & præceſſorum eius authoritates defendendo*, qui à communione pſeudoprophetarum ſcilicet abſtinebant, & hæreticos ab ouibus Chriſti arcebant, *coegit*, & *literas*

Praxeas Montaniſtarum detector. aduerſ. Praxeam. c. 1.

teras

teras pacis reuocare iam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare.

Ita litteris pacificis à Summo Pontifice clam & ſubreptitie per Montanum obtentis, ſed ab eodem Pontifice, hæreſi detecta, mox reuocatis [illegible] etiam fideles, qui Aſiam incolebant [illegible] numero & multis in locis eiuſdem in v[illegible] conueniſſet, & doctrinam recens inductam explorato iam cognouiſſent, & eam prophanam ac deteſtabilem oſtendiſſent, atque errorem ipſum improbaſſent: ſic tandem iſti, ab Eccleſia extruſi, tum à communione depulſi fuerunt: præſertim, quod Chriſtiani viderent eos paucos ex Phrygibus, qui Montani erroris tenebris inuoluebantur, quod illos præfractus & arrogans ſpiritus, ad Catholicam & vniuerſam ſub cælo Eccleſiam contumelijs onerandam perdocerent: quod quidem idem ille pſeudopropheticus *eius* ſpiritus, neque aditum ad illam ſibi parentem habere, neque honorem in illa acquirere potuerat. Eam, quam Romani Pontifices cuſtodiebant Eccleſiæ ſinceriſſimam puritatem, Tatianus ex Platonico philoſopho Chriſtianus veritus, quamdiu Romæ fuit, vel docuit, coſtans in fide Orthodoxa permanſit: ne, ſi forte, quod paulo poſt doctrinæ ſupercilio elatus, in Orientem profectus, à fide deficeret, ad communionem quoque fidelium non amplius admitteretur: quemadmodum Florinus, & Blaſtus, olim Eccleſiæ Romanæ Preſbyteri, poſtquam in hæreſim prolapſi ſunt, propter impietatem gradu ab Eleutherio Pontifice depoſiti, nec vnquam ad ſocietatem ſanctorum admiſſi, iuſtam omnium piorum execrationem incurrunt: & cum ſanam atque ſinceram Eccleſiæ conſuetudinem Romæ deprauare ſtuderent, præter alios, Irenæi omnium doctiſſimi ſtylum in ſe acuerunt, qui tanquam ad columnam, & firmamentum veritatis prouocat hæreticos ad Apoſtolicas traditiones, in Romana Eccleſia inuiolabiliter cuſtoditas, per Succeſſores Romanos Pontifices, quos à Diuo Petro vſque ad Eleutherum numerabat.

Montaniſtæ ab Eccl. extruſi, & à communione depulſi.

Euſeb. lib. 4. cap. 17.

Irenæus tūc omnium doctiſſimus prouocat hæreticos ad Apoſt. traditiones.

Sanè Eleutherius nihil non agebat, vt Eccleſiaſticam puritatem illibatam ab omni ſorde hæreticorum cuſtodiret. Namque ab illo verbo, quod Irenæus de Polycarpo Diui Ioannis Diſcipulo, referebat, quia is obuiam factus Marcioni, atque ab eo interrogatus, *Cognoſcis nos*, reſponderit: *Cognoſco, primogenitum Satanæ* magis inflammatus, à malignitatis ſpiritu ſuccreſcentem ſobolem, procul à Dominico ouili eſſe iubebat. nec quemquam commiſceri impijs ſinebat. Cumque videret, pacem vniuerſalem Chriſti fidelium, nefario impiorum auſu perturbari, Viennenſes, & Lugdunenſes hortatus eſt, vt Eccleſiæ defenſionem ſuſciperent; vtpote quibus huius rei gratia, ſcilicet ad defendendum licet non ad regendum, vniuerſalis à Chriſto Ieſu commiſſa eſſet Eccleſia, vt pro omnibus laborarent, & cunctis opem ferre non negligerent. Par ſiquidem eſt atque iuſtum, membrum corporis pro totius corporis tutela curam habere, & exercere: pro veritate autem atque iuſtitia, omnibus ſectantibus fidem, vſque ad mortem certare, Spiritu Sancto conſtitutum eſt.

Ab Eleuthero, vſque ad Cornelium, Pontifices Romani adeo ſegregati, & immaculati à communione cum heterodoxis fuerunt, vt eos, non niſi hæreſim eiurantes, ac vere, & ex animo pænitentes, ad communionem, eamque laicam tantummodo, non autem ad gradum cleri admitterent; quem rigorem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, oleo commiſerationis temperantes, non potuerunt calumnias hæreticorum euadere, qui criminarentur, quod lapſos ad pænitentiam admitterent.

Rom. Pont. ab Eleuthero ad Cornelium.

Nouatianus Romanæ Eccleſiæ Presbyter ve crimina ſua tegeret, vtq; viam ſibi ad Pontificatum Romanæ Eccleſiæ aperiret, Cornelium recens electum calumniari primus cæpit, quaſi ille ſacrificantibus communicaſſet, apoſtaſiæque crimine ſeſe polluiſſet, ideoque facilis, in lapſis recipiendis eſſet. Habuit S. Cyprianus, Cornelij innocentiam oſtendere, deque ea ad Antonianum ſcriptis litteris, teſtimonium omnibus Epiſcopis perhibere, iſtis verbis. *Quod autem quædam de Cornelio inhoneſta, & maligna iactantur, nolo mireris: cum ſcias hoc eſſe opus ſemper diaboli, vt ſeruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet, vt qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur. Exploraſſe autem collegas noſtros ſcias, & veriſſime comperiſſe, nulla illum libelli (vt quidam iactant) labe maculatum eſſe, ſed neque cum Epiſcopis qui ſacrificauerunt, communionem ſacrilegam miſcuiſſe ſed eos demum, quorum cauſa audita, & innocentia comprobata ſit, coniunxiſſe nobiſcum. Nam, & de Trophimo, de quo tibi ſcribi deſideraſti, non ita res eſt, vt ad te pertulit rumor, & mendacium malignorum. Nam ſicut anteceſſores noſtri ſæpe fecerunt, colligendis fratribus noſtris chariſſimus frater noſter Cornelius neceſſitati ſuccubuit: & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo, & ſatisfaciente, & pænitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternitatem quam nuper abſtraxerat. cum plenè humilitate, & ſatisfactione reuocante, audita ſunt eius preces, & in Eccleſiam Domini, non tam Trophimus, quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt, qui omnes regreſſuri ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent. Tractatu ergo illic cum collegis pluribus habito, ſuſceptus eſt Trophimus, pro quo ſatis faciebat fratrum reditus, & reſtituta multorum ſalus. Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, vt laicus communicet; non ſecundum quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quaſi locum Sacerdotis vſurpet. Sed, & quod paſſim communicare ſacrificatis Cornelius tibi nunciatus eſt, hoc etiam de apoſtatarum fictis rumoribus naſcitur.* Hæc Cyprianus, de Cornelio, qui Romæ, cum plurimis Coepiſcopis habito Concilio temperamentum illud Africani Concilij probauit, ſcilicet.

Cornel. à Nouatiano Calumnias perpeſſus à S. Cypr. defenditur.

Corn. Afric Conc. ſententiā probat.

Vt nec in totum ſpes communicationis, & pacis lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent, & eo quod ſibi Eccleſia clauderetur, ſecuti ſeculum gentiliter viuerent: nec tamen rurſus cenſura Eccleſiaſtica ſolueretur, vt ad communicationem temere proſilirent; ſed traheretur diu pænitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ, & voluntates, & neceſſitates ſingulorum, ſecundum quod libello eorum (quo capita placitorum, & caſus lapſorum continebantur) contineretur? Adiunxit Cornelius, *Epiſcopos, & Sacerdotes, & Diaconos, & reliquos ex Clero lapſos ad pænitentiam quidem agen-*

dam

dam admitti poſſe : ab ordinatione autem Cleri, atque ſacerdotali honore prohiberi : neque poſſe ad eundem, niſi à Romano Pontifice reſtitui. Itaque Cornelius, non iam lapſos, aut hæreticos, aut apoſtatas, aut ſacrificantes, ſed pænitentes ad communionem recipiebat : quæ tanti apud omnes Orthodoxos æſtimabatur, vt ſanctus Cyprianus habuerit præſcribere: *Huius Eccleſiæ vnitatem, qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit: qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia ſe eſſe confidit.*

lib. de vnitate Eccleſ.

Donatiſtarum fallacia.

Non ignorauerunt iſtud Donatiſtæ. Quamobrem, vt & nomen ſibi Catholicum compararent, & ſe Romanæ Eccleſiæ communicare præſeferrent, vnum ex ſuis Victorem nomine cęteris diſertiorem Romam miſerunt, qui illic aſſumpta Pontificis Romani perſona, Donatiſtis reſcriberet, nomenq; Catholicum in illos per litteras Formatas ſeu cummunicatorias perſonate deriuaret. Intellexit dolum Sylueſter, & tenebriones diſſipauit, nec quicquam cum eis commune habere ſuſtinuit. Vnde hi Vrbe expulſi, in quadam ſpelunca ciuitati proxima conuenticula celebrantes, pro Catholico nomine, quod fraudulenter ambiebant, Montenſium, Rupitanorum, Campenſium, & Corrupitarum titulum adepti ſunt, quod in montibus, rupibus, campeſtribus, animas corrumperent: nec niſi Afros aliquot ſibi adhęrentes haberent. Ridebant Patres, & ſuggillabant hanc Donatiſtarum inſulſam vafricem; vel ab hoc vnico argumento labantem, quod nullam oſtendere poſſent manantem à Petri Cathedra ſucceſſionem, ex qua Eccleſia Catholica veræ vnitatis ſoliditate compaginata omnibus innoteſceret: nec commercio Formatarum cum Romanis Epiſcopis in eadem Petri Cathedra ſedentibus in vna communionis ſocietate concordarent: cùm inter triginta nouem à Diuo Petro proximè ſuccedentes Pontifices, nullus aut Donatiſta fuerit, aut Donatiſtas in communionem admiſerit, iactabant quidem, ſe in vrbe Romana aliquam partem habere.

Quale nomen adepti Donatiſtæ.

Opt atus cõtra Donatiſtarum iactationem, lib. 2.

Cæterum Optatus reponebat : *Ramus eſt veſtri erroris*, dicens, *protentus de mendacio, non de radice veritatis. Denique ſi Macrobio*, quartus fuerat Donatiſtarum pſeudo antiſtes, *dicatur: vbi illic ſedeat? Nunquid poteſt dicere in Cathedra Petri? quam neſcio ſi vel oculis nouit, & ad cuius memoriam non accedit, quaſi Schiſmaticus contra Apoſtolum faciens: qui ait;* Memorijs Sanctorum communicantes. *Ecce præſentes ſunt ibi duorum memoriæ Apoſtolorum: Eicite, ſi ad has ingredi potuit, ita vt obtulerit illic vbi Sanctorum memorias eſſe conſtat? Ergo reſtat, vt fateatur ſocius veſter Macrobius, ſe ibi ſedere, vbi aliquando ſederit Encolpius poſſet interrogari, diceret, ſe ibi ſedere, vbi ante ſedit Bonifacius Ballitanus. Deinde, ſi & ipſe interrogari potuiſſet, diceret, vbi ſedit Victor Garbienſis, è veſtris iamdudum de Africa ad paucos erraticos miſſus. Quid eſt hoc, quod pars veſtra in vrbe Roma Epiſcopum Ciuem habere non potuit? Quid eſt, quod toti Afri, & peregrini, in illa ciuitate ſibi ſucceſſiſſe noſcuntur? non apparet dolus? non factio, quæ mater eſt ſchiſmatis? Interea Victor Garbienſis, vt hinc prior mitteretur, (non dico lapis in fontem,) quia nec valuit puritatem Catholicæ multitudinis perturbare) ſed quia quibuſdam Afris Vrbica placuerat commoratio; & hinc à vobis profecti videbantur; ipſi petierunt, vt aliquis hinc, qui illos colligeret, mitteretur. Miſſus eſt igitur Victor. Erat ibi filius ſine Patre, tyro ſine principe, diſcipulus ſine Magiſtro, ſequens ſine antecedente, Inquilinus ſine domo, hoſpes ſine hoſpitio, Paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo, non enim grex, aut populus appellandi fuerunt pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit Baſilicas, locum vbi colligerent non habebant. Sic ſpeluncam quandam foris à Ciuitate cratibus ſepſerunt, vbi ipſo tempore conuenticulum habere potuiſſent: vnde Montenſes appellati ſunt. Igitur quia Claudianus Lucjano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori ſucceſſiſſe dicuntur ſi Victori diceretur, vbi ſederit? nec ante ſe aliquem illic fuiſſe monſtraret, nec cathedram aliquam niſi peſtilentiæ oſtenderet, peſtilentia autem morbis extinctos homines ad inferos mittit: hi portas inferi ſuas habere noſcuntur: contra quas portas claues ſalutares accepiſſe legimus Petrum, Principem ſcilicet noſtrum, cui à Chriſto dictum eſt;* Tibi dabo claues regni cœlorum, & portæ inferorum non vincent eas. *Vnde eſt ergo, quod claues regni vobis vſurpare contenditis, qui contra cathedram Petri veſtris præſumptionibus, & audacijs, ſacrilegio militatis?* Hæc Optatus Mileuitanus Donatiſtis, quorum nullus ad memoriam, ſeu Sepulturam Apoſtolorum, oblationem ſacrificauerit. Namque iſtud erat indicium Eccleſiaſticæ communionis, illis ſacrificia offerre, ſi Sacerdotes; aut donaria alia cumulare, vel minima, ſi ſęculares ad communionem admitterentur.

Indicium communionis Eccleſ.

Conſtantius Imperator, cum Liberij Pontificis communionem pro Arrianis impoſtoribus, neque impetrare, neque extorquere potuiſſet, dona, quæ miſerat, à Liberio reiecta, in templo Diui Petri conatus eſt conſecrare. *Quod cùm reſcitum eſſet à Liberio, loci Cuſtodem magnopere increpuit, quod id non prohibuiſſet. Ipſe deinde progreſſus, dona illa vt victimam illicitam è Baſilica proiecit.* vt narrauit Sozomenus. Quamobrem morem maiorum ſecutus, omnes hæreticos perpetuo execratus, nonniſi minis, & terroribus, & diuturnitate exilij fractus, illis aliquando per vim communicare coactus fuit: quod tamen factum Athanaſius, excuſauit, dicens; *Quæ per tormenta, contra priorem eius ſententiam extorta ſunt, ea iam non metuentium, ſed ita cogentium voluntates habenda ſunt, & illud quoque ipſum, quod minis mortis fecit, & illorum violentiam, & Liberij in hæreſim odium, & ſuum pro Athanaſio ſuffragium, cùm liberos affectus habebat, ſatis coarguit.*

lib. 4. c. 14.

ad Solitariã vitam agens.

Quamuis autem ad eum modum ſe res haberent, vt Liberius non ſponte, ſed per violentiam, & damnationi Athanaſij ſubſcripſerit, & illos diuinitatis Chriſti hoſtes in communione tolerarit, adeoque non omninò reus communicationis extiterit, tamen Clerici, & Sacerdotes Romani, cùm is in Vrbem reuertiſſet, neque in Eccleſia, neque in balneis volebant illi communicare, donec eis noua profeſſione Fidei ſeſe Orthodoxum probaſſet, & Arianos à communione excluſiſſet: memores, vel maximè Antonij Magni Eremitæ, qui monebat; *Cuſtodienda eſt pia Fides in Chriſtum, & Patrum religioſa traditio, quam ex ſcripturarum lectione, & crebro meæ paruitatis didiciſtis ad-*

Quantum Cler. Rom. à Communione cum Hæreticis abhorruerit

monitu. Schiſmaticorum quoque, & hæreticorum venena vitate, meumque circa eos odium conſectamini: quia Chriſti ſunt inimici. Scitis ipſi, quod nullus mihi, nec pacificus quidem ſermo cum eis aliquando fuerit, propter eorum prauam voluntatem, & pertinax bellum contra Chriſtum. Propter eandem cauſam, nemo ex Romæ habitatoribus in Eccleſiam, ingredi voluit, dum Felix, qui Liberio abſenti intruſus ſucceſſerat; intus eſſet; quod Felix cum ijs, qui Fidem Nicænam labefactare ſtudebant, liberè communicaret: donec legitimè poſtea ſuccedens, ab eis ſeſe ſubduxiſſet, illoſque & Conſtantinum Imperatorem fortiter damnaſſet.

Socrat. lib. 2. cap. 2.

Ampliore dignus laude Iulius Papa I. qui Euſebianus quidem, quod nondum detecti eſſent Ariani communicauerit, cæterum Carponam Arianum manifeſtum, à Gregorio in Sede Alexandrina intruſo legatum, ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino olim Arrianiſmi damnatum, nè in conſpectum quidem ſuum admittere ſuſtinuit, eundemque ſuum conſpectum alijs ea labe conſperſis denegauit, vt Socrates collaudabat. Ex eadem cauſa, non omninò illaudatus Siricius Papa, qui Origeniſtis, negantibus ſuam eſſe Periarchon verſionem, adeoque hæreſes indidem refertas tacitè eiurantibus, Eccleſiaſticæ communicationis litteras dedit; vtpote qui exemplo Euangelici Patrisfamilias vſque ad meſſem creſcere zizania ſiuerit; expectauerit nimirum, vt qui verè eſſent hæretici, perſpicuè matura ſegete, certioribus ſignis fierent manifeſti. Etenim cùm eiuſmodi hominum genere negotiū erat, qui venerant in veſtimentis ouium, cùm intrinſecus eſſent lupi rapaces, affectaque ſanctitate non vulgari, ſed toto orbi ſpectata, aſpidum oua fouerent.

Iulius Pp. I. contra Arrianiſmum communicantes.

Siricius Pp. de Origeniſtis. *lib. 2. cap. 13 hiſt. Eccleſ. anno 397.*

Accedit, quod Ruffinum non poterat iure aut damnare, aut vitare; vtpote nondum conuictum, quod præfationem ad opus Origenis ſcripſiſſet, cùm illa ſine nomine authoris prodijſſet. Paulò poſt iam egredientes de cauernis ſuis Origenis colubros, Anaſtaſius Siricij ſucceſſor, & Euangelico enſe truncauit, & vniuerſam Italiam ea peſte liberauit, monitore Theophilo Alexandrino, atque Hieronymo, qui impoſtores detexerant, eorumque communionem vitandam eſſe docuerant. Pari moderatione vſus eſt & Zoſimus, in Pelagio & Cæleſtio, vel admittendis, vel vitandis. Quamdiu Pelagius ouilla pelle tectus, de ſuæ Fidei profeſſione iudicium Apoſtolicæ Sedis poſtularet, adderetque; In qua: ſi minus peritè, aut parùm cautè aliquid fortè poſitum eſt, emendari cupimus, à te, qui Petri, & Fidem, & Sedem tenes; tamdiu illum Zoſimus tolerauit; quemadmodum neque Cæleſtium, pari artificio libellum concludentem; ſi forte (vt hominibus quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtra ſententia corrigatur) non ſtatim damnauit: ſed neque etiam à vinculo excommunicationis abſoluit: quinimò, Africanos, qui vtrumque prædamnarant, audire voluit. Tunc demum re omninò perſpecta, hæreſis vtrumq; conuictum Apoſtolica cenſura percuſſit, & ab Eccleſiaſtica communione eiecit. Ita Pelagius, vt S. Auguſtinus narrabat, fefellit quidem Cæleſtinum iudicium, propterea ibi videbatur purgatus: cæterum *Romanam Eccleſiam fallere vſquequaque non potuit. Recoluit enim Beatiſſimus Papa Zoſimus, quid imitandus præceſſor eius de ipſis ſenſerit geſtis. Attendit etiam quid de illo ſentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum aduerſus eius errorem pro veritate Catholica ſtudia conſonantia concorditer flagrare cernebat.*

Ruffinus nō poterat tūc iure à Siric. damnari. *anno 417.*

Origeniſtæ Pelagiani.

Memoriæ prodidit Poſſidius Calamenſis Epiſcopus; quia Innocentius, & Zoſimus Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, ſuis diuerſis temporibus Pelagianiſtas notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis literis ad Africanas Orientis, & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos, & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt. Et hoc tale de illis Eccleſiæ Dei Catholicæ prolatum iudicium, etiam Imperator Honorius audiens, ac ſequens, ſuis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere conſtituit, accuſariq; & damnari præcepit. Vnde nonnulli ex eis ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium, vnde reſilierant, redierunt, & redibant, innoteſcente, & præualente aduerſus illum deteſtabilem errorem rectæ Fidei veritate: maximè, cum toto Orbe fideles, exemplo, & authoritate Romanorum Pontificum, contra Pelagianos anathema inclamarent. Eo tempore, quo Zoſimus re nondum planè explorata illos ſimulatores toleraſſet, ſiniſtrè interpratantibus præſcribebat, *Tolerabilius eſt*, ait, *innocentem quemlibet tardius inueniri, quàm cito pro nocente damnare.*

Pelagianiſtæ vitandi cenſetur. *in vita S. Auguſt. c. 17. 18.*

Hon. Imp. illos damnari præcipit.

Leo Magnus pari ſolertia in inueſtigandis, excludendiſque hæreticis. Manichæorum in Vrbe nonnulli, ad tegendam infidelitatem ſuam, audebant intereſſe ſanctis myſterijs: ſed adeo ſibi à ſumptione calicis temperabant, vt corpus quidem Dominicum acciperent, ſanguinem autem declinarent. Detexit illos Leo vigilantiſſimus, & hac vel ſola calicis ſumptione à reliquis ſecreuit: propalamque conuictorum crimina denunciauit, tum demum omnibus Epiſcopis ſcripſit, qui illos perueſtigarent, & à communione fidelium arcerent; ne ſcilicet ſanctum gregem ſua contagione polluerēt. Cùm autem in Hiſpanijs nefandiſſimæ Priſcillianæ ſectæ venena ſerperent, Epiſcopis illarum prouinciarum ſcripſit: *Habeatur*, inquit, *inter vos Epiſcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus ſit, vicinarum Prouinciarum conueniant Sacerdotes vt ſecundùm ea, quæ ad tua* (Turibio Aſturicenſi reſpondebat) *conſulta reſpondimus, pleniſſimo diſquiratur examine: an ſint aliqui inter Epiſcopos, qui huius hæreſeos contagio polluantur, à communione proculdubio ſeparandi, ſi nefandiſſimam ſectam per omnium ſenſuum prauitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tollerandum eſt, vt qui prædicandæ Fidei ſuſcepit officium, is contra Euangelium Chriſti, contra Apoſtolicam doctrinam, contra Vniuerſalis Eccleſiæ Symbolum audeat diſputare. Dedimus itaque litteras ad Fratres, & Coepiſcopos noſtros Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallicanos, eiſque Concilium Synodi Generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis ſollicitudinem pertinebit, vt noſtræ ordinationis auctoritas ad prædictarum Prouinciarum Epiſcopos deferatur.* Curabat Leo, nè per conniuentiam audiret, quaſi hæreticis communicaret: ideoque pala Euangelica armatus, ſeparabat paleas à tritico Dominico.

Leo Magn. contra Vrbicos Manichæos *anno 444.*

Contra Priſcillianiſtas ſcribit.

Non minore cura Felix III. à Petri Fullonis,

lonis, Eutychiana, & Sabelliana hæreſi contaminati communione, ſe, & Eccleſiam vniuerſam, & Zenonem Imperatorem, ſeruare conatus eſt. Namque hominem in Concilio Romano cætu piorum excluſit, & vt illius communionem omnes vitarene cunctis præſcripſit. Cùm verò eidem nefario Acacius Conſtantinopolitanus communicaret, hæreſimque Eutychianam renouaret, Felix Acacium Sacerdotali honore, & communione Catholica, ex ſententia Concilij priuum fecit.

Fęlix contra Pet. Fullonem Acacium Conſt. & Eutychiā.

Cui ſuccedens Gelaſius, poſtulanti Euphemio Conſtantinopolitano in locum Acacij aſſumpto, litteras communicationis dare recuſauit, niſi Acacij, & Petri Fullonis nomina ex ſacris diptychis expungeret. *Fuit enim*, ait, *quondam Eccleſiaſtica vetus hæc regula apud Patres noſtros, quibus vna Catholica, Apoſtolicaq; communia ab omni præuaricatorum pollutione libera conſtabat. Nos certè præſtantes Deo noſtro ſinceram, puramque paternæ traditionis fidem, communionemque retinere ab omni præuaricatorum contagione diſcretam, etiam intentato mortis periculo optamus; eligentes (ſi velit Deus) quęlibet illa perpeti quam cauſas incidere damnationis æternæ. Deterius enim eſt, & non ignoraſſe veritatem, & tamen communicaſſe inimicis veritatis.*

epiſt. 9.

Hæc, & alia multa Gelaſius Euphemio, ſed in vanum. Aſpidis enim ſurdæ inſtar, vocem non exaudijt admonentis; quinimò veluti thorace impenetrabili pertinaciæ armatus, haſtam vibrantem deriſit, inque ſocietatem ſuam Theſſalonicenſem Epiſcopum traxit, vt is quoque nomen Acacij retineret. Quamobrem Gelaſius ad Dardaniæ, Macedoniæ, & Illirici Epiſcopos ſcribens, non amplius Theſſalonicenſi, ſed contra eum Laurentio Lignidi Epiſcopo Circulares deſtinauit, admonens, vt ex formula fidei ab eodem miſſa profiteretur, & contagia communionis externæ declinarent, & nomina Acacij, Petrique ex albo Eccleſiæ eraderent. Reſponderunt Epiſcopi Dardaniæ Patri Patrum ſcribentes; *Eutychetis, vel Petri, Acacijque conſortium, velut quadam peſtifera contagia, ante veſtram quoque vitauimus iuſſionem; & multo magis nunc poſt admonitionem Sedis Apoſtolicæ, ab eadem nos pollutione neceſſe eſt abſtinere; & ſi qui alij eiuſdem Eutychetis ſectam, vel Petri, & Acacij, aut ſecuti ſunt, aut ſequuntur, vel eorundem ſe complicibus atque conſortibus æſtimant immiſcendos, à nobis, qui Sedi Apoſtolicæ ſecundum diuina præcepta, & Patrum ſtatuta inculpati ſeruire deſideramus, omni ratione vitandi ſunt. Et ſi qui praua intentione (quod neque arbitramur, neque optamus (à Sede Apoſtolica ſe crediderint ſegregandos, ab eorũ nos alienos eſſe conſortio profitemur: quoniam (vt dictum eſt (Patrum in omnibus cuſtodientes præcepta, & inuiolabilia ſacroſanctorum canonum inſtituta ſectantes, Apoſtolicæ, & ſingulari illi Sedi veſtræ communi fide, & deuotione parere contendimus.*

Gelaſius ad Dardan. Macedon. & Illyr. Epiſcopos contra eoſdem. epiſt. 10.

Hæc illi Ortodoxi Epiſcopi adeo Sedis Apoſtolicæ reuerentes, vt ex eius arbitrio ſe pendere teſtarentur, atque obſecrarent, vt cum Tryphone eorum Legato, *vnum*, aiebant, *ex Angelica Sede veſtra, ad nos vſque præcipite deſtinare, vt ſub eius præſentia, quæ fides Orthodoxa, & veſtræ iuſſionis ſinceritas poſtulat, ordinentur.* Miſit Gelaſius Vrſicinum Epiſcopum, populos, non ſolum ab hæreſi Eutychiana, ſed etiam à communicatione cum communicantibus ipſis hæreticis contineret. Neque tantum Euphemium, ſed & Senecam quendam carioſum ſenem, Pelagianæ ſectæ auditorem buccinatoremque vitandum eſſe decreuit, *Nuſquam loci prorſus inueniatur, præfatæ peſtis aſſertor, nec acceſſum prorſus Eccleſiæ, vel vſquam participationem Catholicæ communionis inueniat, qui hæreticorum maluit ſubſequi nefaria profeſſione conſortium: & hi cum quibus antea probabitur noxium miſcuiſſe colloquium, niſi reſipiſcunt, & ab eius ſocietate diſcedunt, ab Eccleſiaſtico remoti ſeruitio, debita vltione plectantur, quo cæteris cauendi miniſtretur exemplum. Nullum adeat: nec vnquam loci damnatæ olim blaſphemiæ iam ſinantur.*

Seneca quidam Pelagian. vitandus à Pont. decernitur.

Quod Euphemium attinet, ſcripſit Gelſſius Anaſtaſio Imperatori, qui hominem moneret, vt Acacij, & Fullonis nomina ex albo Eccleſiæ deleret, ſi communionem Eccleſiaſticam exoptaret. Cæterum Euphemius obdurans, recuſauit obtemperare, per calumniam rumore diſperſo, non de religione, ſed de moribus eſſe certamen, & Apoſtolicam Sedem non cauſsm communionis Catholicæ, fideique Orthodoxæ tractare. Sed iniuriam dolere, cum videatur sb Acacio fuiſſe contempta. Hæc cum ab Euphemio vulgarentur, plurimique ſimpliciorum tum ſeducerentur, tum ſcandalizarentur, Gelaſius, Septuaginta Epiſcoporum Conc. Romæ congregato, Petrum vtrumq; & Acacium, & reliquos ſchiſmaticorũ, hęreticorumq; damnauit, occaſionemq, Patribus dedit, qui ad reprimendam Conſtantinopolitananorum Epiſcoporum arrogantiam, quod, & Sedem Apoſtolicam iudicare, & à Sede Apoſtolica damnatos ad communionem recipere præſumebant, canonem Nicænum de Primatu Eccleſiæ Romanæ innouarent, iſtis verbis.

Conc. Rom ſub Gelaſ. contra Euphemium.

Poſt Propheticas, atque Apoſtolicas ſcripturas; quibus Eccleſia Catholica per gratiam Dei fundata eſt, illud etiam intimandum putamus, quod quonis vniuerſa per Orbem Catholica Eccleſiæ vnus thalamus Chriſti ſit; ſancta tamen Romana Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, nullus Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri Primatum obtinuit: Tu es Petrus, *inquientis*, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam; & tibi dabo Claues Regni cœlorum, & quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in cælis; & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælis.

Canon. de Primatu Eccl. Rom.

Cui data eſt etiam ſocietas beatiſsimi Pauli Apoſtoli Vaſis electionis, qui non diuerſo (ſicut hæretici garriunt (ſed vno tempore, vno eodemque die glorioſa morte cum Petro in Vrbe Roma ſub Cæſare Nerone agonizans coronatus eſt, & pariter ſupradictam ſanctam Romanam Eccleſiam Chriſto Domino conſecrarunt, talemque omnibus Vrbibus in vniuerſa mundo ſua præſentia atque venerando triumpho prætulerunt. Eſt ergo prima Petri Apoſtoli Sedes Romana Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid huiuſmodi.

SS. Pet. & Paul. vno, & eodem die ſub Nerone martyrio coronati.

Inſt. Eccceſ. anno 497.

Næc porro Eccleſia nę *aliquid huiuſmodi* à communione cum Hetherodoxis acciperet, etiam Anaſtaſius ſecundus Gelaſij ſucceſſor quam diligentiſſime curauit. Namque Legatos ad Anaſtaſium Imperatorem deſtinauit, qui orarent, ſuaderet Macedonio, vt nomen

Infractum Anaſt pp. II pectus.

Aca-

Acacij ex ſacris Dirptychis aboleret, & vnitatem communionis Eccleſiæ complecteretur. Cumque Imperator, conniteretur, ne nomina Acacij, Dioſcori, Æluri, Mogi expungerentur, & aliquis ab eodem Auguſto demollitus polliceretur, perſuaſurum ſe Anaſtaſio Pontifici, vt concordiæ Zenonis ſubſcriberet, & Acacium in ſacro albo eſſe ſineret: tantum abeſt, vt peeſnadere potuerit, quin potins obfirmatum multo magis repererit, atque effecerit, vt nomen Acacij reticendum eſſe voluerit, atqne ipſum Imperatorem propterea communione Eccleſiaſtica priuauerit. Quum autem Apocriſarij Alexandrinæ Eccleſiæ, communicationem cum Eccleſia Romana poſtularent, Anaſtaſius Papa indignos ea iudicauit: quod in libello ſupplici, & profeſſione Fidei oblata, nullum Verbum de Synodo Calcedonenſi feciſſent; quinimo nefandiſſimos hæreticos Dioſcorum, Timotheum Ælurum, Petrumque Mogum vellent ſaluos, atque eorum nomina inter ſacra recitarent.

Gratiani error de Anaſtaſ. Pp.

Falſus Gratianus, & ex eo non vnus; qui Auaſtaſium Papam Acacio communicaſſe, adeoque iuſta Dei vindicta percuſſum interiiſſe mentitur, cum, & Acacius, tempora Anaſtaſij Pontificis non attigerit, ſed Felice III. ſedente oblerit, & Anaſtaſius necquicquam ſuſtinuerit nomen Acacij retineri. Photino, Acaciano diacono communicauit: ſed petenti, vt deprauata à Græcis S. Leonis Epiſtola, ad exemplar Romanum corrigeretur. Baptiſmo quoque, & ſacris ordinibus ab Acacio initiatos, tolerandos eſſe permiſit: cum ex præſcripta formula eidem profiterentur, atque Acacij nomen execrarentur. Anaſtaſio Symmachus ſuccedens, idem quod ille conatus, Anaſtaſium Imperatorem orauit, vt à communione partocinioque hæreticorum deſiſteret. Cumque Imperator nihil omnino concederet, Pontifex illũ anathemate percuſsit furentique ſcripſit: non poſſe illum vti Dei priuilegio, cuius iura contemneret, atque hoſtes ipſins protegeret. Symmacho ſuppat Hormiſda, etiam ipſe Legatis Conſtantinopolim miſsis, nihil aliud poſt Fidei negotia commiſit, quam ne quemquam Acacianorum Epiſcoporum ad communionem admitterent, ſed Imperatorem Anaſtaſium eo adducerent, vt nomina ſnperiorum ex hominum memoria deleret. Poſtulabat Imperator, ne vel ſolius Acacij nomen obliteraretur. Cęterum Hormiſda obſecrabat, vt in totum perdita noxiorum declinaret contagia, ſciretque non habere cum religioſis, impios portionem, nec vllum fidei cum perfidia eſſe conſortium. Factum tunc, vt pro magna parte Thraces, Dardani, & Illyrici communionem Orientalinm deteſtarentur, Eccleſiæ Romanæ vero amplecterentur: ex quibus Oeniadis Epiſcopus, Imperatori ad ſuam factionem inuitanti, confidenter dixit; *Tu potius ad Orthodoxos tranſi; ne dum opinionem impiorum hominum Seueri, Entychetis, & Dioſcori amplecteris, æterno igni addicaris*: ſimulque apprehendens Imperatoris chlamydem; *Hæc*, ait, *veſtis nequaquam te poſt mortem ſequetur, ò Imperator, ſed ſola comitabitur te pietas, ac virtutum habitus. Deſine perſequi Eccleſiam, quam ſuo redemit Chriſtus ſanguine. Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, neque vllum Eccleſiæ decretum perfecte intelligis. Tantum impoſturis, & ſcurrilibus calumnijs fatuos tenes. Satis ſit tibi dignitatis quod Imperator es: Antiſtites Eccleſiæ vexare noli.* Ad hæc Imperator rubore ſuffuſus, obmutuit. Pauperrimus autem cum eſſet ille Epiſcopus, nec obolum quidem ab Imperatore accipere voluit, ne vel hac ratione contaminaretur à communione illius, qui nullam in Deum fidei ac pietatis rationem haberet. Secuti ſunt Epiri Epiſcopi Pontificis Romani cõmunionem, quod ad eos Hormiſda ſcripſiſſet; amplecterentur gratiam traditionis antiquæ, & in illius inconuulſi fundamenti ſtabilitate perſiſterent, non cum temporibus corda mutantes. *Ergo*, ait, *Neſtorij, Eutychetis impietatibus iuxta Synodalia conſtituta damnatis, ſectatores quoque eorum ſimiliter execrantes, cum exultatione dicamus*: Exite de medio eorum, & ſeparamini, & immundum ne tetigeritis, dicit Dominus. *Quemadmodum enim quis malarum inuentionum deteſtabitur principes, ſi non declinat ſequaces? Aut quemadmodum odit originem, qui non deteſtatur, & ſobolem? In diſcipulis prædicatur fama docentium: & donec male iactorum ſeminum radix per ſuccedentes culta floruit, tamdiu auctorum memoria non peribit. Addatur perdito Eutycheti, & Acacius diſcipulus, ſub communione Petri omniumque damnatorum mixtus errori.* Miſit etiam Hormiſda Legatos alios Conſtantinopolim ad Anaſtaſium Imperatorem, qui conniterentur, vt Acacio reiecto, vnitas Eccleſijs Orientalibus cum Occidentalibus poſtlimio reſtitueretur. Quod vt ſine fraude, & dolo fieret, libellum profeſſionis his verbis conceptum, cui ſubſcriberent, qui communionem Romanæ Eccleſiæ impetrare deſiderarent, miſit.

Symmachus Imp. excommunicat ob communione cum hæreticis. anno 515.

Thraces, & alij Eccleſ Rom. communionem amplexi.

Quantum pauper Epiſcop. hæreticorum cõmunionem deteſtaretur epiſt. 10.

Libellus profeſſionis quem Hormiſda miſit illis qui cõmunionem Eccl Rom. impetrare cuperent.

Prima ſalus eſt, regulam rectè Fidei cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenus deuiare: quia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. *Hæc quæ dicta ſunt, verum probantur effectibus: quia in Sede Apoſtolica, immaculata eſt ſemper ſeruata religio. Ab hac ergo ſpe, & fide ſeparari minimè cupientes, & Patrum in omnibus ſequentes conſtituta, anathematizamus omnes hæreticos: præcipuè Neſtorium hæreticum, qui quondam Conſtantinopolitanæ fuit Vrbis Epiſcopus, damnatus in Concilio Epheſino à Cæleſtino Papa Vrbis Romæ, & à Sancta Cyrillo Alexandrinæ Ciuitatis Antiſtite: vna cum ipſo anathematizantes Eutychetem & Dioſcorum Alexandrinum, in ſancta Synodo quam ſequimur, & amplectimur Chalcedonenſi, damnatos. Timotheum adijcientes parricidam, Elurum cognomento: & diſcipulum quoque eius atque ſequacem Petrum, vel Acacium qui in eorum communionis ſocietate permanſit, quia quorum ſe communioni miſcuit, illorum ſimilem meruit in damnatione ſententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnantes cum ſequatibus ſuit, & omnium ſupraſcriptorum.*

Quapropter ſuſcipimus, & approbamus omnes Epiſtolas Beati Leonis Papæ vniuerſales, quas de religione Chriſtiana conſcripſit. Vnde, ſicut prædiximus, ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & prædicantes omnia eius conſtituta, ſpero, vt in vna communione vobiſcum, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe merear in qua eſt integra, & verax Chriſtianæ religionis ſoliditas. Promittens etiam, ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, id eſt, non conſentientes Sedi

Apo-

Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria. Hanc autem profeſſionem meam manu propria ſubſcripſi, & tibi Hormiſdæ ſancta, & venerabili Papæ Vrbis Romæ obtulit.

Studio Rom Pont. Iuſtinus & Ioann. Imp. hæreticorum impiorum nomina è diptychis delent. *anno* 519.

Hæc ſanciebat Hormiſda pro Epiſcopis Orientalibus, communionem Eccleſiæ Romanæ poſtulantibus. Hæc ipſa ipſiſſima, Iuſtino Imperatori, & Ioanni Patriarchæ Conſtantinopolitano poſtmodum ſcripſit, feliciterque effecit, vt Anaſtaſio fulmine interempto, & Timotheo Conſtantinopolitano Epiſcopo inopinata morte ſublato, Iuſtinus, & Ioannes, impiorum nomina, Neſtorij Eutychetis, Dioſcori, Timothei Æluri, & Petri Mogi damnauerint; Acacij vero, Phrauitæ, Euphemij, Macedonij, & Timothei Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum, nec non Zenonis, & Anaſtaſij Imperatorum, è diptychis deleuerint; ac profeſſione fidei ad præſcriptum emiſſa ſubſcriptaque, tunc demum communionem Matris Eccleſiarum meruerint. Alij quoque non prius admittebantur, quam promiſiſſent, damnare eos quos damnaret, & tenere id quod tenet Romana Eccleſia,

Iuſtini Imp. aurea ſententia.

Præclare in eam rem Iuſtinus Imperator ſcribens, addebat; *Nihil gratius reperiri poteſt nihil iuſtius, nihil illuſtrius, quam quos idem Regnum continet, eiuſdem fidei cultus irradiet: vt non diuerſa contendant, ſed collatis in eodem ſenſibus inſtituta venerentur, non humana mente lata, ſed diuini prudentia ſpiritus.*

anno 651.

Superiorum Pontificum exempla ſequentes alij, non alia ratione vel Imperatores, vel Reges vel Patriarchas aut Epiſcopos, vel quoſuis alios Eccleſiaſtica communione dignabantur, quam, ſi primum profeſſioni fidei, ſed ſine inuolucro verborum ſcriptæ, ſubſcripſiſſent, & hæreticorum conſortium abdicaſſent.

S. Martinus hæreticorum communionem deteſtatur. *anno* 653.

Sanctus Martinus, ea propter Pyrro Conſtantinopolitano apoſtatæ communicare recuſauit, dignaque ſede Apoſtolica verba dixit; *Vtique ſi membratim incidatis carnem meam, ſicut Præfecta iuſſiſtis cum me traderetis, non communico Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.* Potius in exilio, grauibus ærumnis extingui ſuſtinuit, quam Pyrrho bis impio communicare. Pyrrho, cum Petrus ſucceſſiſſet, & Synodicam, ad Sedem Apoſtolicam, iuxta conſuetudinem, ſed omnino obſcuriſſimam, & vltra regulam, non autem declarans operationes aut voluntates in Domino Ieſu Chriſto emiſiſſet, adeo accenſus eſt Clerus & Populus Romanus, vt Eugenium non permiſerint Sacram oblationem offerre, niſi eis promitteret, ſe eam non admiſſurum, quam illi maximo cum ſtrepitu, ex Eccleſia SS. Deiparæ, quæ appellatur ad Præſepe, eieciſſent.

Eug. Eccleſ. Rom. à contagione hæretic. illibatam ſeruauit. *anno* 808. & 811.

Spopondit, & ſeruauit; atque Eccleſiam Romanam à contagione hæreticorum illibatam cuſtodiuit: cuius communionem, cum Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Mæchiana hæreſi pollutus, à Leone III. poſtularet, Theodorus Studita, ne admitteretur, flagitauit: *Ouem vnam,* ait, *exclude à ſolo ſacrificio, & vniuerſas lucrare; & ne vnius ſcabie Eccleſiam infice, quam acquiſiuit Chriſtus & Deus noſter ſanguine ſuo: vt ſit ſine ruga & ſine macula; ſcilicet vt non recipiat impia dogmata, nec auſus illicita & canonibus contrarios, neque adeo conſentiat ijs qui vetita ipſi committunt, de quibus Paulus ait,* nec edere cum talibus *permittens. Etenim, ab Apoſtolis, & deinceps, multa perſæpe in eam hæreſes irruerunt, & flagitia illicita, canonibus aduerſa fuerunt, ſicut non ſunt,* aiebat; *illa tamen ſine ſchiſmate, & ſine macula manſit, & permanet in æternum; ſubtractis & eiectis ab ea male ſentienſibus, maleque agentibus, tanquam fluctibus inconcuſſo* maximo ſaxo *repulſis.*

Leo III. Niceph. Imp. communionem negat niſi prius profeſſioné fidei orthodoxæ emiſiſſet. *anno* 880. & 884.

Audiuit Leo preces Studitæ, neque prius Nicephoro communionem impertiuit, quam is Synodicam per Michaelem Metropolitam Siunaculorum miſiſſet, in qua profeſſionem fidei & Orthodoxiæ formula ſcripſit, Septem Synodos Oecumenicas ſe amplecti teſtatus eſt atque nihil ſibi magis eſſe in votis aſſeruit, quam coniungi Eccleſiæ Romanæ, cuius communionem ambiebat. Pari exemplo, & Ioannes VIII. Photium, quem olim ipſe Archidiaconus reprobauerat, in communionem recepit: cum is Fidem Orthodoxam in ſpecie profeſſus fuiſſet. Cæterum, cum is ipſe ad vomitum redijſſet, & longe grauiora contra Sedem Apoſtolicam in pſeudoſynodo perpetraſſet, Ioannes conuocata Synodo cætu piorum excluſit, atque edixit;

Niceph. relapſus excõmunicatur.

Quicumque non habet damnatum Photium diuina ſententia, ſicut ipſum reliquit Nicolaus & Hadrianus ſanctiſsimi Papæ prædeceſſores mei, ſit anathema. Neque tantum Photium, ſed & ſocios, quos ille vt ſecum communicarẽt adduxerat, quique etiam alios in errorem traxerant, Ioannes ab ouili Eccleſiæ eiecit, ſatagens, nullam portionem habere cum his qui eleges atque egreges.

Marinus Pont.

Baſilius Imperator cognomine Macedo, apud Marinum curabat, vt is Photium communioni Eccleſiaſticæ reſtitueret. Verumtamen Is nullis præcibus Imperatoris potuit adduci, ad id faciendum, quin potius apoſtatam ter impium, impœnitentem, inque deterius prolabentem execratus, indignum participio ſacrorum iudicauit.

Hadr. III.

Marino Hadrianus III. ſuccedens, non minore zelo, Eccleſiam, à communione Photii cuſtodiuit: quamquam non ignoraret velle Baſilium pro Photio cælum terramque mouere. Namque iram quam animo coquebat, per litteras tunc Hadriano ſcriptas, non redditas euomuit: quibus poſtea Stephanus ſextus ſucceſſor abundè reſpondit, & inter alia, Principibus obſeruanda ſcripſit;

Steph. VI. Baſilio Imp. impietatem exprobrat.

Si ouis Dei exiſti, (quod in votis habemus) ne trangrediaris limites Principum Apoſtolorum. Dic, quæſo te; Quis te ſeduxit, vt Pontificem Oecumenicum comico more ſcommatibus laceſſeres, & ſanctam Romanam Eccleſiam maledictis inceſſeres, cui cum omni veneratione ſubditus eſſe debes? An ignoras, quod hæc omnium Eccleſiarum Princeps exiſtit? Quis te Pontificum iudicem conſtituit, quorum ſacris doctrinis dirigi debes, & à quibus preces pro te Deo offeruntur? Scis ſacrum illud elogium, quod ait; Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari? *Hæc de omnibus Sacerdotibus dicta ſunt. Deo te æqualem facis, qui eius Angelos iudicare audes. An ignaras, in prima Nicæna Synodo, quod Beatus Papa Syluester proclamauerit per Legatos reſidente ibidem ſancto Conſtantino, vt Prima ſedes à nemine iudicetur?* Hæc & alia plura Stephanus, Baſilio ad finem conteſtans, ne lupum vaſtatorem Photium toleraret.

Planè Apoſtolica conſtantia, Nicolaus I. Hadrianus II. & III. Ioannes VIII. Marinus & Ste-

& Stephanus, Imperatotibus reſiſtentes, effecerunt, ne communione Photiana inquinarentur. Manet ea Romanæ Eccleſiæ puriras, nulla hæreticorum communione inquinata, vſque ad feliciter ſuperſtitem PAVLVM QVINTVM; qui acrimonia Aquilini oculi, & diligenti ſollicitudine inſtar vigilis dtaconis, intemeratum Jesu Chriſti thtonum, & incontaminatam Sponſam SS. Trinitatis cuſtodit, vt ſit ſine ruga, & ſine macula, aut aliquo eiuſmodi: neque prius ad Sacratos pedes illius admittit, quam ad libellam Fidei Orthodoxæ probauerit flagitanres: verè Pontifex impollutus, & à peccatotibus ſegregatus.

Paulus V. draco Vigil. pro Eccleſ. Rom. puritate cuſtodienda.

CAPVT XXVIII.

Romanus Pontifex, Librorum Cenſor.

MAlè habet hæteticos, quod Romana Eccleſia, libros aduerſæ Fidei, fidelibus interdicat. Semel traditæ doctrinæ, ipſa retinens, cupit filios ſibi Matri eſſe aſſimiles: Vt cum credant, nihil deſiderent vltra credere; hocqne primum credant, non eſſe quod vltra credere debeant. *Semel dixerim*, aiebat Tertulianus, *Nemo qaarit, niſi quod perdidit, aut aumquam babait. Si quod debueras credere, credidiſti, & aliud denno putas requirendum; ſperas vtique & aliad eſſe inueniendum: Nullo modo ſperaturus, niſi qaia aut non credideras, quod videbaris credidiſſe, aut deſiiſti iam credere.*

Præſcript. cap. Tertull. cōtra Nouatores,

Quærendum ſemper, quod vltra credant, ſnadent hæretici; eo quod quid hodie credant, quid heri crediderint, non omniuo ſciant. Itaque diligentiam Romanam vel eo maxime nomine criminantut, quia oculatiſſimè cuſtodit, ne credentes, interdictorum Doctorum, Centones ex erroribus conſutos legant; ſcilicet ne in illis quod amplius quam acceperunt, quærant: ne fidem ſemel teceptam, aliquando deſetant, atque negatores inueniantur. Mater ſtudiosè agit, vt filios à venenatis cibis cohibeat. Paſtor oues, ab infectis herbis retrahit. Decet Setuum Seruorum, *qaem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*, conſeruos curæ ſuæ creditos, à noxio hæreticotum temperamento arcere: cum non ignoret, *quoslibet errores fucari poſſe, vt imperitorum animis, per ornatam iannam libenter obrepant.*

Auguſt. contra ep. Fundamenti.

Monet. Petr a verſutia hæreticorū eſſe cauendum.

3 Petr. 3

Coercuit Ptinceps Paſtotum Petrus, cum verſutiam hæreticorum in expouendis ſactis ſcripturis exercitain iuprimis oſtendiſſet, vt quæ eam præſcientes euitarent monuiſſet; *Sunt in eis*, ait, ſcilicet Pauli epiſtolis; *qaadam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depranant, ſicat & cateras ſcripturas, ad ſaam ipſorum perditionem. Vos igitur fratres praſcieates caſtodite, ac inſipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate:*

Act. 19.

Epheſiorum zelus in cōburendis nouatorum libris.

Ad monitionem Protopaſtoris obſequentes Epheſij, *malti ex eis qai fueraat curioſa ſectati, contalerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus; & compatatis pretys illorum, inuenerunt pecuniam denariarum quiaqaaginta millium.*

Longè pluris faciebant animarum, quam foliorum aut librorum iacturam; quos ſi ſalnaſſent, illi nou ſalui, ab hoc ſolio ſpecioſo fructus venuſtos mentiente, ſed poma Gomorrea ferente; ò quorum aſpectu, conractu, vſu, nonniſi certiſſima peſtis. Ea propter Pontifices Romani, quibus vniuerſæ Chriſti oues commiſſæ ſunt, in id ſedulò & perpetuò incubuerunt, ne hanc mortis feracem paginam volare permitterent, ſed flammis noxiam commentationem exuterent, & ab eius lectione, diſciplina Eccleſiaſtica cunctos deterrerent.

Statutum Clem. contra libros hæreticorū.

Sanè, Clemens, Diuo Petro proximus, ex perſona Apoſtolorum ſanctè ſtaruebat; *Noſtro nomiae promulgatos ab impijs libros, ne receperitis. Non eaim nominibus Apoſtolorum attendere debetis, ſed aatara rerum, & recta ſententia, Ioann. 3.* Scrutamini Scripturas; illæ ſunt quæ reſtimonium pethibent de me, ſcilicet auertebant à noxia lectione librorum, quos miniſtri illius qui ſe in Angelum lucis transfigutar, nomine Apoſtolorum, vt hoc ſpecioſo titulo decipetent, diuulgabant.

lib. 9 Cāſt. Apoſt. c. 16.

Libri falſi qui circumferebantur.

Ex his Petri nomine ferebantur quinque libri, nempe Actus, Euangelium, Prædicationes, Apocalypſis, & iudicium, vt Euſebius, & Hieronymus meminerunt. Clemeus Alexandrinus, & Origines, ex Prædicationibus & Apocalypſi, nonnulla fragmenta recitarunt. In aliquibus Eccleſijs Paleſtinæ, in die Paraſceues, ex eadem Petri Apocalypſi quædam legebantur, vt narrabat Sozomenus. Euangelio Petri, quod ab hæreticis probaretur eſſe ſcriptum; Serapion primus Antiochenus Epiſcopus, ad normam Apoſtolicæ Conſtiturionis fidelibus interdixit *Doctrinam Petri*, proprer eandem & cauſam, & ſanctionem, Origines reiecit; quemadmodum & Ruffinus, *Iudicium*, intet non probata ſeipſa recenſuit.

lib. 3 c. 3. de Script. Eccl in Petr. l. 6. Stromat. in Ioann. 13

lib. 7. c. 19.

apud Euſeb. 5. cap. 19.

in Periarch. Baron. anno Ch. 44.

Ferebantur, & Pauli nomine, Euangelium & Apocalypſis, quæ Gelaſius damnauit, & liber de Aſcenſu Pauli, à Caianis ſcriptus, & Gnoſticis longè chariſſimus.

Item Reuelationes eiuſdem, toties in lucem malæ teuocatæ, ac tandem, quod fabulas hæreticorum continerent, perpetua obliuione damnatæ. Præter hæc tertia ad Corinthios, tertia ad Theſſalonicenſes, & ſecunda ad Laodiceos, cenſura Apoſtolica notatæ. Ioannis quoque nomine, Cherintus hæreſiarcha ediderat alias Reuelationes, quas Eccleſia non tecepit; Item eiuſdem nomine libellum de Tranſitu virginis alius ſcripſerat, quem Sedes Apoſtolica improbauit.

Andreæ quoque, & Bartholomæi, & Thaddæi, & Barnabæ conficta totidem Euangelia, Gelaſius reprobauit: quemadmodum & Matthiæ pſeudo-euangelium, & librum de Infantia Saluatoris titulo Matthæi, & pſeudoeuangelium Ægypriorum titulo Marci, & aliud quod ſub falſo nomine Jacobi Alphæi circumferebatur; & Reuelationes titulo Stephani nobilitatas; & librum ſtirpis Mariæ; & volumen doctrinæ Apoſtolorum, communi omnium Apoſtolorum nomine ſcriptum; & Sortes Apoſtolorum, & Laudes eorumdem, & librum de Magia, ad Petrum & Paulum Apoſtolos, titulo Redemptoris ipſius, horrendè & neſariè vulgarum, damnauit, ignibuſque piatorijs addixit; quod horrendas blaſphemias, putida mendacia, & inſulſiſſi-

mas

mas fabulas repræſentarent, ab hæreſiarchis infarctas. Peculiare fuit, ex circumciſione prouenientibus hæreticis, ad nouos confirmandos errores, nouos, velut à Sanctis Apoſtolis ſcriptos effingere Commentarios.

A quorum lectione, ne inſipientium errore traducti exciderent Fideles, à propria firmitate, Petrus præmonebat; adeoque librorum illorum vſum Fidelibus interdicebat: quemadmodum & reliqui omnes Apoſtoli lato in commune ſuffagio interdicebant: & Clemens Diuo Petro proximus, ab authoritate & exemplo Apoſtolico, vſum Eccleſiæ Romanæ reliquit, vt Pontifices Romani, Clauium poteſtate ſuprema, qua in rebus Fidei præſtant, omnia probarent, quod bonum eſt tenerent, quod improbum reijcerent, & rejectum; ne teneatur, ne legatur, prohiberent; atque iſthæc zizania in faſciculum conuoluta igni exurerent.

Pontificis Roman. eſt probare vel improbare. *bilt. Eccl. anno* 218.

Ita Zephyrinus Papa, Periextaſes, & nonnulla Tertulliani aduerſus Eccleſiam ſcripta opuſcula, notauit, ac pſeudoprophetiæ propugnatorem anathemate percuſſit; poſtquam Apollonius, & Caius, inſignes ea tempeſtate Theologi, libros recenſuiſſent, atque temeritatis ſuper noua prophetia defendenda, Proculum, & Tertullianum Montani Sectatores arguiſſent. Eam notam libris ſuis à Demetrio Alexandrino Epiſcopo, iniuſtam, Origenes ne amplius ſuſtineret; quæ hæretici vitiauerant, ſua eſſe opera negauit; & ad Fabianum Pontificem Romanum accedens, calumniam purgare voluit, oſtendens Demetrium, ſe iniuſte anathematis vinculo obſtrinxiſſe; qui nihil in voluminibus conſcriptis aduerſus Orthodoxiam commentus ſit.

Origen. coram Fabian. Pont. ſe purgat. *anno* 237. & 252. *anno* 287. *anno* 325.

Manichæi non potuerunt euitare. Diocletianus, & Maximianus Imperatores quamquam Gentiles, audientes à Caio Pontifice damnatos, iuſſerunt eorum doctores, & ſcripta ignibus tradi, & ſectatores capite puniri, honoratiores autem perſonas ad metalla damnari, & quorumcumque bona fiſco vindicari.

Diocler. & Max. Imp. decretum contra Manichæos, & eorum ſcripta.

Arrius non potuit euitare, quin, & ipſe, & liber eius damnaretur. Ex præſcripto enim Sylueſtri Romani Pontificis, cætui Patrum per Legatos præſidentis, Concilium Nicænum primum, tum Arrium, quanquam palinodiam canentem, tum ſuæ hæreſis fautores Euſebium Nicomedienſem, & Theognim Nicænum dignitatibus quas habuerant pariter abdicauit, quin, & verba, quibus eius explicabatur opinio, & librum quem de eadem ediderat Thaliamque inſcripſerat legi vetuit. A qua authoritate, & Imperator Conſtantinus, non Arrium ſolum multauit exilio, verum etiam Epiſcopis omnibus, & populis edictum ſcriptum miſit, vt tum illum, tum eius opinionis fautores impiorum numero ducerent; & ſi qui liber reperiretur ab illis ſcriptus, in ignem conijcerent; quo, neque ipſius, neque opinionis ipſius cuius auctor fuerat, vllum monumentum extaret.

Arrij liber damnatus.

Imp. Conſtant. Arrij librum exuri iubet.

Quod ſi quis aliquem librum eius occultare deprehenderetur, ac non illico in publicum perductum incenderet, vt capitis mulctaretur ſupplicio. Pari vindicta, & Valens Imperator, quamquam Arianus, in libros Magorum, & Aſtrologorum vſus eſt ſuo tempore. Congeſti innumeri codices, & aceruis voluminum multi, ſub conſpectu Iudicum concremati ſunt: cum etiam à Damaſi Pontificis auctoritate Valentinianus Auguſtus, eoſdem libros flammis adiudicandos exiſtimaret.

Valens Imp. Arrian. Magorum, & Aſtrolog libros igni tradit. *Sozom. lib.* 1. *c.* 20. *ann.* 370.

Quo etiam tempore, cum Maximus in Conſtantinopolitanam ſedem intruſus, ad Apollinaris Hæreſim defeciſſet, & contra fidem atque Eccleſiam calamum diſtrinxiſſet, Damaſus vt ſede illa pelleretur, libellique eius exurerentur, tum in Concilio, tum apud Imperatores Gratianum, Valentinianum, & Theodoſium laborauit.

Sane effecit Theodoſius. Namque conuocatis in Palatium Conſtantinopoli Epiſcopis, tam his qui Conſubſtantialitatem filij profitebantur, quam reliquis qui eam pernegabant, vtriuſque partis libellos poſtulauit, quibus acceptis, illos ſolos approbauit, qui Conſubſtantialem Trinitatem aſſerebant, reliquos vero vt abſurdos diſrupit, & exuri imperauit: vt Theodoretus memorabat.

Theodoſius Imp. libros Maximi Cõſtant. exurit. *anno* 380. & 398. *lib.* 5. *c.* 6.

Arcadius, & Honorius Aug. ab Anaſtaſio primo permoti, & ipſi edixerunt, Eunomianorum, Montaniſtarum, & reliquorum hæreticorum codices igni comburi. Tanti fuit iudicium, in probandis, vel improbandis libris, Romani Pontificis, vt quamuis alij Patriarchæ vel Epiſcopi aliquos interdixiſſent; non tamen alij ab eorum lectione ſibi temperarent, parem in parem non habere poteſtatem nec niſi Romanum Pontificem in omnes exercere ſupremam, qua poſſet compellere, auctoritatem. Innocentij enim primi Pontificio, Theophilus Alexandrinus, & Epiphanius Cyprius Epiſcopi, Synodicis decretis libros Origenis damnauerant, quique illos legere auſi eſſent, cætu piorum excluſerant.

Quanti Pontificis Rom. iudicium in probandis, vel improbãdis libris. S Anaſt Pp. Montaniſt. & aliorum hæret ſcripta exuri procurat. *ep.* 76.

Cæterum neque Theotimus Scythiæ Epiſcopus, neque Ioannes Chryſoſtomus ea ſe lege teneri arbitrabantur: Ideoque Origenis ſcripta citra ſcrupulum præuaricationis volebant, atque lectionem illorum excuſabant. Quin, & Hieronymus, quod nullus illouſque Romanorum Pontificum interdixiſſet, de ſeipſo ſcribebat; *Ego Origenem propter eruditionem, ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Appollinarium, & nonnullos Eccleſiaſticos ſcriptores Græcos pariter atque Latinos, vt bona eorum diligamus, vitemuſque contraria, iuxta Apoſtolum dicentem; Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Cæterum qui, vel in amorem eius nimium, vel in odium, ſtomachi ſui prauitate ducuntur, videntur mihi illi maledicto ſubiacere prophetico*; Væ his, qui dicunt bonum malum, & malum bonum; qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum.

Nec enim propter doctrinam, eius praua ſuſcipienda ſunt dogmata; nec propter dogmatum prauitatem, ſi quos Commentarios in ſcripturas ſanctas vtiles edidit, penitus reſpuendi ſunt. Quod ſi contentioſum funem inter ſe amatores, et obtrectatores duxerint, vt nihil medium appetant, nec ſeruent modum, ſed totum aut probent, aut improbent: libentius piam ruſticitatem, quam doctam blaſphemiam eligam.

Piam ruſticitatem excuſabat Hieronymus ſi libros Origenis, non omnino malos, neque hactenus à quoquam Romanorum Pontificum interdictos, legeret. Non iſtud amplius faciebat, cum Anaſtaſij decreto, Periar-

Periarchon damnatum anno 358.

chon hæreſum promptuarium, hæreticorum opera in Latinum conuerſum, damnatum eſſe intellexiſſet. Tantum enim abeſt, vt legendum librum eſſe cenſuerit, vt etiam in Ruffinum acriter propterea inſurrexerit. quod is Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam recens corruptis editiſq; libellis inficere contenderet.

Mathematicorum libri ignibus addicuntur. anno 409. & 410.

Non iſtud etiam faciendum ſibi putarunt reliqui Chriſtiani, cum Innocentius primus libros Mathematicorum condemnaſſet, & ab eius authoritate Honorius in eos ſanxiſſet: *Mathematicos, niſi parati ſint, Codicibus erroris proprij ſub oculis Epiſcoporum concrematis, Catholicæ religionis cultui fidem tradere, nunquam ad errorem præteritum redituri: non ſolum Vrbe Roma, ſed etiam omnibus ciuitatibus pelli decernimus.* Publicato enim Innocentij, & Honorij decretis, hi qui Genethliacos libros habebant, exurebant; piaculum ducentes ſi eos amplius aut legerent, aut retinerent.

Ruffin. impoſtura à S. Hieron. detecta.

Per idem temporis Ruffinus, malarum mercium venditor, pari audacia atque Periarchon Origenis, etiam Xyſti Pythagorici hominis gentiliſſimi, vnum librum interpretatus in Latinum, titulo Xyſti Romanæ Vrbis Epiſcopi voluit publicare, vt qui volumen Philoſophi neſciebant, ſub martyris nomine biberent de aureo calice Babylonis venena mortifera. In ipſo autem volumine, quemadmodum, & in Raymundi Lulli nonnullis operibus, nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apoſtolorum, nulla Spiritus Sancti, nulla Dei Patris, nulla Chriſti, nulla Patrum aut Conciliorum fuerat mentio, vt Epiſcopum, & Martyrem ſine fide Chriſti fuiſſe contenderet. Hunc librum ſolita temeritate, & amentia, Anulum, ſicut, & Lullus Artem Magnam, Arborem ſcientiarum. De ſubtilitate naturæ, & ſimilibus ambitioſis titulis nominauerat. Per multas Prouincias legebatur, & maximè ab his qui Apathian, & impeccantiam prædicabant, non minus quam Lulli chymeræ, ab his qui à vanæ vanitatis doctore ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Hieronymus primus impoſturam detexit, auctorque, & Innocentio Romano fuit qui damnaret, & S. Auguſtino qui retractaret, ea quæ ob reuerentiam tanti Antiſtitis, dum eius librum eſſe putaret in rectum ſenſum interpretando inflectere conatus eſt. Cyrillus pariter eodem tempore Cæleſtinum Pontificem, & Patres Concilij Epheſini, permouit, vt in libros, & epiſtolas Neſtorij inquirerent.

Hieron. in ep. 2. Hieron.

Liber Ruffini ſubnomine Xyſti Pp. damnatus ab Innoc. Pp.

Anathema in Scripta Neſtorij. *Cod. Theodoſ l. vlt. de hæret.*

Cum autem hereſibus, & blaſphemijs ſcatentes eſſe comperiſſent, improbarunt, & pari cum anathemate atque Neſtorium condemnarunt, conclamantes: *Quicumque Neſtorium non anathematizat, anathema ſit. Hunc recta fides anathematizat. Quicumque cum Neſtorio communicat, anathema ſit. Omnes Neſtorij epiſtolas, & dogmata anathematizamus. Omnes qui cum Neſtorio commercium habent, anathematizamus.* Theodoſius Imperator porro, litteris Sixti Papæ, & Patrum Epheſinorum ſuppletationibus excitatus, hanc in libros Neſtorij tulit ſententiam. *Nec vero impios libros nefandi ſacrilegi Neſtorij aduerſus venerabilem Orthodoxorum ſectam, decretuque ſanctiſſimi cætus Antiſtitum Epheſi habiti, ſcriptos habere, aut legere, aut deſcribere quiſquam audeat: quos diligenti ſtudio requiri, ac publicè comburi decernimus.*

Diuerſa alia Hæreticorũ à Rom. Põt. Ereprobata.

Præter hæc Theodoſius, libros Porphyrij, & contra Cyrilli ſcripta editos Commentarios perquiri, ac concremari iuſſit, addita deportationis pœna in eos qui occultaſſent. Perculſi hac lege Neſtoriani, per aliam viam ad publicandos ſuos errores eruperunt, fontemque ipſum blaſphemiarum, vnde hauſerat Neſtorius, aperuerunt: nimirum Theodori Mopſueſteni, & Diodori Tarſenſis Epiſcopi, libros vbique legendos expoſuerunt: & quo latius venena ſpargerentur, eorumdem volumina in Syrorum, Armenorum atque Perſarum linguam transferenda curarunt. Acacius Melitenus, & Rabulas Edeſſenus primi aſtum detexerunt, & librorum lectione ſuis interdixerunt.

anno 435. & 448.

Quæ cum à Proclo Conſtantinopolitano Sixtus Romanus accepiſſet, & ipſe quoque damnatos illos cenſuræ ſubiecit; & ignibus dignos eſſe edixit. Idem iudicium de Theodoreti contra Cyrillum ſcriptis Sixtus habuit, poſtquam Baſilius Diaconus ſcripto libello docuiſſet, & Cyrillus ipſe ſignificaſſet, non minus vitanda eſſe, ſicut Theodoti, Arij, & Eunomij blaſphemiæ.

Sixto Leo ſuccedens eadem de Theodoreti aduerſus Cyrillum libris cenſuit, De quibus Theodoſius Imperator certior factus, iuſſit Theodoretum Antiochia excedere, ne forte ibidem Neſtorij errores diſpergeret. Ibæ quoque Epiſcopi Edeſſeni, ad Marim Perſam epiſtolam, quod in ea, & Theodorum Mopſueſtenum, & Diodorum Tharſenſem dillaudaret, Leo improbauit, quam, æque ac Theodori, & Theodoreti, aduerſus incarnationis Dominicæ myſterium ſcripta volumina, Vigilius itidem Pontifex Romanus, in Quinta Oecumenica Synodo, nomine Trium Capitulorum reprobauit.

Idem etiam Leo, vna cum Patribus Chalcedonenſis Oecumenici Concilij, Eutychetem Conſtantinopolitanum, & Dioſcorum Alexandrinum, impioſque eorum Commentarios damnauit, & vt Valentiniani atque Marciani Imperatorum iuſſu cremarentur obtinuit. Quã damnationem, cum Eutychiani Monaci ſuggillarent, & Concilij atque Pontificis Leonis auctoritatem, ſcriptis libellis in inuidiam adducerent, Marcianus Imperator, Leonis imperio reſcripſit: *Comperimus propterea, quoſdam eos in contumeliam Religionis, et inuidiam Synodicæ venerabilis diffinitionis fuiſſe mentitos, conſcriptiſque libris, & chartarum tomis plura finxiſſe, quæ eorum inſaniam aduerſus verum Fidem aperte ſignarent. Atque ideo præcipimus, vbicumque huiuſmodi ſcripta reperta fuerint, ignibus concremari. Eos vero qui vel ſcripſerint, vel alijs legenda tradiderint, docendi ſtudio, vel diſcendi, cenſemus deportatione puniri. Docendi etenim hanc infauſtam hæreſim, omnibus adimimus facultatem; quin vltimo ſupplicio coercebitur is, qui illicita docere tentauerit.*

Leonis Imperio Marcianus contra libellos hæreticorũ edicit. *anno* 452.

Ab hoc Leonis precibus impetrato ab Imperatore executorio edicto, libelli hæreticorum contra Chalcedonenſe Concilium, & aduerſus rectam ſcripti Fidem, vbique vrebantur, neque infauſtum aconithum vſpiam creſcere permittebatur: donec Gelaſius primus Pontificatum obtinuiſſet, qui apocryphos, & damnandæ lectionis libros, ab Orthodoxo-

Gelaſ. I. *anno* 494

rum ſacris paginis diſcreuit., & Manichæis vrbe eiectis, eorumdem codices ante fores Baſilicæ S. Mariæ incendio concremauit.

Symmachus anno 503.

Non minore zelo, & Symmachus, Gelaſio ſuccedens, contra Maniehæos in Vrbe Romana inquiſiuit, eorumque omnia ſimulachra, & Codices ante fores Baſilicæ Conſtantinianę exuſſit, & illos ipſos exilio relegauit. Non inferior in cenſendis libris, Symmacho, Hormiſda ſucceſſor.

Hormiſda.

Fauſtus Regienſis in Gallia non ex Benedictino Monacho (vt quidam volentes omnes magni nominis viros fuiſſe Benedictinos ſomniant) Epiſcopus, contra hæreſim titulo Prædeſtinatorum duos, de Gratia Dei, & libero arbitrio, deque præſcientia, & prædeſtinatione libros, ſcripſerat, in quibus multos Pelagianæ hæreſis errores miſcuerat. De his, cùm multæ Conſtantinopoli turbæ orirentur, Poſſeſſor Africanus Epiſcopus Conſtantinopoli degens, Hormiſdam Pontificem Romanum conſuluit, Hormiſda porrò reſpondit; *Neque illum recipi, neque quenquam, quos in authoritate Patrum non recipit examen Catholicæ Fidei; quos conſtat, aut Eccleſiaſticæ diſciplinæ ambiguitatem poſſe gignere, aut Religioſis præiudicium comparare. Fixa ſunt.* ait, *à Patribus, quæ fideles ſectari debeant instituta. Siue interpratatio, ſiue prædicatio, ſeu verbum populi ædificatione compoſitum, ſi cum fide recta, & doctrina ſana concordat, admittitur; ſi diſcordat, aboletur.*

Edictum Hormiſdæ ratione librorum Fauſti Regienſis. anno 520.

Idem etiam Hormiſda ſuperiorum Pontificum exemplo, Manichæos, quos in Vrbe repererat, diſcuſſos cum examinatione plagarum, exilio deportauit, & Codices eorum ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ combuſſit.

anno 536.

Agapetus Hormiſdæ auctoritatem excipiens, Seueri Pſeudoepiſcopi Antiocheni impia volumina condemnauit: Iuſtinianus verò eius iuſſu, omnia einſdem Seueri ſcripta incendio exuri, & ex ſcriptoribus, qui aliquod eorum exſcribere auderent, manum recidi mandauit. Qua cenſura, nè Arator, Sanctæ Romanæ Eccleſię Subdiaconus percelleretur, Actus Apoſtolorum, quos carmine complexus fuerat, Vigilio Pontifici obtulit, qui ante confeſſionem Sancti Petri præſentibus Epiſcopis, & vniuerſo Clero ſuſcepit, legi præcepit, in Archiuinm Eccleſiæ intulit, & publicè, in Baſilica, quæ vocatur S. Petri ad vincula, vt legeretur, permiſit.

Iuſtinian. Pontificis iuſſu Seueri Antioch. ſcripta incendi præcipit. anno 544.

Non ea de libris hæreticorum Gregorius Magnus fecit; ſed cùm in Hiſpanijs ingenti damno Orthodoxorum vulgarentur, Recaredum admonuit, qui Regiò edicto omnes comburendos eſſe mandauit.

Libri cenſuræ Rom. Pōt. ſubiecti. anno 593. anno 600.

Cùm autem per id temporis Sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus librum aduerſus Agnoitas ſcripſiſſet, eum cenſendum Romam Gregorio Pontifici miſit: qui vidit, legit, laudauit: morem ſecutus maiorum, ad quos ſuperioribus temporibus, libri probandi, vel improbandi deſtinabantur. Sanè Sanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, cùm librum de gratia, & libero arbitrio aduerſus Fauſtum Regienſem ſcripſiſſet, Felicis Quarti Romani Pontificis arbitrio eum ſubiecit. Is porrò non tantùm probauit, ſed etiam Epiſtola ſua roborauit, vulgandumque vbique curauit, (vt meminit Gennadius) quod maximo bono ſcriptus eſſet,

anno 529.

Secernebant ſcilicet Pontifices Romani pretioſum à vili: & illud quidem in depoſitorium Eccleſiæ inferebant, iſtud verò flammis, ne officeret, vel inficeret, vindicabant: quemadmodum Martinus I. in Concilio Romano vindicauit: ſcripta Theodori Phatanitæ, ex quibus reliqui blaſphemias de vna Chriſti voluntate, & operatione hauſerant.

Varij libri à diuerſis Pont. reprobati.

Item nouem Capitula Cyri Alexandrini, Themeſtij hæretici ſcripturas, Ecthesim Sergij Conſtantinopolitani, Typum Pauli Conſtantinopolitani, & reliquos Monothelitarum, & Acephalorum libros, quos poſtea etiam Agatho Papa, vnà cum Patribus ſexti Oecumenici Concilij reprobauit Conſtantinumque Pogonatum ad iuſtam vltionem incitauit, qui impia volumina ignibus piaret. Zacharias Papa non impar Martino, in voluminibus noxijs extirpandis. Adelbertus Gallus, & Clemens Scotus, præter alia portenta, etiam Epiſtolam quandam de cœlis ad ſe delatam in mendaciloqnio iactabant; quæ etiam hodienunc à pleriſque circumfertur.

anno 681.

Reſciuit impoſturam Zacharias, & ex Concilij Romani ſuffragio, impoſtores, ac impoſturas omnes illorum reprobauit, Carolumque Magnum auctoritate ſua impulit, qui legem ferret; *Pſeudographæ, & dubiæ narrationes, vel quæ omninò contra Catholicam fidem ſunt, vt Epiſtola peſſima, & falſiſſima, quam tranſacto anno dicebant aliqui errantes, & in errorem mittentes, quod de cœlo cecidiſſet, nec credantur, nec legantur, ſed comburantur: nè in errorem pro tali ſcripto populus mittatur.*

Lex Carol. Mag. iſtante Zach. Pp. cōtra Clem. Scoti, & Adelberti Galli ſcripta. *Capitul. lib. 1. c. 78.*

Acriorem vindictam, de Photij Conſtantinopolitani pſeudoconciliabulo Baſilius Macedo ſumendam eſſe voluit; qui libellos duos eius actorum, Hadriano Pontifici Romano miſit. Hos cùm Legati Imperiales, in Pontificis conſpectum intuliſſent pedibus conculcarunt, gladio confoderunt, & ignibus vſtularunt; cœlo etiam approbante vſtionem, cum ignis ab imbre copioſo decidente, non modo non eſt extinctus, ſed magis inflammatus odore piceo teterrimo ex impijs voluminibus exhalante. Patribus ſecundi Concilij Nicęni, ex præſcripto Pontificis Hadriani, viſum eſt in eoſdem libros lege ex ordine iſto agere. Die quinta Nouembris, octauo conſidentibus, iubente Baſilio Imperatore, poſitum eſt in medio Synodi vas æneum plenum igne: & delati ſunt in marſupio à Theophylacto Reuerendiſſimo Diacono, & Referendario omnes tomi Chirographorum, qui exacti ſunt à Photio, ab omni ſacro Cathalogo, & omni ordine Clericorum tam magnæ Eccleſiæ, quàm earum, quæ foris ſunt, quam quæ etiam in magnis, & paruis, & omnibus Senatoriæ dignitatis, & cunctis alijs tam illuſtribus, quam ignobilibus, atque his, qui in omni arte, ac diſcipiina, & diuerſo ſtudio eſſe videbantur, vſque ad pellarios, & piſces vendentes, & lignarios, & acus facientes. Inſuper, & libri, qui fictè conſcripti ſunt contra beatiſſimnm Nicolaum Papam, & geſtorum relationes, ac Synodi, quæ contra Patriarcham Ignatinm factæ ſunt à Photio. Hos omnes accipiens Georgius Orphanotrophus, tradidit igni exurendos. Damnati ſunt quoque in eadem ſeſſione Petrus, & Baſilins Monachi, qui in gratiam Photij finxerant ſe ab vrbe detuliſſe libellos contra Nicolaum.

De Photij Conſtant. libris fatidicis miraculoſe exuſtis.

Action. 8. ſecunda Nic. Synodi.

anno 869.

Et quia ſupra modum deteſtabantur Patres crimen Photij in conſcribendis libellis tam abominandum; ideò non ſimplici atramento, ſed horrendum dictu, ipſo Saluatoris ſanguine calamum tingentes in execrandum Scriptorem ſententiam ſcripſerunt, poſtquam Hadrianus Baſilio Imperatori, quid ab eo deſideraret, ſignificaſſet, ioiungens: *Volumus autem per veſtra pietatis induſtriam, illic numeroſum celebrari Concilium, cui noſtra quoque Miſſi præſidentes, & culparum, perſonarumque differentias liquido cognoſcentes, iuxta quod in mandatis acceperunt, ſingulorum liberè diſcretiones exerceant. In quo videlicet Sacrato cætu, execrando vanitates Concilij, quod aduerſus Sedis huius actum eſt prorſus iniuriam, cuncta decernimus exemplaria prorſus à ſuis poſſeſſoribus ablata, in mediumque delata, contemplantibus cunctis, igne cremari, nec ſupereſſe apud quemlibet ex his omnibus ſaltem iota vnum, aut vnum apicem; niſi ſorte quis totius clericatus, imò totius nominis Chriſtiani dignitate, anathemate percuſſus carere voluerit.*

Petitio Hadriani Pp. ab Imp. Baſilio

Maledictio libri Photij coram Pont. à legatis Imp. Baſilij.

Præclare ſanè Metropolita, qui librum nefarium detulerat, cùm illum Hadriano, patribuſque exhibuiſſet, execrationis ſigna oſtendit. Namque librum in terram præcipitauit, imprecatoriè illi dicens; *Tu maledictus Conſtantinopoli, ſis Romæ iterum maledictus. Te miniſter diaboli Photius, nouus Simon, mendacij compilator aptauit. Te miniſter Chriſti Nicolaus, nouus Petrus, veritatis amator attriuit.* Et Spatharius calce, enſeque ſuo librum percutiens ait; *Credo, quod in hoc opuſculo diabolus habitat; quia per os complicis ſui Photij, ea, quæ per ſe dicere nequit, eructat.* Multa alia Spatharius in execrandum libri auctorem dixit, cùm Hadrianus librum exureret. Pari auctoritate Leo IX. librum Ioannis Scoti de Euchariſtia, ex quo Berengarius Euchariſtiæ hoſtis multa decerperat, in Concilio Vercellenſi legi, damnari, & concremari, imperauit. Quam cenſuram, nè ob mutuam literarum cum Berengario miſſionem incurreret Lanfrancus Canthuarienſis Epiſcopus, in ſuſpicionem hæreſis adductus, librum pro veritate corporis, & ſanguinis Chriſti ſcripſit, eumdemque Leoni cenſendum repræſentauit. Probauit Leo Lanfranci Commentaria; Berengarij verò cætera, à Nicolao II. totius Chriſtiani nominis ſummo Pontifice, & à centum tredecim Epiſcopis Romæ examinata, damnata, exuſtaque ſunt. Eius errores cùm poſt centeſimum annum, Arnaldus Brixienſis, & Abailardus innouarent, Innocentius II. à Diuo Bernardo permotus, auctores quidem recludi, omnes verò libros eorum igne exuri decreuit. Eadem poteſtate Innocentius III. in maximo Lateranenſi Concilio, pronunciauit; *Damnamus, & reprobamus libellum, ſeù tractatum, quem Abbas Ioachim edidit contra magiſtrum Petrum Lombardum, de vnitate, & eſſentia Trinitatis, &c. Reprobamus etiam, & condemnamus peruerſiſſimum dogma impij Almarici, cuius mentem ſic pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quàm inſana.*

anno 1050. & 1055.

Berengarij ſcripta in Conc. Rom. examinata, damnata, & exuſta.

Lanfranc. de verit. corp. & ſang.

anno 1140.

Vtris impia ſcripta flammis addicta.

tit. de ſumma Trin.

Libros quoque Valdenſium, & Albingenſium, iiſdem ignibus addixit; maximè cùm audiuiſſet inſigne illud à Diuo Dominico miraculum perpetratum, vbi libellis, Catholico, & Albigenſium, in ignem, cauſa probandæ Fidei coniectis, horum quidem in flammas abijt, Diui autem Dominici volumen, ſemel & tertio iniectum, illæſum exilierit. Alexander item Quartus libellum Guillelmi de Sancto Amore, quem aduerſus Religiones recens ſurgentes ſcripſerat, ignibus tradidit: quemadmodum & Ioannes XXII. libellos Fratricellorum de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum, incendio damnauit. Diui autem Thomæ Aquinatis lucubrationes laudauit, illudque in laudem Angelici Doctoris dixit; *Non eſt de eius miraculis vehementer curandum; quippe qui tot miracula fecit, quot quæſtiones determinauit.*

Vrbanus quoque quintus doctrinam eiuſdem Sancti probauit, & vniuerſitati Thoſſanæ iniunxit, *vt dicti Beati Thomæ doctrinam, tamquam veridicam, & Catholicam ſectarentur, eamdemque ſtuderent totis viribus ampliare.*

Laus S. Thomæ Aquinat. & ſcriptorũ ipſius.

Ioan. Garzo. in vita S. Thoma. in Bulla.

Meruit Thomas Aquinas iſtud honoris, vel propterea, quod omnes ſuas lucubrationes, quamquam veritatis radio illuſtres, Eccleſiæ tamen Romanæ iudicio ſubiecerit, exemplum maiorum ſecutus, qui præclara quamuis opera, cenſuræ tamen Pontificis Romani ſubiecerunt. Ita Sanctus Anſelmus Canthuarienſis Archiepiſcopus, librum de Incarnatione Vrbano cognoſcendum miſit; Hugo Ætherianus Commentarios de proceſſione Spiritus Sancti, Alexandro III. Bernardus libros de Conſideratione Eugenio Tertio, Gothofredus Viterbienſis Friderici, & Henrici Imperatorum Notarius: Vrbano III. Pantheon, in quo hæc præſcripſit; *Dum Sacroſancta Matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ culmen inſpicio, & eius eminentiæ conſidero maieſtatem, illud ante omnia neceſſarium eſſe intueor, vt ſicut ipſa omnibus noſcitur præeſſe Principibus; ita omnes Reges, & Principes, & vniuerſæ Orbis Eccleſiæ, doctrina eius, & regimine adornentur; & ab ea tamquam à fonte iuſtitiæ, totius ſapientiæ regulis inſtruantur: Quia nullum ſcripturarum elogium noſcitur eſſe authenticum, niſi ab eius ſapientiæ fluminibus, ſitientibus propinetur. Quare, ſi quod Hiſtoriarum opus noua per aliquem inſtitutione conficitur, ratio ſuggerit, vt antequam in publicum deueniat, Apoſtolico examini præſentetur: quatenus, ſi acceptione dignum eſſe perpenditur, eius mandato, & iudicio approbetur: & ab eo vires, auctoritatemque ſuſcipiat, cui terrena, & cœleſtia diuinitus ſunt commiſſa.*

Libri Rom. Pont. cenſuræ & iudicio ſubijci debent.

Ab hac in terrena, cœleſtique auctoritate, Gregorius XI. libros Raymundi Lulli, & Raymundi Neophyti, ignibus tradendos eſſe iudicauit. Martinus V. in Concilio Conſtantienſi, Ioannis wicleffi, & Ioannis Huſſi Commentarios, eodem piatorio igni addixit. Leo X. in Concilio Lateranenſi, libellos eorum, qui animam eſſe mortalem aſſerebant, æquali pœnæ ſubiecit, ipſoſque authores velut hæreticos eſſe plectendos decreuit: nec non impreſſionem, publicationemque librorum, abſque examine, & approbatione, in Vrbe quidem, Vicarij Papæ, & Magiſtri Sacri Palatij, alibi verò locorum, abſque Epiſcoporum, hæreticæque prauitatis Inquiſitorum prohibuit, Inſuper omnes libellos, & omnia dicta Martini Lutheri, ſcripta, ſeu prædicationes, in Latino, vel alio quocumque idiomate reperiantur, in quibus eiuſdem hæreſiarchæ errores, ſeu eorum aliquis continentur, ſimiliter damnauit,

Raymundi Lulli, & Neophyti.

Io. Vuicleff. & Huſ. ſcripta incenſa.

anno 1515.

Præceptum Apoſtolicũ de omnibus Lutheri ſcripturis reprobandis, & execrandis.

uis, reprobauit, atque omninò reiecit; & pro omninò damnatis, reprobatis, ac reiectis haberi voluit; mandans in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub pœnis grauiſſimis, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, etiam Regibus, Imperatori, Electoribus, Principibus, Vniuerſitatibus, Potentatibus, ne huiuſmodi ſcripta, libellos, prædicationes, ſeu ſchedulas, vel in eis contenta capitula, errores aut articulos damnatos continentia, legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, ſiue defendere, per ſe vel alium, ſeù alios, directè, vel indirectè, tacite, vel expreſſe, publice, vel occulte, aut in domibus ſuis, ſiue alijs publicis, vel priuatis locis tenere quoquo modo præſumant: quinimo illa ſtatim poſt edicti publicationem vbicumque fuerint, per Ordinarios, & alios quibus incumbit quæſita, publicè, & ſolenniter, in præſentia Cleri, & populi, ſub grauiſſimis Eccleſiaſticis pœnis eoipſo incurrendis, omnibus, & ſingulis ſupradictis, ne ſcripta, et iam errores non continentia, ab eodem Martino Luthero quomodolibet condita, vel edita, aut condenda vel edenda, ſeu eorum aliqua, tamquam ab homine Orthodoxæ fidei inimico, atque ideo vehementer ſuſpecta, & vt eius memoria omnino deleatur de Chriſti fidelium conſortio; legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, ſiue defendere, per ſe, vel alium, ſeu alios, directe, vel indirecte, tacite, vel expreſſe, publice, vel occulte, ſeu in domibus ſuis, ſiue alijs locis publicis vel priuatis tenere quoquo modo præſumant; quinimo illa comburant.

Datum Romæ apud S. Petrum Incarnationis Dominicæ, Milleſimo, Quingenteſimo, Vigeſimo, XVII. Cal. Iulij. Pontificatus anno octauo.

Carolus V. ſententiam Rom. Pont. in Lutherum confirmat.

Iſta quidem Leo X. bono publico ſanciebat. Carolus porrò Quintus Imperator, officij ſui memor, qui fidem Orthodoxam ab impietate hæretica defenderet, proque virili ſua hæreſim recens ſurgentem extirparet, Comitijs Imperialibus Wormatiæ celebratis, ſententiam Romani Pontificis in Lutherum, eiuſque libros prolatam, executioni mandare voluit, dato diplomate iſti verbis.

I. Confirmatorium Diploma Caroli V. Imp.

Carolus V. diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ: Comes Habſurgi, Flandriæ, & Tyrolis, &c. Vniuerſis, & ſingulis ſacri Romani Imperij Electoribus, alijſque Princibus tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus: Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Præfectis, Præſidibus, Iudicibus, Scultetis, Burgimaſtris, Conſulibus, Scabinis Ciuitatum, Oppidorum, Villarum, Terrarum, & quorumuis aliorum locorum communitatibus: nec non Vniuerſitatum, Studiorum, ſiue Gymnaſiorum Rectoribus, & locorum tenentibus, ſeu officialibus eorũdem, ac cæteris quibuſcumque nobis, tam iure ſacri Imperij, quam hæreditario, aut alio quocunque modo ſubiectis: & fidelibus, dilectis, cuiuſcunque ſtatus, gradus, aut conditionis ſint, & ad quos præſens, vel earundem exemplum, noſtro, vel alicuius Prælati Eccleſiaſtici ſigillo, ſiue etiam publici Notarij manus ſubſcriptione, communicatum peruenerit, gratiam Cæſaream, & omne bonum. Ad veri Romanorum Imperatoris officium pertinet, non ſolum fines huius ſacri Imperij, quod Prædeceſſores noſtri, Germaniæ Principes, ob defenſionem S. Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ ſuo, ſuorumque ſæpius effuſo ſanguine, per diuinam gratiam ſibi quæſierunt, ad Orthodoxam viam adductis, vel expulſis Infidelibus, propagare: verum etiam, ne qua hæreſeos labes aut ſuſpicio, in iam ſibi ſubditis Nationibus ſacroſanctam Religionem noſtram commaculet, ſummo ſtudio prouidere: At ſi quæ iam oriri cœperit, eam omni ope, omnique cura, iuſta normam à ſancta Romana Eccleſia hactenus obſeruatam delere penitus, & extinguere. Quod ſi quis alius è maioribus noſtris, tanto Nos magis præſtare debemus, quanto Dei Opt. Maximi immenſa benignitas Nobis plura Regna, & Dominia, pluresque, & magis bellicoſos populos, maioreſque vires, quam iam multis ſæculis, alicui Principi, qui hiſce titulis ſit potius, ad ſuæ Sanctæ fidei tutelam, & incrementum, elargiri dignata eſt. Accedit, quod quum ex paterno genere, è Chriſtianiſſimis Imperatoribus, & Archiducibus Auſtriæ, Ducibuſque Burgundiæ: Ex materno vero, Catholicis, Hiſpaniarum, Siciliæ, & Hieruſalem regibus, ſimus orti, quorum omnium pro fide Chriſtiana, res præclare geſtas, nulla vnquam delebit obliuio, non ſine graui conſcentiæ noſtræ onere, & perpetua nominis nota, quadamque veluti nebula, felicibus ineuntis Principatus noſtri auſpicijs effuſa, factum crederetur, ſi quæ iam hinc triennium pullurare in Germania cœperunt, nouas quaſdam hæreſes, immo verius iam ſæpe olim per Concilia, & ſummorum Pontificum decreta, approbante Eccleſia, damnatas, & nunc denuo, veluti ab inferis erutas, altiores iacere radices vlla noſtra negligentia paſſi eſſe videamur.

Imperatoris officium.

Caroli V. Geneologia

II. Lutherus nouæ hæreſeos author.

Sane, veſtrum neminem ignorare exiſtimamus, quibus erroribus, & hæreſibus, ab Orthodoxa fide longe alienis quidam frater Martinus Lutherus, Ordinis Sancti Auguſtini, Religionem Chriſtianam, in hac præſertim Inclyta Germanica Natione, omnis infidelitate, & hæreſum perpetua oppugnatrice ita inficere conetur, vt niſi mature occurratur, tota hæc Natio, & deinde ſerpente contagione vniuerſa Chriſtiana Reſpublica in abominandum ſchiſma, & bonorum morum pacíſque, ac tandem deteſtandam ſui perniciem: prolapſura videatur. Qua propter, non immerito commotus ſanctiſſimus in Chriſto Pater Dominus Leo X. ſacroſanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Eccleſiæ ſummus Pontifex: ad quem fidem Catholicam, & Eccleſiæ Sacramenta curare ſpectat, prædictum Martinum à principio clementer, & paterne monuit, & hortatus eſt, vt à neſandis huiuſmodi incœptis deſiſteret, & iam ſparſos errores

Imperatoris vaticinium.

, tores reuocaret. Quod cum ille neglexiſſet,
, & peiora ſemper prioribus adderet: idem
, Beatiſſimus Pater, ad opportuna, neque ra-
, men inſueta remedia procedere ſtatuit. Ita-
, que conuocatis ſæpius Reuerendiſsimis ſan-
, ctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Epiſco-
, pis, ac alij Prælatis, nec non regularium or-
, dinum Prioribus, ſeu Miniſtris generalibus,
, accerſitiſque pluribus ſcientia, & probitate
, præſtantibus viris, & in omni doctrinarum,
, & linguarum genere eruditis, ac diuerſarum
, Chriſtianorum nationum Doctoribus, & Ma-
, giſtris: Prædicto tamen Martino prius voca-
, to, ac citato, ac in contumacia perſiſtente,
, ipſius ſcripta, tam Alemanico quam Latino
, ſermone edita, & edenda, vt perniciosa, &
, fidei vnitatique Eccleſiæ contraria Authori-
, tate ſua Apoſtolica præfatorumque ad hoc
, accedente Cardinalium conſilio, & aſſenſu,
, ac Epiſcoporum, & Prælatorum, Doctorum-
, que, & Magiſtrorum matura deliberatione,
, damnauit, & vbique locorum comburenda,
, prorſuſque abolenda cenſuit, & decreuit.
, Martinum vero ipſum, niſi infra certum ex-
, preſſum terminum, à publicatione Decreti
, ſanctitatis ſuæ, mutata ſententia, ſe errores
, ſuos reuocaſſe, & ad pœnitentiam redijſſe,
, docuiſſet: vt inobedientiæ, & iniquitatis fi-
, lium, vt ſchiſmaticum, & hæreticum ab om-
, nibus euitandum, & pro vt iura poſtulant, pu-
, niendum declarauit, ſub pœnis, & cenſuris,
, quæ in Apoſtolicis literis, Bulla plumbea
, communitis, & ſuper hac re editis, latius con-
, tinentur. Quas ad nos, vtpote Chriſtianæ
, fidei verum, & ſupremum propugnatorem,
, & ſedis Apoſtolicæ, ſanctæque Romanæ, &
, vniuerſalis Eccleſiæ Primarium filium, &
, Aduocatum, per ſuum, & dictæ ſedis ſpiri-
, tualem Nuncium, & Oratorem, honorabi-
, lem virum, & nobis dilectum Hieronymum
, Aleandrum eiuſdem ſedis Protonotarium,
, & Apoſtolicæ Bibliothecæ Præfectum dedi-
, ta ad hoc opera, miſit: petens atque requi-
, rens, vt pro officio ac debito Imperialis di-
, gnitatis, in vniuerſo primum Romanorum
, Imperio, deinde (quod Catholicum Regem,
, & Chriſtianorum Principem decet) in cæte-
, tis etiam Regnis, Dominijs, & Prouincijs
, noſtris, & præſertim in Germania præſtito
, in auxilium fidei Catholicæ brachio ſæcula-
, ri, omnia, & ſingula in iam dictis literis
, Apoſtolicis contenta, immobiliter obſerua-
, ri, & executioni mandari iuberemus. Poſt
, quas quidem prædicto Martino factas à ſum-
, mo Pontifice, monitionem, vocationem,
, citationem, & ipſius tandem condemnatio-
, nem, nec non præſentatas nobis eiuſdem
, Beatiſsimi Patris literas, Bullamque Apoſto-
, licam, per varia, & diuerſa loca Germaniæ
, publicatam, & noſtro iuſſu, & mandato: non
, ſolum Louanij inferioribus Dominijs no-
, ſtris: verum, & Coloniæ, Treueris, Mogun-
, tiæ, Leodij, executioni demandatam, tan-
, tum abfuit, vt idem Martinus reſipiſceret,
, errataque ſua reuocaret, & petita abſolutio-
, nis venia, in gratiam cum ſummo Pontifice,
, & ſancta Eccleſia redire procuraret, vt etiam
, deteſtabiliores peruerſi ingenij ſui fructus
, indies ederet, & perinde, ac in manifeſtam
, Eccleſiæ perniciem furens rueret complures
, aceruatim libros, non modo nouarum, ſed
, etiam à ſacris Concilijs olim condemnata-
, rum hæreſum plenos: nec ſolum Latino, ve-
, rum etiam, vt facilius vulgus perucrteret,
, Alemanico ſermone à ſe compoſitos, vel fal-
, tem ſuo nomine editos, ferè quotidie diu-
, ulgaret.

, In quibus (bone Deus) obſeruatum ab — III. Veteres hæreſes à Luthero reſuſcitatæ.
, Eccleſia iam tot ſæculus, ſeptem Sacramen-
, torum numerum, ordinem, vſum diſſipat,
, confundit, deturpat; inuiolatas Matrimo-
, nij leges miris modis fœdiſſimè inficit: Ex- — De Sacramentis.
, tremam Vnctionem cum Vvicleffo fictionem
, dicit: communicandi ſacratiſſimæ Euchari-
, ſtiæ ritum, ad damnata Bohemorum reuo-
, cat inſtituta. At ſaluberrimam peccatorum
, confeſſionem primum ita inuoluit, vt confu-
, ſionem eam è confeſſione fecerit, mox etiam
, magna in parte conuellit, poſtremo, adhuc
, peiora ſe de ea ſcripturum minatur. Vnde
, nonnulli iam (vt accepimus, quod vel audi-
, tu eſt intolerabile) ſumpta hinc occaſione
, de confeſſionis inſtituto & modo cœperint
, ſubdubitare. Alii mutilatam & truncam fece-
, rint: Alij verò (proh ſcelus) & confiteri ipſi
, deſtiterint, & nequaquam eſſe confitendum
, publicè aſſerere ſint auſi. Porro Sacerdota-
, lem ordinem & per quod ſacroſanctum Chri-
, ſti corpus, ſanguiſque conficitur diuinum
, illud munus, clauiumque cœleſtium poteſta- — de clauibus.
, tem, non ſolùm viliſſimi pendit Lutherus, &
, laicis pueriſque atque adeo fœminis ipſis,
, communia facit: ſed & eoſdem laicos, ad
, lauandas ſibi in Sacerdotum ſanguine manus,
, incitat. Ipſum verò ſummum noſtræ Reli-
, gionis Sacerdotem, Diui Petri Succeſſorem,
, & verum in terris Chriſti Vicarium, non ni- — De ſummo Pontifice.
, ſi infamibus & probosis nominat verbis, &
, frequentiſſimis atque inauditis Inuectiuis,
, contumelijs, & blaſphemijs inſectatur. Li- — De libero arbitrio.
, berum arbitrium prorſus nullum eſſe, ſed
, omnia certa lege ſtare, ex Manichæi quidem
, & Wicleffi penu depromit: & tanquam irre-
, fragabili argumento Ethnicorum Poetarum
, carminibus confirmat, Miſſæ venerabile Sa- — De Miſſa, ieiunijs, & orationibus.
, cramentum neque defunctis, neque viuis alijs,
, quam ſoli celebranti, ſuffragari ſcribit. Ie-
, iuniorum, & Orationum inſtitutionem, & con-
, ſuetudinem, ab Eccleſia obſeruatam, inuertit — De Purgatorio.
, & corrumpit. De purgatorio, & Animarum
, quæ in eo expiantur ſtatu, deque diuini ſacri-
, ficij, & veniarum ſuffragijs, quæ à nobis fi-
, deles defuncti expectant, cum waldenſibus,
, & wicleffiſtis contra Eccleſiam ſentit: De — De Eccleſia.
, Eccleſia vero ipſa militante, cum Pelagianis,
, & Huſſitis. At ſanctorum Patrum authori- — De Patribus
, tates, & ſcripta ab Eccleſia recepta pro nihilo
, habet. Ac etiam ſæpe diridet, debitumque
, illis cultum, & deuotionem deterit, & dimi- — De obedientia, & religione.
, nuit. Obedientiam, & Regimen omne pror-
, ſus tollit. Vnde populi ad defectionem, & re-
, bellionem à ſuis tam ſpiritualibus quā tem-
, poralibus Dominis faciendam, ad rapinas,
, cædes, incendia, cum magno ac manifeſto
, Chriſtianæ Reipublicæ diſcrimine prouocen-
, tur. Quinimo, cum vitam quandam ſolutā,
, licentioſam, atque ab omni lege explicitam,
, & vere ferinam inducere conetur, ita exlex
, homo, leges ipſas omnes damnat, & contem-
, nit, vt decreta Sanctorum Patrum, & ſacros
, Canones, publico igni comburere non formi-
, dauerit: facturus peiora ciuili iuri, ſi non

magis

, magis ſæculi gladium , quam Pontificis ex-
, communicationes , & cenſuras metuiſſet .

De Conc.

, Iam verò ſacroſanctis Concilijs palam
, contradicere, & pro ſuo arbitratu detrahere,
, non erubeſcit , quibus potiſſimum Conſtan-

De Concil. Cōſtantien.

, tienſe illud , quod cum perpetua Inclitæ Ger-
, manicæ nationis gloria , pacem , & tranquil-
, litatem diſſidenti Eccleſiæ dedit ; ita vbique
, mordet , & impuro ſceleratoque ore lacerat ,
, vt in magnum vniuerſalis Eccleſiæ dedecus ,
, & offendiculum , ſed Germanicæ præſertim
, nationis opprobrium , & ignominiam , Con-
, cilium ipſum nunc peſſimè omnium erraſſe
, ſcribat , nunc ſynagogam Sathanæ, quique
, in eo conuenerant , & Ioannem Huſſitam hæ-
, reſiarcham, comburi iuſſerant, Sigiſmundum
, vtique fel. re. Imperatorem , & ſacri Imperij
, Principes , Antichriſtum , & ſuos Apoſtolos,

De Ioann. Huſs,

, homicidaſque , & Phariſæos vocet . Quid ,
, quod damnata in eodem Concilio omnia Io-
, annis Huſſitæ errata , Euangelica , & Chri-
, ſtiana eſſe , & ſe recipere , probaturumque
, profitetur : Approbatos verò eiuſdem Huſſi-
, tæ articulos nequaquam admittit . In tan-
, tamque prorupit mentis veſaniam , vt ſi ſe-
, mel Ioannes Huſſita fuerit hæreticus , ſe plus
, decies hæreticum Martinus glorietur : homo
, vſque adeo nouarum rerum , ac potius perdi-
, tionis humanæ cupidus , vt nihil fere ſcripſe-
, rit vel ſaltem ſuo nomine diuulgauerit , cui
, non aliqua peſtis , aliquis lethalis inſit acu-
, leus: præter illos libros , ne nominandos qui-
, dem, ob execrandam eorum materiam ipſius
, tamen titulo editos , & ab eo cum reliquis ,
, vt ſuos agnitos , quorum ſingula verba , ſin-
, gula venena merito quis dicat. Et ne omnia,
, quæ innumerabilia ſunt , Lutheri errata ſingu-
, latim percenſeantur , tanquam ſi hic vnus ,
, non homo ſed diabolus ipſe , ſub hominis
, ſpecie, ad perniciem humani generis , aſſum-
, pta Monachi cuculla , quamplurimorum hæ-
, reticorum damnatiſſimas hæreſes , iam diu
, ſepultas , in vnam ſentinam congeſſerit, &
, aliquas etiam nouiſſimè de ſuo excogitaue-
, rit , ſub ſimulata prædicatione fidei , quam
, ad prætexendos ſuos dolos , tam ſæpè , tan-
, toque opere obijcit: fidem veram prorſus de-
, ſtruit ſub libertatis , quam promittit ſpecie,
, diaboli iugum , & ſeruitutem inducit , & ſub
, Euangelicæ profeſſionis nomine , omnem
, Euangelicam pacem , & charitatem, omnem-
, que rerum ordinem , & pulcherrimam deniq;
, totius Eccleſiæ faciem inuertere , labefactare,
, & penitus peſſundare molitur .

IV. Cauſæ huius Edicti , & proceſſus .

, Quibus omnibus per nos , & Conſilia
, noſtra omnium nationum nobis ſubditarum,
, ſæpius , & diligenter attentis , & conſidera-
, tis, & præſertim in hac parte ab eodem Bea-
, tiſſimo Patre requiſiti : abſque inſigni macu-
, la noſtra , atque Orthodoxæ Religionis iniu-
, ria, & detrimento , rem tanti ponderis negli-
, gere nequaquam potuimus, vt etiam non de-
, buimus , neque voluimus : ſed potius Præde-
, ceſſorum noſtrorum Romanorum Imperato-
, rum , veſtigijs inſiſtentes , eorumque pro li-
, bertate Catholicæ , & Apoſtolicæ Eccleſiæ
, perpetuo laudabilia ſacta, ac pias, & ſanctas,
, ſuper puniendis , & exterminandis hæreticis
, conſtitutiones obſeruantes , conuocatis , ſæ-
, pius ad præſentiam noſtram propter hoc præ
, cipuè , Electoribus : nec non vniuerſis ſacri
, Romani Imperij Ordinibus & ſtatibus, in
, hoc Vvormatienſi Conuentu congregatis, de
, eorum omnium & ſingulorum vnanimi Con-
, ſilio , matura deliberatione , & conſenſu , in
, hanc tandem deuenimus ſententiam & con-
, cluſionem, vt quamuis hominem, ita à ſum-
, mo Pontifice & Sede Apoſtolica condemna-
, tum & in ſua obſtinata perverſitate obdura-
, tum , atque ab vſu Catholicæ Eccleſiæ alie-
, num , & notorium hæreticum audire , omni
, iure exceptum eſſet : tamen ad tollendam
, omnem cauillandi anſam (idque quia non-
, nulli pleroſque libros Martino aſſcriptos ,
, ipſius eſſe apertiſſimè inficiabantur) complu-
, res audiendum à Nobis prius hominem ,
, quam in eum ad executionem Pontificij De-
, creti vlterius procederemus , aſſeuerabant ,
, Martinum ſæpedictum , miſſo ad ipſum , de-
, dita opera , vno è Caduceatoribus ſeu Præ-
, conibus & Heraldis noſtris, ſub huc venien-
, di & hinc recedendi ſaluo conductu, accerſi-
, ri iuberemus . Quod & factum fuit : Non

Nota:

, vt nos de hoc negotio iudicaremus aut co-
, gnoſceremus (cum id dubio procul ad Ro-
, manum Pontificem , & ſedem Apoſtolicam
, pertineat) neque vt res ſacroſanctæ fidei no-
, ſtræ , nunc tandem , poſt tot ſæcula , per no-
, uas altercationes cum magno fidelium ſcan-
, dalo & perturbatione, ac infidelium deriſio-
, ne , in controuerſiam reuocari pateremur :
, Sed vt cum vulgi & plurimorum ita peten-
, tium ſatisfactione, hominis animum perten-
, tantes, cum bonis monitionibus & ſuaſioni-
, bus , ad rectam ſemitam (ſi fieri poſſet) re-
, duceremus . Itaque Lutherum in noſtra &
, ſacri Imperij Electorum , Principum , Præla-
, torum & ſtatuum præſentia conſtitutum, iu-
, xta formam Imperialis mandati ſuper hac re
, nuper editi interrogari iuſſimus . Primum ,

Interrogatur Luth. in Conc. de libris .

, nunquid ipſe multos libros ſibi ab oculos
, adductos , & titulatim nominatos , & alios
, item , qui ſub ſuo nomine circumferuntur ,
, compoſuiſſet . Deinde , an ea , quæ in ſuis
, libris contra ſacra Concilia, Decreta Patrum,
, ritus, & cōſuetudines à noſtris maioribus ad
, hunc vſque præſentem diem obſeruatas ſcri-
, pſerit , reuocare vellet & ad ſinum & vnita-

An ſcripta ſua reuocare velit .

, tem Vniuerſalis Eccleſiæ redire , adhibitis
, ad hoc noſtro & Imperij nomine admoni-
, tionibus & adhortationibus , quæ obſtina-
, tiſſimum hominem (etiam lapide duriorem)
, emollire , & conuertere potuiſſent . Qui ſanè

Agnoſcit libros ſuos .

, ſtatim libros ipſos ante dictos, vt ſuos, agno-
, uit , & confeſſus eſt , & nunquam ſe id ne-
, gaturum proteſtatus : Immo & adhuc alios
, ſe compoſuiſſe dixit , quorum copia cum no-
, bis non fuiſſet facta, idcirco in medium non
, fuerunt allati .

, Quantum vero ad reuocationem attinet.
, terminum ſibi ad reſpondendum dari petiit,
, qui quamuis merito negari potuiſſet , tum
, quia nouitates & errores in fide nulla ſunt
, dilatione tractandi , ſed ſtatim penitus reſe-
, candi : Tum quia ex mandato noſtro ſibi le-
, gitime inſinuato , nec non etiam literis quas
, ad eum dederamus, optimè admonitus , quā
, ob cauſam vocaretur , non niſi ſtatim reſ-

Indulgetur Luth. terminus vnius diei ad errorum reuocationem .

, pondere paratus, ad tantum Imperialis con-
, uentus conſenſum venire debuiſſet : Tamen
, ex noſtra clementia & benignitate, vnius ad-
, huc diei terminum ad reſpondendum ſibi de-

dimus

dimus. Quo elapſo, rurſus coram Nobis, prædictis Ordinibus Imperij comparens, & ſimilibus adhortationibus, ſæpius vt ad cor rediret, efflagitatus, pollicentibus etiam nobis, ſi reſipiſceret, erroreſque ſuos agnoſceret, & quæ in ſuis libris damnara & mala eſſent, reuocaret: facilè nos impetraturos, vt à Beatitndine Pontificis in gratiam benignè reciperetur, & adhibito fideli, æquo, & examine, ex ipſis libris quæ mala ſcripſerat, ſecernerentur: quæ verò bona, Authoritate Apoſtolica approbarentur. Sed ne verbum quidem in ſuis libris mutaturum, imprudentibus ſimul & impudentibns verbis, oriſque & corporis geſtu, quoduis potius, quam religioſum aut ſanum hominem præſeferente, apertiſſimè negauit. Quinnimo, in noſtram & ſacri Imperij faciem, ſummorum Decreta Pontificum & Concilia ipſa ſacroſancta, èrraſſe ſæpius, & ſibi ipſi contradixiſſe, & tandem nullius apud ſe momenti fote aſſeuerauit, ſeque nihil ex his, quæ ſcripſerat, reuocaturum niſi euidenti ſibi ratione, & ſacræ Scripturæ authoritatibus, ad ſuæ conſcientiæ animique ſatisfactionem, & aſſenſum fuerit conuictus: illud ſubinde repetens, & inculcans, (quo fraudum ſuarum virus, iam multis detegi cœptum, occultaret) conſcientia ſibi illæſa & integra neque velle ſe, nec poſſe verbum Dei immutare; Mala mens, malus animus. Quaſi verò Nos id ab eo peteremus, vt verbum Dei immutaret, ac non potius, vt iuxta verbum Dei verum, ad gremium ſanctæ Eccleſiæ, à qua tam implè quam turpiter defecerat rediret. Cuius Authoritatem, quum tantam voluerit eſſe Dominus, idemque Deus noſter Ieſus Chriſtus, vt qui Eccleſiam non audierit, tanquam Ethnicus &, Publicanus ſit habendus. Idcircò non immeritò vel eam ſolam omnibus inuentionibus & vaframentis hæreticorum longè anteferendam, nemo numquam, niſi perditiſſimus, & verè hæreticus & Lutherus iudicauit, qui vt tandem egregia ſua hic acta condigno fine clauderet, & quod peſſimè inceperat, peius terminaret, & quid animi habeat, & quam fidelium clade exultet vel in noſtro & ſacri Imperij conſpectu diſſimulare non potuit. Nam detorta (vt hæreticis mos eſt) à vero ſenſu ad ſuam impietatem Euangelica illa ſententia: *Non veni mittere pacem, ſed gladium*; omnium ſibi dixit iucundiſſimam iſtam in rebus faciem videri ob verbum Dei, ſtudia & diſſenſiones fieri: Id eſt (quod vtinam ne experientia videremus) ob diſſidentes ab Eccleſiæ ritu Lutheri opiniones, quas verbi Dei falſo titulo prætexit, verè ſtudia contraria, & diſſenſiones & diffidia, & ſchiſmata, & bella, & cædes, & rapinas inter Chriſtianos concitari.

Impudens Lutheri reſponſum.

Lutheri verſutia.

Quanta Eccleſiæ authoritas.

Luth. proteruia.

Hæretici diſſenſionum amatores.

Tali igitur, & tam ſubdola, atque hæreticis omnibus peculiari, reſponſione, Nobis & ſacro Imperio à Luthero data, etſi decreueramus, ipſo ſtatim remiſſo, ad vlteriora progredi (id quod ex ſententia noſtra manu noſtra ſcripta, & poſtera die publicata, nemini non conſtare poteſt (Tamen ad præces omnium Imperij Ordinum inclinati, adhuc ipſi triduum ad reſipiſcendum conceſſimus. Quo tempore duo Electores, duo Epiſcopi, duo Principes ſeculares, duoque ciuitatum nomine, vniuerſos Ordines, & ſtatus ſacri Romani Imperij repræſentantes, & ad hoc communi omnium iuſſu, & nomine deputati, vocato ad ſe Martino prædicto nullum non admonendi & adhortandi eum, vt tandem reſipiſceret, & niſi id faceret, quæ ipſum à Nobis & ſacro Imperio, legumque conſtitutionibus pœnæ manerent, declarandi officium fruſtra inſumpſerunt. Vnus etiã eiuſdem ſacri Imperij Elector, adhibitis ſecum duobus Doctoribus, pietate & ſcientia præclaris, non ſolùm adhortationibus, ſed etiam multorum errorum euidentibus redargutionibus, ad ipſius vſque obmuteſcentiam factis mox ſeorſum ipſum prudenter & humanè commonefecit, vt ad ſummi Pontificis & ſedis Apoſtolicæ Noſtrumque & ſacri Imperij ſtatuum & cæterarum fidelium Nationum, ſanam ſententiam iuxta continuatum tot ſæculis Eccleſiæ ritum, potius quam ad ſuam vnius opinionem reſpiceret. A qua, ſi recedens, in ordinem redire vellet, id ſe primum nonnullorum ſanctorum Patrum, qui & ipſi aliquando errauerunt, laudabili exemplo, deinde ſaluis anima, corpore & honore facturum cognoſceret. Ad quæ Martinus attendens, etſi varia pleraque & diuerſa cumque eis quæ ſcripſerat, pugnãtia, nihilo tamen meliora, aut ſaniora, priuatim reſpondit quod publicè coram Nobis & ſacro Imperio fecerat. Atque adeo ſe, non omnes modo ſupra memoratos, ſed & Concilium ipſum Generale (ſi quod fieret) ſuſpectum habere proteſtatus eſt, & (vt certiſſimo & omni exceptione maiori teſtimonio nobis conſtat (pollutiſſimo & ſceleratiſſimo ore profari non eſt veritus, res Euangelij & Catholicæ fidei numquam fuiſſe in Concilijs generalibus bene tractatas. Vnde non iniuria plurimum nobis mirari ſubiret, cur nam à ſummi Pontificis ſententia ad generale Concilium nuper prouocarit, quum tam impiè de Concilijs ipſis loquatur, & ſcribat, niſi manifeſtè ſciremus, vt nihil eſt hæreticis æquè formidabile, atque Occumenicum Concilium: ita nihil illis ijſdem magis proprium eſſe, quam vt dictis factiſque & ſcriptis, ſecum ipſi diſſideant. Quod ſi vſquam alibi, præcipuè in Lutheri libris (diuina prouidentia ſic operante, quo ipſius vana ædificia per ſe ruant) paſſim legere & videre eſt.

Concedítur Luth. triduũ ad reſipiſcẽdum.

Salubria monita Luthero data.

Impia Lutheri reſponſio.

Nichil hæreticis æque formidabile atque Oecumen. Conc.

His omnibus & ſingulis, ſic omnino vt præmittitur, ſe habentibus, quum prædictus Martinus, tam peruerſè & obſtinatè in ſuis adeo manifeſtè hæreticis opinionibus perſiſteret, vt ab omnibus ijs, qui ſapiunt, partim demens, partim etiam malo aliquo obſeſſus ſpiritu iudicaretur. Nos iuxta tenorem ſalui conductus, ipſum ſtatim à conſpectu noſtro miſſum fecimus, datoque ſibi in comitatu vno ex Heroldis noſtris præſcripto termino, à die viceſimaquinta menſis Aprilis, qua ex Vvormaria diſceſſit ad viginti, deinde proximè futuros dies, quibus peractis, vna ſalus conductus peractus extinctus cenſeretur. Nunc tandem ad reliquas opportunas medelas, huic peſtilentiſſimo morbo neceſſarias, in hunc qui ſequitur modum procedere decreuimus.

Primum omnium ad honorem Dei Omnipotentis, Romanique Pontificis, & ſanctæ,

Sententia in Lutherum ab Imp. Carol. lata, in executionē ſententiæ ſummi Pont.

ſtæ ſedis Apoſtolicæ debitam reuerentiam, pro Imperialis dignitatis officio, ac debito nec non zelo, & ſtudio quo Noſtrorum Maiorum more, & ingenita etiam Nobis vi ad defenſionem Catholicæ Fidei, ſanctæque Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ honorem, tutelam, & protectionem, omnes noſtras vires & facultates, Imperium, Regna, Dominia, amicos, vitam denique & animam ipſam noſtram exponere ſumus parati. Ex Imperiali, & Regia authoritate, nec non Conſilio & aſſenſu Electorum, & omnium Sacri Romani Imperij Principum, Ordinum, & ſtatuum, in hac celeberrima & frequentiſſima Imperiali dieta Vvormatiæ congregatorum, ad perpetuam rei memoriam, exequendo Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, veri in hac parte iudicis, ſententiam, decretum & condemnationem, in literis Apoſtolicis (vt ſupra dictum eſt) ad nos directis contentam Martinum Lutherum vt membrum ab Eccleſia Dei abalienatum, vt obſtinatum, ſchiſmaticum, & notorium hæreticum à Nobis haberi declaramus, & vt talem à Vobis omnibus & ſingulis habendum decernimus, & edicimus: Mandantes de eorundem ſtatuum conſilio & conſenſu ſub criminis leſæ Maieſtatis, Noſtræque & ſacri Imperij grauiſſimæ indignationis, ac etiam amiſsionis feudorum, Dominiorum & bonorum omnium, gratiarum quoque & omnium Priuilegiorum à nobis, & ſacro Imperio dependentium, quæ obtinuiſtis hactenus, aut prædeceſſores veſtri quomodolibet obtinuerunt, nec non proſcriptionis ac Banni, & interdicti Imperialis pœnis: ne quis veſtrum præfatum Martinum Lutherum receptare, defendere, ſuſtentare, fouere, dicto, facto, aut ſcripto præſumat. Quinnimo poſt elapſum ſupradictum viginti dierum terminum contra eum vbicumque deprehenſus fuerit, & in manu aut facultate veſtra erit iuxta formam Imperialis Banni procedatis, vel ſaltem perſonaliter captum tam diu cuſtodiatis, donec Nos à Vobis de hac re certiores facti de legitima in eum proſecutione facienda Vobis ſignificemus, & Vos tam ſancti operis & laboris debita præmia, & mercedem etiam vberem, cum impenſis ob hanc cauſam factis reporteris.

Lutherus hæreſos dānatur.

Pœnæ contra inobedientes.

Contra Receptatores, fautores, ac ſectatores.

Et nihilominus eiuſdem Martini adhærentes, receptatores & quomodolibet fautores & ſectatores (niſi ſe iniquitatis ſemitam deſeruiſſe & authoritate Apoſtolica abſolutionis remedium conſecutos eſſe, fidem condignam fecerint) iuxta ſacras conſtitutiones, ac interdicti, & Banni Imperialis legem & ordinem liberè, & abſque vlla contradictione proſequamini, illoſque, & illa capiatis, & in vſus veſtros optimo & pleno iure conuertatis. Mandamus inſuper Vobis omnibus & ſingulis præfatis ſub eiſdem prænominatis pœnis, ne quis Martini Lutheri ſcripta à ſummo Pontifice authoritate ſua Apoſtolica (vt præmittitur) damnata, aut alia quęcumque tàm Latino quàm Alemanico, ſeu alio quouis Idiomate ab eo hactenus compoſita, vel in poſterum componenda, vt pote mala, ſuſpecta, & à notorio & pernicioſiſſimo hæretico prouenientia emere, vendere, tenere, legere, deſcriberę, imprimere, aut deſcribi vel imprimi facere, aſſerere, ſuſtentare, prædicare, defendere præſumat, non obſtante quod in illis etiam aliqua bona (ad fallendas ſimplicium mentes) immixta eſſent. In quo præter iuſtam Sedis Apoſtolicæ ſententiam etiam laudatiſſimam Veterum Patrum inſtitutionem, & conſuetudinem omnino exequendam duximus: qui Arrianorum, Priſcillianiſtarum, Neſtorianorum, Eutychianorum, & aliorum hæreticorum libros, & in illis contenta omnia tàm bona, quàm mala, promiſcue exuſſerunt & adnihilarunt. Neque id immeritò. Nam ſi optimi quique vbi vnius tantùm guttæ veneni (quo humanum corpus lęderetur) infuſione ſuſpecti penitus ſunt abijciendi: quanto magis ea ſcripta, quibus tanta, & tam noxia animabus venena paſſim inſerta ſunt, non ſolùm nobis cauenda ſunt ſed etiam (ne alijs noceant) prorſus deſtruenda & corrumpenda, atque ab omni hominum memoria veniunt obliteranda. Accedit ad id, quod quicquid boni in Martini libris reperitur, id antea à ſanctis Patribus quos Eccleſia recepit & approbauit, ſæpe dictum, & ſæpius repetitum, abſque vllius periculi aut mali ſuſpicione, legi & haberi poteſt.

De Lutheri ſcriptis quibuſcunque.

VI. Decretum de Luth. libris comburendis.

Quapropter ſub eiſdem pœnis omnibus & ſingulis ſupradictis, Vos omnes & quilibet Veſtrum, tàm Principes, quàm alij, ad quos iuſtitiam quomodolibet pertinet miniſtrare, & alij quicumque in vniuerſo Imperio, Regnis & Dominijs Noſtris conſtituti huiuſcemodi peſtiferos Martini libros, tàm Alemanicos, quàm Latinos impreſſos & imprimendos, aut etiam manuſcriptos, vbicumque reperiantur (vt pote magnæ ſeditionis, ſchiſmatis, hæreſeos, in Eccleſia Dei fomites) diripiendos & publico igni conſumendos, penituſque abolendos cum effectu curetis, Apoſtoliciſque Nuncijs ſeu eorum Commiſſarijs ſi operam veſtram ad hanc rem requiſiuerint, fideliter & diligenter aſſiſtatis: & nihilominus in eorum abſentia, per Vos ipſos hæc ſic fieri noſtro nomine & iuſſu, omnino & reipſa faciatis. In quo omnibus fidelibus, dilectis ſubditis noſtris, vt Vobis ac Nobiſmetipſis aſsiſtant, & pareant, tenore præſentium ſub eiſdem pœnis iniungimus & mandamus: verum quia maximè cauendum eſt, ne Martini libri, aut ex illis excepta mala, ſuppreſſo, aut etiam mutato authoris nomine publicentur: quia etiam non ſine magna animi noſtri offenſa, multos quotidie videmus & audimus cum alibi, tum maximè in Germania, componi & imprimi libros pluribus malis traditionibus, & exemplis refertos. &c, ne non omni aſtu, & dolo humanæ naturæ hoſtis Chriſtianis laqueos tendat multos, paſſim diuulgari picturas & imagines, non in opprobrium modo priuatarum perſonarum, ſed & ipſius ſummi Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ contumeliam ex cogitaras, ex quibus omnibus libris, & picturis Chriſti fideles in maximos, tàm in fide, quàm in vita, & moribus prolabuntur errores, & non ſolùm priuata odia, ſcandala, & ſimultates (prout experientia docet) multis in locis exorta fuerunt: verùm etiam ſeditiones, tumultus, rebelliones ſchiſmata in Regnis, Prouincijs, & populis, atque

De non emendis vendendis legēdis habendis libris vel picturis famoſis.

vniuerſa DEI Eccleſia (niſi prouideatur) iamiam excitanda formidantur.

Idcircò ad hanc perniciosiſſimam peſtem extinguendam, ex ſupradictorum Electorum, & ſtatuum concordi animo, & ſententia, omnibus, & ſingulis ſupradictis tam Imperiali, quàm hæreditario iure Nobis ſubditis ſub iam ſæpedictis omnibus pœnis præcipimus, & mandamus nè quis huiuſmodi famoſos, & peſtilentes libros, ſeu quaſcunq; alias ſchedas, ſcripturas, imagines, picturas, contra Orthodoxam fidem, bonos mores, & id, quod Sancta Romana Eccleſia hactenus obſeruauit: Atque etiam inuectiuas criminationes, & ignominias, contra Summum Pontificem, Sedem Apoſtolicam, Prælatos, Principes, Vniuerſitates ſtudiorum, & eorum facultates, honeſtas perſonas, componere, ſcribere, imprimere, depingere, vendere, emere, tenere, habere, aut imprimi, deſcribi, depingi, vel vendi facere, quauis arte, aut dolo audeat, aut attentet. Quinimmo ſub eiſdem pœnis iubemus omnibus, & ſingulis ſupradictis, & præſertim ijs, qui iuſtitiæ miniſterio præſunt, vt eiuſmodi libros quoſcunque antehac impreſſos, vel poſthac imprimendos, nec non etiam manuſcriptos, cuiuſcunque ſint authoris, aut vbicunque locorum per ſacrum Imperium, atque etiam noſtra hæreditaria Regna, & Dominia, inueniantur, ſimiliter etiam picturas huiuſmodi, & imagines noſtro iuſſu, & nomine occupent, diripiant, & publico igni comburant. Et nihilominus huiuſmodi deteſtabilem librorum, codicum, ſchedarum, ſcripturarum, & picturarum authores, & inuentores, ac etiam poſt præſentis mandati publicationem Impreſſores, Emptores, & Venditores, qui contra iuſſa noſtra facere præſumpſerint (ſi modo id legitimè conſtiterit) nec non eorum iura, & bona omnia, & ſingula capiant, apprehendant, & detineant, ac iure bono quicquid ſibi libitum fuerit de illis diſponant: ita, quod de hoc nulli hominum, tam in iudicio, quàm extra, reſpondere ſint obligati.

De libris exurendis, & nõ imprimẽdis.

Atque vt omnis eiuſcemodi, & aliorum errorum occaſio tollatur, & ne talia ſcribentium venena longè, latèque diffundantur, ſed præclarum imprimendi libros artificium in bonos tantùm, & laudabiles vſus exerceatur: & ex certa noſtra ſcientia, animoque deliberato, ac Imperiali, Regiaque authoritate, de maturo ſupradictorum Electorum, & aliorum Romanorum Imperatorũ ſtatuum conſilio, deliberatione, & vnanimi conſenſu, volumus, & ſub Banni, & interdicti Imperialis, ac alijs antedictis pœnis præcipimus, & iubemus tenore præſentium Edicti, quod vim inuiolabilis legis habere decernimus. Ne quis de cætero Chalcographus, & librorum impreſſor, aut alius quiuis vbilibet per Sacrum Imperium, atque noſtra prædicta Regna, & Dominia conſtitutus, libros vllos, ſeu aliam quamcumque ſcripturam in quibus de ſacris literis, aut fide Catholica aliquid, vel minimum tractatur, non habito prius conſenſu, & voluntate Ordinarij loci, aut eius ad hoc ſubſtituti, & deputati, cum authoritate etiam facultatis Theologicæ alicuius propinquæ vniverſitatis, pro prima videlicet impreſſione: Alios verò cuiuſcunque rei, & facultatis libros, & ſchedas, & picturas de conſenſu ſaltem Ordinarij, aut eius ad hoc Subſtituti vllo pacto imprimere, vel vendere, aut imprimi, vel vendi facere directè, vel indirectè quoquo modo præſumat, aut attentet.

De cenſura librorũ imprimendorũ

Quod ſi quis cuiuſcunque ſit dignitatis, gradus, aut conditionis, hanc noſtram mentem, decretum, ſtatutum, legem, & ordinationem, in omnibus, & ſingulis ſupradictis, tam Lutheranam, quàm impreſſoriam materiam concernentibus, inuiolabiliter obſeruandam, vllo pacto, aut quouis quæſito colore, vel ingenio contrafacere, aut venire, auſu temerario præſumpſerit: prӕterquam quod illud irritum decernimus, & inanè etiam in læſæ Maieſtatis crimen, ac Noſtram, & Sacri Imperij grauiſſimam indignationem proſcriptioniſque, & Banni, ac interdicti Imperialis, nec non alias ſæpedictas pœnas, ſe, ipſo facto, incurriſſe cognoſcat harum teſtimonio literarum ſigilli noſtri munimine roboratarum.

Datum in Ciuitate noſtra Imperiali Vvormatia, die octaua Menſis Maij; Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo primo, Regnorum noſtrorum, Romani ſecundo; cæterorum verò omnium ſexto.

HÆc CAROLVS V. diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, in vim executionis Apoſtolicæ Cõſtitutionis ſanciebat: ne à lectione peſtilentium librorum, Chriſti fideles contaminarentur, corrumperenturue. Cui rei proſpicere volentes, & Pontifices Romani, & Patres Oecumenici Concilij Tridentini, inprimis Paulo III. edicente in Impreſſores decreuerunt, vt nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quoſuis libros de rebus Sacris ſine nomine authoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario, ſub pœna anathematis, & pecuniæ, in canone Concilij nouiſſimi Lateranenſis apposita.

Decretum Patrũ Conc. Trid. de nõ imprimẽdis vendendis legendis vel habendis libris hæreticis. Seſſ. 4.

Et ſi Regulares fuerint, vltra examinationem, & probationem huiuſmodi, licentiam quoque à ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam ſuarum ordinationum. Qui autem ſcripto eos communicant, vel euulgant, niſi antea examinati, probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubiaceant quibus impreſſores. Et qui eos habuerint, vel legerint, niſi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipſa verò huiuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, atq; adeò in fronte libri, vel ſcripti, vel impreſſi, authenticè appareat; idque totum, hoc eſt & probatio, & examen gratis fiat, vt probanda probentur, & reprobentur improbanda. Item Pio IV. ſedente, eadem Oecumenica Synodus, cum omnium primum animaduerterit, hoc tempore ſuſpectorum, ac pernicioſorum librorum, Seſſ. 18.

rum,

rum, quibus impura doctrina continetur, & longè, latèque diffunditur, numerum nimis excreuiſſe, quod quidem in cauſa fuit, vt multæ cenſuræ in varijs Prouincijs, & præſertim in Alma Vrbe Roma, pio quodam zelo editæ fuerint, neque tamen huic tam magno, ac pernicioſo morbo ſalutarem vllam profuiſſe medicinam, cenſuit, vt delecti ad hanc diſquiſitionem Patres, de cenſuris, libriſque, quid facto opus eſſet, diligenter conſiderarent, atque etiam ad eandem ſanctam Synodum ſuo tempore referrent: quo facilius ipſa poſſet varias, & peregrinas doctrinas, tamquam zizania à Chriſtianę veritatis tritico ſeparare: deque his commodius deliberare, & ſtatuere, quæ ad ſcrupulum ex complurium animis eximendum, & tollendas multarum quærularum cauſas, magis

Seſ. 25.

opportuna viderentur. Hæc autem omnia ad notitiam quorumcumque deducta eſſe voluerat, vt ſi quis ad ſe pertinere aliquo modo putaret, quæ vel de hqc librorum, & cenſurarum negotio, vel de alijs, quæ in eodem Generali Concilio tractanda forent, non dubitaret, à ſancta Synodo ſe benignè auditum iri. Denique eadem ſancta Synodus, cùm ob librorum varietatem, & multitudinem, non poſſet propter breuitatem temporis diſtinctè, & commodè, de varijs cenſuris, ac libris vel ſuſpectis, vel pernicioſis, quorumdam Patrum, quibus id commiſerat iudicio in indicem relatis decernere, præcepit, vt quicquid ab illis præſtitum fuiſſet, Sanctiſſimo Romano Pontifici exhiberetur, vt eius iudicio, atque authoritate terminaretur, atque euulgaretur,

Pius porrò IV. inprimis prædeceſſorum

Facultates legendi libros hæret. ſublata.

ſuorum Iulij III. & Pauli IV. veſtigijs inhærens, omnes, & ſingulas facultates habendi, & legendi libros Lutheranos, & aliorum hæreticorum, ſeu de hæreſi ſuſpectorum, omnibus tam Clericis ſecularibus, & regularibus, quàm laicis cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis ſint, etiamſi Epiſcopali, vel Archiepiſcopali, aut alia maiori Eccleſiaſtica, ſeu ſeculari dignitate præfulgerent, (Inquiſitoribus, & Commiſſarijs hæreticæ prauitatis à Sede Apoſtolica deputatis, quoad eo officio fungentur, exceptis) reuocauit, deinde ſub cenſuris, ſententijs, & pœnis tam à ſacris Canonibus, quàm à Sede Apoſtolica conſtitutis, nè quis vel hactenus conceſſis facultatibus vti, vel vllos omninò libros huiuſmodi improbatos, & prohibitos, aut quos inpoſterum à Sede Apoſtolica, Inquiſitoribuſue hæreticæ prauitatis, aut locorum Ordinarijs improbari, prohiberique contigerit, legere, habereue quacumque de cauſa audeat, inhibuit: & Impreſſoribus, Bibliopolis, alijſque, qui huiuſmodi libros haberent, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna incurſus criminis hęreſis, & alijs contra hæreticos à iure inflictis, & irrogatis, tam Eccleſiaſticis, quàm temporalibus ſententijs, cenſuris, & pœnis præcepit, ac mandauit, vt eos libros intra ſexagin-

Index librorum prohibitorum, & regulæ ſuper cenſura librorum à PP Conc. Trid. editæ a Pio IV. approbatæ.

ta dies, à publicatione earum literarum, Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, in Ciuitatibus in quibus ij libri forent, traderent, atque conſignarent. Ad extremum, Indicem librorum prohibitorum, & regulas à Patribus, authoritate Sacri Concilij deputatis, ſuper cenſura librorum editas, approbauit, Conſtitutione ſaluberrima edita.

PIVS PAPA IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Conſtitutio Pij IV.

Dominici gregis cuſtodiæ Domino diſponente præpoſiti, vigilis more Paſtoris non deſiſtimus ipſi gregi ab imminentibus periculis, quanta maxima cura, & diligentia praecauere, ne propter negligentiam noſtram pereant oues, quæ pretioſiſſimo Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguine ſunt redemptæ. Etſi autem quæ ad fidei veritatem patefaciendam, & ad horum temporum hæreſes confutandas pertinebant, in Oecumenico, & Generali Concilio Tridentino, Sancti Spiritus aſſiſtente gratia, nuper adeo enucleata, ac definita fuerunt, vt facile iam ſit vnicuique, ſanam, Catholicamque doctrinam à falſa, adulterinaque internoſcere: tamen cùm librorum ab hæreticis editorum lectio, non modo ſimpliciores homines corrumpere ſoleat, verùm ſæpe etiam doctos, eruditoſque in varios errores, & à veritate fidei Catholica alienas opiniones inducere, huic quoque rei eſſe duximus prouidendum.

1. *Cùm autem aptiſſimum ei malo remedium eſſe ſciremus, ſi componeretur, atque ederetur Index ſiue Cathalogus librorum, qui vel hæretici ſint, vel de hæretica prauitate ſuſpecti, vel certè moribus, & pietati noceant, id negotium ad Sacram Tridentinam Synodum reiecceramus, ea verò ex tanta Epiſcoporum, & aliorum doctiſſimorum virorum copia delegit ad eum conficiendum Iudicem, multos cum doctrina, tum iudicio inſignes Prælatos ex omnibus fere nationibus. Qui quidem non ſine maximo labore, plurimiſque vigilijs eum Indicem, tandem Deo iuuante perfecerunt, adhibitis etiam in conſilium lectiſſimis quibuſdam Theologis. Peracto autem Concilio, cùm ex ipſius Synodi decreto is Index nobis oblatus fuiſſet, vt ne ante ederetur, quam à nobis approbatus fuiſſet, Nos doctiſſimis quibuſdam, probatiſſimiſque Prælatis eum accuratiſſimè legendum, examinandumque tradidimus, & ipſi etiam legimus.*

2. *Cùm igitur eum magno ſtudio, acri iudicio, diuturna cura confectum, & præterea commodiſſimè digeſtum eſſe cognouerimus, nos ſaluti animarum conſulere, eamque ob cauſam prouidere cupientes, ne libri, & ſcripta cuiuſcumque generis, quæ in eo improbantur, ſiue vt hæretica, ſiue vt de hæretica prauitate ſuſpecta, ſiue vt pietati, ac morum honeſtati inutilia, aut aliqua ſaltem correctione indigentia, poſthac à Chriſti fidelibus legantur, ipſum Indicem, vnà cum regulis ei præpoſitis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, imprimique, ac diuulgari, & ab omnibus Vniuerſitatibus Catholicis, ac quibuſcumque alijs vbique ſuſcipi, eaſque regulas obſeruari mandamus, atque decernimus.*

3. *Inhibentes omnibus, & ſingulis, tàm Eccleſiaſticis perſonis ſecularibus, & regularibus cuiuſcumque gradus, ordinis, & dignitatis ſint, quam laicis quocumque honore, ac dignitate præditis, nè quis contra earum Regularum præſcriptum, aut ipſius prohibitionem indicis, libros vllos legere, habereue audeat. Si quis autem aduerſus eas regulas, prohibitionemque fecerit; is quidem, qui hæreticorum libros, vel cuiuſuis auctoris ſcripta propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritue; ipſo iure excommunicationis pœnam incidat, eamque ob cauſam in eum tamquam de*

hæreſi ſuſpectum, inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas ſuper hoc ab Apoſtolica Sede, ſacriſque Canonibus conſtitutas. Qui autem libros alia de cauſa prohibitos legerit, habueritue, præter peccati mortalis reatum, Epiſcoporum arbitrio ſeuerè ſe nouerit puniendum.

4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, ne excommunicari poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, &c.

Conſtitutio Cardinaliũ à Sixto V. ad expurgationem, & quare.

Hæc pia Pij Quarti inſtitutio, ſeu indicis approbatio, & publicatio, vt perpetua foret, Sixtus V. Congregationem ad librorum expurgationem, ex nonnullis S. R. E. Cardinalibus conſtituit, eam quam adſcribo cauſam adferens. *Quia vero*, inquit, *hæreſis morbus animæ pernicioſiſſimus vt cancer ſerpit, & filij tenebrarum arcem Catholicæ veritatis omni machinationis genere oppugnant, libris præſertim hæreſis veneno infectis, promulgandis, aliiſque noxia doctrina aſpergendis, corrumpendiſque, poſtulat à nobis paſtoralis officij ſollicitudo, vt vulpes doloſas, & lupos rapaces ab ouili Chriſti omni vigilantia arceamus. Quare, vt Cardinales, qui ad libros prohibendos, expurgandoſue delecti ſunt, in ea cura diligenter, ac maiori cum fructu verſentur, has illis facultates tribuimus, vt librorum eiuſmodi Catalogos, & indices, aut olim, aut proximè confectos, eorumque regulas editas recognoſcant, atque examinent. Certorum auctorum libros prohibitos, aut quouis modo in prioribus indicibus ſuſpenſos diligenter excutiant, & prout expedire iudicauerint, permittant libros, qui poſt Indicem Tridentini Concilij iuſſu editum prodierunt, Catholicæ doctrinæ, Chriſtianorumque morum diſciplinæ repugnantes, expendant, & recognoſcant, ac vbi nobis retulerint, noſtra auctoritate reijciant. Eos libros, qui paucis erroribus reiectis, alioquin vtiles ſtudioſis eſſe poſſent, expurgandi, atque corrigendi modum ineant, indiceſque expurgatorios conficiant. Nouos præterea libros approbandi, & imprimendi rationem præſcribant. Vniuerſitatum, Pariſienſ. Bononienſ. Salamantin. Louanien. aliarumque probatarum ſtudia, ad librorum expurgationem, & correctionem excitent, earumque diligentem operam, & induſtriam requirant. Permittimus quoque eidem Congregationi, vt Theologis, Canoniſtis, aliiſq; peritis viris, pijs, atque idoneis, etiam aliunde accerſitis, ad hoc omne negotium Reipublicæ Chriſtianæ, tam in his temporibus neceſſarium adhibitis, eam ob rem tantum, nec vero alijs, libros vetitos tenendi, legendique, etiam abſque noſtra licentia impertiatur facultatem.*

Salutari Sixtinæ Conſtitutioni, etiam Clemens VIII. nouam aliam adiecit, Cardinales Congregationi præfecit, multiſque priuilegijs tantopere neceſſarium ad libros cenſendos officium amplificauit, iſtis verbis.

Clemens Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alia Clem. VIII. Conſtitutio pro librorum examine, & cenſura.

SAcroſanctum Catholicæ fidei depoſitum, ſine qua DEO placere, aut æternam ſalutem conſequi nemini licet, vt ſaluum in Eccleſia DEI perpetuo conſeruaretur, poſteriſque inuiolatum traderetur, Paſtoralis Romanorum Pontificum vigilantia, ſummo ſemper ſtudio, & contentione laborauit. Ipſi enim à Chriſto Domino, huius tam pretioſi depoſiti auctore, & illud fideliter cuſtodiendi, & bonum ſemen patrisfamilias ab inimici hominis zizanijs diſcernendi, & Eccleſiam ſalutari doctrina ædificandi, præcipuam curam ſummamque poteſtatem, in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum Principe acceperunt. Quocirca ſanctæ memoriæ Gelaſius Primus, & Gregorius Nonus, aliique complures Romani Pontifices prædeceſſores noſtri zelo zelati pro Domini exercituum, vt hanc fidei Catholicæ, doctrinæque integritatem, ſaluam incorruptamque in Eccleſia DEI retinerent, Apoſtolici animi magnitudine, pro muro domus Iſrael, aduerſus eiuſdem fidei hoſtes, ſeipſos opponentes, ne illorum dolis, & inſidijs imprudentes, & ſimpliciores homines caperentur, lucem à tenebris, praua à rectis ſeiunxerunt; quæ ſequenda, quæ cauenda eſſent Chriſti fidelibus declararunt; probatos, laudabiles, Orthodoxos libros ab adulterinis, pernicioſis, & apocryphis, ſingulari diligentia diſtinxerunt: poſtremo, hæreticorum impia dogmata, & noxia, ac venenata ſcripta, Conciliorum decretis, Pontificijs Conſtitutionibus, aut alio opportuno cenſuræ genere, condemnarunt.

1. Sed cum noſtris hiſce calamitoſis, & nouiſſimis temporibus, antiquus humani generis hoſtis a ſua malitia numquam recedens, ad eandem Catholicam doctrinam, & veritatem labefactandam, peſtiferas hæreſes, & deteſtabiles errores, aut nouos conflaſſet, aut veteres ex inferis excitaſſet, Sacra Tridentina Synodus, peſtilentem noxiorum librorum copiam, quæ plus nimio excreuerat coercere atque auferre cupiens, primum quidem doctiſſimos aliquot viros delegit, qui de tota ea re cognoſcerent, & deliberarent: deinde vero, cum ij in negotio non parum progreſſi eſſent, iuſtis de cauſis eadem Synodus permota, ad ipſam Apoſtolicam ſedem, integram rem deferendam ſtatuit.

2. Itaque fel. rec. Pius Papa Quartus prædeceſſor noſter, qui tunc ad Eccleſiæ gubernacula ſedebat, Prælatis quibuſdam doctrina, & prudentia præſtantibus adhibitis, Indicem librorum prohibitorum, & Regulas quaſdam, per ſuas literas in forma Breuis promulgauit, & eiuſmodi noxiorum librorum detrimentis depellendis opportune prouidit. Cæterum, licet illa pro temporis ratione, prudenter tunc fuerint conſtituta, tamen enim Sathanæ aſtutia, in huiuſmodi librorum editione noua in dies mala creſcerent; nam poſt illud tempus, alij etiam libri pernicioſi partim conſcripti atque editi, partim qui ſcripti erant, & antea delituerant, in medium prodiere; quorum lectione ſimplices, & incauti homines, in errores induci facilè poterant: Propterea piæ mem. Sixtus Papa Quintus Prædeceſſor noſter, multis illuſtratis, atque ad regulas adiectis neceſſarijs rebus, mandauit, vt nonnulli alij eiuſdem generis libri, eidem Indici adderentur.

3. Verum, cum idem Sixtus, re minime abſoluta, ab humanis exceſſerit, Nos animarum ſaluti, quantum cum Domino poſſumus, conſulentes, quod iampridem vtiliter cœptum, & à multis diu deſideratum erat, hoc tempore perficiendum, atque in lucem edendum duximus. Venerabili igitur fratri noſtro Marco Antonio Præneſtino de Columna, & dilectis filijs noſtris Auguſtino S. Marci, de Verona, Simeoni S. Anaſtaſiæ, de Terra no-

ra noua, Hieronymo S. Mariæ ſuper Mineruam, Aſculano, Federico S. Mariæ Angelorum in Thermis, Barromeo, Franciſca S. Mariæ Tranſpontina, Taleta, titulorum Presbyteris, nec non Aſcania S. Mariæ in Caſmedin, de Columna Diacona, Cardinalibus, ſuper huiuſcemodi Indice per nos deputatis, alijſque pijs, & eruditis viris in conſilium adhibitis, ea omnia ac ſingula, quæ à Sixto V. vt ſupra diximus, inſtituta erant, diligenter examinanda commiſimus; quæ, cum magno ſtudio viſa, ac DEO fauente, demum abſoluta fuerint.

4. *Nos, tam eandem Pij Prædeceſſoris Conſtitutionem, & Indicem, ac Regulas, quorum omnium tenores haberi volumus pro expreſſis, quam hæc ipſa illis addita, prout inferius deſcripta ſunt, omnia, & ſingula, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, atque ab omnibus tam vniuerſitatibus, quam ſingularibus perſonis vbique locorum exiſtentibus, ſub eiſdem pœnis, in dicta Pij Conſtitutione contentis, obſeruari præcipimus, & mandamus. Quo autem facilius negotium, cum prohibitionis, tum expurgationis, & impreſſionis librorum peragatur, eas omnes facultates, priuilegia, & indulta, quæ rec. mem. Pius V. Magiſtro ſacri Palatij primum, deinde Gregorius XIII. & Sixtus V. Cardinalibus Congregationis prædicta conceſſerunt, quorum tenores hic volumus haberi pro expreſſis, confirmamus, & quatenus opus eſt, innouamus, in his omnibus quæ additis in hoc Indice non aduerſantur.*

5. *Volumuſque propterea ac decernimus, vt ſi quæ in poſterum dubitationes, aut controuerſiæ circa ipſum Indicem, illiuſque Regulas, aliaque illis addita emerſerint, ad Congregationem ſupradictarum Cardinalium, ſeu aliorum, qui pro tempore ſuper Indice huiuſmodi deputati fuerint, referantur; & ex ſententia eorumdem Cardinalium, nobis aut ſucceſſoribus noſtris, ſi rei grauitas id poſtulauerit conſultis, declarentur, & decidantur, quorum auctoritatem cum permittendis, tum prohibendis, expurgandis, & imprimendis libris, alijſque ad eam rem pertinentibus explicandis, volumus eſſe præcipuam; atq; ita mandamus ab omnibus venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſque locorum Ordinarijs, & dilectis filijs Inquiſitoribus, Vniuerſitatibus, Magiſtris, Doctoribus, Bibliopolis, Impreſſoribus, Mercatoribus, Gabellarijs, cæteriſque omnibus cuiuſcumque gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticis, ſæcularibus, vel Regularibus, quam laicis, quocumque honore, vel dignitate præditis, inuiolabiliter obſeruari. Non obſtantibus, &c.*

Ad præſcriptum harum Conſtitutionum Apoſtolicarum, tam Sixto, quam Clemente VIII. & nunc primum Paulo Quinto feliciter ſedente, adeoque pro ſuprema auctoritate cenſente, iubenteque, plurimos eius notæ libros damnarunt, inque Indicem librorum damnatorum referendos exiſtimarunt, & inprimis quidem ad XXVII. diem Iunij, anni M. DC. VI. edicto promulgato, infraſcriptos cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubiecerunt.

Libri multi a Congregatione prædicta damnati ſub S. D. N. Paulo V.

1. *Riſpoſta di vn Dottore in Theologia, ad vna lettera, ſcrittagli da vn Reuerenda ſuo amica, ſopra il Breue di Cenſure, dalla Santità di PAVLO QVINTO publicata, contra gli Signori Venetiani: & ſopra la nullità di dette cenſure, cauata dalla Sacra Scrittura, dalli Santi Padri, & da altri Catholici Dottori.*

Deinde ad XX. menſis Septembris eiuſdem anni, alio edicto propoſito, iſtos interdixerunt.

1. *Conſiderationi ſopra le Cenſure della Santità di Paulo Quinta, contra la Sereniſſima Republica di Venetia, del P. Maeſtro Paulo da Venetia, dell'Ordine di Serui.* 1;

2. *Trattata dell' Interdetto della Santità di Paulo Quinta, nel quale ſi dimoſtra, che egli non è legitimamente publicato, & che per molte ragioni non ſono obligati gli Eccleſiaſtici all' aſſeruatione di eſſo; ne poſſano ſenza peccato aſſeruarla: compoſto dalli Sottoſcritti Theologi.* 2;

Pietro Antonio Archidiacona, & Vicario Generale di Venetia.

F. Paulo dell'Ordine di Serui Theologa della Sereniſſima Republica di Venecia.

F. Bernardo Giordano Minore Oſſeruante Theologo.

F. Michael Angela Minore Oſſeruante Theologa.

F. Marc' Antonio Capello Minore Conuentuale Theologa.

F. Camillo Auguſtiniano Theologo.

F. Fulgentio dell'Ordine di Serui Theologo.

3. *Auiſo delle ragioni della Sereniſſima Republica di Venecia intorno alle difficaltà che li ſona promoſſe dalla Santità di Paulo Quinto, da Antonio Quirino Senatore Veneto, alla ſua Patria & à tutta lo ſtato della medeſima Republica.* 3.

4. *Apologia per le oppoſitioni fatte dall' Illuſtriſſimo, e Reuerendiſſimo Signor Cardinale Bellarmino, alli trattati, & reſolutioni di Giouanni Gerſon ſopra la validità delle Scomuniche, del P. Maeſtro Paulo di venetia dell'Ordine di Serui.* 4.

Habuerunt iuſto iudicio ſupraſcriptos libellos damnare; quod in eis plurima temeraria, calumnioſa, ſcandaloſa, ſeditioſa, ſchiſmatica, erronea, & hæretica reſpectiuè repenantur. Sunt, & iſta aliæ edicta, iuſſu Pauli Quinti vigilantiſſimi Pontificis, non ita pridem publicata, ab eadem Sacra Congregatione Illuſtriſſimorum S. R. E. Cardinalium, ab eodem Sãctiſſimo Domino Noſtro Paulo Papa V. ſanctaque Sede Apoſtolica, ad Indicem librorum, eorumdemque permiſſionem, prohibitionem, expurgationem, & impreſſionem, in vniuerſa Republica Chriſtiana ſpecialiter deputatorum.

Alia edicta de libris prohibitis ab eadem Congreg. emanata.

I. I.

, Cum ab aliquo tempore citra, prodie-
, rint in lucem inter alios nonnulli libri, va-
, rias hæreſes, atque errores continentes; Ideo
, Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum S. R. E.
, Cardinalium ad Indicem deputatorum, ne ex
, eorum lectione grauiora indies damna in to-
, ta Republica Chriſtiana oriantur, eos omni-
, no damnandos, atque prohibendos eſſe vo-
, luit; ſicuti præſenti decreto penitus damnat,
, & prohibet, vbicumque, & quocumque idio-
, mate impreſſos, aut imprimendos. Man-
, dans, vt nullus deinceps cuiuſcumque gradus
, & conditionis, ſub pœnis in Sacro Concilio
, Tridentino, & in Indice librorum prohibi-
, torum contentis eos audeat imprimere, aut
, imprimi curare, vel quomodocumque apud
, ſe detinere, aut legere: & ſub iiſdem pœnis
, quicumque nunc illos habent, vel habuerint
, in futurum, locorum Ordinarijs, ſeu Inqui-
ſitori-

, ſitoribus, ſtatim à præſentis Decreti notitia
, exhibere teneantur.

Libri autem ſunt infraſcripti, videlicet.

Theologia Caluiniſtarum libri tres, auctore Conrado Schluſſerburgio,

Scotanus Rediuiuus, ſiue Commentarius Erotematicus in tres priores libros Codicis, &c.

Grauiſſimæ quæſtionis Chriſtianarum Eccleſiarum in Occidentis, præſertim partibus ab Apoſtolicis temporibus ad noſtram vſque ætatem continua ſucceſſione, & ſtatu, hiſtorica explicatio. Auctore Iacobo Vſſerio ſacræ Theologiæ in Dublinienſi Academia apud Hybernos profeſſore.

Friderici Achyllis Ducis Wirtembergenſis Conſultatio de Principatu inter Prouincias Europæ habita Tubingæ in Illuſtri Collegio. Anno Chriſti 1613.

Donelli Enucleati, ſiue Commentariorum Hugonis Donelli, de Iure Ciuili in compendium ita redactorum, &c.

, Et quia etiam ad notitiam præfatę S.Con-
, greg. peruenit, falſam illã doctrinam Pytago-
, ricã, diuinæq; Scripturæ omnino aduerſanté,
, de mobilitate terræ, & immobilitate Solis,
, quam Nicolaus Copernicus de reuolutioni-
, bus Orbium Cœleſtium, & Didacus Aſtuni-
, ca in Iob etiam docent, iam diuulgari, & à
, mnltis recipi; ſicut videre eſt ex quadam
, Epiſtola impreſſa cuiuſdam Patris Carmeli-
, tæ, cui titulus, *Lettera del Reu. Padre Maeſtro*
, *Paolo Antonio Foſcarini Carmelitano, ſo-*
, *pra l'apinione de Pittagorici, e del Coper-*
, *nico della mobilità della Terra, è ſtabilità*
, *del Sole, & il nuouo Pittagorico Siſtema del*
, *mondo, in Napoli per Lazzaro Scorigio.*
, 1615 in qua dictus Pater oſtendere conatur,
, præfatam doctrinam de immobilitate Solis
, in centro mundi, & mobilitate terræ, con-
, ſonam eſſe veritati, & non aduerſari Sacræ
, Scripturæ. Ideo ne vlterius huiuſmodi opi-
, nio in perniciem Catholicæ veritatis ſerpat,
, cenſuit dictos Nicolaum Copernicum de re-
, uolutionibns Orbium, & Didacum Aſtuni-
, ca in Iob ſnſpendendos eſſe donec corrigan-
, tur. Librum vero Patris Pauli Antonij Fo-
, ſcarini Carmelitæ omnino prohibendum,
, atque damnandum; alioſque omnes libros
, pariter idem docentes prohibendos. Prout
, præſenti Decreto omnes reſpectiue prohibet,
, damnat, atque ſuſpendit. In quorum fidem
, præſens Decretum, manu, & Sigillo Illuſtriſ-
, ſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinalis S. Cæ-
, ciliæ Epiſcopi Albanenſis ſignatum, & mu-
, nitum fuit. Die 5. Martij 1616.

Pythagorici libri N. Copern. & Did. Aſtunica à Congr. ſuſpenſi.

P. Epiſcopus Albanen. Cardinalis S. Cæciliæ,

Regiſtr. fol. 90.

F. Franciſcus Magdalenus Capiferreus Ord. Prædic. Secret.

II.

II.

, Quoniam vltra quamplurimos libιos,
, tum in Indice communi, tum in diuerſis
, particularibus Edictis prohibitos, & dam-
, natos: vti multi temeraria, calumnioſa,
, ſcandaloſa, ſeditioſa, ſchiſmatica, erronea,
, & hæretica reſpectiue continentes, adhuc in
, dies cum tam maxima Catholicorum perni-
, cie, alij conſimiles, contra veritatem, &
, puritatem fidei Catholicæ multiplicentur, &
, prodeant: Ideo Sacra Congregatio Illuſtriſ-
, ſimorum S. R. E. Cardinalium ad Indicem
, Deputarorum, volens pro eius vigilantia, &
, munere, de opportuno remedio prouidere;
, ne ex eorum lectura Chriſti fideles erroribus
, atque hæreſibus inficiantur, & deprauentur,
, illos quoque prohibendos atque damnandos
, eſſe cenſuit. Inter quos præcipue cum inſpe-
, xerit, vti pernicioſiſſimos, & innumeris hæ-
, reſibus, erroribus, blaſphemijs atque calum-
, nijs ſcatentes, in lucem prodijſſe infraſcri-
, ptos. Ne grauiora damna in dies, in tota
, Republica Chriſtiana ex ijs oriantur, eos
, omnes in ſpecie omnino damnandos atque
, prohibendos eſſe voluit. Sicut præſenti de-
, creto penitus illos damnat, & prohibet, vbi-
, cumque, & quouis idiomate impreſſos aut
, imprimendos. Mandans, vt nullus deinceps
, cuiuſcumque gradus, & conditionis, ſub pœ-
, nis in Sacro Concilio Tridentino, & in In-
, dice librorum prohibitorum contentis, eos
, audeat imprimere, aut imprimi curare, vel
, quodcumque apud ſe detinere, aut legere.
, Nec non etiam ſub ijſdem pęnis præcipiens,
, vt quicumque nunc illos habent, vel habue-
, rint in futurum, locorum Ordinarijs, ſeu In-
, quiſitoribus, ſtatim à præſentis diei notitia,
, exhibere teneantur. Libri autem ſunt, vi-
, delicet.

Concluſionum Ciuilium, de ſucceſſione Conuentionali, & anomala, Claſſis prima, per Bartholomæum Muſculum.

Mercurij Gallo-Belgici Sleidano ſuccenturiati, ſiue rerum in Gallia, & Belgio potiſſimum, Hiſpania quoque, Italia, Anglia, Germania, Vngaria, Tranſyluania, viciniſque locis, ab anno 1555. vſque ad annum 1570. geſtarum, hiſtoricæ narrationis continuatæ, Auctore M. Gottardo Arthuſio Dantiſcano.

Adami Thodori Siberi Dialexon Academicarum, quæ ſunt orationes, præfationes, diſſertationes, epiſtolæ, & carmina.

Rogerij Vviddringtoni Catholici Angli, ad S. D. Paulum Quintum Pontificem Maxim. humilis ſupplicatio.

Sextum Renata, renouata, ac longe ornatius etiam quam vnquam antea exculta Sphinx Theologico Philoſophica.

Rerum, & Vrbis Amſtelodamenſium hiſtoria Ioh. Iſacio Pontano.

Diſcurſus Hiſtorico Politicus, in tres Sectiones diſtributus, Auctore Erico Beringero Philireo.

Libellus, cui titulus eſt, Marcus Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis, ſuæ profectionis conſilium exponit. In quo complures propoſitiones, formaliter hæreticæ, erroneæ, ſchiſmaticæ, ſapientes hæreſim, blaſphemæ, ſcandaloſæ, & contumelioſæ in Eccleſiam Catholicam Romanam, reſpectiue continentur.

De libris M. Ant. de Dominis Archiep. Spalat.

Et quia in præfato etiam libello Author ait, opus quoddam de Republica Chriſtiana ſe breui editurum, quod decem libris complectetur, & ſingulorum librorum materiam, quam in eis tractat, proponit: in quo ſe docere expreſſe aſſerit plures propoſitiones, quæ cum manifeſte hæreticæ ſint, ideo prædictum quoque opus, vbique, & quouis

idio-

idiomate, ſiue iam impreſſum, ſiue imprimendum præſenti decreto prohibetur.

In quorum fidem, manu, & Sigillo Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi D. Cardinalis S. Cæciliæ, Epiſcopi Albanenſis, præſens Decretum ſignatum, & munitum fuit. Die duodecima Nouembris M.DC.XVI.

P. Epiſcopus Albanen. Cardinalis S. Cæciliæ.

Regiſtr. fol. 100.

F. Franciſcus Magdalenus Capiferreus Ord. Prædic. Secret.

III. III.

Qualis M. Ant. de Dominis.

„Quod Marcum Antonium de Dominis Archiepiſcopum Spalatenſem attinet, tantum abeſt vt ab hac cenſura reſipuerit, vel recta monentibus Scriptoribus obſecutus fuerit, vt etiam magis obſurdarit, obfirmaritque in apoſtaſia: Epiſcopus, non qualem Timotheo præſcripſit Doctor gentium, ſed reprehenſibilis, domui ſuæ male præpoſitus, paſtor, & idolum derelinquens gregem ſuum: renatus à dubia ſambuco Iudas, vt Dominum perfidorum manibus tradat; qui Apoſtolorum virorum collegio ſponte ſe abdicauit, & ex felici Chriſtianæ diſciplinæ gremio ad peſtilentiæ cathedram.

Et penitus toto diuiſos orbe Britanos

profugit; vt hinc velut medijs in vndis tranquillus, Apoſtolicæ ſedis Primatum, ipſamque Eccleſiam ſupra petram ædificatam, delirantis cerebri cauillationibus iam olim protritis profligatiſque, maledice proſcinderet: & ſexaginta prope annorum verendus aliquando Antiſtes, perſonata abdicatæ functionis Maieſtate, in beneficam Matrem iniurius, eam laceraret, roderet, exederet; collectaque adulteratarum Scripturarum, veterumque compendia hæreſum, meretricia fronte obtruderet: iis, qui Malchi inſtar dextra aure abſciſſa, ſiniſtram ad omnem falſitatis ſonum aperiunt. Itaque ex reſumpto damnatorum hæreſiarcharum vomitu, Quatuor iam libros ex decem protruſit, iſtoque atro colore apoſtaſiæ ſuæ infamiam depinxit; Romani Pontificis maieſtatem, ceu faſtuoſam, & fictam; eiuſque regimen, vt turbidum, violentum, noxium; iudicium vero, tamquam inutile, erroneum, mendax, traducens, ore quod ſicut infernum dilatauit, & calamo quam in atro atrore intinxit.

Propoſitiones aliquot inter innumeras alias ſelectæ ex quatuor prioribus libris de Republica Eccleſiaſtica, Auctore Marco Antonio de Dominis Archiepiſcopo Spalatenſi, per ſacram Thologorum Pariſienſium facultatem damnatæ.

In Expoſitione Conſilij ſuæ profectionis.

Numero 10.

Eccleſia ſub Romano Pontifice non eſt amplius Eccleſia, ſed reſpublica quædam humana, ſub Papæ Monarchia tota temporali: vinea eſt ad ſolum Noe inebriandum: Grex eſt quem paſtor emungat ad ſanguinem, tondeat imo radat, imo excoriet, & mactet.

Hæc propoſitio prima ſui parte eſt hæretica, dicit enim veram Eccleſiam, cum non alia ſit quam quæ Romano Pontifici paret, iam deſiiſſe: Pro reliqua vero parte eſt calumnioſa, & ſcandaloſa.

Lib. 1. Cap. 1. Numero 1.

Qui de republica Eccleſiaſtica ſicut de pure humanis philoſophantur, mihi videntur non parum à recto tramite aberrare, non modo quia in ea requirunt veram iuriſdictionem, hoc eſt, vim coactiuam, & ſubiectionem extremam, vbi tamen, omnis gloria eius ab intus.

Hæc propoſitio qua parte, Veram iuriſdictionem, id eſt, vim coactiuam, & ſubiectionem externam Eccleſiæ denegat, eſt hæretica, & totius Ordinis Hierarchici perturbatiua, atque confuſionem Babylonicam in Eccleſia generans.

Numero 13.

Sacerdotes omnes mortales in Eccleſia Chriſti, quicunque illi ſint, non tam dicuntur proprie ſacrificium offerre; quod vere, proprie ſolus Chriſtus obtulit, quam ſacrificij illius memoriam celebrare, (Hoc facite in meam commemorationem.)

Hæc propoſitio ſi intelligat actionem Sacerdotum Miſſam celebrantium non eſſe verum, & proprium ſacrificium, eſt hæretica.

Cap. 2. Numero 7.

Inquiunt Apoſtoli, Non orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus: *non dicunt, nos legibus coactiuis condendis, ac Tribunali vacabimus: nos pro arbitrio præcipiendo, puniendo, dominando, ſed orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus, quia aliud ſibi commiſſum officium non agnoſcebant.*

Hæc propoſitio eſt hæretica in illis verbis, *quia aliud ſibi commiſſum officium non agnoſcebant.*

Cap. 3. Numero 18.

Diſparitatem poteſtatis inter Apoſtolos eſſe humanum inuentum, in ſacris Euangelijs, & diuinis noui Teſtamētis ſcripturis minime ſubſiſtens.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſchiſmatica de iuriſdictione Apoſtolica ordinaria quæ in ſolo Diuo Petro ſubſiſtebat intellecta:

Numero 33.

Monarchiæ formam non fuiſſe immediate in Eccleſia à Chriſto inſtitutam.

Hæc propoſitio eſt hæretica, ſchiſmatica, Ordinis Hierarchici ſubuerſiua, & pacis Eccleſiæ perturbatiua.

Capite 4. Numero 2.

Si de vero, & proprio Vicario loquamur, qui perfectiſſime Chriſti vices poſt eius in cælum aſcenſum plene geſſerit, geratque in terris, & geſturus ſit vſque ad conſumationem ſæculi, quis dubitat eſſe Spiritum Sanctum Paracletum?

Hæc propoſitio eſt erronea, & periculoſa, atque hæreſim Macedonij expreſſe redolens in verbo Vicarij proprie ſumpti.

Capite 6. Numero 35.

Petrus ferme ſtatim ab illa eadem fide decidit, ſcilicet poſt confeſſam Chriſti diuinitatem, Matthæi 16. neque ſemel, ſed ſæpius titubauit, etiam poſt Chriſti Aſcenſionem, & Spiritus Sancti illapſum.

Hæc

Digitized by Google

Hæc propoſitio eſt erronea, temeraria, & in Beatum Petrum contumelioſa.

Cap. 8. Numero 10.

Paſce oues meas, hoc eſt, Iſraelitas, qui tunc ſoli erant Chriſti oues, vnde, & dicebat, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael: & Paulus ipſum Dominum vocat, miniſtrum circumciſionis.

Hæc propoſito in verbo *ſolos Iſraelitas* eſt hæretica, & ignorantiam craſſiſsimam auctoris prodit.

Cap. 12. Numero 5.

Tametſi articuli Ioannis Huſſ aliquid ſimile cum meis aſſertionibus continerent, damnatos tamen non eſſe legitime: quia eorum ſingulorum examen non apparet.

Hæc prpoſitio eſt falſa, erronea, ac in Concilium Conſtantienſe quaſi legitime non proceſſerit in damnandis erroribus Huſſitarum contumelioſa.

Numero eodem.

Doctrina in articulis Ioannis Huſſ contenta nimirum, in Eccleſia non dari vnum caput ſupremum, & Monarcham præter Chriſtum: Chriſtum ſuam Eccleſiam per multos miniſtros ſine vno iſto Monarcha mortali regere perfecte, & gubernare eſt doctrina Catholica à ſanctis Patribus egregie explicata, & confirmata.

Hæc propoſitio eſt hæretica quoad ſingulas partes.

Numero 12.

Si quid incommodi habet Ariſtocratia cui Monarchia facile poſſit obuiare Eccleſiam ſpiritu Chriſti inſtructam, propterea, & in ſingulis Eccleſijs voluiſſe Monarchiam, & in ſe tota Ariſtocratiam.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſchiſmatica quatenus vult Eccleſiam vniuerſalem ſecundum ſe totam, eſſe Ariſtocraticam.

Numero 42.

Deus ſpiritum ſuum toti Eccleſiæ promiſit non alligando ipſum certis perſonis, ſiue certo generi perſonarum, puta ſolis Presbyteris alijſue clericis ad miniſteria Eccleſiaſtica deputatis: ſed ipſum voluit eſſe per omnes, licet non per ſingulos diffuſum, & conſenſus totius Eccleſiæ in aliquo articulo non minus intelligitur in laicis, quam etiam in Presbyteris, & Prælatis. Sunt enim etiam laici in Eccleſia, imo ex Eccleſia ipſiuſque ſolidam, & maiorem partem conſtituunt.

Hæc præpoſitio eſt hæretica, & ſtatus Eccleſiæ perturbatiua quatenus ad fidei propoſitiones ſtatuendas conſenſum laicorum requirit.

Lib. 2. Cap. 1. Numero 9.

Sicut Apoſtoli ſimul, & inſolidum Ariſtocratice curam gerebant Eccleſiæ cum poteſtate æquali, & vniuerſali, ita Epiſcopi omnes ſimul, & inſolidum eandem regunt Eccleſiam ſinguli cum plena poteſtate.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſchiſmatica quoad vltima verba *ſinguli cum plena poteſtate.*

Numero 13.

Epiſcopi dicuntur Apoſtolorum ſucceſſores quia in eorum officio quod erat Apoſtolorum omnium commune ſuccedunt omnes omnibus in ſolidũ.

Hæretica eſt, & ſchiſmatica, cum agat de iuriſdictionis Apoſtolicæ poteſtate.

Numera 25.

In poteſtate vniuerſali ſuccedunt Epiſcopi non modo vniuerſi, ſed etiam ſinguli.

Hæretica eſt, & Schiſmatica, vt duæ præcedentes.

Cap. 4. Numero 17.

De ordine nihil prorſus habemus quo ipſius inſtitutio ad modum Sacramenti appareat.

Hæc propoſitio eſt hæretica, ſcandaloſa, & ſtatuti Sacerdotali, & Epiſcopali contumelioſa.

Numero 26.

Non eſt Ordo, verum Sacramentum, ſed mera ad miniſterium deputatio ſine iſtis characteribus, & impreſſionibus.

Hæc propoſitio eſt hæretica ſecundum vtramque ſui partem, & prout negat ordinem eſse verum Sacramentum, & prout in eo characterem non imprimi aſſerit.

Numero 27.

Si quis ex laico, ſeu diacono, alioue gradu infra Presbyteratum immediate in Epiſcopum ordinetur, is pleniſſime erit Epiſcopus, & ex tali ordinatione habet totam etiam Presbyteralem poteſtatem.

Hæc propoſitio eſt hærerica, & ſcandaloſa per ſaltum volens aliquos, ad Epiſcopatum promoueri poſſe.

Numero 33. & 41.

Auguſtinus agnoſcit tantum duo vera, & propria Sacramenta quæ clare, & expreſſe pateant à Chriſto eſſe inſtituta.

Hæc propoſitio falſa eſt, & in Beatum Auguſtinum contumelioſa.

Cap. 6. Numero 16.

Dicat mihi noſter hic Deus ridiculus, ſeu Vicedeus, ſi nemo præter ipſum poteſt Epiſcopum ab vna Eccleſia ad aliam transferre?

Hæc propoſitio eſt contumelioſa, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiua.

Cap. 8. Numero 13.

Dico Romanam Eccleſiam, & ex magnitudine ciuitatis, & ex eo quod eam duo primi Apoſtoli fundauerunt, Petrus, & Paulus; & ex alijs capitibus extra ius diuinum habuiſſe, vt ſemper reputata ſit Eccleſia principalis, non tamen Domina, & Regina ſuper vniuerſas Chriſti Eccleſias; Neque Auguſtinus, neque vllus ex antiquioribus Patribus, ſummam Eccleſiaſticarum rerum in Romana Cathedra poſuerunt; erat ergo, & eſt Eccleſia præcipua nobilitate, exiſtimatione, nomine; & dignitatis authoritate, non regiminis, & Iuriſdictionis Principatu.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſchiſmatica quatenus aperte inſinuat Romanam Eccleſiam iure diuino auctoritatem in alias Eccleſias non habere.

Cap. 10. In Titulo.

Sacros Miniſtros ad cælibatũ iure non teneri.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſtatus Clericorum, & totius Reipublicæ Chriſtianæ perturbatiua.

Numero 70.

Quamuis Epiſcopi inducta conſuetudine, vt ſi coniugati eſſent in ſui promotione ceſſarent in poſterum ab opere nuptiarum, id tamen non faciebant ex religione, aut cautione: quaſi putarent id eis iam minime licere, ſed ex deuotione, & perfectioris cuiuſdam puritatis amore, &c. Hanc tamen deuotionem non omnes Presbyteri, qui ſunt multo plures, ſunt amplexi, ſed ſoli qui libere voluerunt, & ita Presbyteris liberum manſit, vt qui poſſent capere, caperent.

Hæc

Hæc propoſitio pro prima ſui parte falſa eſt & erronea: pro ſecunda vero, qua dicit Presbyteris liberium manſiſſe matrimonium, eſt hæretica.

Cop. 11. Numero 40.

Cælibatus à libera pendet Clericorum voluntote, & electione, & ſi poſt ſacros ordines quis contrahat motrimonium id firmum erit, & legitimum.

Hæc propoſitio eſt hæretica quatenus vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudini, & conſueti repugnat.

Numero 43.

Concludimus primo votum ſolemne Monachorum ſi quid efficit vltra votum ſimplex eorundem iam vitam Monachalem amplexorum, id totum ſola Eccleſiaſtica conſtitutione efficere.

Concludimus ſecundo ſalemnitates has, voti ſcilicet, impedire quidem, ac vetare ne motrimonium cantrahatur, tamen poſt illas ex eis non dirimi, ſed eſſe rotam, firmum, & validum tam in monacho, quam in moniali ſicut poſt votum ſimplex.

Hæc propoſitio quoad ſecundam illam partem *contractum tamen, &c.* eſt hæretica, ſcandaloſa, & Eccleſiæ ſtatus perturbatiua.

Numero 45.

Si proprio authoritate, ſine cauſo legitima, quis Monachus profeſſus, fiat deſertor, hic ſone peccot contra Deum, & damnationem habet, ſed Eccleſia nihil habet contra illum in foro externo, habet tantum cum illa negotium in foro conſcentiæ propter peccatum, vt non abſoluatur niſi redeat, ant ſi legitima cauſa abſoluatur, etiam non rediturus, per imitationem vel commutationem voti. Quod ſi vxorem duxerit, pœniteat do peccato deſertianis, ſed permaneat in coniugio: neque enim amplius indiget vlla diſpenſatiane, ipſo enim per aſſumptionem ſtatus imcompoſſibilis cum monachatu ſecum ſatis diſpenſauit, quia longe orctius eſt vinculum connubij, quam Monachalis profeſſionis.

Hæc propoſitio quoad ſecundam partem *Eccleſia nihil habet, &c.* eſt hæretica, quod illam aliam partem *ſi vxorem duxerit permaneat in coniugio, &c.* eſt etiam hæretica, ſcandaloſa, & Eccleſiæ perturbatiua.

Lib. 3. Cap. 7. Numero Vltimo.

Totus Concilij Tridentini ſcopus fuit, vt ampliſſimam iam ex innumeris, & vſurpationibus Papalem poteſtatem non modo ſtabiliret, ſed etiam faceret ampliorem: ſolus enim Papa ſolaque Roma Concilium illud rexit, ſtruxit, & inſtruxit.

Hæc propoſitio eſt falſa, contumelioſa, & viam aperiens ad multas hæreſes in hoc Concilio condemnatas renouandas.

Cap. 8. Numero 14.

Vnumquemque Epiſcapum Iure diuino eſſe vniuerſale.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſchiſmatica, ac vnitatis Eccleſiæ ſubuerſiua.

Cap. 10. Numero 42.

Monarchiam ſemper Chriſtus à ſuo Eccleſia amouit, & com ipſa Eccleſio eſt abominata.

Hæc propoſitio eſt hæretica, ſchiſmatica, & ordinis Eccleſiaſtici perturbatiua, & ſubuerſiua.

Numero 44.

Falſum eſt vnionis Eccleſiæ Catholicæ in vnitate Rectoris viſibilis conſiſtero.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſchiſmatica quatenus negat vnitatem Rectoris viſibilis ad vnionem Eccleſiæ facere.

Lib. 4. Cap. 1. Numero 15

Supremus Eccleſiæ Romanæ Primatus, ipſiuſque ſupra cæteras omnes Chriſti Eccleſias Imperium, re vera nullis ſolidis innititur fundamentis.

Hæc propoſitio ſalſa eſt, & viam ad hæreſes, & ſchiſmata ſternens.

Numero 25.

Neque Antiochiæ neque Romæ Petrus propriè ſedit, qui non vt ſederet, ſed vt excurreret, Apoſtolatum accepit, & quocumque pergebat ſemper ſuam Cathedram hoc eſt Epiſcopalem poteſtatem ſecum deferebat quam nulli certo loco alligatam habebat.

Hæc prepoſitio eſt ſalſa, & quæ ignorantiam auctoris prodit.

Cop. 2. Numero 11.

Tota vt vidimas antiquitas vniuerſalitatem Romani Epiſcopatas penitùs ignorauit.

Hæc propoſitio eſt vt præcedens falſa, & eandem ignorantiam auctoris oſtendit.

Numero 36.

Romanom Eccleſiam eſſe conſtat perfectiſſime ſchiſmaticam, quæ ſe à corpore Eccleſiæ vniuerſalis tunc obſcindit, quanda membrum ipſius eſſe recuſauit, & quod peius eſt, & ſchiſmati addit tyrannidem vere Antichriſtianam caput ſe contra Chriſtum, qui ſolum, & verum ſuæ Eccleſiæ caput eſt, conſtituit.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſchiſmatica.

Cap. 6. Numero 2.

Omnes ſane Epiſcopi ſunt omnium Apoſtolorum, etiam Petri, in ſolidum ſucceſſores, & paulo poſt, *non enim Petrus habuit quicquam peculiare in quo ei dari debeot magis quam cæteris ſimul omnibus, ſucceſſio.*

Prior propoſitio qua parte ſtatuit ſingulos Epiſcopos eſſe Petri ſucceſſores, eſt captioſa: quia Petrus vltra poteſtatem ordinis, in qua ei ſuccedunt Epiſcopi, aliam habuit Iuriſdictionis Apoſtol. cui ſolus Romanus Pontifex ſuccedit. Poſterior eſt hæretica, ſchiſmatica, & hierarchici ordinis perturbatiua.

Numero 7.

Planum eſt Papatum hunc eſſe totum fictitium commentum hominum à Chriſti Inſtitutione remotiſſimum.

Hæc propoſitio eſt hæretica, vt iam ſupra notatum eſt.

Numero 19.

Abſolute nego Romanum Pontificem eſſe Petri peculiarem quocumque iure ſucceſſorem: ex iure enim diuino colligimus Romanum Pontificem non poſſe vlla ratione peculiari, Petro ſuccedere.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſchiſmatica, atque Romano Pontifici contumelioſa.

Cap. 7. numero 6.

Poteſtatis plenitudo, vt optime docent Pariſienſes, data eſt Eccleſiæ vniuerſæ, hoc eſt, omnibus, & ſingulis Epiſcopis in ſolidum.

Hæc propoſitio eſt contumelioſa in facultatem Pariſienſem in particula, *ſingulis Epiſcopis.*

Eodem numero.

Sciant etiam de Iure diuino, veram Iuriſdictionem in Eccleſia nullam eſſe, ſed totam charitate regi, &c.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & ordinis hierarchici ſubuerſiua.

Numero 6.

Pariſienſium doctrina enucleate intellecta nihil diſcrepat à mea his libris tradita doctrina, & ob ipſa veritate, & paulo poſt. *Schola itaque Pariſienſis, & noſtra, eſt, & re ipſa poteſtati ſtudet Ariſtocratica, non Monarchia: quare ex eius quoque doctrina, Papatus nullo poteſt ſolido ſubſiſtere fundamento.*

Mera contra facultatem Pariſienſem impoſtura.

Cap. 8. numero 53.

Sed ego quoque illiteratum, & notorie, ac inſigniter ſceleſtum ex ſanctorum Patrum dictis inſinuaui ſacrum ordinem non ſuſcipere, & ſacrum ordinem poſſe amitti.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & inter hæreſes Bohemorum, in Concilio Coſtantienſi condemnata.

Cap. 10. numero 11.

Concilia Occidentalia vt Lateranenſe ſub Innocentio III. Lugdunenſe ſub Gregorio X. & Florentinum, &c. ſub iugo Monarchia Romana Eccleſiaſtica, iam dominantis gemendo, applandere tanto Monarchę ſunt coacta.

Hæc propoſitio eſt falſa, calumnioſa, & ſcandaloſa.

Numero 95.

Bedam, Auſelmum, Hugonem Victorinum, Bernardum, inter Monarchicos, non quidem decipientes, ſed potius deceptos reponimus, & paulo poſt. *Alios veros poſteriores magna ex parte paraſitos, & aſſentatores, malaque fidei deceptores, & contra propriam ſcientiam, & conſcientiam contentioſos, & verboſos diſputatores, iſthac in cauſa reycimus penitus, nec dicam contemnimus.*

Hæ propoſitiones ſunt contumelioſæ.

Numero 99.

Si quis vero opponat in Concilio Conſtantienſi fuiſſe Wicleffi, & Huſſi de primatu Papæ ab eis negato condemnatum, &c. Reſpondemus Patres Concilij Conſtantienſis Monarchiam Eccleſiaſticam tenuiſſe, & communiſſimo iam errore fuiſſe infectos.

Hæc propoſitio, quoad vltima verba eſt hæretica, & in Concilium Conſtautienſe contumelioſa.

Cap. 11. numero 15.

Si ſede vacante Canonici Lateranenſes cum reliquo Romanarum Eccleſiarum proprio Clero, & Senatu Populoque Romano coniuncti, Pontificem Romanum eligerent, & eundem ſic electum facerent ab Epiſcopis circumuicinis, etiam non Cardinalibus (ſi Epiſcopi Cardinales renuerent) conſecrari, is verus, & legitimus eſſet Romanus Pontifex, multo magis quam ille quem in conclaui eligerent Cardinales, & conſecrarent.

Hæc propoſitio eſt ſeditioſa, & ſcandaloſa, hæretica quoad formam, & modum electionis.

Eodem numero.

Quod Pariſienſes Cardinales ſolos faciunt totius Eccleſia vniuerſalis nomine Papa electores eſt mera vanitas, quia ſupponūt in Eccleſia vniuerſali vnum Papam vniuerſalē qui toti præſit Eccleſiæ vniuerſali tamquam Epiſcopus vniuerſalis.

Hæc propoſitio eſt erronea, cuius error cadit in particulam *mera vanitas*, & quoad ſuppoſitionem quam Pariſienſibus tribuit falſa, eiuſque falſitas in hæc verba *tamquam Epiſc. Vniuerſalis* cadit, quaſi alij Epiſcopi ſint tantum Papæ Vicarij.

Prædictarum propoſitionum qualificatio lecta, & approbata eſt in præfata facultatis Theologiæ Pariſienſis congregatione, & in ordinem redacta anno, & die præfatis.

De mandato Dictorum DD. Decani, & Magiſtrorum Sacratiſs. facult. Theologiæ Pariſienſis.

Philippus Bouuot.

Ab hac Orthodoxæ vniuerſitatis, ad præſcriptum ſacræ congregationis, facta declaratione, ex Senatus Parlamentaris conſulto, Ludouicus XIII. Rex Galliarum, flammis addicendum peſtilentem librorum decreuit: inque eos qui vel inueherent, vel venum exponerent, vel retinerent aut legerent, pœnam violatæ maieſtatis propoſuit. Quod ipſum vt in Regno quoque Poloniæ decerneretur, vtque Publico edicto tam peſtiferum ſcriptum ex Regno eliminaretur, Martinus Szyszkouuski Epiſcopus Cracouienſis, Dux Seuerienſis, & Regni Poloniæ prudentiſſimus Senator, Sereniſſimo Sigiſmundo III. Poloniæ, & Sueciæ Regi, ac vniuerſis Regni Ordinibus, nuper in Comitio inſinuauit. Quin antequam liber in Regno comparuiſſet, à longe præuiſum, publicoque Sedis Apoſtolicæ decreto damnatum, ad finem Indicis librorum prohibitorum nuper ab eodem confecti typiſque Cracouiæ mandati, & ad me tranſmiſſi, inſeri iuſſit; vtque idem cæteri quoque Epiſcopi, in ſua quiſque diæceſi facerent, in Congregatione Epiſcoporum ſuaſit: quo impetum hæreticorum, & pſeudocatholicorum, pro virili, quod perpetuo fecit, & facit, retunderet: cum hic liber copioſe iuxta ac pernicioſe ſcriptus, non leue calcar illis adieciſſe exiſtimaretur. Illud porro in executionem euulgari Indicis, pro officio Paſtorali edicebat.

Rex Gall. librū M. Ant. de Dō. flammis addicit.

MARTINVS SZYSZKOVVSKI, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Cracouienſis, Dux Seuerienſis.

Edictum Epiſcopi Cracouienſis in ſua diœc. de libris prohibitis non habendis vel imprimēdis.

Vniuerſis Chriſti fidelibus in Diæceſi noſtra Cracouienſi conſtitutis, & præſertim Beneficia Eccleſiaſtica Curata quouis modo habentibus, nobis in Chriſto dilectis, ſalutem in Domino.

, Cum in primo noſtro Crocouiam ingreſſu, vocatis Impreſſoribus, & Bibliopolis, pro noſtra in eoſdem poteſtate, & iuriſdictione Eccleſiaſtica, in ijs quæ ad impreſſionem, & inuectionem, & venditionem librorum pertinent, iuxta Sacroſancti Concilij Tridentini, & prioris Lateranenſis decreta, pariterque Statuta Regni, & Conſtitutiones Regiæ Maieſtatis, edicta iamdudum ea de re facta, publicata & innouata, ſeruato proceſſu pronunciauerimus, ne quis Impreſſorum, quidpiam paruum vel magnum, ad cuiuſuis inſtantiam imprimere præſumat, niſi ſit prius ab Examinatoribus per nos deputatis examinatum, & approbatum, ac permiſſum ad imprimendum; & pœnas ac cenſuras, contra temerarios contumaceſque decreuimus: cumque Bibliopolis ſub pœna excommunicationis, directe, & indirecte, abſolutione nobis reſeruata, edixerimus, ne libros aliunde aductos diuendere, venaleſque exponere, ac penes ſe retinere vllo modo præſumant, ſub amiſſione eorumdem librorum, & publicæ combuſtionis, ac centum aureorum, Hoſpitali nouo Cracouienſi, quod in Conſulari adminiſtratione di-

gno-

gnoſcitur eſſe conſtitutum, pro vna, & fabricæ Cathedralis noſtræ pro altera dimidia applicandorum pœna, niſi prius indicem ipſorum Officiali uoſtro præſentauerint, exhibuerintqne, ac prohibitos in eius manus tradiderint, & reliqnorum librorum vendidi licentiam, quæ gratis coucedi debet acceperint: fuerintque iam, authoritate noſtra, Bibliothecarum viſitationes peractæ, ac in vim executionis; libri obſcæni, ac famoſi recepti, & combuſti ſint; vnum reſtabat, vt Indicem librorum probibitorum confici, & concinnari faceremus. Nam ſolo nomine authoris, & titulo libri inſpecto, cætera vel Fidei Catholicæ contraria, vel bonis ac Chriſtianis moribus inimica legi non debent, quæ ſine periculo animarum legi non poſſunt. En itaque confectum vobis offerimus, & publicamus autboritate ordiuaria; Pœnitentiarijs in Catbedrali, & Collegiatis, cæteriſque omnibus per totam diœceſim Cracouienſem ſæcularibus, & Regularibus quibuſcumque Confeſſarijs inhibentes præſenti noſtro edicto, ne quiſpiam eos, qui libros, & quaſcumque ſcripturas, (maxime in quibus Pontificis Maximi, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Regiæ Maieſtatis, ſtatuſque Clericalis, aliorumque inferiorum nomen, dignitas ſuggillatur) in hoc Indice comprehenſas ſcieuter legunt aut tenent, imprimunt, tranſcribunt, publicant, ex quauis cauſa, publice vel occulte, quouis ingenio vel colore, præſumat in foro conſcientiæ abſoluere. Nos enim pro noſtra in ſubditos nobis tradita ſuper reliquos inferiores Sacerdotes poteſtate, & in omnes per totam diœceſim Impreſſores, & Bibliopolas iuriſdictione, omnium Impreſſorum, & Bibliopolarum, aliorumque qui ab Impreſſoribus, Bibliopolis, tam in Ciuitate Cracouienſi, quam Lublini. & alijs locis quibuſcumque in Diœceſi noſtra, acquiſitos huiuſmodi libros, & libellos, & quaſcumque ſcripturas in iſto indice Diœceſano annotatas, tenent, legunt, imprimunt, vendunt, tranſcribunt, publicant, abſolutionem in foro fori, & poli, reſeruauimus & reſeruamus, ac pro reſeruatis publicamus; ſublata omnibus, tales abſoluendi poteſtate; ita vt nec in generalibus facultatibus, à Caſibus nobis, & Sedis noſtræ Epiſcopali reſeruatis, quas conceſſimus quibuſdam ſecularibus, & Regularibus, hæc abſolutio conceſſa eſſe intelligatur; niſi iſtorum caſuum ſupra ſpecificatorum in litteris conceſſionis facta fuerit mentio ſpecifice.

Datum ex Arce noſtra Epiſcopali Ilzenſi, die S. Martini Epiſcopi, & Confeſſoris Anno M. DC. XVII.

Conformiter, ad ea etiam quæ hoc ipſo anno 1617. tum Sacra Congregatio, tum SS. D. N. Paulus V. decreuit. Sacra quidem Congregatio, cum infraſcriptos libros prohiberet:

Sibri à ſacra Cong Cardinalium damnati anno 1617.

1. *Georgij Caſſandri Belgæ Theologi, Impp. Ferdinando primo, & Maximiliano ſecundo à conſilijs, Opera quæ reperiri potuerunt omnia: epiſtola 117. & Colloquia duo cum Anabaptiſtis. Pariſijs 1616 cum author in Indice ſit inter authores primæ claſſis prohibitus.*

2. *Supplication, & Requeſte al' Empereur, aux Rois, Princes, Eſtats, Republiques, & Magiſtratis chreſtiens, ſur les cauſes d' aſſembler vn conſeil general contra Paul Cinqoieſme par Nicol de Morbai.*

3. *Theatrum hiſtoricum, ſiue promptuarium illuſtrium exemplorum &c. Initio ab Andrea Hondorffio conſcriptum, iam vero labore, & induſtria Philippi Loniceri, latinitate donatum, multiſque in locis auctum, & illuſtratum.*

4. *Seſſanta Salmi di Dauid tradotti in rime volgari Italiane, ſecondo la verità del teſto Hebreo. Col Cantico di Simeone, & i dieci Commandamenti della legge, ogni coſa inſieme col cãto.*

5. *Thelogorum quorumdam in Electoratu Saxoniæ epiſtola inuitatoria ad vniuerſos Dominos Theologos, & Eccleſiarum Euangelicarum miniſtros, tum in inclita Germania, tum alijs quoque in Regnis, Prouincijs, de Iubileo Lutherano, circa finem Octobris, & initium Nouembris ſolenniter celebrando, amice ſcripta.*

6. *Liber cui titulus, Deus, & Rex. Londini impreſſus 1615.*

7. *Papatus Romanus: liber de origine, progreſſu, atque extinctione ipſius. Londini ex officina Hortoniana apud Ioannem Bellium, 1617.*

8. *Et licet etiam alias dictæ Congregationis decreto, probibitum fuerit opus de Republica Eccleſiaſtica, ſiue tunc impreſſum, ſiue imprimendum Marci Antonij de Dominis: tam quia nuper eius prima pars in lucem prodijt, quatuor libros continens, quamplurimis hæreſibus, erroribus, atque calumnijs referta: ideo denuoquoque huiuſmodi opus prohibetur: cui titulus eſt, De republica Chriſtiana libri decem, auctore Marco Antonio de Dominis Archiepiſc. Spalatenſi: atque etiam probibitus declaratur eiuſdem authoris libellus, in quo ſuæ profectionis conſilium exponit, ſub hoc alio titulo denuo impreſſus. videlicet. Epiſtola Marci Antonij de Dominis Archiepiſcopi Spalatenſis, ad Epiſcopos Eccleſiæ Chriſtianæ ſcripta, in qua cauſas diſceſſus, à ſuo Epiſcopatu exponit. Campidoni. 1617.*

Dat. die 2. Decembris 1617.

DECRETVM

Sacræ Congregationis Illuſtriſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium à S.D. N. PAVLO Papa V. Sanctaque Sede Apoſtolica ad Indicem Librorum, eorundemque permiſſionem, prohibitionem, expurgationem, & impreſſionem, in vniuerſa Republica Chriſtiana ſpecialiter deputatorum, vbique publicandum.

SAcra Congregatio Illuſtriſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium ad Indicem Deputatorum 18. Maij. 1618. omnes infraſcriptos libros damnandos atque prohibendos eſſe cenſuit. Sicuti præſenti Decreto penitus eos damnat, & prohibet, vbicumque, & quouis Idiomate impreſſos, aut imprimendos: Mandans vt nullus deinceps cuiuſcumque gradus, & conditionis, ſub pænis in Sacro Concilio Tridentino, & in Indice librorum prohibitorum contentis eos audeat imprimere, aut im-

 pri-

primi curare, vel quomodocumque apud ſe detinere, aut legere. Necnnn etiam ſub iiſdem pœnis præcipiens, vt quicumque nunc illos habent, vel habuerint in futurum; eos locorum Ordinarijs, ſeu Inquiſitoribus, ſtatim à præſentis Decreti notitia, exhibere teneantur.

Libri autem ſunt, videlicet.

Helfrici Vlrici Hunnij I. C. & in Academia Gieſſena Profeſſoris Ordinarij. De interpretatione, & authoritate Iuris, Libri duo.

Liber ſine nomine Authoris impreſſus cui Titulus Scogli del Chriſtiano naufragio, quali và ſcoprendo la Santa Chieſa di Chriſto alli ſuoi diletti figliuoli, perche da quelli poſſano allontanarſi.

Inſtruttione à Prencipi, della maniera, con la quale ſi gouernano li Padri Gieſuiti, fatta da Perſona Religioſa, & totalmente ſpaſſionata.

Defenſio tractationis de diuerſis Miniſtrorum Euangelij gradibus, ab Hadriano Sarauia edita contra reſponſionem Theodori Bezæ: eodem Hadriano Sarauia Authore.

Appendix neceſſaria ſyntagmatis Arcanorum Chymocorum, Andreæ Libauij.

Epimetron Auctarium Theſauri Aphoriſmorum Politicorum, hoc eſt, quæſtionum Politicarum, ſeu de adminiſtrandæ Reipublica ratione, libri tres, abſque nomine Authoris.

Reg. fol. 137. Robertus Cardinalis Bellarminus.

locus ✠ ſigilli.

Fr. Franciſcus Magdalenus Capiferreus Ord. Prædic. Secr.

Paulus porro V. in vniuerſum omnes, & quuſcumque libros, Huſſitarum, Vuiclephiſtarum, Lutheranorum, & aliorum hæreticorum damnauit, cum in bulla quam vocant Cœnæ Domini ſtrinxit:

Hæretici in bulla Cœnæ Domini cũ ſuis libris damnati.

Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtra, quoſcumque Huſſitas, Vuichlephiſtas, Lutheranos, Zwinglianos, Caluiniſtas, Vgonottos, Anabatiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana fide Apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios hæreticos quocumque nomine cenſeantur, & cuiuſcumque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorum libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quauis cauſa, publice, vel occulte, quouis ingenio vel colore.

Iſta Paulus V. edicebat, pro auctoritate in vniuerſam Eccleſiam ſuprema; ſecundum quam, & ipſe quoque *Supremus Cenſor librorum*, probare atque reprnbare potens.

CAP, XXIX.

Romanus Pontifex, antiſtes ſacrorum.

SI *omnis Pontifex, ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt* inprimis *offerat dona & ſacrificia pro peccatis*: longè ampliore poteſtate præſtabit ſummus Pontifex, Antiſtes omnium ſacrorum. in his quæ ad Deum præſtant, quemadmodum & Chriſtus Princeps Paſtorum, vnctione, *vnctus* & ipſe *præ participibus ſuis*; præſtabit itaque & functione: vt non tantùm offerat dona & ſacrificia, quemadmodum alibi adminiſtri Sacrorum: verùm etiam, vt rationes, ritus, & cærimonias ſacrificiorum præſcribat, tamquam Antiſtes Sacrorum; par quidem omnibus Sacerdotibus Ordine Sacerdotij, ſuperior tamen omnibus etiam Pontificibus, dignitate ſummi Pontificij: ratione cuius ipſe ſolus gerit alteram Clauem iuriſdictionis in ſacra. Translato enim veteri Sacerdotio, neceſſe eſt vt legis, & priuilegij translatio fuerit facta. Itaque nnn minore poteſtate præditus erit is, qui ſuper oues & agnos Paſtor, & ſuper omnes Fratres Confirmator conſtitutus eſt Princeps Paſtornm, Moſayco Pontifice, reliquos Leuitas & Pontifices antiſtante. Hebr. 5.

Summ. Pôt. ordine Sacerdotij omnib. Sacerdotibus par dignitate ſummi Pontificij omnib ſuperior.

Itaque non minus ille, quàm iſte, ſacrificiorum, & ſacrorum myſteriorum omnium ritus, cærimonias, inſtituta, modos, rationes, & leges, ac regulas præfiniet: præſertim cùm Chriſtus ſummus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, & exemplo ſuo præiuerit, & anthoritatem ſuam Vicariam conceſſerit, & Spiritum Sanctum qui omnia vel ſuggereret, vel doceret, quæ neceſſaria fidelibus, Eccleſiæ cuius ille ipſe proſponſus, atque illi ipſi aſſuderit; à cuius magiſterio omnia maieſtatis conciliandæ, vel deuotionis excitandæ cauſa ſtatueret, vniuerſæque Eccleſiæ præfiniret, Sanè qui circumciſionem veteris legis antiquauit, eamque nouo ſacri lauacri ſacramento commutauit, cum aquam eidem ablutioni, & SS. Trinitatis inuocationem aſſignaſſet, neque tamen quicquam de immerſione, vel affuſione, vna, vel trina expreſſiſſet; iſtud Vicario ſuo arbitrandum reliquit: non quidem vt aut materiam, aut formam Baptiſmatis mutaret, ſed tantùm ea quæ accidere ſolent, pro ratione temporum, regionnm, ætatis, ſexus, perſonarumque adderet, nec non ritus, ac cærimonias atque præces, præſcriberet. Ille idem ipſe, qui vetus Paſcha, nouo Sacrificio Corporis, & ſanguinis ſui prætioſi permutauit, nouamque oblationem panis & vini Euchariſtici in extrema Cœna inſtituit, poteſtatem Petro Vicario fecit, (ſalua integritate ſubſtantiæ, quæ ex materia panis ac vini aqua mixti, & forma verborum conſecrationis conſtat) omnia quæ ad tanti myſterij ſiue vſum, ſiue reuerentiam, ſiue adorationem, ſiue reliqua accidentia ſpectant, ordinandi, tradendique: atque ab hæreticorum iniuria, tnm eſſentiam, tum accidentia, huius, & aliorum Sacramentorum vindicandi.

Poteſtas à Chriſto circa rationem ſacrorũ vic. ſuo relicta.

Aſcodrytæ & Archontici veteres hæretici,

Hæreticorũ portentoſæ opiniones de Sacramẽto Baptiſmi.

ci, dicentes repoſitam eſſe perfectam redemptionem in cognitione; eaque propter non oportere eſſe diuina myſteria quæ ſint inuiſibilium ſigna; nec incorporalia & inuiſibilia per corporalia & viſibilia eſſe miniſtranda aut commnnicanda; Baptiſmum, & reliqua Eccleſiæ Sacramenta reijciebat. Manichæi, quod omnia viſibilia à malo Deo creata eſſe blacterarent, etiam Baptiſmum, & Euchariſtiam, nihil ad ſalutem proficere mentiebantur. Arriani, negantes Filij conſubſtantialitatem, eundem Baptiſmum negabant: Item Pelagiani tollentes peccatum originale, illum ipſum ridebant. Eunomiani in odium SS. Trinitatis, trinam merſionem damnabant. Nouatiani, baptiſmum hæreticorum nullum eſſe dicebant. Petrobruſſiani, ante intelligibilem ætatem nihil prodeſſe aſſerebant. Græci ſchiſmatici, paruulis ante octauum diem, & mulieribus in partu vel mẽſtruo denegabant. Gilbertus Porretanus, nullum niſi ſaluandum baptizari; Samſon Presbyter Scotus, neminem debere baptizari; Iouinianus, per baptiſmum renatos, à diabolo non poſſe ſubuerti; alij hæretici, poſſe poſt mortem vita functos baptizari: nonnulli, ob falſam Latinitatem vitiari: alij, etiam forma immutata vel materia non vitiari: & à ſolis Sacerdotibus, vel ab omnibus promiſcue, vel in ætate tam exacta quanta erat Chriſtus cum baptizaretur, debere conferri: alij alia portenta circa Baptiſmum aſſerebant.

Summi Põt. damnatis hæreſibus myſteriorum noſtræ ſalutis contumeliam vindicarunt.

Vindicarunt Summi Pontifices eam myſteriorum ſalutis noſtræ contumeliam, cum vel hæreticos damnarunt, vel quid cenſendum, ſeruandumque eſſet reſcripſerunt: Soter quidem, qui Aſcodritas & Archonticos: Eutychianibus, qui Manichæos: Syluester & Iulius qui Arrianos: Innocentius I. Zozimus & Xyſtus, qui Pelagianos: Stephanus, qui Nouatianos: Damaſus, quod Eunomianos, & Iouinianum: Hadrianus, Nicolaus, Leo IX, Eugenius IV. qui Græcos ſchiſmaticos: Innocentius II. qui Petrobruſſianos, & Gilbertum Porretanum: & reliqui, qui reliquos hæreticorum, authoritate Apoſtolica damnarunt, ſuamque integritatem Sacramento Baptiſmi & reliquis alijs integram conſeruarunt: interque alia, omnibus & ſingulis etiam paruulis, neceſſitatem Baptiſmatis ex illa ſententia Saluatoris oſtenderunt, qua dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire regnum Dei.* Ab hac eadem authoritate, videntes Conditorem Sacramentorum Chriſtum, Cæremonias, tum in ſanitatibus, tum in Sacramentis conferendis non reieciſſe ſed adhibuiſſe: ac illius exemplo, qui digitos in auriculis alicuius miſit, & ſputo & luto alterum leniuit, & ſuper alterum intuens in cœlum Spiritu intremuit atque ingemuit: & ſuper diſcipulos eleuatis manibus benedixit, & cætera ſcripto & verbo nobis tradita exhibuit, Apoſtolos quoque oleum in perſanãdis ægris, ſal, aquam, mel, & nonnulla alia, quemadmodum Paulus memorat, verbo Domini ſanctificata, appoſuiſſe, multaſque orationes addidiſſe, Eccleſiæque tradidiſſe, & ipſi etiam Pontifices Apoſtolicæ Sedis, ſalua integritate ſubſtantiæ Baptiſmi, plurima circa illud inſtituerunt, atque tradiderunt.

Ioan. 3.

De Cerimonijs in baptiſmo adhiberi ſolitis.

Ab hac authoritate, quam omnibus Eccleſijs, Tertullianus antiquiſſimus præſto eſſe gloriabatur, eſt illud, quod in libello de corona militis ſcripſit ille ipſe Afer: *Aquam*, inquit, *adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia, ſub antiſtitis manu, conteſtamur nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis eius. Dehinc ter mergimur, amplius aliquid reſpondentes quam Dominus in Euangelio determinauit. Inde ſuſcepti, lactis ac mellis concordiam prægustamus, exque ea die lauacro quotidiano, per totam hebdomadam abſtinemus.* Ab hac eadem authoritate, illud quod Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia refert, cuius etiam Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum mentionem facit, quod Antiſtes baptiſandum *occidentem verſus ſtatuens, intendentem manus ad eandem regionem conuerſas, inſufflare illum ter Sathanæ iubet, & præterea abrenunciationem profiteri*, deinde *impulſione manuum, obſcura militiæ conſortia renuere docet.* Item *oleo perungit, à ſanctis Apoſtolis ex mandato Chriſti vnctione in ſacro baptiſmate vſurpata.*

Item baptizatis, *ſtatim corpus Chriſti tradit; ipſoſque ſancto chryſmate*, quod Confirmationis eſt Sacramentum, *inungit*: non abſque myſtica ratione omnibus his à ſede Apoſtolica inſtitutis.

In illo enim officio, vt Burchardus Wormatienſis rationem reddebat, primum paganus cathecumenus fit, accedens ad baptiſmum, vt renuntiet maligno ſpiritui, & omnibus damnoſis eius pompis. Exſufflatur etiam, vt fugato diabolo, Chriſto Domino noſtro paretur introitus. Exorcizatur id eſt, coniuratur malignus Spiritus, vt exeat & recedat dans locum vero Deo. Accipit cathecumenus ſal, vt putrida & fluxa eius peccata, ſapientiæ ſale diuino munere mundentur. Deinde Symboli Apoſtolici traditur ei fides, vt vacua domus, & à priſco habitatore derelicta fide ornetur, & vt præparetur habitatio Deo. Tum fiunt ſcrutinia, vt exploretur certius, an poſt renunciationem Sathanæ, ſacra verba datæ fidei radicitus corde defixerit. Tanguntur & nares, vt quamdiu Spiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. Pectus quoque eodem perungitur oleo, vt ſigno ſanctæ Crucis diabolo claudatur ingreſſus. Signantur & ſcapulæ, vt vndique muniatur. Item in pectoris & ſcapulæ vnctione, ſignificatur fidei firmitas, & operum bonorum perſeuerantia, ſic in nomine Sanctæ Trinitatis trina ſubmerſione baptizatur; & certè homo, qui ad imaginem Sanctæ Trinitatis creatus eſt, ad eandem renouatur imaginem: & qui tertio gradu peccati, id eſt, conſenſu, cecidit in mortem, tertio leuatus à fonte, per gratiam ſurgit ad vitam. Tum albis induitur veſtimentis, propter gaudium regenerationis, ad caſtitatem vitæ, & Angelici ſplendoris decorem. Tum ſacro cryſmate caput perungitur, & myſtico tegitur velamine, vt intelligat ſe diadema regni & Sacerdotij dignitatem portare, iuxta Apoſtolum; *Vos eſtis genus regale & ſacerdotale, offerentes voſmetipſos Deo viuo hoſtiam ſanctam & Deo placentem.* Sic corpore & ſanguine Domini confirmatur, vt illius ſit capitis membrum, qui pro nobis paſſus eſt & reſurrexit. Nouiſſimè per impoſitionem manus, à ſummo Sacerdote, ſeptiformis gratiæ Spiritum accipit, vt roboretur per Spiritum Sanctum,

lib. 6. de Sacramentis Eccleſiæ.

ctum, ad prædicandum alijs, quod fuerit in baptiſmo per gratiam vitæ donatus æternæ: & hæc omnia ad præſcriptum ſummum omnium Pontificis Antiſtitijs ſacrorum, à cuius authoritate pendet adminiſtratio ſacramentorum.

c. 7 de Eccl. hierarch.

Ab hac authoritate, inqnit Dionyſius, *Diuini noſtri Duces*, ſcilicet Apoſtoli, *probauerunt infantes recipi ad baptiſmum.*

Cant. 12.

Diuerſæ ſūmorum Pōt. de collatione ſacramēti Baptiſmi ſanctiones.

Ab hac eadem authoritate eſt, quod S. Syluester in Concilio Romano 284. Epiſcoporum decreuit; *Baptiſmum prædicantes date omnibus infirmis; ſanis autem ſicut veritas commonet in Paſcha & Pentecoſte.*

ep 1. ad Himerium. c. 2.

Ab hac illa eadem, poſt S. Sylueſtrum Siricius Papa ſanxit: *Sequitur, de diuerſis baptizandorum temporibus, prout vnicuique libitum fuerit, improbabilis & emendanda confuſio, quæ à noſtris conſacerdotibus, non ratione authoritatis alicuius, ſed ſola temeritate præſumitur, vt paſſim ac liberè Natalitijs Chriſti, ſeu apparitionis, necnon & Apoſtolorum ſeu Martyrum feſtiuitatibus, innumera (vt aſſeris) plebes baptiſmi myſterium conſequantur; quum hoc ſibi priuilegium, & apud nos, & apud omnes Eccleſias Dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Paſcha defendat; quibus ſolis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia Baptiſmatis tradi conuenit Sacramenta; his duntaxat exceptis, qui ante Quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint & exorciſmis, quotidianiſque orationibus, atque ieiunijs fuerint expiati; quatenus Apoſtolica illa impleatur præceptio, vt expurgato fermento veteri, noua incipiat eſſe conſperſio. Sicut ergo ſacram Paſchalem reuerentiam in nullo dicimus eſſe minuendam; ita infantibus, qui nondum potuerint loqui per ætatem, vel his quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit, ſacri vnda Baptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri, ne ad noſtram perniciem tendat animarum, ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari, exiens vnuſquiſque de ſæculo, & regnum perdat, & vitam.*

ep 4. c. 6.

Conformiter ad Sicicianam conſtitutionem Leo Papa: *Hi, qui neceſſitate mortis, ægritudinis, obſidionis, perſecutionis, & naufragij vrgentur*, reſcripſit, *omni tempore debent baptizari.*

Ab hac illa ipſa authoritate, alij Pontifices varijs temporibus reſcripſerunt.

Alexander III.

tit. 4. de baptiſmo & eius effectu.

Si quis puerum, ter in aqua immerſerit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen; & non dixerit, Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen, non eſt puer baptizatus.

S. Gregorius Leandro Epiſcopo.

lib. 1. ep. 41.

Reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate, vel ter, vel ſemel immergere; quoniam & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in vna poteſt diuinitatis ſingularitas deſignari.

Pelagius, Gaudentio Epiſcopo, de ordinaria forma baptiſmi.

de Conſecr. d. 4. c. 30.

Si hi, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, ſe ſolummodo in nomine Domini baptizatos fuiſſe confitentur, ſine cuiuſcumque dubitationis ambiguo, eos ad fidem Catholicam venientes, in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.

Nicolaus I. de ſpeciali, aut revelatione, aut diſpenſatione, in primitiua præſertim Eccleſia, circa formam baptiſmi, ad conſilia Bulgarorum.

Qui in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Chriſti (ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur) baptizati ſunt (vnum quippe idemque eſt, vt Sanctus ait Ambroſius) rebaptizari non debent.

S. Gregorius, Quirino Epiſcopo,

lib 9 ep. 61.

Hi hæretici, qui in trinitatis nomine minime baptizabant, ſicut ſunt Bonoſiani & Cataphrygæ tales cum ad ſanctam Eccleſiam veniunt baptizantur; quia baptiſma non fuit, quod in errore poſiti, in Sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt.

S. Stephanus Martyr, de non rebaptizandis hæreticis, apud quos ex formula recepta baptiſmus confertur.

Si quis à quacumque hæreſi ad Eccleſiam veniret, nihil innouaretur; ſed illud ſeruaretur; quod traditum eſſet, videlicet, *vt manus illi imponeretur ad pœnitentiam.*

Alexander III.

De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis; ſi baptizatus es, ego non te baptizo: ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo.

Gelaſius Epiſcopus per Lucaniam.

Diaconi abſque Epiſcopo, vel presbytero baptizare non audeant; niſi prædictis ordinibus fortaſſe longius conſtitutis; neceſſitas extrema compellat: quia neceſſitate imminente, etiam laicis Chriſtianis baptizare conceditur.

Vrbanus, Vitali Presbytero Brixienſi.

Super quibus conſuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis hac ſententia reſpondendum, vt baptiſmus ſit, ſi inſtante neceſſitate fœmina puerum in nomine Sanctæ Trinitatis baptizauerit.

Nicolaus, ad conſulta Bulgarorum.

A quodam Iudæo, neſcitis, vtrum Chriſtiano, an Pagano, multos in patria veſtra aſſeritis baptizatos, & quid inde agendum ſit, conſulitis. Hi profectò ſi in nomine SS. Trinitatis baptizati ſunt, rebaptizari non debent. Si autem forma Eccleſiæ non fuerit obſeruata, Sacramentum baptiſmi non confertur. Iuxtà quem ſenſum etiam

S. Gregorius Bonifacio Epiſcopo.

Quos à Paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, vt de nouo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.

Eorundem Pont. de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & miſſæ ſacrificio varia præſcripta.

Hæc, & alia plura, de Baptiſmi forma, miniſtro, modo, ritibus, & cerimonijs, Pontifices Romani, authoritate Apoſtolica reſcripſerunt: non minus quam circa SS. Euchariſtiæ ſiue ſacrificium, ſiue Sacramentum quamplurima præſcripſerunt, & inprimis,

S. Petrus Princeps Apoſtolici Sacerdotij.

Doctus, à noui Sacrificij conditore Chriſto, ſacrificandum eſſe dixit, & modum ſacrificandi, quemadmodum à Chriſto acceperat, Eccleſiæ tradidit; quem S. Clemens proximè illi ſuccedens, memoriæ conſignatum reliquit. *Licet enim multi*, (lego Proclum Patriarcham Conſtantinopolitanum atteſtantē) *quidem & alij diuini Paſtores, qui Apoſtolis ſucceſſerant, ac Eccleſiæ Rectores, Sacrorum Diuinæ Miſſæ myſteriorum rationes explicantes, ſcriptis mandatam Eccleſiæ tradiderunt; in his tamen primus, & clariſs. B. Clemens, Summi illius Apoſtolorum Principis diſcipulus, & ſucceſſor, SS. illa myſteria à Sanctis Apoſtolis ſibi reuelata, in lucem edidit*: Lyturgiæ nimirum ritus, & modum, & orationes, quemadmodum à Petro Apoſtolo ſacrificante acceperat, & in Conſtitutionum libris perſcripſerat.

tom. 4. Bib. SS.

Ab

Lib. 7. Conſt. Apoſt. cap. 25.

Miſſas.

Ab hac ſacrificandi ratione, cùm offerretur ille, qui *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*, Eccleſia Romana ſtatim ab exordio ſui, *Miſſam*, ſeu *oblationem, ſacrificium, & lyturgiam*, Hebraicis, & Chaldaicis ex fontibus ſumpto, quod ſpontaneam ſignificat oblationem vocabulo *Miſſah*, appellauit illam ſolennem actionem, quam S. Paulus, *communicationem corporis, & ſanguinis Domini*, propter vnionem internam cum Chriſto; Tertull. *Corpus Domini, & ſanguinem*, & *Myſterium*, & *Sacramentum*, ob admirabilem, ac ineffabilem rerum diuinarum coniunctionem: Ambroſ. *Euchariſtiam*, propter gratiarum actionem: Ignatius Martyr, *Panem Dei, & panem cæleſtem*, propter verbum Chriſti pollicentis ſe daturum panem viuum, qui de Cœlo deſcendit: Africani fideles apud Auguſt. *Vitam*, qui eam abunde conferret, per ſumptionem corporis, & ſanguinis viuificantis, & alij alijs nominibus denominauerunt: & quia Iuſtinus Martyr Apoſtolorum temporibus vicinis, maiori ex parte deſcripſit his verbis: *Precibus finitis, mutuis nos inuicem oſculis ſalutamus. Deinde ei, qui Fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quibus ille acceptis, laudem, & gloriam rerum vniuerſarum Patri, per nomen Filij, & Spiritus Sancti offert, & Euchariſtiam, ſiue gratiarum actionem, pro eo quod nos donis hiſce dignatus ſit, prolixè exequitur. Atque vbi ille preces, & gratiarum actionem abſoluit, populus, qui adeſt omnis fauſta approbatione acclamat, dicens*, Amen. *Amen autem voce Hebræa* Fiat, *ſignificat. Præſidens verò poſtquam gratiarum actionem perfecit, & populus vniuerſus approbatione læta eam comprobauit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Miniſtri, diſtribuunt, vnicuique præſentium, vt participent eum, in quo gratiæ actæ ſunt, Euchariſtiam, panem, vinum, & aquam, & ad abſentem perferunt. Porrò alimentum hoc apud nos appellatur* Euchariſtia: *quod nulli alij participare licitum eſt, quam veram eſſe noſtram doctrinam credenti, & lauacro propter remiſſionem peccatorum, & regenerationem abluto, & ita vt Chriſtus tradidit viuenti. Non enim vt communem panem, neque communem potum iſta ſumimus: ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus eſt Ieſus Chriſtus Saluator noſter, & carnem, & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſam habuit: ad eundem modum etiam, eam alimoniam, in qua per preces verbi eius ab ipſo profecti, gratiæ ſunt actæ, vnde ſanguis, & caro noſtra per mutationem aluntur, INCARNATI ILLIVS IESV CARNEM, ET SANGVINEM ESSE, edocti ſumus. Nam Apoſtoli in Commentarijs à ſe ſcriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt præcipiſſe ſibi Ieſum. Eum enim, pane accepto, cùm gratias egiſſet, dixiſſe*; Hoc facite in meam commemorationem: Hoc eſt corpus meum: *Et poculo ſimiliter accepto, & gratijs actis dixiſſe*: Hic eſt ſanguis meus: *ac ſolis ipſis ea tradidiſſe.*

Eucariſtia. 1. Cor. 10. & Act. 2. de reſur. car. c. 8. & de corona militis. lib. de Sacrament. ep. 15. de peccat merit. lib. 1. c. 26 in orat. ad Antoninum. Pium Auguſt.

Rom. Pont. multa ad ritus, & Cerimonias miſſæ addiderunt.

Iſtud planè ſacrificium, Pius Papa Apoſtolorum proximus, & S. Cornelius, & S. Syluester, & Patres Concilij Romani, ſub eodem Syluestro, & innumerabiles Pontifices Romani, tam Superioribus, quàm poſterioribus temporibus, *Miſſam*, vocauerunt, atque pro maieſtate venerabilium myſteriorum, ſalua tamen integritate eorum, quæ à Chriſto acceperant, multa ad ritus, & formulas accidentarias à traditione Apoſtolica, reſtituerunt quidem, non verò addiderunt. Alexander I. ob memoriam paſſionis Chriſti, verba, *Qui pridie quam pateretur*, vſque ad illa, *Hoc eſt corpus meum*, antepoſuit, Fermentatum ne in Euchariſtiæ conſecrationem veniret, propter Ebionitas reiecit: & aquam vino miſcendam, ex Apoſtolica traditione reſcripſit. Xyſtus Alexandro ſuccedens, vt in eleuatione ſacrorum, *Sanctus*, quemadmodum iam à temporibus Apoſtolorum, cantaretur mandauit. Cæleſtinus Introitum ex pſalmis Miſſæ præponendum dixit. Gregorius Kyrie eleyſon: Theleſphorus, Gloria in excelſis Deo. Gelaſius, collationes: Mortuorum commemorationem ex Apoſtolorum Lyturgia. Pelagius Oſculum pacis, Innocentius I. Agnus Dei, Sergius: Lectionem Prophetarum, & Euangelij prædicationem Clemens Romanus: nec non Diaconos oblationi Euchariſtiæ intentos, miniſtrantes Corpori Domini cum timore, populum verò orantem ſecreto, adhibuit: qui præter alia, non vbiuis locorum, ſed in Eccleſijs, & Cœmeterijs, antitypum regalis Corporis Chriſti, acceptabilemque Euchariſtiam, proprium Epiſcopum offerre admonuit: permittens etiam Epiſcopum in aliena Diœceſi peregrinum, poſſe ſi voluerit offerre Euchariſtiam, quam, *oblationem mundam, incruentam hoſtiam, myſterium noui teſtamenti, excellentias ſacrificium, diuinorum altiſſimam, & maximè venerandam celebrationem, myſteria Sacroſancta, omnique digna veneratione ſuſpicienda, Sacramentorum omnium ſummum, diuinum, auguſtiſſimumque Sacramentum*, magna religione dixit: & Pontificem poſt diuinorum operum laudes, (quas nos Præfationem vocamus) quod Hoſtiam ſalutarem ſacrificet, ſeipſum excuſantem, atque his ad Deum exclamantem facit; *Tu dixiſti; Hoc facite in meam commemorationem*: omnia, quæ ſcripſit, à Diuo Petro anteceſſore mutuatus; quæ pariter à Diuo Paulo Dionyſius edoctus, ſuæ Eccleſiaſticæ hierarchiæ inſeruit: in qua etiam eleuationis Sacroſanctæ Euchariſtiæ meminit: quam, vt ex S. Hippolyto Martyre, S. Damaſcenus referebat, *Antichriſtus totam abolebit*: eo quod orationem Chriſti non ſuſtinebit, propter quam eleuatio ab Apoſtolis inſtituta. Enimuero Chryſoſtomus ab exemplo Magorum, Antiochenos fideles monebat: *Magi infideles, & barbari, è longinquis locis venerunt ad Chriſti corpus in præſepio adorandũ. Eorum nos qui fideles ſumus, imitemur exemplum. Nihil illi viderunt præter pauperem caſam ſtramine contectam, & præſepe: tu verò Altare vides, Sacerdotem, & Spiritum Sanctum abundanter in hoc ſacrificio effuſum. Contremiſce ergo, ſollicitus ne parum reuerenter accedas: tuamque pietatem oſtende, maiorem etiam quam Reges illi barbari, & infideles, qui procidentes adorauerunt.*

Alexan. I. Xiſtus. Cæleſtinus. Gregorius. Gelaſius. Innocent. I. Clemens.

De Præfatione, & eleuatione Sacroſanctæ Euchariſtiæ.

In epiſt. de Triſagio. hom 61. ad populum.

Sanè hæc corporis, & Sanguinis Domini in Euchariſtica oblatione eleuatio, etiam in Græcorum lyturgijs recepta eſt. Sacerdotes enim poſt conſecrationem, calicem, & panem tranſubſtantiatorum myſteriorum manibus eleuatam tenens, in medium vſque templi procedit: populus verò in terram proſtratus, inclinato capite adorat, Diaconis inclamantibus vt reuerentiam quam par eſt exhibeant. Armeniorum quoque, & Abyſſinorum Sacerdotes, ante ipſam communionem, eleuato Sacra-

Apud Græcos Armenios, & Abyſſinos recepta eleuatio.

cramento populum compellant: *Vos eſtis pœnitentes: Humiliate ergo capita veſtra, & adorate corpus, & Sanguinem quod hic eſt Domini, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Emanuelis.* Tunc populus conclamat: *Credo, credo, ex hoc, nunc, & ſemper, quod hoc eſt corpus, & ſanguis Dei noſtri Emanuelis*, vt Ræmundus ſe & vidiſſe, & andiuiſſe teſtatur, cùm Pariſiorum in Vrbe ſacris interfuiſſet, ab Epiſcopo Armenio, & Sacerdote quodam Abyſſino celebratis: conformiter ad modum eleuationis, & adorationis Sacramenti, cuius S. Dionyſius, S. Baſilius, S. Ioannes Damaſcenus, S. Chryſoſtomus, & omnes vetuſti Scriptores meminerunt: originem illius ad traditionẽ Apoſtolicam, à Sede Summi Antiſtitis ſacrorum Petri manantem, referentes.

li. 5. de Orig. hæreſ. c. 12. c. 3. de Eccl. hierarch. De Spiritu Sancto c. 15. In Lythurg.

Ab hoc eodem Petro, Clemens Romanus in Conſtitutiones Apoſtolicas redegit, vt Sacerdotes reliquias panis conſecrati collectas, cum reuerentia Corpori Ieſu Chriſti debita, in vſum ægrotorum, peregrinorum; & eorum, qui frequentius communicare ſoliti fuerant, conſeruarent: *Poſtquam omnes communicauerint*, ait, *inferant Diaconi reliquias, quæ ſuperſunt, in* παστοφόριον, quod nos tabernaculum appellamus, & alibi: *Cum timore, Clerici, reliquias* Corporis Dominici *debent cuſtodire fragmentorum, ne qua putredo in ſacrario inueniatur: nequum negligenter agitur, portioni* Corporis Dominici *grauis inferatur iniuria. Et ſi negligenter agendo, pro portione* Corporis Domini *noſtri IESV Chriſti, Presbyter minora non curat admonere officia, graui anathemate percuſſus digna humiliationis plaga feriatur.* Ab hac eadem Petri Apoſtoli inſtitutione, Pontifices Romani, & Epiſcopis quibuſcumq; in Orthodoxia communicabant, Euchariſtiam mittebant, & omnibus fidelibus, qui pro quotidiano vſu illam deſiderarent, domum deferendam non negabant. Sanctus Irenæus Victori Romano ſcripta epiſtola, memorabat: *Sed Presbyteri illi, qui te anteinerunt ætate, tametſi minimè illud* Paſcha *ita* vt Orientales *obſeruabant, his tamen Epiſcopis, qui in alijs Eccleſijs idem ſic obſeruabant, Euchariſtiam miſerunt.* Tertullianus quoque, cùm in varijs locis aſſeruiſſet, 1. *Corpus Chriſti eſſe, quod in pane cenſetur:* & 2. carnem humanam *corpore, & ſanguine Chriſti veſci, vt & ante anima de Deo ſaginetur:* 3. hominemque *opimitate Dominici corporis veſci, Euchariſtia ſcilicet*: fideles ſecum illam domum referre, reſeruareque ſolitos inſinuat, cùm vel ait: *Accepto corpore Domini, & reſeruato vtrumque ſaluum eſt, & participatio ſacrificij, & executio officij*: vel vxori ſuggerit: *Non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſciuerit, PANEM, non illum credit eſſe, qui dicitur* Corpus Chriſti, quod domum à fidelibus delatum, & ſeruatum olim fuiſſe, vt ex eo ante omnem cibum guſtarent, refert Cyprianus Martyr in ſermone de lapſis, & Spiridion apud Euſebium lib. 6. hiſt. c. 36. ita vt & S. Ambroſius inter laudes Satyri fratris ſui poſuerit, quod nauigaturus, Euchariſtiam ſecum in Oratio ſeruauerit: & S. Hieronymus Exuperio Epiſcopo item laudi aſcripſerit, quod cæteris in vſum pauperum, & captiuorum abſumptis, Euchariſtiam in vaſe vimineo retineret. Sed placet ex ſolo Tertulliano, adeoque ex ipſa Apoſtolicæ Sedis inſtitutione, ſeù ab Eccleſia Romana, à qua ſibi eſſe præſto authoritatem dicebat, adeoque ab ipſius Petri authoritate, reliqua Myſſæ adducere: vt obſtruatur os loquentium iniqua, quaſi tituli, miniſteria, ritus, cærimoniæ, cæteraque omnia, ſint recens inuenta, & non à Diuo Petro Sacrorum Antiſtite tradita.

Conſtit. lib. 8. in epiſt. ad Orthodox.

De vſu mittendi, & domum ferendi Euchariſtiã in primitiua Eccl.

li. de orat. c. 6. li. de reſur. car. c. 8. & de pudicit. c. 9. de orat. c. vlt. 2. ad vxor. c. 5.

De miſſæ titulis miniſterijs ritib. cærimonijs alijſque in celebratione adhiberi ſolitis a D. Petro traditis, ex Tertulliano.

Miſſam, Tertullianus vocat
Solennia, & conuiuium Dominicum, & Dei Cœnam. — 1. 2. ad Vxorem, & de Monogamia.
Sacrificia ſine ſcrupulo oblationes.
Coitionem Chriſtianorum communicationem orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij, — Apologetic. c. 6. 39.
cœtus antelucanos. Myſteria Diuina. Dominicum officium. Sacrificium. Sacrificij participationem. Sacrificiorũ orationes de Caſtit.
Corporis Domini initiationem. de Monogamia.
Calicis Dominici ſanguinis oblationẽ. lib. 1. carm. cont. Marcion.

2. *In Eccleſijs offerri ſolitam*: cùm ait: *Noſtra columbæ domus* (in figuram columbæ, tabernaculum Euchariſtiæ depoſitorium effigiabatur) *ſimplex etiam in editis ſemper & apertis ad lucem, amat enim figuram Spiritus Sancti, & Orientem Chriſti figuram.* lib. adu. Valentinian.

3. *Ad Altare offerri ſolitam*: cùm monet: *ne prius aſcendamus ad Altare, quam ſi quid diſcordiæ, vel offenſæ cum fratribus contraxerimus, reſoluamus.* de orat. c. 10. & cùm docet ibid. c. 14. *Statio Dei ſoluenda non eſt, accepto corpore Domini. Deuotum enim Deo obſequium Euchariſtia non reſoluit, ſed magis Deo obligat. Solennior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris.*

4. *Luminaribus accenſis* ſacrificari ſolenne: cùm in Apologetico dicit: *poſt aquam manualem, & lumina.*

5. *Vaſorum ſacrorum* miniſterio: cum in libro de pudicitia Pontifici Romano pœnitentes recipienti opprobrat: *Procedant ipſæ picturæ calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, vtrũ ne Chriſtiano, an ethnico peccatori de reſtitutione colliniet.* Picturæ meminit, quod depingi ſolerent calices figuris hiſtoriarum noui teſtamenti, perlucere dixit, quod vitrei, & frangi ideò faciles tunc temporis forent, antequam aurei poſtea Xyſto ſedente Laurentij temporibus ſuccederent.

6. *Sacerdotum, & non Laicorum manu oblatam, delatamque nec niſi antelucanis cœtibus*: cùm ait: *Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus*, i. cœnæ, *& omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præſidentium ſumimus.* de Corona militis. c. 3.

7. *Pſalmodia, & cantu ſolennem. Prouocatur aliquid in medium canere*, ait. Apolog. c. 39. & de anima, *Pſalmi canuntur*, ſcilicet integri; in quorum locum, breuitatis cauſa, verſus aliqui tantum, tempori accommodati, ad Introitum, Graduale offertorium, & communionem, canuntur.

Ora-

8. *Orationibus, ſeu Collectis deuotam: Oramus*, ait, *pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum, & poteſtatibus, pro ſtatu ſæculi, pro rerum quiete, & mora finis*, &. *Suſpicientes in cælum Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubeſcimus; denique ſine monitore. quia de pectore oramus, precantes ſumus ſemper pro omnibus Imperatoribus, pro omni ſtatu Imperij, rebuſque Romanis*, in Apologet. adu. Gentes.

9. *Etiam pro defunctis fidelibus oblatam*; lib. de Corona militis. *Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus*. c. 3.

10. *Sacrarum in ea ſcripturarum lectionis* meminit. *Cogimur*, ait, *ad litterarum diuinarum commemorationem*. in apologet. ſcilicet aliquid ex Euangelio, vel epiſtolis Paulinis legebantur; vnde nunc lectio epiſtolæ atque Euangelij.

11. *Concionis ad populum: Prout*, ait, *ſcripturæ leguntur, aut adlocutiones proferuntur*, de anima, & in apologet. *Cogimur, ad diuinarum litterarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas, aut præmonere cogit, aut recognoſcere. Certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina*.

12. *Confeſſionis publicæ. Nam, & iudicatur*, inquit, *magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu: ſummumque futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis Sancti commercij relegetur*. Extat huius confeſsionis publicæ, in Miſſa Pôtificia, cum abſoluta Concione, Diaconus alta voce, ante Pontificem in ſolio reſidentem, ex formula generali confeſſionem proloquitur, & Pontifex tum abſolutionem impendit, tum indulgentias præſentibus in Sacello elargitur.

13. *Symbolo*, quod miſsis foras Cathecumenis recitabatur; *Deum inuocamus, Deum verum, Deum viuum*. in Apolog. & *Deum de Deo, Lumen de lumine*, quod poſtea Patres in Symbolum, Conſtantinopoli, traduxerunt.

14. *Oblationis*; ſeu *offertorij* poſt Symbolum. *Modicam vnuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel quum velit, & ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit: nam nemo compellitur, ſed ſponte profert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſantur, ſed egenis alendis humandiſque, & pueris ac puellis re ac parentibus deſtitutis; iamque domeſticis ſenibus; Item naufragijs; & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodijs, dumtaxat ex cauſa Dei ſectæ, alumni confeſſionis ſuæ fiunt*. in Apologet.

15. *Gratiarum actionis*; cum Sacerdos conſecraturus, Chriſtum qui gratias agens, fregit, & dixit, imitando, dicit, Gratias agamus Domino Deo noſtro, & vere dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & vbique gratias agere &c. *Super alienum*, ait, *panem, alij Deo, gratiarum actionibus fungitur*. lib. 1. adu. Marcionem.

16. *Inuocationis in gratiarum actione*, ad quam populus, poſt Sanctus, Sanctus, Sanctus, repetitum, reſpondebat Amen, in ſæcula ſæculorum, cum exprobat: *ex ore, quo Amen in SANCTVM protuleris, gladiatori teſtimonium reddere; εἰς αἰῶνας alij omninò dicere, niſi Deo, & Chriſto?* lib. de ſpectacolis.

17. *Conſecrationis, & benedictionis*; lib. de pudicitia, *Sacramentum benedictionis*; lib. de ieiunio, *Conſecrationis* appellat, & ait; *Nobis omnis dies, etiam vulgata, conſecratione celebratur*.

18. *Adorationis* poſt conſecrationem. *Nos Dominum adoramus*, &. *Atqui cum modeſtia, & humilitate adorantes, magis commendamus Deo preces noſtras, ne ipſis quidem manibus ſublimius elatis, ſed temperate, & probe prolatis, vt qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe* in apolog. & de idololat. *Attollere ad Deum patrem manus, matres idolorum, his manibus adorare, quæ foris aduerſus Deum adorantur, eas manus admouere corpori Domini, quæ dæmonijs corpora conferunt. Nec hoc ſufficit. Parum ſit, ſi ab alijs manibus accipiant, quod contaminant, ſed etiam ipſæ tradunt alijs quod contaminauerunt. Adleguntur in ordinem Eccleſiaſticum artifices idolorum. Pro ſcelus. Semel Iudæi Chriſto manus intulerunt, iſti quotidie corpus eius laceſſunt. O manus præcidnedæ*.

19. *Sacrificationis* poſt adorationem. lib. 3. aduerſus Marcionem, vbi Prophetam Malachiam explicans ait, *Sacrificium mundum, gloriæ ſcilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni*: in qua actione, *Nos manus vero*, ait, *non tantum attollimus, ſed etiam expandimus, diuina paſſione modulantes*.

20. *Commemorationis Sanctorum, & orationis pro defunctis*: vt ſuperius recitauimus, num. 9.

21. *Orationis Dominicæ*, lib. de Orat. *Præmiſſa legitima & ordinaria Oratione quaſi fundamento, accidentium ius eſt deſideriorum, ius eſt ſuper ſtruendi extrinſecus petitiones*.

22. *Oſculi pacis*. lib. de oratione. *Quæ oratio, cum diuortio oſculi ſancti integra? quem Domino officium facientem impedit pax? Quale Sacrificium eſt, à quo ſine pace receditur?*

23. *Communionis ſub vna ſpecie panis. Non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciuerit, Panem non illum credit eſſe qui dicitur*. lib. 2. ad Vxorem. Item de Monogam, *& illi planè dabunt viros, & vxores, quomodo buccellas*, & de Orat. *Accepto corpore Domini, & reſeruato*.

24. *Ab ieiunis*.

25. *à, Confeſſione expiatis*,)
26. *& mutuo reconciliatis*.) de Orat. *Ne prius aſcendamus ad Dei altare, quam ſi quid diſcordiæ vel offenſæ cum fratribus contraximus, reſoluamus. Quid eſt enim ad pacem Dei accedere, ſine pace? ad remiſſionem debitorum, cum retentione? Quomodo pla-*

placabit patrem iratus in fratrem? Nec ab ira ſolummodo, ſed omni omnino confuſione animi, libera debet eſſe orationis intentio, &c.

27. *Reuerentis aſſeruationis reliquiarum Corporis Dominici*: de Corona milit. *Calicis, aut panis etiam noſtri, aliquid decuti in terram anxie patimur.*

28. *Agape, ſeu conuiuij modeſti, quod poſt ſacrificij oblationem. Cœna*, ait, *noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Vocatur enim* ἀγάπη, *id quod dilectio penes Græcos eſt. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumptum, ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto iuuamus, non qua penes vos paraſiti affectant, ad gloriam famulandæ libertatis, ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi, ſed qua penes Deum maior eſt contemplatio mediocrium. Si honeſta cauſa eſt conuiuij, reliquum ordinem diſciplinæ de cauſa æſtimate, quid ſit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit. Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum præguſtetur. Editur quantum eſurientes capiant, bibitur, quantum pudicis eſt vtile. Ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi Deum eſſe. Ita fabulantur, vt qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam & lumina, vt quiſque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere: hinc probatur.*

29. *Orationis poſt communionem, & laudes.*) *quomodo biberit.*) *Aequa oratio conuiuium dirimit.*

30. *Miſſionis*, cum Sacerdos, *Ite Miſſa eſt*, lib. de anima. *Poſt tranſacta*, ait, *ſolennia, dimiſſa plebe*: dicens, populum dimitteret.

Hæc ex Tertulliano ſolo placuit producere; vt nemini dubium ſit, non tantum eſſentiam, verum, & reliqua Sacrificij incruenti, quemadmodum nunc in Eccleſia Catholica Romana obſeruantur, non eſſe recens inuenta, ſed à Chriſto, & à Chriſti Vicario Petro tradita, vtpote ad quem pro auctoritate ſuprema ſpectabat, omnia quæ ad vſum Sacramentorum neceſſaria eſſe, vel à Chriſto acceperat, vel à Spiritu S. Doctore intellexerat, diſponere. Ab hac vniformi Sacrorum celebratione, cum vnitatem Chriſtianorum, & ſeruari, & foueri, S. Ignatius martyr, Diuo Petro in Sede Antiochena proximus perſpiceret, monebat Epheſios; *Omnes nominatim congregamini, obedientes Epiſcopo, & Presbyterio, mente indiuulſa frangentes panem vnum, quod immortalitatis pharmacum eſt, mortis antidotum, vitam in Deo conciliens per Ieſum Chriſtum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala. Nemo erret. Niſi quis intra altaris ſepta ſit, priuatur pane Dei.* Fere eadem Magneſijs, & Philadelphijs, quemadmodum à S. Petro acceperat inculcabat; *Omnes ad orandum in idem loci conuenite. Sit vna communis precatio, vna mens, vna ſpes in charitate, & fide inculpata in Chriſtum Ieſum, quo nihil eſt præſtantius. Omnes velut vnus quiſpiam ad templum Dei concurrite, velut ad vnum altare, ad vnum Ieſum Chriſtum, ſummum Sacerdotem Dei ingeniti*, & *Obſecro vos vt vna fide, vna prædicatione, vna Euchariſtia vtamini. Vna enim eſt caro Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vnus illius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, & vnus calix, qui pro nobis omnibus diſtributus eſt; vnus panis, qui omnibus fractus eſt; vnum altare omni Eccleſiæ*, ſcilicet non minus quam baptiſmatis ritibus, à quorum varietate, alius quidem Pauli, alius Petri ſe dicebat, etiam in celebratione atque participatione ſacrificij Euchariſtiæ, varios ritus introducere quidam tentabant. Contra quos, & Paulus cum in epiſtola Corinthijs data inuectus fuiſſet. Petrus formulam oblationis atq; cœnæ myſticæ præſcripſerat, à qua ne recederent fideles, Ignatius admonebat. Cùm autem lapſu temporis Africani nonnulli, ab eadem formula nonnihil deflexiſſent, Victor Romanus Pontifex, velut ſummus Antiſtes Sacrorum, ad eos ſcripſit: *Perlatum eſt ad Sedem Apoſtolicam, aliquos veſtrum in Sacramentis diſcrepare, & ob id contentiones, & æmulationes inter vos fieri: à quibus ſi vos auertere neglexeritis, ab Apoſtolicæ Sedis, & totius Eccleſiæ communione vos pelli non dubitetis.*

Vniformis Sacrorum celebratio vnitatis Chriſtianorum fotrix. *ep. ad Epheſ.*

In epiſtolis.

ep. 2. ad Afros.

Ex his ſuperius à Tertulliano petitis, cum multa, & inter hæc Pſalmi intermitterentur, Cæleſtinus Papa I. reſtituit, vt Pſalmi Dauidis centum quinquaginta; ex omnibus antiphonatim, ante ſacrificium canerentur: cum alibi, nonniſi epiſtolæ Pauli, & Euangelium recitaretur. Gelaſius I. ad detegendos Manichæos, vſum calicis reſtituit, atque hunc in modum edixit; *Comperimus, quod quidam ſumpta tantummodo corporis Sacri portione, à Calice Sacri cruoris abſtineant. Qui proculdubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuiſio vnius eiuſdemque myſterij ſine grandi Sacrilegio non poteſt prouenire.* Gregorius Magnus, plurima circa ritus Sacrorum aut innouauit, aut addidit. Gregor. IV. Ludou. Imp. deprecante, Amalarij Fortunati Gallicanos Antiphonarios, ad formulam Romanorum librorum examinauit, correxit, auxit: vtque feſtiuitas omnium Sanctorum, quam ex inſtituto Bonifacij Papæ, Calendis Nouembris Romani peragebant, in Germania quoq; & Gallijs celebraretur, Ludouicum Imperatorem admonuit. Ioannes VIII. Morauis recens conuerſis, vt lingua Slauonica in Sacris vterentur permiſit; videlicet potius Miſſas Latinas recitarent, hortatus eſt. Gregorius VII. Alphonſum Caſtellæ, & Sancium Aragoniæ Reges poſtulantes, vt eorum Epiſcopi Officium Romanum recitarent, exaudiuit, adeoque antiquatis vetuſtis Hiſpanicarum Eccleſiarum Gothicis ritibus, vt cum Romana conuenirent, Epiſcopis præſcripſit: Bohemis videlicet linguæ Sclauonicæ in Sacris vſum petentibus negauit.

Varia Romanor. Pōt. circa celebrationem miſſæ ſtatuta.

lib. de Romanis Pontif.

anno 496.

anno 831. & 835.

anno 68[illegible]*.*

anno 1074.

anno 1081.

Gothicos ritus miraculo adhibito abolitos fuiſſe, teſtatur Mariana. Inter partes conuenerat, vt ignis experimento, an retineri deberent, probaretur. Itaque rogo in platea accenſo, liber vterque, Romanus, & Gothicus in ignem proiecti ſunt, & Romanus quidem continuo ex igne proſilijt, quod populus victoriam interpretabatur; cum liber alter ſub igne, & flammis diu permanens, illæſus inuentus eſt. Interpretabantur, vtramque precandi rationem Superis placere, quando vterque liber ex incendio euaſiſſet incolumis. Itaque quodam temperamento cum controuerſiam

Gothici ritus in Hiſpan. miraculoſe aboliti *lib. 6. c. 18.*

ſiam componendam viderj. In antiquis vrbis templis, quæ Mazorabum vulgo dicebantur, vetus precandi ratio retineretur; in reliqnis, quæ denuo Toleti ſacrata erant, conſtitutum, vt ex Romano ritu rem diuinam procurarent, & diuinas laudes ſtatis diei temporibus decantarent. Sed iſta Toleti: hæc in Concilio Braccarenſi ſecundo; *Placuit, vt eodem ordine miſſæ celebrentur ab omnibus, quæ Profuturus quondam huius Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſcriptum ſuſcepit*, &, *nullus ordinem baptizandi prætermittat, quem pro amputanda aliquorum dubietate, prædictus Profuturus ſibi directum à Sede Beatiſſimi Petri Apoſtoli ſuſcepit*. Sed nos ad alios.

Can. 11. & 23. anno 1118.

Alibi locorum conſuetudo ſen abuſus ſuerat, ve pro complemento communionis, Sacerdotes nonnulli, corpus Domini intinctum populo diſtribuerent. Inhibuit Gelaſius Secundus, & vt ſeorſum in ſpecie panis, ſeorſum in ſpecie vini porrigeretur, datis litteris Pontio Abbati Cluniacenſi reſcripſit. Cumque nec ſic prauus vſus poſſet exterminari, & multa indigna in diuiniſſima myſteʒia cõmitterentur, tandem communionem ſub vna tantum ſpecie Romana Eccleſia frequentare conſueuit: affirmans, non eſſe de neceſſitate ſalutis, vtramque ſpeciem à laicis ſumere: quod ipſi non ſint ſacrificantes Sacerdotes; quibus tantum præcipuè in Apoſtolorum perſona dictum: *Bibite, ex hoc omnes*. Sed hæc alij abunde demoſtrarint: nos de ritu ſacrificandi, Innocentium III. vna cum Patribus Magni Concilij Romani Lateranenſis, audiamus, qui affirmat: *Eccleſiam ſemper integra fide cuſtodiuiſſe, id quod ab Apoſtolis accepit, qui ei regulam officiorum Eccleſiaſticorum tradiderint; & à Beatiſſimis S. Petro, & Paulo, qui Romæ mortui quieſcunt, ipſum modum ſacrificij celebrandi accepiſſe, qui hucuſque inuiolabiliter ſit conſeruatus*, & vt porro inuiolabiliter, perpetuo, ac vbique terrarum ſeruaretur, Pius V. ex ſententia Concilij Tridentini, Myſſali, Breuiario, Pontificali, & cæteris libris Ritualibus reformatis, publicatiſque, auctoritate Apoſtolica edixit. Iniecerat ea Conſtitutio ſcrupulum Ruthenis, recens, Eccleſiæ Romanæ vnitis; an propter vnionem cum Eccleſia Romana initam, deſererent ritus Græcos. Conſulentibus, reſpondit, pro Paſtorali ſolicitudine PAVLVS PP. QVINTVS.

Quando in Rom. Eccl. communio ſub vna tãtum ſpecie introducta.

Rutheni de ritibus Græcis Sed. Apoſt. conſulunt.

S. D. N. Paul V. ad Ruthenorũ petita reſponſum.

, Solet circumſpecta Romani Pontificis
, prouidentia, ſi quæ aliquando ſuper litteris
, ab Apoſtolica Sede emanatis dubia orian-
, tur, ſuæ declarationis oraculo tollere, & alias
, prouidere prout temporum, & perſonarum
, qualitatibus debite penſatis conſpicit in
, Domino ſalubriter expedire. Alias ſiquidem
, ſel. rec. Clemens Papa VIII. prædeceſſor no-
, ſter bonæ mem. Michaelem Archiepiſcopum,
, & Metropolitam Hijouienſem Halicienſem,
, ac totius Ruſſiæ, & cum eo pleroſque eius
, Comprouinciales Epiſcopos, & alios tunc
, expreſſos vna cum omni eorum Clero, & po-
, pulo nationis Ruthenæ, ſeu Ruſſiæ, quæ cum
, Romana Eccleſia non communicabat, ſed
, Græcorum ſchiſma ſequebatur, intra gremi-
, um Eccleſiæ Catholicæ, & vnitatem S. R. Ec-
, cleſiæ; vti membra ſua in Chriſto ſub certis
, modo, & forma recepit, vniuit, adiunxit,
, annexuit, & incorporauit, prout in dicti Cle-
, mentis prædeceſſoris, ſub plumbo deſuper,
, ſub Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incar-
, nationis Dominicæ M. DC. XCV. Decimo
, Calendas Ianuarij, Pontificatus ſui anno
, Quarto expeditis litteris plenius continetur.
, Cum autem, ſicut venerabilis Fratris Ioſephi
, Archiepiſcopi moderni Kijouien. & Hali-
, cien. nomine nobis nuper expoſitum fuit,
, non deſint, qui veritatis ignari, aut ab alijs
, in errorem inducti ſibi perſuadeant, Roma-
, nam Eccleſiam per vnionem præmiſſam; eo-
, rum ritus, & ceremonias in diuinis officijs,
, & ſacramentorum adminiſtratione tollere,
, & extinguere voluiſſe: vnde ſcandalum mul-
, torum prouenire dignoſcitur: ea propter nos
, ex Paſtoralis officij debito, inimico homini
, bono ſemini ſuper ſeminanti Zizania occa-
, ſionem auferre, & errorem huiuſmodi ex
, mentibus hominum euellere, ac ſcandalis oc-
, currere volentes, nec non litterarum præfa-
, tarum tenores præſentibus pro expreſſis ha-
, bentes, ſupplicationibus dicti Ioſephi Ar-
, chiepiſcopi nomine nobis ſuper hoc humili-
, ter porrectis inclinati, omnes ritus ſacros,
, & ceremonias quibus Rutheni Epiſcopi, &
, Clerus, iuxta ſanctorum Patrum Græcorum
, inſtituta, in diuinis officijs, & ſacroſanctæ
, miſſæ ſacrificio, cæterorumque ſacramento-
, rum adminiſtratione, alijſue ſacris functio-
, nibus vtuntur, dummodo veritati, & doctri-
, næ Fidei Catholicæ non aduerſentur, & com-
, munionem cum Romana Eccleſia non exclu-
, dant, per vnionem præmiſſam tollere, aut
, extinguere, Eccleſiæ Romanæ intentionem,
, mentem, & voluntatem non fuiſſe, nec eſſe:
, neque id dici, vel cenſeri potuiſſe, nec poſſe:
, quinimo dictos ritus eiſdem Ruthenis Epi-
, ſcopis, & Clero, ex Apoſtolica benigni-
, tate permiſſos, conceſſos, & indultos eſ-
, ſe: ſicut ex litteris prædictis, & Concilio
, Florentino apparet, & ex inſtituto Col-
, legij Græcorum Vrbis noſtræ, in quo alumni
, de ritibus huiuſmodi ſeruandis, ſicut acce-
, pimus iuramentum præſtant, auctoritate
, Apoſtolica tenore præſentium decernimus, &
, declaramus. Non obſtantibus Conſtitutio-
, nibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæte-
, riſque contrarijs quibuſcumque. Datum
, Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo
, Piſcatoris die X. Decembris. M. DC. XV.
, Pontificatus noſtri anno vndecimo. S. Cu-
, bellucius.

CAP. XXX.

Pontifex Romanus, Clauiger Cælorum.

APoſtolis reliquis abunde eſt, à Chriſti inſufflatione, Spiritum Sanctum accepiſſe: vt quorum ſoluerint ſeù remiſerint peccata, eiſdem ſoluerentur ſeù remitterentur; & quorum alligauerint ſeù retinuerint, ijſdem alligarentur ſeù retinerentur: Petrus Apoſtolorum Princeps aliquid maius obtinuit, cum ei Chriſtus promiſit; *Tibi dabo CLAVES REGNI CÆLORVM: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cælis; & quod-*

cumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis. Aliud eſt Claues dare; aliud vſum clauiũ ſeù perfunctoriam auctoritatem remittendi, vel retinendi, ligandi, vel ſoluendi delegare.

Aliud claues dare, aliud vſum Clauium delegare.

Primum eſt poteſtatis ſupremæ quæ cum Imperio rebus ſacris præſit: ſecundum officij preſunctorij, quod infra ordinem ab aliquo Legatorum exercetur. Claues, ſummo Præpoſito Templi, ſeu Supremo Pontifici totius Eccleſiæ Catholicæ, conceſſæ ſunt, non minus quam illi veteri Summo Pontifici, de quo Iſaiæ 22. dicit Deus: *Vocabo ſeruum meum Eliacim filium Elciæ, & induam illum tunica tua: & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius: & erit quaſi Pater habitantibus Hieruſalem, & domui Iuda. Et dabo clauẽ domus Dauid ſuper humerum eius; & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & nõ erit qui aperiat.* Authoritas remittendi, retinendi, ligandi, ſoluendique commiſſa eſt his qui dicebant de ſeipſis, *Legatione fungimur pro Chriſto.* Claues Petro, velut Principi Paſtorum, vſus Clauium Apoſtolis, velut Legatis. Illi perpetua in omnes, & omnia, ordinaria, & quam in reliquos partiretur iuriſdictio; his delegata perſonalis, non in vniuerſam Eccleſiam, neque perennis poteſtas. Pares in hac omnes Apoſtoli: *hoc enim erant*, ait Cyprianus *vtique, & cæteri Apoſtoli quod fuit, & Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis:* ſuperior omnibus Apoſtolis Petrus in iuriſdictione Ordinaria Clauium, cum vt vnus Primus, & Maximus, à quo vnitas Eccleſiæ conſeruaretur, inter eos emineret, Nam *exordium ab vnitate proficiſcitur*, addebat ibidem Sanctus Cyprianus, *& PRIMATVS PETRO DATVR, vt Eccleſia vna monſtretur.* Alibi Diuum Petrum, *Eccleſiæ vnius*, ſcilicet totius, *Caput, & radicem*, Sanctus Cyprianus, propter eandem Clauium poteſtatem, & vnitatis originem agnoſcebat; *Nam* ait, *Petro primum Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem ſupremam dedit. Eccleſia* enim *quæ vna eſt, ſuper vnum qui Claues eius accepit, voce Domini fundata eſt.*

Claues Petro, vſus clauiũ Apoſt. datus.
lib de vnitate Eccleſ.
Petro Primatus datus vt Eccl. vna monſtretur.
epiſt. ad Iubaianum.
ep 84. & 89

Fere eadem, & S. Leo Papa Anaſtaſio Theſſalonicenſi, & Viennenſibus Epiſcopis, ſcribebat; *Inter beatiſsimos Apoſtolos, in ſimilitudine honoris, fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt; vt cæteris præmineret*, cui *præ cæteris ſoluendi, & ligandi tradita eſt poteſtas.* Et quamquam alibi S Leo de Clauium vſu diceret: *Tranſiuit, in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius conſtitutio commeauit*; adeoque communem cum eo Apoſtolis reliquis poteſtatem fuiſſe ligandi & ſoluendi non negaret: non tamen diſcretionem poteſtatis, qua cæteris Petrus præminebat, Leo imminuebat: quin potius à ſimilitudine Capitis, quod membris omnibus celſius eſt, & à quo reliqua membra vnitatem, & vitam, & robur, & ſpiritum accipiunt, oſtendebat, dicebatque: *Si quid cum eo commune cæteris Chriſtus voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum Petrum dedit, quicquid alijs non negauit.* Itaque quod *voce Dominica*, vt Sanctus Gregorius, *cunctis Euangelium ſcientibus liquere*, ait, *ſancto, & omnium Apoſtolorum Principi Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt*, cum ei Chriſtus dixiſſet, *Tibi dabo Claues Regni cælorum, & Paſce oues meas*; recte illum Sanctus Hilarius, *Ianitorem cæleſtis Regni, & in terreno iudicio iudicem ſupremum cæli* appellauit: cui fas ſit per ampliſſima in omnes oues, & agnos Chriſti poteſtate, etiam illos quos Chriſtus in Eccleſia ſua poſuit Paſtores, & Doctores, regere Eccleſia Dei, ligare, & ſoluere, remittere eis, & retinere ſcilicet non tamen remittere peccata, verum etiam pœnas indulgere, à vinculis Eccleſiaſticis ſoluere, communicatam à Chriſto poteſtatem, & vſum clauium alijs impartiri; atque ſuo ſupremo iudicio aliqua grauiora ſeruare, quæ cognoſcat, & vel retineat, vel remittat, ad ædificationem Eccleſiæ.

Inter Apoſtolos in ſimilitudine honoris diſcretio poteſtatis.
ſerm 3 de anniuerſ aſſumptionis ſuæ.
lib. 4. ep. 32.
Ius ſupremę poteſtatis.
lib. 6. & 10. de Trinit. & in Pſ. 131

Pro hac ſuprema in omnes Clauium poteſtate, Petrus primus, non aliquis alius Apoſtolorum, ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem, & ſpiritus ſancti miſſionem, pœnitentiæ, & Baptiſmi ſacramenta annunciauit, atque primus, miniſtrauit. Cum enim eius *verbis auditis* Iudæi *compuncti corde dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres?* non Andreas qui natu maior, non Ioannes qui Chriſto olim magis dilectus, non alius quiſpiam ex ſacro cætu, ſed *Petrus ad illos: Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum. Vobis enim eſt repromiſſio, & filijs veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcumque aduocauerit Dominus Deus noſter. Alijs etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exortabatur eos, dicens: Saluamini à generatione iſta praua. Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia. Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis PANIS, & orationibus.*

Primus Petrus poſt Chriſti aſcenſionem Baptiſmi, & pœnitentiæ ſacramẽta annunciauit, & miniſtrauit.
Act. 2.
Act. 3.

Pro alia quoque Concione, is ipſe Petrus præ alijs Apoſtolis, ad omnem populum qui cucurrerat, dixit: *Pœnitemini igitur, & conuertimini vt deleantur peccata veſtra. Vobis* enim *primum Deus ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis, vt conuertat ſe vnuſquiſque à nequitia ſua.* Pro hac ipſa auctoritate in vniuerſam Eccleſiam, in eos qui fraudauerant de pretio agri, iudiciariam poteſtatem, quæ poſtea in vſum pœnitentiæ publicæ tranſiuit, exercuit, Nam inquiſiuit; *Dic mihi, ſi tanti agrum vendidiſtis:* & cum mentirentur. Apoſtolica cenſura increpuit, percuſſit: ſtatimque ſententiam iudicantis in terris, iudex de cœlis Chriſtus comprobans, fraudatores extinxit: & quibus Petrus cœlum clauſerat, Chriſtus clauſit. Vnde quidem *factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia, & in omnes qui hæc audierunt:* vt & extraneorum *nemo auderet ſe illis coniungere*, & ſi quis domeſticorum aliquid deliquiſſet, clam eos facere, aut mentiri: cum lapſi accurrerent, *confitentes, & annunciantes actus ſuos*, & aduoluti pedibus illius, ſolutionem à vinculis, remiſſionem à culpis, & pœnis poſtulantes, ſcientes illi ſoli & vni, præ cæteris dictum, *Tibi dabo Claues Regni cælorum.* Ab hac Ianitoris Cælorum inſtitutione, manauit in Eccleſia *exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina, qua*, (vt refert Tertullianus, (cui ab Eccleſia Romana in omnibus authoritas præſto fuit,) *delictum noſtrum Domino confitemur*, non quidem

Iudiciariã poteſtatem in Ananiam & vxorem exercuit.
Act. 5.
Act. 19.
Exomologeſis proſternendi.
de pœnitent. cap. 9.

vt

vt ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſio confeſsione diſponitur, confeſsione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur.

De confeſſione peccatorum.

Poſt internam Deo ſoli peccatorum confeſſionem, manauit etiam exomologeſis conuerſatio, habitus, victus, & publica aliquando, & ante publicam præmiſſa ſemper priuata ſeu ſecreta perpetuo confeſſio peccatorum, quæ fit ſacerdoti poteſtatem remittendi à Petro Pontifice habenti: namque addit idem Tertullianus; *De ipſo quoque habitu atque victu mandat, 1. ſacco, & cineri incubare, 2. corpus ſordibus obſcurare, 3. animum mæroribus deijcere, 4. illa quæ peccauit triſti tractatione mutare, 5. ieiunijs preces alere, 6. paſtum, & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet ſed animæ cauſa, 7. ingemiſcere, lacrimari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, 8. preſbyteris aduolui, 9. & caris Dei adgeniculari, 10. omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere, quæ exomologeſis, cum prouoluit hominem,* ait, *magis releuat: cum ſqualidum facit, magis mundatum reddit: cum accuſat; cum condemnat, abſoluit. In quantum non peperceris tibi, intantum tibi Deus, crede, parcet.* Preſbyteris aduolui, aiebat, mandat Deus: nimirum, ad confitenda peccata ante publicam confeſſionem.

hom. 2. in Pſal. 37.

Huius confeſsionis priuatæ (eo quod ſacerdotis fuerat ex ea (vt Origenes tradit) aut publicare, aut occultare peccata, aut publicam, aut priuatam ſatisfactionem imponere,) cum nonnullos ſuppuderet, Tertullianus addebat; *Pleroſque tamen hoc opus, vt publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre, præſumo pudoris magis memores quam ſalutis: velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Intollerandum ſcilicet pudori, Domino offenſa ſatisfacere, ſaluti prodacta reformari: Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum verò ſubducens. Ego rubori locum non facio cum plus de detrimento eius acquiro, cum ipſe hominem quodammodo exhortatur; Ne me reſpexeris dicens, pro te mihi melius eſt perire. Certe periculum eius tunc ſi forte oneroſum eſt, cum penes inſultaturos in riſiloquia conſiſtit, vbi de alterius ruina alter attollitur, vbi proſtrato ſuperſcenditur.*

Contra ruſticum pudorem quorundam, & verecundiâ in confitendis peccatis

Cæterum inter Fratres atque conſeruos, vbi communis ſpecies, metus, gaudium, dolor, paſſio (quia communi ſpiritus de communi Domino, & Patre) quid tuos aliud quam te opinaris. Quid conſortes caſuum tuorum, vt plauſores fugis? Non poteſt corpus de vnius membri vexatione lætum agere: condoleat vniuerſum, & ad remedium conlaboret, neceſſe eſt. In vno, & altero Eccleſia eſt, Eccleſia vero Chriſtus. Ergo cum te ad Fratrum genua protendis Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras. Æque illi cum ſuper te lacrymas agunt, Chriſtus patitur, Chriſtus Patrem deprecatur. Facile impetratur ſemper, quod filius poſtulat. Grande emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet, ſi quid HVMANÆ NOTITIÆ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeo ne exiſtimatio hominum, & Dei conſcientia comparantur? An melius eſt DAMNATVM LATERE, quam palam ABSOLVI? Plura alia Tertullianus ſuadebat, ad excutiendum ruſticum pudorem, & amplectendam exomologeſim ſeu confeſſionem peccatorum: cuius etiam S. Cyprianus meminit dicens; *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres dilectiſſimi, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt, dum ſatisfactio, & REMISSIO FACTA PER SACERDOTES apud Dominum grata eſt.* &c. *Tanto fide maiores, & timore meliores ſunt, quod quamuis nullo ſacrificij, aut libelli facinore conſtricti: quoniam tamen de hoc VEL COGITAVERVNT, HOC IPSVM APVD SACERDOTES Dei dolenter, & SIMPLICITER CONFITENTES,* * *exomologeſin conſcientiæ faciunt, ANIMI SVI PONDVS EXPONVNT, SALVTAREM MEDELAM PARVIS LICET, ET MODICIS vulneribus exquirunt.*

ſerm. de lapſis.

* confeſſionē

Ante hanc confeſſionem, & abſolutionem, ſeu remiſſionem, quod nonnulli lapſos ad communionem Euchariſtiæ admitterent, habuit idem S. Cyprianus Preſbyteris, & Diaconibus exprobrare: *Cum*, ait, *in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri ius communicationis accipiant, nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeuerante nondum reſtituta Eccleſiæ ipſius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur, cum ſcriptum ſit:* Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini, & alibi: *Illi contra Euangelij legem, ante actam pœnitentiam, ante exomologeſim grauiſſimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo, & Clero in pœnitentiam impoſitam, offerre lapſis pacem, & Euchariſtiam dare, id eſt ſanctum Domini corpus profanare audent.* & infra. *Vos itaque ſollicite, & caute petentium deſideria ponderetis, vtpote amici Domini, & cum illo poſtmodum IVDICATVRI, inſpiciatis, & actum, & opera, & merita ſingulorum, ipſorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitetis: ne ſi quid abrupte, vel indigne, vel à vobis promiſſum, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipſos, Eccleſia erubeſcere incipiat.* ſcilicet Pœnitentes, in primis, priuatim, in domibus, ſacco, & cineri incubabant, corpus ſordibus obſcurabant, animum mærore deijciebant, illa quæ peccauerant triſti tractatione mutabant, xerophagias edebant, ieiunijs preces alebant, ingemiſcebant, lacrymabantur, ac dies noctesque ad Dominum Deum mugiebant: mox ad Eccleſiam Dei venientes, Preſbyteris aduoluti, delicta, parua licet, & modica, inſuper, & hoc quod cogitauerunt Sacerdoti confitebantur, ſimpliciter, & dolenter animi ſui pondus exponentes, & medelam ſalutarem vulneribus exquirentes.

ep. 10. & 11.

De præparatione ad confeſſionē, confeſſione pœnitentiæ impoſitione & caſuum quorundam reſeruatione.

Sacerdos porro, ſi crimen occultum fuerat vel priuatum, abſoluebat, ſatisfactionemque ſalutarem imponebat; ſi vero notiorum, & publicum, graue præſertim, & extremum, quod eſt apoſtaſiæ, ad Epiſcopum referebat, atque confeſſionem, & pœnitentiam publicam differebat, propter quam delationem, pœnitentes, caris Dei adgeniculabantur, omnibuſque fratribus legationes deprecationis ad Epiſcoporum iniungebant. Epiſcopus porro,

actum

actum, opera, merita ſinguiorum, ipſorumq; que delictorum genera, & qualitates expendebat; & eum demum, ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſim venientes, audiebat; & pro arbitrio, vel à conſortio aliorum, atque à communione Euchariſtiæ excludebat; vel manum in pænitentiam imponens, lapſis, ad communicationem ius faciebat, pacem offerebat, Euchariſtiam dabat, pænas ſatiſfactionis impoſitas indulgebat: exemplo Pauli Apoſtoli, qui Corinthium inceſtuoſum iudicio ſuo reſeruauit, & primum à cætu fidelium abſtentum, Sathanæ ad tempus eradidit: deinde intercedentibus per beatos viros Timotheum, & Titum (ſi quid Theodoreto creditur) Corinthijs, pænas eidem indulſit. dixitque: *Cui aliquid donaſtis, & ego. Nam, & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in persona Chriſti donaui.*

1. Cor. 2.

Omnium horum meminit Dionyſius Areopagita; & ante omnes S. Clemens, qui S. Petrum hæc ſibi dicentem introducit; *Illi vero cum tanta reuerentia tua verba ſuſcipiant, tunquam qui ſciant te Legatum, & præconem eſſe veritatis: & quodcumque ligaueris ſuper terram, eſſe ligatum, & in cælo: & quidcumque ſolueris ſuper terram, etiam ibi eſſe ſoluendum. Quoniam quidem, & tu, quæ oportet ligabis, & quæ expedit, ſolues.* &: *Quod ſi forte alicuius vel rancor, vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his, quæ ſuperius memorauimus, latenter irrepſerit, non erubeſcant, qui animæ ſuæ curam gerit confiteri hæc huic, qui præeſt, vt ab ipſo per verbum Dei, & conſilium ſalubre curetur, quo poſſit integra fide, & operibus bonis pænas æterni ignis effugere, & ad perpetua vitæ præmia peruenire.* Curationis per *verbum ſalubre*, meminit Petrus loquens Clementi: quo quale fuerit verbum, ſanctus Ambroſius expreſſit; adeoque formam ſacramenti pænitentiæ commemorant; *non in ſuo*, inquiens, *ſed in Patris, & Filij, & Spiritus Sancti nomine Sacerdotes peccata dimittere*, quod idem eſt, quod *abſolutio* Tertulliano, & *remiſſio* Cypriæ, facta in nomine SS. Trinitatis per Sacerdotes: quemadmodum ligatio, vel retentio, facta per Epiſcopos, & magis per Principem Epiſcoporum Petrum ac nonneminem Romanum Pontificem: cui grauiora delicta, detinendi, remittendi, à vinculis ſoluendi, & anathemate ligandi, pænas omnes ſatisfactorias Indulgendi, ſeu quod idem eſt, Indulgentias concedendi, adeoque purgatorij ſupplicijs temporalibus eximendi, & ad extremum, omnia impedimenta conſequendi, Regni cæleſtis tollendi, adeoque Clauium Regni Cælorum ſumma, ordinaria, perpetua, idependens, poteſtas.

ep. 8. ad Demophilum. ep. 1. ad S. Iacob. fratrem Domini.

l.b. de Spiritu S. cap. 19

Ad hanc grauiorum peccatorum, retinendorum, vel remittendorum Pontifici Romano reſeruatam ſuper alios poteſtatem reſpexit idem Tertullianus; ſed iam Montanizans, exprobrauit: *Audio etiam edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium: Pontifex Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit; Ego, & mœchiæ, & fornicationis delicta, pænitentias functis DIMITTO. O edictum cui adſcribi non poteris, Bonum factum! Et vbi proponetur liberalitas iſta? Ibidem opinor in ipſis libidinum ianuis ſub ipſis libidinum titulis*, & inferius, ſchema etiam pænitentium deſcribens; *Tu quidem pænitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens, conciliatum, & concineratum, cum dedecore, & horrore compoſitum proſternens in medium ante viduas, ante preſbyteros, omnium lacbrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem, inque eum hominis exitum quantis potes miſericordiæ illecebris, Bonus Paſtor, & Benedictus Papa concionaris, & in parabola ouis caprus tuas quæris, tua ouis ne rurſus de grege exiliat; quaſi non exinde iam liceat, quod nec ſemel licuit: cæteras etiam metu comples, cum maxime INDVLGES.*

Tertull. Môtanizans ſugillat Pont. Rom. quod grauiora peccata dimitterent & alijs indulgêdi poteſtatem darent. de pudicis. cap 1. cap. 13.

Maximum Pontificem, Epiſcopum Epiſcoporum, Bonum Paſtorem, & Benedictum Papam, Romanum Pontificem, Tertullianus ex more in Eccleſia recepto appellabat: ſed quod Mœchiam, & fornicationem cum idololatria componeret, & in hæreſim prolapſus, lapſis fidelibus grauiorum criminum veniam negaret, eidebat ſuggillabatque Zephyrinum, ſeu Eleutherium, quod ipſe auderet irremiſſibilia, ait, peccata dimittere, atque his indulgere, quibus olim Apoſtoli, non ordinaria poteſtate quam in poſteros deriuarent, ſed perſonali quemadmodum, ait, authoritate indulſerunt. Nam iſta vlterius diſſerebat: *ſed & in hunc iam gradum decurram, excernens inter doctrinam Apoſtolorum, & poteſtatem. Diſciplina hominem gubernat, poteſtas adſignat; ſeorſum, quod poteſtas, ſpiritus autem Deus. Quid autem docebat, non communicandum operibus tenebrarum? Obſerua. quod iubet. Quis autem poterat donare delicta? Hoc ſolius ipſius eſt. Quis* enim dimittit delicta, niſi ſolus Deus? *& vtique mortalia, quæ in ipſum fuerint admiſſa, & in templum eius. Nam Tibi quæ in te reatum habeunt, etiam ſeptuagies ſepties iubet indulgere in perſona Petri.* cap. 21. & 22.

Itaque ſi, & ipſos B. Apoſtolos tale aliquid indulſiſſe conſtaret; cuius venia à Deo non ab homine competeret, non ex diſciplina, ſed ex poteſtate feciſſe. Nam & mortuos ſuſcitauerunt, quod Deus ſolus: & debiles redintegrauerunt, quod nemo niſi Chriſtus: imo, & plagas inflixerunt, quod noluit Chriſtus. Non enim decebat eum ſæuire, qui pati venerat. Percuſſus eſt Ananias, & Elimas, Ananias morte. Elimas cæcitate, vt hoc ipſo probaretur Chriſtum, & hæc facere potuiſſe. Sic, & Prophetæ cædem, & cum ea mœchiam pænitentibus ignouerant, quia & ſeueritatis documenta fecerunt. Exhibe igitur, & nunc mihi, Apoſtolice, Prophetica exempla, & agnoſcam diuinitatem; & vendica tibi delictorum eiuſmodi remittendorum poteſtatem. Quod ſi diſciplinæ ſolius officia ſortitus es, nec imperia præſidere, ſed miniſterio, quis aut quantus es INDVLGERE? qui neque Prophetam, neque Apoſtolum exibens, cares ea virtute cuius eſt indulgere. De tua nunc ſententia quæro, vnde hoc ius Eccleſiæ vſurpes. Si quia dixerit Petro Dominus, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, tibi dedi claues Regni cæleſtis, *vel* Quæcumque alligaueris, vel ſolueris in terra, erunt alligata vel ſoluta in cælis; *Idcirco præſumis, & ad te deriuaſſe ſoluendi, & alligandi poteſtatem, id eſt, ad omnem Eccleſiam Petri propinquam: qualis es euertens atque commutans manifeſtam Domini intentionem, perſonaliter hoc Petro conferentem*, ſuper te, *inquit*, ædificabo Eccleſiam meam: & Dabo tibi Claues, *non Eccleſiæ*, & quæcumque ſolueris vel alligaueris,

ris , non quæ ſoluerint vel alligauerint . Sic enim, & exitus docet . In ipſo Eccleſia extructa eſt , id eſt per ipſum , ipſe clauem imbuit , vides quam ; Viri Iſraelitæ ; auribus mandate quæ dico ; Ieſum Nazarenum virum à Deo vobis deſtinatum , *& reliqua .*

Ipſe denique primus in Chriſti Baptiſmo reſerauit aditum cæleſtis Regni , quo ſoluuntur alligata retro delicta , & alligantur , quod non fuerint ſoluta , ſecundum veram ſalutem : Ananiam vinxit vinculo mortis , & debilem pedibus abſoluit vitio valetudinis . Sed & in illa diſceptatione cuſtodiendæ néc ne legis, primus omnium Petrus ſpiritu inſtinctus , & de Nationum vocatione præfatus , Et tunc , *inquit* , cur tentaſtis Dominum de imponendo iugo fratribus , quod neque nos , neque Patres noſtri ſufferre valuerunt ? Sed enim per gratiam Ieſu credimus , nos ſalutem conſecuturos ſicut , & illi . *Hæc ſententia , & ſoluit quæ omiſſa ſunt legis, & alligauit quæ reſeruata ſunt . Adeo nihil ad delicta fidelium capitalia poteſtas ſoluendi , & alligandi Petro emancipata , cui ſi præceperat Dominus ,* etiam ſeptuagies ſepties delinquenti in eum fratri indulgere , *vtique nihil poſtea alligare , id eſt retinere mandaſſet , niſi forte ea quæ in Dominum , non in fratrem quis admiſerit . At tu iam , & in martyres tuos effundis hanc poteſtatem, vt quiſque ex conſenſione vincula induit adhuc mollia in nouo cuſtodiæ nomine , vnde ſtatim ambiunt mœchi , ſtatim adeunt fornicatos , iam preces circumſonant , iam lacrymæ circumſtagnant maculati cuiuſque , nec vlli magis aditum carceris redimunt , quam qui Eccleſiam perdiderunt.*

Plura alia in Pontificem Romanum , quem inſuper Apoſtolicum dixit congerebat Tertullianus , iam infeliciter in errorem prolapſus ; quod videret grauiora delicta illum dimittere , indulgereque pœnas , ac indulgendi poteſtatem alijs impertiri : cum (ita ſupputabat) neque Deus eſſet , cuius ſolius eſt dimittere pecata : neque Chriſtus , qui cum Imperio Eccleſiæ præſideret : neque propheta, qui virtute diuina iſta indulgeret : neque Apoſtolus , qui ex perſonali poteſtate delicta dimitteret aut retineret ; neque in Petri priuilegium ita exiſtimabat Montanizans) ſuccederet, quod id non minus quam miracula perpetrandi , illi ſoli , non Eccleſiæ in eius perſona collatum cenſeret .

Suggillabat Tertullianus in Romano Pontifice , quod iam vniuerſa Catholica Eccleſia , Spiritu ſancto edocta agnouerat : ſcilicet ; in perſona Petri , qui non perſonaliter vt Simon Ioannis , ſed Pontificaliter vt Petrus , Cephas , caput , & fundamentum Eccleſiæ claues Regni cæleſtis , ſucceſſoribus per manus relinquendas obtinuerat , poteſtatem miniſterialem remittendi , & retinendi peccata , ſoluendique , & ligandi vincula peccatorum auctoritatem accepiſſe : & ea propter , quamuis nec Deus ſed Dei villicus , nec Chriſtus ſed Chriſti Vicarius , nec Propheta , ſed Prophetarum filius , nec Apoſtolus , ſed Apoſtolicus , & Maximus Pontifex , & Epiſcopus Epiſcoporum , & ipſe quoque poſt Chriſtum , & Petrum , Bonus totius ouilis Dominici Paſtor , & Benedictus Papa ſeu Pater Patrum ſit , poſſe , non quidem ex Imperio , quod Deus, & Chriſtus , ſed ex ſupremo miniſterio ordinario , remittere , non tantum in fratrem , ſed

Rom. Pont. quamuis grauiora peccata non tantū in fratrem ſed etiam in Deū remittere poteſt .

etiam in Deum , quamuis grauiſſima peccata , eademque , ne ab alijs inferioribus dimittantur , ſuo arbitrio retinere , adeoque ſuo iudicio reſeruare : deinde vincula peccatorum , anathemata , conciliationes , concinerationes , ieiunia , proſtrationes , & quaſcumque alias ſatisfactionis nomine impoſitas pœnas ſoluere , ijſdemque vinculis peccatores pœnitentes adſtringere · adeoque in perſona Chriſti donare , indulgere, inque alios poteſtatem iſtam ligandi , & ſoluendi , remittendi , & retinendi effundere : maxime quod Petrum Clementi ſucceſſori dixerit , *Quoniam quidem, & tu, quæ oportet ligabis ; & quæ expedit, ſolues ,* vnde nonnemo Romanorum Pontificum Clementi ſuccedens Ordinaria iſta in D. Petro collata poteſtate Clauium , Clauigeri cælorum officio defungens .

1. Grauiora crimina ſibi reſeruaret , atq; ipſe idem reſeruata remitteret .

2. Anathematis vinculo ligaret , atque à ſe & ab alijs ligatos ſolueret .

3. Pœnas , & cenſuras Eccleſiaſticas ſiuè ſtringeret , ſiue tolleret .

4. Pœnas peccatorum corporales imponeret , & indulgeret .

5. Iuramenta friuola vel perniciosa irritaret .

6. Votis, ſi vel maius bonum impedirent, vel non in veritate , & iudicio , & iuſtitia concepta eſſent exſolueret .

7. Adeoque omnia impedimenta conſequendi boni diuinioris remouens , Ianitoris Regni cælorum nomine audiret: ab hac cenſura diuina , qua iudicat magno cum pondere , & vita functis beneficus , cum

8. Alios pœnis expiatorijs eximie .

9. Alios Sanctorum albo adſcribit ; *Summo præiudicio*, vt ait Tertullianus, *iudicij futuri.*

apologet. cap 39.

Sanè Philippus I. ex Gentilibus Chriſtianus Imperator, ad Fabianum Romanum Pontificem accurrit, vt peccatorum indulgentiam obtineret ; quem is peccata fatentem audiuit , neque prius ei communionem Eccleſiaſticam impartiri voluit , quam confeſſionem peccatorum feciſſet , vt teſtis eſt Euſebius .

Philip. I. Imp. peccatorum abſolutionem à Fab Rom. Pont. obtenuit . *lib.6 cap.27.*

Natolius , olim confeſſor , ſed poſtea Theodatianorum hæreticorum factus Epiſcopus , cum frequentibus Domini viſionibus atque monitionibus , tum maximè grauiſſimis flagris à Sanctis Angelis nocte quadam illatis, ſui compos factus eſſet , ad Zephyrinum Papam cilicio , & ſacco indutus , ac cineribus conſperſus veniens , atque ad pedes eius ſe ſupplicem abijciens , patrati ſceleris exomologeſin egit , & indulgentiam obtinuit : Iam inolita in Eccleſia conſuetudine , vt hæreſiarchæ, & grauiorum peccatorum rei penitentes, à Romano Pontifice Catholicam communionem promererentur, vt idem Euſebius ſcripſit.

Natolius Theodotianor. hæretic. Epiſc. à Zephyr. Pp indulgentiam impetrauit . *lib.5.cap.27.*

Ante Zephyrinum , & Fabianum , Soter , Apoſtolicis proximus temporibus, cum aliqui iureiurando incautius prolato ſe ligatos eſſe cenſentes , ad ipſum , vt ſolueret , acceſſiſſent: exſoluit , atque reſcripſit ; *Si aliquid forte incautius vos iuraſſe contigerit , quod obſeruatum peiorem vergat in exitum , illud conſilio ſalubriore mutandum nouerimus .* Ad hoc reſcriptum poſtea reſpiciens *Ioannes Papa* , vt Regino hiſtoricus narrabat , *Imperatorem* Ludouicum à *iuramento quo ſe obligauerat , auctoritate Dei ; &*

A Sotare aliqui .

A Ioan. Pp. Ludouic Imper. à Iuramento abſolutus .
in Chron. anno 872.

San-

Sancti Petri abſoluit, affirmans ſibi nihil obeſſe, quod ob mortis periculum euadendum coactus fecerat: nec Sacramentum eſſe dicendum, quod contra ſalutem Reipublicæ quamuis cum multis execrationibus fuerit prolatum. Ad hoc ipſum fortè reſcriptum PAVLVS V. reſpiciens, nuper in cauſa Anglicani iuramenti, iſtud Oraculum ſcripſit, quod hic placuit adſcribere,

PAVLVS PAPA V.

Dilecti filij, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Reſcriptum S.D N. Paulo V. in cauſa Anglicani Iuramenti.

MAgno animi mœrore nos ſemper affecerunt tribulationes, & calamitates, quas pro retinenda Catholica fide iugiter ſuſtinuiſtis, ſed cum intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio noſtra mirum in modum aucta eſt. Accepimus namque compelli vos, grauiſſimis pœnis propoſitis, templa hæreticorum adire, cætus eorum frequentare, concionibus illorum intereſſe, profectò credimus proculdubio eos, qui tanta conſtantia atque fortitudine atrociſſimas perſecutiones, infinitas propemodum miſerias hactenus perpeſſi ſunt, vt immaculate ambularent in lege Domini, numquam commiſſuros eſſe, vt coinquinentur communione deſertorum diuinæ legis. Nihilominus zelo Paſtoralis officij noſtri impulſi, & pro paterna ſollicitudine, qua de ſalute animarum veſtrarum aſſiduè laboramus; cogimur monere vos, atque obteſtari, vt nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipſis in ritibus communicetis, ne iram Dei incurratis. Non enim licet vobis hæc facere, ſine detrimento diuini cultus, ac veſtræ ſalutis, quemadmodum etiam non poteſtis, abſque euidentiſſima grauiſſimaque diuini honoris iniuria, obligare vos iuramento, quod ſimiliter maximo cum cordis noſtri dolore audiuimus propoſitum vobis fuiſſe præſtandum, infraſcripti tenoris, videlicet.

Ego A. B. verè, & ſyncerè agnoſco, profiteor, teſtificor, & declaro in conſcientia mea, coram Deo, & mundo, quod ſupremus Dominus Rex Iacobus eſt legitimus, & verus Rex huius Regni, & omnium aliorum Maieſtatis ſuæ Dominiorum, & Terrarum; & quod Papa, nec per ſe ipſum, nec per vllam aliam auctoritatem Eccleſiæ, vel Sedis Romanæ, vel per vlla media cum quibuſcumque alijs, aliquam poteſtatem, nec auctoritatem, habeat Regem deponendi, vel aliquorum Maieſtatis ſuæ dominiorum, vel regnorum diſponendi, vel alicui Principi extraneo ipſum damnificare, aut terras ſuas innadere auctoritatem concedendi, vel vllos ſubditorum ſuorum ab eorum ſuæ Maieſtatis obedientia, & ſubiectione exonerandi, aut vllis eorum licentiam dare, arma contra ipſum gerendi, tumultus ſeminandi, aut aliquam violentiam, aut damnum Maieſtatis ſuæ perſonæ, ſtatui, vel regimini, vel aliquibus ſuis ſubditis, infra ſua dominia offerendi.

Item iuro ex corde, quod non obſtante aliqua declaratione, vel ſententia excommunicationis, aut depriuationis facta, vel conceſſa, aut facienda, vel concedenda per Papam, vel Succeſſores ſuos, vel per quamcunque auctoritatem deriuatam, aut deriuari præcenſam ab illo ſeu à ſua Sede, contra dictum Regem, hæredes, aut Succeſſores ſuos, vel quacumque abſolutione dictorum ſubditorum ab eorum obedientia; fidelitatem tamen, & veram obedientiam ſuæ maieſtati, heredibus, & Succeſſoribus ſuis præſtabo, ipſumque, & ipſos totis meis viribus, contra omnes conſpirationes, & attentata quæcumque, quæ contra perſonam illius, vel illorum, eorumque coronam, & dignitatem, ratione vel colore alicuius ſententiæ, vel declarationis, aut alias facta fuerit, defendam: omnemque operam impendam reuelare, & Maieſtati ſuæ, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis manifeſtum facere, omnes proditiones, & proditorias conſpirationes, quæ contra illum, aut aliquos illorum, ad notitiam, vel auditum meum peruenerint.

Præterea iuro, quod ex corde abhorreo, deteſtor, & abiuro, tamquam impiam, & hæreticam hanc doctrinam, & propoſitionem: Quod Principes per Papam excommunicati, vel depriuati, poſſint per ſuos ſubditos, vel alios quoſcumque deponi, & occidi.

Et vlterius credo, & in conſcientia mea reſoluor, quod nec Papa, nec alius quicumq; poteſtatem habet me ab hoc iuramento, vel aliqua eius parte abſoluendi. Quod iuramentum agnoſco, recta ac plena auctoritate, eſſe mihi legitimè miniſtratum, omnibuſque indulgentijs, ac diſpenſationibus in contrarium renuncio. Hæcque omnia planè ac ſyncere agnoſco, & iuro, iuxta expreſſa verba per me hic prolata, & iuxta planum, ac communem ſenſum, & intellectum eorumdem verborum, abſque vlla æquiuocatione, aut mentali euaſione, vel ſecreta reſeruatione quacumque: hancque recognitionem, & agnitionem facio cordialiter, voluntariè, & verè, in vera fide Chriſtiani viri. Sic me Deus adiuuet.

Quæ cum ita ſint, vobis ex verbis ipſis perſpicuum eſſe debet, quod huiuſmodi iuramentum, ſalua fide Catholica, & ſalute animarum veſtrarum præſtari non poteſt; cum multa contineat, quæ fidei, & ſaluti apertè aduerſantur. Propterea admonemus vos, vt ab hoc atque ſimilibus iuramentis præſtandis omninò caueatis: quod quidem eo acrius exigimus à vobis, quia experti veſtræ fidei conſtantiam, quæ tamquam aurum in fornace perpetuæ tribulationis igne probata eſt, pro comperto habemus, vos alacri animo ſubituros eſſe quæcumque atrociora tormenta, ac mortem denique ipſam conſtanter oppetituros, potius quam Dei maieſtatem vlla in re lædatis. Et fiducia noſtra confirmatur ex his, quæ quotidie nobis afferuntur de egregia virtute atque fortitudine, quæ non ſecus ac in Eccleſiæ primordijs reſplendet nouiſſimis hiſce temporibus in Martyribus veſtris.

State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, ſumentes ſcutum fidei, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, nec quicquam vos detineat. Ipſe autem, qui coronaturus vos certamina veſtra in cælo intuetur, bonum opus, quod in vobis cæpit, perficiet. Noſtis, quia diſcipulis ſuis pollicitus eſt, ſe numquam relicturum eſſe eos orphanos. Fidelis enim eſt, qui repromiſit. Retinete igitur diſciplinam eius, hoc eſt radicati, & fundati in charitate, quicquid agitis quicquid conamini, in ſimplicitate cordis, & vnitate ſpiritus, ſine murmuratione, aut hæſitatione vnanimes facite. Siqui-

dem in hoc cognoſcunt omnes, quia diſcipuli Chriſti ſumus, ſi dilectionem ad inuicem habuerimus. Quæ quidem charitas, cum ſit omnibus Chriſti fidelibus maximè appetenda: vobis certe, & dilectiſſimi filij, prorſus neceſſaria eſt. Hac enim veſtra charitate diaboli potentia infringitur, qui nunc aduerſus vos tantopere inſurgit, cum ipſa contentionibus, atque diſſidijs noſtrorum filiorum præcipuè nitatur.

Hortamur itaque vos per viſcera Domini Ieſu Chriſti, cuius charitate è faucibus æternæ mortis erepti ſumus, vt ante omnia, mutuam inter vos charitatem habeatis. Præſcripſit ſane vobis præcepta maximè vtilia: de fraterna charitate vicißim exercenda, fælicis recordationis Clemens Papa VIII. ſuis litteris in forma Breuis ad dilectum filium Magiſtrum Georgium Archipreſbyterum Regni Angliæ, datis die quinta menſis Octobris 1602. Ea igitur diligenter exequimini, & ne vlla difficultate, aut ambiguitate remoremini, præcipimus vobis vt illarum litterarum verba ad amuſſim ſeruetis, & ſimpliciter prout ſonant, & iacent, accipiatis, & intelligatis, ſublata omni facultate aliter illa interpretandi. Interim nos nunquam ceſſabimus Deum Patrem miſericordiarum precari, vt afflictiones, & labores veſtros clementer reſpiciat, ac vos continua protectione cuſtodiat atque defendat, quos Apoſtolica benedictione noſtra clementer impertimur. Datum Romæ apud S. Marcum, ſub anulo Piſcatoris, decimo Calend. Octob. M. DC. VI. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ad Summ. Pont. pertinet cognoſcere de Iuramento an ſit licitum, vel non.

Hæc Paulus V. de iuramento Anglicano iudicauit; quod non ad alium, ſed ad Summum Pontificem pertineat cognoſcere, de iuramento, an ſit licitum, vel illicitum: quod iuramentum ſit res ſacra, ſpiritualis, ad ſalutem, vel perniciem animæ, cum honore vel iniuria diuinæ maieſtatis ſpectans: & nonniſi à Romano Pontifice poſſit diſſolui; vt potè qui ſolus ſit Chriſti in terris Vicarius, potens oues Chriſti à venenatis quibuſcumque arcere atque ſeruare: adeoque non minus votorum, quam aliorum vinculorum Eccleſiaſticorum ſolutionem ſibi reſeruare. Eorum vinculorum ſoluendi poteſtatem, quod Africani Epiſcopi ſcirent reſeruatam eſſe Pontifici Romano, Sede vacante, Clero Romano, cui cura vniuerſalis Eccleſiæ incumbit, ſcripſerunt, in cauſa lapſorum. Clerus porro Romanus, poſt Fabiani paſſionem, S. Cypriano, & reliquis Africanis reſpondit: *ante Conſtitutionem Epiſcopi nihil eſſe nouandum: ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe: vt interim dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur in ſuſpenſo, eorum qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur.* Scilicet perſpectum habebant, ſoli Romano Pontifici incumbere, à grauiſſimo apoſtaſiæ crimine exſoluere. Sciuit iſtud Timotheus Soloſaciolus Alexandrinus Patriarcha.

apud Cypr. ep. 31.

Solus Rom. Pont. ab Apoſtaſiæ crimine exoluit.

Hiſt. Eccleſ. anno 476.

Quamobrem ad Simplicium Romanum Epiſcopum miſit, vt veniam pro antea admiſſo delicto, quod compreſſus gladijs Eutychianorum coactus fuiſſet recitare nomen impiiſſimi Dioſcori ad altare: atque adeo communione hæreticorum ſeſe impiaſſet. Miſit etiam eidem Simplicio, libellum pænitentiæ eorum quos Ælurus, & Mogus hæreſiarchæ ſeduxerant, qui quod veniam admiſſorum delictorum ab illo orarent, ſatis indicarunt, abſolutionem à crimine hæreſis, & ab alijs grauiſſimis, reſeruare ſolitam Romano Antiſtiti, ſupremo Clauigero Regni cælorum. Sciuit etiam iſtud Gundabundus Rex Africæ, cum Epiſcoporum in perſecutione Hunerici Regis lapſi eſſent, Synodum in cauſa eorum, trigintaocto Epiſcoporum congregauit. Re ad Felicem III. Romanum Pontificem ex Concilio delata, decreuit Felix cum Synodo, vt Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi lapſi, etiamſi ſupplicijs ad id fuiſſent impulſi, ad obitum vſque ab omnium Fidelium excluſi cætu, atque etiam à Cathecumenis ſegregati orantes, laica tantummodo communicatione impertirentur, reliqui autem inferioris ordinis Clerici, triennio inter Audientes perſeuerare deberent, ſeptem autem annis inter pænitentes, peregrinæ tantum communicationis participes facti.

Abſolutio ab Hæreſi Pont. Rom. reſeruata.

anno 487.

Idem de Monachis, & Laicis cenſuit, addiditque vt nullus vnquam eis aditus pateret ad clericatum. Sciuit iſtud ipſum, & Miſenus Cumanus Epiſcopus. Qui quod Acacio Conſtantinopolitano hæretico Eutychiano communicaſſet, & nomen nefandi hæretici Petri Mogi Alexandrinæ Sedis inuaſoris, in Eccleſiæ Diptychis recitari ſuſtinuiſſet, eaque prænaricatus eſſet, ad Gelaſium Papam confugit erroris veniam petens. Audiuit pœnitentem, eiurantemque & anathematizantem nomen Acacij & nomina aliorum hæreticorum damnantem Gelaſius: & ex ſententia Concilij Romani abſoluit, atque reſtituit. Sciuit & Baſilius Macedo Orientis Imperator, & Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui Adriano Pontifici ſcripſerunt, vt Legatos Conſtantinopolim mitteret, ad exſoluendos eos, quos Photianæ hæreſis macula contaminaſſet, corrupiſſetque. Agnoſcebant in litteris Hadriano ſcriptis, quod Romanus Pontifex, *vnus, & ſingularis, præcellens, atque Catholiciſsimus medicus morborum quæ in membris ſunt Chriſti, ab ipſo Domino conſtitutus eſſet.*

anno 495.

anno 867.

Pater trium filiorum necator ad Pont. accurrit.

p. 10. c. 33.

Hoc pariter tempore, cum ex antiquo vſu, pro grauioribus delictis expiandis, Fideles, ad Romanum Pontificem ſe conferrent, inter alios infelix pater trium filiorum necator ad Nicolaum I. accurriſſe legitur; cui ab eodem Pontifice pœnitentia iniuncta eſt; quam Iuo retulit in librum ſuum Decretorum. Gallias quoque Rex Vaſconum, cum matrem ſuam adulterij apud Patrem falsò accuſaſſet, expiandi cauſa delicti, Ioannem XX. Papam conuenit, atque limina Apoſtolorum viſitauit. Non ignatus huius cenſoriæ poteſtatis apud ſe Gregorius Magnus, 1. Mediolanenſem quemdam presbyterum, à Laurentio Mediolanenſi Epiſcopo, immeritò excommunicatum, abſoluit, officioque ſuo reſtituit. 2. Ioanni Defenſori in Hiſpanias eunti, vt is qui ſuperſtite Epiſcopo innocente, contra Canones in Eccleſia eius ordinari præſumpſit, Sacerdotio priuatus ab omni Eccleſiaſtico miniſterio repellatur, qui etiam in cuſtodia habeatur, vel ad nos, ait tranſmittatur; Epiſcopi verò qui eum ordinauerunt, ſex menſibus Dominici corporis & ſanguinis communione priuati, agere pœnitentiam decernantur in monaſterio, præſcripſit. 3. Epiſcopis Illyrici, vt pro repulſo ſeu excommunicato haberent, quem ipſe repuliſſet ſeu à communione abſtinuiſſet; præcepit. 4. Epiſcopos, ſchiſmatis

anno 1027.

lib. 2. ep. 26.

lib. 12. ep. 50.

lib 2 ep.25. lib.10.ep.38.

crimine pollutos, ſuæ abſolutioni reſeruauit, eiſque hanc quam adiungo formam abiurationis ſcripſit: *Ego Ciuitatis illius Epiſcopus, comperto diuiſionis laqueo quo tenebar, diutina mecum cogitatione pertractans, prona & ſpontanea voluntate ad vnitatem Sedis Apoſtolicæ, diuina gratia duce reuerſus ſum. Et ne praua mente ſeu ſimulatè reuerſus exiſtimer, ſub mei ordinis caſu ſpondeo, & anathematis obligatione, atque promitto tibi, & per te Sancto Petro Apoſtolorum Principi, atque eius Vicario beatiſſimo Gregorio, vel ſucceſſoribus ipſius, me numquam quorumlibet ſuaſionibus, vel quocumque alio modo ad ſchiſma, de quo Redemptoris noſtri miſericordia liberante ereptus ſum, reuerſurum: ſed ſemper me in vnitate Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permanſurum. Vnde iurans dico per Deum Omnipotentem & hæc Sancta quatuor Dei Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & ſalutem gentium, atque Illuſtrium Dominorum noſtrorum Rempublicam gubernantium, me in vnitate, ſicut dixi, Eccleſiæ Catholicæ & communione Romani Pontificis, ſemper & ſine dubio permanere. Quod ſi, quod abſit, aliqua excuſatione, vel argumento ab hac me vnitate diuiſero, crimen periurij incurrens, æterna pœna obligatus inueniar, & cum authore ſchiſmatis habeam in futuro ſæculo portionem.*

Forma abiurationis Epiſcop. Schiſmatici à Greg. Mag. præſcripta.

Ex hac formula ſchiſma eiurantes Epiſcopos, Gregorius abſoluebat; perpetua conſuetudine in Eccleſia Romana perſeuerante, vt quos Romani Pontifices à grauiſſimo perfidiæ ſeu apoſtaſiæ crimine ſoluerent, ij prius ex formula præſcripta, errores, hæreſes, & ſchiſmata execrarentur; ac tum demum à vinculis Eccleſiaſticis enodarentur. Sanè Pyrrhus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſub Theodoro Papa Romam veniens, ait Beda, obtulit eidem Papæ libellum cum ſua ſubſcriptione, in quo condemnauit omnia, quæ à ſe vel à deceſſoribus ſuis acta eſſent aduerſus Catholicam fidem; & tunc poſtea anathemate exſolutus, benignè ſuſceptus eſt. Sed quia poſtea ad errorem redijt, Papa conuocatis Sacerdotibus & Clero, condemnauit eum ſub vinculo anathematis.

Rom. Eccl. conſuetudo in abſoluendis Schiſmatic. vel hæreticis aut Apoſtatis.

de ſex ætatib. anno mundi 4593.

Idem ipſe Theodorus Papa (vt habetur in epiſt. Stephani, quæ extat in Synodo Martini Papæ) Stephanum Dorenſem Hieroſolimitanæ Diœceſeos primum Epiſcopum, Loci ſui ſeruatorem, Apoſtolica authoritate ordinauit; qui ea quæ fuiſſent Eccleſiaſtica capitula perageret, & Canonicè (ſi nullatenus emendarentur) deponeret eos, qui ſub Monothelitarum prætextu ordinati eſſent Epiſcopi, niſi libellum pœnitentiæ offerrent. Agatho pariter, Martinus, Donnus, ſi quos Monothelitarum; Zacharias, Stephanus II. & III & IV. Paulus I. & Hadrianus, ſi quos Iconoclaſtarum; Nicolaus I. Hadrianus II. & Ioannes VIII. ſi quos Mæchianorum, vel Photianorum pœnitentes abſoluerent, non prius id faciebant, quàm ex libello pœnitentiali crimina falſi, hæreſim quoque anathematizaſſent.

Schiſmatis hæreſis & apoſtaſiæ crimina Sum. Pont. reſeruata.

Manſit vſque ad hæc tempora, perennis in Eccleſia Romana conſuetudo, vt propter atrocitatem impietatis, crimen hæreſis, apoſtaſiæ & ſchiſmatis Summo Pontifici abſoluendum reſeruaretur, qui ſicut in eos pœnam anathematis, aliaſque cenſuras poteſt decernere, poteſt etiam earum ſolutionem ſuo iudicio retinere: quemadmodum etiam aliorum grauiſſimorum criminum abſolutionem ſuæ vel Epiſcopali Sedi deputare. Sic Henrici IV. Gregorius VII. Friderici I. Alexander III. Henrici VI. Cæleſtinus III. Philippi & Otthonis Innocentius III. Friderici II. Innocentius IV. Ludouici Bauari Ioannes XXII. Philippi Gallorum Regis Innocentius III. alterius Philippi Bonifacius VIII. Henrici II. Angliæ Regis Alexander III. Henrici IV. Galliarum & Nauarræ Regis Clemens VIII. aliorum deinde Imperatorum, Regum, Principum, Patriarcharum, Epiſcoporum, alij ſuorum temporum Pontifices, errata, peccataque, diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſanciendæ, ſeruandæque cauſa, ſuis clauibus reſeruabant: in quos ipſi ſententiam, pro authoritate Apoſtolica, vt omnem inobedientiam vlciſcerentur, pronunciabant. Horum exemplum ſecutus Paulus Quintus, pari authoritate quod adiungo cenſuit, cenſuræque ſolutionem ſibi, & ſucceſſoribus ſuis ſeruauit.

Crimina quorum ſolutionem S. D. N. Paulus V. ſibi, & ſucceſſoribus ſuis ſeruauit.

PAVLVS EPISCOPVS.
Seruus ſeruorum DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Paſtoralis, Romani Pontificis vigilantia, & ſolicitudo, cum in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tum potiſſimum in Catholicæ fidei ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda, & conſeruanda, maximè elucet. Nimirum, vt fideles Chriſti non ſint paruuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris: ſed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, neque ſe in huius vitæ ſocietate & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat: ſed potius in vinculo charitatis coniuncti, tanquam vnius corporis membra ſub CHRISTO capite, eiuſque in terris Vicario Romano Pontifice Beatiſſimi Petri Succeſſore, à quo totius Eccleſiæ vnitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita diuina gratia adiutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur.

Excommunic & anathematizantur.

Ob quas ſanè cauſas, Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, hodierna die, quæ anniuerſaria Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolemnis, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria iuſtitiæ arma per miniſterium ſummi Apoſtolatus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quàm fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem, & iuſtitiam. Deo authore, tueri, vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes.

1. Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, authoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtra, quoſcumque Huſſitas, wichlephiſtas Lutheranos, Zuinglianos, Caluiniſtas, Vgonottos

Hæretici cuiuſcunq; ſectæ, eorundem fautores libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & ſchiſmatici.

nottos

nottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana fide Apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios Hæreticos quocumque nomine cenſeantur, & cuinſcumque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defeoſores, ac eorundem libros hæteſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine authoritate noſtra & Sedis Apoſtolicæ ſeienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex qnauis cauſa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore, oec noo Sehiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

Appellantes à Pontif. ad futurumCon. cilium, eorũque fautores.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cuiuſcumque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint. Vninerſitates verò, Collegia, & Capitula quoeumqne nomine nuncupentur, interdicimns: ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro teoipore exiſtentium ad vniuerſale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio, conſilio vel fauore, appellatum ſuerit.

Pirata, atque eorum receptatores, & fautores.

3. Item excommunicamns, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios, ac Latrunculos maritimos, diſcurrentes Mare noſtrum, præcipuè à Monte Argentario vſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

Naufragorum Chriſtianorũ cuiuſcumque generis bona, etiam in littoribus inuenta, ſurripientes.

4. Item exeommunicamus, & anatematizamus omnes & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcumque nauibus, tempeſtate, ſeu in tranſuerſum (vt dici ſolet) iactatis, vel quoquomodo naufragium paſſis, ſiue in ipſis nauibus, ſiue ex eiſdem eiecta in mari, vel in littore inuenta, cuinſcumque generis bona, tàm in noſtris Tyrreni, & Adriaci, quàm in cæteris cuiuſcumque maris Regionibus, & littoribus, ſurripuerint; ita vt nec ob quodeumque priuilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem ſeu alium quemeumque prætextum excnſari poſſint.

Imponentes noua pedagia & gabellas, vel eas augentes.

5. Item excommunicamus, & anathematizamns omnes, qui in Terris ſuis noua Pedagia, ſeu Gabellas, præterquam in caſibus ſibi à inre, ſen ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

Falſific. lit. Ap aut ſuppl. a quocunque aut Romano ſignatas falſo fabric. Litteras Ap.

6. Item excommunicamns, & anathematizamus omnes ſalſarios lirerarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brenis, ac Snpplicationum, gratiam, vel iuſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato einſdem Romani Pontificis ſignatarum, nec non falsò ſabricanres literas Apoſtolicas, etiam in forma Breuis, & etiam ſalſo ſignantes Supplicationes huiuſmodi ſub nomine Romani Pootificis, ſeu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

Deferentes arma, & alia vſui bellica idonea ad Turcas, vel alios Chriſtiani nominis inimicos, & ad

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saraeenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes & inimicos, vel Hereticos per noſtras, ſiue huins Sanctæ Sedis ſenrentias expreſsè vel nominatim declaratos, deſerunt, ſeu trauſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canapem, funes, tàm ex ipſo canape, quam alia quacunque materia, & ipſam materiam, aliaque huiuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholieos impugnant, nec non illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnum ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimieos, nec non hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciuns, illiſque ad id auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtanr. Non obſtantibus, quibuſcumque priuilegijs, quibuſuis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis de huiuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

Reip Chriſtiana ſtatum pertinentia yſdem in damnumChriſtianorum nunciant.

Impedien eos, qui victualia, & alia neceſſaria Romam conuehunt.

8. Item excommunicamus, & anathematizamus omues impedientes, ſeu inuadentes eos, qui victualia, ſen alia ad vſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunr, ac etiam eos, qui nè ad Romanam Curiam addncantur, vel afferantur prohibent, impedinnt, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendnnt per ſe, vel alios cuiuſcumque ſuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiam ſi Pontificali, ſeu Regali, aur alia quauis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

AdSedem Ap. venien. vel ab ea receden. ſua, aut aliorum opera lædentes, & ſine iuriſdictione vexan in Curia commoran.

9. Item excommunicamus, & anathematizamus omoes illos, qui ad Sedem Apoſtolieam venientes, & recedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera interficiunt mutilant, ſpoliant, capiunr, detinent, nec non illos omnes, qui iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel Noſtris Judicibus non habentes, illam ſibi temere vendieantes ſimilia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

Romi petas, ac peregr. etiã in Vrbe morantes, vel abeuntes lædentes.

10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, eapientes, ſeu deprędantes Romipetas, ſeu Peregrinos ad Vrbem cauſa deuotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedenres, & in his dantes auxilium, conſilium, vel fauorem.

OffendentesS. R E Card & alios Prælatos.

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omoes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, careerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequenres S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territorijs, Terris, ſeu Dominijs eijcientes: Necnon ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel fauorem.

Ad Roman. Cur pro negotijs ſuis recurrentes per ſe, vel per alios lædent.

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcumque, vel ſeculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis, & negotijs recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtatores, aduocatos, procuratores, & agentes, ſeu etiam Auditores, vel Iudices ſuper dictis cauſis, vel negotijs deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum huiuſmodi occidunt, ſeu quoquomodo percutiunt, bonis ſpolianr, ſeu qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè, delicta huiuſ-

modi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Appellantes à grauamine, vel futura executione Literarum Apoſtolicarū ad laicam poteſtatem.

13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, tàm Eccleſiaſticos, quàm ſeculares, cuiuſcumque dignitatis, qui prætexentes friuolam quamdam appellationem à grauamine, vel futura executione literarum Apoſtolicarum etiam in forma Breuis, tàm gratiam, quàm iuſtitiam concernentium: Nec non citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum decretorum, à Nobis, & à Sede prædicta, ſeu Legatis, Nuncijs, Præſidentibus, Palatij noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſarijs, alijſque Iudicibus, & delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut alias ad Curias ſeculares, laicam poteſtatem recurrunt; & ab ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Aduocato, appellationes huiuſmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt, quiue illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarij ſuper huiuſmodi literarum & proceſſuum executione, inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cuius intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, Notarios, executores, & ſubexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, Locis, & Regnis eijciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeu alios, publicè, vel occultè quiue alias quibuſcumque perſonis, in genere, vel in ſpecie, nè pro quibuſuis eorum negotijs proſequendis, ſeu gratijs, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel literas à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.

Executione Literarum Apoſt aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetran. accedere.

14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe, vel alios, authoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apoſtolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commiſſarijs noſtris, alijſque Iudicibus Eccleſiaſticis auocant, illorumve curſum, & audientiam, ac perſonas, capitula, conuentus, collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tamquam Iudices interponunt; Quique partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, ad faciendum, vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolui, per ſtatutum, vel alias, compellunt, vel executionem literarum Apoſtolicarum, ſeu executorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id ſauorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad nos informandos, vt dicunt, ſupplicauerint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes huiuſmodi coram Nobis, & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur, etiam ſi talia committentes fuerint Præſidentes Cancellariarum, Conciliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Conſiliarij ordinarij, vel extraordinarij quorumcumque Principum ſecularium, etiam ſi Imperiali, Regali, Ducali vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarij, ſeu Vicarij fuerint.

Iudices ſeculares, qui Eccleſiaſt perſonas trahunt ad ſua Tribuna, quique Eccleſ. libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant,

15. Quiue ex eorum pretenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque, perſonas Eccleſiaſticas, capitula, conuentus, collegia Eccleſiarum quarumcumque coram ſe ad ſuum tribunal, Audientiam, Cancellariam, conſilium, vel Parlamentum. præter Iuris Canonici diſpoſitionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directè, vel indirectè, quouis quæſito colore: necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta in genere, vel in ſpecie ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, ac etiam prætextu cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, vel ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo reſtringitur, ſeu noſtris & dictæ Sedis, ac quarumcumque Eccleſiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præiudicatur.

Imped. Prælatos ne ſua iuriſ. vtantur, quique aliorum, & deleg. iudicia eludentes ad cur. ſecul. recurr. aut contra illos decernunt, præſtantve ſe ſque auxilium.

16. Necnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque ſuperiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcumque Iudices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet hac de cauſa, directè, vel indirectè, carcerando, vel moleſtando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon conſanguineos, & affines, aut alias impediunt, quo minus ſua iuriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcunque vtantur, ſecundum quod Canones, & ſacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt; ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque ſententias, & decreta, aut alias fori Eccleſiaſtici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias ſeculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, & fauorem in eiſdem.

Vſurpantes Sedis Apoſt. & quorumcumque Eccl. iuriſdictiones, vel eius fructus ſequeſtrantes.

17. Quiue iuriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & prouentus ad Nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes vſurpant, vel etiam quauis occaſione, vel cauſa, ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſ-

preſſa licentia ſequeſtrant.

Imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſt. Eccleſijs, Monaſterijs aut eorũ fructibus.

18. Quivè collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera clericis, Prælatis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus; redditibus, & prouentibus huiuſmodi abſque ſimili Romani Pontificis ſpeciali, & expreſſa licentia, imponunt, & diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſponte dantibus, & concedentibus, recipiunt. Necnon qui per ſe, vel alios, directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut, in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus quicumque etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris quoquomodo Præſidentes, Conſiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innouantes decreta ſuper his per ſacros Canones, tàm in Lateranenſi nouiſſimè celebrato, quàm alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum cenſuris, & pœnis in eis contentis.

Iudices ſeculares, qui ſe interponunt in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra Eccleſiaſt. perſonas

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque Magiſtratus, & Judices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa huius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia, quique eiuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarij, Senatores, Præſidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

Occupantes bona, aut terras Eccl. Ro. & illius iuriſdictionem vſurpantes.

20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios directè, vel indirectè ſub quocunque titulo, vel colore inuadere, deſtruere, occupare, & detinere præſumpſerint, in totum, vel in partem, Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletanum Comitatum Venayſinum, Sabinenſem, Marchiæ, Anconitanæ, Maſſæ Trabariæ, Romandiolæ Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumque Terras, & Loca, ac Terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, Ciuitateſque noſtras Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneuentum, Peruſium, Auinionem, Ciuitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Romanæ Eccleſiæ, mediatè, vel immediatè ſubiecta, necnon ſupremam iuriſdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto vſurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præſumunt, necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtantes.

Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia, & quæcumque his litteris contenta, quouſque alij huiuſmodi proceſſus, à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omnino ſortiri.

Abſolutio ſoli Pontifici reſeruatur.

Cæterum à prædictis ſententijs nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolui poſſit, etiam prætextu quorumuis facultatum, & indultorum quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, ſęcularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis pijs, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiuſuis Concilij decreta, verbo, litteris, aut alia quacumque ſcriptura in genere, & in ſpecie conceſſorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.

Abſoluere præſumentes excommunicantur.

Quod ſi fortè, aliqui contra tenorem præſentium, talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutioni, beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, grauius contra eos, ſpiritualiter & temporaliter, prout expedire nouerimus proceſſuri.

Papa abſolutio non comprehendit eos quia præmiſſis non deſtiterint.

Declarantes, ac proteſtantes quamcumque abſolutionem, etiam ſolemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius à præmiſſis, cum vero propoſito vlterius ſimilia non committendi, deſtiterint; Ac quoad eos, qui contra Eccleſiaſticam libertatem, vt præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta huiuſmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuijs, ſeù capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac Nos de reuocatione huiuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari, quin etiam per huiuſmodi abſolutionem, aut quoſcunq; alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum quantocunque tempore continuatam, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac quibuſcunque iuribus Sedis Apoſtolicæ, ac S. R. E. vndecunque, & quandocunque quæſitis, vel quærendis nullatenus præiudicari poſſe, aut debere.

Non obſtantibus priuilegijs, indulgentijs, indultis, & litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus alijs cuiuſcunque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quauis Eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant, dignitate: vel eorum Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, ſeu locis à prædicta Sede, ex quauis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibuſuis clauſulis, etiam derogatoriarum

rum derogatorijs conceſſis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de priuilegijs, indulgentijs, & indultis, huiuſmodi, ac de ordinibus locis, nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum, mentionem nec non conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcunque longiſſimis, & alijs quibuslibet obſeruantijs, ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias, quominus includantur in eis, ſe iuuare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo, infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Vt verò præſentes noſtri proceſſus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, ſeu membranas Proceſſus ipſos continentes, valuis Eccleſiæ S. Ioannis Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe appendi faciemus, vt ij, quos proceſſus huiuſmodi concernunt, quod ad ipſos non peruenerint, aut quod ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non ſit veriſimile, id temanere incognitum, quod tàm patenter omnibus publicatur. Inſuper, vt proceſſus ipſi, & præſentes literæ, ac omnia, & ſingula in eis contenta eo fiant notiora, quo in pleriſque Ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinarijs, & Prælatis vbilibet conſtitutis, per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, vt per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſijs ſuis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, ſolemniter publicent, & ad Chriſti fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Quicumque audiunt confeſſiones apud ſe has litteras habeant.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, alijque locorum Ordinarij, & Eccleſiarum Prælati, nec non Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri, ſeculares, & quorumuis Ordinum regulares, ad audiendas peccatorum confeſſiones, quauis auctoritate deputati, tranſumptum præſentium litterarum penès ſe habeant, eaſque diligenter legere, & percipere ſtudeant. Volentes earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Iudicis ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum exhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, innodationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, reuocationis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo ſexcenteſimo ſextodecimo, decimo Kal. Aprilis, Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

I. Bulgarinus.

M. Datarius.

Loco ✠ plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Breuium.

S. de Vrſinis.

Præter hanc retinendi authoritatem, ſoluendi quoque, & remittendi officium, Paulus Quintus exercuit, & exercet; cùm & inito ſtatim Pontificatus, pro fęlici regimine Eccleſiæ auſpicando, Deum ſibi propitiandum fore exiſtimans, & re Chriſtiana in periculum qua à Turco, in Hungaria adducta, qua in Italia à domeſticis motibus vehementer afflicta, Diuinam opem ſibi vehementius implorandam cenſens, ſemel iterum & tertio, Iubilæum in forma ampliſſima omnibus Chriſti fidelibus conceſſit, vtque & à grauiſſimis quibuſcumque facinoribus, omnes, & ſinguli pœnitentes, contriti, & confeſſi, à quouis probato Sacerdote ſoluerentur, & ſoluti, expiarique à pœnis omnibus Eccleſiaſticis eliberarentur, pro ſumma poteſtate indulſit.

Iubilæum à S. D. N. Paulo V. tertio conceſſum.

Præter hæc iam quartodecimus annus eſt, Indulgentiarum abuſibus, qui vitio hominum irrepſerant ſublatis, earum theſauros in exhauſtos, liberaliter, omnibus, ſine Eccleſias temporibus ſtatutis viſitantibus, ſiue numiſmata ſacrata vel Cruces, imagines, coronas, aut Roſaria, quæ vocant deuota manu geſtantibus, ſiue ſacratas hoſtias pura mente offerentibus, ſiue aliquod pietatis opus exercentibus quotidie aperit; & ſacrificiorum pondus, etiam ad pie vita functos, qui purgatorij flammis expiantur, ampliſſima liberalitate deriuauit, & deriuat; adeovt ſere nemo ſit in Orbe Chriſtiano, (qui modo agnoſcat, quod & *in eius* quoque PENNIS SANITAS) *qui ſe abſcondat* vel *à calore*, ſi gelu peccatorum riguit, vel *ab vmbra alarum* Aquilinarum, ſi incendio expiatorio deflagrauit, plenus *Indulgentiæ plenariæ*, non tantùm *Abſolutionis plenariæ*.

Eius in Indulgentiarum largitione liberalitas.
Malach. 4.

CAPVT XXXI.

Pontifex Romanus, Regni Cœleſtis Ianitor.

INſanit certo certius, qui poteſtatem dimittendi pœnas temporales peccatorum perpetratione promeritas, Summo Paſtori Romanorum Pontifici aufert. Certiſſimè, illam ſupremam à Chriſto accepit, cùm in Petro anteceſſore audiuit: *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Paulus Apoſtolus non tanta authoritate quanta Petrus; tamen inceſtuoſo donauit, ſi quid in Chriſto donauit, prout dubio procul donauit: cùm eum à vinculis Sathanæ ſolutum, communioni

Poteſtatem à Chriſto acceperunt Summi Pót. dimittendi pœnas temporales peccatorum.

Sanctorum, adeoque bono cæleſti reſtituit. Longè amplius Petrus, potuit omnibus onibus ſuæ Curæ creditis, quicquid deliquerant indulgere; & aliquando per peccatum ouili Dominico excluſas, extorreſque quærere; quæſitas, in humeros attollere: ſublatis, Regnum cœleſte aperire; apertoque oſtio, communicationi Sanctorum inſerere; atque adeo Ciues Sanctorum, & Domeſticos Dei iterum efficere.

Efficiebat, ſtatimatque Chriſtus cœlos aſcendens, curam illi Eccleſiæ exercendam reliquiſſet: Namque quos vel aquis tinxiſſet, vel ſalutaris pœnitentiæ medela, velut oleo, & vino perſanaſſet, in ſtabulum, in Eccleſiæ videlicet Domum inferebat; vbi *perſeuerabant* Sancti *in doctrina Apoſtolorum, & communicatione panis, & orationibus: cùm omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum, & habeates gratiam ad omnem plebem.* Promiſerat Chriſtus, ſe vnum OVILE ex his, quas ipſe viuens adduxerat, & ex illis, quas per Apoſtolos, Apoſtolicoſque viros olim adducturus fuerat, effecturum, vt omnes eſſent vnus grex, vnum corpus, vnus populus, vna congregatio, vna Eccleſia, in vna Cathedra ſuper Petrum, Domini voce fundata; quam *Catholicæ Eccleſia matricem, & radicem agnoſcerent* omnes, *& tenerent*, vt Sanctus Cyprianus ex Euangelica doctrina, & Apoſtolica hiſtoria demonſtrabat. Itaque ad hoc ouile, per Fidem, & Fidei confeſſionem, necnon per ſacramentum pœnitentiæ, quod vna ſimul cum baptiſmo Petrus annunciabat, à Petro introducti, atque à peccatis ſoluti, illud inter alia Regni cœleſtis beneficia aſſequebantur; vt vnius doctrinæ, Euchariſtiæ, rerum omnium communitatis, precis, & panis participio fruerentur. Qui ſecundùm ordinem diſciplinæ, *per exomologeſim* ſeu peccatorum confeſſionem, ad Eccleſiam aut *veniebant*, aut reuertebantur, *per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri*, vt ex Cypriano demonſtrauimus, *ius communicationis accipiebant*; cuius Symbolum fuerat.

Act. 2.

epiſt. 65.

cap. 30.

Symbolum communicationis in primitiua Eccleſia.

1. Doctrinæ Apoſtolicæ, quã aliquis teneret, profeſſio, & profeſſionis teſtimonium, in literis ab Epiſcopo datum, 2. Communicatio Euchariſtici panis, quem ſiue præſentibus, ſiue abſentibus Epiſcopi diſtribuebãt. & 3. Fractio, ſeù diſtributio panis fermentati, ab Epiſcopo benedicti, quẽ non tantùm his, qui in Eccleſia patiebantur, ſed etiam domi reſidẽtibus, etiam longè poſitis, ſeu *circa domos*, vt phraſi Apoſtolica vtar, mittebant.

apud Euſeb. lib. 5. cap. 24.

De Euchariſtico Corporis Dominici pane, iam ſuperius ex Irenæo oſtendi, quod omnes ante Victorem Epiſcopi Romani, Epiſcopis aliarum Eccleſiarum, & Occidentiũ, & Orientis, qui ſecus Paſcha Dominicum, quam Romana Eccleſia, citra tamen diſſidium ſchiſmatis celebrabant, *Euchariſtiam miſerunt*, de litteris, & eulogijs, nunc operæpretium eſt aliquid affirmare, quarum ius ſupremum penès Pontificem Romanum, atque conſuetudo perpetua. Epiſtolæ exemplar, à Patribus Concilij Nicæni fuit inprimis inſcripto præſcriptum, quod etiam poſtea in Concilio Chalcedonenſi fuit comprobatum, & ab Attico Ediſcopo, ex decreto Nicænæ Synodi expreſſum. *Græca*, inquit, *elementa litterarum, numeros etiam exprimere nullus, qui vel tenuiter Græci ſermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis Epiſtolis Canonicis, quas mos Latinus Formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temerè præſumeretur, hoc à Patribus trecentis decem, & octo Nicæa congregatis ſaluberrime inuentum eſt, & conſtitutum, vt Formatæ Epiſtolæ hanc calculationis, ſeù ſupputationis habeant rationem, id eſt, vt aſſumantur in ſupputationem prima Græca elementa, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, hoc eſt* ΠΥΑ. *Quæ elementa, & octogenarium, & quadringenteſimum, & primum ſignificant numerum. Petri quoque Apoſtoli prima littera, ideſt, Π., quæ numerum octoginta ſignificat. Eius quoque, qui ſcripſit epiſtolam, prima littera: cui ſcribitur, ſecunda littera: accipientis, tertia littera: Ciuitatis quoque de qua ſcribitur, quarta: & Indictionis (quæcumque eſt) temporis, idem, qui fuit numerus aſſumatur: atque ità his omnibus Græcis litteris, quæ (vt diximus) numeros exprimunt, in vnum ductis, vnam, quæcumque fuerit collecta, ſummam epiſtola teneat. Hanc qui ſuſcipit, omni cum cautela exquirat expreſsè: addat prætereà ſeparatim in epiſtola nonagenarium, & nonum numerum, qui ſecũdum Græca elementa ſignificat, Valete in Domino.*

De epiſtolis canonicis quas Latini formatas vocunt.

in fine Conc. Chalcedon.

Eo conſilio dabantur communicationis litteræ, vt is, qui vel ſcriberet, vel afferret, Catholicus ab omnibus exiſtimaretur. Itaque quod eſſent theſſera Catholiciſmi, & Fidem, & communionem Catholicam præſe oſtendebant. Fidem quidem, quod Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, primis litteris, velut Symbolicis notulis, aduerſus Arianos, & alios diuiniſſimæ Trinitatis hoſtes initiarentur: communionem verò, quod Petri primum elementum præſeferrent, in cuius cathedra vigeret totius Eccleſiæ Catholicæ Principatus, adque illum pertineret *Occide, & manduca*, ſcilicet omnes Chriſto in vnum corpus incorpora, & omnes mundos immundoſque in vnam communionem, velut in vas quoddam cælitus demiſſum à quatuor plagis Orbis complectere: vt is tantum vere eſſet Catholicus, qui Petri ſucceſſori eſſet communione coniunctus; cuius eſſet, cum ſuprema poteſtate, claues Regni cæleſtis, communionis ſanctorum geſtare: adeoque ſolus tam potenter ille aperiret, vt nemo clauderet; clauderet, & nemo aperire poſsit. Addebatur, & Paſchatis mentio, per Indictionis calculos ſupputata; vt & in ritibus quoque externis, vniuerſalibus, ſe cum Petri ſucceſſoribus communicare aliquis indicaret. In ſumma, Trinitas omnium rerum Caput, & Petrus omnium Epiſcoporum Caput, & Paſcha omnium Feſtiuitatum caput, exarabatur, ad profeſſionem *Doctrinæ Apoſtolorum* in qua aliquis ſe perſeuerare teſtabatur. Hoc argumento perſpicuo, Optatus Mileuitanus ſe Catholicum probauit, Donatiſtas vero ſchiſmaticos eſſe demonſtrauit; quod commercio Formatarum, in vna communionis ſocietate, qua illi carerent, cum Epiſcopo Romano communicaret. Hoc ipſo argumento, Auguſtinus, quendam hæreticorum, affirmantem vbique terrarum ſuam eſſe communionem, confutauit; cum inquiſiuiſſet, vtrum eius ſectæ miniſtri epiſtolas communicatorias, quas Formatas dicimus, poſſent quo vellent, quemadmodum

Communicationis literæ theſſera Catholiciſmi.

Petrus omniũ Epiſcoporum Caput.

Optat. lib. 2.

epiſt. 163.

dum Pontifex Romannus quo vult poteſt, dare.
epiſt. 40.
Propter hoc ipſum, Cyprianus, ex concilio plurium Sacerdotum, Martiano Arelarenſi, & Legatis quos in Africam vſque miſerat, optantibus ad communionem eius admitri, omnis communionis beneficium denegauit; eo quod à Cornelio Papa, in Catholica Eccleſia, de Dei iudicio, & cleri ac plebis ſuffragio ordinato, nullas communicatorias habuiſſet, & prophanum altare erigere, & peſtilentiæ cathedram collocare, & contra verum ſacerdotem ſacrilega ſacrificia offerre tentauiſſet. Propter hoc ipſum Xyſtus Papa martyr, rerum
anno 142.
Apoſtolicarum ſciens, in memoriam reuocans conſtituit, vt, *Quicumque Epiſcopus euocatus fuerit ad Sedem Romanam Apoſtolicam*, ſcilicet vt cauſam dicat, vel agat, *rediens ad Parochiam ſuam, non ſuſpiciatur, niſi cum Formatis ſalutationis ad plebem à Sede Apoſtolica.* Varijs nominibus eas literas nuncupabant: nempe *Canonicas*, quod Canonem fidei quam quiſque profitebatur continerent. *Communicatorias*, *Pacificas*, *Eccleſiaſticas* vocabant, quod peregre euntibus, in teſtimonium communionis, & pacis concederentur.

Quibus nominib. epiſtolæ huiuſmodi vocarentur.

De Eulogijs.

Tom. 1. Conc. ſub Pio.

Præter epiſtolas formatas, *doctrinæ Apoſtolorum* teſtes, nomine *fractionis panis*, eulogiæ diſtribuebantur, his qui ad communionē Sanctorum fuiſſent admiſſi. Pius Papa martyr, ex traditione Apoſtolorum conſtituerat, vt *de oblationis quæ offeruntur à populo, & de his quæ ſuperſunt conſecrationibus, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certe de ſuis, presbyter, conuenienter partes inciſas haberet in vaſe nitido, & conuenienti, vt poſt miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis exinde acciperent, quæ cum benedictione prius faceret.*

Panis conſecrabatur ſed nō more Euchariſtiæ.

Itaque panis fermentatus conſecrabatur, non quidem illa peculiari ſacramentali conſecratione, qua ſacramentum Euchariſtiæ conficitur, ſed alia communi: diſtribuebaturque omnibus ſiue præſentibus, ſiue abſentibus, qui communicare non potuiſſent: vt tandem aliqua ratione repræſentarent, ſe ſacris myſterijs participare, in qua communione Fidei ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, cuius ſymbolum panis fermentatus, perſeuerare. Meminit huius fermentari panis, Siricius Papa, qui conſtituit,
Anaſtaſ. in Siricio, & Melchiade.
vt nullus presbyter miſſas celebraret, per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum.
Fermentum
Ante Siricium etiam, Melchiades Papa *fecit vt oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur*, hoc eſt appellatur, *fermentum*. Innocentius quoque Papa *fermenti* cōſecrati, quod
ep. 1. ad Decentium.
vnionis ſymbolum recordatur, cum ait, *diebus Dominicis*, ad diuerſorum Titulorum ſiue Eccleſiarum presbyteros, quod illis diebus, ſinguli in ſuis titulis Synaxim agerent, atque ideo cum ipſo Pontifice conuenire non poſſent; ab eodem per Acolytos mitti ſolitum fermentum ab ipſo confectum ſeu conſecratum; quo ſignificaretur, eos cum illo eſſe fide atque charitate coniunctos; alluſione ad Euangelicam parabolam, qua regnum cælorum fermento comparatur. Laodicenum quoque
cap. 14.
Concilium de eodem fermento decreuit, cum ait, *ſanctas oblationes, ad vicem Eulogiarum, per feſtiuitatem Paſchalem ad alias Parochias mitti minime oportere*, quod ea die nequaquam eulogijs, ſed Euchariſtia omnis populus communicare deberet. *In cæteris autem diebus anni liceret, præterquam in diebus ieiunij Quadrageſimæ*, mitti decreuit, idem Concilium, *ne occaſione eulogiarum ieiunium frangerentur.*

Panes ſanctificati.

in orat. de funere Patris.

Has eulogias Nazianzenus, *panes ſanctificatos* quod ab Epiſcopo benedicerentur: Innocentius, & Auguſtinus *ſacramentum*, quod ſacræ vnionis eſſent ſignum, & cathecumenis quoque impertirentur, appellabant: Patres autem omnes, *benedictiones*, quod ſanctificarentur, communi nomine eulogias vocabant. Quamobrem Patres Concilij Laodiceni ſanxerant: *quod non oporteat ab hæreticis eulogias ſumere, quia ſunt maledictiones potius quam benedictiones.* Has eulogias, cum Pontifices Romani, Eccleſijs, vel fratribus longe poſitis, & aliqua graui calamitate afflictis, ſeu inopia rei domeſticæ laborantibus mitterent, adiungebant alia quoque vitæ agendæ adiumenta.

Sacramentū Benedictiones.

ep. 1. c. 5 lib. 2. de peccatorum merit. & remiſſion. cap. 16. cap. 32.

Non enim ex vano, Dioniſius Corinthiorum Epiſcopus, Sothero Romano Pontifici ſcribebat, *Eccleſiam Romanam, à primis ipſius fundamentis mittere conſueuiſſe vitæ ſubſidia, tum omnibus fratribus in metalla damnatis, aut alioquin afflictis, tum Eccleſijs permultis quæ in quaque ciuitate ſunt.* *apud Euſeb. lib. 4 cap. 22.*

Quod etiam *Sotherem* feciſſe ait, qui inſuper *Fratres ad ipſum aduentantes tamquam pater indulgens, & clemens in liberos. Beato ac pio ſermone ad virtutem confortaretur.* Hanc Romanorum Epiſcoporum conſuetudinem aſſidue etiam vſque ad perſecutionem ſua ætate graſſantem, fuiſſe obſeruatam Euſebius teſtatur, vt illi omnes fratres afflictos non tantum Romanos, vel Romæ præſentes, ſed cuiuſcumque gentis ac linguæ, & vbicumque conflictatos, varijs beneficijs afficerent. ſcilicet Chriſti Boni paſtoris, qui turbarum millia, panibus, & piſcibus conquiſitis non ſemel recreauit; & propter pauperes, ſacculos geſtauit: inſuper, & Petro, nihil magis, quam vt oues paſceret iniunxit; is vero poſt rerum ſacrarum participationem, fractionem panis, etiam circa domos; obſeruauit, miniſterioque pauperum Septem probatæ notæ viros deſignauit, qui non tantum eulogias, ſed & neceſſaria vitæ fidelibus ex communi promacella tribuerent.

Fractio panis circa domos.

Paulus Apoſtolus, & ipſe à Petro doctus, exemplo præiuit; & ſi cui rei, certe Collectis vbicumque locorum faciendis, fratribuſque vel Hieroſolymis, vel alibi locorum egentibus, vel ex Illyrico, vel ex Aſia ſubmittendis incubuit: vel ab hac vnica cura ſuper quam dici poteſt laudabilis, quod pauperum numquam intermitteret curam.

Collectas fecit Paulus in ſubſidiū fratrum.

Ab hac eadem perpetua cura, PAVLVS QVINTVS æternitati ſuæ præire ſtudet, cum nullum ei vel temporis punctum, vel actionis publicæ momentum, beneficio, & miſeratione ſterile, aut vacuum largitare. Inſculptum ei monitum Gregorianum; *Epiſcopus largam manum habeat, neceſſitatem patientibus ſuccurrat; alienam inopiam ſuam credat; ſi hæc non habet, vacuum Epiſcopi nomen tenet.* Inſculptum, & illud, quia non modo Epiſcopi, ſed nec Principis Chriſtianorum, imo ne hominis quidem Chriſtiani nominis habet, quiſuis

Pauli V beneficentia, & largitas.

lib. 5. ep 19.

tena-

tenacem manum habet. Princeps Chriſtianus Solis inſtar, qui radios neque occulere, neque ſubtrahere poteſt, quominus ſe totum, ſemper, vbique, non vni aut alteri, ſed omnibus in commune, ampliſsima profuſione infundat.

Ille idem Dei imago, cuius imitatione nunc ſe maximam felicitatem aſſecutum eſſe exiſtimet, ſi ei adlubeat feciſſe felicem, interceſsiſſe inopiæ, & calamitatem viciſſe. *Nihil etiam tam commendat Chriſtianam animam, quam miſericordia; (quæ, & perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem*, qui dat omnibus affluenter, & nemini improperat (*primum in pauperes*, ait Ambroſius, *vt communes iudices partus naturæ, quæ omnibus ad vſum generat fructus terrarum, vt quod habes largiaris pauperi, & conſortem, & conformem tuum adiuues. Tu nummum largiris, ille vitam accipit. Tu pecuniam das, ille ſubſtantiam ſuam æſtimat. Tuus denarius, cenſus illius eſt. Illius calceus, veſtis, panis, eſt, qui tibi ſuperfluus eſt. Si non paviſti, occidiſti. Hoc eſt occidere hominem vitæ ſuæ ſubſidia ei denegare. Ad hæc plus ille tibi confert, cum ſit debitor ſalutis. Si nudum veſtias, teipſum induis iuſtitiam. Si peregrinum ſub tectum inducas tuum: ſi ſuſcipias egentem, ille tibi Sanctorum amicitias, & æterna tabernacula acquiret. Non mediocris iſta gratia. Corporalia ſeminas, & recipis ſpiritualia, das temporalia, expecta æterna.*

De miſericordiæ præſtantia.

Ambroſ. lib. 1. off. cap. 11.

Enimuero in regno cæli, (vt Chryſologus concionabatur) coram omnibus Angelis, in conuentu reſurgentium, quod Abel paſſus ſit, quod mundum conſeruauit Noe, quod Abraham fidem ſeruauit, quod Moyſes legem tulit, quod Petrus Crucem Ieſu primus aſcendit, Deus, tacet: & clamat ſolum, quod pauper comedit, dicens, Eſuriui. Qui enim miſericors eſt, miſericordia dignus eſt. Ab his monitis Sanctorum, & ab exemplis anteceſſorum Chriſti, Petri, Pauli, PAVLVS QVINTVS, nihil magis amat, quam miſereri, largiri, beneficia centenare non tantum geminare, nec manus tantum ſed domos, Eccleſias, prouincias, beneficijs implere, diſiunctiſsimaſque terras miſereſcentiæ ingenio velut admouere, atque immenſa terrarum ſpatia liberalitate Pontificia contrahere; ne quis è plebe Chriſtiana magis illum ſentiat Pontificem, quam Patrem, Bonumque Paſtorem. Illius beneficio, quotquot ſunt in Vrbe Prælati, non tantum inquilini, ſed etiam peregre venientes, Monaſteria, Orphanotrophia, Xenodochia, Collegia, Contubernia, ac egenorum tum Vrbicorum, tum aduenarum ingens numerus, panem, & vinum diurnum, vna cum demenſo, vel quotidiano, vel menſtruo, pro ſua quiſque portione, à ſacra eius manu abunde percipiunt; quo nomine inter Commenſales Pontificios recenſentur. Illius liberalitate, mons farinæ in Vrbe erectus, vnde pauperiores tum artifices, tum improbo labore victum mærentes, viliſſimo pretio, luculentiorem farinam, menſura coagmentata, & ſuperaffluente, ſemel, & iterum in ſingulas ſeptimanas accipiant. Illius in omnes munificentia, Curatores annonæ, in tota dictione Eccleſiaſtica, non tantum in vrbe præfecti, qui ſumma ope annitantur, ne improborum, aut tenacitate, aut auaritia pauperes opprimantur, ne rerum copia deſtituantur, ne pretijs venalium, vnde fiſci acceſſio non modica foret, exhauriantur, ſed bene, ſed affluenter habeant, tum conlatis ex arca Pontificia in rem publicam annonæ comparandæ, tum detractis ex vectigalibus Pontificiæ cameræ, vel ingentibus pecunijs. Illius etiam paterna prouidentia, Ædiles omnibus Xenodochijs ampliſſimorum prouentuum, charitatis ingentes præpoſiti: qui lucrum pietatis faciant, nihil ex rebus pauperum ad ſuos vſus ſacrilega manu detrahere, quin potius patrimonium Chriſti tum augere, tum non præparca manu omnibus indigentibus tribuere, vltro ſe in hominum miſerorum turbam ingerere, diſperſos, & vagantes colligere, recipere, fouere, alere, ſubleuare, conſolari, docere, iuuare; debiles, cæcos, mancos, tabeſcentes, computreſcentes, moribundos, omni calamitate afflictos curare, recreare: vt in illum hæc felicitas deriuetur, ſi miſerorum caterua ſtipatus, ſacris aris adſiſtat, tamquam ſi Chriſtum ipſum pia manu in tanta calamitoſorum corona refouiſſet. Illius maxima diligentia, Viſitatores Regionarij, pauperum amantes conſtituti, qui in domos ſingulorum penetrent, vt his qui publicè egere verecundantur, conſulant atque ſubueniant.

Paulus V. verus Pater & bonus Paſtor.

Mons farinæ in vſum pauperum à Paulo V. in Vrbe erectus.

Curatores Annonæ in tota dictione Eccleſ.

Ædiles Xenodochijs præpoſiti.

Viſitatores Regionarij pro pauperibus verecundis conſtituti.

Summa hæc liberalitas eſt, in neceſſitate poſitum, aut deiectum opibus, adque inopiam redactum, maxime ſi non effuſione adoleſcentiæ, ſed direptione alicuius, & amiſſione patrimonij in eam reciderit iniuriam, vt ſumptum diurnum facere non queat, diſpoſita, diſpenſaraque alimonia, in vitæ honeſtæ ſtudio retinere.

Summa etiam liberalitas, quæ PAVLI QVINTI propria eſt, captiuos redimere, eripere ex hoſtium manibus, neci homines ſubtrahere (facit iſtud PAVLVS, dum Sodalitatibus inſtitutis, homines neci addictos, ſtatis diebus indulget, & in precia captiuorum redemptionis multam erogat pecuniam,) & maxime fæminas turpitudini eripere, reddere parentibus liberos, parentes liberis, ciues patriæ reſtituere, æs alienum ſubire ſi debitor ſoluendo non ſit, atque arctetur ad ſolutionem, quæſit iure debita, & inopia deſtituta; enutrire paruulos; pupillos tueri, virgines orbatas parentibus tuendæ pudicitiæ gratia connubio locare, nec etiam ſtudio ſed ſumptum iuuare: nec ſemel ſed multoties, nec vnam aut alteram, ſed quæ numerari nequeant, à naufragio pudoris liberare. Facit hæc abunde omnia Paulus Quintus, qui ne famam publicam tenacitatis obſcuritate inumbret, illud ſibi creſcere exiſtimat, quod benigna largitate poteſt in pauperes diſpergere. Centena myriadum aureorum, quos in ſingulos annos pia profuſione egentibus largitur, aliquando enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum; cum & in Armenios, & Babylonios, & Aſſyrios, & Septentrionales patria extorres, & in remotiſſimos quoſque Orthodoxos, liberalitatis Pontificiæ indigentes, qua ex arca menſæ ſuæ addicta, qua ex communicatione eorum, quæ nonnullis Eccleſiaſticis alicubi terrarum ſuperflua, alijs vero vitæ agendæ neceſſaria videt, beneficium commiſerationem corriuat: exemplo Pauli, & Petri Apoſtolorum, quorum cura fuit, vt frangerent panem circa domos, & neceſſitatibus

Liberalitas eius in captiuis redimendis, Hominib. neci ſubtrahend.

Fæminis turpitudini eripiendis.

Paup. Virginib. matrimonio elocandis.

Alijs remotiſſimis quibuſq; Orthodoxis iuuãdis.

bus Sanctorum communicarent.

Cæterum quanta liberalitate eſt in eos quorum participatio eſt in idipſum, tanta ſeueritate eſt in cuſtodienda puritate, ab his qui ſorris vagantur, Eccleſiaſticæ communicationis. Quamobrem neque litteras communicationis ſuſtinuit dare Babylonijs, nondum intra limen Eccleſiæ introductis, qui horrea, & integras indeficientes cellas promas conſert Dei domeſticis, exemplo nimirum Petri Apoſtoli, cui tantus rigor erga extraneos, vt ab eo fuerit omni animæ timor, non audenti ſeſe cætui Sanctorum adiungere. Sequitur, & aliorum anteceſſorum, tum facta, tum monita, qui nullam participationem luci cum tenebris aut admittere, aut tolerare volebant: eaque propter conſtantia Apoſtolica litteras Canonicas, alienis dare recuſabant.

Babylonijs nondum intra limen Eccl. introductis litteras communicationis dare recuſauit.

Tertull. in Praxeam.

Litteræ Canonicæ Hæreticis à Pôtificibus negatæ.

Laudatus Zephyrinus, ſeu Eleutherus, qui Cataphrygib. eas quas per ſubreptionem clam ſubtraxerant Pacificas, certior factus imposturæ reuocauit, neque vllas in poſterum ſcribere tolerauit.

Laudatus idem benedictus Eleutherus, qui Marcionem, & Cedronem veteratores hæreſiarchas, communionem Eccleſiæ Romanæ per frandes, & dolos ambientes, non amplius audiendos eſſe iudicauit, & litteras quas Orthodoxiam in ſpecie profitentibus conceſſerat, abrogauit.

Laudatus, & Syluester Magnus, qui Conſtantino Imperatori, pacem Eccleſiarum ab Ario turbatam reſtitui poſtulanti, animum quidem ad res Eccleſiæ Alexandrinæ, in qua hæreſis orta, componendas adiecit, nequaquam tamen Eccleſiaſticas Ario concedere voluit: ſed Oſium Cordubenſem confeſſione, & eruditione clariſſimum Epiſcopum in Orientem ad Imperatorem delegauit, qui incendium per Arium excitatum extingueret, peſtilentem hominem reprimeret, & pacem Orthodoxis poſtliminio redintegraret.

Socrat. lib. 1. cap. 4.

Laudatus, & Siricius, qui Donatiſtas impoſtores, & retexit, & eiecit, litteras Communicatorias, nomine Romani Epiſcopi mentientes. Res eſt, Donatiſtæ inter Catholicos reputari cupientes, quod ſcirent ſe non poſſe iſtud elogij obtinere, niſi Romani dicerentur, & à Romano Epiſcopo communicatorias acciperent; commento ridiculo quoſdam ex ſuis Romam miſerant, qui Epiſcopum ſuæ ſectæ Romæ deſignarent; is vero Formatas in Africam reuertentibus, adeoque Africanis ſectarijs concederet. In ſecreto eorum mentientis calami Behemotum deliteſcentem Siricius reuelauit, vrbeque eiecit. Cuius diſcipuli cum in montibus, & ſpeluncis iuxta vrbem (vnde, & Montenſes dicti) Cathedram peſtilentiæ erexiſſent, & porro communicatorias ex ea ſubſignarent, Optatus Mileuitanus duobus radijs tenebriones præſtrinxit, ſucceſſione, & communione. Illam quod non poſſent ad aliquem Apoſtolicorum Petro ſuccedentium proferre; hanc vero, quod non ad vniuerſum Orbem, ſed tantum ad aliquem exiguum Africæ angulum extenderent; neque totus orbis, commercio Formatarum, quemadmodum cum Siricio Apoſtoli Petri ſucceſſore, cum eis communicaret. Sane, nemo Chriſtianorum Catholici nomine

Opt. lib. 2.

Nemo antiquitus Catholici nomine audiebat niſi cum quo Rom. Pont. communicaret.

audiebat antiquitus, niſi quo cum Pontifex Romanus communicaret.

Sanctus Cyprianus cuidam Epiſcopo ſignificabat: *Scripſiſti*, ait, *vt exemplum earundem litterarum ad Cornelium tranſmitterem, vt depoſita omni ſollicitudine ſcires te ſecum, id eſt, cum Eccleſia Catholica communicare.* *lib. 4. ep. 2.*

S. Hieronymum, Paulinum, Meletium, & Vitalem ignorare ſe profitebatur, & ſolius vnius Damaſi Romani, ex Syria communionem flagitabat: & Damaſo quidem teſtabatur: *Beatitudini Tuæ, id eſt Cathedræ Petræ communione conſocior*: Ruffino autem opponebat; *Si Romanam fidem ſuam dicit, ergo Catholici ſumus.* Satyrus quoque Diui Ambroſij frater, foris peregrinans quocumque appelleret, ab Epiſcopo loci percontabatur, *An cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Romana Eccleſia conueniret*: Imperator Gratianus proinde merito decernebat: *eos ſolos dici Catholicos, qui Damaſi Romani Pontificis communionem amplecterentur:* vt auctor eſt Thodoretus in Eccleſiaſtica hiſtoria. Imperator etiam Theodoſius Iunior, ab Acacio Beroenſi Epiſcopo, iure optimo exigebat; *Vos probatos Romanæ Eccleſiæ Sacerdotes eſſe, manifeſto argumento declarate.* Certius porro non poterat eſſe argumentum Romani Sacerdotij, quam ſi Romanæ fidei teſtimonium ferrent in litteris communionis cum Romano Pontifice. Itaque hi ſummo ſtudio cauebant, ne eas cuiquam concederent, qui vocem illorum non formaret, aut non audiret. Liberius in exilium magis abire voluit, cum ſui arbitrij eſſet, quam Arianis communicare. Ab exilio, in quo fractus, potius quam inſleaus, aliquid ſibi extorqueri paſſus erat, reuerſus, & coarguit quæ fecit cum liberos affectus haberet, vt Athanaſius ait, & Euſtachium, Syluanum atque Theophylum Epiſcopos recipere noluit, quod ſectæ Arianæ viderentur, donec Arium, & impiam eius doctrinam, diſcipulos, opinionum fautores, nec non hæreſim Sabellij, Patropaſſianos, Marcioniſtas, Photinianos, Marcellianos, & Pauli denique Samoſateni ſectatores condemnarent, vt Socrates memorabat.

ep. ad Damaſ.

apol. adu. Ruffin.

Ambroſ. de obitu fratris

lib 5. cap. 2.

Act. Concil. Epheſini.

ad Solit. vit. agent. Socrat lib. 4 cap. 11.

Laudatus proinde S. Anaſtaſius Papa, qui dum Romanam regeret Eccleſiam, atque de Orientis partibus hereticorum ſæua tempeſtas, ſimplicitatem fidei quæ Apoſtoli voce laudata eſt, polluere, communicatoriaſque ſurripere conata eſſet, Apoſtolica ſolicitudine ſtatim noxium perculit caput, & ſibilantia hydræ ora compeſcuit, denegata communione Ruffino Aquileien. & reliquis Origen. ſectarijs. *Hieron. ad Demetriad.*

Laudatus, & Xyſtus, vt Proſper teſtatur in Chronico. Iulianus Pelagiani erroris aſſertor, correctionis ſpem præferens, molitus eſt in communionem Eccleſiæ irrepere. Sed his inſidijs Xyſtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus patere permiſit; & ita omnes Catholicos defectione fallacis beſtiæ gaudere fecit, quaſi tunc primum ſuperbiſſimam hæreſim Apoſtolicus gladius obtruncaſſet. Dolum continuare doctus fuit Iulianus, à Pelagio, & Cæleſtio hæreſiarchis. Hi quoque per ſpeciem correctionis, à Zoſimo Papa communionem ſurripere moliti ſunt. Cæterum Zoſimus noluit à vinculo excommunicationis eximere, sed interpoſito duorum

men-

menſium ſpatio, donec ex Africa reſcriberetur, reſipiſcendi eis locum, ſub quadam medicinali ſententiæ lenitate cōceſſit; vſus aurea illa ſententia: *Tolerabilius eſt innocentē quemlibet tardius inueniri, quā cito pro nocente dānare.*

ep. 18. Laudatus, & Leo Magnus, qui Anaſtaſio Theſſalonicēſi Epiſcopo; *Deffinitiſſimum eſt*, ſcripſit, *in noſtræ communionis non futuros eos, qui conantur antiqua Catholicæ Fidei fundamenta conuellere*. Tanti faciebat integritatem Fidei Orthodoxæ, vt ne imminueretur, recuſarit conſtantiſſime, aliquos non idem cum antiquitate ſentientes, ad ſocietatem admittere. Doctus ab anteceſſore Damaſo,
Anno 371. qui ne ad litteras quidem Baſilij Magni diu voluit reſpondere, quod is minorem Armeniam viſitans, in Nicopolitano eiuſdem prouinciæ conuentu, Euſtathium Arianum Epiſcopum Sebaſtenum, fidem Catholicam profiteri ſimulantem, eidemque ſubſcribentem, in communione accepiſſet, eaque de re in ſuſpicionem colluſionis cum Euſtathio adductus fuiſſet. Non prius eum Damaſus audiuit, quam apologia, & profeſſione fidei miſſa, omnem maculam ſuſpicionis eluiſſet.

Doctus etiam Leo, à Cæleſtino, & Sixto III. Damaſo ſuccedentibus. Cæleſtinus enim Neſtoriū hæreſiarcham, omnino indignum cōmunione ſua iudicauit, & tunc demum nonnemo Orthodoxorum, peſtilentem à communicatione Catholica ſecreuit:
ep. 18. cum id primum nemo auſus fuiſſet, teſtantibus Cyrillo, & Patribus Alexandrinis, qui Cæleſtino ſcribebant; *Verumtamen ipſi ab illius communione cum fiducia nos non eximimus, donec iſta pietati tuæ communicemus. Quapropter quid videatur exprimere dignare, an aliquando debeamus illi communicare, aut in poſterum confidenter edicere, quod talia, & ſentienti, & docenti, nemo noſtrum communicet. Scopum autem integritatis tuę perſpicuum oportebit fieri per litteras etiam Religioſiſſimis qui per Macedoniam ſunt Epiſcopis, & ſimul omnibus per Orientem.* Significauit Cæleſtinus, & niſi infra decem dierum decurſum, Neſtorius impiam hæreſim eiuraſſet, indignum communione pronunciauit: quemadmodum, & Sixtus, Ioannem Antiochenum, non prius admiſit, quam is hæreſis Neſtorianæ condemnationem ratam habuiſſet, & quæ aduerſus Cyrillum ſcripſerat condemnaſſet.

Pariter Leo, Timotheū cognomento Solofaciolum,
Anno 432. in Alexandrinam Sedem euectum, tunc demum ſuſcepit, cum more maiorum,
Anno 460. de ſua ordinatione, vna cum Catholicæ fidei profeſſione litteras Leoni ſcripſiſſet, idque ipſum ordinatores illius Epiſcopi, ac clerus Alexandrinus præſtitiſſet. Gelaſius non minus quam Leo, Euphemio Patriarchæ Conſtantinopolitano litteras communicationis dare renuit, quin etiam datis communicatorijs ſignificauit, fruſtra ipſum Romanæ, adeoque Catholicæ Eccleſiæ communicationem
Ann. 492. & ſeqq. ſperare, niſi nomen Acacij aboleret. Aliam deinde legationem, cum ad Gelaſium Euphemius deſtinaſſet, ſuaderetque vt expunctioni Acacij condeſcenderet; quod id ex re Catholicorum eſſe exiſtimaret: Gelaſius tamen in ſententia denegandæ communicationis perſeuerauit: neque vel minis, vel terroribus Anaſtaſij Imperatoris potuit vmquam adduci, vt illi Acacium fouenti acquieſceret. Eius authoritatem ſecuti Epiſcopi Dardaniæ, & Illyrici, & Macedoniæ, omnia Euphemij, & Anaſtaſij argumenta, & terriculamenta contemnentes, ſe non niſi cum illo communicaturos, cum quo Romanus Pontifex communicaret, edicebant: quod ſcirent, nonniſi Romanum Pontificem geſtare claues vniuerſalis Ouilis. *Rom. Pont. claues vniuerſalis Ouilis geſtat.*

Dedit exemplum Gelaſius, Anaſtaſio, Symmacho, & Hormiſdæ, Succeſſoribus, qui per varia rerum diſcrimina, conſtantia Pontificij ſeruata, litterarum communicationis tenaces, nulli Orientalium eas dare admiſerunt, qui prius Acacij, non minus quam Dioſcori, Aeluri, Mogi, nomen ex ſacro albo non expunxiſſent. Effecit tandem Hormiſda, Iuſtino Imperatore connitente, qui ſecundum *Anno. 517. & ſeqq.* formam præfixam, nomina impiorum Neſtorij, & Eutychetis, Phrauitæ, Euphemij, Macedonij, & Thimothei Conſtantinopolitanorum, Dioſcori, Timothei, & Petri Alexandrinorum, item Zenonis, & Anaſtaſij Imperatorum hæreticorum memoriæ, ex ſacris diptychis eraderunt: & tunc demum pace Eccleſijs reddita, Orthodoxi Orientalis cenſerentur, cum eos Pontifex Romanus Hormiſda, cōmunione Eccleſiaſtica dignatus eſſet. *Orientales tunc Orthodoxi habiti cum Pont. Rom. eos communione Eccl. dignatus eſt.*

Per Superiorum Pontificum exempla incedentis reliqui ſuccedentes, vſque ad PAVLVM QVINTVM, adeo tenaces fuerunt ſtyli, & calami Apoſtolici, vt Solis Catholicis Eccleſiaſticas litteras indulgerent, reliquis denegarent; quemadmodum PAVLVS Quintus Babylonijs hactenus denegauit, qui alias in his quæ ſunt hoſpitalitatis, humaniſſimum ſe eis exhibuit; ex more Eccleſiæ vetuſto, ne ad Sacrorum Societatem admittantur, qui non ſunt vnius Fidei, & Sacramentorum, adeoque non Ciues eius *Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio* eſt *inidipſum. Illuc enim aſcendunt tribus tribus*, ſed *Domini*, habentes *teſtimonium Iſrael, ad confitendum* ex vna formula *nomini Domini. Quia illic* indidem *ſederunt*, ſedent, & ſedebunt *Sedes in Iudicio, Sedes ſuper domum Dauid* iudicantes, ad admittendos dignos; reijciendos indignos.

CAP. XXXII.

Pontifex Romanus, Iudex cæli, in Iudicio terreno, Supremus.

S. Hilarius, ex Euangelica ſententia, Petrum Apoſtolorum Principem, Catholicæ Eccleſiæ Paſtorem, *in iudicio terreno ſupremum cæli iudicem* appellauit: cuius authoritas, præiudicium ferret iudicio cæleſti. Poterat iure merito dicere, propter Chriſti vocem, *Quodcumque ſolueris, aut ligaueris ſuper terram: erit ſolutum atque ligatum in cælis*. Enimuero ſuprema veritas mentiri neſcit: ſuprema iuſtitia pari potentiæ iuncta, declinare, aut deſere non poteſt; quin quod ſemel edixit, impleat, efficiat, admittat, recipiat: maximè cum, & Spiritu Sancto adſtite dirigat cenſuram Eccleſiæ, & Præſes in his quæ ad Deum iudicet, vt iudicare cenſueuit, magno cum pondere, vtpote certus de Dei conſpectu. Itaque *ſummum præiudicium futuri iudicij*, aiebat Ter- *Rom. Pont. Spiritu Sancto adſtite dirigit cenſuram Eccl.* *apol. cap. 39*

Tertullianus, *tulerit*, Petri Succeſſor, cum vel *delinquentem à communione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij relegauerit*; vel recta heroicaque agentem, laude honore, dignitatibus, cultu, & veneratione publica dignum iudicauerit.

Ex cenſura Eccleſiaſt. ſanctorum canonizatio

Namque, & iſtud olim ac ſemper ex cenſura Eccleſiaſtica, vt quem non plebeia ſanctitate, ſed ſingularibus virtutibus, meritis, & vel martirij conſtantia, vel miraculorum gloria pręſtantem Pont. Romani aſpexiſſent, eum laudibus attollerent, ad imitationem proponerent, albo illuſtrium inſcriberent, opem, & operam illius apud Deum potentis implorandam eſſe decernerent. Manauit exemplum ab auctoritate diuina, qui rectè factis premia, amplius quam pænas ſecioribus ſtatuere ſolens, gloriam, & honorem omni operanti bonum propoſuit: neque tantum in cæleſtibus Regnis, ſed etiam in Eccleſiaſtica hierarchia, ampliſſimis honoribus, & præcipuè ſignatura nominis in libro Regni amicos ſuos ſemper ornauit, ornat, ornabit. Apoſtoli, propterea vehementius exultandum ſibi eſſe exiſtimabant, quod iudices ſæculi, poteſtatum aerearum domitores, naturæ vniuerſæ imperantes, Sacrorum adminiſtros, Regni cæleſtis diſpenſatores illos eſſe voluerit: cæterum Iuſtitiæ oculus, magis gaudendum illis eſſe pronunciauit, quod *nomina* illorum *ſcripta* eſſent *in libro vitæ*.

Gaudium ſanctorum quod nomina eorum ſcripta ſint in lib. vitæ.

Hæc enim ſuprema merces laborum, implere librum Ciuitatis Sanctorum, adeoque eminere inter illuſtres animas charactere indelebili ſignatas, in volumine ſignato. Quapropter in Eccleſia militante, calami, vel rerum potentes, ſummum faſtigium alicuius excellentis virtutis admirantes, dignumq; æternitate iudicantes, ne memoria recte factorum excideret, ſummam laudum deferebant, & Cathalogum ſanctorum augebant, ſupra humanis hominibus. Ieſus Syracides, magnam partem diuini ſui libri, nominibus ſanctorum velut ſtellis fulgentiſſimis illuſtrauit. Matathias ſacerdos exemplo recepto, & ipſe quoq; in recenſendis dillaudandiſque veteribus ſanctis maximum operæprecium collocauit. Paulus Apoſtolici Collegij decus, & ipſe etiam ad exemplum poſteritatis, epiſtolam ad Hebræos ſcriptam, magnorum nominum commemoratione impleuit, vt *nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen*.

Eccleſiaſt. c. 44 vſque ad cap. 50.

1. Machab. 2

Hebr. 11. & 12.

S. Clemens ſeptem Notarios inſtituit pro geſtis ſanctorum deſcribendis.

Ea fini, S. Clemens Diuo Petro proximus, Septem Diaconos ab Apoſtolico ſuffragio inſtitutos, non tantum miniſterio Altaris addixerat, verum etiam calamo ſcriptorio onerauerat, vt illi ſurgentis Eccleſiæ adoleſcentiam varijs caſibus, & periculis exercitam, nec non pluribus ornamentis, chariſmatibus, ac potiſſimum trophæis martyrum illuſtrem, ad ſeram poſteritatis notitiam traducerent, hominesque ſacratioris notæ in ſuo vultu repræſentarent, cultui, imitationi, inuocationi fidelium Sanctus Anterus Papa, inſtaurata Conſtitutione Clementina addidit, vt res geſtæ martyrum diligentius exquirerentur, & à Notarijs conſcriptæ, in ærarium Eccleſiæ reponerentur. Sanctus Fabianus, Notarijs ſeptem diaconos adiunxit, qui res martyrum geſtas, ac dies mortis eorum, ad cæterorum exemplum qui Chriſti fidem profitebantur colligerent, in Eccleſijs recitarent, & ad celebritatem illorum nominis Fideles inuitarent. Ab auctoritate Romana doctus Sanctus Cyprianus Presbyteris, & Diaconibus ſcribens iniungebat: *Denique, & dies eorum quibus excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus. Quamquam Tertullus fideliſſimus, & deuotiſſimus frater noſter, pro cetera ſollicitudine, & cura ſua, quam fratribus in omni obſequio operationis impertit, (qui nec illic circa curam deeſt) ſcripſerit, & ſcribat, ac ſignificet mihi dies quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiſcum Domino protegente celebrabimus*. Ad auctoritatis Eccleſiaſticæ libros aſpiciens Tertullianus, Faſtos Eccleſiæ municipalibus gentilium oppoſuit, dixitque militi coronam ambienti: *Tui ordinis, tui magiſtratus, & ipſum Curia nomen, Eccleſia eſt Chriſti. Illius es Conſcriptus, in libris vitæ. Tu peregrinus es mundi huius, ciuis ſupernæ Hieruſalem. Tuus municipatus in cælis. Habes tuos cenſus, tuos faſtos.*

Damaſ. in Pontificali, & Anaſt. Bibliothec.

epiſt. 37.

lib de corona militis.

De SS. Martyribus à beato Cypriano recenſitis.

ep. 34. & 9.

In hos Eccleſiæ faſtos Cyprianus martyr recenſuit Celerinum Clericum Carthaginenſem virtutibus pariter, & moribus glorioſum, qui ſtatim à paſsione Fabiani Pontificis, perſecutionis impetu primo, cum Moyſe, & Maximo Nicoſtrato Ruſſino, Vrbano, & Sidonio, Romæ in carcerem captus, cum ipſo infeſtationis principe, & auctore congreſſus, dum inexpugnabili firmitate certaminis ſui aduerſarium vicit, vincendi cæteris viam fecit; non breui compendio vulnerum victor, ſed adhærentibus diu, & permanentibus pænis longæ colluctationis miraculo triumphator. Auiam quoq; eius Celerinam cathalogo martyrum inſcripſit martyrio iampridem coronatam: item patruos eius auunculos Laurentinum, & Ignatium, qui in caſtris quondam ſęcularibus militantes, ſed veri, & ſpirituales Dei milites, dum Diabolum, Chriſti confeſſione proſternunt, palmas à Domino, & coronas illuſtri paſsione meruerunt.

Plures alios item in caſtris diuinis milites Chriſti cũ Mappalico martyre, qui inter cruciatus ſuos, voce plena Spiritu Sancto, ad Proconſulẽ erupit: *Videbis cras agonem*: certantes deprædicabat Cyprianus, & tũ vocis, tum ſtyli præconio exornabat, quorum cæleſte certamen, certamen Dei, ſpiritale certamen, prælium Chriſti viderat admirans præſentium multitudo; ſtetiſſe ſeruos Dei voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quidem ſæcularibus nudos, ſed armis fidei credentes armatos: qui tortoribus fortiores torti ſteterant, & pulſantes ac laniantes vngulas, pulſatis ac laniatis membris vicerant: quorum inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæuiens diu plaga repetita, quamuis rupta compage viſcerum torquerentur in eis iam non membra ſed vulnera; flueretque ſanguis qui incendium perſecutionis extingueret, qui flammas, & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret. Horum mors quod eſſet *in conſpectu Domini pretioſa*, vtpote à qua immortalitatem pretio ſui ſanguinis emiſſent, & à conſumma-

tio-

tione virtutis coronam decoris de manu Domini accepiſſent, non poterat eſſe in conſpectu quoque Eccleſiæ non glorioſa: cum ipſe Cyprianus ſignificaret, quod *pro eorum* commemoratione, ad honorem, non autem ad delictorum expiationem, *ſacrificia*, ait, *ſemper vt meminiſtis offerimus, quoties martyrum paſſiones, & dies anniuerſaria commemoratione celebramus*.

Vetus in Eccl. conſuetudo ſanctorum memorias celebrandi.

Vetus, & iam à temporibus Apoſtolorum, hæc in Eccleſia recepta conſuetudo celebrandi memorias martyrum, & Confeſſorum. Nam, & Clemens Conſtitutionum Apoſtolicarum ſcriptor feſtiuitatum, tum Apoſtolorum, tum D. Stephani, & aliorum meminit, & D. Iacobus commemorationem iuſtorum in lythurgia, ex qua poſtea Græci in miſſæ ſacrificio, recitant; *Etiam offerimus tibi pro omnibus, qui à ſæculo tibi placuerunt ſanctis*; expreſsit. Cyrillus etiam commemorationis ſanctorum meminit. In cathecheſibus enim ſuis verba miſſæ Græcorum diducens; *Atque hoc ſacrificium*, inquit, *tibi offerimus, vt memores ſimus, primum eorum qui dormierunt Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, vt Deus orationibus, & interceſſionibus eorum, noſtram deprecationem ſuſcipiat. Deinde vt in memoria habeamus ſanctos Patres qui dormierunt, atque Epiſcopos, & deinde omnes qui præceſſerunt, magnam vtilitatem credentes neceſſuram eorum animabus pro quibus offertur, ex oratione ſancti, & tremendi ſacrificij*.

lib. 4. hiſt. c. 14.

Eccleſia quoque Smyrnenſis apud Euſebiũ, cũ diem mortis Diui Polycarpi martyris, diſcipuli S. Ioan. Euang. diem natalitium nuncupaſſet, teſtabatur; *quo loco*, inquiunt, *etiam nunc præſtante Domino ſolennes agimus celebreſq; conuentus, maximè quidem in die paſſionis eius: ſed & quum eorum memorias, qui prius paſſi fuerunt, vt ſequentium animi ad prædeceſſorum viam exemplis inſignibus ſuſcitantur*. Sanè Patres Concilij Gangrenſis annos amplius quam mille tracentos, non dubitauerunt anathemate damnare Euſtachium, & ſuos complices, qui *ſynaxes martyrum*, ſeu collectas, quæ per Baſilicas martyrum fiebant, vel etiam quæ ibidem celebrabantur oblationes, memoriaſque ipſorum ſpernendas dixerint. *Bene enim, & ſecundum voluntatem Dei innocentium martyrum*, aiebat Origenes, *ſancti Patres celebrari mandarunt ſempiternam in Eccleſijs velut pro Domino morientium, velut pro Iudæis, & gentibus crediturijs*; ſcilicet vt in Chriſtum credituri, vel iam credentes, habeant à ſanctorum commemoratione, tum exempla fortium actionum, tum patrocinia orationum. Hunc vetuſtiſſimum Eccleſiæ vſum, S. Felix Papa, & martyr comprobauit. Namque martyrum gloriæ conſulens, decreto Apoſtolico innouauit, vt ſingulo quoque anno, ſtatis diebus, ſacrificia in martyrum memoriam à fidelibus celebrarentur: & ne memoria illorum intercideret, vt in libro Eccleſiaſtico nomina eorum ſcriberentur.

Anathemate damnati à Concil. Gang. qui memorias ſanctorum ſpernendas aiebant. Canon. 21. hom. in illud Matth. vox in Ram.

Eа propter Euſebius illo tempore inſignis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptor, primus Martyrologium compoſuit, dignum viſum S. Hieronymo, quod in Latinum quoque ſermonem conuerteret, Beda atteſtante. Ipſe etiam Beda, Ado Treuirenſis, & Florus aliquis Martyrologia conſcripſerunt, è quibus omnibus ſuum contexuit Vſuardus, quod poſtea correxit Baronius, vel hoc etiam nomine memorandus, quod à mendis quibus ſcatebat emendaſſet, ac notis præclariſſimis res ſanctorum illuſtraſſet; imitatione Menſurij Carthaginenſis Epiſcopi; qui illos, qui ex Diocletiani edicto ſacros Codices dare nolebant, eamque ob cauſam martyrium ſubibant, in martyrum numerum referri debere cenſuit; ſacinoroſos autem, fiſcique debitores, hoc eſt ære alieno grandi obſtrictos, vel oneroſa multis debitis vita carere volentes, vel purgare ſeſe, vel facinora ſua quaſi abluere, vel certe pecuniam acquirere: & in carcere de obſequio Chriſtianorum delicijs perfrui putantes, vltroque ob id perſecutoribus, occaſione perſecutionis captata ſeſe offerentes, inter ſanctos connumerari prohibuit, vt in Breuiculo Collationum memorabat Auguſtinus. Cæcilianus etiam Carthaginenſis Epiſcop. Lucillam quandam factioſam fœminam, vt Optatus Mileuitanus narrat, reprehendit, quod ipſa ante ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſumptionem, os neſcio cuius hominis iam demortui, etſi martyris, ſed nondum, vt ille ait, *vindicati*, hoc eſt nondum probati, necdum Cathalogo Sanctorum adſcripti, exoſcularetur. Mos inualuerat, vt quemadmodum ethnici ſanctorum hominum reliquias, vel in mare, vel in ignem proijciebant, ne (vt aiebant) *Deificarentur*, quod nos dicimus Cathalogo ſanctorum aſcriberentur, & cultu piorum proſequerentur; ita etiam Orthodoxi ſacras eorum, & memorias, & lypſanas, colligebant, & illas quidem in faſtos referebant, has autem omni veneratione digniſſimas eſſe cenſebant.

Euſeb. Martyrologium primus cõpoſuit. lib. Retract. in Act. Apoſt. Baronius res Sanctorum notis præclariſſimis illuſtrauit.

Collat. 3. diei cap. 5.

lib. 1. contra Parmen.

Antiqua Chriſtianorum conſuetudo erga ſanctos, & eorum reliquias.

l. 1. de perſec. Vandalica.

Quamobrem Iucundus, Theodorico Regis filio, vt Victor Vticenſis narrabat, cum Armogaſtem capite truncari iuſſiſſet, dicebat; *Poteris eum diuerſis afflictionibus interficere. Nam ſi gladio peremeris, incipient Romani*, hoc eſt Orthodoxi, *Martyrem prædicare*. Pietatis ſtudio faciebant: à quo priuato, cum multi tam Catholicorum, tam hetherodoxorum imitatione illorum, plurima auderent; & quemadmodum aliquis pro cauſa, erga aliquem vita functum afficiebatur, plurimos in numerum illuſtrium virorum referrent: adeoque ſanctum Martinum, vel ſi quem alium, ad illam ſententiam, *Multorum corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in pœnis*, ferendam impuliſſent; iudicio ſupremi in terra rerum cæleſtium iudicis ſeruatum eſt, in virtutem morum, & veritatem ſignorum inquirere, adeoque cenſuram in vitam, mores, merita, & miracula exercere, illius quem Ciuem ſanctorum, & Domeſticum Dei, à publica ſententia omnes venerentur. Illi enim ſoli, pro ſuprema auctoritate, incumbit cognoſcere vultum pecoris Dominici. Illius quoque eſt, quemadmodum jus communicationis ſanctorum conferre, ita etiam in ſanctis conuerſationibus aliquem fuiſſe exercitatum renunciare. Pro illo etiam Chriſtus orauit, ne eius fides in his quæ ad vniuerſalem Eccleſiæ oeconomiam ſpectant, quale etiam eſt, vt fideles credant, aliquem cælo dignum vixiſſe, deficeret. Illi deinde Spiritum Sanctum, ſpiritum iudicij ſedenti in iudicio, ad probandos ſpiritus, & ea quæ ſunt à ſpiritu profecta, Chriſtus attribuit: vt ab his ſubſidijs, velut Iudex cæli in iudicio terreno ſupremus, honores promeri-

meritos ſanctis decernat, his quos Faſtis Eccleſiaſticis dignos cenſuerit. Ab hac cenſoria virgula, diuino iudicio miraculis comprobata, Pontifices Romani in album ſanctorum non temere, ſed maturo iudicio quamplurimos retulerunt.

CAP. XXXIII.

Pontifex Romanus, fons Sacerdotij.

Pont. Rom. nouus Aarō.

POntificem Romanum, *nouum Aaronem*, iubet, licet appellare. Nemo inficias ierit, quin vocetur, vt Aaron: vngatur vt Aaron: inque faſtigium Summi Sacerdotij aſſumatur vt Aaron: cuius aſſumptio, Domini eſt ad iſtud prærogatiuæ aſſumptio: vt quemadmodum vnguentum Sacrum, quod erat in capite Aaron, deſcendebat in barbam, barbam, & à barba in oram veſtimenti illius; ſic Sacro vnguine præfiguratum noui Teſtamenti Sacerdotium, in Summo vertice, Summi Pontificis Catholicæ Eccleſiæ collocatum, velut à fonte per ſucceſſionem perennem indeficiente, deriuaretur in alios Principes Myſtas, & ab his in alios Sacrati miniſterij viros, Aaronem Moyſes, eo fine ſacrauit, Diuina ordinatione, vt ab eo in Eleazarum, & ab hoc in ſuccedentes Summos Pontifices, & ab his in inferioris ſortis Sacerdotes & Leuitas vnctio & functio deriuaretur.

Princeps Sacerdotij Petrus, & à Petro Roman. Pont.

Pari ratione, & Magnus ille Propheta Moyſi promiſſus, & præuiſus, cum Apoſtolos pari conſortio Sacerdotij, ad hoc Corpus faciendum, ſeu quod idem eſt ad Sacrum faciendum dignatus eſſet, & Legatione pro ſe defungi voluiſſet: Principem tamen Sacerdotij inter eos eminere voluit Petrum, & à Petro Romanum Antiſtitem, à cuius capite oleum diuinioris vnctionis, & à cuius manus impoſitione, poteſtatem ſacrificandi, vel etiam eandem poteſtatem alijs impertiendi, alij communicarent: vt vna eſſet *Mater & Radix omnium Eccleſiarum*, quemadmodum S. Cyprianus vocabat, *Romana Eccleſia* atque vnicus Fons totius Sacerdotij, quemadmodum Petrus prima actione indicabat: cum Matthiam in locum Iudæ ſuffeciſſet, & omnibus Gentibus oſtium ad *Regale Sacerdotium* aperuiſſet, adeoque à Chriſto accepta in omnes oues & agnos poteſtate, Sacerdotium in omnem Eccleſiam propagaſſet; dimiſſis in orbem terrarum Apoſtolis, atque miſſis vbique Gentium Sacerdotibus, ſeu Epiſcopis. Vt enim à Sole radij, & è fonte riui, & à radice rami, & à capite in reliqua corporis membra vitalis omnis influxus, operatio, motus: ſic à Petro, & ab vnica eius Sede, *Regale Sacerdotium* in vniuerſum terrarum Orbem, vna cum fide Chriſtiana eſt deriuatum: quod aliquando Innocentius I. habuit inter laudes numerare, Decentio, *Quis*, ſcribens, *neſciat, aut non aduertat id quod à Principe Apoſtolorum Petro Romana Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc vſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſeruari, nec ſuperinduci aut introduci aliquid quod aut authoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum: præſertim cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, & Siciliam, Inſulaſque interiacentes, nullum hominem inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Apoſtolus Petrus, & eius Succeſſores conſtituerunt SACERDOTES.*

à Petri Sede Regale Sacerdotium in totum Orbem.

Sacerdotes, & Epiſcopi Eccl. à Petro præpoſiti.

Quos enim Petrus, miſit Doctores, eoſdem & Sacerdotes, & Epiſcopos Eccleſijs præpoſuit: Siculis Pancratium, Marcianum, Berillum, & Philippum: Capuanis Priſcum: Neapolitanis Aſyrenatem: Tarracinenſibus Epaphroditum: Equicolis Marium: Nepetibus Ptolomæum: Feſſulanis Romulum: Lucenſibus, Paulinum: Rauennatibus Apollinarem: Veronenſibus, Eupropium: Patauinis Proſdocimum: Ticinenſibus, Syrum: Aquilegienſibus Hermagoram: Mediolanenſibus, Barnabam: Lemouicenſibus, Toloſſanis & Burdegallenſibus Martialem: Tungrenſibus, Colonienſibus, & Treuerenſibus Maternum, necnon Valerium: Remenſibus, Sixtum: Arelatenſibus, Trophimum: Senonenſibus, Sabinianum: Cenomanenſibus, Iulianum: Vienenſibus & Moguntinis Creſcentem: Catalaunis Nemmium: Bituricenſibus, Vrſinum: Anernenſibus, Auſtremonium: Sanctonenſibus, Eutropium: Germanis, Eucharium, Egiſtum & Marcianum: Hiſpanis, Torquatum, Creſiphontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Heſychium, Euphrarium & alios: Brittanis, quo ipſe etiam penetrauerat, Ioſephum ab Arimathea: Hieroſolymitanis, ex ſententia Apoſtolici Senatus, Iacobum: Africanis Numidis, nonnullos, vt memorat Magnus Gregorius: à quibus, & Tertullianus ſibi authoritatem præſto eſſe, Roma deriuatam, & Cyprianus Afer ideo *matricem omnium Eccleſiarum* Romanam Eccleſiam eſſe aſſeuerabat.

lib 2. ep. 75.
de præſcript. c.36. ep. 45.
Rom. Eccl. omniū Eccleſiarum matrix.

In Phœnicia quoque, Syria, & Aſia, vt Simeon Metaphraſtes ex antiquioribus monumentis recenſebat, Petrus à vinculis Hieroſolymitanis liberatus, varios Epiſcopos conſtituit: videlicet, Cæſareæ Stratonis & Sinodis, quibus Hærodes propter receptum ab illis Petrum & in honore habitum grauiter infenſus fuiſſe legitur in Actis: deinde Beryti, Biblij, Tripoli, Phœniciæ ciuitatibus: mox Ortoſiæ, Antandri, in inſula Arado, Balanæis, Pantæ Laodiceæ, ac demum in Antiochia Syriæ Metropoli.

29. Iun. apud Surium.
Act. 12.

Inde verò in Cappadociam profectus, Tyanæ, mox Anciræ in Galatia, deinde Sinopi & Amaſeæ Ponti ciuitatibus, ac ſubinde Gangræ in Paphlagonia: poſtea verò Claudiopoli, ac inde Nicomediæ, ac Niceæ Bithiniæ: tum deinde Byſantinis: quod etiam Agapetus Pontifex in epiſtola ad Petrum, quę in quinta Synodo Generali recitatur, ſatis inſinuat, cum hanc ſingularem dignitatem Mennæ Patriarchæ Byzantino ſeu Conſtantinopolitano, quod ipſum manibus ſuis conſecrauerit accidiſſe affirmat: *quia*, ait, *à temporibus Beati Petri nullum alium vnquam illa Eccleſia accepit Epiſcopum manibus Romani Pontificis ordinatum*: quod ideo proueniſſe, addit, *vt illis Menna ſimilis eſſe videatur, quos in illis quandoque partibus Apoſtolorum primi electio ordinauit.*

In Alexandria quoque Marcum Epiſcopum

Alexande. Eccl prima poſt Romanam.

pum Aegyptijs præfecit. Namque is à Beato Petro Apoſtolo in Aegyptum directus, verbum veritatis prædicanit,& glorioſum Martyrium conſummauit, Patriarchali indidem Eccleſia conſtituta, cui primas poſt Romanam Eccleſiam propterea ex antiquo vſu Patres Niceni integras eſſe voluerunt. Hieroſolymitanæ quoque Eccleſiæ, ex conſilio Apoſtolico, Petrus, Iacobum fratrem Domini præpoſuit: vt Sanctus Chryſoſtomus poſt alios affirmauit.

Chryſoſtom. hom. vlt. in Ioan.

Quod autem alij Apoſtoli, in omnem terrarum orbem diſperſi, Eccleſias condidiſſent, & Epiſcopos per manus impoſitionem Eccleſijs præpoſuiſſent, ſcilicet vnuſquiſque in ſortione Prouinciarum ſibi decreta: quia tamen, nonniſi Petro, qui oſtium prædicationi Gentilium primus cum authoritate aperuerat, diſponente, profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis: conſentaneum

Apoſtoli Eccleſias,& Epiſcopos in manu Petri condiderunt,& præfecerunt.

eſt, vt Eccleſias quas condiderunt, & Epiſcopos quos conſecrarunt: Nonniſi in manu Petri condiderint atque præfecerint: vt cathedra vna monſtraretur, & vt matrix & radix omnium Romana Sedes ab omnibus agnoſceretur, ex qua charyſmata meliora. Sanè & Paulus cum Barnaba non aliunde poteſtatem ſiue Eccleſias erigendi,ſiue Epiſcopos per manus impoſitionem ordinandi obtinuit, quam à Petro, qui vinculis Herodianis exſolutus Antiochiam penetrans, indidem Eccleſiam condiderit: & Paulum Epiſcopum conſecrauerit, comitemque ei Barnabam addiderit.

Act. 13.

Itaque ſi quos, vt quamplurimos, vbique Sacerdotes, atque Epiſcopos vterque conſtituit, Petro authore, adeoque Petri manu inſtituit: cum ſuper Petrum, velut ſuper lapidem fundamentalem Eccleſiæ conſtructio conſurgeret: Paſtores autem & Doctores dati eſſent, *ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.*

Eph. 4.

Ad iſtud reſpiciens Bernardus, non alteri, quàm Rom. Pont. conceſſam eſſe authoritatem omnimodam Epiſcopos &,Epiſcopatus nouos inſtituendi, aiebat: *Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper vniuerſas orbis Eccleſias, ſingulari prærogatiua Apoſtolicę Sedi donata eſt. Vnde, poteſt ſi vtile iudicauerit, nouos ordinare Epiſcopatus, vbi hactenus non fuerunt. Poteſt eos qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictauerit: ita vt de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat: & è conuerſo, ſi neceſſe viſum fuerit.* Vſi ſunt ea poteſtate perpetuo Romani Pontifices. Quos enim Doctores Nationibus conuertendis mittebant, eoſdem Epiſcopos Eccleſijs præficiebant.

epiſt. 131

Ad ſolum Rom. Pont. ſpectat omnimoda authoritas Epiſcopos,& Epiſcopat. nouos inſtituendi.

Epiſcopi à Clem. Pp. inſtituti.

Clemens ſane Diuo Petro proximus,Gallis, Dionyſium Areopagitam miſit; hic vero nobiliſſimam Pariſiienſem Eccleſiam erexit, & rexit. Idem ille Clemens, Taurinum Ebroicenſibus, Lucianum Bellonaeenſibus, Eutropium Santonenſibus, Nicaſinm Rothomagenſibus; Ariſtobulum, Fugstium, & Damianum Angelis, Clementem patruum Belgis, & alios alijs Epiſcupos dedit: vt in Eccleſijs quas opera illorum recens erigebat, ordinem hierarchiam more Apoſtolico ſtatueret. Ex his, Baiocenſibus in Gallia Exuperius, Metenſibus Felix, & Cæleſtinus Epiſcopi obtigerunt, qui totum illum tractum, quem Lotharingiam dicunt, Chriſto conciliarunt.

Anacletus Clementi ſuccedens, trium Patriarchalium Sedium prærogatiuam à Diuo Petro inſtitutam, ſcilicet vt Primas Romana, Secundas Alexandrina, tertias Antiochena haberet, integram fore debere confirmauit:

Ab Anacleto prærogatiua trium Patriarch. Eccleſiarũ confirmata.

Euariſtus aut eius ſucceſſor Senatum Apoſtolicum, Vniuerſalis Eccleſiæ bono publico, in Vrbe Romana, Titulus præfecit. Aucto enim feliciter numero fidelium, apud Matricem Eccleſiarum Romanam Eccleſiam, cum eos vnus locus non caperet, in quo Synaxes agerent, auctæ quoque ſunt Domus, diuino cultui dedicatæ, in quibus ad Sacra obeunda conuenirent.

Tituli ab Euariſt. Card. aſſignati.

Iſtæ Domus Sacris rebus addictæ, vt aliquo indicio tum à prophanis diſcernerentur, tum iuris eſſe Chriſtianorum cognoſcerentur, Vexillum Crucis pro Titulo præferebant: more mutuato à rebus Fiſcalibus, quas Fiſcus cum Tituli impoſitione ſolebat ſibi vendicare, ac Principi conſecrare. Imperatorijs imaginibus, aut nominibus vela inſignita, quæ Ambroſius, *Cortinas Regias*, appellabat, quas Gregorius, imponi rebus Eccleſiaſticis prohibebat, Fiſco addictis domibus appendebant; vel titulum marmoreum nomine Imperatorio inſculptum imponebant: vnde etiam Fideles rem, ac nomenclaturam mutuati, cum aut Crucis vexillum oppanderent, vel Titulum apponerent Domui ſeu Eccleſiæ conſecratæ, Titulos appellarunt: vt ſcirent, & quo conuenirent, ad Sacra peragenda, & quo titulo presbyteros cognominarent, rebus Sacris deſtinatos. Communi enim conſenſu receptum eſt, Beatum Petrum cum Romæ Cathedram poſuiſſet, ex omnibus recentibus Chriſtianis, quoſdam presbyteros,quoſdam vero diaconos, per manuum impoſitionem ordinaſſe: & illis quidem animarum curandarum negotium, his autem curam tum Sacri miniſterij, tum rerum temporalium in pauperes partiendarum commiſiſſe.

Horum numerus cum auctus fuiſſet, Cletus, ad quinque, & vigiti eos redegit: Euariſtus autem eis Titulos ſeu Eccleſias aſſignauit: ac præterea Septem Diaconis iniunxit, qui Epiſcopum ſacrificantem ac prædicantem, propter ſtylum veritatis, ac propter muneris maieſtatem, & functionis amplitudinem cuſtodirent.

De prima Cardinatũ creatione.

Creſcente poſtea fidelium multitudine, cum neque XXV. presbyteri, neque VII. Diaconi ſufficerent ad res Sacras obeundas, Hyginus quidem presbyteros plures in ſingulis Titulis, ſub vno tamen in vnaquaque Eccleſia Paræco collocauit: Fabianus vero in vnaquaque Eccleſia duobus vel pluribus diaconis iam multiplicauit, Quatuordecim Vrbis regionibus, Diaconos VII. primarios, aſſignata vnicuique ad curam pauperum gemina Regione, præpoſuit, de quibus Syluester in Concilio Romano, Canonem Sextum, *Diaconi* ſanxit, *non ſint plures per Parochiarum examen niſi duo: & Diaconi Cardinales vrbis Romæ ſeptem.* Quorum ſinguli quamuis diuerſis in locis agerent, quia tamen vnius primariæ Eccleſiæ cardine tenentur, Regionibuſque vrbis præpoſiti eſſent, Diaconi *Regionarij*, & *Cardinales* vocabantur; quemadmodum, & Titulis prælati principales Parochi, *Presbyteri Cardinales*. Sixtus Quintus, cauſam aſſignabat, cur Cardinales appellentur, ſcilicet, quod perſonas Sanctorum Apoſtolorum re-

Quare Cardinales vocentur, & quod eorũ munus.

præ-

in bulla de Cardinaliũ præſtantia, numero ordine &c. an. 1586.

præſentent: vt quemadmodum Apoſtoli Chriſto ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdoti Regnum Dei prædicanti, atque humanæ ſalutis myſterium operanti aſſiſtebant; ſic, & illi Vicario Chriſti Romano Pontifici, in executione ſupremi Sacerdotij, & in adminiſtranda vniuerſa Catholica Eccleſia, Coadiutores, & Conſiliarij præcipui adhæreant, quaſi oculi, & aures, ac nobiliſſimæ Supremi Capitis partes, omnes curas arduas cum Pontifice partientes, & pro ſalute publica omnium vigilantes, ac collaborantes. Vnde, & ipſi cenſeutur veri cardines, & clariſſima Eccleſiæ lumina, templi Dei baſes, firmamenta, & columnia Chriſtianæ Reipublicæ, Sal terræ, lucernæ poſitæ ſuper candelabrum, Magiſtri Eccleſiaſticæ diſciplinæ, vt inter ſanguinem, & ſanguinem, lepram, & lepram, cauſam, & cauſam diſcernaut, ac doctrinæ veritate, & opportunitate infirma confirment, diſrupta conſolident, deprauata conuertant, luceant omnibus qui in domo Dei habitant, ac primæ Sedi aſſiſtentes, reliquos Paſtores conſilij, & opis gratia confluentes, iudicio, cōſilio, auctoritate inſtruant. Legatione pro Summo Antiſtite fuugantur: Conſilijs eius nomine præſint: arbitria illius Principibus terræ deferant: Pacis interpretes ſint inter diſſidentes: ac quod caput & ſumma eſt, ius ſuffragij in eligendo Romano Pontifice habeant: & ex eorum corpore, numero, Collegio, totius Dominici gregi præſul aſſumatur: quēadmodū Petrus è cætu Apoſtol. aſſumptus eſt, cui Chriſtus diceret: *Paſce oues meas, Paſce agnos meos.*

ep. 46 inter Cyprian. epist.

Horum numerum idem Sixtus ad LXX. auxit: vt veteris Synagogæ figura, Sanctæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ veritati reſponderet; cum & hic Septuaginta numerarentur Senatus Apoſtolici viri, quemadmodum in Pontificio Moſayco ſeptuaginta Seniores, qui onus populi ſuſtinerent, & non ſolus Summus Pontifex grauaretur. Ab hoc reſpectu, Cornelius Papa, cum in cauſa ſchiſmaticorum iudicium inſtitueret, *Presbyterium cuius firmato conſilio, quid circa perſonam eorum obſeruari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur*: Hieronymus vero *cætum presbyterorum, & Senatum Eccleſiæ*, dixit: Conſtantinus porro Magnus pro eis ſanxit: *Viris*, inquit, *Reuerendiſſimis Clericis in diuerſis Ordinibus Romanæ Eccleſiæ ſeruientibus, illud culmen ſingularitate potentia, & præcellentia habere ſancimus, cuius ampliſſimus Senatus noſter gloria adornari, id eſt Patritios, & Conſules effici, nec non, & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari.*

in 3. c. Iſai.

& in epiſt. ad Ruſticũ.

1. Conſtantin. d. 96.

Quot teſtes requiſiti ad condemnationem Cardinalis. Cardinales Epiſcopis antepoſiti.

Patres Concilij Romani, ſub Syluestro I. congregati, tantum honoris illis detulerunt, vt ſtatuerint, *presbyterum Cardinalem nonniſi quattuor, & quadraginta, Diaconum vero Cardinalem octo, & viginti teſtibus condemnari.* Eccleſiæ conſuetudo, etiam presbyteros, & Diaconos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Epiſcopis antepoſuit; non quidem quantum ad ordinis poteſtatem, qua Epiſcopi Superiores ſunt presbyteris atque Diaconis: ſed quoad vniuerſalis Eccleſiæ gubernationem: quod *eorum conſilio*, vt Patres Tridentini confitentur, *apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem, vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nititur.* Et quia iidem Patres Tridentini, *nefas videri poſſe*, aiunt, *non ijs etiam virtutum inſignibus, ac viuendi diſciplina eos fulgere, quæ merito omnium in ſe oculos conuertunt*, omnem operam in hoc ſemper poſuerunt Romani Pontifices, vt ad iſtud honoris faſtigium eueherent, omnigena virtute Illuſtriſſimos.

Seſſ. 24. c. 1.

GREGORIVS XIV. ne alienis peccatis communicaret, pro præficiendis Eccl. Prælatis, ex præſcripto Conc. Trid. promulgauit, iſtis verbis.

GREGORIVS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sanctio Gregor. Pp. XIV. pro præficiendis Eccleſiarum Prælatis.

ONus Apoſtolicæ ſeruitutis, ad quod nuper nos dignatio diuina prouexit, aſſidue admonet, in eam potiſſimum curam nobis eſſe paſtorali ſollicitudine incumbendum, vt quæ à ſacris œcumeniciſque Concilijs, pro communi totius Chriſtiani populi ſalute, pie, prudenterque ſtatuta ſunt, nulla aut temeritate violentur, aut negligentia deſerantur ea præſertim, quæ ad bonos idoneoſque Paſtores Cathedralibus, ac ſuperibus Eccleſijs gubernandis præficiendos pertinent. Nam ſi in quibuſuis Eccleſiæ gradibus, & miniſtris curandum eſt tales eligi, qui religione, & ſanctitate fideles ædificent, multo certe magis elaborandum eſt, ne in eius electione erretur qui ſupra omnes gradus conſtituitur, cui tanquam ſeruo fideli, & prudenti totius familiæ cura traditur, qui ad omnem virtutem, & mandatorum Dei obſeruantiam aliorum forma eſſe debet: cum certum ſit, gregis ſalutem magnopere pendere ex boni paſtoris præſtanti vita, & doctrina. Sane venerabiles Patres, qui ex toto terrarum orbe ad ſacrum generale Tridentinum Concilium à Summis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris euocati magna frequentia conuenerunt, cum in alijs rebus multis præclarum ſtudium ad corrigendos deprauatos mores, & collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam oſtenderunt, tum in eo potiſſimum inſigni zelo, magnaque cum laude laborarunt, vt rationem inuenirent, qua Viri doctrina pietate prudentiaque excellentes, & in Eccleſiaſticis functionibus diu multumque verſati Eccleſijs Cathedralibus præficerentur. Nos igitur qui cum in minoribus conſtituti Cremonenſem Eccleſiam regeremus in eodem Concilio cum ſanctis, & egregijs illis Patribus interfuimus, & Concilio abſoluto ad Eccleſiam noſtram reuerſi magno ſeper deſiderio flagrauimus, vt tam ſalubria generalis Concilij decreta executioni debitæ mandarentur, atque vt id fieret pro virili parte curauimus: multo nunc magis cum diſponente Domino omnium Eccleſiarum cura, & ſollicitudo Nos premit, ſummo deſiderio tenemur, vt Paſtores ij præficiantur Eccleſijs, qui opus ſuum, & miniſterium impleant, & de ouium ſalute Nos in Domino lætificent. Illud autem in hoc ſaluberrimo, & per neceſſario negotio, quod eſt de Epiſcopis eligendis, & præficiendis, videtur eſſe præcipuum, vt inſtructio, examen, & inquiſitio de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promouendorum tam accurate, fideliter, ac ſerio inſtituatur, vt omnis fallaciæ fuco ſemoto, certo confidere valeamus tales à Nobis Chriſti gregi paſcendo eſſe Prepoſitos, quales tantum ouus, Angelicis videlicet humeris formidandum, exigit, & quales ille expetit, qui pro ijſdem ouibus redimendis propria vitæ ac ſanguini non pepercit. Et quidem in hac parte prouidentia dicti Concilij Tridentini minime defuit, cum ſtatuerit ac mandauerit vt in prouinciali Synodo

Seſſ. 24. c. 1. de refor.

per

per Metropolitanum habenda praſcriberetur quibuſqae locis, & prouincijs propria examinis ſea inquiſitionis aut inſtructionis facienda forma Romani Pontificis arbitrio approbaada, quæ magis eiſdem locis vtilis atque opportuna eſſe videretur. Verum aeque id hactenus niſi à pauciſſimis factum eſt, aeque ſpes eſt aiſi longiſſimo temporis ſpatio vt ab omaibas fiat, atque interim dum certa examiais, ſiue inquiſitionis ratio à Prouincialibus Concilijs expectatur, perit vber ille fructus, qui ex tam vtilibus Concilij Generalis decretis ſperari poſſe videbatur: & experientia ipſa docuit per ſex aanos à pablicatione Concilij prædicti elapſos quid in vaa quoqae Prouincia opus ſit, quidue poſſit fieri. Habita igitur cum Venerabilibas fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, ac de eorum vnanimi conſilio, & aſſenſu præſenti aoſtra perpetuo velitura Conſtitutione deceraimus, vt cùm extra Romanam Curiam examea, inſtructio, ſiue inquiſitio facienda erit, nemo omninò caiaſcumque ſtatus, gradus, conditioniſque faerit, iaquiſitionem prædictam ſibi arrogare præſumat: ſed integrum hoc aegotium ijs, qui à prædicto Tridentino Concilio deſignatar, Apoſtolicæ videlicet Sedis Legatis, ſeù Nuncijs Prouinciarum, aut eius de quo inquiſitio ſit Ordiaario, eoque deficiente Ordinarijs viciniorlbus relinquatar, niſi iuſtis de cauſis nobis, aut pro tempore exiſtenti Romano Pontifici per ſpeciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoque committendum eſſe viſam fuerit. Quod ſi forte aliquis prædictorum conſaagainitete, aut affinitate, vſque ad tertium gradum incluſiuè promouendum contingeret, vt omnis ſuſpicio carnalis affectus à tam ſancto negocio repellatur, ille quidem eo caſu cenſeatur excluſas, atque ad eum, qai proxime ſequitur, hoc eſt, ſi Legatus excludendus erit ad Nuntium: ſi Nuntius ad Ordinarium Inquiſitionis officium deferatur. Ia Curia verò hæc functio ſpectet vel ad eos Cardinales, qui à Nobis, vel pro tempore exiſtente Romano Pontifice deligentur, vel ad Cardinales earum Prouinciarum, ſeù Regnorum apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectores, in quibus Eccleſiæ ipſa coaſiſtant, ſi tamen ad ipſos haiuſmodi vacantium Eccleſiarum relatio pertinebit, qaod ſi de Epiſcopo, vel Metropolitano extra Romanam Curiam degente ab vna Eccleſia ad aliam ex aliqaa graui, & iaſta cauſa transferendo agetur, hoc munus deficientibus Legato, vel Nuncio Apoſtolico eius Prouinciæ, aut Regni, vbi Eccleſia ipſa à qua transfertur, ſita erit, ad Metropolitanum ſi Epiſcopus: ad Suffraganeam verò antiquiorem reſidentem, ſi Metropolitanus transferendus erit pertiaere declaramas. Deinde, quia Sacrum Tridentinum Concilium non ſine magna ratione eminentes perſonas, & qaæ aegotij magnitudinem probe intelligerent ad hoc officium nominauit, declaramas, & ſtatuimus tam Legatos, ſiue Nuncios, quàm Ordinarios, vel alios ab hac Sancta Sede forte delegaados, non per Auditores, aut Vicarios, alioſue Miaiſtros, ſed per ſeipſos inqairendi munas exercere debere, quamuis ab huiuſmodi perſonis, aliiſqae viris peritis adiuuari poſſint. Eſi Prælatus inquirens per ſe non poſſet ob locoram diſtantiam teſtes examinare circa articulum aliquem, vt legitimos natales, vel ætatem, aut aliquid eiuſmodi licebit ei articulum illum alteri perſoaæ ia diguitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſubdelegare non autem vniuerſam inquiſitionem. Quod ſi forte contingat aliquam ſupradictorum legitimè impediri, vt per hoc munas præſtare non poſſit, ad alios ea cura transferetar, qui ſunt ab eodem Concilio Trideatino adhoc officium deſignati, vt ſupra dictum eſt de ijs, qai ob conſanguinitatem, vel affinitatem ab hoc munere excluduntar. Ad hæc vt omnes eiuſdem Sacri Concilij rectè, ac fideliter debita executioni mandetur, & tale ſit examen, quale requiritur in negotio tanti ponderis, declaramus, ac ſtataimus non eſſe ia vita, ac doctrina promouendi inaeſtiganda eam rationem adhibendam, vt ab ipſo promouendo articuli offerantur, ac teſtes producantur, ſed oportere, vt Prælatus, qui munus inquirendi ſuſcepit articulos conſcribat, atqae ipſe ex officio ſuo illos teſtes vocet, atque examinet, quos de rebus inqairendis ſincerum, ac fidele teſtimonium daturos eſſe exiſtimet. Verùm, vt inquiſitio prædicta facilius, ac plenias perfici, atque expediri queat, vtile erit, ſi Prælatus, qui inqaiſitionem facturus eſt, vel à promouendo, vel eb alio aliquo confici curet ſchedulam, ia qua ſint ordiae deſcripta nomen promouendi, cognomen, patria, parentes, ætas, ordo, gradus, profeſſio, functio, ſi quam is fortè exercuit, loca ia quibus, aut Theologiæ, vel Iuri canonico operam dederit, aut longo tempore verſatus fuerit: deniqae amici familiares, qai tam ipſum, qaàm parentes eius intimè norint. Quod ſi promouendus documeatum aliquod exhibere voluerit, vnde ipſius ætas, gradas, dignitas ſacri Ordiaes, functio, officia, muneraque, aut aliquid eiaſmodi comprobetur admittendum, ac proceſſui inſerendam erit modo documentum publicum, ſeu aathenticum fuerit. Illud quoqae probibendum cenſuimas, ac expreſsè probibemus, ne ad teſtimoaium dicendum de fide Catholica, vita, moribus, doctrina, atque aptitudine ad regendam Eccleſiem quilibet homines admittantur, ſed viri tantùm graues. pij, prudentes, docti, qui de qualitatibus promoneadorum rectum iudicium ferre valeant, ac vt ſapra diximus ſiacerum, ac fidele teſtimonium dare velint. Proinde tam cognati, ac nimium familiares quàm inimici, atque æmuli excladendi erunt. Porrò teſtes eiuſmodi Prælatus, qui examen, ſeu inquiſitionem habiturus erit ſeorſum, ac ſingillatim examinabit, & ſi quando iudicauerit expedire eis, ad memoriam redacet tam iuramenti vim, tum periurij grauitatem, eoſdem etiam ſerius, & grauiter admonebit ipſos reos futuros apud Omnipotentem Deum eorum omnium, quorum vel committendo, vel omitteado rei erunt, qui promoaebantar, ſi vel falſa narrando, vel reticendo, vera in caaſa erunt, vt homines indigni, vel minus idonei eiaſmodi Eccleſijs præficiaatur. Diligeater etiem teſtium qualitates cognoſcere ſtudebit ac potiſſimum qaam ſint ad promouendos affecti, vt inde conijciat vtram ex affectu, an ex veritate teſtimonium dicant. Denique, cùm teſtes de qualitatibas promouendi laterrogabit, dabit operam, vt quo ad eius fieri poterit omnia, & ſingula, qaæ ad prædictam inquiſitionem facere videbantur per ipſos exprimantur. Quamuis autem qualitates omnes promouendorum, qaæ in generalium Synodorum decretis, aliiſque Canoaicis ſaactionibus continentar, probe cognitæ eſſe debeant ijs, quibus inquiſitioais officiam demandatum eſt: quales ſunt aatum eſſe ex legitimo matrimonio, atque ex parentibas Catholicis, annum trigeſimum iam expleuiſſe, ſacris ordinibas ſaltem ante ſex menſes initiatum eſſe, gradum Doctoratas, aut licentia in Theol(gia, vel iure Canonico, aut certè publicum alicuias Academiæ teſtimonium obtinuiſſe, quoad alios docendos idoneus eſſe

decla-

declaretur. adhæc in Eccleſiaſticis functionibus diu eſſe verſatum: item fidei puritate, innocentia vitæ, prudentia, vſu rerum, integra fama, doctrina denique præditum eſſe: tamen quia circa doctrinam pluras fraudes committi ſolent, & ſæpe contingit, vt nonnulli ſcientiæ vacui de ſolo Doctoris titulo, aut priuilegio glorientur: volumus, & de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel Doctoratus, aut licentiæ titulis, & priuilegijs gaudent, vel etiam à publicis Academijs teſtimonium habuerunt, quod idonei eſſent ad alios docendos; niſi fortè aliquorum inſignis doctrina ex publica ipſorum functione notoria eſſet. Ita verò inquiſitio facienda erit, vt quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu Theologiæ, vel Iuri Canonico promouendus operam dederit, cognoſcatur. Et quoniam in quibuſdam Prouincijs nulla ſunt ſtudia generalia, neque vllæ publicæ ſcholæ, neque vſus habet, vt qui ſtudijs aperam nauant vllis Doctoratus, aut licentiæ inſignibus decorentur: declaramus in eiuſmodi locis ſufficere, ſi teſtimonio virorum grauium, & ſacræ Theologiæ, vel Iuris Canonici peritorum conſtet promouendos ea ſcientia Theologiæ, vel Canonum verè pollere, vt idonei ſint ad ea docenda, quæ populum Chriſtianum ſcire oportet, ac muneris ſibi iniungendi neceſſitati valeant ſatisfacere. Teſtes prætereà deponant ſe de ſcientia promouendorum certos redditos eſſe, ex eo quod prædictos promouendos ſpecimen ſuæ doctrinæ publicè, vel priuatìm dediſſe cognouerint. Quod autem ad Regulares pertinet, cùm ad Eccleſias Cathedrales promouendi fuerint, nè fraus vlla ſubrepere poſſit in eo, quod idem Tridentinum Concilium ſtatuit, vt Regulares à ſuis Superioribus ſufficientis doctrinæ teſtimonium habeant: declaramus nomine Superiorum eos dumtaxat intelligendos eſſe, qui nullum ſui Ordinis ſuperiorem agnoſcunt, ſiue ij cuiuſuis Ordinis Abbates, Magiſtri, aut Miniſtri, aut Præpoſiti generales, aut quarumlibet Congregationum Præſidentes, ſiue Defimtores, aut Viſitatores Capitulum generale repræſentantes, ſiue alij quocunque vocabulo nominentur, & in eorum abſentia ipſorum Vicarij, ſeu Commiſſarij generalis, vel in Romana Curia Procuratores Ordinum, aut congregationum generales in hac parte ſuccedant, & nihilominus præter Superiorum teſtimonium, qui fidem facient eiuſmodi Regulares ad alios docendos idoneos eſſe, volumus ea ſeruari, quæ de ijs diximus, qui publicum ſuæ doctrinæ ab aliqua Academia teſtimonium habent: vt videlicet ſerio inquiratur an Regulares ad Cathedrales Eccleſias promouendi eos progreſſus in ſtudijs fecerint, qui in futuro Antiſtite requiruntur. Poſt inquiſitionem verò de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promouendi, necnon informationem de ſtatu Eccleſiæ, alijſque neceſſarijs rebus, quæ pariter coram ſuperius expreſſis Prælatis iuxtà eiuſdem Concilij decreta fieri debet, profeſſio fidei Catholicæ à promouendo facienda erit: quam quidem ab eo dumtaxat recipiendam eſſe declaramus, ad quem inquiſitio pertinebit, niſi forte qui profeſſionem emiſſurus eſt à Prælato inquirente longe diſtet: tunc enim is Prælatus ex ſubdelegatione inquirentis profeſſionem admittere debebit, cui promouendus vicinior erit, quod idem intelligatur de informatione de ſtatu Eccleſiæ accipienda, ſi quando contingeret, vt in alia Prouincia, ſiue Regno eſſet Eccleſia, in alio promouendus. Recipiet autem Prælatus profeſſionem promouendi præſente Notario publica, ac teſtibus, atque eam à ſe admiſſam, ac receptam propriæ manus ſubſcriptione teſtabitur. Is quoque, qui profeſſionem eiuſmodi fecerit in eo loco, vbi proprium nomen profitentis exprimi ſalet, nomen ſuum manu propria adſcribet. Denique his peractis Notarius publico inſtrumento fidem faciet de profeſſione prædicta adhibitis teſtibus, vt præfertur. Vbi verò totum examen, ſeu inquiſitio de perſona promouenda perfecta fuerit, ea in inſtrumentum publicum redacta, cum toto teſtimonio, at profeſſione fidei emiſſa, ad hanc Sanctam Sedem, vt Concilium ſtatuit, quam primum clauſa, & obſignata in forma authentica tranſmittenda erit. In qua re obſeruari volumus, vt profeſſio fidei ijſdem omninò verbis deſcripta ſit, quæ in ea forma continentur, quam fel. rec. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter ſtatuit obſeruandam, & vt Prælatus, qui inſtructionem, examen, & inquiſitionem fecit, vt per litteras ſeparatas, ſimul tamen cum proceſſu mittendas, vel per ſubſcriptionem dicti proceſſus ſignificet quanta fides teſtibus examinatis, eorumque dictis, & ſcripturis productis ſuo iudicio habenda ſit, ſimul etiam quid de promouendo ipſe ſentiat. Proceſſus autem ſic formati, & ad Curiam tranſmiſſi à Cardinale, cui proponendi munus incumbit, & à Prioribus ordinum Cardinalibus, vt moris eſt, iuxta formam Concilij prædicti ſubſcribentur, & expedientur. Volumus autem, vt Cardinalis relator moneat Promouendum, ſi præſens in Curia fuerit, vt iuxtà Concilium Lateranen. nouiſſimè celebratum, omnes Cardinales, ſiue maiorem partem Collegij adeat, antequam Eccleſiam proponat, vt quæ à referente collega ſint audituri, occulta fide quantum ad perſonam promouendi attinet, & cognoſcere poſſint. Hæc porrò omnia, quæ de promouendis ad Eccleſias Cathedrales dicta ſunt, ad eos etiam pertinere, atque in eorum promotione ſeruanda eſſe declaramus, & decernimus, qui nominati, præſentati, aut electi fuerint ad dignitates Abbatiales, ac Prioratus, ſeu Præpoſitatus, Monaſteriorum regimina, aut aliàs Regularium cuiuſuis Ordinis, aut etiam ſecularium præfecturas, de quibus conſiſtorialiter prouideri contigerit: atque eos præſertim, quibus præter curam, & regimen Monachorum, aut Canonicorum, Clericorumque Regularium, vel ſecularium annexa eſt in populum iuriſdictio ſpiritualis, vel temporalis: excepta tamen ætate, circa quam nihil innouamus. Quo verò ad doctrinam, cùm generalia Concilia non ſtatuant, vt perſonæ promouendæ ad Regulares dignitates Doctoratus, ſiue licentiæ gradum ſuſcipere, vel publicum teſtimonium ab Academia aliqua habere teneantur, & tamen æquum ſit, vt ea doctrina polleant, quæ onus ſibi imponendum ſuſtinere valeant: declaramus, & ſtatuimus, vt Prælati, qui inquirendi munus ſuſcepturi ſunt, ſtudioſè, ac diligenter inquirant ſuper doctrina eiuſmodi perſonarum, iuxtà modum, & formam ſuperius præſcriptam, vt Nos vel pro tempore futuri Romani Pontifices habita de illis vera informatione per proceſſum, qui ab inquirente tranſmittetur certo ſtatuere, ac iudicare poſſimus, an perſona promouenda verè ſit talis, qualem dignitas illa, ad quam prouehenda eſt, exigit, & requirit. Hortamur verò in viſceribus Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ac paterna charitate monemus eos omnes, qui ab hac Sancta Sede nominandi, præſentandi, vel etiam eligendi futuros Epiſcopos, vel Abbates ius habent, vt ſerio apud ſe cogitent quanti momenti ſit hoc negotium, ex quo ſalus animarum, tranquillitas Reipublicæ, incolumitas

Reli-

*Religionis, propagatio fidei, aliaque permulta,
& maxima bona dependent. Illud etiam ſæpe, &
ſæpius ad mentem reuocent, quod Sancta Triden-
tina Synodus admonet, nihil ſe ad Dei Gloriam,
& populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quam
ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos
promoueri ſtudeant, eoſque alienis peccatis com-
municantes mortaliter peccare, niſi quos dignio-
res, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint,
non quidem precibus, vel humano affectu, aut
ambientium cupiditatibus, ſed eorum exigentibus
meritis præfici diligenter curauerint. De nominan-
dis verò præſentandis, vel eligendis ad Regulares
dignitates, præter ea, quę ſuperius obſeruanda
eſſe declarauimus, illud quoque paternis his no-
ſtris hortationibus, & monitionibus adiiciendum
cenſuimus, vt nominationis, pręſentationis, vel
electionis, ius habentes eos deligere ſtudeant,
atque omninò conentur, qui non modo eundem Or-
dinem ſint ante profeſſi, ſed in eodem etiam ſatis
diu laudabiliter verſati: neque enim decet vt Ma-
giſtri aliorum eſſe incipiant, qui non fuerint ante
diſcipuli, & ſubditis imperare pręſumant, qui
prius non didicerint Superioribus obedire. Eos de-
nique, qui vel examinando, & inquirendo, vel
teſtimonium ferendo operam ſuam in hac re pre-
ſtabunt ſerio admonemus, vt ea fide, ac diligentia
in negotio tanti momenti verſentur, vt à Deo, &
à Nobis laudem pro bono opere expectare valeant.
Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam
noſtræ prohibitionis, voluntatis, declarationis,
ſtatuti, adhortationis, & monitionis infringere,
vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem
hoc attentari pręſumpſerit indignationem Omnipo-
tentis Dei, ac Beatorum Petri,* & *Pauli Apoſto-
lorum eius ſe nouerit incurſurum.* Datum Romæ
in Monte Quirinali anno Incarnationis Do-
minicæ M D XCI. Idibus Maij. Pontificatus
noſtri anno primo.

A. Card. Montalt. Summator.

Non curioſitatis prurigine Gregorius, eã
de examinandis Epiſcopis ſanxit Conſtitutio-
nem, ſed veterem à temporibus Apoſtolorum
renouauit diſciplinam, cui legem attribuit di-
uina olim præſcriptio præcipiens; *Homo, in*
Studium Rom. Pont. circa Sacerdotum ordinationem, & Antiſtitũ electionem. *quo fuerit macula & vitium non accedet offerre*
dona Deo. Iſtud ante oculos habentes, & ſol-
licitè, ac religioſè conſiderantes Romani Pon-
tifices, in ordinationibus ſacerdotum, non-
niſi immaculatos & integros Antiſtites eli-
gendos ſibi ſemper propoſuerunt, qui ſanctè
& digna, ſacrificia Deo offerentes, audiri in
precibus poſſint quas faciunt pro plebis Do-
minicæ incolumitate. A diuina authoritate
epiſt. 68. deſcendere, oſtendebat Cyprianus, vt ſacer-
dos plebe præſente, ſub oculis omnium deli-
gatur, & dignus atque idoneus publico
iudicio ac teſtimonio comprobetur, ſicut
in numeris Moyſi præcipit Dominus di-
Num. 20. cens: *Apprehende Aaron fratrem tuum, &*
Eleazarum filium eius, & impones eos in montem
coram omni ſynagoga: & exue Aaron ſtolam eius,
& indue Eleazarum filium eius, & Aaron ap-
poſitus moriatur illic.
S. Cyp. de ſacerdotib. & diaconis ordinandis, ac Epiſcopis eligendis. Coram omni ſynagoga iubet Deus con-
ſtitui ſacerdotem, ait Cyprianus, id eſt, in-
ſtruit & oſtendit ordinationes ſacerdotales,
nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri
oportere, vt plebe præſente, vel detegantur
malorum crimina, vel bonorum merita præ-
dicentur, & ſit ordinatio iuſta & legitima,
quæ omnium ſuffragio & iudicio fuerit exa-
minata. Quod poſtea ſecundum diuina magi-
ſteria obſeruatur in Actis Apoſtolorum, quan-
do de ordinando in locum Iudæ Epiſcopo; Pe-
trus ad Plebem loquitur: *Surrexit,* inquit, *Pe-* Act. 1.
trus in medio diſcentium: fuit autem turba in vno.
Nec hoc in Epiſcoporum tantum & ſacerdo-
tum, ſed & in Diaconorum ordinationibus
obſeruaſſe Apoſtolos animaduertimus, de quo
& ipſo in Actis eorum ſcriptum eſt; *Et conuo-* Act. 6.
cauerunt, inquit, *illi duodecim, totam plebem*
diſcipulorum, & dixerunt eis. Quod vtique
idcirco tam diligenter & cautè conuocata ple-
be tota gerebatur, ne quis ad altaris miniſte-
rium, vel ad ſacerdotalem locum indignus
obreperet. Ordinari enim non nunquam in-
dignos, non ſecundùm Dei voluntatem, ſed
ſecundùm humanam præſumptionem, & hæc
Deo diſplicere, quæ non veniant ex legitima
& iuſta ordinatione, Deus ipſe manifeſtat per
Oſeæ Prophetam dicens; *Sibimet ipſis conſti-* Oſeæ 8.
tuerunt Regem, & non per me. Propter quod
diligenter, de traditione diuina, & Apoſtoli-
ca obſeruatione obſeruandum eſt & tenendum
quod apud nos quoque, & ferè per Prouin-
cias vniuerſas tenetur, *vt ad ordinationes ritè*
celebrandas, ad eam plebem, cui præpoſitus ordi-
natur, Epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi qui-
que conueniant, & Epiſcopus deligatur plebe præ-
ſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè nouit, &
vniuſcuiuſque actum de eius conuerſatione per-
ſpexit.

Quod & apud nos factum videmus in Sa-
bini collegæ noſtri ordinatione, vt de vniuer-
ſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum
qui in præſentia conuenerant, quique de eo ad
vos literas fecerant iudicio, Epiſcopatus ei
deferretur, & manus ei in locum Baſilidis im-
poneretur. Hæc Cyprianus ex more vetuſto:
ex quo receptum fuerat apud Eccleſiam, vt
Epiſcopi viciniores prouinciæ, cui præpoſi-
tus ordinaretur, conuenirent; plebem de vi-
ta & moribus conſecrandi inquirerent; plebs
quæ optimè nouerat, ſuffragium de eligendo,
an calculo Epiſcoporum dignus futurus, fer-
ret, adeoque quod vocant, *Candidatum* pro-
poneret, commendaretque; Epiſcopi verò per epiſt. 87.
literas ſubſcriptas eligerent: quemadmodum
Leo Papa ſingulorum in electione propria di-
ſtinguens officia, vota requirebat ciuium, te-
ſtimonia populorum, honoratorum arbitrium,
electionem Clericorum, & denuo poſtea ſub-
ſcriptionem Clericorum, honoratorum teſti-
monium, Ordinis & plebis conſenſum. Ad
hanc formulam, etiam Cornelius Papa *factus*
eſt Epiſcopus, à plurimis Epiſcopis *qui tunc in*
vrbe Roma aderant, de Dei & Chriſti eius iudi-
cio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de
plebis, quæ tunc affuit, ſuffragio, & de Sacerdo-
tum antiquorum ac bonorum virorum Collegio,
cum nemo ante ſe factus eſſet cum Fabiani locus,
ideſt cum locus Petri & gradus cathedræ ſacerdo-
talis vacaret; vt idem ipſe Cyprianus affirma-
bat.

Ab hac populari ſuffragatione illud vni-
cum expectabatur, ne quis indignus ad ſu-
premam dignitatem irreperet. Huic rei, Gre-
gorius vigilantiſſimus, Conſtitutionem illam
promulgauit. Ad hanc PAVLVS QVINTVS,

Solicitudo Pauli V ne improbatus Ecclesiæ a lieui præficiatur.

veteris moris retinens, præſertim illius Paulini monitu, *Manus, nemini cito impoſueris*, memor reſpexit, ac perpetuam curam adhibuit, & adhibet: ne quem improbatum, Epiſcopali faſtigio imponeret, aut imponat in poſterum, vnde plena diligentia, ſinceriſſimaque exploratione peruestigat, qui ad ſacerdotium vbique deligantur, quos à Deo conſtet audiri, ſcilicet ne ad iniuſtum atque illicitum Propoſiti alicuius Epiſcopatum authoritatem ſuam commodet, cumque Sacerdote peccatore communicet, vt facinoroſis coniunctus, eodem facinore & ipſe conſtringatur. Cæterum quantum rigoris adhibet in cenſura deifica, tantum diligentiæ in ſolicitudine Apoſtolica, ad præficiendos Epiſcopos & Paſtores Eccleſijs vel olim, vel recens inſtitutis: poſt quam & iure diuino, & inueterata authoritate, ad Pontificem Romanum pertineat, omnes oues & agnos Chriſti paſcere, adeoque in partem ſolicitudinis alios aſſumere.

Creationes Epiſcoporũ per diuerſa loca à Romanis Pont. factæ.

Anaſt. Bibliothec. in epiſt.

Aſſumpſit Linus, qui Epiſcopos per diuerſa loca ordinauit 15. Clemens totidem, Anacletus 6. Euariſtus 5. Alexander totidem. Sixtus quotuor. Theleſphorus 12. Hyginus 6. Anicetus 6. Pius 12. Soter vno minus. Eleutherus 15. Victor 12. Zephyrinus 13. Calixtus 8. Vrbanus totidem. Anterus vnum: qui etiã Epiſcopis prouinciarum Bæticæ & Toletanæ reſcripſit; *De mutatione Epiſcoporum, vnde ſanctam Sedem conſulere voluiſtis, ſcitote eam communi vtilitate atque neceſſitate fieri licere, ſed non libitu cuiuſquam aut dominatione. Euſebius enim de quadam parua ciuitate, Apoſtolica authoritate mutatus eſt Alexandriam.*

De legitima Epiſcoporũ translatione.

Meminit eius reſcripti Nicephorus de legitima Epiſcoporum translatione agens. Poſtquam enim de eadem Cæleſtini verba laudaſſet; *Eadem*, inquit, *& Anterius collega Cæleſtini refert, ita ad verbum dicens: Translationem Epiſcoporum communis vtilitatis aut neceſſitatis gratia ſcitote fieri licere; non autem cuiuslibet cupiditate aut, dominationis affectione. Siquidem Petrus Doctor & dux noſter, Eccleſiaſticæ vtilitatis cauſa, ex Antiochia Romam translatus eſt, vt qui iſtic magis prodeſſe Eccleſiæ poſſet. Euſebius autem ex oppido quodam paruo, Apoſtolica authoritate Alexandriam eſt traductus. Atque eodem modo Felix ex ciuitate, qua ei ciuium ſuffragatione obtigerat, propter eam qua præditus erat egregiam doctrinam & vitam, de communi Epiſcoporum, reliquorumque Sacerdotum, atque Apoſtolorum conſilio, Epheſum tranſiit. Non ciuitatem ciuitate mutat, qui id non cupiditate ſua, aut vana gloria ſtudio facit: verum propter vtilitatem aliquam, aut neceſſitatem, aliorum authoritate maiore pollentium cohortatione & conſilio, ex minore in maiorem vrbem tranſit: non inani gloria, aut voluntate ipſe ſua ductus, ſed authoritati potentiorum obſecutus, aut Sede ſua expulſus, aut etiam vtilitate loci vel populi permotus: & quidem non arroganter, ſed humiliter ab alijs productus.* Scilicet, Apoſtolicæ anthothoritatis fuerat, quemadmodum Epiſcopos Eccleſijs præficere, ita etiam prefectos ad alias transferre: quod Cæleſtinus Epiſcopus, Cyrillum Alexandriæ, Ioannem Antiochiæ, & Ruſſum Theſſalonicæ Epiſcopum, edocuit; cuius decreti vigore, Proclus deſignatus Epiſcopus Cyzici Sedem Conſtantinopolitanam obtinuit, & Perigenes Eccleſiæ Patrenſis deſignatus Epiſcopus, Epiſcopo Corinthij metropolis iam mortuo, in ſede Epiſcopali, iubente Epiſcopo Romano ſucceſſit, atque reliquo vitæ ſpatio præfuit: quum illum populus Patrenſis repudiaſſet, vt Socrates memorabat.

De diuerſis creationib. Epiſcoporũ per Roman. Pont.

lib. 7. cap. 35 39. 40.

Quoad creationem Epiſcoporum attinet, poſt Anterum, S. Pontianus creauit varijs in Eccleſijs, numero 9. Fabianus 11. Cornelius 7. Lucius totidem, Stephanus 3. Sixtus duos, Dionyſius quod & parochias, & diœceſes diuiſit, ſeptem, Felix 5. Eutychianus 9. Caius, qui, ſi quis Epiſcopus eſſe mereretur, vt primo eſſet Oſtiarius, Lector, Exorciſta, ſequens, ſubdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Epiſcopus, conſtituit, numero quinque. Marcellinus totidem, Marcellus 21. Euſebius 14. Melchiades 12. Sylueſter 36. Marcus 27. qui etiam Oſtienſi Epiſcopo, Romanum Pontificem conſecranti, eo tempore quo Conſecratoris officio defungitur, vſum pallij, ſeu phrygij conceſſit.

De vſu, & conceſſione Pallij.

lib. 1. ep. 136.

Geſtabant, olim Summi Pontifices, quod Iſidorus Peluſiota Herminio ſcribit, amiculum non ex lino ſed ex lana contextum, quod ouis illius, quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem & figuram deſignabat. Summus enim Epiſcopus, qui Chriſti typum gerit ipſius munere fungitur, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendebat, ſe Boni illius ac Magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit. Huius officij vt inter ſacrificandum quoque moneretur, etiam in calicibus, imago Paſtoris, ouem humeris ferentis pingebatur. Vnde Tertullianus occaſionem arripuit, & Pontifici Romano inſultauit: Procedant, dicens, picturæ ipſæ calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, vtrumne Chriſtiano, an Ethnico peccatori de reſtitutione colliniet, & an patrocinabitur Paſtor, quem in calice depingitis. A parabolis enim licebit incipias, vbi eſt ouis perdita à Domino requiſita, & humeris eius reuecta. Ouis humero reuectæ ſymbolum, iſtud phrygionum opere crucibus contextum amiculum geſtabant; quod pallium, quia indumento illi quod pallij preſeferebant imaginem, nos Planetam, ſeu Caſulam appellamus, in ſacris miniſterijs adhæreret, vocabant: & nonniſi Summi Pontifices illud ferebant: quemadmodum etiam in ſacris indumentis Hebræorum, Summi Sacerdotis ſuper humerale inſigne, nullus alius aut Sacerdotum, aut Pontificum induebat. Indulgentia Summorum Romanæ Eccleſiæ Pontificum, Patriarchalium, Metropolitanarum, & ſingularium aliquarum Eccleſiarum Paſtores, obtinuerunt, qui pallio quoque ſacrato, à Sede Apoſtolica miſſo amicirentur Theodorus Balſamon, & alij Græci teſtantur, Cæleſtinum Papam, Cyrillo Patriarchæ Alexandrino, cum ei vices ſuas pro Concilio Epheſino delegaſſet, pallium, ſeu phrygium crucibus intertextum miſiſſe, quod deinde per ſucceſſionem ad eos etiam peruenit, quibus forte Alexandrinæ Eccleſiæ thronus legitimè obueniſſet, ſacros Epiſcopos: vt teſtatur *Nicephorus*. Agapetus quoque, cum Mennam Conſtantinopolitanum Patriarcham, manu ſua Pontificem conſecraſſet, & prouincijs illi ſubiectis cum plenaria poteſtate præfeciſſet, phrygio laneo exornauit quod poſtea

lib 14. c. 34.

in vſum Patriarcharum à perpetuoſa miſſione ceſſit. Vigilio ſedente, cum à diuino iudicio, EutychiumMonachum, ſacri chriſmatis inunctione & manuum impoſitione, conſcerarum, in ſublimem Patriarchij thronum eleuaſſent, Clerici Conſtantinopolitani, *ouis errantis typum humeris ipſius impoſuerunt*. Ioannes poſtea XI. Teophylacto Patriarchæ Conſtantinopolitano, quem ipſe conſecrauerat, omnibuſque eius ſucceſſoribus, perpetuum vſum pallij conceſſit: cum alias, ſinguli Patriarchæ, non minus quam alij in vicem Pontificij ſuccedentes à Pontificibus Romanis illud poſtularent.

Falſum Rauennat. Archiepiſ. ius pallij ab Imper. accepiſſe.

lib. 2. ep. 54. & 5 ep. 8.

Falſus Hieronymus Rubeus, qui & ab Imperatore, non à Pontifice, & perpetuum, non aduitalitium, Rauennatibus Epiſcopis illud eſſe, ex vitiato à ſchiſmaticis priuilegio comminiſcitur: cum ipſi Rauennates Epiſcopi Magno Gregorio confiteantur, tum pallium, tum alia priuilegia ab Apoſtolica Sede accepiſſe; tum toties, quoties alius ſuccederet, illud à Romano Pontifice petijſſe: quemadmodum Maximianus, in locum alterius Ioannis ſubrogatus, ab eodem Gregorio poſtulauit. Sanè idem Gregorius, cur Syagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi, pallium non miſerit, apud Brunichildem Reginam Francorum, quod non eſſet ab eo enixè petitum excuſauit: *cum*, inquit, *priſca conſuetudo obtinuiſſet, vt honor pallij, niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulātibus dari non deberet*. Idem porro Gregorius Magnus, cum alijs in rebus authoritatem ſuper Epiſcopis præficiendis, Eccleſijſque vel erigendis, vel vniendis, exercuiſſet: & quidem 1. Eumanum Epiſcopum, vt ſolemniter electus, ad nos, inquit, ſacrandus occurrat, vocaſſet. 2. Cumanam atque Muſitanam Eccleſias, necnon Eccleſiam Sancti Anathemij Numentano Epiſcopo adiunxiſſet. 3. Neapolitanos, vt eligant Epiſcopum qui Romæ ordinaretur, monuiſſet. 4. Ioannem ſubdiaconum, vt electum Mediolanenſem, ſecundum mortem prædeceſſoris eius, à proprijs Epiſcopis, cum noſtræ, ait authoritatis aſſenſu faciat Epiſcopum conſecrari, miſiſſet. 5. Carinenſem Epiſcopatum Regitano vniuiſſet. 6. Leoni Epiſcopo in Corſica, Diaconos, & Presbyteros in Eccleſia Sagonenſi licentiam ordinandi conceſſiſſet. 7. Ioanni Defenſori in Hiſpaniam eunti, in male ibidem promotos & promouentes, poteſtatem animaduertendi feciſſet. 8. Auguſtinum Anglis Epiſcopum præpoſuiſſet: quantum ad pallij priuilegium attinet, eidem Auguſtino Angelorum Epiſcopo ſcripſit. 9. *Per loca ſingula duodecim Epiſcopos ordines, quatenus Londinenſis Epiſcopus ciuitatis, honoris pallium ab hac Apoſtolica Sede percipiat: Eboracenſis quoque Epiſcopus, duodecim Epiſcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur. Sed tua Fraternitas, omnes Britanniæ Sacerdotes habeat ſubiectos*. 10. Ioanni Epiſcopo primæ Iuſtinianæ, pallium ex more tranſmiſit, & vices illum Sedis Apoſtolicæ, iterara innouatione decreuit. 11. Corinthiorum Epiſcopo, ſicut prædeceſſores noſtri, inquit, prędeceſſoribus veſtris, idem pallium conceſſit, & Epiſcopos per Hellada eidem parere iuſſit. 12. Anaſtaſio Patriarchæ Antiocheno, eundem honorem pallij obtulit, & 12. in Concilio Romano, ne quicquam, à quocquam, pro vſu pallij numeraretur, ſed tantum obedientia Romano Summo Antiſtiti promitteretur, decreuit: quod etiam Leo ſecundus, confirmauit. Sanctus Boniſacius Germaniæ Apoſtolus ad Liptinas Concilio congregato, decreuerat, vt pro tribus Metropolitanis Germaniæ Epiſcopis, à Romano Pontifice pallia peterentur. Bruno Archiepiſcopus Colonienſis, Ottonis Regis frater, illud ab Agapeto ſecundo impetrauit. Poloniæ Archiepiſcopo, Paſchalis ſecundus, ſub conditione iureiurandi præſtandi illud miſit. Eam conditionem, cum ille quaſi duriuſculam reputaret, Paſchalis ei ſcripſit.

lib. 12. ep. 15.

Pallia à Greg. Mag. diuerſis miſſa.

lib. 4. ep. 44.

anno 684.

Hiſt Ecc. an. 1102. Paſchalis II ad Polon. Archiepiſcopum epiſtola dum conditione iureiurandi in acceptione pallij duriuſculam reputaret.

, Significaſti, frater chariſſime, Regem,
, & Regni maiores admiratione per motos,
, quod pallium tibi ab Apocriſarijs noſtris tali
, conditione oblatum fuerit, ſi Sacramentum,
, quod à nobis ſcriptum detulerant, iurares.
, In pallio, frater, plenitudo conceditur Pon-
, tificalis officij; quia iuxta Sedis Apoſtolicæ,
, & totius Eccleſiæ conſuetudinem, ante acce-
, ptum pallium, Metropolitanis minimè licet,
, aut Epiſcopos conſecrare, aut Synodum ce-
, lebrare. Mirentur, & in hac cauſa, & Do-
, minum Ieſum Chriſtum. Cum enim Domi-
, nus Ieſus Chriſtus, vt omnium ouium ſuarum
, curam Simoni Petro committeret, conditio-
, nem poſuit dicens; Diligis me Simon Petre?
, paſce oues meas: ſi conſcientiarum factor, &
, conditor conditione hac vſus eſt, nec ſemel
, tantum, ſed & ſecundo, & vſque ad contri-
, ſtationem: qua nos ſollicitudine, qua pro-
, niſione oportet, tantam Eccleſiæ prælatio-
, nem, tantam Chriſti ouium curam fratribus
, imponere, quorum conſcientias non vide-
, mus, illis maximè, quos nullo vſu nouimus,
, quorum dilectionem penitus ignoramus?
, Aiunt, omne iuſiurandum, à Chriſto Deo, in
, Euangelio eſſe prohibitum, nec ab ipſis Apo-
, ſtolis poſt Dominum, nec In Concilijs inue-
, niri poſſe ſtatutum. Quid eſt ergo, quod
, idem Dominus ſubſecutus ait? Quod amplius
, eſt, à malo eſt? Hoc enim amplius vt exiga-
, mus, malum nos, illo permittente compellit:
, Nonne malum eſt, ab Eccleſię vnitate: à Se-
, dis Apoſtolicæ obedientia reſilire? Nonne
, malnm eſt, contra Sacrorum Canonum ſta-
, tuta prorumpere? Quam multi hoc etiam
, poſt Sacramentum præſumpſerunt? Nonne
, prædeceſſor tuus præter Romani Pontificis
, conſcientiam damnauit Epiſcopum? Quibus
, hoc Canonibus, quibus Concilijs hoc legitur
, permiſſum? Quid ſuper Epiſcoporum tranſ-
, lationibus loquar, quæ apud vos non aucto-
, ritate Apoſtolica, ſed nutu Regis præſumun-
, tur? Propter hæc mala, & alia euitanda, hu-
, iuſmodi iuramentum exigitur. Cur autem
, iuramentum Dominus prohibuerit, Apoſto-
, lus Iacobus manifeſte adijciens docet; vt non
, ſub iudicium incidatis: ne quiſque (ſicut San-
, ctus Auguſtinus exponit) aſſiduitate iurandi
, ad periurium per conſuetudinem delabatur.
, Quapropter iuratione quis non vtatur, niſi
, neceſſitate, cum viderit pigros eſſe homines
, ad credendum, quod vtile eſt eis credere, niſi
, iuratione firmetur. Hoc nimirum malo ac
, neceſſitate compellimur, iuramentum pro fi-
, de, pro obedientia, pro vnitate requirere.

, Porro Apoſtolum Paulum pro audito-
, rum diffidentia iuraſſe, eius epiſtolæ teſtan-
, tur. Aiunt, in Concilijs ſtatutum non inue-
niri!

, niri ! Quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Conci-
, lia vlla, præfixerint ; cum omnia Concilia
, per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem, & facta
, ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatu-
, tis Romana patenter excipiatur auctoritas.
, Nonne in Concilij Chalcedonenſis Actione
, decima ſexta ſtatutum eſt: Ante omnia qui-
, dem Primatus honorem præcipuum, ſecun-
, dum canones, antiquæ Romæ Reuerendiſſi-
, mo Archiepiſcopo conſeruari? Itaque, quod
, cenſuerunt Rex, & Magnates, à ſupradicta
, Sacramenti conditione te quieſcere, videtur
, vobis indicium Euangelicum? Videturne
, primatus noſtri honor præcipuus? Nunquid
, animo cecidit illa ſententia Domini. Non
, eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum? Nunquid
, Hungarico Principi dictum eſt, & tu conuer-
, ſus confirma fratres tuos? Numquid hæc nos
, commodi noſtri profectione requirimus? &
, non vnitatis Catholicæ ſtatuimus firmamen-
, tum? Poſſunt Apoſtolicam Sedem contemne-
, re: poſſunt aduerſum nos calcaneum eleuare
, datum à Deo priuilegium euertere, vel aufer-
, re non poſſunt, quo Petro dictum eſt: Tu es
, Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Ec-
, cleſiam meam: & Tibi dabo Claues Regni
, cælorum. Quibus tamen quattuor Conciliorũ
, decretis, dandi pallij modus præſcriptus eſt,
, & profeſsionis vel obediẽtiæ ordo ſancitus eſt.

, Cum igitur à Sede Apoſtolica, ve-
, ſtræ inſignia dignitatis, exigitis, quæ à
, Beati tantum Petri corpore aſſumuntur: iu-
, ſtum eſt, vt vos quoque Sedi Apoſtolicæ ſub-
, iectionis debitæ ſigna ſoluatis, quæ vos cum
, Beato Petro tamquam membra de membro
, hærere, & Catholici capitis vnitatem ſeruare
, declarent. In quibus à prædeceſſoribus no-
, ſtris ea eſt adhibita moderatio, vt nihil iniu-
, rioſum, nihil difficilè ſit appoſitum, quod
, non etiam præter exactionem noſtram ab om
, nibus debeat Epiſcopis obſeruari, qui ſub
, Apoſtolorum Principum Petri, & Pauli obe-
, dientia decreuerunt, & vnitate perſiſtere.
, Numquid non vltrà vos, Saxones, Danique
, conſiſtunt. Et tamen eorum Metropolitani,
, & idem iuramentum aſſerunt, & Legatos A-
, poſtolicæ Sedis honorificè tractant, & in ſuis
, neceſsitatibus adiuuant, & Apoſtolorum
, Limina per Legatos ſuos non tantum per tri-
, ennium, ſed annis ſingulis viſitant. Ita te,
, frater chariſsimè, fruamur in Domino, vt
, non per te in Eccleſijs, ſubtractionis, & diſ-
, ſidij, quod abſit, oriatur occaſio. *Hæc Pa-*
, *ſchalis, Polonorum Archiepiſcopo ſcribebat,*
, *Alexander III. formulam, ſecundum quam tra-*
, *derentur pallia, exprimebat, quæ eſt his ver-*
, *bis concepta.*

Alexan. III formula ſecundum quã Pallia tradere tur.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen, & in honorem Dei Genitricis, & in honorem Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini Alexandri Papæ, trado tibi pallium, ſumptum de Beatiſſimo corpore Petri Apoſtoli, vt eo vtaris in confectione Sacramentorum, & præcipuè Corporis, & ſanguinis Domini, & conſecratione Eccleſiarum, & Chriſmatis, & ordinatione Clericorum, & celebratione Synodorum, ſecundum Eccleſiæ tuæ conſuetudinem. Innocentius III. Archiepiſcopis Trimonitano, & Beletodienſi, cum pallia miſiſſet, ex eadem formula tradidit: cum ex præſcripto adiuncto iuraſſent.

, Ego Archiepiſcopus Trimonitanus,
, Primas totius Bulgariæ, & Blachiæ, ab hac
, hora in antea, ero fidelis, & obediens Beato
, Petro Sanctæque Romanæ, & Apoſtolicæ Se-
, di, & Domino meo Innocentio, eiuſque Ca-
, tholicis ſucceſſoribus. Non ero in facto, con-
, ſilio, vel conſenſu, vt perdant vitam, aut
, membrum, vel capiantur, aut ſpolientur.
, Conſilium quod mihi crediderint, ad eorum
, damnum, me ſciente, nemini pandam. Eo-
, rum certum malum, ſi ſciuero, impedire ſtu-
, debo: quod ſi non potero impedire, eis quam
, cito potero, nunciare curabo. Papatum
, Romanum, honores, dignitates, & rationes
, Apoſtolicæ Sedis defendam pro poſſe, ſaluo
, ordine meo, contra omnem viuentem. Vo-
, catus ad Synodum veniam, niſi præpeditio-
, ne Canonica fuerim impeditus. Apoſtolo-
, rum Limina ſingulis quadriennijs per me, vel
, per nuncium meum viſitabo, niſi eorum ab-
, ſoluar licentia. Legatum Apoſtolicæ Sedis,
, quem pro certo ſciuero eſſe Legatum, deuotè
, ſuſcipiam, & in ſuis neceſsitatibus adiuuabo.
, Cum quemlibet de meis ſuffraganeis in Epi-
, ſcopum conſecrauero, faciam illum iurare,
, vt Romano Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ
, perpetuam obedientiam, & debitum hono-
, rem impendat. Cæterum cum aliquem co-
, ronauero in Regem Bulgarorum, & Blacho-
, rum, iuxta indulgentiam mihi, & ſucceſſo-
, ribus meis ab Apoſtolica Sede conceſſam, ab
, eo iuratoriam recipiam cautionem, quod ei
, qui tunc Apoſtolicæ Sedi præfuerit, Succeſſo-
, ribus, & Eccleſiæ Romanæ deuotus, & obe-
, diens permanebit, & cunctas terras, & gen-
, tes ſuo ſubiectas Imperio in obedientia, &
, deuotione Sedis Apoſtolicæ confirmabit. Hęc
, omnia bona fide ſeruabo: Sic Deus me ad-
, iuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia in præ-
, ſenti, & futuro.

Iuramentũ Archiepiſcopi Trimõtani dum Pallium ab Innoc. III. reciperet. *anno 1204.*

Ferè ex eadem formula, PALO QVINTO inprimis Bernardus Macieiouius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & poſt eum Albertus Baranouius, ac eo defuncto, Laurentius Gebicius, Regni Poloniæ amplissimi Senatores, ad Archiepiſcopalem, Primatialemque dignitatem, poſtulante Sigiſmundo III. Poloniæ, & Sueciæ Rege, ab eodem PAVLO QVINTO, ob ingentia merita tranſlati, iureiurando ſeſe aſtrinxerunt, cum eis is ipſe PAVLVS QVINTVS pallium miſiſſet. Aliquantum variauit, cum Beneuentano, Theatino, Barenſi, Salernitano, Senonenſi, Sancti Dominici, Ciuitatis Regum, Piſano, Tarantaſienſi, Naxiuanenſi in Armenia minore, Argamedenſi in Indijs, Sancti Fidei indidem, Hiſpalenſi, Eborenſi, Granatenſi, Dublinenſi, & Patriarchæ Maronitarum, nec non innumerabilibus alijs vbique terrarum Archiepiſcopis, idem Phrygium concederet, his XIII. ſuperioribus, quibus Summa vigilantia incubuit, immaculatos, integerrimoſque viros, Eccleſijs præficere. Sed hæc de pallio.

Idem fere tres executiue Polon. Archiepiſc. præſtiterũt cum Palliũ à Paulo V. acciperent.

Quod ad creationem Epiſcoporum attinet, vt ad ſuperiores Pontifices Romanos regrediar, creauit Iulius Pp. Epiſcopos diuerſis in locis, n. 9. Liberius 19. Felix totidẽ. Damaſus 62. Siricius 32. Anaſtaſius 10. Innocentius 54. Zoſimus 8. Bonifacius 36. Cæleſtinus 46. Ad hunc Epiſcopi, qui ex more interfuerant electioni Patriarchæ Conſtantinopolitani Neſtorij,

Cõtinuatio enumerationis Epiſcop. à diuerſis Rom. Pont. creatorum.

rij, primum vt videbatur Orthodoxi, ſcripſerunt, vitam eius, & doctrinam multum prædicantes: perpetuo argumento teſtatum facientes, neminem in Eccleſia Catholica Epiſcopum fore, niſi ab anthoritate à Romano Pontifice derinata. Inter Epiſcopos quos Cæleſtinus Papa ſacrauit, Palladius numeratur, quem is ad Scotos miſit: cui morte præuento, Sanctum Patricium ſuffecit, qui Scotos illos, qui adhuc Gentilitio ritu viuebant, redderet Chriſtianos, omneſque ſub vno Paſtore, in vnum ouile colligeret. Numeratur, & Maximianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus: quē Cyrillus Alexandrinus Cęleſtini Vices gerens, auctoritate illius cura Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſuſcepta, Neſtorio propter hæreſim abrogato, ſubrogauit: hic autem vna cum Clero Conſtantinopolitano, electionis ſuæ Pontificem admonuit, & profeſſione fidei Epheſinæ ad eum miſſa, communionem Eccleſiæ Orthodoxæ, adeoque Sacram quam vocant, poſtulauit. Maximiano breui defuncto, Imperatoris Theodoſij impulſu, ex diſpenſatione Romani Pontificis Sixti III. à Cyzicena Sede in Conſtantinopolitanam aſcendit, vt Socrates memorabat.

lib. 7. cap 39.

Creauit Sixtus, Epiſcopos in diuerſis Eccleſijs, 52. & ex his; ex Petri Apoſtoli reuelatione, Petrū. Chryſologū, cunctis approbantibus cōſecrauit. Sixtum excepit Leo Mag. qui 185. Epiſcopos ordinauit. Huius tempore, cum Arelatenſis Epiſcopus Hilarius, quamquam meritis in Eccleſia Dei illuſtris, illo inconſulto, indebitas ſibi ordinationes Epiſcoporum, ſola temeritate vſurpans, inuaſiſſet, & alios quidem incompetenter remouiſſet, alios inuitis, & repugnantibus Ciuibus ordinaſſet, Leo Romanus ad dicendam cauſam hominem Romam euocauit, & quæcumq; ille tentaſſet irritauit, eaque de re Epiſcopos Galliæ Viennenſis certiores fecit, oſtenditque non alium eſſe fontem Sacerdotij, quam Romanum Pontificem. *Huius enim muneris Sacramentum*, inquit, *ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in Beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omnium Summo principaliter collocaret, vt ab ipſa quaſi quodam Capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet: vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium indiuidua vnitatis aſſumptum id quod ipſe erat voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: vt æterni ædificatio templi, mirabili munere gratia Dei, in Petri ſoliditate conſiſteres: hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ inferi contra illam præualerent. Hanc petræ iſtius Sacratiſſimam firmitatem Deo ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptio violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere*: quemadmodum Hilarius, ius ordinationis in aliena prouincia ſibi vſurpans, tentauerat infringere.

anno 445.
Quid Leo Mag. ad Epiſc. Galliæ quod Hilarius Arelat. ius ordinationis Epiſcoporum indebite vſurpaſſet.

ep. 89.

Imperator Valentinianus pro hac in omnes Eccleſias Romani Pontificis auctoritate reſcripſit: *Cum Sedis Apoſtolica Primatum, S. Petri meritum, qui Princeps eſt Epiſcopalis coronæ & Romanæ dignitas Ciuitatis, Sacra etiam Synodi firmauit auctoritas, ne quid præter auctoritatem Sedis iſtius inlicitum præſumptio attentare nitatur, nam tunc demum Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur* — *tur, nene leuis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui Religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus; ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum prouinciarum, contra conſuetudinem veterem liceat, ſine viri Venerabilis Papæ Vrbis æternæ auctoritate tentare: ſed illis, omnibuſque pro lege ſit, quicquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas. Tunc enim demum Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi Rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas.* Eandem Sacerdotij in omnes propagandi auctoritatem, in Romano Pontifice ſuſpexit Galla Placidia. Namque Theodoſio ſcripſit: *In Apoſtolica Sede, primus ille qui cæleſtes Claues dignus fuit accipere, Principatum Epiſcopatus ordinauit.* Suſpexit, & Sanctus Patricius Hybernorum Apoſtolus, & Proſper Aquitanicus. Hic quidem cum ſcripſit; *Roma per Apoſtolici Sacerdotij Principatum, amplior facta eſt arce Religionis, quam ſolio poteſtatis*: ille autem, vt Beda narrabat, *cum à Domino miſſus, vt Euangelium eius in Hibernia prædicaret, ita precaretur: Perduc me obſecro Domine, ad Sedem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, vt accepta inde authoritate prædicandi cum fiducia verbum tuum, fiant Chriſtiani per me populi Hibernorum. Nec multo poſt vir Domini Patricius venit ad caput (vt poſtularat) omnium Eccleſiarum Romam. Ibique benedictione Apoſtolica petita, & accepta, dum reuerteretur, ab Amatore Archipræſule Epiſcopali gradu ſublimatus, in Hibernia magno cum fructu Euangelium Chriſti prædicauit.* Scilicet à Fonte Sacerdotij munus Epiſcopatus, & Apoſtolatus accepit. Cuius rei conſcius Leo Papa.

Reſcriptum Valentiniā. Imp. pro auctoritate Sed. Apoſt.

lib. 1. de vocat. Gēt. c. 16.

lib 1. vita S. Patricij.

1. Epiſcopis Siciliæ in mentem reuocauit, quod illis Beati Petri Apoſtoli Sedes, eſſet mater Sacerdotalis dignitatis, vnde conſecrationis honorem accepiſſet. 2. Dioſcoro Epiſcopo Alexandrino ſcripſit, quod Apoſtolicum Principatum Petrus à Domino acceperit, & Romana Eccleſia in eius permaneat inſtitutis. 3. Anatolij Conſtantinopolitani Epiſcopi, qui, vt Patriarchæ Alexandrino, & Antiocheno præferretur, & poſt Pontificem Romanum primas in Eccleſia haberet, à Patribus Chalcedonenſibus obtinuerat, audaciam fregit, Martianoque Imperatori pro illo poſtulanti reſcripſit: *Multum Anatolius Epiſcopus proprio detrahit merito, ſi illicito creſcere aptat augmento. Habeat, ſicut optamus, Conſtantinopolitana Ciuitas gloriam ſuam, ac protegente dextera Dei, diuturno Clementia veſtra fruatur Imperio. Alia tamen eſt ratio rerum ſecularium, alia diuinarum: nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit vlla conſtructio. Propria perdit, qui indebita concupiſcit. Satis ſit prædicto, quod veſtra pietatis auxilio, & MEI FAVORIS ASSENSV, Epiſcopatum tantæ Vrbis obtinuit. Non dedignetur Regiam Ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere Sedem.* Hæc Leo Pontifex, Martiano Imperatori, cum ſcripſiſſet, Iuliano quoque Epiſcopo ſignificauit: *Chriſtianiſſimus Princeps ad nos epiſtolam dedit, interueniens pro Anatolio Epiſcopo, vt noſtri animi gratia illi præbeatur; quoniam correctionem eius promittit, & in omnibus ſe ſatisfacturum eſſe, quæ ad fidei obſeruantiam pertinent, pollicetur.*

epiſt. 4.
Leo I Strenuus Iuris Rom Pont. in omnes Epiſcopos vindex.

epiſt. 52.

epiſt. 65.

Non auſus eſt Imperator, Anatolium alijs Patriarchis præferre; quod ſciret ius in omnes Epiſcopos, Romano Pontifici eſſe: vt

ille

ille ſolus poſſit conſecrare, euehere, antepo-
nere, ac denique omnia facere, quæ ad hierar-
chicum ordinem pertinerent. Contra eum or-
dinem, quod nonnihil Epiſcopi Mauritaniæ
admiſiſſent, Leo illos admonuit, & quid
apud eos efficere cuperet, ſignificauit: *Cum*
epiſt. 85. *de orationibus Sacerdotum, quadam apud vos il-*
licite vſurpata crebior ad nos commeantium ſermo
perferret; ratio pietatis exigit, vt pro ſollicitu-
dine quam vniuerſa Eccleſia ex diuina inſtitutio-
ne impendimus, rerum fidem ſtuderemus agnoſce-
re, Vicem curæ proficiſcenti à nobis fratri, &
conſacerdoti noſtro Potentio iniungentes, qui ſe-
cundum ſcripta quæ per ipſum ad vos direximus,
de Epiſcopis, quorum culpabilis ferebatur electio,
quid veritas haberet, inquireret, nobiſque omnia
Poſt miſſam fidei Orthodox profeſſionem Protherius in Sede Alexā. cōprobatur. *fideliter indicaret. Donatum Salicinenſem ex No-*
uatiano cum ſua (vt comperimus) plebe conuer-
ſum, ita Dominico volumus gregi præſidere, vt
libellum fidei ſuæ ad nos meminerit dirigendum.

Præter hæc Leo Papa, Dioſcorum Pa-
triarcharum Alexandrinum gradu mouit; &
epiſt. 68. Protherium illi ſuffectum in Sede Alexandrina
comprobauit: poſtquam is ex more Eccleſia-
epiſt. 62. ſtico, litteras profeſſionem fidei Orthodoxæ
continentes ad Sedem Apoſtolicum miſiſſet,
& Catholicam communionem ab eo poſtulaſ-
ſet. Maximi quoque Antiocheni Patriarchæ
aſſumptionem ratam habuit, & rogationi il-
lius fauens, contra Anatolij temeritatem ſur-
rexit. Protherio à fautoribus Dioſcori occi-
ſo, cum eorumdem fraudibus, Timotheus co-
gnomento Ælurus fuiſſet electus, Leo Papa
eam electionem improbauit, & prouocatio-
ep. 73. 75. 76. nem ad Concilium grauiſſimis rationibus
Æluri electio improbata. confutauit, dicens, non eſſe indulgendum
hæreticis, vt ad eorum arbitrium, auctori-
tates, quas Vniuerſalis ſemel amplexa eſſet
Eccleſia infringerentur, eas iterum tractan-
das proponendo. Sic enim nullum fore colli-
gendis Epiſcopis modum; idque magis eſſe
dilatare, quam ſopire certamina. Tunc de-
mum, cum Leo Timothei electionem impro-
baſſet, omnes quoque Metropolitani Orien-
talium Eccleſiarum illam damnauerunt; quo-
rum ea de re extant XXXVI. Epiſtolæ, ad Im-
peratorem Marcianum,

Æluro in exilium relegato, cum Timotheus
Solofaciolus Protherio Mart. ſuccedens, more
ep. 101. 102. 103. maiorū de ſua ordinatione, vna cum Catholicę
fidei profeſſione litteras Leoni ſcripſiſſet, Leo
aſſumptionem eius probauit, communionem
Catholicā admiſit. Leoni ſuccedens S. Hilarius,
creauit Epiſcopos numero 22. S. Simplicius
ſex, & triginta: inter quos Stephanum Iunio-
rem, Stephani Martyris ſucceſſorem, Zeno-
ne Imperatore intercedente, Antiochenis de-
dit Patriarcham. Petrus Fullo, factione Eu-
tychianorum huic ſedi intruſus, Stephanum
ſeniorem legitimum Patriarcham Orthodo-
xum occidi curauerat. Calamis ad ſimilitu-
dinem haſtarum præacutis confecerunt, &
corpus eius in Orontem amnem proiecerunt.
Cæſo ſactiſſimo Antiſtite, Petrus Fullo An-
tiochiæ degebat, reclamante licet à longe
Qua conditione Zenonis Imp. factum à Simplicio Pp. ratum habitum. Simplicio, atque poſtulante, vt peſtilens ho-
mo quam longiſſime deportaretur.

Zeno Imperator in parricidas vindicis
peractis, ne qua perturbatio in electione An-
tiſtitis fieret, Conſtantinopoli eligendum Ste-
phano ſucceſſorem curauit. Ea electio, quod
eſſet aduerſus regulas Niceni Concilij, quibus
Antiochenus Epiſcopus à Comprouincialibus
Epiſcopis eligi ſoleret, Zeno Simplicium, pro *epiſt. 13.*
confirmatione interpellauit. Simplicius por-
ro, eam ratam habuit, ſed ea conditione,
quam Imperator iureiurando expreſſiſſet; ni-
mirum haud ſe aliter iſta peregiſſe, niſi ad ſe-
dandas præſentes ſeditiones: ac deinceps per-
mittere, vt in Vrbe Antiochena, veteri more
ſeruato, Epiſcopus Antiochenus à Compro-
uincialibus Epiſcopis ordinaretur.

Quod vt porro omnino fieret, neue quid
huiuſmodi poſt hac ab Epiſcopo Conſtanti-
nopolitano præſumeretur, Acacium Conſtan-
tinopolitanum Epiſcopum grauiter admonuit
Simplicius. Stephano Iuniore defuncto, cum *epiſt. 14.*
in eius locum, ibidem Antiochiæ, ſuffectus Acacius Conſt. Pat. ob Fullonē in Sede Antioch. à ſe intruſum excommunicatur.
fuiſſet Calendion vir ſanctiſſimus, & ex ſen-
tentia Synodi Anaſtaſium Epiſcopum, ad Sim-
plicium, qui eius electionem ratam haberet,
miſiſſet; Pontifex eandem comprobauit; &
ne quid turbatum in ea Eccleſia excitare ten-
taret, Acacius Conſtantinopolitanus, graui-
ter iuſtum admonuit: atque poſtea cum his
Calendionem contra voluntatem ſuam fa-
ctum, in exilium deportari curaſſet, iterum-
que Fullonem intruſiſſet, anathemate cum
percuſſit: maxime quod Alexandrinam quo-
que ſedem auſis nefarijs perturbaſſet. Mortuo
Timotheo Catholico Epiſcopo Alexandrino,
coeuntes Ægyptij Epiſcopi, Ioannem cogno-
mento Talaidam, fide Orthodoxa præſtan-
tem delegerant: atque ad Simplicium Lega-
tione ex Synodo miſſa cofirmationem electio-
nis poſtulauerant. Acacius grauiter eam rem
tulit, quod Ioannes electionis ſuæ illum non
admonuiſſet. Vnde homini aduerſatus, Ze-
nonem Imperatorem concitauit, qui Petrum
Mogum, ea ſede pulſum, hominem hæreti-
cum reſtitueret, & Talaidam eijceret.

Non eam indignitatem tulit Simplicius;
ſed probata electione Talaidæ, Acacium, vt Acacius indebitas Epiſcoporum ordinationes vſurpans ſede mouetur.
apud Imperatorem ageret, quo Magus à com-
municatione Eccleſiæ alienus, Sede Alexan-
drina pelleretur, hortatus eſt. Cumque is
necquicquam monita Pontificis curaret, quin
potius pro ſubrogandis ac promouendis hære-
ricis, apud Zenonem perpetuus eſſet; anathe- *e. 18. & 19.*
mate percuſſum, Sede mouit. Simplicij ſen-
tentiam, Felix tertius ſucceſſor probauit: apud
quem Flauitas, Acacio defuncto, in Sedem
Conſtantinopolitanam ſuffectus, ſupplex fuit,
qui electionem ratam haberet.

Enimuero non conſenſiſſe abſque autho-
ritate Romani Pontificis inthronizari, eam-
que litteris requiſiuiſſe, Liberatus eſt auctor:
qui etiam meminit, Euphemium, Flauitæ
ſucceſſorem, & nomen Felicis ab Acacio ex
ſacris Diptychis abolitum, in ſacras tabulas
retuliſſe, & ad eum Synodales, pro confirma-
tione, & communicatione Pontificia dediſſe:
neque tamen illam vel ab eo, vel à Gelaſio il-
lius ſucceſſore obtinuiſſe; quod is nomen
Acacij expungere recuſaret, adeoque ſuper
Alexandrinam, & Antiochenam Eccleſias
præferri ambiret.

Habuit Gelaſius neceſſe, ad reprimen-
dam Conſtatinopolitanorum Epiſcoporum Conc. Rom. ſub Gelaſio pro reprimenda Conſtant. Epiſco
arrogantiam, Concilium Patrum Romæ con-
gregare, atque Canonem vetuſtum, de ordi-
ne Sedium Patriarchalium, innouare, iſtis
ver-

porum arrogantia in quo ordo Sedium Patriarchal. innouatus.

verbis; *Poſt Propheticas, Euangelicas, atque Apoſtolicas Scripturas, quibus Eccleſia Catholica per gratiam Dei fundata eſt, illud etiam intimandum putamus, quod quamuis vniuerſæ per Orbem Catholicæ Eccleſiæ vnus thalamus Chriſti ſit; Sancta tamen Romana, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri Primatum obtinuit.* Tu es Petrus, *inquientis*, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo Claues Regni Cælorum, & quæcumque ligaueris ſupsr terram, erunt ligata, & in cælis: & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. *Cui data eſt etiam Societas Beatiſſimi Pauli Apoſtoli Vaſis electionis: qui non diuerſo (ſicut hæretici garriunt) ſed vno tempore, vno eodemque die, glorioſa morte cum Petro in Vrbe Roma ſub Cæſare Nerone agonizans coronatus eſt; & pariter ſupradictam Sanctam Romanam Eccleſiam Chriſto Domino conſecrarunt, talemque omnibus Vrbibus in vniuerſo mundo ſua præſentia atque venerando triumpho prætulerunt. Eſt ergo prima Petri Apoſtoli Sedes Romana Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid huiuſmodi. Secunda autem Sedes apud Alexandriam, Beati Petri nomine, à Marco eius diſcipulo, & Euangeliſta conſecrata eſt: ipſeque à Beato Petro Apoſtolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicauit, & glorioſum conſummauit martyrium. Tertia vero Sedes apud Antiochiam, eiuſdem Beatiſſimi Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis: eo quod illic, priuſquam Romam veniſſet habitauit, & illic primum nomen Chriſtianorum nouellæ gentis exortum eſt.*

Iſtis, Patres ſeptnaginta ſubſcripſere, occaſione Euphemij refractarij, quem Deus iuſto iudicio per Anaſtaſium Imperatorem hæreticum repreſſit; cum illum, falſo licet, accuſatum in exilium egiſſet; & Macedonium, virum pium ac religioſum Clerus Conſtantinopolitanus ſubſtituiſſet; qui & communicationem, & confirmationem Gelaſij Pontificis expetijt. Creauit Gelaſius Epiſcopos 67. Anaſtaſius 16. Symmachus 117. Hormiſda 55. inter quos S. Vedaſtum Attrebatenſem, Solennem Carnotenſem, S. Remigium Rhemenſem, qui in conuerſione Clodouei Regis Francorum plurimum laborauerunt: & Ioannem Cappadocem Conſtantinopolitanum: quod is quamquam præter voluntatem Imperatoris Anaſtaſij, Sedis Apoſtolicæ confirmationem petijſſet, & tanta dignitate ſe dignum fore iudicaſſet, neque amplius quicquam in Eccleſiam Antiochenam ſibi vindicare vellet, ſed noui Epiſcopi creationem, ex more recepto, fieri ſuſtinuiſſet, vel inuito Iuſtino Imperatore, qui poſt multas Catholicorum cum Eutychianis contentiones, Paulum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ presbyterum Orthodoxum, Epiſcopum ſua auctoritate fieri iubebat.

Epiſcopi à Gelaſ. & alijs Pontif. creati.

Obſtiterunt huic rei Hormiſdæ Legati, atque tandem effecerunt, ne Paulus Conſtantinopoli, (quod Acacius, vt ea ratione Eccleſiam Conſtantinopolitanam ſibi ſubiugaret, olim tentabat) ordinaretur, ſed Antiochiam, ſecundum antiquam conſuetudinem, & iuſſionem Hormiſdæ, ordinandus mitteretur. Ioanni, Epiphanius ſuccedens, eidem Hormiſdę

anno 519.

Synodica Miſſa, approbationem flagitauit: pro Ioanne Hieroſolymitano, & Aſterio Alexandrino, & poſt Paulum Euphraſio Antiocheno, Iuſtinus Imperator ſupplex fuit: quemadmodum, & Iuſtinianus, Agapethum, pro Anthimo orauit, ſed non exorauit. *Petentibus enim Principibus*, vt Liberatus narrat, *vt eum à Synodo Calcedonenſi abhorrentem, in communionem reciperet, recuſauit: niſi ſe libello probaret Orthodoxum, & Cathedrę Romanę reconciliaretur. Anthimus igitur pallio Imperatoribus reddito, diſceſſit: & Papa ex Imperatoris conſenſu, Menam, ſua manu conſecrauit Antiſtitem.*

ex epiſt. Hormiſd. cap. 21.

Eam Romani Pontificis, in creandis Epiſcopis ſciens authoritatem Iuſtinianus Imperator; inprimis pronunciauit; *Summi Pontificatus apicem apud Romam eſſe nemo eſt, qui dubitat.* Deinde edixit: *Sancimus, ſecundum quatuor Synodorum definitiones, Sanctiſſimum Senioris Romæ Papam, primum eſſe omnium Sacerdotum;* Adeoque, Sacerdotij fontanam originationem. Perſeueraſſet, vtinam, Iuſtinianus, in Anthimo ſemel eiecto, numquam reuocando. Namque Theodoræ vxoris Eutychianiſmo infectæ fallacijs ſeductus, non quidem ipſe auſus eſt, ſemel à Sede Apoſtolica damnatum, authoritate Imperatoria reuocare; ſed Syluerio, vt in ſedem Conſtantinopolitanam illum reuocaret, primo ſupplex eſſe; deinde cùm is recuſaret, multis calamitatibus illatis, ad reuocationem illius compellere. Aimonus rerum Gallicarum ſcriptor, narrabat. *Auguſtæ petenti à Silucrio, vt reuocaret Anthimum in Sedem Conſtantinopolitam; Siluerius reſcripſit: Auguſta Domina, rem hanc nunquam faciam, vt reuocem hominem in damnata perfidia permanentem. Auguſta igitur Beliſario præcepit, vt Siluerium in exilium ageret*, Liberatus addit: *Cùm Siluerius Papa ob veræ fidei conſtantiam à Iuſtiniano rogaretur ad Pataram Lyciæ exulare, Venerabilis Epiſcopus Pataræ venit ad Imperatorem, & iudicium Dei conteſtatus eſt, de tanta Sedis Epiſcopi expulſione; Multos eſſe, dicens, in hoc mundo Reges, & non eſſe vnum ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius, à Sede ſua expulſus. Quem audiens Imperator, reuocari Romam Siluerium iuſſit.* Fere id temporis accidit iſtud, quod Metaphraſtes narrabat; Theodoro Epiſcopo Agrigenti, quod Oppidum eſt in Sicilia, vita functo, alij, (vt fit,) alium in Sede collocare ſtudebant. Cumque vnuſquiſque deſignatum à ſe auctoritate Pontificis firmari, ratumque fieri vellet, Romam ire perrexerunt, rem (vt moris eſt) Pontificis maximi arbitrio permiſſuri. Pontifex verò ex diuina reuelatione Gregorium, qui fuerat à nullo nominatus, Agrigentinis præfecit, eumdemque apud eum poſtea falſi criminis accuſatum abſoluit. Poſt Hormiſdam ſuccedens S. Ioannes creauit Epiſcopos per diuerſa loca, numero 15. Felix 29. cui Bonifacius ſuffectus, orantibus Afris Epiſcopis, conſtituit, vt in ordinatione Epiſcoporum, & alijs cauſis, cum conſilio Sedis Apoſtolicæ omnia Carthaginenſis Epiſcopus faceret. Huic ſubrogatus Ioannes Secundus creauit Epiſcopos 21. Agapetus 11. Siluerius 19. Vigilius 81. Pelagius 49. Ioannes Tertius. 61. inter quos Sanctum Martinum, Bracarenſi Eccleſiæ Metropolitanum præpoſuit, & Anaſtaſium Sinaitam Antiochenæ Sedi impoſuit. Quo tempore.

Sanctio Iuſtinian. Imp. de authoritate Rom. Pont. in Epiſcopis creandis.

in authent. coll. 2. cap. 4. & Conc. 131.

lib. 2. cap. 17.

Siluerij Pp. conſtantia.

c. 22. in Breuiario.

In vita Gregory Agrigentini 23. Nouembr.

Anaſtaſ. in Bonif. 2.

pore, Venetiarum, Iſtriæ, atque Liguriæ Epiſcopi, cùm propter tria Capitula à Romana Eccleſia deſciuiſſent. Paulinum Aquileienſem ſibi loco Romani Pontificis ſupremum Antiſtitem conſtituerunt, & Patriarcham nuncupauerunt: quem titulum poſtea, bono pacis Eccleſiæ, ad quam illi reuerterant, Pontifices Romani illis permiſerunt, ſeu conceſſerunt. Ioanne Tertio defuncto, Benedictus ad Apoſtolicam Sedem euectus, creauit Epiſcopos 21. Pelagius Secundus 48. & inter eos, Rupertum ex Vangionenſi, primum Salisburgenſem, Baioariorum Apoſtolum, qui eam Eccleſiam non ſine præuijs cœleſtibus ſignis condidit, atque Diuo Petro Apoſtolorum Principi, quo populum Apoſtolicæ Sedi obſequentem faceret, conſecrauit. Gregorius Magnus, numero 62. Sabinianus 25. Bonifacius 21. Bonifacius Quartus 25. Deusdedir 29. Bonifacius V. totidem. Honorius 81. qui etiam Eduino Regi Anglorum, apud Bedam, iſta ſcripſit; *Ea, quæ à nobis pro veſtris Sacerdotibus ordinanda ſperaſtis, ſine vlla dilatione tribuimus, & duo pallia Metropolitanorum Honorio, & Paulino direximus, vt dum quis eorum ad auctorem ſuum fuerit accerſitus, alter in loco ipſius alterum Epiſcopum ex hac noſtra auctoritate ſurroget.* Oſuui quoque Rex Saxonum, & Egbertus Cantuariorum Rex, intelligentes veraciter, *quia Romana eſſet Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, Vvigardum Romam* ad Vitalianum Papam *miſerunt, vt accepto gradu Archiepiſcopatus, Catholicis Anglorum Eccleſijs per omnem Britanniam ordinare poſſit Antiſtites.* Vitalianus porrò, & *Theodorum natum ex Tarſo Ciliciæ in Britanniam miſit, adiungens ei Adrianum Abbatem, qui attenderet, ne quid Theodoricus Græcorum more, contra veritatem fidei in Eccleſiam, cui præeſſet, introduceret.*

Pallia duobus metrop. in Angliam ab Honorio Pp miſſa. *Hiſt. Eccleſ Angl lib. 2. c 17 & lib. 3. cap. 29.*

& l b. 4. c. 1.

Pipinus quoque Rex, *fauente omnium conſenſu, virum venerabilem Vvilbrordum Romam miſit, cuius adhuc Pontificatum Sergius habebat, poſtulans vt Friſonum genti Archiepiſcopus ordinaretur.* Conceſſit Sergius, & Clementis nomine impoſito, in Eccleſia Sancti Martyris Ceciliæ conſecrauit, atque ad propagandam fidem Apoſtolum deſtinauit: quemadmodum etiam *Gregorius in Germania, per Bonifacium Epiſcopum verbum ſalutis prædicauit*; qui Bonifacius Zachariam Pontificem, *vt auctoritate Sedi Apoſtolicæ tres Epiſcopatus in Germania,* Herbipolenſis, Bambergenſis, & Erphordienſis *conſtituerentur,* datis litteris flagitauit. Quo etiam tempore, Sanctus Germanus, ex Eccleſia Cyzicena, ad Conſtantinopolitanam, auctoritate Apoſtolica, à Michaele Gregorij ſecundi, & Sedis Apoſtolicæ Apocriſario tranſlatus eſt: & Taraſius poſteà ad eandem Eccleſiam, Irenes, & Conſtantini fauore euectus, *miſſis Romam de Concilio litteris, & fidei ſuæ confeſſione, ab Adriano Papa eſt approbatus,* vt Cedrenus narrabat. Huius *Summi Pontificis, & vniuerſalis Papæ Hadriani præcepto,* Carolus Magnus Rex, in priuilegio Bremenſi Eccleſiæ conceſſo, fatetur, *nec non & Moguntinenſis Epiſcopi Lullonis, omniumque qui affuere, Pontificum conſilio, eandem Bremenſem Eccleſiam, cum omnibus ſuis appendicys, Vvillehado probabilis vitæ coram Deo, & Sanctis eius commiſit*: ac ex Concilio Principum ſanxit: *In memoriam Beati Petri Apoſtoli honoremus Sanctam Romanam, &*

S. Vuillibrodus à Sergio Pp. Friſiorum Epiſcopus ordinatus. *& lib 5. c. 12*

Tres Epiſcopat in Germania. *Beda in Mar. prolog.*

Theophan in Leone Imper. Comp hiſt in vita Iren. & Conſt.

Vuillehadus Bremenſium Epiſcopus. *apud Crant. metropol. lib. 1. cap. 2.*

Apoſtolicam Sedem; vt quæ nobis Sacerdotalis MATER eſt dignitatis, Eccleſiaſticæ eſſe debeat Magiſtra rationis. Doctus Carolus, ab Albino Præceptore iſta hauſit: namque his etiam, fontem Sacerdotij Romanum Pontificem eſſe aſſeuerauit, cùm ſcripſit: *Religionis cultum ſic Dominus inſtituit, vt in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, atque ab ipſo quaſi quodam Capite dona ſua vellet in corpus omne manare. Vnde conſtat ab vniuerſi Orbis communione ſeparatos eſſe, ſicut docet Beatus Pelagius, qui qualibet diſſenſione inter ſacra myſteria Apoſtolici Pontificis memoriam ſecundùm conſuetudinem non frequentant.* Accepit Albinus ab Iulio primo Pontifice Romano, qui Orientalibus Epiſcopis exprobrat: *Quam culpam,* dicens, *incurrere non potuiſſetis, ſi vnde conſecrationis honores accipitis, inde legem totius obſeruantiæ ſumeretis: & Beati Apoſtoli Petri Sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis eſſet Eccleſiaſtica magiſtra rationis.*

Eccl. Rom. Sacerdotal. mater eſt dignitatis. *lib. de diuin. offic.*

epiſt. 1.

Pro hac poteſtate Sacerdotij conferendi, 1. Leo Pontifex, *Patriarchæ Gradenſi, palliū de corpore B. Petri ſumptum, per manus Euſtachij Primicerij Sanctę Sedis Apoſtolicę, miſit,* vt Blondus narrat. 2. Hadrianus Papa, *Bulgarorum genti, qui incultam barbariem ſacris dogmatibus excolerent, Apoſtolos miſit, & Epiſcopos præpoſuit,* vt Rhegino ſcribit. 3. Nicolaus Papa, *res Eccleſiaſticas* Conſtantinopoli *correxit, Pontificatu exturbauit Photium, qui in eum ſe ingeſſerat, Ignatiumque reſtituit. Neque enim,* ita aſſeuerat Baſilius Imperator in actis Octaui Oecumenici Concilij, *vt Sacratiſſimus Patriarcha ad proprium regrederetur thronum, Imperij mei opus, vel excogitatio facta eſt: ſed multum ante Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Papa Nicolaus, quæ circa illum erant certiſſimè diſcens, Synodicè decreuit, reddi ius proprij throni, & anathema cum tota Sancta Romanorum Eccleſia pronunciauit, contra reſiſtentes huiuſmodi decreto, atque ſententiæ. Hoc autem nos olim ſcientes, & pauentes iudicium anathematis promulgari, obſecundare Synodico iudicio Romanæ Eccleſiæ neceſſarium duximus: & huius rei gratia reddidimus, & proprium thronum.* 4. Ioannes decimus Edouardo Anglorum Regi, quod is bello nimis intentus, nouos Epiſcopos Eccleſijs præfici non curauerat, per litteras minatus eſt, *ſe illum vnà cum populo Religionis hoſtem denunciaturum, niſi negligentiam reſarciret. Rege igitur hortante, Pleimundus Cantuarienſis Archiepiſcopus primum creat plures Epiſcopos, deinde purgandi ſui cauſa Romam profectus, Pontificem placauit,* vt teſtatur Polydorus. 5. Stephanus Nouus Hugoni Rhemenſi pallium miſit, eique dignitatem Archiepiſcopalem confirmauit. 6. Marinus, Waldricum, Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopum deſignauit. 7. *Frotho apud Angliam ſolennibus aquis humectatus, priuatam ſalutem in publicam exuberare cupiens, ab Agapeto, qui tunc Ciuitatis Romanæ ſacris præerat, Daniam diuinitus erudiri petiuit,* atque munus Apoſtolatus impetrauit. 8. *Ioannes Pontifex Capuanam Eccleſiam, ob Pandulfi Principis merita Metropolitanam fore conſtituit.* 9. Miecislao primo Polonorum Chriſtiano principe rerum potente, *ad Diœceſes Epiſcopis, & Prouincias Archiepiſcopis diſtribuendas, & Baſilicas dedicandas, Ægidius Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, Ioannis decimitertij Pontificis Maximi Legatus*

decad. 1 lib. 2. anno 865.

Cedren. in baſilio.

hiſt. Angl. l 6

anno 942.

Saxo Danic. hiſt. lib 9. Blond. dec. 2. lib. 3.

præ-

præfuit: qui primos Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Italici. nonnullos etiam Gallici, & Germanici generis fecit, vt Gromerus confitetur. 10. *Cùm Rex Aldefonſus duos Presbyteros ad Ioannem Papam deſtinaſſet, is reſcripſit in hæc verba: In cura totius Chriſtianitatis Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſores, Eccleſiam Ouetenſem veſtro conſenſu, & aſſidua petitione, Metropolitanam conſtituimus, cui omnes vos ſubditos eſſe mandamus. Has litteras, cùm primum accepiſſent, Rex cum Epiſcopis, & Magnatibus, authoritate D. Papæ Ouetum ad celebrandum Concilium conuenerunt*, vt reliquit Rodericus. 11. *Stephanus Vngariæ Rex, cùm bello contra Cupam pro fide Chriſtiana inito, victor euaſiſſet, Auſtricum virum ſanctitate conſpicuum, Romam ad Summum Pontificem mittendum eſſe cenſuit; mandata dedit, vt à Chriſti Vicario in Vngaros, qui eius fidem nuper iniuerint, Apoſtolicam benedictionem imploret, & inter oues Petri adnumeret. Poſt hæc vt Strigonienſem Baſilicam eſſe iubeat: Item cæteros Epiſcopatus nuper in Vngaria erectos, Sacroſancta auctoritate confirmet: Demum, quando poteſtas omnis à Deo eſt, & maxima cæpta ſine diuina ope confirmari nequeunt, Regalia inſignia cum Pontificia benedictione aſſequatur*. Profectus Romam Legatus, omnia non ſolùm è ſententia, ſed præter opem, & opinionem impetrauit, atque extunc Vngaria, à benignitate Pontificia, & Sacerdotalem, & Regiam dignitatem obtinuit: vt narrabat Bonfinius. 12. *Humbertus, cùm eſſet vir religioſus, fide Chriſtiana, & ſanctiſſimis operibus perſeuerantiſſimè decoratus, ſcientia diuinarum, & ſecularium litterarum apprimè eruditus, eum de Lotharingia Sanctus Leo Romam traduxit, & ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiſcopum ordinauit*, vt meminit Lanfrancus. 13. Petrus Patriarcha Antiochenus, promotionem ſuam ad Epiſcopale faſtigium, electione Cleri, & populi factam, atque fidem ſuam, ſecundùm antiquæ conſuetudinis religioſum, & valde neceſſarium ſtudium, Apoſtolicæ, & primæ Sedi, annunciare, & exponere curauit, atque à Leone Nono confirmationem obtinuit, vt idem Leo eidem reſcripſit. 13. Thomas Carthaginenſis Epiſcopos, quinque vix Epiſcopos tunc in tota Africa ſuperfuiſſe eidem Leoni nono ſignificauit: cui Pontifex pallium miſit: reliquis duobus Epiſcopis, qui petierant, negauit, dixitque: *Solus Carthaginenſis Epiſcopus pallium ab Apoſtolica Sede habere ſolet*. 14. Gregorius VII. Henricum Teutonicorum Regem, inueſtituras Epiſcoporum ſibi temerè vendicantem, authoritate Apoſtolica deterruit, atque Romanæ Eccleſiæ ius vindicauit. Quemadmodum res acciderit, Guillelmus Tyrius Metropolita, exponebat iſtis verbis.

lib. 3. de reb. Polonor. — *lib. 5. rerum Hiſpaniæ cap. 16. & 17.* — *de reb. Vngar. dec. 2. lib. 1.* — *lib. de Sacramento altar.* — *in epiſt.* — *in epiſt.* — *lib. 1. belli ſacri c. 13.*

Greg. VII. Henricum Imp. inueſtituras Epiſcoporum ſibi vendicantē anathemate damnauit.

Henricus Teutonicus Rex, & idem Romanorum Imperator, à Diuo Gregorio Papa Septimo paſſus fuerat quæſtionem, & controuerſiam non modicam, ſuper annulo Epiſcoporum defunctorum, & baculo. Inoleuerat enim conſuetudo, præſertim in Imperio, quod defungentibus Eccleſiarum Prælatis, annulus, & virga Paſtoralis ad Dominum Imperatorem dirigebatur. Vnde poſtmodum vnumquemlibet de familiaribus, & Capellanis ſuis inueſtiens ad Eccleſiam vacantem dirigebat, vt ibi Paſtoris fungeretur officio, non expectata Cleri electione. Quod Dominus Papa contra omnem fieri honeſtatem conſiderans, & iura in eo facto conculcari Eccleſiaſtica perpendens, ſemel, ſecundo, ac tertio eundem Imperatorem commonuit, vt à tam deteſtabili deſiſteret præſumptione. Quem præceptis ſalutaribus commonitum, cùm reuocare non poſſet, vinculo anathematis innodauit.

Ab hac ſententia, vt Abbas Vrſpergenſis ſcripſit, færebat & reſpuebatur, condemnabatur & anathematizabatur hęreſis wigbertina, vel Henriciana. Abdicatis ſiue fugatis hęreticis, Catholici cathedris Ponrificalibus deſtinabantur, è quibus etiam aliqui inter ipſa feſta conſecrabantur. Denique, in tantum diuinæ legis ſubitò zelus efferbuerat, vt etiam ipſa cadauera Pſeudoepiſcoporum ab Eccleſijs eliminarentur: quotquot autem ab ipſis erant ordinati, vſque ad generalem audientiam ab officijs ſuſpenderentur, Iam enim exaltatis ſibi diuinitus EccleſiaRomana cornibus, ad incutiendum timorem cunctis vſquequaque ſchiſmatum membris, etiam capitis ipſius oſſa, Vuigberti ſcilicet dicti Papæ, quem Henricus Gregorius per vim oppoſuerat, de ſepulchro ſuo, quod per quinque iam annos in Eccleſia Rauenuenſi poſſederat, proijci fecerat, vniuerſaque eius inſtituta, vt verè non Apoſtolici Sacerdotis, ſed Apoſtatici inuaſoris annullari decreuerat. Paſchalis Papa ſecundus, Anſelmo Canthuarienſi Epiſcopo, rationem, cur ad Laicos non pertineat, Beneficia Eccleſiaſtica aut Sacerdotia conferre, reddens, addebat: *Si virgam Paſtoralitatis ſignum, ſi annulum ſignaculum fidei tradit laica manus, quid in Eccleſia Pontifices agunt? Eccleſiæ honor atterritur, ſoluitur diſciplinæ vigor, & omnis religio Chriſtiana conculcatur, ſi, quod nouimus Sacerdotibus ſolis deberi, laica patiatur temeritate præſumi. Non eſt laicorum, Eccleſiam tradere; nec filiorum, matrem adulterio maculare. Iure ergo priuandus eſt patrimonio, qui matrem polluit adulterio: nec meretur Eccleſiaſticę benedictionis conſortium, qui eam impia infeſtatione inſequitur. Laicorum enim eſt, Eccleſiam tueri; non tradere. Ozias quidem, cum illicitum ſibi Sacerdotium vendicaret, lepra percuſſus eſt. Filij quoque Aaron, quia ignem alienum impoſuerunt, igne diuino conſumpti ſunt. Alienum enim eſt ab Eccleſia, & à ſacris Canonibus eſt inhibitum, ne princeps & ſeculares viri inueſtituras, non ſolùm non dare, ſed nec electioni Epiſcoporum audeant ſe violenter inſerere.*

anno 1106. Hæreſis Henriciana — Vuigberti Antip. oſſa è ſepulchro erecta poſt V. — *Inter epiſt. Anſelmi 12.* Paſchalis II ratio cur nō pertineat ad laicos beneficiorum, & ſacerdotiorum collatio. — *anno 1102.*

Propter hanc libertatē, & ſcribendi, & agendi, Imp. Henricus, cupiebat alterum Papam Domino Paſchali ſuperponere, vt ſcribit Vrſpergenſis: nihil tamē profecit. Tranſacta enim poſt hæc media Quadrageſima, cōuenientibus vniuerſis Apuliæ, Campaniæ, Siciliæ, Tuſcaniæ, totiuſque ſimul Italiæ Præſulibus, & Vltramontanorū quamplurimorū Patrum Legatis, Synodus magna Romæ eſt habita: vbi præter āt iqua Patrum conſtituta more ſolito reuerenter cōfirmata, etiam eius temporis ſchiſma, inter præcipuas hæreſes computatur, atque perpetuò cum ſuis authoribus, atque ſequacibus anathemate huiuſmodi ſubſcripta profeſſione condemnatur; *Anathematizo omnem hæreſim, & præcipuè eam quæ ſtatum præſentis Eccleſiæ perturbat, quæ docet & aſtruit, anathema contemnendum, & Eccleſiæ ligamenta ſpernenda eſſe. Promitto autem obedientiam Apoſtolicæ Sedis Pontifici Domino Paſchali, eiuſque ſucceſſoribus,*

Conc. Rom. in quo Hæreſis Vuigbert. ſeu Hēric. damnata

ribus, ſub teſtimonio Chriſti & Eccleſiæ; affirmans quod affirmat, & damnans quod damnat vniuerſalis Eccleſia. Hæc Paſchalis ſanciebat, in ea de inueſtituris Epiſcoporum cauſa. Innocentius ſecundus, idem proculdubio in Lotharium Imperatorem ſtatuiſſet, niſi is ab incœpto deſtitiſſet. Leodij Innocentio occurrens inſtiterat importunè, vt Epiſcoporum inueſtituræ ſibi reſtituerentur, quas ab eius prædeceſſore Imperatore Henrico, per maximos labores & multa pericula, Romana Eccleſia vindicarat. Cæterum pro Innocentio Bernardus Abbas Claræuallis audacter reſiſtens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira authoritate compeſcuit. Factum, quod Martinus Polonus ſcribit, vt Teutonicorum & Hungariæ Reges, inueſtituris Epiſcoporum & aliorum Prælatorum renuntiauerint, cum Paſchalis & alij Pontifices, pro dignitate Sedis Apoſtolicæ conſtantiſſimè laboraſſent. De Paſchale, narrat Vrſpergenſis. Cum Iuuanenſibus Conradum, Tridentinis Gebhardum Præſules conſecraſſet, enarrare longum eſt, quam indefeſsè prudens & fidelis ille ſummi Patris familias diſpenſator conſeruos ſuos verbi Dei tritico lautiſſimè quotidie reficeret, Pſeudoepiſcopos deponeret, Catholicos conſtitueret, Archiepiſcopis pallis, Monaſterijs priuilegia concesſerit, præſentes ouium Chriſti Paſtores mellifluis alloquijs, abſentes paternis commonitionum literis inſtruxerit, quædam olim abſciſſa membra Eccleſiæ iterum incorporauerit, quædam etiam quæ inſanabilia videbantur, anathematis abſciſſione truncauerit. Velut enim fidelis diſpenſator & prudens, quotidianam ſolicitudinem omnium Eccleſiarum gerens, in Concilio quod apud Trecas non modicum habuit de libera Paſtorum electione, & de coercenda Laicorum in Eccleſiaſticas dignitates præſumptione, iuxta prædeceſſorum ſuorum decreta ſententiam promulgauit. Idem Vrſpergenſis, de Calliſto ſecundo memorabat, ad quid Henricum V. Regem, per Legatos adduxerit. Cum Henricus Quintus Rex adoleſcentem nomine Gebehardum nulla Eccleſiaſtica promotione mancipatum in Wirciburgenſis Epiſcopi locum, ſaniore cleri & populi parte idipſum conſtanter renuente Pontificali inueſtitura ſublimaſſet, ex eaque re Principibus viris & Epiſcopis inter ſe diſſentientibus ingens ſchiſma exarſurum videretur, benignus amator hominum Ieſus per Seruorum ſuorum Sedis Apoſtolicæ Legatorum, qui tunc Moguntiæ morabantur, induſtriam, imo per habitantem in eis Spiritum ſuum, charitatem in cordibus Principum diffundere cœpit. Facto igitur vniuerſali conuentu apud vrbem Euangiorum quæ nunc Vnormatia dicitur, ſicut longum, ita incredibile memoratu eſt, quam prudenti, quam inſtanti, quamque per omnia ſollicito cunctorum Procerum conſilio, pro pace & concordia, per vnam, vel amplius hebdomadam certatum ſit; donec ipſe, in cuius manu cor Regis eſt, omnem animoſitatem Auguſti ſub Apoſtolicæ reuerentiæ obedientiam, cauſa matris Eccleſiæ, etiam vltra ſpem plurimorum inflexit. Mox enim ab Apoſtolicæ Sedis Apocriſarijs in cōmunionem receptus tam Imperator, quam vniuerſus ſibi ſubiectus exercitus, imo generali abſolutione cunctis hoc ſchiſmate pollutis per authoritatem Apoſtolicam facta, qualiter Eccleſiaſticas inueſtituras, cæteraque ſpiritualia negotia, quæ tanto tempore Reges Teutonici adminiſtrauerant, quæque ipſe, ne regni diminueretur honor, nunquam, vita comite, ſe dimiſſurum propoſuerat, humiliatus prò Chriſto coram multitudine maxima abnegauerit, & in manus Domini Epiſcopi Oſtienſis ac per ipſum Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſuæque in perpetuum ius Eccleſiæ dimiſerit, iſtis verbis; *Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ Calliſti, & remedio animæ meæ, dimitto Deo, & Sanctis eius Apoſtolis Petro & Paulo, & Sanctæ Dei Catholicæ Eccleſiæ, omnem inueſtituram per anulum & baculum: & concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in regno vel Imperio meo ſunt fieri electionem, & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & regalia Beati Petri, quæ à principio huius diſcordiæ vſque ad hodiernum diem ſiue tempore patris mei, ſiue etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo: quæ autem non habeo, vt reſtituantur fideliter iuuabo.*

Lib. 2. c. 1. in vit. S. Bern. S. Bernard. Lotharium Imp. compeſcit.

anno 1130.

anno 1106. & 1109.

anno 1122.

Hen. V Rex renuntiat Epiſcoporum & aliorum Prælatorum inueſtituris à prioribus Teut. Regibus, & a ſe male vſurpatis.

Iſta quidem Henricus Imperator ſanctè ſpoponderat. Huic Fridericus primus ſuccedens, cum authoritate laica, Guicmannum Cicenſem Epiſcopum ad Magdeburgenſem Eccleſiam tranſtuliſſet, Eugenius ſecundus reſtitit, & Germaniæ Epiſcopis ſcripſit: *Quamuis quicumque temporalis auræ flatibus agitentur, nos in illius Petræ ſoliditate fundati, quæ in fundamento Eccleſiæ meruit collocari, ſicut non debemus, ita nec volumus omni vento circumferri doctrinæ, aut à Sacrorum canonum rectitudine impulſu aliquo deuiare: per præſentia ſcripta vobis mandamus, quatenus cauſæ iſti fauorem vlterius non præſtetis, & apud chariſſimum filium noſtrum Fridericum, quem Deus hoc tempore pro ſeruanda libertate Eccleſiæ in eminentiam Regni erexit, efficere veſtris exhortationibus ſtudeatis, vt & ipſe à ſua ſuper hoc intentione deſiſtat, & contra Deum, contra ſacros Canones, contra Regiæ dignitatis officium, eidem cauſæ fauorem ſuum vlterius non impendat; ſed Eccleſiæ Magdeburgenſi, ſicut & alijs Eccleſiis Regni à Deo ſibi commiſſi, liberam facultatem, quem voluerit ſecundum Deum eligendi relinquat, & electionem ipſam poſtmodum fauore ſuo, ſicut decet Maieſtatem Regiam proſequatur.*

Alia diuerſe Acta, quibus in Rom. Eccleſ. fons Sacerdotij eſſe demonſtratur. Friſingenſis lib. 2. cap. 8. de geſtis Friderici.

Hæc Eugenius ſcribebat, vt ſe Fontem Sacerdotij eſſe demonſtraret, à cuius Apoſtolica Sede, omnis dignitas Metropolitana, & Epiſcopalis promanaret, in alios: quemadmodum ſemper promanare non deſiſtit. Enimuero id etiam temporis, 15. Roderico teſte, Bernardus ab Vrbano ſecundo benignè acceptus, conſecrationem, pallium, & priuilegium obtinuit, & Primas inſtitutus eſt Hiſpaniarum, Apoſtolicæ Sedis benedictione ſuſcepta. 16. Calliſtus ſecundus Compoſtellanam Eccleſiam Metropolitana dignitate ſublimauit, & omnia in eam tranſtulit Emeritenſis Eccleſiæ iura, Vaſeo referente. 17. Paſchalis II. Balduino Rege Hieroſolymitano flagitante, omnes prouincias, quaſcumque illa ſolicitudine ſua de poteſtate hoſtium eriperet, præſertim quarum terminos diutina infidelium poſſeſſio confudiſſet, regimini Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ſubiecit: vt Willelmus Ty-

lib. 6. rerum Hiſp. c. 26.

cap. 21.

Tyrius lib. 11 cap. 28.

Tyrius ſcriptum reliquit. 18. Otto Babeugergenſis Epiſcopus, diuino admonitus inſtinctu, Callixti ſecundi Apoſtolica authoritate, & aſſenſu robotatus, partes Pomeranorum Paganorum, cum quibuſdam Ciuitatibus terræ Lubeciæ agreſſus eſt, vt eos ab errore ſuo reuocaret, & ad viam veritatis & ad agnitionem Filij Dei perduceret. Quibus conuerſis & baptizatis, Eccleſias conſtruxit, conſecrauit, & Epiſcopos præfecit: quod narrat Abbas Vrſpergenſis. 19. Innocentius ſecundus vt eſt apud Martinum Gemenſem Epiſcopum qui ſub Mediolanenſi fuerat, fecit Archiepiſcopum: itemque Piſanum Epiſcopum fecit Primatem totius Sardiniæ. 20. S. Malachias, authore Bernardo in vita eius, Romam contendit, vt Sedi Metropolicæ, quam de nouo conſtituerat Celſus, pallium impetraret, quo prærogatiua eius, Apoſtolicæ Sedis authoritate confirmaretur. Eum Innocentius ſecundus benignè ſuſcepit, & paranti iam repatriare, commiſit vices ſuas, per vniuerſam Hiberniam Legatum illum conſtituens. 21. Theobaldus Cantuarienſis Antiſtes, vir multum præſtantiſſimus, narrante Polydoro, cum accepto de more pallio Legatus ab Innocentio ſecundo Romano Pontifice factus eſſet, manauit id munus poſtea ad omnes Cantuarienſes Archiepiſcopos, qui Legati nati dicti ſunt. 22. Eugenius tertius Nicolaum Anglicum Cardinalem Albanenſem ad Nouergiam miſit, vt Ioannes Magnus refert, vt pallium Archiepiſcopale Ioanni Archiepiſcopo Nidroſienſi daret, nouem ſuffraganeis ei ſubiectis. 23. Cum Tyrenſis vacaret Eccleſia, recenſente Guilielmo Tyrio Archiepiſcopo, & pars Epiſcoporum dari ſibi depoſcebat, Dominum Radulphum, Regis Cancellarium, Anglicum natione; pars altera, interpoſitæ appellationis voce, modis omnibus prohibebat: & factum eſſet, quod per violentiam obtinens prædictus Cancellarius, Eccleſiam & eius bona inuaſiſſet, perque biennium poſſediſſet, Eugenius tertius præſentibus partibus lite deciſa, factum Cancellarij irritauit, & indignum Epiſcopatu iudicauit. 24. Innocentius tertius in maximo Concilio Lateranenſi ſanxit.

anno 1124.

lib. 13. rerum Anglic.

lib. 2 de vitis Pontificum Vpſalen. lib. 16. belli ſacri cap. 17.

cap. 5.

Antiqua Patriarchalium Sedium priuilegia renouantes, Sacra vniuerſali Synodo approbante ſancimus, vt poſt Romanam Eccleſiam, quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatũ, vt pote mater vniuerſorũ Chriſti fidelium & Magiſtra; Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartam locum obtineant, ſeruata cuilibet propria dignitate; ita quod poſtquam eorum Antiſtites à Romano Pontifice receperint pallium, quod eſt plenitudinis officij Pontificalis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipſi ſuis ſuffraganeis pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab iiſdem. 25. Ioannes XXII. Cæſarauguſtanum, Boniſacius nonus Olyſſiponenſem; Innocentius octauus Valentinum; Alexander ſextus Granatenſem: Paulus tertius Eboreuſẽ in Luſitania, Mexicanum in noua Hiſpania; Dominicopolitanum in Vrbe Sancti Dominici; Limenſem in ciuitate Regum; Paulus quartus Goanum; Gregorius decimustertius Manilanum, & Sanctæ Fidei in Indijs; Sixtus quintus Firmanum in Picæno; PAVLVS QVINTVS Platenſem & Angamalenſem in nouo Orbe, Metropolitana cum dignitate Archiepiſcopatus, cum multis Epiſcopatibus erexerunt, prærogatiuam perpetuam Sedis Apoſtolicæ integerrimè conſeruantes, vt Pontifex Romanus, æternum ab omnibus ſalutetur, *Nouus Aaron*, & *Fons Sacerdotij hierarchici*: propter quem Eccleſia Romana inter laudes ſuas recenſeat, quod aliquando Nicolaus II. Mediolanenſibus ſcripſit: *Omnes, ſiue Patriarchij cuiuslibet apices, ſiue Metropoleon Primatus, aut Epiſcopatuum cathedras, vel Eccleſiarum cuiuslibet Ordinis dignitates, inſtituit Romana Eccleſia: Illam vero ſolus ille fundauit, & ſuper petram fidei mox naſcentis erexit, qui Beato æternæ vitæ Clauigero terreni ſimul, & cæleſtis Imperij iura commiſit.*

CAPVT XXXIV.

Romanus Pontifex, Princeps Paſtorum.

TAm clarè, quam nihil clarius, qualem Eccleſiam, qualemque Paſtorem Chriſtus relinqueret, indicauit cum dixit, *Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor*. Vnum ouile cum diceret, vnam proculdubio Sanctam, Catholicamq; Eccleſiam demonſtrauit, ex Hæbreis, & gentibus, atque ex totius Orbis Eccleſijs, in, & ſub vna Matrice omnium cõgregatam; quemadmodũ S. Cyprian. oſtendens dicebat: Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcũditatis extẽditur, quomodo Solis multi radij, ſed lumen vnum: & rami arboris multi ſed robur vnum tenaci radice fundatum: & cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine: Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit: vnum tamen Caput eſt, & origo vna, & vna mater, fœcunditatis ſucceſſionibus copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu eius animamur. Auelle radium Solis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præciſus areſcet. Sic & ab Eccleſia adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc nos Deo ſeruat, hæc filios regno, quos generauit aſſignat. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur: nec perueniet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem. Si potuit quiſquam qui extra arcam Noe fuit, & qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadit. Qui alibi præter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit. Qui non tenet vnitatem, de

Vnum ouile vna Eccleſia.

Præclare S. Cypr. de Vnitate Eccleſiæ.
lib. de vnitate Eccleſ.

diui-

„ diuina firmitate venientem, Sacramentis cœ-„ leſtibus cohærentem, Dei legem non tenet, „ non tenet Patris, & Filij fidem, vitam non „ tenet, & ſalutem, quando, & Beatus Apo-„ ſtolus Paulus hoc idem doceat, & Sacramen-„ tum vnitatis oſtendat dicens; *vnum corpus, „ & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtræ,*
Epheſ. 4. „ *vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, „ vnus Deus.*

Hæc & alia plura adducebat Sanctus Cyprianus, vt vnitatem Eccleſiæ demonſtraret, ſub, & ab vna Matrice, radiceque Eccleſiarum omnium; Romana Eccleſia, de qua paulo ante præmiſerat, dicens; *tractatu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum:* Ego tibi dico, *inquit*, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo
Matth. 16. Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo Claues Regni Cœlorum; & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in cœlis: & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlis. *Et iterum eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit*; Paſce
Ioan. 21. oues meas. *Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat;* Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipi-
Ioan. 20. te Spiritum Sanctum. Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi; Si cui tenueritis, tene-buntur: *tamen vt vnitatem monſtraret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab vnitate proficiſcitur. PRIMATVS PETRO DATVR, vt VNA CHRISTI ECCLESIA, & CATHEDRA VNA MONSTRETVR: ET PASTORES ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi confeſione paſcatur. Quam vnam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex perſona Domini deſignat, & dicit:* Vna eſt columba mea, perfecta mea; vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. *Hanc Eccleſiæ vnitatem, qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, qui CATHEDRAM PETRI, SVPER QVAM FVNDATA EST ECCLESIA deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Quam vnitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt EPISCOPATV QVOQVE IPSVM, VNVM ATQVE INDIVISVM PROBEMVS. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. EPISCOPATVS VNVS EST, cuius à ſingulis in ſolidum PARS tenetur.*

Apoſtoli pares honore, & poteſtate; Primatus tamen Petro datus.

Nihil clarius, ad ſenſum verborum Chriſti potuit à Cypriano dici, quam quod compendio veritatis ex ſacris eloquijs demonſtrauit, 1. de Eccleſia, quod vna ſit in plures diffuſa: quod vnus grex eadem: vnus Epiſcopatus: vna ſponſa: vna domus, extra quam nulla ſalus 2. quod eadem ſit ſupra Petrum fundata atque ædificata, adeoque à Cathedra Petri Romana Eccleſia, quam is profuſo ſanguine vna cum Paulo condidit, originem trahat, atque deriuationem, 3. de Eccleſia Romana, quod ea ſit Cathedra vnita, vnitatis Eccleſiæ origo, fons, radix, *Matrix; quam qui deſerit, in Eccleſia ſe eſſe amplius non confidit.* 4. de Petro Romanorum Pontifice, quod quamuis reliqui Apoſtoli, pari conſortio honoris Sacerdotalis, & poteſtatis Apoſtolicæ, Apoſtolicæ inquam, quatenus legatione fungebantur pro Chriſto, à Chriſto miſſi (id enim accipio, ex verbis Chriſti, qui ait. Sicut miſit, & ego mitto; ſcilicet Legatione defungi præcipio) prædíti fuiſſent cum Petro; Petrus tamen ſuper illos *Primatum* à Chriſto obtinuit; cum Chriſtus Conditor Eccleſiæ, non tantum Legationis munus, quod & alijs Apoſtolis, ſed & Principatum Monarchicum ſuper Apoſtolos, & ſuper vnam, vnicam, indiuiſam, vniuerſam Eccleſiam Pontificatum quē alij Apoſtolis non conceſſit, datis Clauibus Regni cœlorum, inſigni Principatus Hierarchici, quod ipſe in humero geſtabat, & commiſſas vniuerſi gregis cura, ei communicauit, atque vnitatis originem ab eo incipientem diſpoſuit; vt vna Chriſti Eccleſia eſſet, vna Cathedra monſtraretur, vnus grex oſtenderetur, vnus Epiſcopatus totius Orbis perſeueraretur, atque indiuiſus prodaretur. Sed proportione, ſeu ſubordinatione, adeoque ordine hierarchico inter Petrum, & reliquos Apoſtolos; quod ille totius, vnius, indiuiſi Epiſcopatus, & vniuerſi gregis, Eccleſiæ vnus Epiſcopus, vnus Apoſtolus, vnus Paſtor, ſed PRIMAS, ſed PRINCEPS PASTORVM, ſed CLAVIGER MONARCHVS, ſed PATER PATRVM, ſed Lapis proangularis, ſed Fons Sacerdotij, ſed origo, & exordium vnitatis, ſed in plenitudinem poteſtatis aſſumptus, ſed Legatione fungentibus prælatus, ſed vniuerſis ouibus, & agnis præpoſitus: reliqui autem Paſtores, ſed ab vno: ſed in partem ſollicitudinis; ſed in curam auxiliarem Petro laboranti; ſed paſcere gregem, non vniuerſum, ſed *qui in vobis eſt*, his, vel illis ouibus non omnibus, & hi cum poteſtate Legatorum, præmiſſi, ſeu potius miſſi.

Primatum inter Apoſtol. à Chriſto Petr obtinuit.

Petr. primas & princeps Paſtorum.

Vna Eccl. in plures diffuſa.

Supra Petr. fundata Rō. Eccleſ. Qui eam deſerit in Eccleſia non eſt.

Nemo à verbis Cypriani fraternitatem mendacio fallat, quemadmodum maxime ab illis fallere vult ex Archiepiſcopus Spalatenſis; Epiſcopatus vnus eſt, cuius vnius indiuiſi, vnus Epiſcopus Petrus; in partes autem diuiſi, *à ſingulis* Epiſcopis *in ſolidum pars tenetur*: in ſolidum; Si fiat comparatio inter eos ad inuicem, non autem aſpectu ad Petrum, qui Primas, & Princeps Paſtorum. Hæc, quod non temere Sanctus Martyr affirmaſſet, alijs in locis conſtantiſſime aſſeuerauit. In primis enim, cum nonnulli factioſi, Romæ, Nouatianum, contra Cornelium legitimum Pontificem intrudere niterentur, Cyprianus, Romanam Eccleſiam, *Radicem, & matrem* omnium Eccleſiarum appellauit, *cuius ſinum*, ait, *diuerſæ partis obſtinata, & inflexibilis pertinacia non tantum recuſauit: ſed etiam gliſcente, & in peius recrudeſcente diſcordia, Epiſcopum ſibi conſtituit, & contra Sacramentum ſemel traditum diuinæ diſpoſitionis, & Catholicæ vnitatis, adulterum, & contrarium Caput, extra Eccleſiam fecit.*

S. Cypr. de Rom. Eccl. præclara teſtimonia. Ep. 42.

Secundo, eandem Eccleſiam Romanam, cum *Matrem* appellaſſet, *Eccleſiam Catholicam*, nuncupauit; ac ſchiſmaticis, Maximo, & Nicoſtrato ſcripſit; *cum vos illic comperiſſem, contra Euangelicam diſpoſitionem, contra Euangelicam* ep. 43 & 44.

eam legem, contra inſtitutionis Catholicæ vnitatem, alium Epiſcopum fieri conſenſiſſe, id eſt, quod nec fas eſt, nec licet fieri, Eccleſiam alteram inſtituí, Chriſti membra diſcerpi, Dominici gregis animam, & corpus vnum diſciſſa æmulatione lacerari; quod quæſo vt in vobis ſaltem illicitum illud fraternitatis noſtræ diſcidium non perſeueret, ſed & confeſſionis veſtræ, & diuinæ traditionis memores, ad MATREM reuertamini vnde prodiſtis, vnde ad confeſſionis gloriam cum eiuſdem MATRIS exultatione veniſtis. Nam cum vnanimitas, & concordia noſtra ſcindi omnino non debeat, qui nos Eccleſia derelicta foras exire, & ad vos venire non poſſumus; vt vos magis ad Eccleſiam MATREM, & ad noſtram fraternitatem reuertamini, quibus poſſumus hortamentis, & rogamus. Tertio; cum aliqui Romam ex Africa nauigaſſent, ſcribebat Cornelio, exhortaſſe eos, *vt Eccleſiæ Catholicæ radicem, & matricem agnoſcerent ac tenerent*: deinde Numidiæ, & Mauritaniæ prouinciarum Epiſcopis perſuaſiſſe, vt per omnes, litteræ ad Cornelium fierent, *vt te, ait, Collega noſtri, & communicationem tuam, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ vnitatem pariter, & charitatem probarent firmiter ac tenerent.*

ep. 45.

Ad hanc matricem, cum Maximus, Vrbanus, Sidonius, & Macarius, & plerique alij ſchiſmatici rediiſſent, profitebantur, quemadmodum Cornelius Cypriano ſignificabat; *Nos Cornelium Epiſcopum Sanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ, electum à Deo omnipotente, & Chriſto Domino noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur: nos impoſturam paſſi ſumus: circumuenti ſumus perfidia, & loquacitate captioſa. Nam etſi videbamur quaſi quandam communicationem cum ſchiſmatico, & hæretico homine habuiſſe; ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit. Nec enim ignoramus vnum Deũ eſſe, vnum Chriſtum eſſe Dominum quem confeſſi ſumus, vnum Spiritum Sanctum, vnum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere.* Eas literas Cornelij poſtquam legiſſet, gratulabatur Cornelio, quod Eccleſiæ vnitas, & ſanctitas, non iugiter, nec in totum perfidiæ, & hæreticæ prauitatis obſtinatione violata eſſet: quod ſchiſmatici errore depoſito, & ſchiſmatico, immo hæretico furore deſerto, ad *Eccleſiam Catholicam* regreſſi, *vnitatis ac veritatis domicilium* fideli ſanitate repetiiſſent; quo errore ſublato, lux omnium pectoribus infuſa ſi, & *Eccleſia Catholica, vna eſſe, nec ſcindi, nec diuidi poſſe monſtrata ſit*: probatum quando ſit, bonos, & glorioſos Chriſti milites, non potuiſſe diu aliena fallacia, & perfidia *extra Eccleſiam* detineri.

Quid ſchiſmatici ad Eccleſiam redeuntes de vnitat. Rom Eccl.
ep. 46.
ep. 47.

Quod vero Euariſtus auctor ſchiſmatis, & Nicoſtratus Socius, Roma profugiſſent; Cyprianus, illum quidem *de Eccleſia Chriſti exulem, veritatis ac fidei naufragum*, hunc autem *Eccleſiæ deſertorem, & profugum, à Chriſto alienum* appellauit, & ex Paulo Apoſtolo comprobauit. *Nam cum Paulus Apoſtolus dicat*; Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & erunt duo in carnem vnam: Sacramentum iſtud magnum eſt: ego autem dico in Chriſtum, & Eccleſiam. *Cum hoc, inquam, beatus Apoſtolus dicat: & Chriſti pariter atque Eccleſiæ vnitatem indiuiduis nexibus cohærentem, ſancta ſua voce teſtetur: quomodo poteſt eſſe cum Chriſto, qui cum ſponſa Chriſti, atque in eius Eccleſia non eſt*; Paria Antoniano, de Nouatiano ſchiſmatico, contra Cornelium intruſo, ſcribebat: *Quisquis ille eſt, & qualiſcumque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt. Iactet ſe licet, & philoſophiam vel eloquentiam ſuam ſuperbis vocibus prædicet: qui nec fraternam charitatem, nec Eccleſiaſticam vnitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amiſit. Niſi ſi Epiſcopus tibi videtur, qui Epiſcopo in Eccleſia à ſexdecim Coepiſcopis facto, adulter, atque extraneus Epiſcopus fieri à deſertoribus per ambitum nititur, & cum ſit à Chriſto vna Eccleſia per totum mundum in multa membra diuiſa: Item Epiſcopatus vnus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus: Ille poſt Dei traditionem, poſt connexam, & vbique coniunctam Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, humanam conetur Eccleſiam facere, & per plurimas Ciuitates Apoſtolos ſuos mittat, vt quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat: Cumque iampridem per omnes prouincias, & per vrbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi, in ætate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſecutione proſcripti; ille ſuper eos creare alios Pſeudoepiſcopos audeat; quaſi poſſit, aut totum orbem noui conatus obſtinatione peragrare, aut Eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſuæ ſeminatione reſcindere: neſciens, ſchiſmaticos ſẽper inter initia feruere, incremẽta vero habere nõ poſſe, nec augere quod illicite cœperint, ſed ſtatim cũ praua ſua æmulatione deficere: Epiſcopatum autẽ tenere nõ poſſet, etiãſi Epiſcopus prius factus, à Coepiſcoporum ſuorum corpore, & ab Eccleſiæ vnitate diſciſceret; quando Apoſtolus admoneat, vt inuicem noſmetipſos ſuſtineamus, ne ab vnitate quam Deus conſtituit, recedamus; & dicat*: Suſtinentes inuicem in dilectione, ſatis agentes ſeruare vnitatem ſpiritus in coniunctione pacis.

Cypr. contr. ſchiſmatico, & Eccleſiæ deſerto. ſeo.
ep. 49.
ep. 52.
Epheſ. 4.

Hæc Cyprianus ſcribebat, quando Cornelius Papa, *de Dei iudicio, & Coepiſcoporum teſtimonio quorum numerus vniuerſus per totum mundum concordi vnanimitate conſenſit*, factus eſt Epiſcopus Romanus, *cum nemo ante ſe factus eſſet, cum Fabiani locus, id eſt, cum locus Petri, & gradus CATHEDRÆ SACERDOTALIS vacaret: quo occupato de Dei voluntate, atque omnium noſtrorum, ait, conſenſione firmato: quiſquis iam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt: nec habeat Eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiæ non tenet vnitatem. Quiſquis ille fuerit, multum licet de ſe iactans, & ſibi plurimum vendicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt. Et cum poſt primum ſecundus eſſe non poſſit, quiſquis poſt vnum, qui ſolus eſſe debeat, factus eſt, iam non ſecundus ille, ſed nullus eſt.* Meminit Cyprianus, vniuerſorum per totum mundum Epiſcoporum conſenſionis, qua electionem Cornelij firmauerant.

More enim recepto antiquitus, Epiſcopi in vrbe præſentes, ad Comitium, ſeu presbyterium Romanum, ad deſignandum Põtificem Romanum, admittebantur: Pontifex autem legitimè electus, reliquis per orbem literas, de ſua aſſumptione mittebat; Illi porro communionem eius depoſcentes, Pontificem conſalutabant, & conſenſione ſua eius electionem quaſi firmabant. Tanti fuerant apud omnes totius Orbis Epiſcopos, Romani Pontificis literæ encyclicæ, quibus aſſumptionem ſuam denunciabat, vt illis ſolis certiſſimam fidem omnes, & ſinguli adhiberent; neque alia teſtimo-

Pont. Rom. mos in encyclicis mittendis quibus aſſumptionem ſuam denunciabant.

epiſt. 42.

ſtimonia deſiderarent. Quamobrem Cyprianus excuſabat; *quod autem ſcripta collegarum noſtrorum*, ait, *qui illic ordinationi tuæ affuerant deſiderauimus; non veteres mores obliti, nouum aliquid quærebamus: nam ſatis erat, vt tu te Epiſcopum factum literis nunciares: niſi eſſet ex diuerſo diſcrepans factio, quæ criminoſis, & calumnioſis commentis ſuis collegarum pariter ac fratrum plurimorum turbaret mentes, & corda confunderet*. Iure merito tanti faciebant eas encyclicas Romani Pontificis, quod libenter faterentur, illud quod alijs in locis idem Cyprianus ingenue fatebatur cum ſcriberet, Romanum Pontificem 1. obtinere *Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt*. Atque illum eſſe *vnicum Dei Sacerdotem, in Eccleſia ad tempus vice Chriſti Iudicem*, cui quod *non obtemperatur*, & qui quod *non cogitatur*, inde *obortæ ſunt hæreſes, & nata ſchiſmata: cui ſi ſecundum Magiſteria diuina obtemperaret Fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum Sacerdotum collegium quidquam moueret: nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, Iudicem ſe iam non Epiſcopi ſed Dei faceret: nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum foris hæreſim nouam conderet*.

epiſt. 55.

Secundo illum eundem Romanum Pontificem, non eſſe aliquem, ex *ſingulis Paſtoribus* quibus *portio gregis eſt aſcripta, quam regat vnuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus*; ſed eſſe Paſtorem *florentiſſimi Cleri*, vna ſecum, vniuerſæ Eccleſiæ *præſidentis; & ſanctiſſimæ, atque ampliſſimæ plebis, cuius fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, & ad quam perfidia non poſſit habere acceſſum*: eſſe deinde *Epiſcopum vnum, vnius vniuerſæ Eccleſiæ, & totius populi Chriſtiani, Dominici gregis charitate coniuncti*: ac proinde.

epiſt. 57. 58.

Tertio, neminem ex illis *ſingulis Paſtoribus*, quibus *portio gregis aſcripta eſt*, ſed illum ſolum eſſe, ad quem omnes Epiſcopi, alibi damnati, iure merito prouocarent; vtpote ſuper quem vna Chriſti Eccleſia vniuerſa, *originè vnitatis, & ratione fundata ſit, in Petro, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, & cui Primatum dedit, atque cui obtemperari à nouellis, & poſteris oportere* præſcripſit: ad quem, *pro honore communi* omnium, qui eſt ex honore Capitis, in omnia membra redundans, omnia membra difficillima Eccleſiæ controuerſa *referenda*: cui in *Petro primum Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, vt id ſolueretur in cælis, quod ille ſoluiſſet in terra*: ac proindè eundem non eſſe ex illis ſingulis Paſtoribus, quorum nemo *Epiſcopum Epiſcoporum ſe conſtituit, neque cenſurarum terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit*: neque ex illis qui *nemini præſcribentes, aut præiudicantes, quo minus vnuſquiſque Epiſcoporum, quod putat faciat*, in rebus fidei grauiſſimis, relinquens vnuſquiſque ſuo collegæ, *arbitrij ſui liberam poteſtatem*: Sed Epiſcopus Epiſcoporum, qui *Sacerdotes Dei contra veritatem Chriſti, & contra Eccleſiæ vnitatem*, ſuas tuentes opiniones *abſtinendos putat; & dogmatibus auctoritatem præſtat ac firmitatem; & fraternitati vniuerſæ præcipit, ne quis eos, quos ipſe nec ad ſermonem ſaltem colloquij communis admiſerit, in domum ſuam recipiat,*

ep 68. 70. vſque ad 73.

Ad Roman. Pont. omnia difficiliſſima Eccleſiæ negotia referenda.

epiſt. 74.

epiſt. 75.

vt venientibus non ſolum pax & communio, ſed & tectum, & hoſpitium negetur: vtpote apud quem vnum vna eſt Eccleſia, *Matrix* Eccleſiarum. *Quicquid* autem *à matrice diſceſſerit, ſeorſim viuere, & ſpirare non potens, ſubſtantiam ſalutis amiſerit*: adeoque nomenclaturam *Pſeudochriſti, & Pſeudoapoſtoli, & doloſi operarij*, & ex conſequenti, à toto corpore Eccleſiæ abdicationem meruerit: maximè ſi ſuperba contentione obtemperare ſupremo ad tempus vice Chriſti Sacerdoti Iudici recuſauerit, adeoque nouam Cathedram, nouum Altare, nouum Sacerdotium excitare curauerit: cum hoc nulla ratione fieri debuerit, aut decuerit.

Lib. de vnitate Eccleſ. epiſt. 75.

Deus enim vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum Altare, & vnum Sacerdotium non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcumque humano fauore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur. Procul igitur ab huiuſmodi hominum quos Petri ſucceſſor abdicaſſet, *contagione diſcedere omnes debeant, & ſermones eorum velut cancrum, & peſtem fugiendo vitare*. Maximè, cum & ipſe Petrus iſtud vniuerſis præſcripſerit: *Si inimicus eſt iſte Clemens alicui pro actibus ſuis: vos nolite expectare, vt ipſe vobis dicat: cum illo nolite amici eſſe: ſed prudenter obſeruare debetis, & voluntati eius abſque commonitione obſecundare, & auertere vos ab eo, cui ipſum vos ſentitis aduerſum: ſed nec loqui his, quibus ipſe non loquitur: vt vnuſquiſque qui in culpa eſt, dum cupit omnium veſtrum amicitias ferre, feſtinet citius reconciliari ei, qui omnibus præeſt, & per hoc redeat ad ſalutem, cum obedire cœperit monitis præſidentis. Si vero quis amicus fuerit his, quibus ipſe amicus non eſt, & locutus fuerit his, quibus ipſe non loquitur, vnus eſt, & ipſe ex illis, qui exterminare Eccleſiam Dei volunt: & cum corpore eſſe vobiſcum videatur, mente & animo contra vos eſt. Et multo nequior hoſtis hic, quam illi qui foris ſunt, & euidenter inimici ſunt. Hic enim per amicitiarum ſpeciem, quæ ſunt inimica, gerit, & Eccleſiam diſpergit, ac vaſtat*. Iſta quidem Petrus de Clemente, & poſt eum, de nonnemine Romanorum Pontificum, Principe Paſtorum: de quo ſuperiora ex vnico Cypriano adducere voluimus, vt qui Ariſtocratiæ Eccleſiaſticæ auctorem Cyprianum faciunt, luce meridiana clarius videant, Cyprianum, nihil minus, quàm Ariſtocratiam cogitaſſe in vna vniuerſali Eccleſia, extra quam nulla ſalus. Vt enim ad notionem Ariſtocratiæ, quæ *eſt regimen alicuius vnius ac totius communitatis, per Optimates, æquales, independentes inter ſe*, omnia reuocemus, neque Apoſtolorum, neque poſt mortem illorum ſuccedaneis temporibus, Ariſti, ſeu Optimates, ſine vno, Eccleſiam vniuerſam regebant, ex mente, & verbis Cypriani, qui aſſeuerat, hæc quæ repetere viſum.

Deus vnus, Chriſtus vnus, Eccleſ. vna Cathedra vna ſuper Petr. fundata. epiſt 40.

Clem. epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini.

Ariſtocratia quid.

1. Eccleſia toto Orbe diffuſa, eſt vnus Epiſcopatus. Itaque vnum Epiſcopum vniuerſalem oportet in ea eſſe.

2. Eccleſia Catholica toto Orbe diffuſa, eſt inſtar Solis, radicis & fontis, radios, ramos, riuos, longe, lateque porrigentis, vna, vnica, indiuiſa Eccleſia. Itaque habet vnum, vnitatis ſuæ auctorem, ad quem omnes reſpiciant, & à quo omnes, & ſinguli dependeant, tan-

Repetuntur dicta Cypr. pro vnitate Eccl. ſub vno capite, & Principe confirmanda.

tanquam à tradnce, & vnitatis origine.

3. Eeeleſia Catholica eſt vnus grex, ex multis gregibus non tantum ouium, led etiam agnorum, eonſenſione admiranda in vno ouili congregatus. Itaque, & oues, Paſtores, in quantum vnnm effieiunt gregem, habent vnum Prineipem Paſtorem qui eas regat, & cui omnes obediant, eiuſque vocem ſequantur.

4. Eeeleſia Catholica, præter multitudinem credenrium diſcentiumque populorum, eſt etiam collectio Apoſtolorum, Paſtorum, Saeerdotum, & Doctorum. Itaqne opus eſt, vt illis ſit, quemadmodum vna Cathedra, vnum Altare, vnum Sacerdotium, vnaque Eccleſia, vnus etiam ſupremus Doctor, Pontifex, Sacerdos, quem illi audiant, aſpiciant, imitentur, ex cuius præſcripeo doceane, offerant, conſecrent, & ad quem omnia ambigua, indies emergentia referant, & ad cuius Imperium omnes, in vnitarem fidel, Sacramentorum, Sacrificiorum, rituum, morum, diſciplinæ conſpirent, & idipſum ſapiant, & non ſint ſchiſmata. Namque Dominus ille Bonus Paſtor, qui dixit, fiet vnum ouile, & vnus Paſtor, *vnitatis originem, ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit*, vt vnus grex Paſtorum, Doctorum, & Saeerdotum, ſi vnus andire cupit, ab vno incipiat, in vnius regimine conquieſcat, in vnum reſpiciat vnicum, Principem Paſtorum, qui primus poſt Chriſtum PETRVS PONTIFEX CATHOLICVS, & poſt Petrum PONTIFEX ROMANVS.

In vno Petr. Eccl. ædificata.

Princeps Paſtorum, Cypriano Martyri, Petrus Apoſtolns. Namque in vnico Petro, velut in proangulari lapIde, Chriſtus ædificauit Eccleſiam vniuerſam; & ad eius compaginationem, reliquos Apoſtolorum in fundamenta ſingularia admiſit; qui *vnitatis originem, ab vno incipere, ſua auctoritate diſpoſuit*. Deinde, rotius eorporis myſtici, quod in terris relinquebat, Petrum vnicum, viſibile Capur inſtituit, eum ei nomen Simonis, in *Petri* mutauit: reliquorum antem *vnicuique data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*, qui Caput Primarium, & inuiſibile, *ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem, in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationẽ ſui in charitate*: ſcilicet vt vnum quodque membrum in ſuo ordine, eſſet membrũ in ſolidũ: nempè oculus in ſolidũ oculus; manus, in ſolidum manus; & reliqua ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, in ſolidum iuxta ſuam vnumquodque menſuram operationis; ſub vno tamen Cepha, ſeu Capite Petro; cum qno nullum membrum Caput in ſolidum, Tertio: Vni Petro Claues Principatus dedit: reliquos Legatione defungi voluit, qua in, pares omnes fecit. Primatum Petro dedit, vt vnam Eccleſiam, & vnam Cathedram efficeret, atq; erigeret.

Eph. 4.

Vni Petri claues Principatus datæ.

Vni Petr cura ouium commiſſa.

Quarto, vni Petro vniuerſum gregem, & ouium, & Paſtorum, commiſit: reliquis portionem gregis, quam ex partitione Prouinciarum cum authoritate Legationis paſcerent, diſpoſitione Petri diſtribuit: nec niſi Legatione fungentibus Apoſtolis, quoad Legatione pro Chriſto fungerentur, vt per Orbem vniuerſum excurrerent, & Eecleſiam vbique locorum ædificarent, permiſit. Quamobrem, neque Paulus qui plus omnibus laborauit, neque Ioannes quem Chriſtus præ cæteris dilexit, neque Andreas maior natu, neque aliquis Apoſtolorum alius, ſed ſolus vnicus Petrus, idque cum auctoritate, *Matricem*, & *Radicem* omnium Eccleſiarum conſtituit, ad quam omnes Eccleſiæ vbique terrarum diffuſæ reſpicerent, accurrerent, & ab ea vnitatem, vitam, robur, perennitatemque acciperent: neque ſibl aliud Saeerdotium, aliud altare, aliam Eccleſiam alibi crearent: vt ab hac quoque parte, vnitas Principis Paſtorum, Romani Pontificis demonſtretur; quod ille vnius Eccleſiæ Matricis Paſtor, ſuper omnes Paſtores quemadmodum & illa ſuper omnes alias Eccleſias, emineat, Primatu diuinitus accepto, ad conſtituendum vnum altare, vnumque Sacerdotium, ad creandos vniuerſos EpIſcopos, ad fundandamque vnionem, ſeu communionem omnium: cum poteſtate admIttendi, & eijciendi, ligandi, & ſoluendI; vtpote qui ſit ille vnus Sacerdos, vice Chriſti vnicus Iudex, adeoque Epiſcopus Epiſcoporum, præſcribere, & præiudicare omnibus Epiſcopis ſolus potens, ne vnuſquiſque quod putat faciat, ſed illum vnum vnicum omnes audiant, & quos ipſe colloquio ſuo indignos indicauerit non audiant, & ab eo in omnibns rebus accipiant auctoritatem atque firmitatem.

Solus vnicus Petr. idque cum auctoritate matricem Eccleſ. conſtituit.

Itaque, vbi eſt, inter Eccleſias quidem vna ſola Principalis, Matrix, & Radix, omnibus alijs cum poreſtate eminentior; inter Paſtores vero vnus, qui Caput, qui totius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, qui per plurimas Ciuitates Apoſtolos ſuos mittat; qui per omnes Prouincias, & per Vrbes ſingulas ordinet Epiſcopos; qui Eccleſiaſtici corporis compaginem, ſola ſignificatione aſſumptionis ſuæ, deuinciat: qui Petri Principis Apoſtolorum Cathedram obtineat: qul vice Chriſti ad tempus Iudex, & ſummus Sacerdos, neceſſitatem obtemperandi omnibus Epiſcopis imponat; qui vna cum florentiſsimo Vrbis Clero Orbi præſideat; qui omnium Epiſcoporum controuerſias cognoſcat, & decernat; qui omnibus præſcribat, & præiudicet; qui omnes ſibi inobedientes abſtinendos putet; qui inter omnes vnus, dogmatibus anthoritatem præſtet, & firmitatem; qui totam vnitatem, adeoque molem vniuerſam Catholicæ Eccleſię ſolus contineat; aduerſum quem, Caput, iam eſt extra Eccleſiam, adulterum, & contrarium Caput; aduerſum quem conſenſio, iam eſt Eccleſiæ alterius inſtitutio, Chriſti membrorum diſcerptio, & Dominici gregis laceratio: aduerſus quem homo, iam eſt de Eccleſia Chriſti exul, veritatis, ac fidei naufragus, Eccleſiæ deſertor, & profugus, à Chriſto alienus, Pſeudoapoſtolus, doloſus operarius, Pſeudochriſtus, Antichriſtus, vnus & ipſe ex illis, qui exterminare Eccleſiam Dei volunt: aduerſum quem Paſtor æmulus, iam non Epiſcopos, ſed Pſeudoepiſcopos, non Apoſtolos, ſed Pſeudoapoſtolos creare, & mittere audens, poſt connexam, & vbique coniunctam Catholicæ Eecleſiæ vniratem, humanam Eecleſiam faciat, & Eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſuæ ſeminatione reſcindat: vtpote extento collo erectus, aduerſus omnium Epiſcoporum teſtimonium, quorum numerus vniuerſus per totum mundum concordi vnanimitate con-

Primatus Rom Pont. elogia.

ſentire ſolet, quod de nullo alio, quàm Romano Epiſcopo fieri perpetuo ſolet, aſſumptioni illius, qui Cathedram Petri à legitima aſſumptione aſcendit: vbi, inquam, ex verbis Cypriani inter omnes Epiſcopos eſt vnus talis Epiſcopus, cùm hac ſuprema in omnes Paſtores, & oues auctoritate: neſcio quomodo ex ſententia eiuſdem, Optimatum regimen; ſeu Ariſtocratia in Eccleſia vniuerſali admittenda: cùm nemo inſolidum, cum Pontifice Romano, eandem auctoritatem Iuriſdictionis obtineat; ſed omnibus illis vnus ipſe, poteſtate ſuper omnes ampliſſima emineat: quemadmodum etiam Petrus Apoſtolus, velut PRIMAS inter omnes Apoſtolos vnus eminebat: Euſebio teſte, *Chriſtianorum Pontifex primus*.

Græcorum Patr. de Primatu Petri præclara teſtimonia.

Chron. an 44
Origene: *Paſtor, cui Chriſtus ſummam rerum de paſcendis ouibus tradidit, & ſuper quem velut ſuper petram fundauit Eccleſiam*.

in cap. 6 ad Rom. Serm. de Iudicio Dei.
Baſilio: *Omnibus diſcipulis antelatus, cui claues Regni cæleſtis commiſſa*.

Orat. de moder. in diſp.
Nazianzeno: *Ex magnis omnibus, & excelſis, atque electione dignis Chriſti diſcipulis, ſolus Petra vocatus: qui Eccleſia fundamenta fidei ſua credita habeat, cui reliqui diſcipuli poſthaberi ſe tranquillo animo ferant*.

in epiſt. ad Felicem.
Athanaſio: *Fundamentum, ſuper quod columnæ Eccleſia, Epiſcopi, ſunt confirmata*.

Hæreſ. 51. in Ancorato.
Epiphanio: *Dux diſcipulorum qui audiuit, Paſce agnos meos, cui creditum eſt ouile vniuerſum*.

Catecheſ. 2. lib. 12. in Ioã. & in theſaur.
Cyrillo Hieroſolymitano: *Princeps Excellentiſſimus Apoſtolorum*.

Cyrillo Alexandrino: *Princeps, & Caput cæterorum, cui, & eius ſucceſſoribus, & nulli alij, Chriſtus, quod ſuum eſt plenum dedit*.

Hom. 15. in Matth & vltima in Ioan.
Chryſoſtomo: *Paſtor, & Caput, & Pater, quem vniuerſo terrarum Orbi Chriſtus præpoſuit: cui Fratrum, id eſt, Apoſtolorum curam demandauit, & Orbem totum commiſit*.

in 1. vlt Ioan & in 16 Matt.
Euthymio: *Totius Orbis Magiſter, atque Epiſcopus, & fundamentum credentium*.

in 22. Luca.
Theophylacto: *Princeps diſcipulorum; poſt Chriſtum, Eccleſia petra, & fundamentum; Primatum omnium, & Præfecturam Orbis à Chriſto conſecutus*.

in c. 5. Cant. in c. 1. Act. lib. 3 de proceſſ Spiritus S. c. 17.
Pſello: *Apoſtolorum Princeps, & Eccleſiæ fundamentum*.

Oecumenio: *Cui diſcipulorum præſidentia commiſſa*.

Hugone Ætheriano: *Quem, & eius ſucceſſorem Principem, & Caput, non modo Latinorum, & Græcorum, Occidentis, & Septentrionis vniuerſi, verum etiam Armenorum, Arabum, Iudæorum, Madianitarum, & totius Orientis, & Meridiani climatis in perpetuum conſtituit*.

Serm. de transfigurat.
Æphrem Syro: *Eccleſiæ vniuerſa fundamentum, & Clauiger Regni cælorum*.

Ser. in Apoſt. Petrum, & Paulum.
Gregorio Cemiulacho Metropolitæ Ruthenorum: *Caput Apoſtolorum. Eccleſia fundamentum, adamante fortior. Moyſe, & omnibus Prophetis eminentior. Vniuerſo Orbi Prælatus. Nauarchus Lyburnæ Eccleſiæ. Paſtor vigilantiſſimus omnium ouium, & agnorum Chriſti; aduerſus quem portæ inferi non præualebunt*.

Præclara iſta ſunt, de Petri Primatu, Græcorum Patrum teſtimonia: quibus, ne aliquis offenderetur, quaſi contumeliam Chriſti, aliqua Chriſto communia encomia, illi deferantur, S. Baſilius occurrebat, atque tacitæ oppoſitioni reponebat: *Petrus dixerat*, ait, *iam antea, & Beatus pronunciatus fuerat; dixerat*: Tu es filius Dei excelſi *& viciſſim audierat, ſe eſſe Petram: ita laudatus à Domino. Licet enim Petra eſſet, non tamen Petra erat vt Chriſtus. Vt Petrus, Petra erat. Nam Chriſtus verè eſt immobilis Petra; Petrus verò propter Petram. Axiomata namque ſua Ieſus largitur alijs. Largitur autem ea non euacuatus, ſed nihilominus habens. Lux eſt! vos eſtis lux mundi, inquit. Sacerdos eſt! & facit Sacerdotes. Ouis eſt! & dicit: Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum. Petra eſt! & Petram facit. Quæ ſua ſunt, largitur ſeruis ſuis*, ſcilicet. Ille, qui eſt Caput corporis Eccleſiæ, Primatum in omnibus habens, Paſtor magnus ouium, & Princeps Paſtorum; nihil ſibi detraxit, ſi Simonem Ioannis, Cepham, id eſt, Caput, Primatem, Paſtorem magnum, adeoque Principem Paſtorum, vice ſui fecit, vt vnam Cathedram, & vnam Eccleſiam monſtraret, conſeruaretque, ab eius, & ſucceſſorum illius ampliſſima poteſtate: namq; & in eoſdem, Chriſtus, illam ipſam dignitatem propagauit, poſtquam ei complacuit corporis Eccleſiaſtici compaginem ædificare, vſq; ad ſæculi conſummationem. Quoad vſque ergo Eccleſiaſticum ouile, & corpus proſtabit; proſtabit autem, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, proſtabit quoque in eo Princeps Paſtorum, & Caput ſupremum Romanus Pontifex, in adminiſtrationem exteriorem totius ouilis, & Capitis; omnium ouium, & agnorum, & Paſtorum, & membrorum aſſumptus; qui & ipſe, cum authoritate reliquis permittat, & præſcribat, quod olim Petrus ſuis permiſit, & præſcripſit: *Paſcite qui in vobis eſt*, id eſt, non vniuerſum *gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in Clericis, ſed forma facti gregis ex animo, & cùm apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam*. 1. Petr. 5.

Agnouit Diuus Chryſoſtomus, Romanũ Pontificem, Petri ſucceſſorem, eſſe Principem Paſtorum. Namque conſtantiſſimè aſſeruit, Chriſtum non alia de cauſa ſuum ſanguinem fudiſſe, niſi vt pecudes rationabiles acquireret, *quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat: cum*, Paſce oues meas, Paſce agnos meos, *dicebat*. At Petrum, iſtis verbis, Principem Paſtorum conſtituit Chriſtus; Itaque & hoc dignitatis Petri ſucceſſori impertiuit. *lib. 2. de Sacerdotio.*

Ante Diuum Chryſoſtomum, iſtud pariter agnouit Magnus Athanaſius Alexandrinæ Eccleſiæ Antiſtes, cùm Felici Papæ ſcripſit, quod *eum, & prædeceſſores eius omnes Apoſtolicos Præſules, Chriſtus, in ſummitatis arce conſtituit, omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit, vt omnibus Epiſcopis ſuccurreret*. S. Atanaſ. *in ep. ad Felicem.*

Ante S. Athanaſium, Sanctus Irenæus eandem eminentiam in Romano Pontifice agnouit, cùm *ad Eccleſiam Romanam, propter potentiorem principalitatem, omnem conuenire oportere Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles, dixit*. S. Irenæus. *lib. 3. c. 3.*

Coætanei Diuo Athanaſio, 318. Patres Nicæni, illam ipſam præſtantiam Romani Pontificis agnouerunt, &, vt Paſchaſinus, Vicarius Sedis Apoſtolicæ, ex incorrupto codice recitauit Patribus Calcedonenſibus, Patrũ Cõc. Nicæni CCCXVIII Canon de Primatu Eccl. Rom.

Tomo 2. Cōc. act. 16. Conc. Calced.

bus, confeſſi ſunt: *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*. Iſtum enim Canonē VI. Paſchaſinus trecentorum XVIII. Sanctorum Patrum eſſe oſtendit; & poſtea adiunxit: *Teneat autem, & Ægyptus, vt Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem: quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo. Similiter autem & in Antiochia, & in alijs Prouincijs, Primatus Eccleſijs conſeruetur. Quoniam verò mos antiquus obtinuit, & vetuſta traditio, vt etiam Æliæ, id eſt, Hieroſolymorum Epiſcopo deferatur, habeat conſequenter honorem ſuum; ſed Metropolitano ſua dignitas ſalua ſit*. Eundem Canonem, in eodem Patrum Calcedonenſium conſeſſu, ex Codice Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, ſed iam vitiato, Conſtantinus Secretarius diuini Coſiſtorij recitauit, iſtis verbis: *Regula ſexta trecentorum decem, & octo Sanctorum Patrum. Antiquæ conſuetudines teneant in Aegypto, vt Alexandrinus Epiſcopus omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc conſuetudo eſt, Similiter autem, & in Antiochia, & in alijs Prouincijs, Primatus habeant Eccleſiæ Ciuitatum*. His adiunxit Conſtantinus, Synodicum primi Concilij ſub Nectario Epiſcopo Conſtantinopolis, Epiſcoporum centum quinquaginta. *Epiſcopi vltra Diœceſim, ad Eccleſias, quæ ſunt vltra terminos non tranſcendant, neque confundant Eccleſias; ſed ſecundùm regulas, Alexandriæ quidem Epiſcopus, ea ſolùm quæ ſunt in Ægypto, diſponat: Orientis autem Epiſcopi, Orientem ſolùm gubernent, ſeruatis honoribus Primatus ſecundùm Canones Nicænos Antiochenæ Eccleſiæ: & Epiſcopos Aſianæ Diœceſis Aſianam Diœceſim tantummodo gubernare, & Ponticos Ponticam, & Thraciæ Thraciam ſolùm. Eas autem, quæ ſunt in barbaris gentibus Dei Eccleſias, gubernari oportet ſecundùm hanc, quæ Patrum tempore conſuetudo tenuit: Epiſcopatum tamen Conſtantinopolitanum habere Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum; propterea quod ſit noua Roma*.

In 1. Tomo Conciliorum vulgatis editionis, is ipſe Canon VI. Concilij Niceni ſic legitur: *Antiqua conſuetudo ſeruetur, quæ eſt per Ægyptum, Libani, & Pentapolim, itavt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem: quia & Vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem, & apud Antiochiam, cæteraſque Prouincias, ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſijs. Illud autem generaliter clarum eſt, quod ſi quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus diffiniuit, Epiſcopum eſſe non oportere*. Dionyſius Abbas, cognomento Exiguus, ante mille circiter annos, eundem Canonem ex Græco vertens legebat; *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum: mos autem antiquus perduret in Ægypto, &c.* Ruffinus hæreticus, & ſchiſmaticus, nimiæ in ſcribendo libertatis, in compendium magno damno redigens Canones Nicænos contrahebat: *Vt apud Alexandriam, & in Vrbe Roma vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt illi Ægypti, hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat*. Vtcunque Canon iſte legatur Nicænus, agnouerunt in eo Patres Primatum Pontificis Romani, non verò, aut tunc primum ſtatuerunt, vt Theodorus Balſamon ſomniat, aut certis limitibus circumſcripſerunt, vt cum Molinæo nonnulli hæreticorum mentiuntur. Et ſi quidem legatur, quemadmodum Paſchaſinus Vi-

lib. 1. c. 6.

carius recitauit, *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*, huic ſoli lucernam addere opus non eſt. Præſertim, cùm & Concilij Calcedonenſis Iudices, poſt eius recitationem interlocuti, *Perpendimus*, dixerunt, *omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum, ſecundùm Canones, antiquæ Romæ Archiepiſcopo conſeruari*.

Eccl. Rom. ſemper habuit primatū ex Conc. Calced.

lib. 6. ep. 37.

Si verò, vel ex Codice Conſtantinopolitano, vel ex vulgari editione Concilij Nicæni vel ex verſione Dionyſiana accipiatur; aſpexerant Patres ad id, quod poſt Cyprianum Gelaſius, & Gregorius Pontifices aliquando ſcripſere; ſcilicet Eccleſiam eſſe vnam, ex tribus Patriarchalibus, ac omnibus alijs, ſuper Petrum fundatam. *Cùm multi ſint Apoſtoli*, ita Gregorius Eulogio Alexandrino, *pro ipſo tamen Principatu ſola Apoſtolorum Proncipis ſedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius eſt. Ipſe enim ſublimauit ſedem, in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decorauit ſedem, in qua Euangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe firmauit ſedem, in qua ſeptem annis, quamuis diſceſſurus ſedit. Cùm ergo vnius atque vna ſit ſedes, cuius ex auctoritate diuina tres nunc Epiſcopi præſident*, & hæ duæ, à Petro Principe Apoſtolorum, duobus Primatibus, eius Vicarijs fuerint traditæ; & non duæ, ſed vna ſedes Petri Principis, Primatum omnium ſupremi, vnà cum Romana Eccleſia deputentur; voluerunt Patres illo Canone ſexto decernere, vt in Ægypto, Alexandrinus; Antiochenus autem in Oriente omnium habeat poteſtatem; quandoquidem & Romanus Pontifex, à quo vterque obtinuit vicariam authoritatem, ſeu quod Cyprianus ait, partem eius Epiſcopatus in ſolidum ſub primo Primate, & à primo Primate accepit, talem adhuc vtrobique ex conſuetudine retineat ampliſſimam, & ſupremam omnium poteſtatem: nemo vt præter voluntatem illius, Epiſcopatum vtrobique aſſumat: & ſi quis præter illius ſententiam fuerit factus, non ſit Epiſcopus, ſed Pſeudoepiſcopus: cùm ad illum, & Apoſtolos per Ciuitates mittere, & Epiſcopos per Prouincias atque Vrbes creare pertineat.

Cæterum, quia vtriuſque, ab arbitrio Petri, qui Epiſcopos Alexandriæ, & Antiochiæ præficiebat, limitata eſt poteſtas; vtpote certam portionem gregis Dominici, certis limitibus prouinciarum, tunc cum eis diceret, *Paſcite, qui in vobis eſt gregem*, circumſcripta; ideo ne, qui inter ſe, alterutrum in ſolidum, partem Epiſcopatus vniuerſalis obtinuerunt, diœceſes tranſilirent, & Eccleſias confunderent; Alexandrinus quidem tantum Ægyptias, Antiochenus autem Orientis Eccleſias adminiſtraret; omnium Suburbicariarum Eccleſiarum, toto Orbe ſcilicet diffuſarum, cura penes Romanum Pontificem reſidente. Iſtud enim, etiam Ruffino compendiatore, Patres Nicæni, apertiſſime inſinuabant, cum Alexandrino Ægyptias tantum, Romano vero, & has, & quotquot Romanæ Vrbi Suburbicariæ eſſent, ſcilicet; quotquot Romano Imperio in Oriente, Occidente, Meridie, & Septentrione continerentur, aſſignabant.

Eniunero, ſi verum eſt, quod etiam Sanctus Athanaſius aliquando, vitam ſolitariam agentibus ſcripſit, quia *Romæ Metropolis eſſet Romanæ ditionis*: Si etiam Vrbicariæ regio-

Vrbicariæ regiones quando ſic dictæ.

l. 12 & 14 C. Th. de indul. debit. l. 9. C. Th. de extra-ord. muner. l. 1. C. Th. ſuper obrept. l. 3. & 6 C. Th. de can. frum. vrb. Rom. & lib. 2. & 3. C. Iuſtin. eodem

giones, non tantum eſſent loca Vrbi vicina, ſed etiam regiones, & prouinciæ, intra, & extra Italiam vbique gentium poſitæ; quæ, quod Vrbi deberent annonam, Vrbicariæ appellabantur, & plurimas ſingulæ prouinciæ ciuitates complectebantur, quæ etiam Suburbicariæ ea propter nuncupabantur: conſectaneum eſt, etiam ex verſione ſeu compendio Ruffini, in Romano Pontifice, ſupremam poteſtatem, ſuper omnes Imperij Romani Eccleſias, Patres Nicænos agnouiſſe: maxime, quod Cyprianus longe pridem Nouatiano aduerſus Cornelium à Schiſmaticis intruſo, ad Antonianum ſcribat; Indignum reputans, ſi Nouatianus humanam conetur Eccleſiam facere, & per plurimas Ciuitatem Apoſtolos mittere, & recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituere; poſtquam iampridem ab Epiſcopis Romanis per omnes prouincias, & per vrbes ſingulas ordinati fuerint Epiſcopi: adeo vt Nouatianus ſuper eos quos Romanus Epiſcopus ordinauit, nonniſi Pſeudoepiſcopos creare audeat; *quaſi poſſit, aut TOTVM ORBEM noui conatus obſtinatione peragrare, aut Eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſua ſeminatione reſcindere.* Quid enim, *totum Orbem* Nouatiani auſibus; ſi totus Orbis non Cornelij poteſtati ſubiectus? Quid Pſeudoepiſcopos per omnes prouincias, & Vrbes à Nouatiani præſumptione creari; ſi non poteſtas Cornelio, atque nonnemini Romanorum Pontifici, per Ciuitates plurimas Apoſtolos mittere, & per omnes prouincias, & Ciuitates legitimos Epiſcopos creare? Quis autem, vel Metropolitanorum, vel Primatum, extra terminos ſuos, & vltra diœceſim ſuam Epiſcopos conſtituere audeat, quemadmodum Pontifex Romanus ex teſtimonio Cypriani, longe ante Concilium Nicænum, per omnes prouincias, & per vrbes ſingulas ordinabat?

epiſt. ad Pammachium.

Ad Alexandrinum Epiſcopum, ita Hieronymus, Ioanni Hieroſolymitano Epiſcopo olim opponebat, *Palæſtina quid pertinet?* Certum quia ad Romanum Pontificem, & Oriens, & Alexandria, & Palæſtina pertinet. Nam, quod Anacletus ait, apud Antiochiam, ſedes Beati Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis; & apud Alexandriam ſedes Beati Petri nomine à Marco eius diſcipulo conſecrata eſt: & ſi quis Chryſoſtomum *percontaretur, quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis acceperit*; *reſponderem*, aiebat, *hunc Petrum totius Orbis Magiſtrum, conſtituiſſe.*

Itaque cum Patres Nicæni, ſuper omnes totius Imperij Romani Eccleſias, in prouincijs Suburbicarijs vbique terrarum conſtitutas, in Romano Pontifice poteſtatem agnoſcunt, & Supremam in Alexandrinam Eccleſiam authoritatem in eo eſſe fatentur, proculdubio Principem Paſtorum, adeoque Catholicæ Eccleſiæ, vniuerſalem Epiſcopum illum eſſe agnoſcunt. Namque iſtud honoris, aliorum quoque Conciliorum Oecumenicorum Patres in eodem agnoſcunt. Conſtantinopolitani quidem, cum ingenue fatentur, ſe iuſſu Damaſi Pontificis ad Concilium Generale conueniſſe, & Romanam quidem Eccleſiam Caput, ſe vero membra eſſe. Epheſini, cum teſtantur, ſe iuſſu Cœleſtini Romani, Neſtorium Patriarcham Conſtantinopolitanum depoſuiſſe, cauſam vero Ioannis Antiocheni Patriarchæ iudicio eiuſdem reſeruaſſe. Chalcedonenſes, qui Leonem Pontificem, *Vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem, & totius vineæ Dominicæ cuſtodem à Saluatore inſtitutum* ſalutarunt; nec non Dioſcorum Alexandrinum Patriarcam, quod contra illum extendiſſet inſaniam Sacerdotio mouerunt. Conſtantinopolitani, ante quintam Synodum, in cauſa Anthimi congregati, cum aiunt; *Nos Apoſtolicam ſedem ſequimur, & obedimus, & ipſius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa, & nos condemnamus.*

Epiſt. ad Damaſum apud Theodoret. l. 5. hiſt. c. 9. Euagr. lib. 1. hiſt. c. 4. Action. 1. 2. 3. & in epiſt. ad Leon. Act. 4.

Conſtantinopolitani, in quinto Oecumenico Concilio, cum Vigilij Papæ, de tribus Capitulis ſententiam requirunt, & Origeniſtas damnantem ſequuntur. Conſtantinopolitani, in ſexta Oecumenica Synodo, cum ex Agathonis Pontificis præſcripto omnia decernunt, & à *Primæ ſedis* vt aiunt, *Antiſtite vniuerſalis Eccleſiæ, ſtante ſupra firmam fidei petram* confirmationem eorum quæ in commune conſtituerant petunt. Nicæni in ſeptima Synodo cum Hadriani ad Tranſitum Epiſtolam, in qua is de Petro, quod is *iuſſu Dei Eccleſiam paſcens, vbique Principatum obtinuit, & obtinet*: &, *cuius ſedes per totum terrarum Orbem Primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei Caput exiſtit*, affirmabat, receperunt atque probarunt, nec non affirmarunt, ad robur Concilij Oecumenici ſufficere, ſi *Sanctiſſimus Apoſtolicus Papa Romanus concordauerit*, quamquam alij Patriarchæ Orientis intereſſe nequiuerint. Conſtantinopolitani, in octauo Generali Concilio, cum ex ſententia Nicolai Primi, & Hadriani Secundi Pontificum Romanorum, Photium Conſtantinopolitanæ ſedis intruſum, titulum *Vniuerſalis Pontificis* ſibi temere vſurpantem, damnarunt, inque hunc modum edixerunt.

Act. 1. apud Anaſtaſ. Bibliothec.

CAP. II.

Patrũ Conc. Cõſt. VIII. edicta ex quibus Roman. Pont. prærogatiua aſſeritur.

„ *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis:*
„ *ipſi enim peruigilant pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri*; Paulus Magnus Apo-
„ ſtolus præcipit. Itaque Beatiſſimum Papam
„ Nicolaum, tanquam organum Sancti Spiri-
„ tus habentes, nec non & Sanctiſſimũ Adria-
„ num Papam ſucceſſorem eius, definimus at-
„ que ſancimus etiam, omnia quæ ab eis Sy-
„ nodice per diuerſa tempora expoſita ſunt, &
„ promulgata, tam pro defenſione ac ſtatu
„ Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ, & ſummi
„ Sacerdotij eius, Ignatij videlicet, Sanctiſſi-
„ mi Patriarchæ, quam etiam pro Photij Neo-
„ phyti & inuaſoris expulſione, ac condemna-
„ tione ſeruari ſemper & cuſtodiri cum expoſi-
„ tis capitulis immutilata pariter & illæſa: &
„ nullum Epiſcoporum, aut Presbyterorum,
„ vel Diaconorum, aut quempiam de Catalogo
„ Clericorum, euertere, vel reprobare aliquid
„ horum audere. Quiſquis autem poſt hanc
„ diffinitionem noſtram comprehenſus fuerit
„ ſpernens quidquam capitulorum, & decreto-
„ rum, quæ ab illis expoſita ſunt, ſiquidem
„ Sacerdos fuerit, aut Clericus, à proprio de-
„ cidat honore ſimul & ordine: Monachus au-
„ tem, vel Laicus, cuiuſcumque ſit dignitatis,
„ ſegregetur, donec pœnitus profiteatur ſe
„ conſeruaturum prædictorum editionem.

„ *Præter hæc, iidem Patres promulgarunt, ex*

qui-

, quibus magna prærogatiua Romani Pontificis.

CAP. XXI.

, Sancta & vniuerſalis Nicæna prima Sy-
, nodus, antiqnam conſuetudinem iubet ſer-
, nari per Aegyptum, & prouincias, quæ ab
, ipſa ſunt, ita vt horum omnium Alexandri-
, nus Epiſcopus habeat poteſtatem, dicens:
, *Quia & in Romanorum ciuitate huiuſmodi mos*
, *præualuit*. Qua pro cauſa, & hæc magna, &
, ſancta Synodus tam in Seniori, & noua Ro-
, ma, quàm in ſede Antiochiæ, ac Hieroſo-
, lymorum priſcam conſuetudinem decernit
, in omnibus conſeruari: ita vt earum Præſu-
, les, vniuerſorum Metropolitanorum, qui ab
, ipſis promouentur, & ſiue per manus impo-
, ſitionem, ſiue per pallij dationem Epiſcopalis
, dignitatis firmitatem accipiunt, habeant
, poteſtatem, videlicet ad conuocandum eos
, vrgente neceſſitate ad Synodalem conuen-
, tum, vel etiam ad coercendum illos & cor-
, rigendum, cum fama eos ſuper quibuſdam
, delictis forſitan accuſauerit.

CAP. XXII.

, Dominicum ſermonem, quem Chriſtus
, Sanctis Apoſtolis & diſcipulis dixit, quia,
, *Qui vos recipit, me recipit, & qui vos ſpernit,*
, *me ſpernit*; ad omnes etiam, qui poſt eos
, ſecundum ipſos ſummi Pontifices, & Paſto-
, rum Principes in Eccleſia Catholica dictum
, eſſe credentes, definimus, neminem prorſus
, mundi potentium, quemquam eorum qui
, Patriarchalibus ſedibus præſunt inhonorare,
, aut mouere à proprio throno tentare, ſed
, omni reuerentia & honore dignos iudicare;
, præcipuè quidem ſanctiſſimum Papam Se-
, nioris Romæ, deinceps verò Conſtantino-
, poleos Patriarcham, deinde verò Alexan-
, driæ, ac Antiochiæ, atque Hieroſolymorum:
, ſed nec alium quemcumque conſcriptiones
, contra ſanctiſſimum Papam Senioris Romæ
, ac verba complicare, & componere, ſub oc-
, caſione quaſi diffamatorum quorundam cri-
, minum: quod & nuper Photius fecit, & mul-
, to ante Dioſcorus. Quiſquis autem tanta
, iactantia & audacia vſus fuerit, vt ſecundum
, Photium, vel Dioſcorum, in ſcriptis, vel
, ſine ſcriptis iniurias quaſdam contra Sedem
, Petri Apoſtolorum Principis moueatur,
, æqualem & eamdem quam illi, condemna-
, tionem recipiat. Si verò quis aliqua ſæculi
, poteſtate fruens, vel potens, pellere tentaue-
, rit præfatum Apoſtolicæ Cathedræ Papam,
, aut aliorum Patriarcharum quemquam, ana-
, thema ſit. Porro ſi Synodus vniuerſalis fue-
, rit congregata, & facta fuerit etiam de ſan-
, cta Romanorum Eccleſia quælibet ambigui-
, tas & controuerſia; oportet venerabiliter, &
, cum conuenienti reuerentia de propoſita
, quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere:
, aut profectum facere; non tamen audacter
, ſententiam dicere, contra ſummos Senioris
, Romæ Pontifices.

Hæc cum Patres octauæ Synodi decernerent, Romanum Pontificem, Paſtorum omnium Principem, etiam reliquis Patriarchis prælatum agnoſcebant; quod illum à ſententia, etiam Synodica eximerent; quod Eccleſiæ illius controuerſiam, nonniſi ambiguam: nonniſi Synodico vniuerſalis Concilij iudicio; & quid niſi ipſi Romano Pontifici, qui & congregare, & præſidere debet Concilijs, reſeruarent: quod ab omni iniuria, & per conſequens à cenſura compatriarcharum immunem debere eſſe decernerent: quod in Alexandrinam Eccleſiam, antiqua illius iura integra eſſe vellent: quod in præſules Patriarchalium ſedium, propterea quod ab eo pallium dignitatis Epiſcopalis inſigne accepiſſent, poteſtatem illum habere iuſinnaſſent: quod in vniuerſos totius Eccleſiæ Metropolitanos & Epiſcopos, eandem anthoritatem, propter manus impoſitionem, obtinere, exinde ſignificaſſent, quia ipſe ſit Sacerdotij eorum origo, caput, & fontana: quod primum, ante omnes Patriarchas, locum, iure diuino illi proprium, liberum permiſiſſent: & quod etiam omnium Superiorum ſeptem Generalium Conciliorum Patres, Legatis & Vicarijs Romani Pontificis, primas in conſeſſu, inque ſententijs ſiue ferendis, ſiue ſubſcribendis deberi, conſenſione totius Orbis indicaſſent: ac inſuper, Synagogas malignantium, imo ſpeluncam latronum, & conuenticula ſanguinum, & fabricatorum mendacij, qui aduerſus Sedis Apoſtolicæ Primatum factioſe conſpirauerant, necnon illos quoque qui ea defenderent, vel ipſa geſta eorum celarent, & non potius ſi hæc inueniſſent, concremarent, inſolubilibus anathematis vinculis innodaſſent.

Aliorum Conc. Oecum. auctoritate eadẽ dignitas Principis Paſtorum demonſtratur.

Exemplo ſuperiorum Conciliorum, ſubſequentes aliarum Oecumenicarum Synodorum Patres, eandem dignitatem Principis Paſtorum in Romano Pontifice agnouerunt; & Lateranenſes quidem ſub Innocentio tertio propterea, Romanam Eccleſiam, diſponente Domino, ſuper omnes alias, ordinariæ poteſtatis obtinere principatum, vtpote quæ mater vniuerſorum Chriſti fidelium ſit & Magiſtra, dixerunt. Lugdonenſes ſub Gregorio decimo Græcis ſubſcribentibus, Romanum Epiſcopum, Vicarium Chriſti, Succeſſorem Petri, Rectorem Vniuerſalis Eccleſiæ, conſalutarunt. Florentini, conſentientibus pariter Græcorum Imperatore, Patriarcha, & Metropolitis, Romanum Pontificem in vniuerſum Orbem tenere Primatum, ipſumque eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum Succeſſorem, verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem; cui in Beato Petro, paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam Chriſtus dedit plenam poteſtatem, definiuerunt. Viennenſes, Conſtantienſes, Lateranenſes, & Tridentini, qui mandato Romanorum Pontificum, Clementis Quinti, Martini Quinti, Iulij Secundi, Leonis Decimi, & Pauli Tertij & Quarti, Iulij Tertij, & Pij Quarti Concilijs interfuerunt, & ſuam tum in dogmatibus condendis, tum in moribus reformandis, tum in diſciplina ſancienda ſententia, illorum decretis poſtpoſuerunt, necnon pro Principatu illorum plurima tum dixerunt, tum egerunt. Præter Oecumenicorum Conciliorum Patres, aliarum quoque Synodorum Antiſtites, Romanum Pontificem, Principem Paſtorum agnouerunt.

Edictum Conc. Carthagin.

Iſtud honoris nomen, cum Primates reliqui Apoſtolicis Eccleſijs Præfecti exambirent,

Pa-

Patres Africani inConc. Carthaginen. edixerunt, *vt primæ Sedis Epiſcopus, non appelletur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, aut aliquid eiuſmodi, ſed tantum Primæ ſedis Epiſcopus*: ſcilicet vt & nominum arrogantiam tollerent, & hoc nominis ſoli Summo omnium Antiſtiti Romano Pontifici, in quem procul- bio nihil potuerſnt ſtatuere, conſeruarent. Addititium eſt, quod Nauatores exultantes in Gratiano legebant; *Vniuerſalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur*: cum id neque in Concilio Carthaginenſi reperiatur, neque Carthaginenſes id poterant decernere, aut honorem eum Pontifici Romano detrahere, quem illi Chriſtus ipſe detuliſſet, & vniuerſa antiquitas agnouiſſet.

cap. 26.

Paſtor enim ouium omnium, & agnorum, idem eſt, quod Paſtor vniuerſorum, vel vniuerſalis: non quod Romanus Pontifex ipſe ſolus, vnus, vincus, & ſingularis ſit Paſtor, præter quem nemo alius ſit in partem ſollicitudinis vocatus Paſtor; adeo vt omnes reliqui Epiſcopi eſſent ſub eo tamquam filij, & vicarij, & non vt fratres, & collegæ, & Coepiſcopi in adminiſtratione Eccleſię: ſed quod inter Paſtores, & Epiſcopos, in plenitudinem poteſtatis, ſuper omnes oues, & Paſtores aſſumptus, ſit Princeps Paſtorum, omnibus alijs loco, dignitate, & authoritate prælatus. *Communis eſt omnibus nobis*, ait Auguſtinus Boſacio Romano Pontifici, *qui fungimur Epiſcopatus officio (quamuis in eo præemineas celſiore faſtigio) ſpecula Paſtoralis*. Itaque Romanus Pontifex, in officio, cura, & ſpecula Paſtorali Primatum ſuper omnes Epiſcopos obtinet, ſecundum Auguſtinum, qui etiam alibi Innocentium Patribus alijs præſidentem annumerans: *Cum his*, inquit, *conſiderat Innocentius, etſi poſterior tempore, prior loco*.

lib. 1. cont. Parmen c 1. & lib. 1. cont Iulianum Epiſt ad Epiſcopos illic etiam à Ioanne Conſtantino contra Hereticos.

Propter commune cum omnibus Sacerdotium, non ſolus eſt Pontifex: Ideoque ea ſignificatione non vniuerſalis: propter Prioritatem loci, & præeminentiam celſioris faſtigij, & ampliſſimam ſuper omnes auctoritatem, ſolus vniuerſalis. Prima ſignificatione, Pelagius Papa, nomen *vniuerſalis* interdixit, cum ſanxit: *Nullus Patriarcharum, hoc vniuerſalitatis profano vocabula vnquam vtatur: quia ſi vnus Patiarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit à fidelis cuiuſquam mente, hoc ſibi vel velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum ſuorum imminuere ex quantulacũque parto videatur. Quapropter charitas veſtra neminem vnquam ſuis in Epiſtolis vniuerſalem nominet; ne ſibi debitum ſubtrahat, cum alteri honorem offert indebitum*. Eadem ſignificatione, & Gregorius Magnus, Eulogio Alexandrino, ne ſcriberet interdixit, cum ſcripſit: *Ecce in præfatione Epiſtolæ, quam ad meipſum, qui prohibui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum, vniuerſalem me Papam dicentes imprimere curaſtis. Quod, peto, dulciſſima mihi Sanctitas veſtra vltra non faciat: quia vobis ſubtrahitur, quod alteri pluſquam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus: nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt, honor vniuerſalis Eccleſiæ: meus honor eſt, fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc erga vere honoratus ſum, cum ſingulis quibuſque honor debitus non negatur. Si enim vniuerſalem me Papam veſtra Sanctitas dicit, negat, ſe hoc eſſe, quod me fatetur vniuerſum. Sed abſit hoc, Recedant verba, quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant*.

lib. 7. ep 30.

Secunda ſignificatione, quia Pontifex Romanus vniuerſali Eccleſiæ præeſt, *ſemperque*, vt ait Auguſtinus, *in Romana Eccleſia viguit Apoſtolicæ Cathedræ Principatus*, nomen *vniuerſalis*, ſeu Principis Paſtorum, Romano Pontifici omnes detulerunt: & Tertullianus quidem Zepherinum, Cyprianus Stephanum, *Epiſcopum Epiſcoporum* dixit: Iuſtinus Martyr, *Papam*, ſeu *Patrem Patrum*: Confeſſores reſipiſcentes, *Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ* Cornelium; Marcianus Arelatenſis, & nonnulli ex Hiſpanis, *totius Orbis Eccleſiarum curam habentem* Stephanum: Patres Chalcedonenſes, *vniuerſalem, ſeu Oecumenicum, & Apoſtolicum*, Leonem: Patres ſubſequentes, illum ipſum Oecumenicum, ſeu vniuerſalem, nonneminem Romanorum Pontificum, ſalutarunt: ſeu vt Gregorius meminit, iſtum honoris titulum illis detulerunt: *quo tamen vocabulo nullus eorum vti voluit: vt dum in hoc mundo honorem Sacerdotum diligerent omnium*, ait ille, *apud Omnipotentem DEVM cuſtodirent ſuum*.

epiſt. 162. Omnes Rõ. Pont. nomẽ *Vniuerſalis* detulerunt.

Quibus alijs nominibus vocatus.

Humilitati conſultum volebant, & Principem Apoſtolorum imitari pergebant, qui, neque in facto Cornelij Centurionis, quem ex gentilibus ad fidem receperat, neque in alio conuerſationis cum Hæbreis ſolis, quando à gentilibus ſeſe ad tempus ſubduxerat, Illinc Condiſcipulis, hic Paulo aliquantum commotiori, authoritatem Primatus prætexuit: neque, quamuis poſſet, & eſſet, Primatum ſe dixit: exemplo ſecuturis ſucceſſoribus, qui honore ſcirent Fratres præuenire, & Seruorum potius nomine ſubſcribere, quam ſuperbæ appellationis verba, aut profana vocabula Epiſtolis præfigere: dummodo vniuerſalem adminiſtrationem Eccleſiarum non negligerent; & ſi quando opus foret, contra ambitores eius ſuperbi nominis, ex quo etiam poſtea poteſtatem ſuper vniuerſos aliqui per nefas vſurpare tentarent, inſurgere vigilarent: quemadmodum idem ipſe Gregorius contra Ioannem Tertium Conſtantinopolitanum, & ante illum Pelagius aduerſus eundem Epiſcopum, & poſt eum Boniſacius Tertius contra Cyriacum inſurrexerunt: conſcij authoritatis diuinitus ſibi datæ, ac perpetuo exercitæ in vniuerſam Eccleſiam, ac præterea ab vniuerſa Eccleſia in ſucceſſoribus Petri cognitæ, ac teſtatæ: cum totius Orbis Eccleſiæ non aliunde fidem, dogmata, ſcripturas, traditam doctrinam, ſacra, ritus, Sacramenta, ſacrificandi rationes, Sacerdotium, altare, communionem ſanctorum, ius ad Regnum Cœlorum, & reliqua ſalutis æternæ pignora, quam à Cathedra Petri, & à Romanis Pontificibus accepiſſent: quos publice, & priuatim, Concilia, Patres, Doctores, Imperatores, Reges, Principes, Eccleſiæ, Imperia, Regna, prouinciæ, hæretici inſuper, & Gentiles, Chriſti Vicarios, Petri ſucceſſores, Catholicæ Eccleſiæ Monarchos, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Primates, Concilijs, & omnibus iure diuino prælatos appellarunt: & ad eorum ſubſellia, in rebus grauiſſimis Fidei ac morum accurrentes, ampliſſimis elogijs ordinare non

Petri humilitas.

Inſurrexerunt Pont. in *Vniuerſalis* nomen vſurpare volentes.

dubi-

dubitarunt: quemadmodum etiamnum PAVLVM QVINTVM Principem Paſtorum,& Armeniorum, & Babyloniorum Patriarchæ, cómunionem Apoſtolicæ ſedis flagilantes exornarunt.

Eliæ Babylon. Patr. elogia de Paulo V.

Elias Babylonius, ex artificioſo carmine Mar Gabrielis Orientalium Chaldeorum Senioris Archiepiſcopi, in Synodo vnionis cum Eccleſia S. Romana M. DC. XVI. iuxta Tiguris fluuium in Ciuitate Amed facta, ſcribebat,

PAVLVM QVINTVM, PAVLO APOSTOLO in Apoſtolatu ſupparem,

Solem qui eſt in firmamento Eccleſiæ, & ſplendorem omnium Congregationum, & Caput omnium Patrum, quem Petrus radicauit.

Radix es, ait, *Sacerdotij, & Paſtor Maximus Paſtorum, & Caput omnium profeſſionum, & Petrus pallium te induit.*

Semita es Sacerdotij; conſtitutor Eccleſiarum, & Chriſtianitatis, & Præfectum theſauri ſpiritus te tanquam obiectum poſuit.

Tranquillitas vitæ Chriſtianæ tu es in veritate, & conſtituens fidem, & ego egenus tibi ſeruiam.

Captiuus ſum ſublimitatis tuæ, (Id eſt, Deninctus ſum ſublimitati tuæ) *& ſeruus pauper Dominiationis tuæ: tu clemens eſto mihi per gratiam tuam, & imbecillitatem meam intra caulam tuam annumera.*

Gloriam ſublimis puritatis tuæ: non eſt dignus ſeruus tuus humilis Gabriel abiectus Chaldæus: & humilitatem eius à morte fac ſentire, id eſt, humilitatem eius à morte excita, vt ſentiat.

Ardet ignis amoris tui in corde totius gregis tui, & ego plenus peccato ſeruus tuus, cupio portam tuam pulſare.

Vice (vocandi caſus. Sumitur pro platea in qua ſit fons, &c.) *à cuius ſanctitate fluunt, & potant gregem tuum aquis tuæ doctrinæ, & illum qui de planta tua aruit.*

Quomodo San. Max. mart. Rom. Eccl. compellab. propter Rom. Pontificem.

Solem, & ſplendorem Eccleſiæ, PAVLVM QVINTVM Chaldæi appellabant; illo aſpectu, quo aliquando Sanctus Maximus Martyr, tempore Conſtantini Eutychiani, propter Romanum Pontificem, Eccleſiam Romanam compellabat, ad Martinum Papam ſcribens: *Omnes termini terræ, & quicumque vbique terrarum Chriſtum Dominum puro mente, & Orthodoxa fide confitentur, quaſi ad SOLEM ÆTERNI LVMINIS, ad Sanctiſſimam Romanorum Eccleſiam, & eius Confeſſionem, & Fidem intenti reſpiciunt, ex ipſo rutilantem ſplendorem recipientes ſpiritualium, & Sanctorum dogmatum; quemadmodum ſex illæ ſanctæ Synodi ſacræ, & à DEO dilectæ, diſertis verbis, & magna cum religione expoſuerunt, apertiſſimè pronunciantes Fidei Symbolum. Ab initio enim aduentus Incarnati Verbi, vniuerſæ vbique terrarum Chriſtianorum Eccleſiæ à Sancta Romanorum Eccleſia originem habuerunt; & fundamentum ſolum, & maximum, contra quod nullo pacto portæ inferi præualebunt, iuxta ipſiuſmet Saluatoris noſtri promiſſionem: vt aperiat illis qui ad ipſam Romanam Eccleſiam cum pietate accedunt, veram, & realem, & ſolam pietatem quærentes; & claudat è contra, & abſtruat omne os hæreticum, quod loquitur iniquitatem in cælum.*

CAPVT XXXV.

Romanus Pontifex, Legiſlator.

PRoximus Apoſtolorum temporibus, Sanctus Anacletus Papa, ſurgentis Eccleſiæ crepundia cum deſcriberet, & Apoſtolicis ſedibus locum, Romanæ quidem primum, Alexandrinæ ſecundum, tertium Antiochenæ aſſignaret, quod id non temere feciſſet, cauſam pro Romana reddidit: quia hæc *Sacroſancta & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro Primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſicut ipſe Beato Petro Apoſtolo dixit:* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam; & tibi dabo Claues Regni Cælorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.

S. Anacl. Papa cur. Eccl Rom. primatum aſſignaret. ep 3. c. 3. ad omnes Epiſc.

Clauium Petri Anacletus memor, proculdubio innuebat; alteram quidem *ſcientiæ* alteram eſſe *poteſtatis*; Illam quidem ad diſcernendum inter lepram & lepram, iſtam verò ad eijciendum vel recipiendum hominem, nocentem, vel innocentem; vt Petrus ſciret diſcernere, quid Eccleſiæ vniuerſali, cuius Regale Sacerdotium à Regio Sacerdote Chriſto accepit, noxium vel innoxium & ab hac ſcientia publica poſſet quoque decernere, quid ſeruandum, quidve execrandum vel fugiendum: atque quid in contumaces ſtatuendum. Ligandi etiam porro & ſoluendi poteſtatem cum ei Chriſtum dediſſe commeminit; legum ferendarum proculdubio authoritatem ei in vniuerſos Chriſti fideles conceſſam aſſeuerat. Si enim lex à ligando dicitur & robur trahit, nihilque aliud omnes intelligunt, per legi ſubiectum eſſe, quam lege obligari, lege teneri, lege conſtringi, legis vinculis ligari: nihil etiam aliud fuerit, ligare & ſoluere, quam leges condere, eaſdemque moderari, vel etiam ſi res poſcet abrogare: tanta firmitate, vt quam ille fixiſſet, vel refixiſſet, eadem fixa, vel refixa probaretur in cælis: quemadmodum quem ille in iudicio ſuo externo abſoluiſſet, vel damnaſſet, eſſet pariter in cælis abſolutus, vel damnatus.

Claues ſcientiæ, & poteſtatis.

Claues vni Petro datæ ſunt, *quod Hieronymus Seripandus doctiſſimus Cardinalis obſeruabat*, cum cæteris Apoſtolis de clauibus non ſolùm nihil actum, ſed ne verbum quidem factum fuiſſe legitur, vt altius quiddam & excelſus omnino claues attuliſſe Petro & tradidiſſe neceſſe ſit, quam ligandi & ſoluendi poteſtas, æqualiter omnibus communicata cæteris attulerit. Claues enim poteſtatem Petro dederunt, & de fide, & de moribus decernendi, quæ credenda, quæ non, quæque agenda, quæ non, vniuerſæ Eccleſiæ præſcribendi. Claues Petri, & vniuerſam Eccleſiam adminiſtrant, & ſingulas eius partes ordinant ac temperant; præcepta fidei, ſpei, charitatis dant, hiſque præceptis iter, & aditum in cælum obtemperantibus & bonis aperiunt, contumacibus & improbis claudunt. Claues Petri, non ſolum

in epiſt. ad Galat. refutatur. 14.

Claues ſoli Petro datæ altius quiddã ipſi quã cæteris datũ innuunt.

lium iufimis ac medijs, ſed etiam ſummis & excellentioribus Eccleſ. membris, Cæſaribus, Auguſtis, Regibus, Principibus, Rebuſpublicis, Dynaſtis, Tetrarchis, omnibus gentibus ac nationibus, quæ ad Regnum Cœlorum adipiſcendum, adque publicam Chriſtianorum tranquillitatem, & tutelam facere videantur, præfiniunt, & terrarum orbi, quatenus ad religionem ſpectat, leges imponunt.

Ligandi autem, & ſoluendi poteſtatem, Chriſtus, ita communem omnibus Apoſtolis eſſe ſtatuit, vt illius Principatus penes Petrum reſideret, qui hanc alijs impertiret; ac remq; curam, & diligentiam adhiberet, vt eam omnes pure, caſte, ad ædificationem non deſtructionem, cum lenitate, ſed non ſine ſeueritate vbi, & quando opus, & diuini potius quam humani ſpiritus conſilio exercerent: qui ſi corruptum quid eſſet in Eccleſia Catholica, aut temporis longinquitate, aut hominum negligentia inuerſum, ipſe corrigeret, atque bonis quidem præmia, honores, dignitatem, laudes; improbis autem merita ſupplicia conſtitueret, iiſque addiceret: adeoque ſaluberrimis legibus, Eccleſiam, & Orbem Chriſtianum fundaret, vtpote ſolus primum, & maximum fundamentum Eccleſiæ vniuerſæ, aduerſus quod ne portæ quidem inferi præualerent. Longè

Iſai 32.

ante iſtud pollicitus fuerat Deus futurum, cum per Iſaiam prædixit: *Ecce in Iuſtitia regnabit Rex, & Principes in Iudicio præerunt. Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auſcultabunt. Princeps ea, quæ digna ſunt Principe cogitabit, & ipſe ſuper Duces ſtabit.* Regium Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, inprimis oſtendebat, qui Dominus & Legifer noſter ſanctiſſimis præceptis, & conſilijs Eccleſiaſticam diſciplinam conſtabiliuit. Principes deinde, & Duces verbi Apoſtolos, iudicabat, quos tantæ authoritatis, Chriſtus, qui eos Principes ſuper omnem terram conſtituerat, eſſe volebat, vt ediceret: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Inter hos Princeps Petrus, Principatu Clauium, & poteſtate ampliore ligandi, & ſol-

Quomodo Petr. principatu clauiũ vſus.

uendi inſignis, ſuper Duces ſtetit, & quæ digna ſunt Principe Paſtorum cogitauit atque euulgauit, cum Apoſtolico cœtu conuocato, de legalibus abolendis, de idolomaniæ execratione, de libidine profliganda vitandaque legem ſanxit; Eccleſijs Antiochiæ, Syriæ, &

Act. 15.

Ciliciæ, adeo præſcripſit, vt Paulus Apoſtolus, inter alia miniſteria iſtud quoque curandum acceperit, vt ſatageret, qui præcepta Apoſtolica vbique integra cuſtodirentur, ſpretarumque legum rei caſtigarentur: quod audiuiſſet Petrum, in Ananiam, & Sapphiram, qui Spiritui Sancto mentiri non dubitarunt, & in Simonem Magum, qui donum Dei pecunia comparari poſſe exiſtimarat, animaduertiſſe. pœnaſque de improbis ſumpſiſſe, Apoſtolorum cœtu aſtante, & vniuerſa Eccleſia virtutem illius admirante ac trepidante. Papias, & Clemens Alexandrinus tradiderunt,

Apud Euſeb. lib. 2. hiſt. cap. 14.

quod poſtquam veſana Simonis Magi potentia extincta eſt; ac homo ipſe actutum vna penitus profligatus, tanta pietatis lux eorum mentibus qui Petrum audiebant affulſit, vt à Marco Petri comite contenderent, quo monumentum illius doctrinæ quam verbo illis tradidiſſet, etiam ſcriptis mandatum apud eos relinqueret. Quam Scripturam ferunt Diuum Petrum auctoritate ſua ratam feciſſe, quo in Eccleſijs paſſim perlegeretur. Duas quoque Epiſtolas, quæ Catholicæ, & Canonicæ nominantur, Petrus ſcripſit, & tum in illis, tum in Euangelico Inſtrumento, multas leges Eccleſiæ impoſuit, vt omnes oues, & agni Chriſtiani, optimis ſub inſtitutis agerent æuum, ac maculoſum edomarent nefas, formidine pœnæ, quam ſupremus Paſtorum poſſet exigere, ab his qui euerterent, & perſtringerent leges.

Propter hanc Sacerdotij Regalis ad ferendas ſententias auctoritatem, Petri Succeſſores, Clauibus ſcientiæ, & potentiæ ſupremæ præſtantes, auxilio legum firmandam eſſe Eccleſiam vniuerſam ſtatuerunt, & periti mentis diuinæ, vtilitati publicæ ſemper conſulere non dubitarunt: tanta maieſtate, tamque indiſſolubili aſtrictæ diſciplinæ vinculo, vt neceſſitatem parendi omnibus afferre non dubitarint, lege lata, & ſæpius renouata, pro Canonibus ſeruandis.

Sciebant Petrum Nomopæum, de Clemente ſucceſſore omnibus dixiſſe: *Ipſi trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligandi, & ſoluendi. Ligabit enim quod oportet ligari, & ſoluet quod expedit ſolui, tanquam qui ad liquidum Eccleſiæ regulam nouerit.* Clemens in ep. 1. ad Iacobum fratr. Domini.

Nouerant Clementem, & multa recens ex emergentibus cauſis ſtatuiſſe, & Apoſtolorum ſanctiones inuiolate ſeruandas vniuerſis annunciaſſe, promulgaſſeque. Quamobrem, & ipſi pro poteſtate Apoſtolica per manus tradita, cum neceſſitas poſtularet, vel Patrum ſcita à legirupis cuſtodiebant, vel normas diuino iuri conformes proponebant, decreta cenſura Eccleſiaſtica aduerſus violatores. Hinc *ſancitum eſt à Pio, vt Reſurrectio Dominica die Dominica celebretur:* Euſeb. in Chron.
quod à pluribus poſtea Pontificibus eſt confirmatum.

Hinc Eleutherus decretum contra Seuerianorum hæreſim edidit; *nullum cibum velut* Diuerſorũ Rom Pont. varia ſanctiones, & leges.
ex ſe malum, eſſe reſpuendum. Soter Corinthiorum Eccleſiæ Epiſtolam ſcripſit, tantæ auctoritatis, vt illam, quemadmodum, & à Clemente miſſam, ſingulis diebus Dominicis, in Eccleſijs, ad inſtitutionem ſuam legere ſolerent. Victor, conſtitutionem de Paſchate, Damaſ. in Pontif. apud Euſeb. lib. 4. cap. 22.
aduerſus Quartadecumanos, inſtaurauit, & omnes Aſiaticos refractarios anathemate ad obtemperandum coegit. Calixtus, quatuor temporum ieiunium conſtituit. Anterus, tranſlationem authoritate Apoſtolica inhibuit. Cornelius, Romæ, *Concilio ſexaginta Epiſcoporum, & totidem Presbyterorum* indicto, lapſis non Euſeb. lib. 5. cap. 39.
eſſe negandam veniam edocuit: *Nouatum vero, eiuſque fautores tanta ſuperbia inflatos, & qui illius inhumaniſſimæ, & à fraterna charitate alieniſſimæ opinioni aſſentirentur, in eorum numero, qui ab Eccleſia excluderentur, haberi; fratres autem, qui caſu infelici prolapſi eſſent, pœnitentiæ medicamentis curari* edixit.

Stephanus, cum audiſſet, Cyprianum & lib. 7. cap. 3.
exiſtimaſſe, non aliter, quam per lauacrum Baptiſmatis, hæreticos in Eccleſiam admittendos, hac de re vehementer animo commotus, *nihil noui, aut alieni à traditione ex Apoſtolorum temporibus deriuata moliendum* conſtituit. Dionyſius Romanus, per vniuerſum Or- ep. ad Seuerum.
bem Eccleſias ſingulas, ſingulis Presbyteris diuidendas eſſe ſanxit, hancque normam omnes

nes

nes Epiſcopos ſeruare, mandanit, *vt non ſpecialis, ſed generalis eſſet præceptio*. Syluester Romanus, Nicæno Oecumenico Concilio prælatus, Damaſus, Vigilius, Agaro, & Hadrianus Conſtantinopolitanis, Cœleſtinus Epheſino, Chalcedonenſi Leo, & reliquis alij Pontifices præſidentes, cum & præſcriberent, & moderarentur. & confirmarent decreta Conciliorum, nihil aliud faciebant, quam Legiſlatorum officio, quemadmodum, & extra Concilia, cum decreta ferrent, fungebantur. Ius iſtud condendi leges, hæretici non habent; quia, vt ait Ambroſius, *hæreditatem Petri non habent, qui fidem Petri non habent, quam impia diuiſione diſcerpunt*. Itaque Pontifices Romani habent, qui hæreditatem Petri habent, eo quia fidem Petri inuiolatam habent. Quamobrem Syricius Papa, Himerio confidenter ſcribebat: *Denuo baptizare, & Apoſtolus vetat, & Canones contradicunt, & miſſa ad prouincias à veneranda memoria prædeceſſore meo Liberio generalia decreta prohibent: quod etiam totus Oriens Occidenſque cuſtodit: à quo tramite vos quoque poſthac minimè conuenit deuiare: ſi non vultis à noſtro Collegio Synodali ſeparari ſententia*.

lib. 1. de pœnitent. c. 2.

Optatus Mileuitanus, Cathedram Petri, Cathedræ Moyſi ſucceſſiſſe ideo aſſerebat, quod non minus imo magis Petrus, & ſucceſſores Petri, quam Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus Dei, cum ſucceſſoribus ſuis poſsint adminiſtrare leges, ex officio ſummi Sacerdotij. Gennadius Maſsilienſis Presbyter, eius libri qui eſt apud Auguſtinum de Eccleſiaſticis dogmatibus, Papæ Zozimi *authoritatem, regularem* appellabat: ea propter quod ſola eſſet ſufficiens; ad regulas Eccleſiaſticas ſanciendas, & canones condendos. Carolus propterea Magnus Imperator edicebat.

lib. 2.

cap. 26.

In memoriam Beati Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam, & Apoſtolicam ſedem: vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſtica Magiſtra rationis. Quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa ſancta ſede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus. Si vero, quod non decet, quilibet, ſiue ſit Presbyter, ſiue Diaconus, aliquam perturbationem machinando, & noſtro miniſterio inſidiando, redarguatur falſam ab Apoſtolica ſede detuliſſe Epiſtolam, vel aliud quid, quod inde non venerit: Salua fide, & integra circa Apoſtolicum humilitate, penes Epiſcopum ſit poteſtas, vtrum eum in carcerem, aut aliam detradat cuſtodiam, vſquequo per Epiſtolam, aut per idoneos ſuæ partis legatos, Apoſtolicam interpellet ſublimitatem, vt potiſſimum ſua ſancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iuſto ordine, LEX ROMANA ſtatuet definire, vt ex ijs corrigatur, & cæteris modus imponatur.

Quantum Carol. Mag Imper. legibus à Rom. Pont. dictatis referat. *in Capitul. Carolini*.

Iure merito Carolus Imperator; tantum deferebat Legibus, à Romano Pontifice dictatis. Enimuero, vt Stephanus Papa ait, *quia in ſpeculum, & exemplum Sancta Romana Eccleſia, poſita eſt omnibus ab omnibus, quicquid ſtatuit, quicquid ordinat, perpeto, irrefragabiliter obſeruandum eſt*. Agatho amplius aliquid edicebat, cum omnibus Epiſcopis ſcripſiſſet: *Sic omnes Apoſtolicæ ſedis ſanctiones accipiendæ ſunt, tamquam ipſius diuini Petri voce firmatæ ſint*. Damaſus Papa aliquid adhuc amplius addebat, cum ſtatuebat: *Hæc decretalia, & omnia cunctorum prædeceſſorum noſtrorum conſtituta, quæ de Eccleſiaſticis Ordinibus, & Canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita à vobis, & ab omnibus Epiſcopis, ac cunctis generaliter Sacerdotibus cuſtodiri debere mandamus; vt ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari. Violatores enim canonum voluntarij, grauiter à Sanctis Patribus iudicantur, & Sancto Spiritu (inſtinctu cuius ac dono dictati ſunt) damnantur, quoniam blaſphemare Spiritum Sanctum non incongrue videntur, qui contra eoſdem ſacros canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter (vt præmiſſum eſt) aliquid, aut proterue agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Talis enim præſumptio manifeſtè vnum genus eſt blaſphemantium Spiritum Sanctum; quia vt iam prælibatum eſt, contra eum agit, cuius nutu, & gratia ſancti canones editi ſunt*. Eas rationes aſsignabant illi, cur ſanctiones Pontificum obſeruandæ. Ad has cauſas aſpicientes alij Pontifices decernebant, quæ adiungo.

Alia Rom. Pont. decreta.

ep. 4 Proſpero Epiſcop.

S. Hilarius Papa, in Concilio Romano.

Nulli fas ſit, ſine ſtatus ſui periculo, vel diuinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ ſedis decreta temerare.

Hormiſda, Epiſcopus Hiſpaniæ.

Prima ſalus eſt, rectæ fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenus deuiare.

Anaſtaſius, Anaſtaſio Imperatori,

Præceptis Apoſtolicis non dura ſuperbia reſiſtatur, ſed per obedientiam, quæ à ſancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica authoritate iuſſa ſunt, ſalubriter impleantur: ſi eiuſdem ſanctæ Dei Eccleſiæ, quæ eſt Caput veſtrum, communionem habere deſideratis.

S. Gregorius Magnus, in priuilegio S. Medardi.

Si quis Regum, Antiſtitum, Iudicum, vel quarumcumque ſecularium perſonarum, huius Apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit, honore ſuo priuetur.

Et Ioanni Epiſcopo.

Hac conſona Sanctis Patribus diffinitione ſancimus, vt qui ſacris neſcit obedire canonibus, nec ſacris adminiſtrare, nec communionem capere ſit dignus altaribus.

Hadrianus in Capitalis.

Generali decreto conſtituimus, vt execrandum anathema ſit, & veluti præuaricator Catholicæ fidei apud Deum reus exiſtat, quicumq; Regum, ſeu Epiſcoporum, vel potentum, deinceps Romanorum Pontificum decretorum cenſuram in quocumque crediderit, vel permiſerit violandam.

S. Leo, Epiſcopis Campaniæ, Picæni, Tuſciæ, & per omnes Prouincias conſtitutis.

Hoc admonitio noſtra denunciat, quod ſi quis Fratrum contra hæc conſtituta venerit, vel venire ten-

tentauerit, & probibita fuerit auſus admittere, à ſuo ſe nouerit officio ſubmouendum, &. Omnia decretalia conſtituta, tam Beatæ recordationis Innocentij, quam omnium prædeceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum ordinata ſunt diſciplinis, ita veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus, vt ſi quis illa contempſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari.

S. Simplicius Zenoni Hiſpalenſi Epiſcopo.

Apoſtolicæ inſtitutionis decreta, & ſanctorum terminos Patrum, nullo modo tranſcendi permittas.

S. Gelaſius Epiſcopus Lucaniæ, Bruttiorum, & Siciliæ.

Indignum eſt, quemquam Pontificum hanc obſeruantiam refutare, quam Beati Petri Sedem & ſequi videat, & docere; ſatiſque conueniens eſt, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet. quàm illic vigere conſpiciat, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit Principatum.

Et Epiſcopis Dardaniæ.

Vniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, nullam exequi Sedem præ cæteris oportet, quam primam quæ & vnamquamquam Synodum, & ſua authoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit; pro ſcilicet principatu, quem Beatus Petrus Apoſtolus à Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper, & retinet.

Et Anaſtaſio Imperatori, leges Imperiales canonibus anteponere conanti.

Duo ſunt, Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas Sacra Pontificum, & Regalis poteſtas. In quibus tanto grauius pondus eſt Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus in diuino ſunt reddituri examine rationem. Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi poſſe voluntatem. Ea propter ſcribebat.

S. Nicolaus I. Epiſcopus Galliarum.

Imperatorum leges, Euangelicis, Apoſtolicis, atque Canonicis decretis, quibus poſtponendæ ſunt, nullum poſſe inferre præiudicium aſſerimus.

Ioannes Papa his paria, ne in Eccleſiaſticis rebus lege componerent.

Si Imperator Catholicus eſt, (quod ſalua pace ipſius dixerimus) filius eſt, non Præſul Eccleſiæ: quod ad Religionem competit, diſcere ei conuenit, non docere. Habet priuilegia ſuæ poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis diuinitus conſecutus eſt, vt eius beneficijs non ingratus contra diſpoſitionem cæleſtis ordinis nihil vſurpet. Ad Sacerdotes enim voluit Deus, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſæculi poteſtates; quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubiectas. Non ſibi vendicet alienum ius & miniſterium, quod alteri deputatum eſt; ne contra eum tendat abrumpi, à quo omnia conſtituta ſunt; & contra illius beneficia pugnare videatur, à quo propriam conſecutus eſt poteſtatem. Non à legibus publicis, non à poteſtatibus ſæculi, ſed à Pontificibus & Sacerdotibus omnipotens Deus Chriſtianæ Religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari, & diſcuti, recipique de errore remeantes. Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis præſulibus, non præferre.

Æqualia his Innocentius III. Abbati S. Syluestri.

Nos attendentes, quod laicis (etiam Religioſis ſuper Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis. nulla ſit attributa facultas. quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi. A quibus ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum & fauorem, nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum.

Ante Innocentium, Gregorius II.

Leonem Imperatorem, & eos qui illi adhærerent, Synodico anathemate obſtrinxit, ac tributo Romæ & Italiæ prohibuit: miſſa etiam decretali epiſtola monuit, *non eſſe Imperatoris de fide ſtatuere, aut vetera Eccleſiæ decreta immutare*: de quibus Iulius I. Papa, Orientalibus aliquando ſcripſit, vt *nulla deſidia negligantur, nulla diſſenſione violentur, nulla concertatione turbentur. Eccleſiaſtica* enim *moderationi eſſe omnino conueniens*, dicebat S. Gregorius, *vt quæ ordinata fuerint, vel rationabiliter deciſa, nulla in poſterum debeant refragatione turbari*: non minùs, quàm quæ contra leges diuinas fiunt, non ſolùm pro inutilibus, ſed etiam pro infectis haberi: vt Deus dedit Papa decernebat. Non talia Summorum Pontificum decreta, ſed vt à ſumma poteſtate, ita etiam à temperata æquitate, in commune Chriſti fidelium emolumentum, pro tempore profecta. Quamobrem ſtabit eis ſua æternitas, cum neque poteſtates huius ſæculi, neque portæ inferiores poſſint, aut poterunt vmquam præualere, aduerſus Tabulas Eccleſiaſticas, digito diuino ſcriptas, in vngue adamantino, iuſti & recti. Tales formulæ, inter alios PAVLI QVINTI, ſub cuius auſpicijs florent leges, & à legibus iuſtitia, & ab hac abundantia pacis, & à pace affluentiſſima bonorum omnium cum ſpiritualium, tum exteriorum vbertas: cum & ipſe præter alia, iuris ſanxit modeſtiam, iudicumque ſubſellia, ne improborum cupiditate violarentur, mediocritatis aureæ virgula, ſiue direxit, ſiue circumſcripſit: atque in Eccleſiam vniuerſam, nonniſi ſanctiſſimos typos panxit: vt meritò in eum dicatur, *Iuſtitia & Iudicium præparatio ſedis eius.*

CAP.

C A P. XXXVI.

Pontifex Romanus, Catholicæ Eccleſiæ Curator.

Quantæ curæ Chriſto fuerint ſurgentis Eccl. incrementa.

SVrgentis Eccleſiæ incrementa, tantæ curæ Chriſto Conditori fuerunt, vt parum habuerit, ipſe, vicos & caſtella circumire, niſi etiam binos & binos Apoſtolos mitteret ante ſe, qui Euangelizarent Regnum Dei, & languores curarent, quacumque irent: neque ſatis ei viſum eſt, cùm cælos peteret, Petro totius ouilis ſui adminiſtrationem committere, velut vnico Supremo Paſtori Catholicæ Eccleſiæ, niſi ſocios illi Primati adiungeret, æquales honore atque dignitate Legationis: qui ex Apoſtolico munere, in Orbem terrarum excurrerent, vbique docerent, tingerent, & Chriſto concorporales efficerent: poſtquam illis Petrus Supremus Clauiger oſtium aperuiſſet, ad prædicationem Gentilium. Hinc Paulus Apoſtolus, totius Orbis quamquam non Epiſcopus, ſed Apoſtolus, Legatione pro Chriſto defungens, *ſollicitudinem omnium Eccleſiarum* ad ſe pertinere, pro eo munere Legati exiſtimabat: ſed omnia tamen ad Petrum Summum Eccleſiæ Curatorem, ne in vacuum aut curreret, aut cucurriſſet, referebat: ſciens illum vnicum eſſe Catholicum Paſtorem, cui Chriſtus curam confirmandorum fratrum, & paſcendarum ouium omnium & agnorum officium, ſupra Legationis munus detuliſſet.

lib. 2. 14.
Petri de Eccleſia poſt Chriſti aſceſſionem cura & ſollicitudo.
lib. 2. cap 3. ex lib. 2. c. 1.
lib. 2 cap. 3. ex lib. 2. c 1.
Act. 8. & 9.

Pro hoc officio, Petrus, *Apoſtolorum*, vt Clemens Romanus apud Euſebium appellabat, *Maximus, & Primorum Princeps*, poſt aſſumptionem Saluatoris, non ſibi hærendum ſolis Hieroſolymis putauit, ſed ex Iacobi & Ioannis ſententia, Iacobum qui dicebatur Iuſtus, non Apoſtolorum, quod Baſileenſis verſio Ruffini, ſed *Hieroſolymorum*, quemadmodum & Græci codices Vaticani & Pariſienſes habent, & Nicephorus allegat ex Euſebio, *Epiſcopum conſtituit*: ipſe autem in Samariam deſcendens, multis regionibus Samaritanorum euangelizauit: nec non per totam Iudæam, & Galilæam Eccleſiam ædificauit; cum pertranſiret vniuerſos: *quemadmodum Dux in exercitu*, ait Chryſoſtomus, *obambulans, conſiderabat quæ pars ſit coadunata, quæ ſuo aduentu egeat, vbique circumuerſabat, & primus inueniebatur.* Is ipſe dum pertranſiret vniuerſos, Lyddæ, paralyticum nomine Æneam, ab annis octo in grabbato iacentem curauit: Indidemque & Sarone multos ad Dominum conuertit. Inde Ioppen profectus, Tabitham viduam à morte excitauit, multoſque credentes Domino adiunxit. Cæſaream euocatus exinde, primus à viſione extatica Gentilibus verbum ſalutis annunciauit, vbi Cornelius, quod Hieronymus obſeruabat, *primus ab Apoſtolo baptizatus, ſalutem Gentium dedicauit.*

Petrus primus Gentibus verbũ ſalutis annunciauit. ep. ad Saluinam.

Nec tantum Paleſtinæ finibus curam impoſitam Paſtoralis officij curauit, ſed vſque Phænicen, & Cyprum, & Antiochiam tum diſcipulos, qui diſperſi fuerant à tribulatione quæ facta fuerat ſub Stephano, ire iuſſit, tum ipſe paulò poſt eo penetrauit, ac ſedem fixit: tum ex Concilio Hieroſolymitano, ad promulgandas ſanctiones Synodicas, & ad pacem Eccleſiarum ſtabiliendam, Paulum, Barnabam, Iudam cognomento Barſabam, & Silam, viros primos in fratribus Legatos Antiochiam deſtinauit: ex quibus Iudas & Silas, *verbo plurimos conſolati ſunt fratres, & confirmauerunt*: Pauperes autem ad Barnabam dixit: *Reuertentes viſitemus fratres per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo ſe habeant.* Deinde *cum Sila, perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias: præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum.* Facta poſtmodum ab authoritate Ipſius Petri inter Apoſtolos partitione Orbis terrarum, cum reliqua, accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, ipſe *Apoſtolici ordinis Princeps, ad arcem Romani conceſſit imperij, vt lux veritatis quæ in omnium Gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet.* Hic enim cathedra totius Eccleſiæ Chriſtianæ collocata, cum ad eius prædicationem, homines Numæ Regis artibus atque ſuperſtitionibus antiquis occupati, non diſtuliſſent res patrias relinquere & veritati coaleſcere Chriſtianæ non difficile fuerat, velut è meditullio Orbis, in omnes partes terræ vigilantem oculum aperire, & neceſſitatibus ſingularum Eccleſiarum proſpicere: nemo vt ſit in ouili Chriſtiano, qui opem & operam illius deſideraret, & non obtineret; cum is Fratribus confirmandis, non tantùm Canonicas ſcriberet, ſed & Legatos, & Viſitatores, & Vicarios vbique terrarum mitteret, quorum opera in adminiſtranda Catholica vterentur. Neceſſitatem illi, ac futuris ſucceſſoribus Chriſtus impoſuerat, qui Eccleſiam vniuerſam, verbo, ſcriptis, miſſis Vicarijs, Legatis, Viſitatoribus curarent, & fratres vniuerſos confirmarent. Non defuerunt ſuo muneri ſuccedentes Petro Romani Pontifices, & ipſi Duces ſuo tempore Mandræ Dominicæ, vbi opus fuerat, vel ipſi accurrebant, vel qui vices ſuas gererent deſtinabant.

Act. 15.

Dion & Syl ueſter Eccl. Alex. turbatam pacem conciliarũt. Socr. l. 1. c. 4.

Grauiſſima tempeſtas Alexandrinam Eccleſiam conturbauerat, temporibus quidem Dionyſij Romani, à Paulo Samoſateno, Sylueſtri autem Pontificio, ab Ario excitata. Illo tempore, Dionyſius Alexandrinus Patriarcha, Dionyſium, hoc vero poſteriore, Alexander pariter Alexandrinus Epiſcopus, Sylueſtrum Romanum, cum certiores reddidiſſent, non fruſtra opem implorarunt. Namque vterque & obortas hæreſes damnauit, & inter diſſidentes Epiſcopos pacem conciliauit, & nutantes Fratres confirmauit, præſertim verò Silueſter, qui Oſium Cordubenſem confeſſione & eruditione clariſſimum Epiſcopum, Legatum in Orientem miſit: atque is authoritate Pontificis Concilium generale, tum Alexandriæ, tum Sardicæ, tum Niceæ congregauit, & vt hæreſim gliſcentem extingueret, & pacem Eccleſijs reſtitueret, auxilio Imperatoris Conſtantini, qui eius rei cauſa, & in Ægyptum, & vbicumque opus erat perſcripſerat. Concilio Niceno felicißimis Sylueſtri & Conſtantini auſpicijs abſoluto, cum in Cæſarea Paleſtinæ nonnihil turbarum ſuſcitatum eſſet, Lucifer & Euſebius Epiſcopi

ex vrbe Roma à Liberio Cæſaream miſſi, ad ſeditionem quæ in Eccleſia Cæſarienſi orta fuerat ſedandam, Orientales Eccleſias obiuerunt; ac nominatim Alexandrinam & Antiochenam acceſſerunt, vt viderent, ne decreta Nicæni Concilij violarentur. Ac Lucifer quidem Antiochiæ Paulinum deſignauit Epiſcopum, Euſebius verò Alexandriæ vna cum Athanaſio Concilium coegit: cum interim Lucifer etiam eo mitteret Diaconum, per quem ſignificabat, de rebus quas Concilium decerneret aſſenſurum: vt Nazianzenus, & Theodoretus narrabant. Non minorem curam geſſit Damaſus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, ſub Valente impijſſimo Imperatore.

Damaſi de Conſtant. Eccl. cura ſub Valen. Imp.

in Menodia S. Baſily. lib. 3 hiſt. c. 4. & 5.

Mortuo illic Eudoxio ſceleſtiſſimo Epiſcopo, Ariani Demophilum, Orthodoxi Euagrium elegerant: Valens porro iſtum in exilium depulerat, atque octuaginta Catholicorum Legatos nauigio impoſitos in mari concremari præceperat. Qua ex re Ariani audaciores facti, cum Catholicos varijs diriſque modis vexarent, Damaſus Sanctum Zenobium, creatum poſtea Florentinorum Epiſcopum, Conſtantinopolim ire iuſſit, qui quamdiu illic manſit, nonnullis editis miraculis Arianorum petulantiam coercuit. Antiochiæ porro, cum tres de Epiſcopatu certarent, Baſilius, Athanaſius, Meletius Antiochenus, & Euſebius Samoſatenus Damaſum flagitarunt, qui viros in Orientem mitteret, ad roboranda nutantia, & erigenda proſtrata. Cæterum, cum etiam Baſilius multam calamitatem ſuſtineret, Occidentalibus Epiſcopis, & inter hos inprimis Damaſo ſcribebat: *Debebant continuè à veſtra dilectione ex ſinceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos & oppreſſos inuiſerent, & multò crebrius amicæ ad nos veſtræ deſtinari litteræ, quibus vel in propoſito confirmaremur, vel, ſi qua in re offendamus, corrigeremur. Non enim negamus, innumeris nos erroribus obnoxios eſſe, cum homines ſimus, & in carne viuamus, parati in hac re veſtram inſtitutionem amplecti. Vnus nobis eſt Dominus, vna fides, ſpes eadem. Sine Caput voſipſos vniuerſalis Eccleſiæ reputatis, non poteſt pedibus dicere Caput, non eſt mihi opus vobis, ſiue in reliquum vos Eccleſiaſticorum membrorum ordinem collocatis, non poteſtis nobis dicere qui in eodem vobiſcum corpore conſtituti ſumus; non eſtis nobis neceſſarij. Itaque ſiue volueritis ad nos proficiſci, & per voſipſos infirma noſtra ſcrutari, an verè ita habeāt vt auditis vel ex falſis adiectionibus grauiora ſint de nobis ad vos relata delicta, fiat & hoc. Parati namque ſumus, obuijs manibus veſtrum excipere aduentum, noſque ipſos diligenti ſiſtere examini; dumtaxat, in ijs quæ fiunt, ſuperiores habeat charitas: ſiue veſtro iudicio locum quendam deſignare placuerit, in uno, & quod nos concernit, viſitationis debitum implebimus, & quantum fieri poteſt, noſtri experientiam offerimus, vt & præterita curentur, & nullus deinceps calumniæ locus relinquatur; per nos licebit, vt & hoc fiat.*

in vita S. Zenoby.

Baſil. epiſt. 52 vique ad 77

Baſilius ad Damaſum pro liberanda Eccl. ſua afflicta.

Magis expreſſe, cuius auxilium imploraret Baſilius, epiſtola 52. ſignificabat; *Viſum eſt nobis conſentaneum, inquit, vt litteras ad Epiſcopum Romanum mittamus, quo res noſtras conſideret, & iudicij ſui decretum interponat, vt quia difficile eſt de communi, & Synodali decreto aliquos illinc mitti, ipſe authoritate ſua in re vtatur, delectis viris, qui Acta Ariminenſis concilij ſecum ferant, ad ea reſcindenda quæ illic violenter acta ſunt*, Hæc Baſilius ſcribebat, qui non ſemel de ſecundo, & tertio, tum Epiſcopos, tum Petrum presbyterum Eccleſiæ ſuæ, tum alios Legatos ad Damaſum miſerat, poſtulans, vt à Sede Apoſtolica, aliqui in Orientem, viſitaturi, & remedia malis allaturi venirent, atque Eccleſiam ab infeſtationibus Apollinaris, & Euſtathij Sebaſteni liberarent. Iam Alexandrina Eccleſia, ſtatim à morte Magni Athanaſij, per Lucium Arianorum nequiſſimum, ab Euzoio Antiocheno Ariano, contra Petrum legitimum Epiſcopum, intruſum turbata, cum ex litteris encyclicis Petri Alexandrini, iſtud calamitatis Damaſus intellexiſſet, Diaconum Legatum Alexandriam ire præcepit, qui conſolaretur, confirmaretque Petrum, & Alexandrinos Orthodoxos, atque rebus afflictis opem ferat. Conſtantinopolitana poſtea Eccleſia, à Neſtorio hæreſiarcha violata, Cæleſtinus Papa, Cyrillum Alexandrinum Vicarium Sedis Apoſtolicæ in Oriente præfecit, qui in blaſphemias Neſtorij inquireret, communione fidelium illi interdiceret, atque niſi reſipiſceret gradu Epiſcopali deponeret, & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Paſtorem idoneum ſufficeret, quin & Legatos poſtea ſubmiſit, qui plenariæ rerum tractationi in Concilio Epheſino præſiderent, & res Eccleſiaſticas non tantùm in his, quæ ad Fidem, ſed & quæ diſciplinam Eccleſiaſticam pertinerent, ex æquo, & recto componerent.

Alexandrina Eccl. per Lucium Arian. turbata ſuccurrit Damaſ.

Theodor. cap. 20.

Cæleſt. violatæ à Neſtorio Conſtātin. Eccl. opem fert.

ep. ad Cyrill.

Superiorum Pontificum exemplo, ex quibus Liberius Luciferum Calaritanum ad Conſtantium Imperatorem, in cauſa Fidei, Innocentius verò alios Legatos ad Arcadium Auguſtum, in cauſa Ioannis Chryſoſtomi Sede pulſi direxit: qui viderent, viſitarent, corrigerent, confirmarent. Eorum exemplum Xyſtus ſecutus, cùm Polychronius Hieroſolymitanus Epiſcopus Simoniacæ prauitatis accuſaretur, ille ex ſententia Concilij Romani Epiſcoporum 81. & Presbyterorum 48. Legatos Hieroſolymam miſit, qui Synodo Epiſcoporum 76. conuocata, *Polychronium Patriarcham damnauerunt*: quem tamen is ipſe poſtea Sedi ſuæ reſtituit. Xyſto ſuccedens, Magnus Leo, inprimis Paſchaſinum, & Lucentium Epiſcopos, Bonifacium, & Baſilium presbyteros, ab Apoſtolica Sede Vicarios, qui nomine illius Concilio Chalcedonenſi præſiderent, miſit. Deinde Maximum quidem Antiochenum in Syria, Iulianum Conenſem in Oriente, in ſpeculis propter fidem eſſe conſtituit: Nicetæ autem Aquileienſi Epiſcopo, authoritatem Apoſtolicæ Sedis, in his, quæ magnam difficultatem dijudicationis videbantur afferre, impertiuit: Anaſtaſio verò Theſſalonicenſi ſcripſit: *Sicut præceſſores mei præceſſoribus tuis, ita ego dilectioni tuæ, priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuerſis Eccleſijs principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudis effectus adiuuaret, & longinquis ab Apoſtolica Sede Prouincijs præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes. Cùm enim omnium Apoſtolorum par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret. De qua forma, Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna diſpoſitione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent,*

tom. 2. Conc.

ep. 45 ad Synodum Chalced & 46. 49. ep 60. 68. 77.

epiſt. 82.

carent,

epiſt 4. *carent, ſed eſſent in ſingulis prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia, & rurſus quidam in maioribus Vrbibus conſtituti, ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnum Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vſque à ſuo capite diſſideret.*

Cauſam reddebat Leo, cur ad longinquas prouincias Vicarios viſitatores mitteret, quod ad eum Vniuerſalis Eccleſiæ cura pertineret, & tam ei liberum eſſet ſingulis prouincijs ſingulos Epiſcopos, ac ſingulis maioribus Vrbibus Præſides ſpeculatores ordinarios, ſeu perpetuos imponere, quam extra ordinem alios temporarios delegare. Ea propter etiam Epiſcopis Siciliæ ſcripſit: *Diuinis preceptis, & Apoſtolicis incitamur, vt pro omnium Eccleſiarum ſtatu improbo vigilemus affectu, ac ſi quid vſque reprehenſioni inueniatur obnoxium, celer ſolicitudine, aut ab ignorantiæ imperitia, aut à præſumptionis vſurpatione vindicemus. Monente enim Dominicę vocis imperio, quo Beatiſſimus Apoſtolus Petrus trina repetitione myſticę ſanctioni imbuitur, vt Chriſti oues, qui Chriſtum diligit, paſcat; ipſius Sedis, cui per abundantiam diuinæ gratiæ præſumus, reuerentia cohortamur, vt periculum deſidię quantum poſſumus declinemus, ne profeſſio Summi Apoſtoli, qua ſe amatorem Domini eſſet, teſtatus eſt, vana inueniatur in nobis; quia negligenter paſcens toties commendatum Dominicum gregem, conuincitur ſummum non amare Paſtorem.* Hæc cum Siculis Epiſcopis reſcriberet, addebat; *Quia ſaluberrime à Sanctis Patribus conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conuentus, terni ſemper ex vobis ad diem tertium Calendarum Octobrium Romam fraterno concilio ſociandi occurrant, & indiſſimulanter à vobis hæc conſuetudo ſeruetur.* Reuocabat illis Leo in memoriam, Canonem Antiocheni Concilij, in quo Patres decernebant, propter Eccleſiaſticas cauſas, & quæ exiſtunt controuerſias diſſoluendas, bis in anno per ſingulas prouincias Epiſcoporum Concilium fieri; ſemel quidem poſt tertiam hebdomadam Paſchalis feſtiuitatis, ita vt in quarta hebdomada, quæ conſequitur, ideſt, media Pentecoſte, Concilium compleatur: ſecundùm verò Idibus Octobris, qui dies apud Græcos hyperberetæi menſis decimus inuenitur. cap. 20.

Ea Concilia, cùm alicubi non celebrarentur, & multæ, quæ correctione opus habebant, Eccleſiaſticæ res negligerentur, Sancta Synodus Chalcedonenſis, pariter ſtatuerat, ſecundùm regulas Patrum, bis in anno in vnum conuenire per ſingulas Prouincias Epiſcopos, vbi ſingula, quæ emerſiſſent, corrigerentur. Succeſſu temporis, cum Epiſcopi, tum labores, tum pericula, tum ſumptus itineris cauſarentur, Patres Sextæ Synodi definierunt, omni excuſatione remota, omnibus modis ſemel in anno fieri, & deprauata corrigi. Quod ſi quis Princeps inuentus fuerit hoc prohibere, communione priuetur, aiebant. Si quis verò Metropolitanorum hoc neglexerit agere abſque neceſſitate, vel vi, ſeu aliqua rationabili occaſione, canonicis pœnis ſubiaceat. Ad priorem vetuſtam ſanctionem reſpiciens Leo Papa, Anaſtaſio Theſſalonicenſi Epiſcopo committebat: *De Concilijs autem Epiſcopalibus, non aliud indicimus, quam Sancti Patres ſalubriter ordinarunt, vt ſcilicet bini conuentus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuerſos Eccleſiæ ordines naſci aſſolent, iudicetur. At ſi forte inter ipſos, qui præſunt, de maioribus (quod abſit) peccatis cauſa naſcatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri, Fraternitatem ſuam de totius negotij qualitate, Metropolitanus curabit inſtruere; & ſi coram poſitis partibus, nec ſuo fuerit res ſopita iudicio, ad noſtram cognitionem, quicquid illud eſt, transferatur.* cap. 19. cap. 6. epiſt. 82.

Iſta de cauſa, Leo, ternos ex Sicilia, & ex alijs circumuicinis Eccleſijs Epiſcopos, Synodali ſuffragio deſtinatos, Romam venire ſingulis annis volebat; vt ex eis, quos in ſtatu res Eccleſiarum eſſent, certo certius cognoſceret, & prout neceſſitas poſtulaſſet, proſpiceret: cum etiam ea ipſa de cauſa olim Anacletus Pontifex, ex mente Apoſtolorum ſanxiſſet: *Iuxtà Sanctorum Patrum, & Canonum inſtituta, omnes Epiſcopi, qui huius Apoſtolicæ Sedis ordinationi ſubiacent, qui propinqui ſunt, nunc, Idibus Maij, Sanctorum Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli liminibus præſententur, omni occaſione ſepoſita. Qui verò de longinquo, iuxta chyrographum ſuum impleant: Qui autem huius conſtitutionis contemptor extiterit, præterquam ſi ægritudine fuerit detentus, ſciat ſe canonicis ſubiacere ſententijs.* Iſtam Anacleti ſaluberrimam conſtitutionem, Zacharias Papa, poſtmodum innouauit: Sixtus autem Quintus, noſtris temporibus, ea de re litteras publicauit, quas adiungo. diſt. 13.

SIXTVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Sixti V Cõſtitutio de Apoſtolorũ liminibus ab Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Primatibus viſitandis.

, ROmanus Pontifex, Beatiſſimi Petri Apo-
, ſtolorum Principis ſucceſſor, in altiſſi-
, ma militantis Eccleſiæ ſpecula, diuina diſpo-
, ſitione collocatus, ex credito ſibi Apoſtalicę
, ſeruitutis officio, omnium Eccleſiarum ſoli-
, citudinem habere, totiuſque Dominici gre-
, gis, qui vnius ſanctæ Catholicæ, & Apoſtoli-
, cæ Eccleſiæ per vniuerſum Orbem terrarum
, diffuſæ, ſacro ouili concluditur, curam ge-
, rere tenetur. Huius verò tam grauis, & in-
, gentis oneris, Angelicis planè humeris for-
, midandi magnitudinem, vt facilius ferre
, poſſet, Venerabiles Fratres ſuos Catholicos
, Epiſcopos, in partem ſuæ ſolicitudinis aduo-
, cauit, qui tamquam ſeniores in populo Dei,
, pleni ſapientiæ Spiritu, in ſua quiſque paſto-
, rali vigilia excubantes, illius Supremi in ter-
, ris Paſtoris immenſos labores ſubleuarent, in
, quo vno, Deo auctore plenitudo reſidet pote-
, ſtatis. Nimirum, vt Epiſcoporum opere, &
, adiumento, vbique locorum gregis ſibi com-
, miſſi vultum agnoſceret, & ſpiritualium
, ouium morbos intelligeret, curationeſque
, adhiberet, atque ex ſui muneris officio per-
, dita requireret, abiecta reduceret, confracta
, alligaret, infirma conſolidaret, pinguia, &
, fortia cuſtodiret; denique aſſiduis Paſtorum
, vocibus admonitus, de toto Eccleſiarum ſin-
, gularum ſtatu certior redderetur, ne quicquã
, omninò illum lateret earum rerum, quas ad
, Dei gloriam augendam, ad Chriſtianam re-
, ligionem propagandam, ad animarum ſalu-
, tem procurandam neceſſariò eundem ſcire,

atque

, atque intelligere oportet; vt omnibus cogni-
, tis, & examinatis, pro ea, quæ ſibi à Chriſto
, Domino tributa eſt ſumma poteſtate, alia in
, vinea Domini Sabbaoth euellat, alia plantet,
, alia ædificet, alia deſtruat, quemadmodum
, ex rerum, & temporum conditione ſalubrius
, in Domino viderit expedire. Ob quas ſane
, cauſas, iure optimo, & Spiritus Sancti in-
, ſtinctu, à Sanctiſſimis Pontificibus prædeceſ-
, ſoribus noſtris iam ab antiquiſſimis tempori-
, businſtitutum eſt, & per multas ætates ma-
, gno Eccleſiæ Dei commodo obſeruatum, vt
, ſinguli Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates,
, & Patriarchæ, certis præſcriptis temporibus,
, per ſe ipſos, vel per certum eorum Nuncium,
, omni occaſione ſepoſita, Beatiſſimorum
, Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui hanc Al-
, mani Vrbem ſuo ſanguine conſecrarunt, li-
, mina, tamquam Fidei petram, & totius Sa-
, cerdotalis vnitatis fontem iureinrando ſe vi-
, ſitaturos pollicerentur, atque ita Sancta Ro-
, mana Eccleſia matris ſuæ complexu recreati,
, & paterno Summi Pontificis colloquio robo-
, rati, ad Eeeleſias ſuas regendas, alacriores,
, & inſtructiores redirent.

, Cæterum hæc tam ſalutaris, atque neceſ-
, ſaria Conſtitutio, partim hominum negli-
, gentia, partim antiqui humani generis hoſtis
, aſtutia, varijs etiam inſurgentibus tempo-
, rum calamitatibus valde refriguit, alijs alia
, atque alia impedimenta prætexentibus, in
, graue animarum ſuarum periculum, & qui-
, bus præſunt Eccleſiarum detrimentum. Nec
, verò dubitandum eſt, quod ſine maximo ani-
, mi mœrore commemorare non poſſumus,
, perniciosiſſimas hæreſes, quibus multis iam
, annis, hominum peccatis ita promerentibus
, Eccleſia vexatur, & Chriſti Domini veſtis di-
, laceratur, ex eiuſmodi ſaluberrimæ viſitatio-
, nis intermiſſione partim ortas eſſe, partim
, latenti progreſſione magnum incrementum
, accepiſſe. Nam ſi celeriter in ipſo naſcen-
, tis mali initio, ab ipſis Epiſcopis pro rei gra-
, uitate ad Romanum Pontificem relatum eſ-
, ſet, ſanè illius prouidentia, & auctoritate,
, ſtatim venenatę ſtirpes ex agro Domini euul-
, ſæ eſſent, & diabolici ignis ſcintillæ ſubitò
, oppreſſæ atque reſtinctæ, in tot flammas, &
, luctuoſa incendia non erupiſſent. Hæc,atque
, alia grauiſſima incommoda, cum primum ad
, Summi Apoſtolatus apicem, meritis licet im-
, paribus Deo ita volenre vocati ſumus, atten-
, tius conſiderantes, non ſolum ex intimis ani-
, mi ſenſibus indoluimus, ſed ſtatim de adhi-
, bendo remedio, diuina gratia adiutrice, co-
, gitare cæpimus. Vrget enim nos Dei timor,
, & acres animo noſtro ſtimulos dies, noctesq;
, ſubijcit, quemadmodum in tremendo illius
, iudicio adminiſtrationis noſtræ rationem
, reddamus. Nam ſi huic tanto malo, quod
, magis quotidie ingraueſcit, non occurramus,
, non poſſumus nobis ipſis non valde timere,
, cum crebro in mentem veniant, & quaſi au-
, res noſtras perſonent, ſacræ illæ voces com-
, minationis, & terroris plenæ: *Fili hominis*
, *ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, & ſanguinem*
, *eius de manibus tuis requiram*. Et quod Petro
, à Domino dictum eſt: *Confirma fratres tuos*.
, Et illud Apoſtoli Pauli, quod tantò magis ad
, nos pertinet, quantò maiorem præter cæte-
, ros, Paſtoralis officij curam ſortiti ſumus:
, *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos*
, *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccle-*
, *ſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*.

, Quocirca eorumdem prędeceſſorum no-
, ſtrorum veſtigijs inhærentes, ſimulque mo-
, dum, & temporum ſpatia Eccleſiarum earum-
, dem Præſulibus, pro cuiuſque interuallo, &
, locorum diſtantia moderantes, hac perpetua
, Conſtitutione ſancimus, decernimus, & man-
, damus, vt omnes Patriarchæ, Primates, Ar-
, chiepiſcopi, Epiſcopi, per vniuerſum terra-
, rum Orbem conſtituti à Nobis deinceps or-
, dinandi, etiamſi Cardinalatus honore præ-
, fulgeant, antequam munus conſecrationis
, ſuſcipiant, ſeu conſecratis pallium de Beati
, Petri corpore ſumptum tradatur, aut ſi ad
, aliam Eccleſiam transferantur, antequam
, illius regimini, & adminiſtrationi ſe immi-
, ſceant, ſiquidem præſentes in Curia fuerint,
, in manibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Dia-
, coni Cardinalis ordine prioris: ſi verò abſen-
, tes, in manibus Antiſtitis, qui ad impenden-
, dum munus prædictum, aut ad tradendum
, pallium huiuſmodi à Sede Apoſtolica delega-
, bitur, iurent iuxta formulam in libro Can-
, cellariæ Apoſtolicæ quinterno appellato, nu-
, per deſcriptam, ſe Beatiſſimorum Apoſtolo-
, rum Petri, & Pauli limina, ſtatutis in hac no-
, ſtra Conſtitutione temporibus, perſonaliter;
, ac per ſe ipſos viſitaturos, & ſucceſſoribus
, noſtris pro tēpore exiſtentibus Romanis Pon-
, tificibus rationem reddituros, de toto eorum
, Paſtorali officio, deque rebus omnibus ad
, ipſarum, quibus præſunt Eccleſiarum ſtatum,
, ad Cleri, & populi diſciplinam, animarum
, denique, quæ illorum fidei creditæ ſunt, ſa-
, lutem quouis modo pertinentibus, & viciſſim
, mandata Apoſtolica humiliter recepturos, &
, quam diligentiſſimè executuros.

, Quod ſi legitimo impedimento deten-
, ti fuerint, iurent ſe prædicta omnia adim-
, pleturos, per certum Nuncium ad id ſpecia-
, le mandatum habentem, de gremio ſuorum
, Capitulorum, aut alium in dignitate Eccle-
, ſiaſtica conſtitutum, ſeu alias perſonatum
, habentem, aut ſi huiuſmodi hominem Ec-
, cleſiaſtica dignitate, & perſonatu præditum
, non habeant, per diœceſanum Sacerdotem,
, & ſi Clero careant, omnino per aliquem
, alium presbyterum, ſęcularem vel regularem,
, ſpectatæ probitatis, & religionis, de ſupra-
, dictis omnibus plene inſtructum. De huiuſ-
, modi autem impedimento docere debeant
, per legitimas probationes, ad dictum pri-
, mum Diaconum Cardinalem, per ſupradi-
, ctum Nuncium tranſmittendas.

, Quin etiam Principes temporales, ſi
, quid pro eorum pietate, & erga hanc Sedem
, Apoſtolicam obſeruantia, Romano Pontifi-
, ci voluerint ſignificare, eoſdem, ſiue Epiſco-
, pos, ſiue alios qui ab eis mittentur, fidos
, habebunt Nuncios ac relatores, quorum
, opera, ab eadem Sede, pro illorum Domi-
, nijs, ditionibus, & rebus firmandis ac ſta-
, biliendis, & cum Dei, & Sanctæ Religionis
, cauſa, ſine qua tuto conſiſtere haud poſſunt,
, coniungendis, opportuna ſinceræ charitatis
, officia, conſilia, atque ſubſidia expectare
, certo poterunt.

, Ad hoc autem debitum viſitationis of-
, ficium commode explendum, ſupradicti om-
nes

, nes Patriarchæ Primates, Archiepiſcopi, &
, Epiſcopi, Itali videlicet, vel ex Italicis In-
, ſulis, vnde in Italiam commodius traijci po-
, teſt, veluti Siculi, Sardi, Corſi, & alij adia-
, centiarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ, &
, Græcarum, quæ è regione ipſis, Italiæ, & Si-
, ciliæ oris ſunt, tertio anno; Germani vero,
, Galli, Hiſpani, Belgæ, Bohemi, Vngari, An-
, gli, Scoti, Iberni, & cæteri omnes, qui in
, Europa ſunt citra Mare Germanicum, &
, Balticum, ac omnium Inſularum Maris Me-
, diterranei quarto anno; & qui intra Europæ
, fines ſunt, his Prouincijs remotiores, ac
, etiam Africani littoribus noſtris aduerſis, ac
, Inſularum Maris Oceani Septentrionalis, &
, Occidentalis Europæ, & Africæ citra conti-
, nentem noui Orbis, tam qui nunc ſunt, quam
, qui ad Catholicam fidem per miſericordiam
, Dei aliquando redierint, quinto anno; Aſia-
, tici vero, & qui extra Aſiam, & in alijs no-
, uis terris Orientalibus, Meridionalibus, Oc-
, cidentalibus, & Septentrionalibus, tam in
, Inſulis quam in continentibus, & denique
, in qnibuslibet mundi partibus, decimo anno
, iter ſuſcipiant, & Deo concedente perficiant:
, Idemque inſtitutum, tertio quoque, quarto,
, quinto, & decimo anno repetant, & obſeruẽt.

, Hæc autem annorum ſpatia tempore
, ſuſcepti muneris conſecrationis, vel pallij
, traditionis, aut translationis, vt præfertur
, incipiant. Quæ ne longius differatur, volu-
, mus quod tempus qualecumque excurſum
, alicui ex ſupradictis Præſulibus, qui ſiue
, morte præuentus, ſiue alia quacumque de
, cauſa, ob non finitum ei tempus præſcri-
, ptum, dicta limina non viſitauerit, ita il-
, lius ſucceſſori effluxiſſe, & excurriſſe intelli-
, gatur, vt termino ipſo iuxta prædeceſſoris
, ſui iusiurandum completo, debitam tunc vi-
, ſitationem quamprimum conficere teneatur.
, Hi vero ex ſupradictis Antiſtitibus, qni ha-
, ctenus ab hac ſancta Sede ordinati ſunt, aut
, dictum pallinm ab ea ſuſceperunt, aut ad aliã
, Eccleſiam translati ſunt, prout cuique di-
, ſtantia locorum, & temporum interualla
, præſcripta ſunt, ad ſupradicta omnia obſer-
, uanda à die publicationis præſentis conſtitu-
, tionis omnino teneantur. Iubemus igitur
, in virtute ſanctæ obedientiæ ſupradictis om-
, nibus Antiſtibus, præſentibus & futuris, vt
, viſitationem prædictam, ſibi ſuiſque Eccle-
, ſijs adeo vtilem ac neceſſariam, iuxta præ-
, ſcriptam formulam omnino conficiant.

, Si vero, quod abſit, non egerint, eos
, ab ingreſſn Eccleſiæ, ac etiam ab adminiſtra-
, tione, tam Spiritualium, quam tempora-
, lium, nec non à perceptione fructuum ſua-
, rum Eccleſiarum, à Capitulis eorum, omni
, exceptione, & mora ceſſante, interim libere
, exigendorum, & in opus fabricæ, ſeu orna-
, mentorum Eccleſiæ emptionem, prout maior
, exegerit neceſſitas, inſumendorum, ipſo fa-
, cto tamdiu ſuſpenſos eſſe volumus, donec à
, contumacia reſipiſcentes, relaxationem ſu-
, ſpenſionis huiuſmodi à Sede prædicta merue-
, rint obtinere. Non obſtantibus priuilegijs,
, abſolutionibus, indulgentijs, & alijs con-
, ceſſionibus, de non viſitandis liminibus
, huiuſmodi quibuſcumqne Eccleſiarum Præ-
, latis, & per quoſcumque Romanos Pontifi-
, ces, ac etiam nos, & dictam Sedem ex qui-
, buſuis cauſis, perpetuo vel ad tempus, con-
, ceſſis, extenſis, & innouatis, quæ omnia
, contra præmiſſa quicquam nolumus ſuffra-
, gari, alijſque contrarijs quibuſcumque. Cæ-
, terum nos ſaluti, & conſcientiæ ſecuritati
, eorum Præſulum, qui ad huiuſmodi viſita-
, tionem obligati, eam contra iusiurandum
, hucuſque diſtulerunt, conſulere volentes, eos
, ſingulos à periurij reatu, & à Canonicis,
, Apoſtolicisque omnibus ſententijs, quas pro-
, pterea incurrerunt, auctoritate præſentium
, abſoluimus, qnos tantum pro exceſſus huiuſ-
, modi, eleemoſynam, quantum, & cui, vel
, quibus eorum Confeſſarius ſtatuerit appli-
, candam, volumus erogare. Quia vero dif-
, ficile nimis eſſet, præſentes literas quocum-
, que illis opus perferri, volumus quoque, vt
, earum exemplis etiam impreſſis, manu Na-
, tarij, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccle-
, ſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem pror-
, ſus adhibeatur fides, quæ eiuſdem præſenti-
, bus, etiam in die quinterno deſcribendis
, haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nul-
, li ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1585. 13. *Cal. Ian. Pont. noſtri anno* 1.

Iſta Sixtus Quintus ad veterem morem edicebat.

Vicarij à diuerſis Pont. in varijs Prouincijs conſtituti. *anno* 417.

Vt pro Paſtorali officio, ex ſingulis Epiſcopis intelligerent Romani Pontifices, quid ſingulis Eccleſijs opus eſſet: atque ex re capto conſilio conſulerent, ſiue Reſcriptis, ſiue Legationibus, ſiue vicaria poteſtate, alicui fideli comminiſtro concredita. Legationum frequentior, adeoque vtilior viſa fuit Eccleſijs miſſio eorum, qui coram vulnera corporis myſtici inſpicerent, & pro poteſtate medelam opportunam adhiberent: quamquam, & Vicariorum inſtitutio, neque infrequens, neque inutilis eſſet, in Eccleſiaſticis negotijs. Sanè Zoſimus Papa, Arelatenſi in Gallijs Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ iam olim, eo quod à Trophimo Diui Petri Diſcipulo indidem erecta fuiſſet, Vicario, eandem authoritatem integram eſſe voluit, atque Epiſcopis Galliarum ſcripſit, ne vllus Eccleſiaſticus ex qualibet Galliarum parte in aliam quamlibet prouinciam venire præſumeret, abſque litteris Formatis Arelatenſis Metropolitani; cui etiam prouincias, Viennenſem, & Narbonenſes primam ac ſecũdam reſtituit, iterumque ſubiecit.

Eadem priuilegia, alijs Epiſcopis, alij Pontifices Romani, Sanctus autem Gregorius Virgilio eiuſdem Eccleſiæ Arelatenſis Metropolitano, confirmauit. Leo quoque Magnus, Epiſcopis Mauritaniæ, Potentium, Sedis Apoſtolicæ nomine Vicarium præpoſuit, atque hæc illis ſcripſit; *Cum de ordinationibus Sacerdotum quædam apud vos illicite vſurpata, crebior ad nos commeantium ſermo perferret; ratio pietatis exegit, vt pro ſolicitudine quam vniuerſæ Eccleſiæ ex diuina inſtitutione impendimus, rerum fidem ſtuderemus agnoſcere, Vicem curę noſtræ proficiſcenti à nobis Fratri, & Conſacerdoti noſtro Potentio iniungentes, qui ſecundum ſcripta quæ per ipſum ad vos direximus, de Epiſcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet, inquireret, nobiſque omnia fideliter indicaret.*

lib.4. ep. 51. 52.

ep. 85.

Idem Leo Papa, à Leone Imperatore rogatus,

ep.78 & 100. ep. 77. Legati Apoſtolici pro curandis Eccleſiarũ rebus.

gatus, pro componendis rebus Orientalis Eccleſiæ, Domitianum, & Germinianum Epiſcopos Legatos deſtinauit; atque Anatolium Conſtantinopolitanum inter alia redarguit, quod cum ei vices ſuas delegaſſet, vt pœnitentes hæreticos, (quod ſolius erat Sedis Apoſtolicæ iuris) in Eccleſiam reciperet, eis ipſe abuſus, nonnullos abſque legitima, & perfecta ſatisfactione ſuſcepiſſet. Imperatori porro ſignificauit, ſe Legatos mittere, non qui cum hæreticis diſputarent: Id enim non eſſet Eccleſiaſticæ dignitatis, nouis diſceptationibus ſubijcere, quæ Occumenicis iam fuiſſent definita Concilijs: ſed vt Patrum decreta inuiolata eſſe iuberent, atque rebus afflictis conſulerent, iudicio de controuerſijs ciuilibus inſtituto. Poſt Leonem Simplicius Papa, Zenonem Hiſpalenſem Epiſcopum, *Vicaria Sedis Apoſtolicæ authoritate*, ſuper alios Epiſcopos voluit *fulciri: cuius vigore monitus*, ait, *Apoſtolicæ inſtitutionis decreta, & Sanctorum terminos Patrum, nullo modo tranſcendi permittas*.

Fælix III. Simplicio ſuccedens, cum audiſſet Orientales Eccleſias, à Zenone Imperatore, Acacio Conſtantinopolitano, Petro Fullone intruſo Antiocheno, & Petro Mago itidem intruſo Alexandrino turbari, non differendum, neque diſſimulandum ſibi exiſtimauit, ſed Vitalem Truenſem in Piceno Epiſcopum, & Miſenum Cumanum, cum Felice, Eccleſiæ Romanæ defenſore Legatos Conſtantinopolim miſit, literaſque tum Zenoni, tum Acacio acerrimas ſcripſit: quibus non tantum deſertæ, ſed & proditæ hæreticis Catholicæ Fidei accuſabat, vtrumque; Acacio vero diem dicebat, qui Romam veniret, & cum Ioanne Alexandrino accuſatore iudicio experiretur, quid ad obiectiones grauiſſimas reſponderet. In eandem curam Gelaſius ſucceſſor incubuit; & quidem in Oriente, Fauſtum Magiſtrum officiorum, vices ſuas agere voluit; in Dalmatiam autem, & Picenum, hæreſis Pelagianæ labe infectas prouincias, Romulum Sanctæ Romanæ Eccleſię Diaconum Cardinalem Legatum direxit: quod etiam Anaſtaſius, paulo poſt facere non intermiſit: Sed ad Anaſtaſium Imperatorem Eutychiana hæreſi laborantem, Germanum Epiſcopum Capuanum ſanctitate coſpicuum, & Creſconium Epiſcopum Tudertinum, virum plane egregium, nec non Feſtum Patricium, Legatos ire iuſſit: qui Eccleſiarum Orientalium negotia curarẽt.

hiſt. Eccl. anno 483.

anno 495.

anno 497.

anno 515.

Hormiſda, in eandem curam ſucceſſit, & ad eundem obſtinatæ mentis Imperatorem, Ennodium Ticinenſem, Fortunatum Tudertinum Epiſcopos, Venantium presbyterum, & Vitalem Diaconum Sanctæ Romnæ Eccleſiæ, Cardinales in Orientem delegauit: ſi quo modo poſſent, Fidem, & pacem Eccleſiarum exulantem, poſtliminio reuocare. Anaſtaſio Imperatore fulmine diuinitus interempto, cum Iuſtinus Orthodoxus Imperator, zelo pietatis exæſtuans, Legatos alios ab eodem Hormiſda poſtulaſſet, is Legationem Conſtantinopolitanam impoſuit, S. Germano Capuano, & Ioanni Epiſcopis: Blando presbytero, Felici atque Dioſcoro Diaconis: qui omnia ex animi ſententia, prout neceſſitas extemporanea flagitauerat, confecerunt. Idẽ etiam Hormiſda, Salluſtio Hiſpalenſi Epiſcopo iniunxit, vt *& prouincijs longinquitate diſiunctis Pontificis Romani exhiberet perſonam, & Patrum regulis adhiberet cuſtodiam. Vices itaque noſtras*, ait, *per Bæticam, Luſitaniamque prouincias, (ſaluis priuilegijs, quæ Metropolitanis Epiſcopis decreuit antiquitas) præſente tibi auctoritate committimus, augentes tuam huius participatione miniſterij dignitatem, reuelantes noſtras eiuſdem remedio diſpenſationis excubias. Quoties vniuerſalis poſcit religionis cauſa, ad Concilium, te cuncti Fratres euocante conueniant. Quicquid pro Fide, & veteribus conſtitutis formatis, totum ad ſcientiam noſtram inſtructæ relationis atteſtatione perueniat*.

Ioannes, Agapetus, Vigilius, Romani Pontifices, parum habuerunt Legatos, & Vicarios vti neceſſum fuerat deſtinare, niſi etiam ipſi Conſtantinopolim, pro pace Eccleſiarum iter ſuſciperent. Et Ioannes quidem, atque poſtea Agapetus, etiam miraculis editis tum Fidem Catholicam illuſtrauerunt, tum diſciplinam Eccleſiaſticam inſtaurarunt. Ioannes enim Conſtantinopolim veniens, ad portam quæ vocatur Aurea, populorum ſibi turbis occurrentibus, in conſpectu omnium roganti cæco lumen reſtituit, & manu ſuperpoſita oculorum tenebras fugauit: Agapetus autem iſtud, quod S. Gregorius narrabat, patrauit. Dum ad Iuſtinianum Imperatorem proficiſceretur, in Græciarum partibus propinqui cuiuſdam muti, & claudi obtulerunt eum Agapeto curandum, dicentes ſe in virtute Dei ex auctoritate Petri fixam illius ſpem habere. Protinus venerandus vir orationi incubuit, & Miſſarum ſolemnia exorſus, ſacrificium in conſpectu DEI omnipotentis immolauit. Quo peracto, ab altari exiens, claudi manum tenuit, atque aſsiſtente, & aſpiciente populo, eum mox à terra in proprijs greſsibus erexit. Cumque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua ſoluta eſt. Mirati omnes, flere præ gaudio cæperunt, eorumque gentes illico metus, & reuerentia inuaſit, cum videlicet cernerent, quid Agapetus facere in virtute Domini ex adiutorio Petri potuiſſet.

Agapet. & Ioann. Pp. Conſtant. pro pace Eccleſiarum profecti miracula patrarunt.

anno 524.

lib. 3. dial. cap. 3.

Præter hæc Agapetus, quod Patres ſecundæ Synodi Conſtantinopolitanæ fatentur, Anthimum Patriarcham Conſtantinopolitanum, data venia his qui talis rei participes aut communicatores fuerant, de ſede ſibi non conueniente depulit, quam ſententiam ſequentes illi ipſi Patres Conſtantinopolitani, de reliquo, Anthimum *tanquam membrum inutile* habendum cenſuerunt. Vigilius porro, præter hoc, quod poſtulantibus Patribus eiuſdem Synodi Conſtantinopolitanæ conceſsit, vt de tribus Capitulis, facto regulari conuentu, medijs Sacroſanctis Euangelijs collatio haberetur; *in vrbe Regia conſtitutus*, vt Gregorius memorabat, *contra Theodoram tunc Auguſtam, & Acephalos, damnationis promulgauit ſententiam*: necnon plurima pro vnitate, & pace Eccleſiarum tam Orientalium, quam Occidentalium, pro authoritate Apoſtolica conſtituit, & agitauit, Virgilium ſecutus Pelagius, etiam Narſetis copiarum Ductoris opera vſus eſt, ad nonnullos Occidentales, & in his Aquileienſem, & Mediolanenſem Epiſcopos coercendos, qui decreta Quintæ Synodi temere reijciebant. Pelagius ſecundus, Grego-

Act. 4. Anthimus de ſede Cõſtit. depellitur.

Vigil. Pp. Auguſtam, & Acephalos damnat. lib. 2. ep. 39.

gorium Conſtantinopolim Apocriſarium miſit: vbi is Eutychium Patriarcam Conſtantinopolitanum, de reſurrectione carnis male ſententiem repreſſit, adeoque conuicit, vt errorem ille cognouerit, & libellum eodem argumento hæreſibus infarctum, coram Imperatore Tiberio exuſſerit.

anno 583. S.Greg.Pp. geſta diuerſa circa curam vniuerſalis Eccl. Pelagio è viuis ſublato, Gregorius in Petri Sedem euectus quanquam nomen *Vniuerſalis Papæ*, ex humilitate ſuis literis non præſcriberet, vniuerſalis tamen Eccleſiæ curam, ſi quis alius, maxime is ipſe vigilantiſſime adminiſtrauit, adeoque ſe Primatem totius Eccleſiæ factis demonſtrauit.

In Italia.

lib. 1. ep. 16. 1. Ad B. Petri Apoſtoli limina cum ſuis ſequacibus venire Aquileienſem Epiſcopum iuſſit, vt in Synodo quod iuſtum eſſet indicaretur.

ep. 19. 2. Epiſcopum Cumanum ſolěniter electum, ad ſe euocauit, ſacrandum atque inſtruendum.

ep. 22. 3. Ioannem Epiſcopum Rauennatem, vt grauiora quæque ad Sedem Apoſtolicam referret, admonuit.

lib. 2. ep. 5. 4. Scholaſtico Campaniæ Iudici, vt peruerſitatem in Paulum Epiſcopum commiſſam, diſtricta emendatione corrigeret, iniunxit.

ep. 26. 5. Mediolanenſem presbyterum, à Laurentio Epiſcopo Mediolanenſi immerito excommunicatum, officio ſuo reſtituit.

ep. 29. 30. 6. Ioannem Subdiaconum Mediolanſi tranſmiſit, vt electum virum ſua imminentia ſecundum morem prædeceſſoris eius à proprijs Epiſcopis cum Apoſtolicæ authoritatis eſſenſu faceret Epiſcopum conſecrari.

lib. 3. ep. 33. 7. Theodelindam Longobardorum Reginam, vt de Eccleſia Beati Petri Apoſtolorum Principis nullum vlterius ſcrupulum dubietatis haberet, ſed in vera fide perſiſteret, & vitam ſuam, in Petra Eccleſiæ, hoc eſt in confeſſione Beati Petri Apoſtolorum Principis ſolidaret, hortatus eſt.

lib. 6. ep. 13. 8. Fanenſi Epiſcopo, vt authoritate Apoſtolica liceret ei, ob redemptionem captiuorum Sacra vaſa vendere, conceſſit.

lib. 7. ep. 10. 9. Ranennati Epiſcopo, vt de cauſa Maximi Salonitani Epiſcopi cognoſceret; vel ſi Maximus illum haberet ſuſpectum, etiam Conſtantinus Mediolanenſis Epiſcopus Rauennam veniret, & de eadem cauſa pariter diſcerneret, iniunxit.

10. Authemio Subdiacono Campaniæ, vt ſi quem Epiſcoporum Campaniæ poſt hac negligentem eſſe cognoſceret, *ad nos eum*, præcepit, *ſine aliqua excuſatione tranſmittas: vt quam ſit graue uolle ab his quæ reprehenſibilia ſunt, corrigi, regulari in ſe valeant diſtrictione ſentire.*

In Sicilia, Corſica, & Sardinia.

lib. 1. ep. 1. 11. *Petro*, ait, *Subdiacono Sedis noſtræ, intra prouinciam Siciliam vices noſtras, Deo auxiliante, commiſſimus, ſicut prædeceſſorum noſtrorum fuit iudicium, vni perſonæ omnia committere.*

lib. 2. ep. 4. 12. Maximinianum Epiſcopum Syracuſanum, ſuper cunctas Siciliæ Eccleſias, vices Sedis Apoſtolicæ miniſtrare decreuit, vt non ſit neceſſe pro paruulis cauſis Romam ire. *Sed difficilia ſolummodo*, ait, *noſtrum iudicium flagitent, vt ſubleuati de minimis, in cauſis maioribus efficacius occupemur.*

13. Epiſcopos Siciliæ, vt ſecundum inueteratam conſuetudinem, ſemel in triennio Romam de Sicilia conuenirent, admonuit. lib 6. ep 19.

14. Epiſcopo Catanenſium, vt in adminiſtranda inſtitia moderationem adhiberet, præcepit, ſcripſitque: Ad hoc, locorum gradus rationis ordo diſtinxit, & iudicia eſſe conſtituit, vt nec præpoſiti in opprimendis ſe fruſtra valeant occupare ſubiectis, nec ſubiectis iterum contra ſuos Præpoſitos effrenata ſit reſultandi licentia. lib. 7. ep. 8.

15. Lucillum, de Epiſcopatus ordine deponendum pronunciauit. 7. ep. 62.

16. Ioanni Epiſcopo Panormitano, vt Apoſtolicæ Sedis reuerentia nullius præſumptione turbetur præſcripſit. 11. ep. 42. 16.

17. Felici Epiſcopo Siciliæ, à prædeceſſorum exemplo Sedem Apoſtolicam conſulenti, ex authoritate Sedis Apoſtolicæ reſcripſit. 12. ep. 31.

18. Leoni Epiſcopo in Corſica, Diaconos, & presbyteros in Eccleſia Sagonenſi ordinandi licentiam conceſſit. 2. ep. 76.

19. Calaritano in Sardinia Epiſcopo, petenti, perſonam à latere eiuſdem Gregorij deputari, cui cauſas Gregorio referendas inſinuaret, delegauit. 7. ep. 2.

20. In Sardiniam ad conuertendos Paganos, vnum ex Italiæ Epiſcopis deſtinauit. 4. ep. 33.

In Africa.

21. Gennadio, Patricio Africę, vt ſi qui ex Concilio Numidiæ, ad Sedem Apoſtolicam venire voluerint, permitteret, & contradicentibus eorum, viæ obuiaret, præcepit. 1. ep. 72.

22. Epiſcopis Numidiæ, per Hilarium Sedis Apoſtolicæ Chartularium petentibus, vt illis omnes retro temporum conſuetudines, quas à Beati Petri Apoſtolorum Principis ordinationum initijs, hactenus vetuſtas longa ſeruauerat, conſeruarentur, authoritate Apoſtolica indulſit. ep. 75.

23. Columbo Epiſcopo Numidiæ, vt adunato Epiſcoporum vniuerſali Concilio, Maximinianum Eccleſiæ Pudentianæ in Africa Epiſcopum, à Conſtantio, & Muſello apud Sedem Apoſtolicam, quod præmio Donatiſtarum corruptus, Epiſcopum noua licentia fieri permiſiſſet, accuſatum, ſi reus conuinceretur, à dignitate officioque degradaret, præcepit. 2. ep. 33.

24. Eidem Columbo, in cauſa Donadei Diaconi, à Victore Numidiæ Epiſcopo gradu officij ſui deiecti, cum ille querelam apud Sedem Apoſtolicam depoſuiſſet; vt vna cum Primate Concilij, vel alijs Epiſcopis, omnia quæ petitio illius continebat, diligenti examinatione inquireret, & ſi quærela veritate fulcitetur, in Epiſcopo Victore Canonici rigoris diſtrictio teneretur, commiſit. 10. ep. 8.

25. CumquePaulinus Regenſis Epiſcopus in Numidia Eccleſiaſticos ordines per Simoniacam hæreſim dare diceretur, eidem Columbo, & Victori, qui primatus ibidem locum tenuit, cauſam examinandam impoſuit. ep. 32.

In Hiſpania.

26. Ioanni defenſori in Hiſpaniam eunti: vt is qui ſuperſtite Epiſcopo innocente, 11. ep. 50. & 53. contra canones, in Eccleſia eius ordinari præſumpſit, Sacerdotio priuatus, ab omni Eccleſiaſtico miniſterio repellatur, qui etiam in cuſtodia habeatur, vel ad nos tranſmittatur; Epiſcopi verò qui eum ordinauerunt, ſex menſibus Dominici corporis & ſanguinis communione priuati, agere pænitentiam in Monaſterio decernantur, reſcripſit. Ioannes verò ex deputatione & iuſſione, Beatiſſimi atque Apoſtolici Domini Gregorij, inter Epiſcopos Cognitor reſedit, & memoratos Epiſcopos in monaſterium ad agendam in tempus pænitentiam recipiendos, decreuit.

In Hibernia & Anglia.

27. Quirino, & reliquis Epiſcopis Hi- 9 ep. 61. berniæ, conſulentibus, vtrum Sacerdotes ac plebes, quæ Neſtorianæ hæreſeos errores confuſæ ſunt, cum ad matrem electorum omnium Catholicam Eccleſiam reuertuntur, baptizari debeant. an certè ſolius veræ fidei confeſſione eiuſdem matris Eccleſiæ viſceribus adiungi, reſcripſit.

28. Cumprimum in toto orbe gereret Beda hiſt. Eccl. Angl. lib. 2. c. 1. Pontificatum, & conuerſis iamdudum ad fidem veritatis eſſet prælatus Eccleſijs, Anglorum gentes eatenus idolis mancipatam, Chriſti fecit Eccleſiam: ita vt Apoſtolicum illud de eo liceat Anglis proferre ſermonem: Quia etſi alijs non eſt Apoſtolus, ſed tamen nobis eſt.

29. Auguſtino Epiſcopo Anglorum, vt lib. 12. ep. 15. per ſingula loca duodecim Epiſcopos ordinet. quatenus Londinenſis Epiſcopus ciuitatis, honoris pallium ab Apoſtolica Sede percipiat; Eboracenſis quoque Epiſcopus, duodecim Epiſcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur: Auguſtinus verò ipſe, omnes Britanniæ Sacerdotes haberet ſubiectos, diſpoſuit.

In Gallia.

30. Ad petitionem Cildeberti Regis, 4 ep. 51. 52. 53. Virgilium Arelatenſem Epiſcopum, iuxta antiquum morem, fecit ſuum in Regno illius Galliarum Legatum; hæcque inter alia Epiſcopis ſcripſit: *Quia vnumquodque tunc ſalubriter completum officium, cum fuerit vnus, ad quem poſſit recurri, Præpoſitus: idcirco opportunum eſſe perſpeximus, in Eccleſijs quæ ſub regno præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti Regis ſunt, ſecundum antiquam conſuetudinem, fratri noſtro Virgilio Arelatenſis Ciuitatis Epiſcopo vices noſtras tribuere: quatenus, & Catholicæ fidei integritas, id eſt, Sanctarum quatuor Synodorum, Deo protegente, ſollicita deuotione ſeruetur: & ſi inter Fratres, & Conſacerdotes noſtros aliqua euenerit forte contentio, authoritatis ſuæ vigore, vicibus nempe Sedis Apoſtolicæ functus, diſcreta moderatione compeſcat. Cui etiam iniunximus, vt ſi quarumdam cauſarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præſentia opus ſit, congregatis ſibi in numero competenti Fratribus, & Coepiſcopis noſtris, ſalubriter hoc ſeruata æquitate diſcutiat, & canonica integritate definiat. Si quam vero contentionem, quod longe faciat diuina potentia, de Fidei cauſa euenire contigerit, aut negotium emerſerit, cuius vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine iudicio Sedis Apoſtolicæ indigeat: examinata diligentius veritate, relatione ſua ad noſtram ſtudeat producere notionem, quatenus à nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari.*

31. Eccleſiæ Auguſtodunenſis Epiſco- 7. ep. 112. po vſum pallij concedens, eandem Eccleſiam poſt Lugdunenſem, primum locum Apoſtolicæ authoritatis vendicare voluit.

In Dalmatia.

32. Natalem Salonitanum Epiſcopum, 2. ep. 10. per pallij, communioniſque priuationem, adigit, vt Honoratum Archidiaconum loco ſuo reſtitueret: ni faceret, *ſe inquiſiturum, an in Epiſcopatu ipſe perſiſtere debeat.*

33. Antonio, Rectori Patrimonij in 2. ep. 22. Dalmatia, vt facto in perſonam electam decreto, Romam tranſmitteret, *vt cum noſtro,* ait, *decreto, ſicut priſcis fuit temporibus, ordinetur.*

34. Epiſcopis per Illyricum, vt Ioanni, 4. ep. 9. quem confirmauerat, velut delegato Sedis Apoſtolicæ obedirent, iniunxit.

35. Dalmatiæ Epiſcopis, vt quos Apo- 5. ep. 48. & 26. ſtolica Sedes in communionis ſuæ conſortium non recepit, omnino refugiant, præcepit: quos etiam coarguit: deberent repulſum cognoſcere, quem Sedes Apoſtolica repellebat.

In Græcia.

36. Caſſatis Ioannis Epiſcopi primæ Iuſtinianæ decretis, ex Beati Petri Apoſtolo- 2. ep. 6. rum Principis authoritate decreuit, eum 30. dierum ſpatio cõmunione priuatum: & Adrianum Thebanæ ciuitatis Epiſcopum, ab eodem Ioanne damnatum, in ſuum locum, & ordinem reſtituit.

37. Adrianum Thebanę ciuitatis Epi- 2. ep. 7. ſcopum, Eccleſiamque eius de iuriſdictione poteſtatis Ioannis Epiſcopi Lariſſei, à Pelagio prædeceſſore exemptum, & ipſe quoque exemit, atque exemptionem confirmauit, & iuſſit, vt ſi quæ cauſa, vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria aduerſus eundem eueniret, ſiquidem mediocris eſſet, per Reſponſales Apoſtolicæ Sedis in vrbe Regia cognoſceretur: ſi ardua: Romam ad Apoſtolicam Sedem decidenda deduceretur.

38. Ioanni Epiſcopo primæ Iuſtinianæ, 4. ep. 15. pallium ex more tranſmiſit, & vices illum Apoſtolicæ Sedis agere, iterata innouatione decreuit.

39. Secundinum Epiſcopum Apoſtolicæ 4. ep. 10. Sedis Legatum in Orientem miſit: qui Anaſtaſium Epiſcopum ita damnauit, vt quaſdam perſonas Epiſcopi Romani arbitrio reſeruaret.

40. Epiſcopo Corinthiorum, ſicut præ- ep. 55. 56. deceſſores ſui, prædeceſſoribus illius, pallium conceſſit, & Epiſcopos per Hellada, parere illi iuſſit.

41. Epiſcopis Epiri, ſe cuncta priuilegia Andreæ Epiſcopi, quæ prædeceſſores ſui præ- 5. ep. 7. deceſſoribus illius conceſſerant confirmaſſe ſignificauit.

42. Ni-

2. epiſt.

42. Nicopolitani in Corcyra Metropolitæ ſententiam, Apoſtolicæ Sedis authoritate comprobauit, confirmauit, atque per omnia robuſtam manere decreuit: vt Caſſiopi caſtrum ſub iuriſdictione Eccleſiæ enim quemadmodum ſemper fuit, perſiſteret.

43. Plurimas Eccleſias in Oriente, & Occidente vacantes, nouorum Epiſcoporum electione impleri curauit: & ſicubi diſſentirent eligentes, vel minus idoneum elegiſſent, Paſtores illis præfecit; ſuper hos vero tum Primates in omnibus Prouincijs conſtituit, tum vbi neceſſarium eſſet, aut Legatos miſit, aut Vicariam Sedis Apoſtolicæ authoritatem aliquibus ad tempus commiſit, aut legibus ſaluberrimis, vel extemporaneis reſcriptis ſalutem Eccleſiarum curauit.

Reliquorũ Pont. idem ſtudium in curandis Eccleſiarum neceſſitatibus.

Iſta & plurima alia S. Gregorius, à ſolicitudine Paſtorali, in omnes totius orbis Eccleſias. Eandem ad ſe & reliqui Pontifices pertinere ſcientes, non defuerunt ſuo officio, &, vel Legatos, vel Vicarios, vel Apocriſiarios, vel Viſitatores, vbi & quando opus fuerat mittere non diſtulerunt, ad Eccleſiarum neceſſitates curandas. Honorius I. Occidentalibus Saxonibus in Angliam Byrinum Epiſcopum Legatum miſit: qui Fidem vel vbi non eſſet inſereret, vel vbi fuiſſet excoleret.

anno 642.

anno 646.

Theodorus ſucceſſor, Monothelitarum errore Orientales Eccleſias peruadente, Apocriſiarios ſuos Conſtantinopolim deſtinauit, qui Paulum eius Vrbis Patriarcham ad fidem reuocarent, & aduerſus omnes qui ab Eccleſiæ Catholicæ ſententia diſcreparent, anathema promulgarent. S. Martinus I. Ioannem Philadelphiæ Epiſcopum, Sedis Apoſtolicæ in Oriente Vicarium, vt Hieroſolymitanæ, Antiochenæ, alijſque earum partium Eccleſijs Paſtoribus deſtitutis, vel ab hæreticis miſere labeſactatis ſuccurreret, conſtituit, vtque illi omnes Epiſcopi, Archimandritæ, viri Illuſtres Sacerdotes, Monachi & Laici obtemperarent, mandauit: Conſtantemque Imperatorem Monothelitis fauentem ea ſententia perculit; *vna cum Orthodoxa fide bene cuſtodita creſcit Reipublicæ ſtatus, minuitur vero cum Imperatores, & Reges pro aduerſarijs depugnant*. Agatho non ſegnior, ad Eccleſias Orientales ab hæreſi purgandas, & à diſſidijs vindicandos, Ioannem Epiſcopum Portuenſem, Abundantium Paternenſem, Ioannem Regienſem, & alios inſignes viros, Legatos Conſtantinopolim dimiſit; qui annuente Conſtantino Pogonato Imperatore, ex ſententia ſextæ Synodi, hæreſim Monothelitarum extinxerunt, & pace Eccleſijs reſtituta, cuncta ex authoritate Apoſtolicæ Sedis feliciter effecerunt. Conſtantinus Papa; ad præuertendum grauiſſimum ſchiſma, quod ex additione canonum quintæ & ſextæ Synodi, Eccleſiæ vniuerſali imminebat, ipſe Conſtantinopolim conceſſit: vbi ab Iuſtiniano iuniore ſummo cum honore habitus, finem difficillimis controuerſijs impoſuit. Gregorius Secundus, Michaelem Apocriſarium Conſtantinopoli perpetuo retinuit: Bonifacium vero Epiſcopum, Legatione apud Reges & gentes Septentrionales defungi voluit; necnon ad Leonem Iſauricum Imperatorem, Legatos deſtinauit, qui hunc ab errore Iconoclaſtarum reuocarent.

anno 649.

anno 710.

anno 719.

Hadrianus I. & II. pari vigilantia Eccleſias Orientales complexi, ſuis temporibus Legatos Conſtantinopolim ablegarunt, qui hæreſes exorientes extirparent, & res turbatas componerent, & diſciplinam Eccleſiaſticam inſtaurarent, ſicubi iniuria temporum labeſactatam reperiſſent: Omitto cæteros Pontifices, perpetua ſucceſſione ad hæc vſque tempora Sedi Apoſtolicæ præſidentes: quibus pro ſollicitudine omnium Eccleſiarum inuigilantibus, ſolemne ſemper fuit, latere ſuo aliquos vbique gentium mittere, ad res Eccleſiaſticas cognoſcendas, diſponendas, atque decernendas. Nemo, niſi communionis Eccleſiaſticæ exors, vnquam vel Principum, vel Epiſcoporum fuit, qui horum aut miſſionem impugnaret, aut iudicium detrectaret: quin potius Fidei & pacis cupientes Imperatores, Reges, Principes, Patriarchæ, Primates, Epiſcopi, Clerus & populus Chriſtianus, vocem Principis Paſtorum audire deſiderantes, illos à Sede Apoſtolica poſtulabant, & in omnibus quæ edixiſſent obtemperabant, memores illius, *Qui vos ſpernit, ſpernit eum qui miſit: & qui vos audit, audit Principem Paſtorum: quem non audire, eſt Deum qui præcepit, & Chriſtum qui Vicarium inſtituit, non audire*: præſertim, quod ille ſit, ad quem curam omnium ſupremam Chriſtus voluit pertinere.

Pontifices ſemper ſoliti aliquos à ſuo latere vbiq; gentiũ mittere ad res Eccleſ. cognoſcendas diſponẽdas & decernendas.

S.D.N. Pauli V cura & ſollicitudo de vniuerſis Eccl. & grege ſibi commiſſo.

Ad eam curam intentus & Paulus Quintus, cum ſe agnoſcat tam ſapientibus, quam inſipientibus debitorem, miſſis vbique Regnorum & gentium Apocriſiarijs, ſummopere adlaborat, vt & qui non ſapiunt ſapiant, & qui ſapiunt non deſipiant, & qui deſipuere reſipiſcant. Cumque, vt Bernardus aiebat, *nullum genus inſipientiæ, infidelitate inſipientius*, & infidelibus Iudæis & Gentibus ſe debitorem videns, ſua intereſſe iudicat, dare operam quam poſſit, vt tales mittat, quorum ſtudio, increduli conuertantur ad fidem, conuerſi non auertantur, auerſi reuertantur; porro peruerſi ordinentur ad rectitudinem, ſubuerſi ad veritatem reuocentur, ſubuerſores inuictis rationibus conuincantur; vt vel emendentur ipſi, ſi fieri poteſt; vel ſi non, perdant auctoritatem facultatemque alios ſubuertendi.

Iam & hæreticos, & ſchiſmaticos, qui ſunt ſubuerſi & ſubuerſores, canes ad ſciſſionem, vulpes ad fraudem, non negligit; ſed ad eos pariter deſtinare pergit huiuſmodi, quorum diligentia ſint, aut corrigendi ne pereant, aut ne perimant, coercendi: cæterum & illam inſipientiam, quæ ipſam quoque iam propemodum ſtultam alicubi facit ſapientiam fidei, ſcil. dum fideles in clero aliqui, quæ ſua ſunt quærentes, inuicem inuidentes, inuicem prouocantes, ſeſe mutuo lancinant, tollere feſtinat, miſſiſque Nuncijs curat, ne exacerbantur ad odia, ne animentur ad iniurias, ne armentur ad lites, ne cauillentur ad dolos, ne ferantur ad detractiones, ne prorumpant ad maledicta, ne opprimantur à fortioribus, ne opprimant infirmiores, ne per ambitum dignitates quærant, ne quæſitam virtutibus dignitatem fœdo facinore dedecorent, ne ſanctitatem profeſſam commaculent, ne rem Eccleſiaſticam proſtituant; & in ſumma, ne neceſſitatibus Eccleſiarum & vniuerſorum fidelium, quicquam alicubi deſit, quod vel iuuare, vel recreare, vel reſtaurare poſſit: ad imitationem Aquilæ magnarum alarum Pauli Apoſtoli, qui

totum ſe impendit, & ſuperimpendit, vt omnibus omnia fieret, vt omnes lucrifaceret, vt ſollicitudinem omnium Eccleſiarum ſibi cordi & curæ eſſe factis demonſtraret:

Sic & Paulus Quintus, ſuper vniuerſum Eccleſiæ ſtatum conſideratione intenta, ideo Nuncios & Viſitatores deſtinat, vt illorum oculis videat, ſi plebes clericis, ſi clerici Sacerdotibus, ſi Sacerdotes Deo in ea qua oportet humilitate ſubiecti ſint, ſi in Monaſterijs & Religioſis locis ſeruetur ordo & vigilet diſciplina, ſi ſuper praua opera & dogmata cenſura Eccleſiaſtica vigeat, ſi floreant vineæ honeſtate & ſanctimonia Sacerdotum, ſi flores fructus parturiant obedientiam fidelium populorum, ſi demum diuina mandata & Apoſtolica inſtituta, ea qua dignum eſt ſollicitudine obſeruentur, ne quid in agro Dominico, aut neglectu incultum, aut fraude ſurreptum inueniatur.

CAPVT XXXVII.

Pontifex Romanus, Iudex Epiſcoporum.

Regale in Eccl. Sacerdotium.

NON qualecunque, ſed Regale Sacerdotium, Chriſtus in Eccleſia inſtituit. Paulus Apoſtolus, Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum, Moyſi componebat, & anteponebat. Moyſes in Sacerdotibus Dei, cum Regia poteſtate! Itaque & Chriſtus magnus Pontifex, non minus cum eadem: tanto amplioris gloriæ præ Moyſe dignus habitus, quanto ampliorem honorem habet, domus qui fabricauit illam; & quanto Eccleſia ex gentibus & Hebræis collecta, eſt præſtantior Synagoga, quæ ex Hebræis.

Quantus dignius Sacerdotiũ Chriſti Sacerdotio Moyſis.

Itaque Chriſtus, non minus quam Moyſes, cum Imperio Eccleſiæ prælatus, & pro hominibus in his quę ſunt ad Deum ſuper omnes & populos, & populorum Duces ac Magiſtros conſtitutus, non tantum ſacrificijs offerendis, orationibus & ſupplicationibus fundendis, Deo conciliando, oraculis referendis, legibus ſcribendis, populiſque docendis, inter Antiſtites Sacrorum præſtabat, verum etiam iudiciaria cum auctoritate, cauſis cognoſcendis, decernendiſque, non tantum inter plebes, ſed etiam inter plebi Antiſtantes Apoſtolos.

Chriſtus adulterę cauſam diſcuſſit & controuerſiam de Primatu cognouit.

Inter plebes, adulteræ cauſam apud ſubſellia ſua diſcuſſit, & pro ſupremo arbitrio definiuit: Inter Apoſtolos controuerſiam de Primatu cognouit, diremit, & loco ſui Vicarium Petrum Paſtorem agnorum & ouium, conſtituit; qui in domo illius ſuprema cum authoritate omnibus antiſtaret, & omnes quotquot ouium & agnorum Chriſti nomine cenſentur: (omnes autem porro non tantum populi, ſed etiam Epiſcopi cenſentur,) paſceret, regeret, dirigeret, corrigeret, corriperet, Sathanæ in interitum carnis traderet, & illam voluntarie peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis decretam terribilem quandam expectationem iudicij, & ignis æmulationem, quæ conſumptura eſt aduerſarios, decretoria ſententia præueniret: vt quod ille ligaſſet in terris vel ſoluiſſet, ligaretur vel ſolueretur in cœlis.

Poteſtas à Chriſto Petro collata.

Petro ſoli in Coapoſtolos auctoritas.

Nemini Apoſtolorum alteri quam Petro, in Coapoſtolos auctoritas: nemini enim illorum, ſed ſoli illi, Regalis Sacerdotij Claues collatæ; & ſi aliquibus participatæ, nonniſi reſpectu ad illum ipſum, quoad vſum tantum temporaneum, in partem ſollicitudinis vocatis communicatæ; vt Cathedra vna Sacerdotalis ſuper Petrum erecta perpetuo perſeueraret, in qua ille vnus Paſtor, Princeps in medio ouium & Paſtorum, iudicaret *inter pecus & pecus arietum, & hircorum*: ſcilicet inter Epiſcopos, hos qui veri anteambulones gregis, & alios qui inſtar hædorum; lateribus & humeris impingerent, & cornibus ſuis ventilarent omnia infirma pecora, donec diſpergerentur foras.

Ezech. 34.

Ab auctoritate Petro collata manauit in Roman. Pont. illius ſucceſſores iuriſdictio in omnes etiam Epiſcopos.

Ab hac Petro collata in omnes authoritate, manauit in ſucceſſores illius Romanos Pontifices iuriſdictio, ſuper omnes ſucceſſores Apoſtolorum Epiſcopos, vt merito Bernardus vniuerſo Clero & populo Mediolanenſi ſcripſerit: *Plenitudo poteſtatis ſuper vniuerſas Orbis Eccleſias, ſingulari prærogatiua Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Poteſt, ſi vtile iudicauerit, nouos ordinare Epiſcopatus vbi hactenus non fuerunt. Poteſt eos qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictauerit, ita vt de Epiſcopis Archiepiſcopos creare liceat: & è conuerſo, ſi neceſſe viſum fuerit. Poteſt à finibus terræ ſublimes quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas euocare, & cogere ad ſuam præſentiam, non ſemel aut bis, ſed quoties expedire videbit. Porro in promptu eſt ei, omnem vlciſci inobedientiam, ſi quis forte reluctari conatus fuerit. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.*

ep. 131.

Iure merito BERNARDVS iſta aſſeuerabat. Quemadmodum enim Apoſtolis alijs præter PETRVM, nihil iuris erat in reliquos Apoſtolos: ita & Apoſtolorum aliorum ſucceſſoribus Epiſcopis, nihil in alios Coepiſcopos Apoſtolis alijs ſufficiebat, in virga venire ad eos, quorum Eccleſias condiderant: eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, accuſationem in presbyteros, tantum quos conſecrauerant ſuſcipere: nec quicquam in alienos iudicij exercere: quod id, in apertis quidem, ad Romanum Pontificem: & in occultis, vel, vt Auguſtinus Cyprianum interpretabatur, *in his quæſtionibus; quæ nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſæ ſunt*, ad vniuſcuiuſque conſcientiæ, vel ad Dei tribunal pertineat.

Iudicium in apertis ad Rom. Pont. in occultis ad cuiuſque conſcientiã pertinet. *lib. 3. de Bapt. c 3.*

In apertis Epiſcoporum criminibus aut ſententijs dijudicandis, *nemo* præter Romanorum Pontificem, *Epiſcoporum ſe eſſe Epiſcopum*, ait Cyprianus, *conſtituit, aut* in ferendis ſententijs *tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit; quando habeat omnis Epiſcopus*, opinor, in his quæſtionibus, quæ nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſæ ſunt, *pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam ab alio* non Principe Epiſcoporum *iudicari non poſſit, cum nec ipſe* non Epiſcopus Epiſcoporum *poteſt alterum iudicare. Sed* in occultis, & penitus indiſcuſſis; *expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnus & ſolus habet poteſtatem, & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro iudicandi.* Hæc Cyprianus, cuius mentem ſi aſſequor, pronuncio confiteri, in his verbis, *expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnus & ſolus habet poteſtatem*

Quomodo auctor Cypriani verba intelligat.

ſtatem præponendi nos in Eccleſiæ ſua gubernatione, quod in omnibus ambiguis, quæ nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſæ ſunt, vniuerſi Epiſcopi, expectent iudicium Romani Pontificis: qui cum ſit & Chriſti Vicarius, & vnus ac ſolus fons ſacerdotij, habens poteſtatem præponendi Epiſcopos in Eccleſiæ gubernatione, ſi iudicat, Domini Ieſu Chriſti iudicium iudicat: cum Vicarius, non ſuum, ſed Principis ſui iudicium iudicans, non ſuum ſed Principis iudicium exerceat: tanto magis, ſi omnibus ille manum impoſuerit, nomine & authoritate magni Pontificis Ieſu, à quo in Petrum, & à Petro in Petri ſucceſſores deriuandi ſacerdotij in omnes Epiſcopos facultas: & ex conſequenti, de actu omnium Epiſcoporum iudicandi auctoritas. Non vana eſt mea coniectura, ſed praxi eiuſdem Cypriani confirmata.

Ex epiſt. Cypriani 67.

Cum enim Marcianus Arelatenſis Epiſcopus Nouatiano ſeſe coniunxiſſet, & à Catholicæ Eccleſiæ vnitate, atque à corporis Eccleſiaſtici & ſacerdotij conſenſione diſceſſiſſet, tenens hæreticæ præſumptionis duriſſimam prauitatem, vt ſeruis Dei pœnitentibus & dolentibus, & ad Eccleſiam lachrymis, & gemitu, & dolore pulſantibus, diuinæ pietatis & lenitatis paternæ ſolatia & ſubſidia claudantur, nec ad fouenda vulnera admittantur vulnerati, ſed ſine ſpe pacis & communicationis relicti ad luporum rapinam & prædam diaboli proijciantur; cum inquam Marcianus cenſuram Eccleſiaſticam mereretur, Cyprianus non eſt auſus Epiſcopum aut anathemate damnare, aut gradu deijcere, ſed Epiſcopo Romanorum Stephano, tanquam ſupremo omnium Epiſcoporum iudici ſcripſit: *Facere te oportet pleniſſimas litteras ad Coepiſcopos noſtros in Gallijs conſtitutos, ne vltra Marcianum peruicacem & ſuperbum, & diuinæ pietatis ac fraternæ ſalutis inimicum, collegio noſtro inſultare patiantur, quod necdum videatur à nobis abſtentus, qui iam pridem iactat & prædicat, quod Nouatiano ſtudens, & eius peruicaciam ſequens à communione noſtra ſe ſegregauerit; cum Nouatianus ipſe quem ſequitur, olim abſtentus à Cornelio Rom. Pont. & hoſtis Eccleſiæ iudicatus ſit: & cum ad nos in Africam Legatos miſiſſet, optans ad communicationem noſtram admitti, hinc à Concilio plurimorum Sacerdotum qui præſentes eramus ſententiam retulerit; ſe foris eſſe cœpiſſe, nec poſſe à quoquam noſtrum ſibi communicari, quia Epiſcopo Cornelio in Catholica Eccleſia de Dei iudicio, & cleri ac plebis ſuffragio ordinato, profanum altare erigere: & adulteram cathedram collocare, & ſacrilega contra verum Sacerdotem ſacrificia offerre tentauerit. Quam vanum eſt, vt, Nouatiano nuper retuſo & refutato, & per totum Orbem à Sacerdotibus Dei abſtento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere, & de maieſtate ac dignitate Eccleſiæ iudicare. Dirigantur in prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te litteræ, quibus abſtento Marciano, alius in locum eius ſubſtituatur, & grex Chriſti qui in hodiernum ab illo diſſipatus & vulneratus contemnitur, colligatur. Marcianus ſententiam non dicat, ſed accipiet: nec ſic agat quaſi ipſe iudicauerit de collegio Sacerdotum, quando ipſe ſit ab vniuerſis Sacerdotibus iudicatus. Seruandus eſt enim anteceſſorum noſtrorum Beatorum Martyrum Cornelij & Lucij honor glorioſus: quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu frater chariſsime honorificare & ſeruare grauitate & authoritate tua debes, qui Vicarius & ſucceſſor eorum factus es. Illi enim pleni ſpiritu Dei, & in glorioſo martyrio conſtituti dandam eſſe lapſis pacem cenſuerunt, & pœnitentia acta fructum communicationis & pacis negandum non eſſe litteris ſuis ſignauerunt: quam rem, omnes omnino vbique cenſuimus. Neque enim poterat eſſe apud nos ſenſus diuerſus, in quibus eſſet vnus ſpiritus.*

Cypr. non audet Marcianum Arelat. Epiſc. licet hæreticum damnare, ſed Rom. Pontif. ſcribit iudiciũ eius expectans.

Ex his quæ Cyprianus ſcripſit, clariſſimum eſt, omnes Epiſcopos, iudicium Romani Pontificis, vtpote iudicium Domini Ieſu Chriſti, in cauſa Epiſcoporum expectaſſe: neque prius aut Nouatianum, aut Marcianum damnauiſſe, quam ille quidem à Cornelio & Lucio, hic autem Stephano, Romanis Pontificibus iudicatus fuiſſet. Iam Baſilidem & Martialem, ſacerdotali honore indignos, tunc primum cæteri Epiſcopi renunciare voluerunt, quando *Cornelio Sacerdos pacificus & iuſtus, vna nobiſcum*, ait Cyprianus, *& cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis decreuit, eiuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem Cleri atque ſacerdotali honore prohiberi*; ſcilicet, nemo eorum iure poterat, alienos à ſua poteſtate homines, ſuo iudicio ſubijcere; ne, quod Hieronymus Ioanni Hieroſolymitano, & Theophilo Alexandrino Chryſoſtomus poſtea repoſuerunt, audirent.

Tunc primum Epiſcopi hæret. ab alijs Coepiſcop damnati, cum à Rom. Pont. condemnati eſſent.

epiſt. 68.

Nemo poteſt alienos à ſua poteſtate ſuo iudicio ſubijcere.

Ioannes Hieroſolymitanus Epiſcopus, Metropolitani ſui cenſuram ſuffugiebat: Chryſoſtomus vero, Origeniſtarum Monachorum libellos, aduerſus Theophilum ſuſceperat. Alter proprio iudice ſubducebat, alter in non ſibi ſubiectum, iudicium vendicabat; atque adeo in alienam meſſem falcem mittere volebat. Quamobrem Hieronymus confidenter: *Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij canonibus vteris reſponde mihi: ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtinæ quid pertinet? ni fallor, hoc ibi decernitur, vt Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæſarienſem Archiepiſcopum referre debueras, cui ſpreta communione tua, communicare nos noueras; aut ſi procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potius litteræ dirigendæ. Sed noui cur Cæſaream, cur Antiochiam noluiſti mittere. Maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere, quam debitum Metropolitano tuo honorem reddere.* Actiora Theophilus Chryſoſtomo: *Arbitror te non ignorare, quid præcipiant Nicæni Concilij canones, ſancientes, Epiſcopum non iudicare cauſam extra terminos ſuos. Si ignoras, diſce: & libellos contra me ſuſcipere deſine. Nam & ſi iudicari me opus ſit; ab Aegyptijs magis, quam abs te id fieri oportet, qui ſeptuaginta quinque dierum itinere à nobis ſeparatus es.*

Ep. ad Pammach.

Reponit Hieronym. Ioan Hieroſol. Metropol. ſui iudiciũ effugere volenti.

Hiſt. Eccleſ. anno 400. & 40.

Paria, eidem Theophilo Alexandrino, Chryſoſtomum ad ſua ſubſellia trahenti, Epiſcopi reſcripſerunt; *Noli Eccleſiæ negotia ſoluere: noli confundere ordinem, & ne ſcindas Eccleſiam propter quam Chriſtus deſcendit ad terras. Habemus epiſtolam tuam, per quam admones Coepiſcopum noſtrum Ioannem: non oportere citra terminos ſuos Epiſcopos iudicare. Quod ſi impatiens ſoluis Nicæni Concilij Canones, cauſaſque citra terminos tuos vis cognoſcere: ipſe ad nos tranſi in bene inſtitutam ciuitatem: neque inſtar Cain Abel*

Epiſcopor. Theophilo Alex. Chryſoſt. ad ſua ſubſellia trahenti reſcriptum.

in campum pronoces; vt nos te primum audiamus? Habemus enim contra te libellas capitum ſeptuaginta, apertas & neſarias actiones continentes. Pluresque per Dei gratiam ſumus, quam Synodus tua, congregati non ad euerſionem Eccleſiæ, ſed pacem. Nam tua quidem Synodus, triginta & ſex habet Epiſcopos ex vna prouincia: nos autem quadraginta ſumus ex prouincijs varijs, in quibus & ſeptem ſunt Metropolitæ: & neceſſario conuenit pauciores à pluribus ac præſtantioribus ſecundum canones iudicari. Æqualia, & ipſe Chryſoſtomus, illi ipſi Theophilo; quod cum eſſet in Ægypto iudicium ferre præſumeret de illis qui morabantur in Thracia. Poterant ſinguli Epiſcoporum, aduerſus iſtos excipere, quod hi vt regiones, ita etiam & poteſtatem definitam, nec adeo amplam vt Romanus Pontiſex haberent.

Nemo à Rom. Pont. Virga cenſoria alienus.

Hic enim ſolus ſupremus Paſtor, vniuerſis Paſtoribus prælatus, in omnes obtinuit iudiciariam auctoritatem, nemo vt ſit, qui ſe alienum cenſeat ab eius virga cenſoria, niſi qui prorſus ouis Chriſti cenſeri recuſat. Itaque is ſolus, cum nullis terminis circumcluſam Eccleſiam, curandam à Chriſto acceperit, ex omnibus quamuis remotiſſimis regionibus poteſt Epiſcopos ad ſua ſubſellia vocare; quemadmodum Innocentius I. Theophilum Alexandrinum quem Thraces ad ſuum tribunal fruſtra trahebant, intrepide euocauit, ſcripſitque:

Romanorũ Pont. de varijs Epiſcop. iudicia.

Si conſcientia tuæ confidis, tu quoque iudicia accurre, ad Synodum proxime in Chriſto celebrandam; & illic iuxta Concilij Nicæni Canones, & Decreta contende: Canonum Nicæni Concilij Innocentius meminit, in quorum ſexto Patres ſanxerunt: *Mos antiquus perdurat in Ægypto, Lybia & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Pontifici talis conſuetudo eſt*; vt ſcilicet, is ipſe quia Alexandrinam Eccleſiam condidit, & quia Marcum diſcipulum eidem Eccleſiæ præfecit, & in eam Eccleſiam, & in Præſides earum Eccleſiarum habeat, ex more vetuſto, poteſtatem. Reſpexerunt Patres, ad id quod olim Anicetus, Apoſtolorum temporibus proximus, vniuerſis totius Orbiſque Epiſcopis præſcripſit:

In epiſt.

Metropolitani alicuius contumacia, referatur ad Apoſtolicam Sedem Romanam, vel penes Primatem, eiuſdem Sanctæ Sedis auctoritate iudicatur. Eleutherus aliquid amplius in canones retulit; *vt finitiua Epiſcoporum iudicia, Romanæ Sedis auctoritate finiantur, ſicut ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus, multorum conſenſu Epiſcoporum, iam definitum eſt.* Sixtus martyr adhuc aliquid amplius conſtituit: *vt Epiſcopus vocatus ad Sedem Romanam, rediens ad Parochiam ſuam, non ſuſciperetur, niſi cum formatis ſalutationis, ad plebem, à Sede Apoſtolica.*

Euſeb. 5. hiſt. c. 24.

idem c. 27.

Victor I. Orientales Epiſcopos, tanquam alterius fidei, & opinionis, in cauſa celebrandi Paſchatis, & iudicauit, & litteris obiurgauit, & à communione Eccleſiæ eiecit. Zephyrinus I. Natalium Theodotianorum erroris Epiſcopum, ad pedes ſuos ſupplicem, audiuit, cauſam cognouit, & vix tandem in communionem recepit: inque omnes pſeudoprophetiæ defenſores, quantumuis vel eruditione, vel dignitate Eccleſiaſtica præſtantes, anathema dixit. Cornelius, Nouatum in Africa Epiſcopum, & Nouatianum antipapam, cenſura Apoſtolica notauit, atque percuſſit, nec

& lib 6 c. 14 anno 254 & c. 35.

non ex tribus Epiſcopis, qui Nouatiano manus imponere auſi fuerant, vnum quidem *aperte confeſſum, vt laicum, in communionem recepit: qui vero in reliquorum duorum locum ſuccederent, alios Epiſcopos*, vt ipſo Fabio Epiſcopo ſignificabat, *miſit*. Stephanus, Baſilidis & Martialis cauſam cognoſcere voluit; & Marcianum Epiſcopum Arelatenſem, Fauſtino Lugdunenſe, & reliquis Galliarum Epiſcopis, rem ad Sedem Apoſtolicam deferentibus, gradu depoſuit: nec non Firmilianum Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum, & alios Epiſcopos, qui Iconij in Phrygia & alibi locorum in Oriente Concilio inito, nihil eorum quæ ab hæreticis facta eſſent, ab Eccleſia Catholica recipiendum eſſe, non ordinationes, non baptiſmum, non manuum impoſitionem, nec aliud quoduis ſacrum decreuerant, atque adeo rebaptizandos hæreticos cenſuerant, Apoſtolicæ Sedis communione adeo priuauit, vt Legatos eorum, nec ad ſermonem ſaltem colloquij communis admittere ſuſtinuerit, & ne quis eos Fidelium in domum ſuam reciperet, prohibuerit: tantumque ſategerit, vt omnes tam in Oriente, quam in Africa Epiſcopi, ſententiam de rebaptizandis hæreticis mutauerint.

Euſeb lib. 7. c. 4 & 6.

Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi, & Maiorini à Donato per ſchiſma ibidem ordinati cauſam, Conſtantinus Imperator, vt Auguſtinus teſtatur, *non eſt auſus iudicare, ſed eam diſcentiendam atque finiendam Epiſcopis delegauit: quibus præfuit Meltiades Romanæ Vrbis Epiſcopus*: atque vt memorabat Optatus Mileuitanus pronunciauit: *Cæcilianum* ſuę communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendum merito cenſeo.

epiſt. 106. & cont. ep. Parmen. lib. 1. c. 5 lib. 1. contr. Parmen. c. 162.

Eam ſententiam collaudans Auguſtinus, dicebat: *Qualis ipſius Beati Melciadis vltima eſt prolata ſententia quam innocens, quam integra, quam prouida atque pacifica? qua neque collegas, in quibus nihil conſliterat, de collegio ſuo auſus eſt remouere, & Donato ſolo, quem totius mali principem inuenerat, maxime culpato, ſanitatis recuperandæ optionem liberam fecit, cæteris paratus communicatorias litteras mittere, etiam ijs quos à Maiorino ordinatos eſſe conſtaret: ita vt quibuſcumque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet, cum confirmari vellet, qui fuiſſet ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda prouideretur. O virum optimum! ô filium Chriſtianæ pacis, & Patrem Chriſtianæ plebis.*

In hac eadem cauſa, cum Donatus in Africa, ſeptuaginta Epiſcoporum conciliabulum conuocaſſet, & hi Cæcilianum abſentem temere damnaſſent; quem Melciades Romæ, nonniſi ex XVIII. Epiſcoporum qui aſſidebant ſuffragio abſolutum pronunciaſſet, habuit idem Auguſtinus monere: *Conferte nunc iſtam paucitatem cum multitudine Epiſcoporum: neque numerum numero, ſed pondus ponderi comparate:* ſcilicet volebat Auguſtinus inferre, non multitudine Epiſcoporum, ſed pondere authoritatis Apoſtolicæ, ſententias Conciliorum, & Iudiciorum Eccleſiaſticorum conſtare: vt à qua parte Pontifex Romanus decerneret, ab hac robur eſſet. Itaque indidem addebat; *Cæcilianus Carthaginis Epiſcopus poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret, & ROMANÆ ECCLESIÆ, IN QVA SEMPER APOSTOLICÆ CATHEDRÆ VIGVIT PRINCIPATVS, cæteris*

Pondere auctorit. Apoſt. ſententiæ Conciliorũ & Iudiciorum Eccleſiaſt. cõſtã:

terris,

terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe coniunctum: vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.

Fere eadem, omnes veteres, & præſertim Baſilius, & omnes Orthodoxi Orientales, comparatione, inter Ariminenſe *DC.* Epiſcoporum, & Conſtantinopolitanum primum, nonniſi ex ſolis centum quinquaginta, & ante iſtud, inter Romanum à Damaſo ex nonaginta Epiſcopis collectum Concilium, vſi, illud quidem nihili faciebant, hæc vero amplexi ſunt: quod in iſtis, non in illo, Romanus Pontifex omnium Epiſcoporum iudex, cum ſuprema poteſtate præſediſſet, cum illud vtrumque auctoritate eiuſdem, non tantum indictum, ſed etiam celebratum, quin, & confirmatum fuiſſet.

anno 341. Athanaſ. ad ſolitar. vit. agent. & Theodoret. l. 2. cap. 4.

Quamobrem Orthodoxi Epiſcopi, in Ariminenſi conſeſſu damnati, poterant non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe viderent, à Romano Pontifice innocentes ex hac formula pronunciatos, *Numerus Epiſcoporum qui erant Arimini in vnum congregati, præiudicij vim habere non debet: præſertim cum formula illa compoſita ſit, Epiſcopo Romano, cuius ſententia præ cæteris omnibus expectanda erat non conſentiente*: cuius ſolius eſt, & formulam fidei concipere, & in Epiſcopos iudicium ſupremum exercere: quemadmodum paulo ante Iulius I. in Euſebianos, Athanaſium Alexandrinum, Paulum Conſtantinopolitanum, Marcellum Ancyranum, & alios complures Epiſcoporum accuſantes exercuit, libellos accuſationum ab illis accepit, Synodum ad cognoſcendas criminationes Romæ indixit: impoſtores, qui Romani ideo venire excuſauerant, quod intellexiſſent Eccleſiaſticum conſeſſum fore, vbi nec Comes affuturus eſſet, neque ſatellites pro foribus excubarent, nec ex Cæſaris præſcriptis omnia fierent, & mendacia ſua forent manifeſto deprehendenda, damnauit: innocentes vero abſoluit.

Alia Rom. Pont. Iudicia.

Iam & Damaſus, pro eadem in omnes Epiſcopos auctoritate, iuriſdictionem in nonnullos exercuit. Nam in Oecumenica Conſtantinopolitana I. Synodo, Macedonium olim Conſtantinopolitanum Epiſcopum, merito eſſe exauctoratum pronunciauit, Macedonij ſequaces Epiſcopos inter hæreticos pneumatomachos numerauit, Maximum Sedis Conſtantinopolitanæ inuaſorem, neque eſſe, neque vmquam fuiſſe Epiſcopum definiuit, omnes ordinationes eius irritauit, omniaque acta eiuſdem improbauit.

Sozom. li. 7. cap. 11. Theodor. l. 5. cap. 9.

De iudicio Apoſtolico contra Flauianum Antiochiæ intruſum.

Statim etiam à Concilio, poſtquam intellexiſſet, Flauianum, contra Paulinum Antiochiæ Epiſcopum, à nonnullis per contumeliam electum, Flauiano quidem acriter reſtitit, Diodorum autem Tarſi, & Acacium Berææ Epiſcopos, qui Flauianum ordinauerant, à communione excluſit: cum Theodoſius Imperator, ad omnes Orientis Epiſcopos litteras dediſſet, vt Romam ad Synodum proficiſcerentur, & ex ſententia Damaſi Pontificis, de ſchiſmate Antiocheno, contra Flauianum decernerent.

Hieron. ep. 27.

Ambroſius, tanti faciebat Damaſi authoritatem, vt in eadem Antiochenæ Eccleſiæ cauſa, non alium quam eiuſdem Romanum Pontificem iudicem conueniendum eſſe Theophilo Alexandrino Epiſcopo ſcriberet: *Sanè referendum arbitramur*, ait, *ad Sanctum fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ: quoniam præſumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant. vt nos quoque, cum id geſtum eſſe cognouerimus, quod Eccleſia Romana haud dubie comprobauerit, læti fructum huiuſmodi examinis adipiſcamur*. Neque tantum iſtud Theophilo Alexandrino ſuaſit, ſed & ad Concilium Romanum à Damaſo indictum iuit, quo etiã Paulinus Antiochiæ, Epiphanius Salaminæ, Acholius Theſſalonicenſis, Anemius Syrmienſis, Valerianus Aquileienſis, Cyriacus, Euſebius, & Priſcianus Orientales, & alij plures Epiſcopi conuenerunt: & iudicante Damaſo, Paulinum quidem reuerti Antiochiam, & Cathedram inſidere iuſſerunt, Flauianum autem communione Orthodoxa abdicarunt.

l. b. 10 ep 78. *anno 382.*

Tergiuerſabatur Flauianus, decreto Apoſtolico, & Concilij obtemperare: fretus potentia Imperatoris, qui aliquantum conniuebat. Sed *cum Epiſcopi Romani*, vt memorat Theodoretus, *non Damaſus ſolum ille admirabilis, verumetiam poſt illum Syricius, & Anaſtaſius Syricij Succeſſor, vehementius in Imperatorem inuecti eſſent, dixiſſentque eum illos qui tyrannidem contra ſe exercere molirentur opprimere, ſed his qui per tyrannidem Chriſti leges euertere ſtuderent, impunitatem concedere, eum denuo accerſiuit Imperator, Romamque vt contenderet, cogere laborauit*. *lib. 5. cap. 23*

Inter hæc coram Theodoſio, Flauianus, quaſi ſeſe abdicauit Epiſcopatu, cum illum, vt Occidentis Epiſcopos placaret, flagitauit. Theophilus etiam *per Iſidorum Presbyterum miſit, vti Damaſi animum in Flauianum exulceratum mitigaret, doceretque* (vt Socratis verbis vtar) *ex vſu Eccleſiæ eſſe ſi propter populi concordiam, peccatum à Flauiano commiſſum remitteret*. *lib. 5. cap. 15*

Præter Imperatorem, & Theophilum Alexandrinum, Ioannes quoque Conſtantinopolitanus aureum os, & Epiphanius Cypri, vt Sozomenus refert, & ex epiſtola Hieronymi vigeſima ſeptima conijcitur, operam ſuam interpoſuerunt, *vt Flauianus in gratiam Romani Pontificis reduceretur*. Ipſe quoque *Flauianus Epiſcopos quoſdam illuſtriſſimos*, vt ait Theodoretus, *Presbyteros etiam Antiochiæ, & Diaconos*, inter quos principem locum tenebat Acacius Berææ Epiſcopus, *Romam miſit*: atque is cum cæteris *Romam aduentans*, cum iam mortuus fuiſſet Euagrius, qui Paulino defuncto, contra Flauianum vſurpatorem ſucceſſerat, *inimicitias ad decem, & ſeptem annos continuatas extinxit, Eccleſijsque pacem reſtituit. Qua re audita, Ægyptij quoque odio ſedato, ſunt concordiam amplexati. Id temporis Innocentius, Succeſſor Anaſtaſij, Eccleſiæ Romanæ Antiſtes fuit, vir ingenij, & prudentiæ ornamentis egregiè inſtructus*. *lib. 5. cap. 16.*

Ad hunc modum, quatuor ſibi ſuccedentes Romani Pontifices, cauſam Antiochenæ Patriarchalis Eccleſiæ iudicarunt, nec niſi intercedente Theodoſio Imperatore, & Theophilo Alexandrino, ac Chryſoſtomo Conſtantinopolitano, atque pluribus Epiſcopis, pro ſupplice flagitantibus, Flauiano indulſerunt: ac tum demum, & Ægyptij, & Occidentales Epiſcopi illi communicarunt; ſupremi iudicis ſententiæ ſubſequentes, ad quem Theodoſius Imperator Flauianum iudicandum bis remiſit.

Cæ-

Cæterum Innocentius,non tantum Flauianum
iudicauit, ſed etiam *Atticum Conſtantinopolitanæ
na Eccleſiæ Epiſcopum, à ſe fuiſſe ſuſpenſum*, ſeu
abſtentum, Alexandro Antiocheno Epiſcopo
ſignificauit: & *Bubalium ac Taurianum*, cæte-
epiſt. 17. roſque in Macedonia Epiſcopos, à ſocietate
aliorum ſecreuit: idque Epiſcopis reliquis Ma-
cedoniæ renunciauit. Cæleſtinus Neſtorium,
epiſt. 22. Leo Dioſcorum, ille Conſtantinopolitanum
hic Alexandrinum: ille Epheſi, hic Chalcedo-
ne in Concilio præſidens iudicauit, & gradu
Epiſcopali depoſuit: & vt ſententia Apoſtoli-
ca integra maneret, Valentinianus Imperator,
epiſt. inpra- amb. ad Cõcil. Chalcedon. Theodoſio Auguſto ſcripſit; *Debemus dignita-
tem propriæ venerationis Beato Apoſtolo Petro
in noſtris temporibus conſeruare: quatenus beatiſ-
ſimus Romanæ ciuitatis Epiſcopus, cui principa-
tum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, lo-
cum habeat, & facultatem, de fide, & Sacerdo-
tibus iudicandi*: quemadmodum ſemper habuit.
anno 422. Namque Bonifacius, Patroclum Epiſcopum,
qui pulſo Herore viro Sancto, & Sancti Marti-
ni diſcipulo, Sedem Arelatenſem vſurpauerat,
& adhuc alienæ Metropolis iura peruadens, in
Narbonenſi prouincia vacantis Paſtore Sedis
Epiſcopum ordinare auſus fuerat, iudicauit;
cum Hilario Narbonenſi Metropolitæ, vt au-
thoritate Sedis Apoſtolicæ ad locum accede-
ret, cauſam cognoſceret, & omnia eidem A-
poſtolicæ Sedi renunciaret præcepit: ſicque ius
Metropolitanis, ex Concilio Nicæno attribu-
tum conſeruauit, vt tamen ſuper omnes ius
diceret.

Xyſtus etiam III. in Polychronium Hie-
roſolymitanum Epiſcopum, Symoniacæ hæ-
reſis ac prauitatis accuſatum, miſſis Legatis
Tom. 2. Concil. inquiſiuit: ac poſtea Sede ab illis deiectum re-
ſtituit.

Leo Magnus, Hilarium Arelatenſem Me-
tropolitam, quod in aliena prouincia præſum-
pſiſſet Epiſcopum deponere, & in locum alte-
rius nondum mortui alium ſubſtituere, ad di-
cendam cauſam ſpontè Romam accurrentem,
criminis conuictum, & haud expectata ſen-
anno 445. tentia abeuntem, damnauit, omniaque per-
,peram ab eo acta irritauit. Et erat ipſa qui-
,dem ſententia, *ita reſcribebat Valentinianus
,Imperator*, per Gallias, etiam ſine Imperiali
,ſanctione valitura. Quid enim tanti Ponti-
,ficis auctoritate in Eccleſias non liceret? Sed
,noſtram quoq; præceptionem hæc ratio pro-
,uocauit, ne vlterius, vel Hilario, quem ad-
,huc Epiſcopum nuncupari, ſola manſueti
,Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam
,alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut
,præceptis Romani Pontificis liceat obuiare.
,Hoc, perenni ſanctione decernimus, ne quid
,tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum
,prouinciarum, contra conſuetudinem vete-
,rem liceat, ſine viri venerabilis Papæ Vrbis
,æternæ auctoritate tentare: Sed illis, omni-
,buſque pro lege ſit, quicquid ſanxit, vel ſan-
,xerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas: ita vt quiſ-
,quis Epiſcoporum ad iudicium Romani An-
,tiſtitis euocatus venire neglexerit, per Mo-
,deratorem eiuſdem prouinciæ adeſſe cogatur:
,per omnia ſeruatis, quæ Diui Parentes no-
,ſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt,. Et, cum
,Sedis Apoſtolicæ Primatum, Sancti Petri me-
,ritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronæ,
,& Romanæ dignitas ciuitatis, ſacræ etiam
,Synodi firmauit auctoritas: ne quid præter
,auctoritatem Sedis iſtius, inclytum præſum-
,ptio attentare nitatur: Tunc enim demum
,Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi Recto-
,rem ſuum agnoſcat vniuerſitas.

Hæc Imperator ſanciebat, ex occaſione
S. Leonis, qui præterea. 1. Primatem totius anno 447.
Aſiæ Baſſianum Epiſcopum Epheſinum, eo epiſt. 44.
quod in illam Eccleſiam vacantem ſe propria
auctoritate intruſiſſet, depoſuit.

2. Anatolio Conſtantinopolitano, vt
Epiſcoporum qui in latrocinali conciliabulo
Epheſino; & poſtea, *contra Flauianum antea
Conſtantinopolitanum Epiſcopum grauius pec
cauere, ſi ſatisfactio talis accedat, quæ non refu-
tanda videatur, maturioribus Apoſtolicæ Sedis
conſilijs reſeruetur: vt examinatis omnibus atque
perpenſis, de ipſis eorum agnitionibus quid conſti-
tui debeat æſtimetur*, commiſit.

3. Eidem Leoni Euſebius Mediolanen-
ſis Epiſcopus, in cauſa quorumdam Epiſco-
porum ex Synodi ſententia, *placuit omnibus,
quorum nomina ſubſcriptio ſubter annexa poterit
declarare, eos (qui ſeipſos abiectione dignos fece-
rint,) ſuo etiam conſenſu, authoritatis veſtræ
præcedente ſententia, damnatione congrua perſe-
quendos*, ſcribens, Iudicem Epiſcoporum
agnouit.

4. Idem Leo, Maximum, etiam à con-
ciliabulo Epheſino non damnatum, ſedi ſuæ
reſtituit: propter quam rem Anatolius Con-
ſtantinopolitanus, in actione 10. Concilij
Chalcedonenſis; *Definimus, nihil horum valere,
quæ in ſecunda Synodo Epheſina ſunt facta, niſi
circa Maximum Antiochiæ Epiſcopum, quoniam,
& Sanctiſſimus Leo Romanus Archiepiſcopus in
communionem eum recipiens, præeſſe eum Antio-
chenſium iudicauit Eccleſiæ*, dixit.

5. Anatolium Conſtantinopolitanum
quod & Sedem Conſtantinopolitanam, Ale-
xandrinæ, & Antiochenæ præferri auderet, &
hæreticos reduces non ex formula præſcripta
ad communionem reciperet, ſeuere coarguit,
& communione ſua indignum iudicauit: adeo
vt Marcianus Imperator habuerit ſcribere, epiſt. 66.
interueniens pro Anatolio, vt noſtri, ſignifica-
bat Leo Iuliano Coenſi, *animi gratia illi præ-
beatur, quoniam correctionem eius promittit, &
in omnibus ſe ſatisfacturum eſſe, quæ ad fidei ob-
ſeruantiam pertinent, pollicetur*.

6. Potentio vicem curæ ſuæ in Epiſco-
pos Mauritaniæ committens, inter alia præ- epiſt. 85.
ſcripſit: *Cauſam Lupicini Epiſcopi illic iubemus
audiri: cui multũ, & ſæpius poſtulanti, communionẽ
hac ratione reddimus, quoniam ad noſtrum iudi-
cium prouocaſſet. Donatum autem Salicinenſem ex
Nouotiano, cum ſua (vt comperimus) plebe con-
uerſum, ita Dominico volumus gregi præſidere, vt
libellum fidei ſuæ ad nos meminerit dirigendum.
De componendis, atque compoſitis omnibus ad nos
relatio plena mittatur, vt ea, quæ iuxtà Eccle-
ſiaſticum morem iuſtè, & rationabiliter fuerint
definita, mea quoque ſententia roborentur*.

7. Timothei Æluri Alexandrinæ Sedis in-
uaſoris, electionem improbauit, hominemque
peſtilentem condemnauit: iuxta quam ſenten-
tiam, & Leo Imperator aliam edicens, Ælu-
rum Cherſonam relegari præcepit, & Epiſco-
pum alium à Clero eligi ſuſtinuit.

Iam & Simplicius, à Leone tertius, Gau- epiſt. 2.
dentio Auſinienſis Eccleſiæ Epiſcopo, ob illi-
citas

citas ordinationes ab eo habitas, ius ordinandi penitus abrogauit: & malè diuidentem redditus Eccleſiaſticos, adminiſtratione prorſus interdixit.

anno 479.
Petrum Cnapheum, cognomento Fullonem, ab Eccleſiæ Antiochenæ rhrono, & Petrum Mogum ab Alexandrina Sede deiecit.

Felix Simplicio ſuccedens, Acacium Conſtantinopolitanum abdicauit. Cumque id Euphemius criminaretur Acacij ſucceſſor, quaſi Romano Pontifici non liceret abſque Synodo Epiſcopos, aut iudicare, aut damnare, Gelaſius, qui proximè ſucceſſerat, Epiſcopis Dardaniæ ſcripſit; *Nec prætereamus, quod Apoſtolica Sedes frequenter, more maiorum, etiam ſine vlla Synodo præcedente, & abſoluendi quo Synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ quippe memoriæ Athanaſium Synodus Orientalis addixerat; quem tamen exceptum Sedes Apoſtolica, quia damnatione Græcorum non conſenſit, abſoluit. Sanctæ memoriæ nihilominus Ioannem Conſtantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præſulum certè damnarat; quem ſimili modo Sedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſoluit. Itemque ſanctæ memoriæ Flauianum, Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam ſola Sedes Apoſtolica non conſenſit, abſoluit: potiuſque qui illic repertus fuerat, Dioſcorum ſecundæ Sedis præſulem, ſua auctoritate damnauit, & impiam Synodum non conſentiendo ſubmouit; ac pro veritate, vt Synodus Chalcedonenſis fieret, ſola decreuit: in qua Pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Epheſino veniam poſcentibus ſola conceſſit, & in ſua perfidia permanentes, nihilominus ſua auctoritate proſtrauit: quam congregatio, quæ illic pro veritate reparanda collecta fuerat, eſt ſecuta. Quoniam ſicut id, quod prima Sedes non probauerat, conſtare non potuit, ſic quod illa cenſuit iudicandum, Eccleſia tota ſuſcepit.*

Galaſ. Pp. ad Epiſcop. Dardaniæ de auctoritate Epiſcopis iudicandis. *epiſt. 13.*

anno 519.
Gelaſio ſuccedit Hormiſda, eundem Acacium, eiuſque ſucceſſores Conſtantinopolitanos Epiſcopos, Phrauitem, Euphemium, Macedonium, & Timorheum, miſſis Conſtantinopolim Legatis iudicauit, eorumque nomina è ſacris diptychis deleuit: Iuſtino Imperatore nec quicquam contradicente: quinimò ſententiam Legatorum laudante.

Seuerum quoque Antiochenum Pſeudo-epiſcopum, totius Orientis depopulatorem diris percuſſit: Iuſtino quoque decernente, vt damnato homini lingua, qua Deum iugiter blaſphemabat, præcideretur.

Act. 4.
anno 551.
Agapetus etiam, Anthimum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, iudicio ſuo ſubiectum examinauit, & pallio Epiſcopali nudauit: cuius poſtea ſententiam ſecunda Synodus Conſtantinopolitana ſecuta eſt. Vigilius verò, aduerſus Theodorum Cæſarienſem, euerſorem legum, & iurium, occultum hæreticum, manifeſtum ſchiſmaticum, excommunicationis, atque depoſitionis; in Mennam verò Conſtantinopolitanum, & alios Epiſcopos Iuſtiniano Imperatori conniuentes, ſuſpenſionis à communione tulit.

anno 602.
Gregorius Ioannem Conſtantinopolitanum, Maximum Salonitanum, & alios quamplures variarum gentium Epiſcopos, cauſa eorum cognita, diuerſis pœnis multauit: ex quibus cauſam Pauli Epiſcopi Diaclini, Ioanni Epiſcopo primæ Iuſtinianæ: iudicium Clementij Primatis prouinciæ Pyzacenæ grauium criminum rei, Concilio Epiſcoporum, quod in eadem prouincia celebrari iuſſerat; cauſamque Paulini Regenſis in Numidia Epiſcopi Simoniæ accuſati, in alio Concilio in eadem Numidia celebrando, nec non alias alijs, fere ſingulis Pontificatus ſui anno commiſit.

Martinus deinde r. Cyrum, Petrum Sergium, Pyrrhum, & Paulum, Conſtantinopolitanos, & Alexandrinos Epiſcopos, Donus, & Agatho Theodorum Conſtantinopolitanū, & Macharium Antiochenum, Nicolaus, & Hadrianus Photium, & alios nonnullos Patriarchas Conſtantinopolitanos, nec non alij Pontifices, aliarum Eccleſiarum, etiam Patriarchalium Epiſcopos, Primates, & Patriarchas, perpetua ſucceſſione iudicauerunt, lata ſententia vel in abſolutionem, vel in damnationem, cui omnes ſubſcriberent.

Huic iudicio, Sixtus Quintus vnam Congregationem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, in controuerſijs ciuibus præpoſuit: quorum eſſet facultas, Patriarcharum, Primatum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Prælatorum, & Ordinariorum quorumcunque, non tamen Regulatiū petitiones audiendi: propoſitiſque difficultatibus, quæſtionibus, ac controuerſijs, alijſque, ſuper quibus conſulti fuerint, etiam per litteras ſedulo humaniterque reſpondendi, dubia, rationes, & cauſas Eccleſiarum, earumque dignitatis, iuriſdictionis, exemptionis, immunitatis, iurium, priuilegiorum, & laudabilium conſuetudinum conſeruationem concernentes, ſummariè cognoſcendi, atque tam ex partium petitione, quàm ex officio componendi.

Congregatio Epiſcoporum vt vocant à Sixto V. inſtituta.

Cauſas item, & controuerſias inter eoſdem Prælatos, de iuriſdictione, aliaue de cauſa exortas, item inter Capituli, aut obtinentes dignitates, ac inter quaſcumque ſingulares perſonas, & vniuerſitates, aut locorum in temporalibus Dominos præter eas, quæ Concilij Tridentini interpretationem exigunt, vel ordinem iudiciarium reipſa, requirunt, examinandi, & tranſigendi; ac præterea, ad Eccleſias vbique locorum viſitandas, in quibus Chriſtiana viget religio, viſitatores Summo Pontifici præſentandi: viſitationis item formam illis præſcribendi, negotiumque omnium tractationis modum aſſignandi, ac negligentiam ſi quando opus fuerit emendandi. Inſuper, vbi neceſſitas exegerit, viros vſu & doctrina idoneos, rectos, & timentes Deum deligendi, qui litterarum Apoſtolicarum auctoritate ſuffulti, Eccleſias vt Vicarij Apoſtolici adminiſtrent, & regant. Ad hanc Congregationem, & alia ſubſellia iudicandis controuerſijs Epiſcoporum erecta, Paulus Q:rinrus intentus, nihil præ alijs poſt Fidei negotia, & Sacrorum vſum curat, quam vt *iuſtitia, & iudicium ſit regula Sedis* iſtius. Proinde iſtud frequentius inculcare conſueuit his quibus cauſarum cognitionem committere ſolet; *Quod iuſtum eſt iudicate, ſiue Ciuis ſit ille, ſiue peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum: Ita paruum audietis, vt magnum: nec accipietis perſonam cuiuſquam: quia Dei iudicium eſt.* Deut. 1.

CAPVT XXXVIII.

Pontifex Romanus Iudex Supremus, ad quem in cauſis Eccleſiaſticis vltima prouocatio.

PEtrus Princeps Apoſtolici Senatus, cum Paſtores in partem ſollicitudinis aſſumptos inſtrueret, inter alia præſcribebat, nè eſſent *dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo*. Illud ipſum Saluator ab Apoſtolis flagitabat, quando interrogaſſent, ſeu contenderent, quis eorum videretur eſſe maior. Dixit enim eis: *Reges Gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: vos autem non ſic.* Scilicet volebat, nê Apoſtoli, eorumque ſucceſſores Epiſcopi, dominium herile in Eccleſiam exercerent. Notiſſimum eſt in Sacra hiſtoria ius Regis, quod iubente Deo, Samuel, Hebræis Regem poſtulantibus, aliquando edixit: *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus eſt vobis: Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque veſtros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis, ſed & ſegetes veſtras, & vinearum redditus addecimabit, vt det Eunuchis, & famulis ſuis. Seruos etiam veſtros, & ancillas, & iuuenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſerui.*

1. Pet. 5.

Luc. 22.

Ius Regis à Samuele Hebræis edictum,

1. Reg. 8.

Iure merito iſtud ius Regibus, in hos, quibus præſunt. Nam cum eis quibus preſunt, velut ſubditis herili dominio imperent, & faciant omnia ſua, cum aliqua vtilitate ſubditorum, quibus ſuppeditare, & conſulere tenentur: rectè, ex edicto Diuino, poterunt illa omnia vſurpare. Cæterum, cum Apoſtoli, & Epiſcopi, ac Paſtores Eccleſiæ, oues, quas paſcunt, non faciant ſuas, vtpote quas tantum paſcendas, & Chriſto aggregandas, ſeruandaſque accepiſſent; non poſſunt iure Regio, quamquam Regale Sacerdotium ſit Eccleſia, in ſubditos populos agere, aut inter coæquales æmulatione contendere: Præclarè Auguſtinus explicabat, quod Chriſtus Petro dixit: *Paſce oues meas*, non autem tuas. *Omnes animæ, quæ Apoſtolis prædicantibus*, & euangelizantibus natæ ſunt, filiæ Regum ſunt: & Eccleſiæ filiæ Apoſtolorum filiæ Regum ſunt. Ille enim eſt Rex Regum; *Illi autem Reges, de quibus dictum eſt*, ſedebitis ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael; *prædicauerunt verbum veritatis, & genuerunt Eccleſias, non ſibi, ſed illi. Ad hoc Sacramentum pertinet, quod ſcriptum eſt in lege*: Si mortuus fuerit frater, accipiat vxorem eius frater eius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Accipiat vxorem frater eius, & ſuſcitet ſemen, *non ſibi, ſed* fratri ſuo. *Dixit Chriſtus*; dic fratribus meis. *Dixit & in alio Pſalmo*; Narrabo nomen tuum fratribus meis. *Mortuus eſt Chriſtus, reſurrexit, aſcendit, abſentauit ſe corpore: ſuſceperunt fratres eius vxorem eius, prædicatione Euangelij generaturi filios, non per ſemetipſos, ſed per Euangelium propter nomen fratris.* In Chriſto enim Ieſu, *inquit*, per Euangelium, *propter nomen fratris*, ego vos genui. *Itaque ſuſcitantes propter nomen fratres ſemẽ fratri ſuo, quotquot genuerant, nõ Paulianos, aut Petrianos, ſed* Chriſtianos *nominauerunt. Videte ſi non iſte ſenſus vigilat, & in his verſibus. Cùm enim diceret* à domibus eburneis, *dixit de Regalibus, amplis, pulchris, lenibus, qualia ſunt corda Sanctorum; ſubiecit*, ex quibus te delectauerunt filiæ Regum in honore tuo. *Filiæ quidem Regum, filiæ Apoſtolorum tuorum: ſed* in honore tuo, *quia ſemen illud ſuſcitauerunt fratri ſuo. Ideò ipſos, quos ſuſcitauerat fratri ſuo Paulus, cùm videret currere ad nomen ſuum, exclamauit*: Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? *Quid etiam ait lex!* & habeat natus nomen defuncti. *Defuncto naſcatur, defuncti nomine appelletur. Seruat hoc legitimum Paulus: volentes appellari ex nomine ſuo, reuocat*: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? *Et quid ergo? Quando illos generaſti, quid ſi nomen tuum illis impoſuiſti? Non. Ait enim*: aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Delectauerunt te filiæ Regum, *in honore tuo*. Sed & Petrus, alios ad comparticipium honoris aſſumptos edocens, quod non ſuum, ſed Chriſti gregem paſcerent, apertè dixit: *Seniores, qui in vobis ſunt obſecro, conſenior, & teſtis paſſionum Chriſti, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.*

in Pſal. 44.

Applicatio pulcra loci illius inuet. teſt. *Si mortuus fuerit frater &c.* qua oſtenditur Apoſtolos non ſibi ſed Chriſto per Euang. filios generaſſe,

Itaque quod oues, nõ ſuas faciant Epiſcopi, ſed Chriſti: quanquã legatione fungentes pro Chriſto, poſſint ligare, & ſoluere, *& tam in charitate, ac ſpiritu manſuetudinis, quã in virga agere*: adeoque cum & *omnem vlciſci inobedientiã in promptu* habere: & anathemate percellere: eodem Paulo comminari: *prædixi, & prædico, vt præſens, & nunc abſens, ijs, qui ante peccauerunt: & cæteris omnibus: quoniam ſi iterum venero, non parcam: & ideo hæc abſens ſcribo, vt non præſens durius agam, ſecundùm poteſtatẽ, quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem*, & quamquam etiam poſſint ex præſcripto, & exemplo Pauli eiuſdem, *aduerſus presbyterum accuſationem ſub duobus, aut tribus teſtibus recipere*: peccantes coram omnibus, vt & cæteri timorem habeant, arguere: & ſi opus fuerit, Satanæ, quemadmodum Paulus Hymæneum & Alexandrum, vt diſcant non blaſphemare; pro ſuprema poteſtate tradere: adeoque iuriſdictionem Regioſacerdotalem in ſubiectos ſiue populos, ſiue Sacerdotes & clerum exercere: ſeque miniſtros Chriſti, cum authoritate iudiciaria, quam à Chriſto acceperunt factis probare: non tamen hæc cum præiudicio, aut in alteram partem declinando, quod neque Regibus liceret, facere: maximè quod Paulus moneret, & à dominatione, potius tyrannica quam herili, Epiſcopos dehortaretur, præſcribens, *Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus. Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Teſtor coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis, & Angelis, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.*

1. Cor. 4. 5. & 10.

2. Cor. 13.

1. Timoth. 5. & 1.

1. Timoth. 5.

Conſpirantibus ſententijs, Chriſtus, Petrus & Paulus, tribunal Eccleſiaſticum Epiſcoporum omnium formarunt: cum Chriſtus præcepiſſet Apoſtolis, ne more Gentilium Regum, qui ſibi omnia in ſubiectos, licere arbitrabantur, dominarentur: Petrus, ne eſſent velut dominantes in cleris, qui omnia ſua facien-

cienda ſibi exiſtimarent Paulus, adhibita tanta per Deum, Chriſtum, electos, & Angelos conteſtatione, ne cuique præiudicarent, ne in alteram partem in iudicio declinarent, ne niſi ex præſcripta formula, aut accuſationem ſuſciperent, aut ſententiam aduerſus presbyterum iniquam dicerent, cum iure naturæ vnicuique liceat ius ſuum tueri: & iure diuino liceat ad ſupremum omnium iudicem, cum ſuprema poteſtate à Chriſto omnibus Paſtoribus Prælatum Paſtorem, & ouibus, & agnis prouocare. Quamobrem, Eleutherius Pontifex in ea quam aduerſus Seuerianorum hæreſim ſcripſit epiſtola, *ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, multorum conſenſu Epiſcoporum iam definitum eſſe*, memorabat, *vt finitiua Epiſcoporum iudicia, Romanæ tantum Sedis auctoritate finirentur*, vtpote ad cuius Pontificem, in
epiſt. 3. omnibus cauſis Eccleſiaſticis, libera omnibus qui oues Chriſti cenſentur, prouocatio eſſet.

Idem etiam Fabianus Papa & martyr data ad Hilarium Epiſcopum epiſtola, cum peregrina iudicia Epiſcoporum, qui in alienam meſſem mittere vellent falcem prohiberent; ad conſuetudinem, ex præſcripto Diuino & Apoſtolico, receptam, ſanciebat: *Peregrina iudicia, ſalua in omnibus Apoſtolica authoritate, generali ſanctione prohibemus: quia indignum eſt ab externis vt iudicetur, qui prouinciales, & à ſe electos debet habere iudices: niſi fuerit appellatum. Vnde oportet, ſi aliquis Epiſcoporum ſuper certis accuſetur criminibus, vt ab omnibus audiatur, qui ſunt in prouincia Epiſcopis. Ibi cauſa agatur, vbi crimen admittitur. Placuit etiam, vt ſi Epiſcopus accuſatus, appellauit ad Sedem Apoſtolicam, id ſtatuendum, quod eiuſdem Sedis Pontifex cenſuerit.*

Eadem etiam de peregrinis iudicijs, cum Cyprianus Epiſcopus vnà cum omnibus Italiæ, Africæ, Aſiæ & Græciæ Epiſcopis, adeoque cum Fabiano anteceſſore Cornelij ad
epiſt. 55. quem ſcribebat, edixiſſet; *Cum ſtatutum ſit ab omnibus nobis, & æquum ſit pariter ac iuſtum vt vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur, vbi eſt crimen admiſſum, & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit aſcripta, quam regat vnuſquiſque, & gubernet, rationem ſui actus, Domino redditurus; oportet vtique eos quibus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſua ſubdola, & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam, vbi accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint: niſi ſi paucis deſperatis, & perditis minor videtur eſſe authoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui iam de illis iudicauerunt, & eorum conſcientiam multis delictorum laqueis vinctam iudicij ſui nuper grauitate damnarunt*: cum inquam iſta de peregrinis iudicijs, iiſdem quibus Fabianus verbis edixiſſet; adeoque, proculdubio, illud ipſum Fabianeum decretum, Cornelio in memoriam reuocaſſet: peregrinos iudices quoſcumque, ſiue Afros, ſiue Hiſpanos, ſiue Gallos, ſiue quoſcumque extra prouinciale tantum excludebat; non autem Pontificem Romanum qui ſupra omnes prouinciales, & Epiſcopos, & Primates conſtitutus eſt intelligebat; quod ſciret, non tantum Orthodoxos, ſed etiam hetherodoxos, *ad Petri cathedram, vt alias ſcribebat, atque Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, poſſe nauigare*: quemadmodum Feliciſſimus, & alij à Fortunato, atque nonnullis alijs, nouem Epiſcoporum Africanorum ſententia condemnatis, & abſtentis, detectis, atque confuſis, miſſi Romam ad Cornelium nauigauerunt: qui, quod cum mendaciorum ſuorum merce, quaſi veritas poſt eos nauigare non poſſet, quæ mendaces linguas rei certæ probatione conuinceret, Romam, Nuncios Cypriani præueniſſent: Cyprianus; non quidem iudicium Cornelij excipiebat: ſed rationem Epiſcopalis decreti aperiebat, impoſtoreſque falſarios detegens, ſententię Epiſcopali robur addi poſtulabat; quod illi in prouincia, vbi accuſatores, & teſtes criminum aderant, cauſam ex æquo ad plenum cognouiſſent; quod Fortunatum omnes iam deſeruiſſent; quod Fortunatiani, indignos ſe, qui reciperentur, reddidiſſent; quod tam falſas litteras ad Sedem Apoſtolicam, quam erat & ipſe Fortunatus falſus adferrent; quod eorum tam execrabilis ac turpis eſſet vita, vt & ſi in Eccleſia eſſent, eijci tales de Eccleſia debuiſſent: quod conſcientiam ſuam agnoſcentes, proprium iudicem non auderent accedere, aut apud ſuos, vndique pro ſuis facinoribus excluſi, conſiſtere: quod foris per prouinciam circumueniendis fratribus, & ſpoliandis pererrarent: quod nullum haberent, aut ſatisfactionis ſenſum, aut pænitentiæ fructum: quod eos ſic diabolus excæcaſſet, vt æterna gehennæ ſupplicia non cogitantes, Antichriſti iam propinquantis conentur aduentum imitari: quod aliqui ex eis, facilitate eius recepti, priores quam prius fuerant euaſiſſent,

Hæc, dum Cyprianus, apud Cornelium damnatis opponeret, non eius tribunal recuſabat, ſed facinoroſos & falſarios accuſabat, adeoque ad tribunal Cornelij reos criminum magis trahebat, orabatque; *Florentiſſimo illic Clero tecum*, ait, *præſidenti, & ſanctiſſimæ atq; ampliſſimæ plebi* legere facias epiſtolam noſtram, *vt ſi quod illic contagium venenati ſermonis, & peſtiferæ ſeminationis irrepſerat, id omne de fratrum auribus, & pectoribus exuatur, & bonorum integra ac ſincera dilectio ab omnibus hæreticæ detractionis ſordibus repurgetur*. Concludebat; *Si cum precibus, & ſatisfactionibus veniunt, audiantur: ſi maledicta, & minas ingerunt, reſpuantur.*

Ex quibus omnibus, ſcilicet, quod Fabianeum decretum Cornelio in memoriam reuocat, quod innocentiam ſuam, & Coepiſcoporum, Cornelio probat; quod ſententiæ latę rationes reddit; quod accuſatores ſuos apud Cornelium reos criminum peragit: quod iudicium ampliſſimum florentiſsimi Cleri Romæ cum Cornelio præſidentis, in publico omnium conſeſſu interpellat; quod vel audiri, vel abſolui, vel refutari aduerſarios poſtulat: vel etiam, in prouincia, vbi crimen admiſſum, cauſam eorum iterum poſſe, vel debere cognoſci inſinuat; & prouocat, & prouocationem probat ad Romanum Pontificem, quã Fabianus in eodem decreto ſtabilierat, *vt ſi Epiſcopus accuſatus appellauit ad Apoſtolicam Sedem, id ſtatuendum, quod eiuſdem Sedis Pontifex cenſuerit*. Iam cum idem Cyprianus, Clero, & plebi in Hiſpania conſiſtenti ſcriberet; epiſt 68.
nec reſcindere ordinationem iure perfectam poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta; & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam noſtrum longe

poſitum, & rei geſtæ, ac tacita veritatis ignarum feſellit, vt exambiret reponi ſe iniaſtè in Epiſcopatum, de quo iuſte fuerat depoſitus. Hoc eo pertinet, vt Baſilidis non tam abolita ſint, quam cumulata delicta, vt ad ſuperiora peccata eius, etiam fallacia, & circumuentionis crimen acceſſerit. Neque enim tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quam hic execrandus, qui fraudalenter obrepſit.

Cum inquam hæc Cyprianns ſcriberet, prouocationem ad Romanum Pontificem ſuo tempore à ſententia aliorum Epiſcoporum interponi ſolitam, & Romani Pontificis, ad quem prouocatio eſſet, quod ab alijs gradu motos Epiſcopos, reſtituere, adeoque condemnatos ab alijs abſoluere poſſet, ſupremam auctoritatem, clariſſimo radio indicabat: quamquam culpam reſtitutionis, non tam in negligentiam Stephani, quam in fallaciam, & circumuentionem fraudolentam Baſilidis reijciens, tacitè inſinuaret, rectius fore, ſi Stephanus cauſam prouocantis, ne ei per obreptionem aliquid excideret, in prouincia aliquibus Epiſcopis, qui auctoritate Sedis Apoſtolicæ in rem inquirerent, commiſiſſet.

In facti cognitione, Stephano negligenter obreptum eſſe Cyprianus ſuggillabat; non autem ius ac poteſtatem abſoluendi, reſtituendique quos alij Epiſcopi damnaſſent, & depoſuiſſent, Pontifici Romano detrahebat: ad qnem, qnod de illo Fortunato pſeudoepiſcopo, à paucis, & inueteratis hæreticis conſtituto, non ſtatim ſcripſiſſet, ſed apud Cornelium excuſaret; *non ea* ait, *res erat, quæ in notitiam tuam deberet per nos feſtinato ſtatim quaſi magna aut metuenda perferri: maximè quando & Fortunati nomen iam ſatis noſſes, qui eſt vnus ex quinque Presbyteris iam pridem de Eccleſia profugis, & ſententia Coepiſcoporum noſtrorum, multorum, & grauiſſimorum virorum, nuper abſtentis; qui ſuper hac re priore anno ad te litteras fecerunt: Item Feliciſſimum ſigniferum ſeditionis recognoſceres, qui & ipſe in ijſdem Coepiſcoporum noſtrorum factis ad te pridem litteris continetur: qui non tantum ab ijs iſtic abſtentus, ſed abs te illic nuper de Eccleſia pulſus eſt. Cum hæc in notitia tua eſſe conſiderem, & pro certo hærere memoria, & diſciplina tua ſcirem neceſſarium non putaui, celeriter, & vrgenter hæreticorum tibi ineptias nunciandas. Neq, enim ad Catholicæ maieſtatem pariter ac dignitatem pertinere debet, quid apud ſe hæreticorum, & ſchiſmaticorum moliatur audacia*: quod iſta inquam excuſando memoraret: pariter, in more poſitum fuiſſe oſtendebat: ex remotiſſimis prouincijs Epiſcopos ſolere, non tantum ſingulos, ſed & in Synodis conuocatos, res grauiores, magnas, & metuendas, Pontifici Romano ſignificare, ſententias Synodicas de Epiſcopis latas, eidem referre: Pontificeſque Romanos, illas aut probare, aut improbare, & vel ab Eccleſia pellere, quos illi repuliſſent; vel dignitatibus reſtituere quos illi abdicaſſent; vel ſoluere, quos alij damnaſſent.

epiſt. 55.

Abſoluit Iulins Marcellum Ancyræ Epiſcopum, ab Euſebianis damnatum. Reprehenderat Marcellus Euſebianos, quod in hæreſim Arrij prolapſi fuiſſent. Euſebiani, recriminationem hereſis homini viciſſim impingentes, in exilium eiecerant. Is autem Romam profectus, innocentem ſe docuit: cum ſui ipſius defenſionem faciens, huiuſmodi ſermonem ad Iulium Romanorum Pontificem: qui apud Epiphanium eſt, feciſſet: *Quandoquidem aliqui ex condemnatis, prius ob hoc, quod non rectè credunt, quos ego in Nicæna Synodo redargui contra me ſcribere ad pietatem tuam auſi ſunt, tamquam ego non rectè, nec Eccleſiaſticè ſentiam, ſuam culpam in me transferre ſtudentes: ea gratia neceſſarium duxi, me conferre Romam, & commonefacere te, vt eos qui contra me ſcripſerunt, accerſas, quo præſentes ipſi in vtriſque à me redarguerentur, & quod, quæ contra me ſcripſerunt, falſa ſint, & quod adhuc nunc permanent, in ſuo ipſorum errore priore: & horrenda contra Dei Eccleſiam, tum contra nos Præſides ipſarum, auſi fuerunt. Quandoquidem igitur apparere non voluerunt, cum demiſeris tu Presbyteros ad eos: & hoc, cum ego annum, & tres integros menſes in Roma vixerim: neceſſarium putaui hinc diſceſſurus, meam fidem, mea manu à me conſcriptam cum omni veritate tibi tradere, quam didici, & ex diuinis ſcripturis ſum edoctus: & ſimul de his quæ ab ipſis maledicuntur, te commonefacere: quo cognoſcas, quibus ſermonibus ad decipiendos auditores vtentes, veritatem occultare volunt.* Iſta Marcellus, apud Iulium Romanum Pontificem, *vt ne excideret per depoſitionem à communi Epiſcoporum collegio ac regula.*

Abſoluit idem Iulius, & Athanaſium Alexandrinum ab illis ipſis Euſebianis damnatum: poſtquam is *Romam*, vt Hieronymus memorat, *quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum confugiſſet*. Nemo melius, quam ipſe Iulius, & Athanaſius, tragediam iſtam ab Euſebianis Athanaſio excitatam, deſcripſerit. Tyrum conuenerant, vt Athanaſium damnarent. Damnato illo, Iulium interpellarunt, qui ſententiam ratam haberet. Miſit, & Athanaſius ad Iulium Legatos, qui contra ſententiam opponerent. Quid porro vtrique effecerint, Iulius Euſebianis *Legati veſtri*, ſignificauit, *Macarius Presbyter, & Heſychius Diaconus, nullo modo cum huc veniſſent, plures Presbyteris ab Athanaſio miſſis, fuere: ac ſemper ab illis conuicti refutatique, Concilium indici poſtularunt, litteraſque ad Euſebianos, & Athanaſium Alexandriam, quibus conuocarentur mitti: vt corã omnibus iuſto iudicio de cauſa cognoſci poſſet; tum enim ſe de Athanaſio probaturos eſſe, quod iam nequirent publice enim coram nobis Martyrius, & Heſychius refellebantur, Athanaſij Presbyteris bona cum fiducia alacriter reſiſtentibus. Martyrius vero cum ſuis (ſi vera dicenda ſunt) vbique profligabatur, ac proinde Concilium generale poſtulauit.* Reliqua ſubijcit ipſe Athanaſius, quid tandem Iulius fecerit, atque decreuerit: *Euſebiani Romam contra Athanaſium ſcribunt. Epiſcopus autem Romanus Iulius* iuſſit Synodum fieri, *vbicumque vellemus; vt tato, & crimina abijcerent, & inuicem ſibi obiecta refutarent.* Id enim *eorum Legati, cum ſe vinci animaduerterent*, poſtularunt. *Athanaſius ſemel recognita*, Romam profectus eſt, *non ignarus hæretici furoris. Iulius vero Presbyteros ſuos Elpidium, & Philoxenem cum litteris ad Euſebianos miſit*, certum diem definiens, *vt aut præſentes ſe ſiſterent, aut cognoſcerent, ſe omnibus modis ſuſpectas haberi. Cæterum Euſebiani vbi ſemel audiſſent, Eccleſiaſticum conſeſſum fore, vbi nec Comes affuturus eſſet, neque ſatellites pro foribus excubarent, nec ex Cæſaris præſcriptis om-*

Ad ſolitariam vitam agent.

nia

nia fierent, quibus rationibus, & non alijs Epiſcopos vicerant, imo qui ſine hoc præſidio ne loqui quidem auderent: ita inhorruerunt, & metu contracti ſunt, vt Presbyteros detinerent vltra diem condictam, cauſificationem interim turpem fingentes. Certe Presbyteros ſuos dimiſerunt, cum abſurdiſſima excuſatione, ſcilicet, quod eos Romam citaſſet: & non alibi locorum, quo commodius irent, & tutius eſſent, Synodum indixiſſet, quod anguſtum tempus præfixiſſet, quod in alia Synodo non opus eſſet retractari quæ in alia decreta forent, quod etiam ipſi ad Concilium, Antiochiæ, præſente Conſtantio Imperatore conueniſſent, & quod in Concilio ſuo Romano Iulius non debuiſſet retractare decreta Tyriæ Synodi aduerſus Athanaſium lata, cum nec ipſi retractaſſent Romana contra Nouatum.

Hæc Iulio repoſuerunt: cum quo, vt proſequitur Athanaſius narrare, *Romæ congregati Epiſcopi prope quinquaginta, Euſebianos vt ſuſpectos, timenteſque ſe ſiſtere non receperunt, & quæ ab ipſis ſcripta eſſent, pro vanis habuerunt, nos autem receperunt, noſtramque communionem amplexi ſunt:* Sozomenus, ſuperiora omnia, lib. 3. cap. 7. & alia quæ tunc acciderant plurima amplius narrabat. *Athanaſius fugiens Alexandria, Romam aduentauit. Eodem tempore Paulus etiam Conſtantinopolitanus Epiſcopus forte illo acceſſit, & Marcellus quoque Epiſcopus Ancyræ, & Aſclepas Gazæ Epiſcopus: qui cum doctrinæ Arrianæ aduerſaretur, in crimen vocatus eſt ab Arrianis quibuſdam, quod altare euerterat, & fuit propterea abdicatus: cuius locum in Eccleſia Gazæ adminiſtranda obtinuit Quiatinianus. Itemque Lucius Epiſcopus Adrianopolis ab alijs accuſatus, ſua quam regebat Eccleſia ſpoliatus, Romæ ætatem degit. Quorum criminationes cum Epiſcopus Romanus intellexiſſet, & omnes fidei Concilij Nicæni conſentientes reperiſſet, in communionem recepit, ac cum* propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit; *ſcripſitque ad Epiſcopos Orientis, eoſque incuſauit, quod inconſulto de hiſce viris iudicaſſent, Eccleſiaſque perturbaſſent cum decretis Concilij Nicæni ſtare nollent.*

Deditque mandatum, *vt quidam illorum* nomine omnium ad diem conſtitutum accederent, *perſpicue declaraturi ſententiam quam his tulerant, æquam iuſtamque eſſe. Quin etiam* minatus eſt, ſe de aliquo non paſſurum eos multos eſſe, *niſi nouis rebus ſtudere deſiſterent. Athanaſius autem, & Paulus ad ſuas Eccleſias reuertuntur, litteraſque Iulij, Epiſcopis Orientis mittunt. Quibus illi grauiter commoti, conueniunt Antiochiæ in vnum; & epiſtolam verbis elegantibus ornatam, & diſerte vt Rhetorum mos eſt, compoſitam ad Iulium mittunt, eamque plenam Ironiæ, & minarum non expertem grauiſſimarum. Nam quamquam litteris ſuis fatebantur, Eccleſiam Romanam PRIMAS APVD OMNES FERRE, vtpote quæ APOSTOLORVM SCHOLA, & Pietatis Metropolis (licet* cap. 9. *auctores Religionis Chriſtianæ primum ex Oriente eo veniſſent)* iam ab initio fuiſſet, *tamen indignati ſunt, ſe poſteriores ideo ferre, quod MAGNITVDINE Eccleſiæ SVPERARENTVR,* & poſt. *Iulius, ab Epiſcopis Ægypti certior factus, non tutum eſſe Athanaſio in Ægypto vitam agere, eum ad ſe accerſiuit. Ad illos autem qui Antiochiæ in vnum conuenerant (nam forte fortuna id temporis eorum acceperat epiſtolam) ſcripſit; atque adeo incuſauit; quod clam contra fidem Concilij Nicæni, nouas res moliti fuerant; quodque contra leges Eccleſiæ ipſum ad ipſum Concilium non vocarant. Nam legem eſſe, ad Sacerdotij dignitatem ſpectantem, quæ proannunciat.* Acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani conſtituuntur. *Ea autem quæ Tyri, & in Mareote aduerſus Athanaſium decernebantur, iniqua eſſe.*

Socrates eadem fere dicebat: *Quoniam* lib. 2. cap. 11. & 13. *Eccleſia Romana priuilegium præter cæteras obtinebat; cum Iulius intellexiſſet, contra Athanaſium Antiochiæ pſeudo ſynodum fuiſſe celebratam: ſcripſit; eos contra Eccleſiæ canones egiſſe, quod illum ad Concilium non vocaſſent: quippe cum Canon Eccleſiaſticus vetet, præter ſententiam Epiſcopi Romani Concilia celebrari.* Athanaſius etiam, quid Iulius Epiſcopis Euſebianis ſcripſerit in Apologia 2. narrabat: *Si, vt dicit, Athanaſius, & alij, omnino in culpa fuerunt, oportuit ſcribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iuſtum eſt, decerneretur. Epiſcopi enim erant, & non vulgaris Eccleſiæ, qui iſta patiebantur, ſed quam ipſi Apoſtolis ſuamet opera ad fidem inſtruxerant. Cur inprimis nobis, nihil de Alexandria ciuitate ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis, hanc conſuetudinem eſſe, vt primum nobis ſcribatur, vt hinc quod iuſtum eſt, definiri poſſet? Quapropter ſi iſthic huiuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum referri oportuit.*

Præter hæc, Iulius quoque, Epiſcopis Antiochiæ in conciliabulo congregatis; ſcripſit: *Primum (ſi verum eſt dicendum) non decebat, cum nos ad celebrandam Synodum litteras mitteremus, aliquos præoccupare iudicium Synodi, deinde non decuit nouos iſtos modos contra Eccleſiam induci. Vbi eſt enim iſtiuſmodi Eccleſiaſticus canon? Aut iſtiuſmodi traditio Apoſtolica, vt in pace agente Eccleſia, & Epiſcopis concordibus cum Epiſcopo Alexandriæ Athanaſio exiſtente, immittere Gregorium peregrinum, & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque poſtulatum à Presbyteris: eumque Antiochiæ creare Epiſcopum, atque inde deducere Alexandriam, non cum Presbyteris aut Diaconibus ciuitatis, non cum Ægypti Epiſcopis, ſed cum militibus? Hæc enim dixere, & conqueſti ſunt, qui huc venerunt. Si enim poſt Synodum in culpa fuiſſet deprehenſus Athanaſius, non tamen oportuit creationem noui Epiſcopi, ita illegaliter, & præter canonem Eccleſiaſticum fieri, ſed in ipſa Eccleſia, & ex ipſo Clero prouinciæ eius Epiſcopos conſtitui: & nequaquam ex illis qui nunc Apoſtolorum canones violant.*

Iſta quidem Iulius, qui alia Synodo Romæ congregata, ad 36. ſuffragia eorum, qui Antiochiæ externum hominem Epiſcopum Athanaſius à Iulio Pp. abſolutus, & in communionem receptus. Eccleſiæ Alexandrinæ ſalutarant, nihil motus, cum maximis rerum documentis, Athanaſium abſoluit, & ad communionem recepit. propter hanc ſententiam Iulij Pontificis, Occidentales Epiſcopi Orientalibus reſcripſerunt, vt Sozomenus teſtatur: *ſe nunquam ab Athanaſij, & Pauli communione refugiſſe, neque iam velle ab ea refugere: præſertim cum Iulius Epiſcopus Romanus cauſa eorum accurate cognita, illos neutiquam condemnaſſe.* Propter eandem ſententiam Hoſius Cordubenſis, Atha- ad Solitari agent. naſio fatente, Conſtantio Imperatori ſcripſit:

Ego

Ego Athanaſij accuſationibus non ſubſcribo, quem nos, & Romana Eccleſia, & vniuerſa Synodus innocentem pronunciauit.

Eandem ſententiam, Patres Sardicenſis Oecumenici Concilij laudantes, Alexandrinæ Eccleſiæ ſcripſerunt: *Qua ex re æquitas iudicij fratris, & Coepiſcopi noſtri Iulij liquidiſſime apparuit, qui non temerario Conſilio, ſed cum matura deliberatione ſententiam tulit; adeo vt nihil reliquatur dubij de communione fratris noſtri Athanaſij adducentis octoginta Epiſcopos veros teſtes pro ſe in iudicium, utque eo potiore iure nitentis, quod per dilectos fratres noſtros presbyteros ſuos, & per litteras, Euſebianos non iure, ſed vi graſſantes conuenerit.*

tom. 1. Concil.

Illi autem diffiſi ſuis fabulis, & vanis rumoribus, ac etiam intuentes, quam non poſſent de ijs rebus vera documenta afferre, cum eſſent in vrbe Sardica, non auſi ſunt in Concilia ſanctorum Epiſcoporum comparere. Quapropter, omnes vndique Epiſcopi, viri communionem ob eius innocentiam confirmarunt: & canoni 12. Antiocheno, quo Euſebiani, ne Athanaſio, aut Iulij, aut Liberij, aut Imperatoris Occidentis decretum pro eo latum quicquam prodeſſet, ſumma aſtutia prouidere volebant, tres canones oppoſuerunt. Iſtum, Antiochiæ hæretici condiderunt.

Canon ab Arrianis hæret. Antiochiæ conditus.

Si quis à proprio Epiſcopo depoſitus, vel presbyter, aut Diaconus, aut etiam ſi à Synoda quilibet Epiſcopus fuerit exauthoratus, moleſtiam Imperialibus auribus in ferre non præſumat, ſed ad maiorem Epiſcoporum Synodum ſeſe conuertat, & quæ ſe putat habere iuſta, in eorum Concilia alleget, utque ab his de ſe expectet, quæ fuerit deprompta ſententia. Quod ſi deficiens puſillanimitate, hoc uoluerit facere, ſed Imperatori fuerit importunus; huiuſmodi nullam veniam, neque locum illius reſtitutionis ſuæ, nec ſpem recipiendi gradus habeat in futurum.

Sanctum autem Concilium, (vt ipſa Synodus in epiſtola ad Alexandrinam Eccleſiam ſcripta recenſet) ab Epiſcopis Romæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, Campaniæ, Calabriæ, Africæ, Sardiniæ, Pannoniæ, Myſiæ, Daciæ, Dardaniæ, & Daciæ inferioris, Macedoniæ, Theſſaliæ, Achaiæ, Epiri, Thraciæ, Rhodopæ, Aſiæ, Cariæ, Bithyniæ, Helleſponti, Phrygiæ, Piſidiæ, Capadociæ Ponti, Phrygiæ minoris, Ciliciæ, Pamphiliæ, Lidiæ, inſularum Cycladum, Ægypti, Thebaidis, Libyæ, Galatiæ, Palæſtinæ, Arabiæ, vel vt Athanaſius in apolog. 2. numerat, ex prouincijs Ægypti, Libyæ, Pentapolis, Palæſtinæ, Arabiæ, Iſauriæ, Cypri, Pamphiliæ, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Myſiæ, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epyri, Theſſaliæ, Achaciæ, Cretæ, Dalmatiæ, Scythiæ, Pannonitarum, Norici, Italiæ, Piceni, Tuſciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Brutiorum, Siciliæ, Africæ, vniuerſæ Sardiniæ, Hiſpaniarum, Galliarum, Brittanniarum, celebratum Sardicæ, iſtos oppoſuit.

I.

Conc. Sardicen. Can 3. Tres Patrũ Sardic. Oecum. Concilij canones ſuperiori oppoſiti.

Quod ſi quis aliquis Epiſcopus adiudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, vt iterum iudicium renouetur, ſi vobis placet, Sancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur vel ab his qui examinauerunt, vel etiam ab alijs Epiſcopis qui in propinquo morantur, Romano Epiſcopo.

Et ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det iudices, ſi autem probauerit talem cauſam vt ea non reſcindantur quæ acta ſunt, quæ decreuerit Romanus Epiſcopus confirmata erunt. Si ergo omnibus placet? ſtatuatur. Synodus reſpondit, Placet.

II.

Gratus Carthaginenſis, poſt Cæcilianum Archiepiſcopus, & Africæ Primas, ſubiunxit: *Addendum eſt, ſi placet, huic ſententiæ, quam plenam Sanctitate protuliſtis, vt quum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, eorum Epiſcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agendum ſibi negotium in vrbe Roma, alter Epiſcopus in eadem cathedra (poſt appellationem eius, qui videtur eſſe depoſitus) omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Romani Epiſcopi determinata.* Can. 4.

III.

Hoſius Epiſcopus dixit: *Placuit, vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint, ſi appellauerit, qui deiectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri, ſi iuſtum putauerit, vt renouetur iudicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere Epiſcopis dignetur, qui in finitiam, & propinqua prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis definiant.* Can. 7.

Quod ſi is, qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo Presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi Romani, quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, habentes eius authoritatem, à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderit Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant, faciet, quod ſapientiſſimo conſilio ſuo iudicauerit.

Iulij epiſt. in tom. 1. Concil.

Hæc plures, quam trecenti Patres Sardicenſes, vniuerſalis Concilij decreto ſancientes, aſpexerunt ad Synodum Nicænum, à qua, vt Iulius Papa I. ſcripſit, clarum eſt *permitti omnibus Epiſcopis, vt liberè Apoſtolicam appellent Sedem, atque ad eam quaſi ad Matrem confugiant*: cum Patres Niceni ingenue fateantur, *Quod Romana Eccleſia Primatum ſemper habuit* ac proinde ſtatuant: *Mos antiquus ſeruetur*, nimirum, vt ſicut Alexandrinus Ægyptios, Antiochenus Orientales, ad eorum ſubſellia prouocantes, ex eorum prouincijs Epiſcopos; ſic Romanus, & Ægyptios, & Orientales, & ALEXANDRINVM, & ANTIOCHENVM, & quemuis alium, & in ſumma, omnes Epiſcopos iudicet. *Hoc enim optimũ, & valde congruentiſſimum eſſe videbitur*, ad eum modum, ijſdem Patres Sardicenſes, Iulio Epiſcopo Romano, poſt abſoluta Oecumenici Concilij negotia, ſcripſerunt, *ſi AD CAPVT, id eſt, AD PETRI APOSTOLI SEDEM, DE SINGVLIS QVIBVSCVNQVE PROVINCIIS, Domini REFERANT SACERDOTES*. Maximè, quod, vt Athanaſius Liberio Papæ ſcripſit, *Vniuerſalis, Pontificibus Romanis, à Chriſto commiſſa eſt Eccleſia; vt pro omnibus*, ait, *laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis*, Eam ad Romanum Pontificem prouocationem, ſi

canon

canon Eccleſiaſticus, *præter ſententiam Epiſcopi Romani Concilia celebrari non debere*, uecernens, ſeruetur, neque illi Antiocheni negauerunt; cum ad maiorem Synodum, prouocationem admiſerunt: cæterum, quod illi more hæreticorum ſolenni, Synodum quam, vbi, & quando, & ex quibus, & à quo, parari, & illam quoque ſuo beneplacito congregatam, ſi fortè contra illos decerneret, cauillati, improbari, fugere, & aliam arbitrio eorum fieri, neque vnquam iudicia ex æquo, & iuſto definiri voluerint, Patres Sardicenſes, canonem, verbis Arrianorum fraudulentis conceptum antiquandum duxerunt; & alios clariſſimos, tamquam filij lucis, citra omnem cauillationem panxerunt; vt quod more antiquo iam ab exordio Eccleſiæ receptum fuerat, lege quoque ab iiſdem lata ſtabiliretur; & omnis occaſio oppreſſionis innocentium, ex fraudolento canone præcideretur: quod præuiderent, aliquando futuros, qui illius præiudicio euertere alios conarentur: quemadmodum in primis conati ſunt aduerſarij Ioannis Chryſoſtomi, qui Antiochenum hunc ipſum contra illum obtenderunt: ſed defenſores innocentiæ Chryſoſtomianæ apertè responderunt; *Canonem ab Arrianis eſſe ſancitum, & in Concilio Sardicenſi abrogatum.*

Antiochen. Canon ab Arrianis cōditus à Patrib. Conc. Sardic. antiquatus.

Innocentius Papa, de eodem, & ſimilis filiginis canonibus Clero Conſtantinopolitano, in cauſa Chryſoſtomi ſcribens, pronunciauit: *Si qui, & alij canones, ſcilicet à canonibus Nicænis diſcrepant, & ab hæreticis compoſiti deprehenduntur. hi verò ab Epiſcopis Catholicis reſcinduntur, hæreticorum enim commenta, Catholicis canonibus aſſuere non licet. Semper enim, vel per contraria, vel per illicita labefactare voluntatem ſtudent Concilij Nicæni. Non ſolùm igitur his non obtemperandum eſſe dicimus: ſed ipſa potius cum hæreticis & ſchiſmaticis condemnanda, quomodo & antea, in Sardicenſi Synodo, ab Epiſcopis prædeceſſoribus factum eſt. Nam ſanè longè præſtiterit, vel ea condemnari* (fratres chariſſimi) *quæ rectè facta non ſunt, quam ea robur vllum ſortiri, quæ aduerſus ipſos canones acta ſunt.*

Innoc Pp. de eodem canone in cauſa Chryſoſt.

Hæc Innocentius, de Antiocheno hæreticorum canone pronunciauit, quo illo ipſo non obſtante, Iulius Pontifex Romanus, Athanaſium Patriarcham Alexandrinum, Paulum Conſtantinopolitanum, Marcellum Ancyranum, Aſclepam Gazæ, & alios Orientis, Thraciæ, Syriæ, ac Paleſtinæ Epiſcopos, ab Euſebianis in Synodis damnatos, Romam prouocantes, pro more vetuſto, ex authoritate audiuit, controuerſias diſcuſſit, deffiniuitque, ac innocentes abſoluit.

Iam Damaſi Pontificatu, quod Sulpicius Seuerus narrat, *Inſtantius Saluianus, & Priſcillianus, in Synodo apud Cæſarauguſtam damnati, Romam profecti ſunt, vt apud Damaſum Vrbis ea tempeſtate Epiſcopum, obiecta purgarent. Hi vbi Romam peruenere, Damaſo ſe purgare cupientes, ne in conſpectum quidem eius admiſſi ſunt.* Alexandriæ quoque, cum aduerſus Petrum legitimum Epiſcopum Ariani, Lucium intruſiſſent, vt Hieronymus refert, *Petrus perſecutionem Arrianæ hæreſeos declinans, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum Romam confugit.* vnde poſtea, *cum litteris Damaſi Epiſcopi Romani, quæ & Moſis fidem*, vt Socrates narrat, *& Petri creationem confirmabant, Alexandriam reuerſus*, Sedem ſuam recuperauit. *Populi enim illis litteris confiſus, expulit Lucium, Petrum autem in eius locum introduxit.*

De diuerſis tam hæreticorum quā Orthod. ad Rom. Pont. appellationibus.
lib. 2. ſacra hiſt.
ep. 16. ad Principiam;

Eodem tempore, cum Vitalis, Antiochiæ, hæreſis Apollinariſtarum anteſignanus, ab omnibus Epiſcopis Orthodoxis accuſaretur, atque damnaretur, Romam ad Pontificem Damaſum iuit, qui eum audiuit quidem, ſed totam cauſam Paulino Antiocheno Patriarchæ cognoſcendam commiſit, ac formulam, ſecundum quam vna cum ſodalibus reuertentibus ad communionem Eccleſiaſticam admitteretur, his verbis præſcripſit; *Quicunque huic epiſtolæ ſubſcribere voluerit, ita tamen, vt in Eccleſiaſticos canones, quos optimè noſti, & in Nicænam fidem ante ſubſcripſerit, hunc habebis abſque aliqua ambiguitate ſuſcipere. Non quod hæc ipſa, quæ nos ſcribimus non potueris conuertentium ſuſceptioni proponere, ſed quo tibi Conſenſus noſter, liberum ſuſcipiendo tribuat exemplum.*

hiſt. Eccleſ. anno 373.

Eodem pariter tempore, cùm Epiſcopi Syriæ, & vicinarum prouinciarum, Ponti, Galatiæ, Armeniæ, aduerſus Paulinum Antiochenum Epiſcopum, Flauianum communibus fere votis obtruſiſſent; & Flauianus quidem ad Imperialium reſcriptorum ſuffragia, Paulinus autem ad Damaſi ſubſellia prouocaſſet; Sanctus Ambroſius prolata illa ſententia; *Fruſtra ergo tantorum Sacerdotum fuſus labor, ſi iterum ad huius ſeculi iudicia reuertendum*, Flauianum quidem ſuggillauit, Paulinum autem laudauit: & Theophilo Alexandrino Epiſcopo, *ad ſanctum fratrem* ait *noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ referendum eſſe* totum negotium ſuaſit; quemadmodum & Paulinus non tantùm per litteras retulit, ſed & ipſe Romam, cum Epiphanio Cypri, & Hieronymo ad Damaſum venit: nec quiſquam Epiſcoporum Paulino aduerſantium, Damaſi iudicium recuſauit.

lib. 10 ep. 78

Quamquam enim ad Synodum Romam euocati, apud Theodoſium Imperatorem excuſaſſent, & ſi modo eis Conſtantinopoli inter ſe conuenire liceret, petiſſent, adeoque conniuente Theodoſio ibidem conueniſſent: nihil tamen ibi proterue egerunt, ſed tantùm pro Flauiano apud Damaſum, & Patres Synodi Romanæ ſupplices fuerunt: adeoque iudicem ſupremum, qui probare Synodicas aliorum ſententias poſſet, Damaſum agnouerunt; cuius authoritatem tantam eſſe, & Flauianus ipſe, & Theodoſius Imperator, & Theophilus Alexandrinus Patriarcha, & Ioannes Conſtantinopolitanus, & Gregorius Nazianzenus, & Acacius Berææ, & alij Epiſcopi cenſuerunt, vt cæteri quidem pro Flauiano laborantes, precibus tantùm agendum eſſe apud eundem exiſtimauerint, eaque de cauſa Legationes Romam inſtituerint; Nazianzenus verò, cùm Apollinariſtæ, ab Orthodoxis Epiſcopis, in Concilio Oecumenico Conſtantinopolitano damnati, ſe à Damaſo in communionem receptos, & à ſententia abſolutos eſſe aſſeuerarent, iſtud Cledonio ſcripſerit: *Quod ſi vel nunc vel ante ſuſcepti ſunt, hoc oſtendant: & NOS ACQVIESCEMVS. Perſpicuum enim erit, eos rectæ doctrinæ aſſentiri* (*NEC ENIM ALITER SE RES HABERE POTEST*) *ſi hoc conſecuti ſunt. Id autem omninò liquebit, ſi vel Synodalem*

lem

lem Codicem, vel Epiſtolas, quibus ad communionem admitti IVBEANTVR, protulerint.

Quod Ioannem Chryſoſtomum, Patriarcham Couſtantinopolitanum, qui cum Theophilo Patriarcha Alerandrino, & Theodoſio Imperatore, pro Flaniano Patriarcha Antiocheno, apnd Damaſum ſupplex fuerat, attinet: is quoque eiuſdem Theophili ſactioue oppreſſus, vnius Romani Pontificis, ſupremi omnium controuerſiarum Iudicis, Tribunal, interpellauit. Rem & exitum illius, vt acciderat,

in vita San. Ioan. Chriſ.

Palladius Helenopolitanus Epiſcopus enarrauit, Theodorum Eccleſiæ Romanæ Diaconum referentem introducens. Ita habet:

Series facti.

Primum omnium profectus eſt ad nos Alexandrinæ Eccleſiæ Lector, cùm Papæ Theophili litteris, quibus indicabat, Ioannem à ſe fuiſſe depoſitum. Eas litteras cùm legiſſet Beatiſſimus Innocentius, Romanæ Sedis Antiſtes, exhorruit temeritatem, faſtumque Theophili: ægre ferens, & quod ſolus ſcripſerat, & quod rei totius ſeriem referre omiſerat: cuius ſcilicet rei gratia, quibuſue adiunctis ſibi ſocijs, illum deponere auſus fuiſſet. Inter hæc manſit admirans, nihilque reſcribere voluit, rei indignitate commotus: dum Euſebius quidam Diaconus Conſtantinopolitanę Eccleſiæ, qui tunc Romæ erat Eccleſiaſticæ vtilitatis gratia, Innocentium adijt, libelliſque traditis adiurauit, ſuſtineret vt modicum temporis: Fore enim breui, vt ſibi totius ſcenæ facies pateſceret. Poſt triduum aduenerunt Epiſcopi quatuor à Ioanne miſſi, reuerendiſſimi profectò viri, Panſophus Piſidiæ, Pappus Syriæ, Demetrius Galatiæ ſecundæ, Eugenius Phrygiæ, tres Innocentio epiſtolas deferentes; vnam quidem Ioannis Epiſcopi, ſecundam verò Epiſcoporum quadraginta de communione Ioannis, reliquam ſcripſerat Ioannis Clerus; omnes, in diſciplinatum tumultum, & ſeditionem pariter ſignificantes. Erat autem epiſtolæ Ioannis huiuſmodi ſeries.

Domino venerabili, ac Beatiſſimo Epiſcopo Innocentio, Ioannes in Domino ſalutem.

Pars Epiſtolæ Ioan Chyſoſt. ad Rom. Pont.

Poſt multa expoſita, quæ Theophilus egerat: *Ne immanis iſta confuſio cuncta percurrat, & vbique dominetur: ſcribite pretor, & authoritate veſtra decernite, huiuſmodi iniquè geſta, nobis abſentibus, & iudicium non declinantibus, nullius eſſe roboris: ſicut per ſuam naturam ſunt profectò, & irrita, & nulla. Porrò, qui talia geſſere, eos Eccleſiaſticæ cenſuræ ſubijcite. Nos autem inſontes, neque conuictos, neque deprehenſos, neque ullius criminis reos comprobatos, Eccleſijs noſtris IVBETE reſtitui: vt charitate frui, ac pace cum fratribus noſtris conſueta poſſimus. Quod ſi modo quoque voluerint authores ſceleris operire crimina, quorum gratia nos iniuſte eiecerunt: dentur nobis Commentaria, libelli proferantur in medium, veniant accuſatores mei, ſedeat incorruptum intemeratumque iudicium, non recuſo, non renuo; imo, & conſtanter hoc expecto, iudicemur. Crimina profectò diluemus, nosque oſtendemus innocentes, neque criminibus vllis obiectis obnoxios. Nam quæ ab eis, modo geſta ſunt, prorſus omni ratione carent. Extra omnem ordinem, omnemque legem ac regulam Eccleſiaſticam. ſunt.*

Auctoritate Apoſtolica Iudicium Theophyl. caſſatum.

Ad hæc reſcripſit Beatiſſimus Papa Innocentius, communioneque vtriuſque partis admiſſa, *Theophili iudicium, caſſum atque irritum eſſe decreuit*, dicens: *Oportere fieri aliam irreprehenſibilem Synodum, Occidentalium & Orientalium Sacerdotum.*

Paucis poſt diebus, aduenit vna cum Martyrio, Petrus Theophili Presbyter, cum epiſtola, quædam Commentariola deferens, in quibus 36. Epiſcopi, ex quibus 29. erant Aegyptij, Ioannem Chryſoſtomum condemnaſſe videbantur. Cumque ingemuiſſet Papa ob indignitatem rei, ad Theophilum reſcripſit: *Frater Theophile nos, & te, & fratrem noſtrum Ioannem, communionis noſtræ eſſe decreuimus. Si conſcientiæ tuæ confidis, tu quoque accurre ad Synodum proximè in Chriſto celebrandam.*

Diuerſi ad Innoc. Pp. venientes, & Ioann. innocentiã conteſtantes

Modicum temporis effluxerat, cùm Theotecnus Conſtantinopolitanus Presbyter venit, litteras Concilij Ioannis vigintiquinque Epiſcoporum, aut paulo plurium ferens, quibus docebant, Ioannem militum auxilio Vrbe depulſum, & Cucuſum in exilium miſſum, Eccleſiamque incenſam fuiſſe. Cui & ipſi communionis litteras, & ad Epiſcopum Ioannem, & ad omnes communicantes ſibi Epiſcopos tradens, orabat cum lachrymis, vt patienter tolerarent; cùm ipſe opem ferre non poſſet, eo quod nonnulli obſiſterent potentes aduerſarij, Eccleſiaſticæ pacis inimici. Poſt paululum rurſus applicuit homunculus aſpectu fœdus, animo perditus, Paternus nomine, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſe presbyterum dicens; qui & ipſe totus elatus, & faſtu turgidus, & ipſo geſtu inimicitias præferens, plurima contra Ioannem Epiſcopum vomebat. Hic litteras paucorum Epiſcoporum, Acacij, Pauli, Antiochi, Syrini, Seucriaui, & aliorum quorumdam, Innocentio reddidit, quibus Ioannem calumniabatur; quaſi incendiſſet Eccleſiam. Mendacium apertè deprehenſum eſt, cùm eius rei (quippe quæ cùm illi non fuiſſet obiecta) mentionem in Synodo nullam fecisſet Ioannes. Eum Innocentius cum idignatione reijciens, ne reſcribere quidem voluit. Poſt dies aliquot venit Epiſcopus Cyriacus fugiens, propter comminationem Regalis Edicti, iſta continentem; *Si quis non communicat Theophilo, Arſacio, & Porphirio hic Epiſcopatu quidem arceatur: amittat verò ſi quam videtur habere, ſubſtantiam pecuniarum, ſiue prædiorum.*

Poſt Cyriacum aduenit Euliſius Apameæ Bithyniæ Epiſcopus, afferens litteras à quindecim Epiſcopis de Ioannis Concilio, & à pręclaro ſene Anyſio Theſſalonicenſe Epiſcopo, in quibus illi quidem, & præcedentem, & quæ tunc erat, Conſtantinopoleos totius deprædationem, vaſtitatemque ſignabant: Anyſius verò *Romanæ ſe Eccleſiæ iudiciũ ſequi* fatebatur. Porro Euliſius ipſe conſona per omnia Cyriaco dixit. Vix menſis fluxerat, cum Palladius quoque Epiſcopus Hellenæpolleos abſque literis venit, qui & ipſe fugiſſe dicebat væſaniam Principum. Expreſſius autem, ac ſignatius enarrauit omnia, ipſumque exemplar Edicti protulit, in hanc ſententiam; *Quicumque occultaſſet Epiſcopum, ac Clericum ſiue in ſuam domum ſuſciperet, qui Ioanni communicaret, eius domum publicandam.*

Poſt Palladium Germanus Presbyter, Caſſianuſque Diaconus Ioannis, viri magnæ religionis literas ab omni Clero Ioannis attulerunt, continentes, Eccleſiam ſuam tyrannidem perpeſſam eſſe, Epiſcopo per vim mili-

tum

tum eiecto, & in exilium miſſo, agentibus in eum Acacio Beroenſi, Antiocho Ptolemaidis, Seueriano Gabalenſi, Theophilo Alexandrino. Oſtenderunt, & breuiculum memorati viri, vbi ornamenta ſub indicibus teſtibus tradunt, ſubſcriptum mann Studij Præfecti Vrbis, Eutychiani Prætoris, Ioannis Comitis Theſaurorum, & Euſtachij Quæſtoris, ac Tabularij, in auro, & argento, & vaſis, vt Ioanni impoſitam calumniam diluerent. Poſt iſtos venit ſecundo Demetrius Epiſcopus Piſinuntis, qui peragrato Oriente prædicauerat communionem Eccleſiæ Romanorum cnm Epiſcopo Ioanne, teſtibus Papæ Innocentij litteris, afferens litteras ab Epiſcopis Cariæ, in quibnsIoannis amplectuntur commnnionem. Ab Antiochenæ itidem Eccleſiæ Presbyteris, vbi *Romanorum ſequuntur diſciplinam, laudantes integritatem iudicij*. Poſt hos omnes venit Domitianus Sacerdos, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ diſpenſator, & Vallagas quidam Nyſibius Preshyter, exponens Monaſteriorum Meſopotamiæ gemitum & eiulatum. Porto Theodorus Tyaneus Epiſcopus, vir ſummæ grauitatis, vbi ex his quæ venerant ad aures eius, quid ageretur aduertit, ne Theophili temeritatem ſequeretur, relictis omnibus ad ſuam remeauit Eccleſiam, valefaciens Comitatui, ſuamque prouinciam vallans pietatis muro, & ad fidem vſque in communione perſiſtens fidelium Romanorum, de quibus Paulus teſtatur & dicit, Fides veſtra annnnciatur in vniuerſo mundo.

lib 8. c. 26. in vita Chryſoſt.

Acta contra Ioan damnata, & Ioannes contra ſententiam Synod. & Catholicorum à ſolo Pont. abſolutus.

lib. 13. c. 34.

Hæc Palladius, ex narratione Theodori, & publica ſcientia referebat: cui æqualia Proſper in Chronicis ſcripſit, quòd *Ioannes communionem maxima pars Epiſcoporum ſeruauerit, ſecuta exemplum Romani Pontificis*. qui vt eſt apud Sozomenum, *& ea damnauit quæ contra Ioannem acta erant, & Concilium Oecumenicum conuocare ſtuduit*: & Arcadium Imperatorem, vt præter Georgium Patriarcham, Nicephorus teſtatur, anathemate percuſſit, & ei tandem reſipiſcenti præſcripſit; *Iubete Ioannis nomẽ ſacris tabellis inſcribi. Quæ enim aduerſus Ioannem geſta ſunt à Theophilo, nos authoritate freti Sancti Petri eximij Apoſtolorum Principis, diſcuſſis cauſis docebimus, ex animo ſanguinario proceſſiſſe*. Ita, *Sanctæ memoriæ Ioannem Conſtantinopolitanum*, vt Geleſias Epiſcopis Dardaniæ ſignificabat, *quem Synodus etiam Catholicorum Præſulum certè damnauerat, Sedes Apoſtolica etiam ſola quia non cenſenſit, abſoluit*.

in epiſt.

Porro is ipſe Innocentius Papa, Georgio Patriarcha Alexandrino teſte, Attici, in Chryſoſtomi locum poſt Arſacium ſuffecti, qood Clerus Conſtantinopolitanus ad Sedem Apoſtolicam prouocaſſet, cauſam iudicauit, atque in primis Alexandro Antiocheno Epiſcopo, *Atticum Conſtantinopolitanæ Vrbis Epiſcopum à ſe fuiſſe ſuſpenſum ſeu abſtentum* ſignificauit: deinde Proclo Cyzici Epiſcopo, vt *paſceret Conſtantinopolitanam Eccleſiam, donec Attici cauſa cognoſceretur* ſcripſit; quod & Proclus fecit. Cauſam quoque Bubalij, & Tauriani, ab Epiſcopis Macedoniæ cognitam, ipſe diſcuſſit, & quod illorum ſententiam reſcidiſſet; ſcripſit: *Graue non oportuit videri mentibus veſtris, cuiuſcumque retractari iudicium; quia veritas agitata, ſæpe magis reſplendeſcit in luce*.

Idem Pont. cauſam Cleri Conſt. ad eum prouocantis contra Atticum Conſt. Epiſcopum iudicauit.

in vit. Chryſoſt. ep. 17.

Bubalij, & Tauriani cauſa ab eodẽ diſcuſſa.

Proximus Innocentio Papa Zozimus, Apiarium Siccenſem Epiſcopum, ab Africana Synodo abſtentum, ad Sedem Apoſtolicam prouocantem, admiſit & Fauſtinum Potentinæ in Picæno Eccleſiæ Epiſcopum, ac duos Presbyteros in Africam, cum Commonitorio, quod quattuor capita complectebatur, miſit, *vnum erat de appellationibus Epiſcoporum ac Romana Eccleſia Sacerdotem. Alterum ne ad Comitatum, Epiſcopi importunè nauigent. Tertium, de tractandis Presbyterorum & Diaconorum cauſis apud finitimos Epiſcopos; ſi à ſuis perperam excommunicati fuerint. Quartum de Vrbano Epiſcopo excommunicando, vel etiam Romam euocando, niſi ea quæ videbantur corrigenda, corrigeret*.

Cum hęc porro Zozimus committeret, memorabat: in Concilio Nicæno ſancitum fuiſſe, *vt eſſet in poteſtate Epiſcopi Romani, cauſam Epiſcopi alicuius ad ſe prouocantis, vel aliquibus finitimis Epiſcopis committere, vel è latere ſuo Presbyterum mittere, qui vna cum Epiſcopis iudicaret, habens authoritatem eius à quo deſtinatus eſſet*. Fauſtinus cumprimum Carthaginem perueniſſet, Concilio Epiſcoporum ibidem congregato, prolocutus: expoſuit quia, *iniuncta nobis ſunt à Sede Apoſtolica aliqua tractanda de Nicænis canonibus, vt conſeruentur, & conſtitutio eorum, & conſuetudo: quia antiquo ordine & canone tenentur, & antiqua conſuetudine firmata ſunt*. Concilium fortè celebrabatur, ex hac cauſa: quam operæpretium eſt enarrare, vt Centuriatores Zozimo imponentes, in hac materia appellationum ſuffundantur.

Conc. Nicæni de poteſtate Rom. Pont. io cauſis appellationum 1.

in 6. Conc. Carthag.

Zozimus Papa, Bonifacij præceſſor, Cæleſtium Pelagianum à Carthaginenſi & Mileuitano Concilijs damnatum, ad ſuum tribunal appellantem, venientemque audierat, benignè habuerat, ſententiæ executionem ſuſpenderat, denique in negotio ipſius Paulinum Legatum miſerat, qui propius inquireret, an ab Herote & Lazaro Cæleſtius iniuſtè infamaretur, quemadmodum is ipſe aſſerebat, an verò ritè, & propter iuſtas cauſas damnatus fuiſſet. Iſtud dolebat Africanis, quod exiſtimarent Zozimum, decreta duorum Conciliorum reſcidiſſe, hominem à duobus Concilijs damnatum abſoluiſſe, & in Acta tot Epiſcoporum iniurium eſſe. Acceſſit & aliud, quod eos angebat.

hiſt. Eccl. anno 419.

De Iudicio Zozimi in cauſa Cæleſtini Pelagiani ad Sed. Apoſt. prouocātis contra Centuriat. impoſtores.

Legati, qui à Sede Apoſtolica plerumque mittebantur, ad Comitatum Imperatoris declinabant, & reſcriptis à Principe ad Præfectos, & ab his quandoque pro rei neceſſitate, auxilio ſæculari adiuti non poterant aliquos, aliquando, illo brachio ſæculari non oſtendiſſe, vnde quærelæ, vnde litteræ ad Zozimum; ne tales Clericos executores, neue apparitores mitteret, neue concederet: *ne*, inquiebant, *fumoſum typum ſæculi, in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere*. Hoc ipſum Auguſtinus, quandoque à Cæleſtino Bonifacij ſucceſſore deprecabatur, ſcribens hæc verba: *Accipe nunc quæ poſt Sanctæ memoriæ viri Bonifacij litteras, in Africa geſta ſunt, & ſubueni hominibus opem ſuam in Chriſti miſericordia multò auidius quam ille poſcentibus, à cuius inquietudine deſiderant liberari. Iudicia quippe illis, & publicas poteſtates, & militares* im-

5. Concil. Afric. cap. 105.

Quærelæ Afric Epiſcoporum, & literę ad Zozimum quod ad Roman. Pont. appellantes tam facile abſol-

uereutur, & Legati à Latere ſæculari poteſtate ſe armarent. ep. 261. edit. Plantin.

impetus, tanquam executuros Apoſtolicæ Sedis ſententiam, ſiue ipſe, ſiue rumores creberrimi comminantur; vt miſeri homines Chriſtiani Catholici grauiora formident à Catholico Epiſcopo, quam cum eſſent heretici à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non ſinas iſta fieri, obſecro te per Chriſti ſanguinem, per Apoſtoli Petri memoriam; qui Chriſtianorum Præpoſitos populorum monuit, ne violenter dominentur inter fratres.

Legat. Apoſt ad Conc. Afric. veniunt

Itaque cum Epiſcopi Africani apud Sedem Apoſtolicam conquererentur, & illos qui ad Romanum Pontificem appellabant facilè abſolui, & Legatos à Latere miſſos plerumque poteſtate ſæculari armatos agere, Zozimo ſupplices fuerant, ne in poſterum aliquid eorum admitteretur. Zozimus porrò paulò ante obitum, Fauſtinum Potentinum Epiſcopum, & vnà cum eo Philippum atque Aſellum Presbyteros Legatos miſit ad Epiſcopos Africanos qui illa quatuor agerent. Zozimo defuncto, & Bonifacio ſubrogato, Legati prædicti Carthaginem opportuno planè tempore ad Concilium Africanum aduenerunt, & quæ in mandatis à Sede Apoſtolica habuerant, expoſuerunt. Quantum ad primum actionis caput, de appellationibus ad Romanum Pontificem attinet, Legati nihil ambigebant de Africanis, quia *ius Eccleſiæ Romanæ connatum*, inque omnes totius Orbis Eccleſias, Paſtores, Agnos, & oues Chriſti, à Chriſto Principe Paſtorum, Conditoreque Eccleſię collatum Romano Pontifici, agnoſcebant.

Africani Ius Eccl. Rom. in omnes orbis Eccleſias agnoſcebant *Auguſt. epiſt. 162 & 261. edit. Plantin.*

Nam & Cyprianus, & Optatus Mileuitanus, & Auguſtinus, Africanorum doctiſſimi ſanctiſſimique, Primatum Romanæ Eccleſiæ ſuper omnes aſſerebant, & Cæcilius Carthaginenſis Epiſcopus, vt Auguſtinus ſcribit, ad Romanum Pontificem iam olim; recens verò Cæleſtius, & Antonius Faſſalenſis, & Priſcus Cæſarienſis, & Victor & Laurentius Epiſcopi ad eundem Romanum Pontificem appellarunt. De Cæciliano memorabat Auguſtinus: *Erat*, inquit, *Eccleſia Carthaginenſis etiam tranſmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis, vnde non mediocris vtique authoritatis habebat Epiſcopum, qui poſſet non curare conſpirantem inimicorum multitudinem; cum ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium in Africam venit, per communicatorias litteras eſſe coniunctum: vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.*

Iſta omnia quamquam optimè ſcirent Legati, voluerunt tamen contra aliquos, ex modo exequutionis appellationum, rem ipſam in dubium fortè reuocare cupientes, Canonem Eccleſiaſticum, de appellationibus ad Romanum Pontificem iam tum agnitis, & ab vniuerſa Eccleſia admiſſis, recitare, qui in hæc verba deſcriptus eſt: *Placuit autem, vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo deiecerint eum, & appellaſſe Epiſcopus videatur & confugerit ad Beatiſſimum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, & voluerit audiri, & iuſtum putauerit vt renouetur examen: ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima & propinqua prouincia ſunt, vt ipſi omnia diligenter requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua mouerit Romanum Epiſcopum, vt è latere ſuo Presbyterum mittat: erit in poteſtate Epiſcopi Romani, quid velit, & quid exiſtimet. Etſi decreuerit, mittendos eſſe qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, habentes authoritatem eius à quo deſtinati ſunt: erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderit ſufficere Epiſcopos, vt negotio terminum imponant: faciet, quod ſapientiſſimo conſilio ſuo iudicauerit.*

Canon. Eccl. de appellation. ad Rom. Pont. ab vniuerſa Eccleſ. admiſſus.

De Epiſcopis Comitatum adeuntis

Quantum ad ſecundum caput, ne Epiſcopi ad Comitatum importune nauigarent, Legati iuſſerunt pariter recitari decretum Concilij Sardicenſis, ex occaſione querelæ à Grato Epiſcopo Carthaginenſi, contra Africanos Epiſcopos, non pro miſeris ſubleuandis, ſed pro dignitatibus obtinendis ad Comitatum accedentes, prolatæ. Tunc enim conſtitutum fuit, vt cum Epiſcopi Africani adituri Comitatum, Romam peruenirent, ibi Romano Epiſcopo cauſas exponerent; qui eas examinet, num dignæ ſint quæ perferantur ad Comitatum: & ſi tales ipſi viſæ fuerint, eius quoque impertito auxilio ad Imperatorem deferrentur.

De Epiſcopo iracundo qui presbyterum ſeu diaconum ſuum Eccleſia eijcere vellet.

Quantum ad tertium Caput attinet, recitari quoque iuſſerunt ex eodem Concilio Sardicenſi hunc Canonem: *Si Epiſcopus fortè iracundus (quod eſſe non debet) citò aut aſperè commouetur aduerſus Presbyterum, ſiue Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit; prouidendum eſt, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideo habeat poteſtatem eiectus, vt finitimos interpellet Epiſcopos, vt cauſam ſuam audiant, & diligenter tractent, quia non oportet negari audientiam roganti. Et ille Epiſcopus, qui aut iuſtè, aut iniuſtè eum eiecit, patienter accipiat, vt negotium diſcutiatur, aut probetur, aut emendetur ſententia*, His Canonibus perlectis, cum ſe viderent vrgeri illi Epiſcopi: illorum verò priorem, titulo quidem Sardicenſis Concilij exaratum, ſed Nicæni nomine, à Legatis prolatum, in ſuis Nicæni Concilij Codicibus non inuenirent: non quod ab iure appellationis exciperent, quod iam non ſemel admiſerant, ſed vt certiores de veritate Canonum, præſertim de arbitraria illa Legatorum miſſione certiores redderentur, petierunt in Orientem, ad Atticum Conſtantinopolitanum, & ad Cyrillum Alexandrinum duos Presbyteros mitti: qui exempla Nicæni Concilij incorrupta inſpicerent, Canonemque Sardicenſem, titulo Nicæno à Legatis recitatum, in Nicæno volumine inquirerent. Valde enim eos angebat, quod illum canonem, in Sardicenſi quidem reperirent, in Nicæno autem Concilio non haberent, cum potuerit eſſe, vel quod Acta vtriuſque Concilij in eodem volumine, ſub vnico titulo Sardicenſi inſerta haberent, & quæ erant Nicęni Concilij pro Sardicenſibus reputarent: vel quod ex ſcriptorum vitio, Nicęni Concilij Canones, Sardicenſibus permixtos conſeruarent, quemadmodum & Concilij ſui Carthaginenſis cum Mileuitani actis permixta legebant: vel quod veriſimilius eſt, corruptis à Donaſticis Nicæni Concilij exemplaribus vterentur. Nam quod & Zoſimus, & Legati, canonem illum priorem, titulo Nicæni Concilij allegaſſent, facile in ſuam ſententiam adducor, in eodem Nicæno Concilio, ſiue expreſsè ſtabilitum, ſed malitia, aut Græcorum, aut Donatiſtarum expunctum

ctum eſſe; ſiue illo ſolo, *Mos antiquus ſeruetur* ſubintellecta antiqua conſuetudine de appellatione ad Romanum Pontificem, inſinuatum fuiſſe.

Appellationum ad Rō. Pont. momētum à diuina inſtit. & totius Orbis cōſuetud. robur accepit. *Conc. Afr. c.* 105.

Vt vt eſt, ſiue Nicænus fuerit, ſiue pro Nicæno Sardicenſem, Zoſimus cum Legatis, per commutationem ex hallucinatione nominum, acceperit; cùm & Concilij Oecumenici Sardicenſis tanta quanta Nicæni authoritas extiterit, & appellationum ad Romanum Pontificem momentum, non tàm à Synodalibus decretis, quàm à Diuina inſtitutione, & totius Orbis conſuetudine recepta robur acceperit; docti poſtmodum Africani à ſuis Legatis, ſed iam mortuo Bonifacio ex Oriente reuerſis, quod Zoſimi Pontificis Legati nihil dolo malo, ſed ex fide egiſſent, Cœleſtinum deprecabantur; non, vt appellationes non admitteret, aut ne ex poteſtate arbitraria cauſarum cognitionem committeret, ſed vt nec facile admitteret, nec cum rigore illo ſæculari, pluſquam oportet, committeret, Ad eum modum ſcribebant: *Præfato igitur debita ſalutationis officio, impendio deprecamur, vt deinceps ad veſtras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem vltra velitis excipere: quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facile aduertet venerabilitas tua. Nam ſi de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur ibi præcaueri: quanto magis hoc de Epiſcopo voluit obſeruari: ne in prouincia à communione ſuſpenſi, à tua Sanctitate, vti feſtinato, vel præpropere, vel indebitè videantur communioni reſtitui.*

epiſt. 261.

Non de iure itaque, ſed de modo admittendarum, & præcipuè proſequendarum appellationum angebantur; ne ſcilicet, Legati cum apparitura, promiſcuè, & ſine cauſa mitterentur, cùm ipſe Auguſtinus fateretur, quod ſi in cauſa Antonij Fuſſalenſis Epiſcopi, quem propter enormia ſcelera, agente contra eum Sancto Auguſtino, Epiſcopi eius Prouinciæ, ab adminiſtratione Epiſcopatus depoſuerant; & is fretus commendatione Primatus Numidiæ, ad Bonifacium appellans, pro ſe reſcriptum (quamquam magna cautela, *ſi* ſcilicet *ordinem rerum fideliter indicauit*, ſcriptum) à Bonifacio ſurripuerat, & Epiſcopatus adminiſtrationem inuito populo requirebat, oporteret tunc mitti Legatum cum apparitura, quod Fuſſalenſes dolore iuſto, eum ſibi præeſſe, ferre omnino non poſſent, & cum ſuo illiuſque periculo, in aliquod ſcelus forſitan erupturam impatientiam ſui doloris oſtenderent. Hæc Auguſtinus, in cauſa ſubreptitiè iudicata: cùm aliàs ipſe aſſereret, ritè, iuſtè, piequè, pro exequendis aduerſus refractarios iuſtis ſententijs, & Eccleſiaſticis inſtitutis, implorare licere ab Imperatoribus, eorumque Præfectis auxilium.

epiſt. 48.

Ex Narratis cōſtat quam falſo Centuriatores Zozimo impoſuerint quaſi voluiſſet Ius appell. ab Africanis Epiſcopis ſuffurari, cū à Chriſto conditore Eccleſiæ illud habuerit

Non erat cauſa, cur Centuriatores Zozimo impoſuerint, quaſi ipſe voluerit ius appellationum ab Africanis Epiſcopis ſuffurari; cum neque ſubripuerit, neque à Canonibus, ſed à Chriſto Conditore Eccleſiæ illud habuerit; & illi ipſi Africani, more ab vniuerſa Eccleſia antiquitus recepto, cauſarum cognitionem ad Romanam Sedem detulerint: & præſertim ex illo ipſi Carthaginenſi Concilio, cum de libris Canonicis perſcriberent, quo tempore vixit & ſcripſit Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus, Concordantiam Canonum; ex quibus vni ſub nomine Concilij Carthaginenſis, aſſignauit titulum; *De Prouinciali Synodo retractanda, per Vicarios Epiſcopi Vrbis Romæ: ſi ita decreuerit*, adeo, vt euidens ſit Africanos Epiſcopos, Romanæ Sedis Epiſcopo, & iudicium ſupremum Controuerſiarum per appellationem detuliſſe; & nunquam ſe aut ab eius communione, aut ab Eccleſiæ Romanæ per vnitate (quod aliquis ſomniabat) etiam ſub tempora Vvandalicæ perſecutionis ſeparaſſe: cum etiam Auguſtinus per id temporis ſcripſerit: quod eius Collegæ, *poſſunt aliorum Collegarum iudicio, præſertim Apoſtolicarum Eccleſiarum* (in Romana autem Eccleſia, ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguiſſe Principatum aſſerit) *cauſam ſuam integram reſeruare.*

ep. 162.

Neque tantum iſtud Auguſtinus ſcripſit, ſed etiam, cum Antonius Fuſſalenſis Epiſcopus, ab eodem propter crimina gradu motus ad Cæleſtinum Bonifacij ſucceſſorem accurriſſet, metumque vehementem, ne Apoſtolica Sedes tam benigna ad miſericordiam, illum indignum Epiſcopali Sede ad eandem reſtitueret: non accuſauit prouocationem, ſed Cæleſtino ſupplex fuit, addito iſto colophone: *Si autem & membra Chriſti, quæ in illa regione ſunt, ab exitiali timore, & triſtitia recreaueris & meam ſenectutem hac miſericordia iuſtitia fueris conſolatus: retribuet tibi & in præſenti, & in futura vita, qui per te nobis in iſta tribulatione ſuccurrit, & qui te in illa Sede conſtituit,*

Porrò operæpretium eſt alios producere, qui Sedem Apoſtolicam illo ipſo tempore interpellauerunt.

Cyrillus Alex. Menno Ephaſ. & alij Rom. Sed. interpellant contra Ioan. Antioch. *tomo 4. cap. 4.*

Cyrillus Alexandrinus, Menno Epheſius, & alij complures, a Ioanne Antiocheno, in Conciliabulo Epheſino condemnati, cum Iudicium Epheſinæ Synodi interpellaſſent, Cæleſtini Papæ cuius Legati Concilio Oecumenico præerant, iudicium interpellarunt. Iſtud planè in eodem Concilio intellexit Patriarcha Hieroſolymitanus Iuuenalis, cum dixit: *Oportebat quidem Ioannem religioſiſſimum Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopum, hac ſancta, & magna, & Oecumenica Synodo conſiderata, recta mox citra vllam dilationem, ad eorum quæ illi obijciuntur purgationem accurrere, Apoſtolicæque Sedis Magnæ Ciuitatis Romę authoritati nobis aſſiſtenti, & Apoſtolico Sanctæ Dei Eccleſiæ Hieroſolymorum Antiſtiti honorem & obedientiam deferre: præſertim cum Apoſtolica ordinatione, antiquaque traditione in conſuetudinem abierit, vt Sedes Antiochena, perpetuò, per Romanam dirigatur ac iudicetur.*

Patres Epheſini Cæleſtino Pp. *tomo 1. Concil.*

Clarius eſt, quod omnes Patres Epheſini, Cæleſtino Papæ, abſoluta Synodo ſcripſerunt. *Ioannis Antiocheni temeritatem reſeruauimus pietatis tuæ iudicio. Etenim viri triginta, quorum alij hęreſeos macula notati ſunt, alij extorres, & reiecti, quam Synodi faciem, aut quid roboris haberent contra Synodum, ex vniuerſo qui ſub cælo eſt Orbe collectam? Fuerunt etiam in conſeſſu noſtro etiam illi qui à Sanctitate tua ſunt miſſi pientiſſimi Epiſcopi Archadius & Proiectus & cum illis religioſiſſimus Presbyter Philippus, qui vicem & præſentiam tuam conſeſſu ſuo exhibuerunt, & Apoſtolicæ Sedis locum adimpleuerunt.* Ad eum modum, vniuerſi Patres Oecumenici Concilij Epheſini, cauſam per appellationem ad eos

primo deuolutam, Cæleſtino iudicandam detulerunt: eiuſque ſententiam in Neſtorium Patriarcham Conſtantinopolitanum latam, concordibus ſuffragijs comprobarunt.

Cyrillus, & Ireneus contra Iuuenalis Patr. Hieroſol. ambitionem.

Iam enim idem Iuuenalis propter operam inConcilio Epheſino contra Neſtorium nauatam, quaſi in præmium laborum, euectionem ſuæ SedisHieroſolymitanæ ſuperCæſareenſem, adeoque Paleſtinæ Prouinciæ Primatum exambiſſet, inque eodem Concilio Oecumenico ſperaret rem omnino ſe obtinuiſſe, Cyrillus Alexandrinus in cauſa tanti momenti Sedem Apoſtolicam interpellauit, *ſollicitaque prece*, vt Leo qui tunc apud Cæleſtinum authoritate plurimum valebat, Maximo Antiocheno ſignificabat, *nullum popoſcit, vt nullus illicitis conatibus præberetur aſſenſus*. Vigore Epheſini decreti, cum Iuuenalis Irenæo Cæſareenſi Epiſcopo ſeſe antepoſuiſſet, Iræneus ad Leonem Papam prouocauit: Leo autem eidem Antiocheno Patriarchæ Maximo: *Hoc*, reſcripſit, *tamen proprium definitionis meæ eſt, vt quantumlibet numerus Sacerdotum amplior aliquid per quorundam ſubreptionem decernat, quod illis 318. Patrum Conſtitutionibus inueniatur aduerſum, id iuſtitiæ conſideratione caſſetur; quoniam vniuerſæ pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri, niſi ſua Canonibus reuerentia ſeruetur.*

Quanti æſtimauerint Patres Antiqui Rom. Pont. poteſtatem etiam ſupra Oecum. Cōcil. ſententias.

Tanta authoritate & Cyrillus & Maximus Patriarchæ, & Irenæus Primas, Romanos Pontifices eſſe cenſuerunt, vt arbitrarentur, illos poſſe reſcindere, non tantum ſingulorum Epiſcoporum, ſed & Oecumenicorum Conciliorum ſententias, quippe meminerat, maiores etiam ſuos idem exiſtimaſſe, & in æquali cauſa ad Sedem Apoſtolicam prouocaſſe, tunc cum in Oecumenico Conſtantinopolitano I. Concilio, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, primum locum poſt Romanum Pontificem ambiuit, & per ſubreptionem obtinuit. Enimverò Patriarchis Alexandrino & Antiocheno conclamantibus, Damaſus Concilio Romæ, pro confirmatione quam Patres poſtulabant Concilij Conſtantinopolitani, indicto, cætera quidem acta probauit, & anathematiſmos contra hæreticos vulgatos repetijt, cæterum decretum de Primatu Sedium interuerſo ab eis prolatum non ſuſtinuit, ſed aduerſarium condidit: *Quamuis per Orbem Catholicæ diffuſa Eccleſiæ quaſi vnus thalamus Chriſti ſit; Sancta tamen Romana Eccleſia, non vllis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini Saluatoris noſtri Primatum obtinuit &c. Eſt ergo prima Petri Apoſtoli Sedes Romana Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid huiuſmodi. Secunda autem Sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco eius diſcipulo, atque Euangeliſta conſecrata eſt, &c. Tertia autem Sedes eſt apud Antiochiam Beatiſſimi Apoſtoli Petri, quæ habetur honorabilis: eo quod illam primitus quam Romam veniſſet, habitauerit, & illic primum nomen Chriſtianorum nouellæ gentis exortum eſt.*

Collection. Creſconian.

Cauſa de Primatu Sedium à Damaſo contra ſententiam Conc. Conſt. deciſa.

Hunc in modum cauſam de Primatu Sedium, aduerſus ſententiam Synodi Conſtantinopolitanæ, definiuit. Vnde Sanctus Gregorius aliquando ſcripſit, *Romana Eccleſia, Canones, vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accepit: in hoc autem eandem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum.*

Patres Concil. Calced. ſuadent Imper. approbationem à Rom. Sed. petere.

Non ignari eius authoritatis quam habet Pontifex Romanus in ſententijs aliorum reſcindendis, vel probandis Patres 600. Chalcedonenſes, abſoluto Concilio Oecumenico, Imperatoribus Marciano & Pulcheriæ ſupplices fuerunt; *Sed ò vos Chriſti amantes, & Imperio ſuperno nutu vobis conceſſo digniſſimi, compenſate ei fidem, qui beneficia tanta conceſſit: ſtudioque circa puriſſimam confeſſionem, pro conceſſis honoribus præſtantiam veſtræ deuotionis oſtendite, malignarum quidem molimina refrænantes, omnibus verò piæ confeſſionis concordiam proponentes, tanquam SIGNACVLVM PIORVM DOGMATVM, huic à vobis congregatæ Synodo PETRI CATHEDRÆ APPROBATIONEM PROCVRATE.* Et quidem Imperatores, vnà cum Patribus, Leonem, qui ſententias Synodi probaret, interpellarunt: Leo autem reliquas probauit: cæterum illam de Primatu Conſtantinopolitanæ Sedis reprobauit, & Anatolij Patriarchæ ambitum refrenauit: poſtquam Apoſtolicæ Sedis Legati, Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus non potuiſſent, à Synodali decreto, ad Sedem Apoſtolicam retuliſſent, appellaſſentque. Præſtat iſta ex litteris Leonis cognoſcere, atque inprimis ex decreto Synodico, quod his verbis conceperant Patres Chalcedone congregati.

Decretum Synodicum Patrũ Chalcedonen. ad Leon. Pont. in cauſa ambitus Anatolij Patr. Cōſtant.

, Confirmauimus autem, & centum quin-
, quaginta Sanctorum Patrum Regulam, qui
, in Conſtantinopoli congregati ſunt ſub piæ
, memoriæ maiore Theodoſio, quæ præcepit,
, poſt veſtram ſanctiſſimam Apoſtolicam Se-
, dem, honorem habere Conſtantinopolita-
, nam (quæ ſecunda eſt ordinata) confiden-
, tes, quia lucente apud vos Apoſtolico radio,
, & vſque ad Conſtantinopolitanorum Eccle-
, ſiam, conſuete gubernando illam, ſpargen-
, tes hunc ſæpius expanditis: eo quod abſque
, inuidia conſueueritis veſtrorum bonorum
, participatione ditare domeſticos. Quæ igi-
, tur ad interemptionem quidem totius con-
, fuſionis, confirmationem veſtræ Eccleſiaſti-
, cæ ordinationis definiuimus, hæc ſicut pro-
, pria & amica, & ad decorem conuenientiſſi-
, ma dignare completi, Sanctiſſime & Beatiſ-
, ſime Pater. Qui enim locum veſtræ Sancti-
, tatis obtinent Sanctiſſimi Epiſcopi Paſchaſi-
, nus & Lucentius, & qui cum eis eſt, Reue-
, rendiſſimus Presbyter Boniſacius, his ita
, conſtitutis vehementer reſiſtere tentauerunt,
, proculdubio à veſtra prouidentia inchoari &
, hoc bonum volentes, vt ſicut Fidei, ſic bo-
, næ ordinationis vobis deputetur effectus.
, Nos enim curantes tam pijſſimos & Chriſti
, amicos Imperatores, qui ſuper hoc delectan-
, tur, quam clariſſimum Senatum, & totam
, (ſicut dicere conuenit) Ciuitatem Imperij,
, opportunum credidimus eſſe, honoris eius
, confirmationem ab vniuerſali Concilio cele-
, brari, & velut hæc à tua Sanctitate fuerint
, inchoata: eo quod fouere ſemper ſtudeas,
, roborauimus præſentes, dum nouerimus;
, quia quicquid rectitudinis à filijs fit, ad Pa-
, tres recurrit, facientes hoc ſibi proprium.
, Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum ho-
, nora iudicium: & ſicut nos CAPITI in bonis
, adiecimus conſonantiam, ſic & SVMMITAS
, TVA FILIIS quod decet adimpleat. Iſta Pa-
tres Chalcedonenſes.

Reſcribit Pon. Anatol. & Imp.

Leo porrò, potius Legatos, iudicium Sed. Ap. implorantes, quam illos audiuit, & tam

quam

Anatolio, Imper. pro authoritate indiciaria
reſcripſit. Anatolio quidem acriter.

, Poſt illa itaque ordinationis tuæ uon
, inculpata principia, poſt Conſecrationem
Anatolio. , Antiocheni Epiſcopi, quam tibimet contra
, canonicam regulam vendicaſti: doleo, etiam
, in boc dilectinnem tuam eſſe prolapſam, vt
, Sanctiſſimas Nicænorum Canonum Conſti-
, tutiones conareris infringere: tamquam op-
, portunè ſe tibi hoc tempus obtulerit, qua ſe-
, cundi honoris priuilegium Sedes Alexandri-
, na perdiderit: & Antiochena Eccleſia pro-
, prietatem tertiæ dignitatis amiſerit: vt bis
, locis iuri tuo ſubditis omnes Metropolitani
, Epiſcopi proprio honore priuentur. Quibus
, inauditis, & numquam ante tentatis ita præ-
, ueniris exceſſibus, vt ſanctam Synodum ad
, extinguendam ſolum hæreſim, & confirma-
, tionem Fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſi-
, mi Principis congregatam, in occaſionem
, ambitus trahas; & vt conniuentiam ſuam ti-
, bi dedat impellas, tamquam refutari nequeat,
, quod illicitè voluerit multitudo; & illa Ni-
, cænorum canonum per ſanctum verè ſpiri-
, tum ordinata conditio, in aliqua vnquam
, parte ſit ſolubilis:

, Nulla ſibimet de multiplicatione con-
, gregationis Synodalia Concilia blandiantur
, neque trecentis illis decem, & octo, quan-
, tumlibet copioſior numerus Sacerdotum, vel
, comparare ſe audeat, vel præferre: cum tan-
, to diuinitus priuilegio Nicæna ſit Synodus
, conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plu-
, res Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni
, pene authoritate ſit vacuum, quicquid ab il-
, lorum fuerit conſtitutione diuerſum. Nimis
, ergo hæc improba, nimis ſunt praua, quæ
, ſanctiſſimis canonibus inueniuntur eſſe con-
, traria. In totius Eccleſiæ perturbationem
, ſuperba hæc tendit elatio, quæ iræ abuti vo-
, luit Concilio Synodali, vt fratres in fidei tan-
, tummodo negotium conuocatos, & defini-
, tionem eius cauſæ quæ erat curanda perfun-
, ctos, ad conſentiendum ſibi, aut deprauan-
, do traduceret, aut terrendo compelleret. In-
, de enim fratres noſtri ab Apoſtolica Sede di-
, recti, qui vice noſtra Synodo præſidebant,
, probabiliter atque conſtanter illicitis auſibus
, obſtiterunt, apertè reclamantes, ne contra
, ſtatuta Nicænæ Synodi præſumptio reprobæ
, nouitatis aſſurgeret, nec poteſt de eorum
, contradictione dubitari, de quibus in epiſto-
, la tua etiam ipſe conquereris, quod conati-
, bus tuis voluerunt obuiare. In quo eos qui-
, dem multum mihi ſcribendo commendas:
, ſed reipſum, quod eis parere nolueris, dum
, illicita moliris, accuſas ſuperflue, non con-
, cedenda appetens, & inſalubriter contraria
, concupiſcens, quæ nullum vnquam potue-
, runt noſtrum obtinere cenſenſum. Abſit enim
, à conſcientia mea, vt tam praua cupiditas
, meis ſtudijs adiuuetur, ac nõ potius, & MEO,
, & omnium qui non alta ſapiunt, ſed humili-
, bus conſentiunt, opere ſubruatur.

, Sancti illi, & venerabiles Patres, qui in
, Vrbe Nicæa ſacrilego Arrio ſua cum impie-
, tate damnato, manſuras vſque in finem mun-
, di, leges Eccleſiaſticorum canonum condi-
, derunt, & apud nos in toto Orbe terrarum
, in ſuis Conſtitutionibus viuunt, & ſi quid
, vſquam aliter quam illi ſtatuerunt præſumi-
, tur, ſine cunctatione caſſatur: vt quæ ad per-
, petuam vnitatem generaliter inſtituta ſunt,
, nulla commutatione varientur, nec ad pri-
, uatum trahantur commodum, quæ ad bo-
, num ſunt commune præfixa, & manentibus
, terminis, quos conſtituerunt Patres, nemo
, in ius tendat alienum, ſed intra fines pro-
, prios atque legitimos, prout quis valuerit,
, in latitudine ſe charitatis exerceat, cuius ſa-
, tis vberes fructus Conſtantinopolitanus po-
, teſt Antiſtes acquirere, ſi magis humilitatis
, virtute utatur, quam ſi ſpiritu ambitionis in-
, fletur. Nec conuellantur prouincialium iura
, Primatuum, nec priuilegijs antiquitus inſti-
, tutis Metropolitani Antiſtites fraudentur.
, Nihil Alexandrinæ Sedi, eius, quam per San-
, ctum Marcum Euangeliſtam B. Petri diſci-
, pulum meruit, pereat dignitatis: nec Dio-
, ſcoro impietatis ſuæ pertinacia corruente,
, ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur
, alienis. Antiochena quoque Eccleſia in qua
, primum prædicante B. Petro Apoſtolo Chri-
, ſtianum nomen exortum eſt, in paternæ con-
, ſtitutionis ordine perſeueret: & in gradu ter-
, tio collocata, numquam fiat inferior. Aliud
, enim ſunt Sedes, aliud præſidentes. *Hæc, &* Marciano
, *plura Anatolio, iſta Marciano, poſt alia.* Imp.

, His autẽ propter quæ tanta facta eſt cõgre-
, gatio Sacerdotum, bono, & optabili fine cõ-
, poſitis, miror & doleo, quod pacem vniuer-
, ſæ S. Eccleſiæ diuinitus reformatam, ambi-
, tionis rurſus ſpiritus inquietet. Quamuis
, enim neceſſarie ſibi Frater meus Anatolius
, conſuluiſſe videatur, & ordinatorum ſuorum
, errorem deſerens, in aſſenſum Catholicæ Fi-
, dei, ſalubri correctione tranſiret: cuſtodire
, tamen debuit, vt quod veſtro beneficio no-
, ſcitur conſecutus, nullius cupiditatis praui-
, tate turbaret. Nos enim veſtræ fidei, & in-
, teruentionis habentes intuitum, cum ſecun-
, dum ſuæ conſecrationis authores eius initia
, titubarent, benigniores quam iuſtiores circa
, ipſum eſſe voluimus: quo perturbationes
, omnes, quod operante diabolo fuerant
, excitatæ, adhibitis remedijs liniremus, quæ
, illum modeſtum magis quam immoderatum
, facere debuere, qui etiamſi præcipuis meri-
, tis optimoque iudicio legitimè fuiſſet ac ſo-
, lemniter ordinatus, contra reuerentiam ta-
, men canonum paternorum contra S. Spiritus
, inſtituta, contra antiquitatis exempla, nul-
, lis poſſet ſuffragijs adiuuari, apud Chriſtia-
, num vereque religioſum, & vere Orthodo-
, xum Principem loquor. Multum Anatolius
, Epiſcopus proprio detrahit merito, ſi illici-
, to creſcere optat augmento. Habeat, (ſicut
, optamus) Conſtantinopolitana Ciuitas glo-
, riam ſuam, ac protegente dextera Dei, diu-
, turno clementiæ veſtræ fruatur imperio: alia
, tamen ratio eſt rerum ſæcularium, alia diui-
, narum; nec præter illam petram, quam Do-
, minus in fundamento poſuit, ſtabilis erit
, vlla conſtructio. Propria perdit, qui inde-
, bita concupiſcit. Satis ſit prædicto, quod
, veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu,
, Epiſcopatum tantæ Vrbis obtinuit. Non
, dedignetur Regiam Ciuitatem quam Apo-
, ſtolicam non poteſt facere Sedem: nec vllo
, ſperet modo, quod per aliorum poſſit offen-
, ſiones augeri. Priuilegia enim Eccleſiarum,
, ſanctorum Patrum Canonibus inſtituto, &
vene-

, venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nul-
, la poſſunt improbitate conuelli, nulla nouita-
, te mutari. In quo opere, auxiliante Chri-
, ſto, fideliter exequendo, neceſſe eſt me per-
, ſeuerantem exhibere famulatum quoniam
, diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum ten-
, dit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctio-
, num, quæ in Synodo Nicæna, ad totius Ec-
, cleſiæ regimen, ſpiritu Dei inſtruente ſunt
, conditæ, me (quod abſit) conniuente, vio-
, lentur; & maior ſit apud me vnius fratris vo-
, luntas, quam vniuerſæ domus Domini com-
, munis vtilitas. Et ideo ſciens glorioſam cle-
, mentiam veſtram Eccleſiaſticæ ſtudere con-
, cordiæ, & his quæ pacificæ congruunt veri-
, tati piiſſimum præſtare conſenſum, precor,
, & ſedula ſuggeſtione vos obſecro, agite quod
, & Chriſtianæ pietatis eſt, & Regiæ, vt præ-
, dictus Epiſcopus pareat patribus, conſulat
, paci, neque ſibi æſtimet licuiſſe, quod An-
, tiochena Eccleſia, ſine vllo exemplo, contra
, ſtatutum canonum, Epiſcopum ordinare
, præſumpſit; quod nos amore reparandæ fi-
, dei, & pacis ſtudio, retractare ceſſauimus.

Iſta, & alia complura, vnus Leo, contra duorum Oecumenicorum Conciliorum decreta, nihil curans duorum Imperatorum deſideria, in controuerſia Anatolij decernebat, & ſcribebat: cum ipſa æquitas cauſam ad eius ſubſellia detuliſſet. Non minus cauſam S. Flauiani Conſtantinopolitani Patriarchæ, Leo iudicauit. Dioſcorus Alexandrinus in latrocinio Epheſino hominem depoſuerat, inque eius locum Anatolium ſuffecerat. S. Flauianus porro, primo viua voce, deinde etiam ſcripto libello Sedem Apoſtolicam appellauit, & in eadem prouocatione conſtantiſſime perſeuerans, martyrij coronam promeruit, vt Patres Concilij Chalcedonen. conteſtantur, ac vniuerſi Græci feſtum S. Flauiani martyris memoriam concelebrant. Hanc quam adiungo, Celidonius ex Gallijs Epiſcopus, appellationem eidem Leoni repræſentauit. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, virum dignitate exuerat: is porro Rom. Pont. iudicium interpellaturus Romam conceſſerat: Leo Hilarium ad cauſam dicendam euocauit, venientem audiuit, & in clam abeuntem ſententiam tulit, occaſione cuius Valentinianus Imperat. reſcripſit.

[Margin: Cauſa S. Flauiani Conſt. à Leone iudicata. — Conc. Chal. act. 3. & 4.]

[Margin: Reſcriptum Valent. Imp. occaſione ſententiæ in Hilar. Arelat. latæ. — Nouell. Valentinian. 24. de Epiſc. ordinat.]

Cum Sedis Apoſtolicæ Primatum, Sancti Petri meritum, qui Princeps eſt Epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas Ciuitatis, Sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem Sedis iſtius inlicitum præſumptio attentare nitatur, neue leuis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo, minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum prouinciarum, contra conſuetudinem veterem liceat, ſine viri venerabilis Papæ Vrbis æternæ, auctoritate tentare: ſed illis, omnibuſque pro lege ſit, quicquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas: ita vt quiſquis Epiſcoporum ad iudicium Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, per Moderatores eiuſdem prouinciæ adeſſe cogatur: per omnia ſeruatis, quæ diui Parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt.

Fortè ad iſtud Valentinianeę pietatis argumentum reſpectu, Hiſpaniarum, & Galliarum Epiſcopi plurimi, aduerſus quoſdam, qui viuentes, ſucceſſores ſibi in Cathedra Epiſcopali ſubrogabant, ad Hilarum Papam prouocantes, eidem ſcribebant: *Etſi nulla dictaret neceſſitas Eccleſiaſticæ diſciplinæ: expetendum nobis reuera fuerat illud priuilegium Sedis veſtræ, quo ſuſceptis Regni cæleſtis clauibus poſt reſurrectionem Saluatoris, per totum Orbem Beatiſſimi Petri ſingularis prædicatio vniuerſorum illuminationi proſpexit: cuius Vicarij Principatus, ſicut eminet, ita metuendus eſt ab omnibus, & amandus. Proinde nos Deum in vobis primitus adorantes, cui ſine querela ſeruitis, ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam, inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totam deliberatione præcipitur.* Huius integritas conſcius Theodoretus Cypri Epiſcopus, à Dioſcoro Alexandrino Patriarcha damnatus, ad Leonem Papam prouocans ſcripſit: *ego autem Apoſtolicæ veſtræ Sedis expecto ſententiam, & iuſtum veſtrum appello iudicium, Ante omnia rogo, vt ſciam à vobis, an in hac iniuſta depoſitione me oporteat acquieſcere, an non.* Eiuſdem integritatis conſcius, & *Ioannes Talaia* Alexandrinus Epiſcopus, ab Acacio Conſtantinopolitano inique damnatus, *communicato cum Calendione Antiocheno Patriarcha conſilio, Romanum Pontificem Simplicium appellauit.* Simplicio Felix ſuccedens, Acatium abdicauit, atq; ad Zenonem Imperatorem miſit, *vt Acacius Romam aliquos mitteret, cum Ioanne, in iudicio, ſi quam haberet actionem experturus, aut cauſam dicturus.* Acacio, Euphemius, in Sede Conſtantinopolitana ſuccedens, tentabat nonnihil iura Eccleſiæ Romanæ conuellere.

[Margin: Hiſt. Eccl. an no 465. — Liberatus in Breuiar. c. 18. — Niceph. lib. 16 cap. 16.]

Cæterum Gelaſius conſtantiſſime ſe oppoſuit, & ex Concilij Romani ſententia, Fauſto fungenti legationis officio Conſtantinopoli, inter reliqua Commonitorij ſcripſit, qui tumenti Euphemio in mentem reuocaret: *Appellationes totius Eccleſiæ ad huius Sedis examen Canones voluere deferri, ſententiamque illius conſtituerunt non oportere diſſolui, cuius potius decreta ſequenda mandarunt.* Horum Canonum non ignarus Iuſtinianus Imperator, Ioanni Romano Pontifici, omnia, & ipſe, & ab omnibus Eccleſiaſticis voluit deferri, dataque epiſtola teſtatus eſt.

[Margin: Gelaſ. Pp. Euphem. Conſtant. noua molienti.]

Reddentes, ait, *honorem Apoſtolicæ Sedi, & veſtræ Sanctitati, (quod ſemper nobis in voto fuit, & eſt,) & vt decet, Patrem honorantes veſtram beatitudinem, omniaque quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinauimus ad notitiam deferre veſtræ Sanctitatis; quoniam ſemper nobis fuit magnum ſtudium, ſublimitatem veſtræ Apoſtolicæ Sedis, & ſtatum ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodire, qui hactenus obtinet, & incommote permanet nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes Sacerdotes vniuerſi Orientalis tractus, & ſubijcere, & vnire Sedi veſtræ Sanctitatis properauimus* & poſt. *Nec enim patimur quicquam quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ CAPVT eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum. Per omnia enim, properamus honorem, & authoritatem creſcere veſtræ Sedis.* Contra hæc Apoſtolicæ Sedis priuilegia, quod Ioannes Epiſcopus primæ Iuſtinianæ, iudicare auſus fuiſſet Thebanum Epiſcopum ad Sedem Apoſtolicam prouocantem, Sanctus Gregorius Papa, illum ſacra communione priuauit.

[Margin: Iuſtinian. Imp. omnia defert. Sed. Apoſt. — lib. 2. epiſt. 7.]

Pro-

Propter hoc Apoſtolicæ Sedis priuilegiũ, Macarius Patriarcha Antiochenus quamquam hæreticus, in ſexta Synodo damnatus, ad Agathonem Romanum Pontificem appellauit: Synodus vero illum, & diſcipulos depoſitos, probationi Sanctiſſimi Papæ dedit, Romamq; ad iudicium ire iuſſit. Quod cum aliquando Gallorum Epiſcopis graue videretur, ſi deberent euocati Romam concedere, apud Nicolaum I. non quidem in dubium, ius appellationum reuocarunt, ſed vt in Synodis Epiſcopalibus cauſæ Epiſcoporum ex authoritate Apoſtolicæ Sedis decernerentur, poſtularunt. Cæterum Nicolaus ſcripta grauiſſima ad eos epiſtola, multis grauiſſimis auctoritatibus, & rationibus confirmauit, maiora omnia negotia, & in his cauſas Epiſcoporum, ad Sedem Apoſtolicam, ex inſtituto Chriſti debere deferri: adeoque neminem poſſe Romano Pontifici præſcribere, quin is pro arbitrio ſuo vel Romam euocet ad cauſam dicendam, vel Legatum vnum aut alterum mittat, vel alicui aut aliquibus circumuicinis committat.

ann. 681.

Cauſæ Epiſcoporũ ad Sed. Apoſt. ex inſtituto Chriſti deferri debent *ep. 42.*

Nõ Doctus à Gallis Henr. Rex Germaniæ, peius aliquid ſuo malo tentauit. Cum enim in eius aula communis eſſet Epiſcopatuum, & Abbatiarum nundinatio, atque Nicolaitarum, Simonianorumque hæreſis erectis vexillis volitaret, necnon beneficia Eccleſiaſtica in præmium ſcortationum ab eo indignis darentur, inuenis Rex in peius apoſtaſiæ crimen impetu furibundo ruens, Synodo Erphisfurdiæ celebrata, ſub pœna capitis, & bonorum amiſſionis, appellationem ad Sedem Apoſtolicam prohibuit. Cæterum Gregorius VII. pro iuribus Eccleſiæ Romanæ, Zelo Eliæ inflammatus, aduerſus apoſtatam Regem ſurrexit: & Epiſcopos quidem qui nefario conatui ſubſcripſerant, dignitatibus, & vſu bonorum multauit, Henricum autem anathemate percuſſit, & Regia maieſtate imminuit: donec pænitudine ductus, impios auſus contra Eccleſiam deponeret.

Henr. Rex Germ. quod appellationem ad Sed. Ap. prohiberet excommunicatus. *lib. 3. ep. 6. & Act. Concil. Rom. ſub Greg. 7.*

Henricus Rex Angliæ, propter violatas Regni conſuetudines à Sede Apoſtolica metuens, Thoma Canthuarien. Epiſcopo necquicquam contradicente, paria tentauit, & ſe vltimum iudicem controuerſiarum Eccleſiaſticarum ſtatuere auſus fuit, cæterum cum vehementius ab eodem Thoma cenſuris Eccleſiaſticis premeretur, ſuadentibus Lexouienſi, & Sagienſi Epiſcopis, ad illud ipſum appellationis remedium confugere coactus, vtrumq; ad Thomam deſtinauit; vt appellatione interpoſita, ſententiam eius ſuſpenderent.

Henr. Rex Angl. appellationes prohibens appellare cogitur. *hiſt. Eccl. anno 1167. & 1168.*

Willelmus cognomento malus, Rex Siciliæ grauius aliquid molitus, cũ Hadrian. IV. Beneuenti obſediſſet, oppreſſiſſetque, ab eo per vim extorſit, vt in Sicilia non eſſet ius appellationis ad Sed. Apoſt. nec Legati ab eadem Sede mitterentur, niſi ad petitionem Regis, hæredumque ipſius. Cæterum, & per vim extorta nulla nituntur firmitate, & Hadrianus non potuerat priuilegijs Sedis renunciare, & per metum atque violentiam extorta, Innoc. III. nouis pactis, honeſtioribuſque conditionibus interpoſitis, omnia aboleuit: vt Siculis nulla poſſit eſſe ratio, iudicium Apoſtolicæ Sedis ſubterfugiendi, aut abominationem deſolationis in Eccleſia Dei monarchiæ Siculæ collocandi, aut prætextu illius præuaricandi. In cuius mentionem poſtquam incidimus, non abs re fuerit à fundamentis eam oſtendere atque conuellere.

anno 1156. Innoc. III. priuileg. de non appellando ad Sed Ap. à Rege Sicil. ab Hadriã. IV. per vim extortum aboletᵣ.

Cum Rogerius Comitem Siciliæ, in negotijs Eccleſiaſticis exequendis zelo diuini ardoris feruere, cognoſceret Vrban. Pp. reuocato, ex Sicilia Roberto Epiſcopo Tranenſi Sedis Apoſtolicæ Legato, quem inconſulto Rogerio Comite in Sicilia ad exequendum ius S. R. E. poſuerat, fertur legationem B. Petri ſuper Comitem per totam Siciliam, vel habendam hæreditaliter poſuiſſe; ea diſcretione, vt dum ipſe Comes aduixiſſet; vel aliquis hæredum ſuorum zeli paterni Eccleſiaſt. executor ſuperſtes fuiſſet; legatus alius à Rom. Sede de ipſis inuitis nullus ſuperponeretur. Sed ſi qua Romana Eccleſia iuris exequenda fuerint Chartularijs à Romana Sede in Siciliam, vel Calabriam directis, per ipſos conſilio Epiſcoporum earundem Prouinciæ authentice definiantur. Quod ſi Epiſcopi ad Concilium inuitati fuerint; quomodo, & quos ipſi Comiti, vel ſuis futuris hæredibus viſum fuerit, illuc dirigant niſi forte de aliquo ipſorum in Conciliũ agendum ſit in Sicilia, vel Calabria, vt in præſentia ſua authentice definiri nequiuerit, ſcilicet tum poſſe illos ad Sed. Apoſtol. euocari, vel prouocare. Huius conceſſionis dediſſe fertur Vrbanus Diploma Comiti Rogerio quod à male fidei Faſello Siculo, vitiatum, circumciſum, & in rem politicorum, in damnum videlicet, & opprobrium Eccleſiæ vniuerſæ ab eodem deprauatum, typis vulgatum eſt ſcilicet vt in ipſum quoque tortorem, & circumciſorem diplomatum perpetuo dicatur. *Sicut nouacula acuta feciſti dolum.* His ipſis verbis Fazellus vulgauit, quæ ſequuntur.

Oſtenditur à fundamẽtis Monarch. Sicil. atque conuellitur.

Fazellus Siculus impius monarchiæ Siculæ Architectus.

VRBANVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Cariſſimo Filio Rogerio Comiti Calabriæ, & Suiliæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

, QVia prudentiam tuam ſupernæ Maie-
, ſtatis dignatio multis triumphis, &
, honoribus exaltauit, & probitas tua in Sara-
, cenorum finibus Eccleſiã Dei plurimum di-
, latauit, ſanctæque Sedis Apoſtolicæ deuotã ſe
, multimode ſemper exhibuit. Nos in ſpecia-
, lem, atque chariſſimum filium eiuſdem vni-
, uerſalis Eccleſiæ te aſſumpſimus. Id circo de
, tuæ probitatis ſinceritate plurimum confi-
, dentes; ſicut verbis promiſimus, ita literarum
, authoritate firmamus: Quod enim vitæ tuæ
, tempore, vel filij tui Simonis, vel alterius,
, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in
, terra poteſtatis veſtræ præter voluntatem,
, aut conſilium veſtrum, legatum R. E. ſtatue-
, mus. Quinimo, quæ per legatos acturi ſumus,
, per veſtram induſtriam legati vices exhibere
, volumus, quando ad vos, ex latere noſtro
, miſerimus ad ſalutem vidlicet Eccleſiarum,
, quod ſub veſtra poteſtate exiſtunt, ad hono-
, rem Beati Petri, ſanctæque eius Apoſtolicæ
, Sedis, cui deuotè hactenus obediſti, quamque in neceſſitatibus ſuis ſtrenuè, & fideli-
, ter adiuuiſti. Si verò celebrabitur Concilium,
, & tibi mandauero quatenus Epiſcopi, & Abbates

Prætenſum Vrbani Pp. diploma Rogerio Calab. & Sicil. Comiti ex quo quidam monarch. Sicul. ædificare volunt.

, bates tuæ terræ mihi mittas; quos, & quot, volueris, mittas; alios verò ad ſeruitium Eccleſiarum, & ad tutelam retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito ſuo dirigat, & te à peccatis abſolutum in æternam, vitam perducat. Datum Salerni per manus Ioannis S. R. E. Diaconi, tertio nonas Iulij, Indictionis 7. anno Pontificatus noſtri 11. Hactenus diploma, à Fazello non ita pridem, & primum à Ioanne Luca Barberio dicto pariter Siculo anno Domini 1513. editum ad ædificationem nimirum Hiericho ſcilicet Monarchiæ Siculæ, ſeu potius abominationis illius deſolationis famoſæ, præeuntis Antichriſto. Tantùm enim abeſt, vt ex eo diplomate Pontif. iuriſdictio ſecularibus Principibus eo modo, quo Fazellus Monarchiæ Architectus tribuebat, concedatur, vt potius nihil concedatur.

Rationes quib. monarch. Sicul. ex iſto diplomate cōſtructio deſtruitur.

Primò enim nuſpiam poteſt oſtendi autographum diplomatis, quod Fazellus præferebat. 2. id quidquid habet authoritatis à Gaufrido huius temporis hiſtorico, qui eius meminit, totum iam amiſit, propterea quia deprauatum, circumciſum, & non ex fide Gaufridianæ hiſtoriæ efformatum, vt ex collatione euidens eſt. 3. quia idem priuilegium à Ferdinando Rege exploſum eſt, tunc temporis quando Lucæ Barberij fides à quamplurimis coram Ferdinando poſtulabatur, vt ſcilicet demouſtraret: vnde iſtud diploma deſumpſiſſet, neque vnquam oſtendere prototypum potuiſſet. 4. quia fides diplomatis ex ipſa litterarum data vacillat, nam Vrbanus Pontifex ſui toto ann. 11. qui ſequitur, non Salerni, ſed Romæ morabatur, atque Concilium celebrabat. 5. quia ipſum illud diploma ex fide Gaufridi redintegrarum, nihil iuuat Monarchiam, quam Fazellus mali Architectus extruebat. Nam illud quemadmodum affertur, priuilegium perſonale eſt, & in Simone filio Rogeri: finem accepit, Monarchicum autem Imperium in omnes ſucceſſores in Regno Siciliæ Reges, Fazellus male ſanus extendit, qui eos omnes Sedis Apoſtolicæ Legatos natos eſſe falſo contendit. Deinde per illud ipſum quemadmodum affertur, Rogerio, & Simoni tantum indulgetur, qui non ſine conſilio, & voluntate illius legatum in Siciliam deſtinaret; & ſi quid per legatum tranſigeret, illud Rogerius, vel Simon, poteſtate Vicelegati ſcilicet in cauſa manifeſti erroris, vel ſcandali, vel turbationis Regni emendaret. Monarchiæ autem profanus Architectus, aſſerit omnes Reges Siciliæ omnia, quæ ſunt legatorum à latere efficere, alioſque cum eadem authoritate ſubſtituere poſſe, nimirum vt iudicent, & puniant, abſoluant, & excommunicent, quos velint Laicos, Monacos, Clericos, etiam Eccleſiaſtica dignitate Prælatos, Abbates, Epiſcopos, Archiepiſcopos, & S. R. E. Cardinales in Sicilia degentes.

Deinde diploma illud vt eſt circumciſum, diſponit tantùm, vt eos Epiſcopos, quos, & quot velit, Rex ad Concilium mittat; Monarchiæ autem politicæ aſſertor, nullos vult poſſe à Sede Apoſtolica euocari; quinimo, neque ad Sedem Apoſtolicam poſſe quemcumque appellare; neque Sedem Apoſtolicam poſſe omnino Nuncium mittere, neque iudicium de quacumque cauſa, vel perſona inſtituere; ſed Regem Siciliæ eſſe ſupremum in ſpiritualibus Iudicem, neque ipſum Apoſtolicam Sedem recognoſcere, & habere ſuperiorem, in cognitione, & difinitione quarumcumque cauſarum; quod Vrbanus non concedit: quinimò ex relatione Gaufridiana, totum oppoſitum ſibi, & Sedi Apoſtolicę reſeruauit. Et ſi conceſſiſſet, neque reſeruaſſet, id, quod non conceſsit, & quod reſeruauit, reponimus pſeudopolitico illud, quod Deſiderius, quia poſtea Victoris III. nomen in Pontif. obtinuit, vigore ſacerdotali in Henrico Imperatore iura Eccleſię inuadentem dixit. *Sedes Apoſtolica domina eſt noſtra, non ancilla, nec alicubi ſubdita, ſed omnibus prælata: & ideò nulla omninò ratione ſub iugum à quoquam mitti poteſt. Quod ſi à Nicolao Papa factum eſt ſcilicet vt Arbitrium expectaretur Imper. in electione Rom. Pont. quod falſo prætendebatur, & iuſtè profectò, & temerè præſumptum eſt: non tamen cuiuſque ſtultitia, vel temeritate amittit Eccl. dignitatem ſuam.* Reponimus, & illud, quod S. Nicolaus Papa I. Henrico Archiepiſcopo Turonen, reſcripſit, dum agit de priuilegio ab Apoſtolica Sede conceſſo Remenſi Eccleſiæ, quo eius Archiepiſcopus Hincmarus contra ipſam abuteretur: *Sic Apoſtolicæ Sedis aliena iura cuſtodit, vt ſua non minuat, ſic honorem debitum dat, vt ſuum non tribuat alienis. Nam, & arma illa à nobis collata, ita volumus, vt pro eo ſint valida, vt potius pro nobis, vbi neceſſe eſt, non contra nos firmitatem obtiueant*, & idem ad Carolum Francorum Regem, de appellationibus ad Apoſtolicam Sedem, *Priuilegia namque Romanæ Eccleſiæ totius, ſunt Chriſti (vt ita dicamus) remedia Eccleſiæ Catholicæ: Priuilegia*, inquam, *Petri arma ſunt contra omnes impetus prauitatum, & munimenta, & documenta Domini ſacerdotum, & omnium prorſus, qui in ſublimitate conſiſtunt, imò exactorum, qui ab eiſdem poteſtatibus afficiuntur incommodis*. Hæc, & alia Nicolaus Papa pro iuribus Eccleſiæ. Tantum autem abeſt, vt Vrbanus Papa ſe poteſtate cognoſcendi cauſas per appellationem ad Sedem Apoſtolicam deuoluras priuauerit, vt eandem omninò ex Gaufredi recognitione reſeruauerit. Tantum quoque abeſt, vt ſuccedanei Reges Catholici, iſtud priuilegium, ad eum modum, quo Fazellus, detorſerint, vt potius illud aliqui vt vitiatum exploſerint, aliqui vt nihil Monarchiæ Antichriſtianæ conferens, ſilentio, ſepelierint. Tantùm inſuper abeſt, vt ſucceſſores Vrbani Papæ, quicquam iurium Sedis Apoſtolicæ in Regno Siciliæ tam citra, quàm vltra Pharum imminuerint, vt potius illa & conſeruare, & vindicare modis omnibus curauerint.

Poſito quod Vrbanus cōceſſiſſet iuribus Eccleſiæ non præiudicaſſet.

Sanè, cum Petrus Leonis contra Innocentiū ſecundùm in ſchiſmate electus, & Anacleti Pſeudopapæ nomen aſſecutus, per ſeculares Principes, quos turpiter demerebatur, Pontificatum ſibi ſtabilire voluiſſet, & Rogerio, huius Rogerij filio Duci Apuliæ coronam tribuiſſet, & per priuilegium (ſi priuilegium meretur dici) Capuanum Principatum, & Ducatum Neapolitanum, cum Apulia, & Calabria, & Sicilia illi confirmans, Regem conſtituiſſet; præcepiſſetque vt Epiſcopi, & Abbates, qui in ſuæ ditionis ſolo manebant, ei obtemperarent: tam Patres, quàm Pontifices ſuccedentes, tum contra Pſeudopapam Anacletum, tum contra priuilegium ſi priuilegium

exor-

exortum, pari conſenſu, & conſtantia Apoſtolica pro iuribus Sedis Apoſtolicæ in Regno Siciliæ conſeruandis, & ab iniuria vindicandis decertarunt. Nam Hadrianus IV. Romanus Pontifex Wilhelmo Rogerij filio, & Innocentius III. ad inſtar Hadriani anteceſſoris Conſtantiæ Imperatrici Reginæ Siciliæ, ac Friderico Regi Siciliæ, eorumque hæredibus in perpetuum, cùm inueſtituram Regni Siciliæ concederent, in feudum illud regnum concedentes, fidelitatemque, & obedientiam erga Romanam Eccleſiam ab eiſdem Regibus exigentes, & conceſſum ſibi reſeruantes, & electiones, vt canonicè fierent decernentes, non ſe iure Primatus etiam Iudicij exuebant; quin potius in eodem Regno Siciliæ, quod impiè Fazellus Sedi Apoſtolicæ ſubducit, ſumma cura iura ſua conſeruabant.

Hadr. IV. & Innoc. III. inueſtiturã Regni Sicil. in perpetuũ concedentes iura Sed. Apoſt. ſumma cura conſeruarunt.

Planè Fridericus Romanorum Rex, & Siciliæ omnem obedientiam honorificentiam, atque reuerentiam Innocentio III. ſpopondit, & electiones canonicè celebrari, & appellationes in negotijs, & cauſis Eccleſiaſticis ad Sedẽ Apoſtolicam liberè itidem fieri, & à nemine proceſſum earum impediri, aliaſque conditiones in pactis expreſſas, vnà cum reliquis capitularibus conditionibus pro iuribus Eccleſiæ iurauit. Contra quod iuramentum, cùm poſtea peieraſſet, Gregorius IX. & poſtea Innocentius IV. Pontifices, haberunt iſtud periurium, & iniuriam Eccleſiæ Romanæ factam anathematis vinculo in Fridericum exerto vindicare. Pari acrimonia, Conradus, atque Manfredus ob iura Eccleſiaſtica violata correpti fuere ab alijs Põtificibus, cupidis ius ſuũ in Regno Siciliæ inuiolatum eſſe. Planè etiam Eadmundus, filius Willelmi Regis Siciliæ viuenti adhuc Manfredo tyranno Siciliæ non alijs conditionibus primum ab Innocentio IV. deinde ab Alexandro IV. inueſtituram feudalem in Regnum Siciliæ obtinuit, & accepit, quam ſaluatis iuribus Eccleſiæ Romanæ. Plane inſuper Carolus Andegauenſis Comes S. Ludouici Regis Francorum frater ex condicto homagio, in feudum accipiens Siciliæ Regnum, hæc infraſcripta iurauit Clementi Papæ IV.

Frid. Rom. & Sicil Rex omnem obedientiam Innoc. III. ſpõdet, & conditiones in pactis expreſſas pro iuribus Eccleſ. iurat.

Omnes inſuper Eccleſiæ, tam cathedrales, quam aliæ regulares, & ſæculares, nec non, & omnes prælati, & Clerici, & omnes perſonæ Eccleſiaſticæ, ſeculares, & religioſæ, ac quæcumque religionis loca cum omnibus bonis ſuis in electionibus, & omnibus alijs plena libertate gaudebunt. Nec ante electionem, ſiue electione, ſiue poſt Regius aſſenſus, vel conſilium aliquod requiretur. Quam vbique libertatem promitto ego, & mei in Regno hæredes ſemper manu tenebimus, & conſeruabimus, & manu teneri, & conſeruari faciemus ab omnibus ſubditis noſtris: & quod dictæ Eccleſiæ atque perſonæ vti poſſint libere omnibus bonis, & iuribus ſuis, ſaluo mihi, meiſque in Regno hæredibus iurepatronatus in Eccleſia in tantum quantum in hac parte patronis Eccleſiarum canonica inſtituta concedunt, vbi antiqui Reges Siciliæ huiuſmodi iuſpatronatus in ipſis Eccleſijs habuerunt. Omnes etiam cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, libere, & abſque vllo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram ordinarijs, & alijs Eccleſiaſticis iudicibus, & terminabuntur per eos, & ſi ad Sedem Apoſtolicam ſuper huiuſmodi cauſis appellari contigerit; tam appellantes, quam appellati ad eam venire Sedem pro appellationum perſecutionum libere, & abſque inhibitione aliqua permittantur, & promitto tàm me, quàm heredes meos futuros, curaturos, & permiſſuros, quod ſic agitari, tractari, & ventilari, ac terminari poſſint, & ſic quod poſſit appellari, & libere Romam; Sacramenta videlicet fidelitatis præſtabuntur ſecundum antiquam, & rationabilem conſuetudinem, pro vt canonica inſtituta permittunt, ab illis Eccleſiarum Prælatis, quorum prædeceſſores antiquis illa Siciliæ Regibus præſtiterunt.

Ab illis autem Prælatis, & Eccleſijs qui regalia, ſiue temporalia bona tenent, ſi qui tamen ſunt, qui huiuſmodi bona tenent à Domino regni, & alijs dominis temporalibus, & qui ratione huiuſmodi bonorum ab antiquo conſueuerunt Regibus, & ipſis dominis temporalibus ſeruitia exhibere, eiuſmodi honeſta, & antiqua ſeruitia eis ſecundum rationabilem, & antiquam conſuetudinem, prout ſtatuta patiuntur canonica, impendantur; ſalua ſemper circa Eccleſias Cathedrales, & alias regulares, ac loca Eccleſiaſtica tam in faciendis prouiſionibus, & electionibus confirmandis, quam in alijs quibuſcumque Romani Pont. & Eccleſiæ Rom. iuriſdictione, ac auctoritate plenaria, & libera poteſtate, Reuocabo quoq; omnes conſtitutiones ſeu leges per prædictum Frid. vel per Reges Siciliæ ſiue per Corradum ipſius Friderici filium, aut Manfredum quondam Principem Tarentinum, qui de facto regnum ipſum detinuit occupatum, editas contra Eccleſiaſt. libertatem, nec ſtatuta, nec conſtitutiones aliquas edam, aut etiam promulgabo per quæ iuri, vel libertati Eccleſiaſt. derogetur. Promitto etiam quod tam ego, quam mei hæredes, non patiemur quod aliquis Clericus, vel perſona Eccleſiaſtica eorundem regni, & terræ in ciuili, vel criminali cauſa conueniatur coram Iudice ſæculari, niſi ſuper feudis iudicio petitorio conueniatur ciuiliter: ita quod omnes Eccleſias, ac perſonæ Eccleſiaſticæ erunt omnino liberæ, & etiam in nullo, Regi, vel Principi ſubiacebunt. Et quod nullas tallias, vel collectas imponemus Eccleſijs Monaſticis Clericis, & iuris Eccleſiaſticis, vel rebus eorum, & quod in Eccleſijs vacantibus nos vel noſtri in Regno meo hæredes nulla habebimus regalia, nulloſque fructus, redditus, & Prouentus, nullas etiam obuentiones, ac nulla prorſus alia percipiemus, ex ijſdem, cuſtodia earundem Eccleſiarum interim libera remanente penes perſonas Eccleſiaſticas iuxta canonicas ſanctiones.

Hæc Carolus Andaganenſis, Rex Siciliæ pro viribus Eccleſiæ in pactis feudalibus. Totidem verbis eadem promiſit Carolus Secundus Rex Siciliæ, Nicolao Papæ Quarto, & Bõnifacio Octauo, quæ illi Clementi Quarto: adiuncta abrogatione illatum legum tyrannorum, contra libertatem Eccleſiaſticam ſancitarum. Iiſdem etiam verbis primum Clementi Quinto deinde Benedicto Duodecimo Pon-

tificibus Romanis, Robertus Caroli Nepos Rex vtriuſque Siciliæ cum feudalem inueſtituram ſuſciperet, immunitatem, & iura Eccleſiaſtica, iuramento, & bulla aurea edita roborauit S. Eccleſiæ Romanæ. Ioanna primum à Clemente Sexto, deinde à Gregorio Vndecimo hiſce conditionibus, quibus Carolus vterque, & Robertus Regnum Siciliæ aſſecuta fuit, quibus conditionibus cum Petrus Aragonius cæſis Francis, & Sicilia occupata nollet ſtare, neque homagij iuramentum Sedi Apoſtolicæ præſtare à Martino Papa IV. excommunicationis gladio percuſſus eſt Regnumque Siciliæ interdicto ſuppoſitum erat, ab eodem Gregorio Papa XI.

Petrus Aragonius cõditionib. ſtare recuſans excomm. & Regnum interdicto ſupponitur.

Fridericus etiam II. propterea anathemate conſtrictus eſt, quod iura Eccleſiæ imminuta eſſe vellet. Fridericus autem Tertius non alio modo Regnum illud obtinuit, quam iureiurando de bonis Eccleſiaſticorum reſtituendis, omnibuſque priuilegijs à iure conceſſis conſeruandis: de tuendo electionum, & nominationum iure, ac libertate, ſine vlla regij conſenſus neceſſitate: de cauſis Clericorum, per Ordinarios, aut Pontificis Delegatos terminandis, appellationibuſque ad Sedem Apoſtolicam non inhibendis: de reuocandis ſtatutis, & legibus quę editæ eſſent contra Eccleſiaſticam libertatem, aliiſque in poſterum non faciendis. Alphonſus tandem ab Eugenio IV. vtramque Siciliam conſecutus eſt, iſto iure quod iurauit hiſce verbis.

Frideric. II. anathemate conſtrictus.

Qnibus conditionibus Frid. III. Regnum obtinuerit.

Primi Alphonſi Iuramentum ad conſequen. ab Eug. IV. Regn. vtriuſque Sicil. inueſtiturā.

, Ego Alphonſus Dei gratia Rex Siciliæ plenum homagium ligium, & vaſſallagium faciens vobis Domino meo Eugenio Papæ IV. & Eccleſiæ Romanæ pro Regno Siciliæ, & tota terra ipſius, quæ eſt citra Pharum, vſque ad confinium terrarum, ipſius Eccleſiæ, excepta Ciuitate Beneuentana cum toto Territorio, ac omnibus diſtrictibus ac pertinentijs ſuis, ſecundum antiquos fines Territorij pertinentiarum, & diſtrictus Ciuitatis eiuſdem, per Romanum Pontificem diſtinctos, vel in poſterum diſtinguendos; ab hac hora vt antea fidelis, & obediens eſt B. Petro, & vobis Domino meo, Domino Eugenio Papæ Quarto, veſtriſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ. Non ero in conſilio vel conſenſu, ſeu facto, vt vitam perdatis, ſeu perdant, aut membrum, ſiue capiamini vel capiantur mala captione. Conſilium, quod mihi credituri eſtis per vos, aut Nuntios veſtros, vel per literas, ad veſtrum, vel eorum damnum ſcienter nemini pandam. Et ſi ſciuero fieri, aut procurari, ſeu tractari aliquid, quod ſit in veſtrum aut ipſorum damnum, illud pro poſſe impediam. Et ſi hoc impedire non poſſum, illud vobis, vel eis ſignificare curabo. Papatum Romanum, Regalia Sancti Petri tam in Regno Siciliæ, & terra prædictis, quam alibi conſiſtentia adiutor vobis, & eis ero ad retinendum, defendendum, & recuperandum, ac recuperata manutenendum contra omnes homines.

, Vniuerſas, & ſingulas conditiones ſupraſcriptas, & contentas in præſentibus literis Apoſtolicis, ſuper ipſarum Regni, & terræ conceſſione confectis, & omnia, & ſingula, quæ continentur in eiſdem literis, plenarie adimplebo, & nullo vnquam tempore veniam contra illa: & maxime quod ego nunquam per me, vel alium, ſeu alios quoque modo procurabo, vt eligar vel nominer in Regem, vel Imperatorem Romanorum, ſeu Regem Theutoniæ, aut Dominum Longobardiæ, vel Tuſciæ, ſeu maioris partis earundem, & ſi electionem de me celebrare contigerit, nullum huiuſmodi electioni, ſeu nominationi aſſenſum præſtabo, nec intromittam me modo aliquo de eorum vel alicuius ipſorum regimine, neque etiam de Ciuitate Beneuentana & ſuis pertinentijs, ſeu Campania, vel Maritima, Ducatu Spoletano, Marchia Anconitana, Patrimonio Beati Petri in Tuſcia, Maſſa Trebaria, Romandiola alma Vrbe, in Ciuitatibus Peruſcæa, Ciuitate Caſtelli, Bononienſi, Ferrarienſi, & Auenionenſi, Comitatu Venaſini, ſeu in alijs terris quibuſcumque veſtris & dominijs, ſeu Feudis ipſius Eccleſiæ vbilibet conſtitutis ex ſucceſſione vel legato, aut venditione, ſeu donatione, ſeu alio quouis titulo, vel cõtractu nihil vnquam mihi acquiram ſeu vendicabo; ſeu potero acquirere vel quomodolibet vendicare: & nihil vnquam recipiam, vel habebo, vel potero recipere, habere, vel retinere in illis: neque vllam poteſtariam, capitaniam, vel rectoriam, nullumq; aliud officium recipiam, ſeu recipere potero, habebo, vel retinebo, aut habere, vel retinere potero in eiſdem, aut in ipſorum aliquo; nec etiam occupabo, aut occupare permittam ſeu faciam præmiſſa, vel partem aliquam eorundem: nec illa offendam vel moleſtabo, nec etiam Romanam Eccleſiam quoquo modo ſub cenſuris pœniſque ſpiritualibus & temporalibus in ſupraſcriptis conditionibus & infeudationibus contentis, quas hic haberi volo in ſingulis partibus alias pro ſpecifice repetitis etiam, & expreſſis. Item perditionis Alumno Amodeo hæretico, & ſchiſmatico à fide deuio, & ab ipſa Eccleſia præciſo, & ſententialiter condemnato, eiuſque ſequacibus & dantibus ei auxilium, conſilium, vel fauorem non dabo quouis modo per me, ſeu alium, ſeu alios directe, vel indirecte, publice, vel occulte auxilium, conſilium vel fauorem: nec ab alijs quantum in me fuerit, ſi impedire potero, dari permittam, ſed eos iuxta poſſe meum donec conuertantur perſequar & inuadam. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia.

Hactenus iuramentum Alphonſi Primi, ad conſequendam Regni vtriuſque Siciliæ inueſtituram ab Eugenio Pontifice. Non ſine eiuſmodi iuramento tam Pius Secundus, quam Nicoleus Quintus, & Sixtus Quartus Ferdinando Alphonſi filio: & Iulius Secundus Ferdinando cognomento Catholico, vtriuſque Siciliæ feudalem inueſtituram conceſſerunt, ſcilicet dominio temporali, & iuriſdictione ſpirituali ibidem Sedi Apoſtolicæ conſeruatis: quam quidem iuriſdictionem, vt antiquiora tempora prætermittamus, Summi Pontifices in omnem Siciliam circa, & vltra Pharum exercuerunt, quicquid cum Fazello garriat aliquis Polycarpus, oſtendo.

Sub eod. Iuramento obtinuerunt Ferdin. Alphonſi fil. & Ferd. cognomin. Catholicus.

Quomodo diuerſi Põt. recentiores Iuriſdict. ſuam exercuerint in omnem Siciliam.

Innocentius III. Viſitatorem miſit Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, cum pleniſſima facultate omnia in vtraque Sicilia agendi: cuius rei extant datæ literæ Apoſtolicæ ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates & alios.

Innoc. III. diuerſos in Siciliam Legatos miſit.

Innoc. Regeſt. tom. 1. lib. 1. ep. 415. item miſit Legatum Presbyterum Cardinalem S. Laurentij in Luccina: vt apparet in 2. & 3. cap. ſub tit. de offic. deleg. extr. Item conſtituit Legatum Syracuſanum Epiſcopum: vt habet epiſt. 511. lib. 1. poſtea alia occaſinne miſit Legatum à latere Gerardnm Diaconnm Cardinalem S. Mariæ in Porticn e vt patet epiſt. 571. 572. lib. 1. Item miſit Legatos à latere Iulium Presbyterum Cardinalem tituli S. Stephani in Monte Cœlio, & Gerardum Cardinalem Diaconnm S. Adriani, lib. 1. epiſt. 573. Item cauſas ad Sedem Apoſtolicam idem Innocentins Tertius cognouit deuolutas, & definiuit lib. 1. ep. 180. 310. 576. & lib. 2. epiſt. 14. Item quinto anno Pontificatus ſui miſit Legatum in Siciliam R. Sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem & cum eo conſobrinum ſuum Iacobum Mareſcalium cum ampliſſima poteſtate, vt patet tertio tomo epiſt. Item anno ſeptimo miſit indidem Legatum I. Diaconum Cardinalem S. Hadriani, cui ſuas vices tribuit, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus datæ de his literæ incipiunt: *Egreſſus Sathan*, & lib. 7. & ad Regem Siciliæ Fridericnm, vt eiuſdem Legati monitis, & conſilijs acquieſcat, incipit epiſt. *Regiæ Eccleſiaſticæ literas &c.* & ad eundem Legatum literæ de optimo ſtatu Regni inſtituendo.

Cognouit cauſas ad Sedem Apoſt. deuolutas & definiuit.

Honorius III. Innocentij ſucceſſor Archimandritę Meſſanenſi priuilegia conceſſit ſaluis iuribus Eccleſiæ Romanæ lib. 1. ep. 43. an. 1226. Item Regem Fridericum per literas redarguit, quod ſe electionibus & iuribus Eccleſię immiſceat. cum ipſe Fridericus ſe nc id cogitaſſe facere excuſaſſet, lib. 3. epiſt. 527. & 531. Regis vero epiſt. 572. Idem legationem in Siciliam inſtituit pro ſubſidio Terræ Sanctæ anno 1. Pontificatus, epiſt. 104. & 359. aliam collectam indixit pro templarijs lib. 3. ep. 131. Item appellationes è Sicilia ad Sedem Apoſtolicam ſuſcepit epiſt. 600. dat. ad Epiſcopum Syracuſanum, qui tempore Innocentij ad Sedem Apoſtolicam prouocarat.

Honor III. Archimādr. Meſſan. priuilegia conceſſit ſaluis Iurib. Eccl.

Frid. Iurib. Eccl. ſe immiſcentem redarguit.

Legationem in Siciliam inſtituit.

Collectam pro templarijs indixit.

Appell. ad Sed. Apoſt. ſuſcepit.

Innocentius IV. poſt Gregorinm, & Cœleſtinum Papam anno 3. Pontificatus ſui miſit duos in Siciliam Legatos, nempe S. Presbyterum Cardinalem S. Mariæ Tranſtiberim, & R. Sanctæ Mariæ in Coſmedin, Diaconum Cardinalem conceſſa eiſdem ampliſſima facultate, & datis hac de re ad Archiepiſcopos Epiſcopos, Abbates, atque Barones eius Regni literis, quarum altera numeratur 11. altera 14. Idem Lugduno miſit in Siciliam Nuncios pro grauibus negotijs. Pont. anno &c. extant de his quatuor epiſt. in regiſtro.

Innoc. IV. poſt Greg. & Cęleſtio. Legatos & Nuntios in Sicil. miſit.

Bonifacius Papa Nonus mandabat Nuntio Sedis Apoſtolicæ in Regno Siciliæ, vt rebelles reſtitueret. Datum Romæ 4. Cal. Feb. Pontificatus anno 1. eidem concedebat facultatem abſoluendi excommunicatos, qui violentas manus iniecerant in Clericos. Dat. ſuper & colligendi decimas. Dat. 3. Kal. Februarij anno 1. & exigendi caritatiuum ſubſidium ab omnibns bona Eccleſiaſtica poſſidentibns pro ſupportandis Sedis Apoſtolicæ oneribns. Dat. ſuper, & diſpenſandi ſuper defectu natalium, & concedendi commeatum octo nauibus Alexandriam ſolnentibus. Idem anni 2. Pontificatus miſit in Siciliam Nicolaum de Summa Ripa ad componendas controuerſias eiuſdem Regni Siciliæ. Dat. 4. 9. Iulij ann. 4. Pont. Miſit Nuncium in Siciliam conceſſa ei poteſtate exigendi à Clero decem florenos aureos pro expenſis quotidianis. Dat. 4. Kal. Decemb. Idem Commiſſarios deputauit contra occupantes bona Eccleſiæ Panormitanæ, & bona Sedis Apoſtolicæ in Regno Siciliæ. Dat. Romæ Idibus Nouemb.

Bonifac. IX mandata diuer. ad Nūcium Sedis Apoſt. in Regno Sicil.

Nic. de Summa Ripa in Sic. miſſus.

Commiſſar. ab ipſo deputat. in Regno Sicil.

Clemens Papa VI. Guillelmum Epiſcopum Nazarenum deputauit Nuntium Apoſtolicæ Sedis, & Collectorem in Regno Siciliæ vltra Pharum, loco Theobaldi Archiepiſcopi Panormitani defuncti. Dat. Auenione 3. Kal. Februarij anno 1. Pontificatus. Innocentius Papa VI. commiſit Nuntio in Regno Siciliæ commoranti exactionem ſpoliorum Epiſcopi Agrigentini defuncti. Dat. 11. Kal. Februarij anno 4. Pontific. & Epiſcopo Catanenſi exactionem omnium ſpoliorum Siciliæ. Dat. 12. Kal. Martij eodem anno. Eiuſdem vero Innocentij Papæ VI. tempore, Nicolaus de Aragonia S.R.E. Cardinalis, Commentarium ſcripſit de iuriſdictione quadruplici demonſtrata Romanæ Eccleſiæ in Regnum Siciliæ, quod volumen extat in Bibliotheca Vaticana.

Clem. VI. deputat Nūciū Ap. Sed. & Collect. in Regno Sicil.

Commiſſiones eius ad diuerſos in Regno Sic.

Comment. Nic. de Aragon. S.R.E. Card.

Vrbanus V. miſit Nuntium, & Collectorem Decimarum in Siciliam vltra Pharum Dominicum de Saſſonorio Canonicum Beneuentanum. Dat. 16. Maij Pont. 6. anno Domini 1368.

Vrbanus V. Collectorē miſit.

Ioannes Papa XXIII. miſit in Siciliam Aragonem de Malaſpina reformatorem in rebus temporalibus, cui pro expenſis quotidie ſoluerentur à Clero illius Regni viginti quinque floreni. Conceſſitque eidem facultatem conferendi Canonicatus, & alia Eccleſiaſtica Beneficia. Datis Kalenda Nouembris Pontif. anno 2.

Reformat. à Io. XXIII. miſſus cum facult. conferendi Canonicatus.

Martinus V. Cypreſſum Balauetium deputauit in Sicilia Collectorem redditnum, & fructuum quorumcumque Cameræ Apoſtolicæ debitorum. Dat. Conſtantiæ 10. Kal. Octob. Pont. anno 1.

A Mart. V. Collector in Sicil. deput.

Paulus Papa III. Tobiam Pallauicinnm, & Lucam Iuſtinianum deputauit per totam Italiam, & Siciliam vtramque Collectores ſubſidij medietatis veri annui valoris omnium fructuum Beneficiorum Eccleſiaſticorum. Dat. vltimo Februarij anno 1543. Pontif. anno 9. Nihil itaque minus Romani Pontifices cogitarunt, quam vt ſe exuerent auctoritate in ſpiritualibus, & dominio in temporalibus eiuſdem Regni Siciliæ. Optarunt quidem tyranni Monarchiam exercere, Pontificemque Romanum excludere, ſed toties, quoties conati ſunt, toties anathemate percuſſi ſunt. Quod excommunicationem in diplomatibus ſuis apponerent eorum aliqui imprecationis vices erant, non iudiciariæ poteſtatis. Id enim more priſco plurimi ſolebant imprecari, etiam ſepulturis has formulas præſcribentes: *Si quis præſumpſerit hunc tumulum violare, erit anathematis vinculis innodatus*, vt legitur in Eccleſia S. Alexij, & in Eccleſia S. Gregorij ad Clinum Scauri: *Si quis hinc abſtulerit ſepulchrum ſit excommunicatus, & damnatus in infernum, & habeat partem cum Cain & Iuda traditore*, & alibi in ſepultura cuiuſdam Ioannis. *Nemo ſuum, nec alienum corpus ſuper me mittat, quod ſi hoc præſumpſerit ſit maledictus, & in perpetuum anathemate conſtrictus*. Quod vero Abbatem Panormi-

Paulus III. duos Collect. per tot. Italiam, & Sicil. deput.

Tyranni Pontificem a dominio Sicil. excludere volentes toties quoties anathemate percuſſi.

De excom. ſeu imprecatione quā aliqui Reges diplomatib. ſuis oppoſuere ſunt.

Refutatur Panormita in ſententia.

normitanum adducunt, aſſerentem; *licere Regi ex longa conſuetudine appellationes eorum, qui ad Sedem Apoſtolicam prouocant, impedire*, tanti valet huius in Schiſmate hæc ſcribentis authoritas, quantum nihil, licet & aliquando declarauerit quo ſenſu id ſcripſerit: nempe tempore ſchiſmatis, poſſe Regem eas appellationes impedire; tunc cum incertum eſt, quis electorum in ſchiſmate ſit verus Papa.

Act. 3.

Hæc de Monarchia Sicula, per tranſitum: Vnicum adhuc exemplum, de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſuero, quod à magnitudine ſua ipſum ſe ingerebat, ex actionibus VIII. Oecumenicæ Synodi in hunc locum. Photius Pſeudopatriarcha, Ignatium legitimum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Antiſtitem, ſede eiecerat. Porro hic ad Sedem Apoſtolicam prouocans, ſcribebat; *Ignatius tyrannide oppreſſus, multiſque ærumnis conflictatus, & qui mecum infelicia tempora experti ſunt, Metropolitani decem, & quindecim Epiſcopi, Cænobiarcharum ac Presbyterorum Monachorumque infinita multitudo, Sanctiſſimo Domino noſtro, & Beatiſſimo Præſidi, cunctarum Sedium Patriarchæ, Sancti Petri Principis Apoſtolorum Succeſſori Oecumenico, Papæ Nicolao, Epiſcopiſque illius Sanctiſſimis, & ſapientiſſimæ Eccleſiæ Romanæ vniuerſæ in Domino, ſalutem*, & poſt. *Poſtquam vero iuſſi ſumus, ad Caiphanum iſtud tribunal ſiſti, proclamauimus, à veſtra Sanctitate nos iudicandos*, & poſt. *Ego vero, inquam, non compareo; neque video vos iudices quidquam ex præſcripto Eccleſiæ agentes, Photio tyranno non eiecto, ad cuius etiam menſam accumbitis, & cuius munera procul etiam ſtantes accepiſtis: ad Rhædeſtum enim vrbem vobis miſſæ veſtes, planetæ, ornamenta ad ſinum pendentia, gremialia. Huiuſcemodi ego iudices non agnoſco; ad Papam prouoco: lubens iudicium illius ſubibo. Hoc idem qui mecum erant, magna voce clamitarunt. Deinde vt dictæ epiſtolæ legerentur, poſtulauimus, quæ Canonicas Innocentij Papæ pro Sancto Chryſoſtomo ſanctiones continebant, Ioanni Concilium iudicium non prius eſſe ſubeundum, quam is loco ſuo thronoque eſſet reſtitutus. Et in Sardicenſi Concilio Canon quartus: Si quis Epiſcopus fuerit depoſitus, dicatque ſe habere defenſionem, non prius ſufficiatur in eius locum alius, quam de eo Romanæ Eccleſiæ Pontifex decernat.*

VIII. Syn.

Ignat. Cõſt. Epiſc. à Photio Pſeudopatriarcha Sede eiectus ad Sedem Apoſt. prouocans hæc Nicol. PP. ſcribit.

Hæc & alia id genus multa, illis epiſtolis continebantur: quæ vti quæras, legaſque, te Patrum & Antiſtitum venerentiſſime, fratrumque amantiſſime rogamus. Concludebat: *Tu vero Sanctiſſime Domine, oſtende in me viſcera miſerationum, & cum magno Apoſtolo & ipſe dicas;* quis infirmatur, & ego non infirmor? *Intuere maiores tuos Patriarchas, Fabianum, inquam, Iulium, Innocentium, Leonem, & omnes denique, qui pro fide & veritate fideliter decertarunt: illoſque æmulare, & vindex pro nobis tam indigna paſſis exurge.* Hæc Ignatius Nicolao Pontifici Romano ſcribebat, qui quid in cauſa illius & Photij egerit, præſtat cognoſcere ex alia epiſtola, quam actione 3. Patres Octauæ Oecumenicæ Sinodi recitari iuſſerunt: *Ad artus humani corporis, plagis & vulneribus ſaucios curandos, medendi ars magnam medicorum copiam ſuppeditauit: in membris autem Chriſti Dei ac Saluatoris omnium Capitis, ac Sponſi Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, vnum tantum, ac ſolum ſelectum, ac vniuerſaliſſimum medicum, tuam nempe fraternam, paternamque ſanctitatem, Supremum & fortiſſimum Dei Verbum conſtituit, cum Petro Supremo Sanctiſſimoque Apoſtolorum vertici dixit:* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam *& rurſum:* Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quod ligaueris ſuper terram, ligatum erit in cœlis, & quod ſolueris, erit ſolutum.

Quid in cauſa Ignatij & Photij Nicolaus PP. egerit.

Huiuſcemodi enim beatas voces, non ſoli Apoſtolorum Principi, priuata quadam ſorte tranſcripſit & aſſignauit, ſed per ipſum ad omnes Romanæ Sedis Pontifices, illi ſucceſſuros tranſmiſit. Hinc retro, olimque ſemper, cum hæreſes & ſcelera pullularent: noxias illas herbas, & zizania, Apoſtolicæ Sedis Veſtræ ſucceſſores extirparunt. Et nunc tua Beatitudo, digne tractans acceptam à Chriſto poteſtatem, veritatis hoſtes fudit, & latronum more in Chriſti ouile per feneſtram aſcendentem, contraque Deum adeo ſe per arrogantiam ſurrigentem, vt etiam aduerſus Sacroſanctum & inculpatam tuam poteſtatem Synodum refingeret; & clanculum Regem per Legatos ſollicitaret, medica manu Sacroſanctæ & Apoſtolicæ authoritatis, à communi Eccleſiæ corpore præcidiſti: & nos ab illo per ſcelus oppreſſos, vt amantiſſimus frater, recte innocentes pronunciaſti, noſtræque nos Eccleſiæ per literas reſtituiſti. Nam diuinitus euectus Imperator noſter, vt fideliſſimus filius veſter, Tuæ Sanctitatis ſententiam & decretum executus, vtrumque, me inquam & Photium, pro æquitate cauſa tractauit. De quibus omnibus Deo votis rite perſolutis, virum religioſiſſimum Ioannem Sylæi Metropolitam miſimus, qui & noſtram cauſam tueatur, & ſimul rerum Eccleſiaſticarum deinceps adminiſtrandarum rationem, quæ Deo veſtræque ſapientiæ probabitur, accipiat. Etenim cum duplex ſit Sacrorum hominum conſecratio: aliorum quidem, qui à nobis initiati ſunt, quique pro nobis ſponte chirographa conſcripſerunt: aliorum vero, qui ab ſceleſtiſſimo & cruento cædibus Photio vel lubentes, vel coacti ſunt conſecrati: rogamus vt de his hominibus aliquid decernatur. Demum petimus, vt Veſtræ Sanctitatis Legati ad nos mittantur idonei, quibus cum Eccleſiæ noſtræ ſtatum bene & conuenienter diſponamus. Retro, olimque ſemper, Ignatius in hac epiſtola commemorabat. Nam vſu perpetuo, omnes Epiſcopi, ab his qui dominationem in Clero exercere ambiunt oppreſſi, ad hoc Supremum Romani Pontificis Tribunal prouocare à Chriſti inſtitutione edocti, non aliunde miſericordiam iuſtitiæ quærendam arbitrabantur, quam apud Iudicem Supremum omnium controuerſiarum æquitatis amantem.

S.D.N. Pauli V. cura in materia appellationũ. *lib. 3. de Conſid. cap. 2.*

Perennat iſtud priuilegij vſque ad hæc noſtra tempora; quibus PAVLVS QVINTVS, Eccleſiæ Catholicæ Antiſtes, curat, quod Bernardus monebat, *ne ius appellationum, quod magna ſois neceſſitate prouiſum, male vtendo reddatur inutile*. Proinde, cum in teſtimonium ſingularis eius Primatus, ad eum appelletur ex toto mundo; quærit, vt ſentiat oppreſſor, & non ſuperbiat impius vnde incenditur pauper: adeoque ad inuocationem eius oppreſſi effugiant, verſuti non refugiant: ne aut lætetur qui malum fecit, aut qui tulit inaniter fatigetur: ſed hic quidem miſerationem, ille indignationem iuſtiſſimam ſuſtineat; conſoletur ille damnorum reſarcita ſuorum, ſatisfactione iniuriarum, ſiue calumniarum: iſte pœ-

nitear

niteat feciſſe quod non timuit facere, neque amplius de pœnis innocentis rideat: cum illi formulam hanc iuſtitię præfigit diuinę incommutabilis ratio æquitatis, atque ipſa appellationum lex ab ipſo amata, vt *appellatio proſit innocenti, obſtet nocenti*.

CAPVT XXXIX.

Romanus Pontifex, Religionis Vertex.

NOn quod (vt aliquis, ſtulta ambitione, temeraria vanitate tumidus) velim omnes Pontifices Romanos, aut Benedictinæ familiæ addicere, aut clauſtris Monaſticis omnia illa Magna Capita concludere, Romanum Pontificem, Religionis verticem pronunciaui: ſed quod Romanorum primus Pontifex, & totius Collegij Apoſtolici Antiſtes Petrus, Apoſtolicæ viuendi regulæ, & exemplar, & conditor, & Seruator fuerit, atque Succeſſoribus, qui formulam, & imitarentur, & præſcriberent, & authoritate roborarent, curam curandam reliquerit. Iſto mihi ſignificato, *Religio*, Apoſtolicam viuendi rationem ſignificat; quæ contemptione ſui & rerum; abdicatione ſui & voluptatis, etiam licitæ; obſequendi libera neceſſitate, corporis per varia cruciamenta mortificatione, arctioriſq; ſeruitæ quæ recta ad cęlum violentos eius Regni ducit ſequela continetur.

Religio Apoſtol. viuendi rationē hic ſignificat.

Eius Religionis vertex, Petrus primus Romanorum Pontifex, qui relictis omnibus Chriſtum ſecutus eſt, dedit exemplum. Namque contemptionis cauſa, in memoriam Dominicæ ſpinæ coronæ, ſummo in vertice attonderi ſuſtinuit, cum ſolenne id Gentilibus fuiſſe ſciret, comam abradere his quibus illudere volebant. Nauim, retia, & reliquam rem familiarem, quin & vxorem, Chriſto ſuadente dereliquit; omnia in commune co lata eſſe voluit; proprium facientes acri vindicta expunxit, lupinis, vt Nazianzenus ait, famem tolerauit; illud Saluatoris pronunciatum, cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis, exultanti animo tolerauit, nedum vitam in ſiti, in nuditate, in egeſtate, in carnis perpetua caſtigatione, vigilijs multis, orationibus aſſiduis, ploratibus nocturnis, ſummaque arctitudine traduxit: à quo eius diſcipulus Marcus, Alexandrinæ conditor Eccleſiæ, doctus, talem Eccleſiam inſtituit, qualem Philo Iudæorum doctiſſimus deſcripſit: vt tunc nihil cuiuſquam proprium eſſet: nullus inter eos diues, nullus pauper cenſeretur: patrimonia omnibus diuiderentur, orationi omnes vacarent & Pſalmis, doctrinæ quoque & continentiæ tantum admirandæ, vt Solinus Plinij abbreuiator habuerit renunciare: *Nulla*, inquit, *apud eos fœminæ, Venere ſe penitus abdicant, pecuniam neſciunt, palmis victitant; nemo ibi naſcitur; nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipſe addictus pudicitiæ eſt: ad quem plurimi licet vndique Gentium properent, nullus admittitur, niſi quem caſtitatis fides, & innocentiæ meritum proſequatur. Nam qui reus eſt vel leuis culpæ, quamuis ſumma ope adipiſci ingreſſum velit, diuinitus ſummouetur*.

Eius Religio vertex Petrus. *German. Patriarcha in Theor. Eccl.*

Qualē Marcus Petri diſcipulus Eccl. Alexand. inſtituerit.

Chriſtianos veteres Solinus notauit ſub nomine Eſſeorum: ſiue quod ab Ieſu, ſeu ab Ieſſe filio Ieſſei, ſiue quod à contemplationis ſtudio Eſſei, ſiue quod à ſanctitatis & honeſtatis cultu, Hoſij, Sancti, & Eſſei dicerentur. Omes iſti Alexandrini, ab inſtitutione Marci, & hic à Magiſterio & exemplo Petri qui Marcum ad condendam Alexandrinam Eccleſiam deſtinauit: vt Petrus, & nonnemo Romanorum Pontifex, diceretur & eſſet, Apoſtolicæ vitæ, quam hodie etiamnum Religioſorum agmina viuunt, vertex, conditor, & ſeruator. Proculdubio, ab eodem Petro & iſtud genus hominum initium ſumpſit, de quibus Dionyſius Areopagita: *Hinc enim*, inquit, *diuini præceptores noſtri, Sanctis eos nominibus appellari voluerunt, alij Cultorum, alij Monachorum, à puro Dei famulatu & cultu, indiuiduaque & ſingulari vita, quippe quæ eos vnum faciat Sanctis rerum diuiduarum coniunctionibus ad diuinam vnionem, Deoque gratam perfectionem adipiſcendam*. Memorabat Dionyſius ceremonias ac ritus, qui ſacrandis ſeu initiandis eiuſmodi hominibus, in primitiuorum Eccleſia adhibebantur. Primum enim Sacerdos ante Altare ſtans, precationem aptam ac rei congruentem pronunciabat; qua peracta ad eum qui initiabatur accedens, illum rogabat, an ſeculari vitæ nuntium remitteret, atque etiam loco, & aſpectu ſeſe ab ea ſegregare decreuiſſet. Deinde perfectiſſimam ei viuendi rationem exponebat, teſtificabaturque eſſe illi deinceps mediocrem ac vulgarem hominum vitam ſuperandam.

Religioſor. vita vnde initiū ſumpſerit. *Eccleſ. hier. c.10.*

Quales cęrimonias ac ritus in ſacrandis Monachis inpri... Eccleſ.

Cum autem hæc omnia qui conſecrabatur profeſſus eſſet, Sacerdos Crucis ſigno conſignatum tondebat, tribus perſonis diuinæ maieſtatis rite appellatis, omnique veſte detracta, alia eum induebat, ac cum illum vna cum alijs qui aderant gratulabundus ſalutaſſet, tum ei diuina myſteria, Sacram ſcilicet Synaxim impertiebat. Nemini dubium iſta omnia à Diuo Petro manaſſe; qui quod eſſet fons Sacerdotij, & totius Eccleſiaſticæ hierarchiæ Archireos, non modo eos qui ſunt medij, ſed etiam perfectiſſimi in Eccleſia ordinis, auctoritate inſtituerit, exemplis formarit, & præceptionibus inſtruxerit, ad Apoſtolicam vitam perpetuo retinendam. Philo Hebræus, apud Euſebium hiſtoricum de illis ipſis à Marco, & eapropter à S. Petro inſtitutis narrabat: *In ſingulis autem*, ſcilicet habitationibus ſeu Eccleſijs, Sacrum domicilium eſt, quod Monaſterium vocatur, in quo manentes, Sanctæ vitæ Myſteria celebrant, nihil illuc inferentes, nec potum, nec cibum, neque aliud quicquam eorum, quæ ſunt ad corporis ſuſtentationem neceſſaria, ſed leges, & oracula Prophetarum, & hymnos, ac reliqua huiuſmodi, quibus ſcientia & pietas augentur & conſummantur.

Philo Hebr. de Monach. inſtituto. *lib 2. Eccleſ. hiſt c.17.*

Totum autem illud temporis ſpatium, quod etiam à diluculo vſque ad veſperam, in exercitium illis inſumitur. Sacras quippe Scripturas legentes philoſophantur, ac patriam philoſophiam allegorice tractant. Etenim putant ea quæ in manifeſta ſunt Scripturarum expoſitione, quædam eſſe abſconditæ naturæ Symbola per figuras ſignificata. Habent autem & Commentarios priſcorum virorum, qui cum diſciplinæ eorum eſſent duces, multa in

forma

ſorma rerum allegorice traditarum poſt ſe monumenta reliqueruut. Coutinentiam autem primum tanquam fundamentum quoddam in anima collocant: Deinde & alias virtutes ſuperſtruunt. Cibum, aut potum, nemo illnrum ante Solis occaſum vſurpat. Etenim philnſophiæ ſtudium luce, corporis vero neceſſitates tenebris dignas eſſe indicant: vnde & diem illi, iſtis vero modicam noctis partem tribnunt. Nonnulli ex eis toto triduo cibi non recordantur, quibus maius ſcientiæ, quam cibi deſiderium inſedit.

Nonnulli ita lætantur, ac delectantur ſapientia paſci, quæ dogmata opulente & abunde ſubminiſtrat, vt duplicato temporis ſpatio abſtineant, ac vix per ſex dies neceſſario cibo guſtantes veſcantur. Mulieres quoque repcriuntur, quarum pleræque grandæuæ virgines, caſtitatem non neceſſitate, ſicut quædam Sacerdotes apud gentes, magis quam ſua ſponte, propter zelum ac ſtudium ſapientiæ cuſtodiũt: cuius commercium ſtudioſe colentes, corporum voluptates aſpernantur, cum immortales potius liberos, quos ſolus amans Dei animus ex ſe gignere poteſt, quam mortales habere cupiant. Multa alia Euſebius, ex Philone de inſtituto Religioſorum recitat: qui Apoſtolorum vicini temporibus, ſeueriorem viuendi diſciplinam, non aliunde quam ab exemplo Petri atque ab inſtitutione Apoſtolica hauſerunt: cum Petro prædicante, etiam omnes credentes primigenij, eſſent *perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, & erant pariter, & habebant omnia communia, & poſſeſſiones ac ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus prout cuique opus erat: quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangẽtes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem*: Petrus autem ſtatis horis aſcendebat ad templum ad orationem, vel etiam in Superioribus cubiculi orans, in exceſſum mentis rapiebatur: vel tum exemplo, tum literis ſcriptis perfectos formabat: eſſent, vt ſuccincti lumbos mentis, non configurati prioribus ignorantiæ deſiderijs, ſed in omni conuerſatione ſancti, animas ſuas caſtificantes, in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde inuicem diligentes, deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & detractiones; abſtinentes à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam; conuerſationem inter gentes habentes bonam; vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum miniſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei, ſobrij, vigilantes, per bona opera certam ſuam vocationem, & electionem facientes; curam omnem ſubinferentes miniſtrare, in fide virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem: & ſi omnes, præcipuè tamen Seniores, prouidentes, non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè, eſſe non dominantes in Cleris, ſed forma fieri gregis ex animo: vt cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipiant immarceſcibilem gloriæ coronam; non tam propter deraſi ad ludibrium capitis, quam propter virtutum ad exemplar aliorum coronam.

Ab excẽplo Petri & ab inſtitutione Apoſt. Monachor. viuendi ratio profluxit. *Actor. 2.*

Hiſt. Eccleſ. anno 340. Athan. illã viuendi rationem in occidentem intulit.

Hanc Apoſtolicæ vitæ formulam, cum multis acceſſionibus illuſtrem, Athanaſius in Occidentem retuliſſet, Iulius Pontifex Romanus vehementer probauit: tum deinde Innocentius Primus, Leo Primus, & Gelaſius I. ſucceſſores, quampluribus editis ſanctionibus, quilibet ſuo tempore vel ſtabiliuit, vel à mendis quæ vitio temporum irrupetant emendauit. Gregorius magnus, & Monaſteria aliquot tum Romæ, tum in Sicilia condidit, & collabentem alicubi diſciplinam Monaſticam inſtaurauit. Hormiſda ante Gregorium, Diui Benedicti inſtitutum non illaudauit; quinimo, & nobilium Romanorum, atque aliorum filios, ad eruditionem Benedictinam concurrentes collaudauit. Ioannes X. Odonis Cluniacenſis, Gregorius V. Romualdi, Gregorius VII. Gualberti, Vrbanus II. Carthuſianorum, Innocentius II. Ciſtercienſium, Innocentius III. Redemptionis captiuorum SS. Trinitatis, Dominicanorum, & Franciſcanorum, Gregorius IX. Seruitarum, Gregorius X. Cæleſtinorum, Ioannes XXII. Oliuetanorum, Vrbanus V. Ieſuatorum, Gregorius XI Hieronymianorum, Paulus III. Societatis Ieſu, & alij alios religioſorum ordines, authoritate Apoſtolica, tanto cum fructu Eccleſiæ comprobarunt, erudierunt, auxerunt, ornarunt, vt fere non aliunde maiores exorti ſint, quam ab ijs, virorum ſanctitate ſimul, & doctrina præſtantiſſimorum feracibus: quorum etiam quamplurimi Sedem Apoſtolicam factis heroicis illuſtrarunt, ingentemq; ſplendorem, & vtilitatem Chriſtianæ Eccleſiæ addiderunt. Ex his anno à Chriſto nato CCLX. Dionyſius Græcus, Pauli Samoſatheni flammam tum primum erumpentem, qui Chriſto diuinitatem adimebat, Antiochiæ in dicto Concilio reſtinxit.

Religioſor. ordines a Pont. Rom. approbati aucti & ornati.

Diuerſorũ Pontif. qui ex Religioſor. ordinib. prodierunt heroica facta.

Dion. Græc.

Benedictus I. Romanus, in turbulentiſſimis temporibus, cum tota Italia bellis arderet, Eccleſiæ clauum ſumma cum felicitate moderatus eſt. Pelagius II. Conſtantinopolitanum ſchiſma, mira celeritate præuertit, & Ioannis Patriarchæ ambitionem præfractam repreſsit. S. Gregorius liberalitate in pauperes, vigilantia aduerſus hæreſes, conſtantia aduerſus principes, patientia in perferendis aduerſis, ſtudio, & attentione in omnibus gregis ſui partibus curandis, diligentia in conſeruanda, inſtaurandaque Eccleſiaſtica diſciplina, vbertate doctrinæ in libris ſcribendis, incredibili moderatione animi atque humilitate, miraculorum operatione, & ſaluberrimarum legum ſanctione, Magni ſibi nomen promeruit. Bonifacius IV. virtutibus religioſis, omnem ſubiectum Clerum, & populum in officio continuit. Adeodatus ſanctitate vitæ, manſuetudine, lenitate, diuitiarum contemptu, pauperum amore tam flagranti, vt in eos omnia pene effunderet, Orbem Catholicum recreauit. Agatho miraculis clariſsimus, Monothelitarum hæreſim extinxit. Benedictus II. in libertatem, Romanam Eccleſiam, ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis vindicauit.

Benedict. I.

Pelag. II.

S. Gregor.

Bonif. VII.

Adeodatus.

Benedict. II

Gregorius II. templis ac cœnobijs Vrbem & alias Ciuitates repleuit, Germaniamque

Greg II.

vniuer-

vniuerſam miſſo illic Bonifacio ad Chriſtia-
Greg. III. nam fidem reuocauit. Gregorius III. multa certamina pro fide Catholica, aduerſus Leo-
Steph. III. nem III. Imperatorem hæreticum, & reliquos ſacrarum imaginum hoſtes ſuſtinuit. Stephanus III. mores Eccleſiæ reformauit, & Michaelem, qui Rauennatem cathedram, Regum ac Principum quorumdam fauore occupauerat, fortitudine ac conſilio deturbauit. Paſchalis I. ſæculares Magiſtratus, in Pontifice deligendo plurimum ſibi vſurpantes fregit, multaſque Eccleſias Vrbanas, tum ædificauit,
Greg. IV. tum ditauit. Gregorius IV. barbaros qui Siciliam occupauerant, profligauit, inque do-
Leo IV. mum ſe recipere coegit. Leo IV. pariter barbaros Romanæ Verbi extremum exitium minitantes, potius ſanctitate, erectiſque vt Moyſes ad cælum manibus, quam milite, depulit, deinde etiam Vrbem, vt firmior aduerſus eiuſ-
Leo V. modi impetus eſſet, munitionibus cinxit. Leo
Sylueſt. II. V. Syluester II. Sergius IV. Ioannes XIX. Ste-
Serg. IV. phanus IX. ingentibus doctrinæ, & ſanctitatis
Ioan. XIX. meritis Petri Cathedram ſtabilierunt. Gre-
Steph. IX. Greg. VII. gorius VII. Henricum IV. Eccleſiæ infeſtum, ſemel, & iterum anathemate damnauit; eodemque telo Nicephorum Imperij Orientalis inuaſorem percuſsit, ac miraculis clarus, vindicis Eccleſiæ tutulos acquiſiuit.

Victor III. grandi exercitu ex tota Italia
Victor III. coacto, Africam inuadendi auctor fuit, tam præſenti Dei ope, vt victoria, quæ mirabiliter ad primum ingreſſum reportata eſt, mirabilius, eodem quo pugnatum erat die, in Italia audita, & cognita ſit. Vrbanus Secundus tribus Concilijs in Italia coactis, ad temporum illorum tumultus ſedandos, moreſque componendos, multa conſtituit, & in Galliam concedens, Concilio Claromontano indicto, Hieroſolymitanam expeditionem, in quam trecenta peditum, centum equitum millia conuenerant, quorumque armis terra Sancta tum quidem recepta eſt, edixit, plurimaſque Ciuitates obiens, multa ſaluberrime ad ſalutem reipublicæ Chriſtianæ ordinauit.

Paſchalis II. ſchiſma, quod multos iam
Paſchal. II. annos, Principum quorumdam perfidia, Chriſti gregem miſere lacerauerat, ipſe tandem tum prudentia, tum etiam felicitate admiranda ſuſtulit: Deinde Eccleſiaſticam ditionem à multis diſcerptam reſtituit, & amplificauit, multaſque alias Principum Chriſtianorum, rerumque publicarum diſsidia compoſuit.

Gelaſius II. ſanctitate, continentia, doctri-
Gelaſ. II. na inſignis, impiorum hominum, & maximè Imperatoris Henrici factionibus agitatus, & ab eius aſſeclis etiam verberibus indignisſimè acceptus, Chriſti exemplo conſtantiſsime tulit.

Calliſtus II. Burdinum Antipapam re-
Caliſtus II. preſsit, & pace cum Henrico honeſtis conditionibus compoſita, ea diſsidia extinxit, quæ iamdiu Eccleſiam totam fœdauerant. Euge-
Eugen. III. nius III. Ludouicum Galliarum Regem ad Hieroſolymitanam expeditionem Cruce conſignauit: cumque Pontificijs exterioribus veſtibus fulgeret, interius tamen Laneam tunicam, cucullam, & totum Monaſticum habitum ſemper retinuit, & intra purpureas cortinas lecti, auratis fulcris ornatiſsimi, in puris paleis duroque ſtramine cubauit; vt, & foris hominum oculis Pontificiam maieſtatem, & intus Diuinis aſpectibus religioſam humilitatem perpetuo exhiberet.

Anaſtaſius IV. & ſi aliarum virtutum, Anaſt. IV.
maximè tamen inſignis liberalitatis in tenues, in ea fame ſui temporis; quæ totam pene afflixerat Europam, ſpecimen dedit, cum innumerabilibus effuſiſsimè ſubuenit.

Adrianus IV. Apoſtolicæ Sedis dignita- Adrian. IV.
tem, tum alijs multis, tum quod Guillelmum Siciliæ Regem Eccleſiæ Romanæ oppida diripientem, anathemati ſubiecit, Regioque iure exuit, amplificauit.

Cæleſtinus V. in ſummo rerum faſtigio, Cæleſt. V.
etiam ſolitarij vitam vixit, ac tandem ex humilitate ſeſe volens lubens abdicauit.

Benedictus XII. Clemens VI. Vrbanus V. Bened. XII.
ſupremis virtutibus, quibus ad Sedem Petri Clem. VI.
aſcenderunt, iiſdem illam ipſam exornarunt. Vrban. V.

Eugenius IV. Græcos Rom. Eccl. reduni- Eug. IV.
nit. Paulus IV. hæreticorum furores extinxit. Paulus IV. è

Nicolaus IV. Franciſcanæ familiæ Franciſcana
multas diſcordias inter Chriſtianos Principes familia.
auctoritate ſua diremit, eoſque Sacro fœdere Nicol IV.
re deuinxit, & aliquot Eccleſiæ Ciuitates, iniuſte ab alijs occupatas, repetijt, & in poteſtatem redegit. Alexander V. eiuſdem inſti- Alexand. V.
tuti, Ladiſlaum Regem potentiſsimum Eccleſiaſticæ ditioni infeſtum, regno priuauit: tantaque effuſione in pauperes munificus fuit, vt per locum dicere ſoleret, ſe diuitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem. Ex eadem familia Sixtus IV. Tur- Sixt. IV.
cas ipſos, claſſe in eos miſſa laceſſere non dubitauit, multaque alia pro ditione Eccleſiæ tuenda geſsit. Sixtus V. noſtra memoria, Ita- Sixt. V.
liam à prædonibus, & exulibus liberauit: claſſem triremium, quibus mare Mediterraneum à pyratis purgaret, & Solymanos victos ſub ſua iura traheret, inſtruxit, ingenti aque bona Eccleſiæ vniuerſæ propaganit.

Ex Dominicanis, Innocentius V. Italiam Ex Domi-
armis domeſticis conuulſam, cum anathema- nic. Innoc.
re propoſito, omnes factionis principes, ab V.
armis diſcedere coegiſſet, pace reſtituta recreauit. Benedictus XI. rempublicam Chriſtianam, à morte Bonifacij VIII. in officio continuit, ac de Syria, & Palæſtina barbaris eripienda ſerio cogitauit: nec non ſuperiores ex inſtituto religioſo fere omnes Sanctiſsimos Pontifices, virtutibus, & religioſis, & Pontificijs æquauit. Pius Quintus, non illa ſo- Pius V.
lum quæ religioſa docent inſtituta, frugalitatem, innocentiam, pietatem incredibilem, omneſque illas veterum Pontificum virtutes Orbi Terrarum retulit, ſed omnes etiam proprias Principis laudes, munificentiam, prouidentiam, inuariabilem iuſtitiæ tenorem, zelum propagandæ tuendæque aduerſus hæreticos fidei, fortitudinem etiam in bellis contra hæreticos, & Turcas gerendis, quotum claſſem, fœdere cum Hiſpanis Venetiſque coniuncto magna clade contriuit, propter quæ eius iam ſanctitas non ſolum apud Chriſtianos, ſed apud ipſos etiam Eccleſiæ hoſtes in veneratione fuerat, præſtitit: cui Sixtus Quintus ſarcophago inſigni extructo, iſta inſcripſit.

I.

Pius Quintus, gente Gisleria Boſchi in Liguria natus, Theologus eximius: à Paulo III.

in

in Inſubria hæreticæ prauitatis Inquiſitor, à Iulio III. Sanctæ inquiſitionis Officij Commiſſarius Generalis, à Paulo IV. Epiſcopus Sutrinus, deinde Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, T T. S. Mariæ ſuper Mineruam Presbyter Cardinalis, & à Pio IV. Eccleſiæ Montis Regalis in Subalpinis Adminiſtrator factus, eo vita functo, Summo Cardinalium conſenſu Pontifex Maximus creatus, qui veteres Sanctos Pontifices æmulatus, Catholicam fidem propagauit: Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituit: tandem geſtarum rerum gloria clarus, dum maiora moliretur, totius Chriſtianæ reipublicæ damno nobis eripitur.

Kal. Maij. M.D.LXXII. Pont. anno VII. Ætatis ſuæ LXVII.

II.

Selimum Turcarum Tyrannum, multis inſolentem victorijs, ingenti parata claſſe, Cyproq; expugnata, Chriſtianis extrema minitantem, Pius Quintus fœdere cum Philippo II. Hiſpaniarum Rege, ac Repub. Veneta inito, M. Antonium Columnam Pontificiæ claſſis præficiens, ad Echinadas, hoſtibus XXX. Mill. cæſis X. Mill. in poteſtatem redactis, Triremibus CLXXX. captis, XC. demerſis, XV. Mill. Chriſtianis à ſeruitute liberatis, precibus. & armis deuicit.

III.

Galliam, Carolo IX. Rege, perduellium hæreticorumque nefarijs armis vexatam, vt de Regno, deque Religione actum videretur, Pius V. Sfortiæ Comitis Sanctæ Floræ ductu, miſſis equitum peditumque auxiliaribus copijs, periculo eximit, hoſtibuſque deletis, victoriam reportauit, Regi Regnum cum Religione reſtituit, Signa de hoſtibus capta, ad Lateranenſem Baſilicam ſuſpendit.

Reliquarum Pij V. virtutum memoria ne interiret, Patres Dominicani, SS. D. noſtro PAVLO QVINTO, qui, ſuperſtitibus quam pluribus rerum ab illo geſtarum gnaris, in vitam eiuſdem inquireret, ſupplices fuerunt. Is porro Vicario Vrbico, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Cardinali Mellino, totum negotium Inquiſitionis permiſit. Cuius authoritate à Sede Apoſtolica impertita, teſtibus iureiurando interpoſito examinatis, & dictis in tabulas publicas relatis, ex eodem Tabulario ſummam rerum excipere, & hic adijcere viſum: vt alieni ab vtero Eccleſiæ Orthodoxæ videant, Num Pontifex Romanus Antichriſtus, hoc tempore præcipue, quo illi ſignis collatis internecinum bellum Catholicis inferebant, qua ſtylo, qua pilo, qua lingua, qua manu.

CAP. XL.

Pontifex Romanus, Romanæ Eccleſiæ, & Vrbis Antiſtes cum cura ſpirituali, & temporali: à qua Vrbi maxima felicitas.

VRbi æternæ, Vrbium Dominæ, qui nomen *ROMÆ* impoſuit, non à vera genuinaque eius laudis ſignificatione abijt. *ROMA*, aiebat Hieronymus, *aut Fortitudinis nomen apud Græcos eſt, aut SVBLIMITATIS apud Hebræos*, addo, aut *Gloriæ, & famæ* apud Germanos, aut *militaris virtutis* apud Indos Orientales, aut *præſtantiæ inſignioris* apud Chaldæos. Itaque Nomenclator, cum nomen iſtud illi Vrbi impoſuiſſet, pollicebatur ſibi futuram olim, fortitudinem, gloria, fama, militari, & ciuili virtute, pietate, & religione ſublimem, inſignem factis, præſtantem omnibus quicquid ſibi amplectendum, vel ſequendum propoſuiſſet; adeoque *Imperij, virtutumque omnium arcem*, vt Ammianus appellabat: qua *nulla vnquam Reſpublica, nec Maior, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit*, vt Liuius dilaudabat:

Quid nomē Roma apud diuerſos ſignificet. *Lib. 2. ad. uerſ. Iouin.*

Terrarum Dea Gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum, vt
Martialis canebat.

Roma Vrbis laudes.

Qua nihil in terris cōplectitur altius æther,
Cuius nec ſpatium viſus, nec corda decorē,
Nec laudem vox vlla capit, quæ luce metalli
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris.
Armorum, legumque Parens, quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula iuris.
Hæc eſt exiguis quæ finibus orta, tetendit
In geminos axes, paruaque à Sede profecta
Diſperſit cum Sole manus, hæc obuia fatis,
Innumeras vno gereret cum tempore pugnas,
Et Gallum terris proſterneret, æquore Pœnum,
Numquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vlnere, poſt Cannas Maior, Trebiamque fremebat.

vt Claudianus deducebat; cuius *nomen terris fatale regendis.*

Quæ vel in terra ſtabiles Olympi
Incolit arces, vt Erinna poetria, alto & virili ſpiritu Romam ſalutans
compellabat. *Nam dedit ſoli tibi cana Parca*
Regium ſceptrum, minime atterendum,
Vt potens rerum domineris vna,
Imperiteſque.
Ad tuum currum, retinente fræno,
Colla telluris tumidique ponti
Illigas, & tu populos gubernas
Firma per æuum.
Ipſa, quæ gaudet variare cuncta
Reſque transformare hominum, Vetuſtas
Spirat hæc vni tibi ſemper auram à
Puppe ſecundam.
Denique in cunctis populis valentem
Procreas bellis ſobolem, vtque læta
Surgit è terra ſeges, ipſa abundas
Fruge virorum,

quæ *prima, & ſola ab omnis æui memoria, terminos ſibi potentia fecit, Orientem, & Occaſum*, vt Dioniſius Halicarnaſſæus ſcripſit: ac

Subdidit Oceanum ſceptris, & margine cæli
Clauſit opes, quantum diſtant à Tigride Gades,
Inter ſe Tanais quantum Niluſque relinquunt. vt Claudianus panxit, ac propterea

mundi caput, mundi miraculum, mundi compendium, Regina, ac Domina Orbis, Terrarum gentiumque Dea, Arx nationum ac Regum. Lumen

*men Gentium imperij virtutumque larariu*m, eſſet, cui merito Propertius concineret:

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hic poſuit, quicquid vbique fuit.

lib. XIV.

vbi vt Ammianus Marcellinus animoſe dixit, *tempore priſco, quo primis auſpicijs in mundanum fulgorem ſurgeret victura dum erunt homines, vt augeretur ſublimibus incrementis fœdere pacis æternæ, Virtus conuenit atque Fortuna, plerumque diſſidentes; quarum ſi altera defuiſſet, ad perfectam non venerat ſummitatem ROMA, cuius populus ab incunabilis primis, aduſque pueritiæ tempus extremum, quod annis circumcluditur ferè trecentis, circummurana pertulit bella: deinde ætatem ingreſſus adultam, poſt multiplices bellorum ærumnas, Alpes tranſcendit, & fretum: in iuuenem erectus, & virum, ex omni plaga quam Orbis ambit immenſus, reportauit laureæ triumphos: iamque vergens in ſenium, & nomine ſolo aliquotiens vincens, ad tranquilliora vitæ diſceſſie. Ideo vrbs venerabilis, poſt ſuperbas efferatarum gentium ceruices oppreſſas, lataſque leges, fundamenta libertatis, & retinacula ſempiterna, velut frugi parens, & prudens, & diues, Cæſaribus tamquam liberis ſuis regendi patrimonij iura permiſit, & olim licet otioſæ eſſent tribus, pacatæque centuriæ, & nulla ſuffragiorum certamina, ſed Pompiliani rediſſet ſecuritas temporis, per omnes tamen quotquot ſunt partes terrarum, vt Domina ſuſpiceretur, & Regina, & vbique Patrum reuerenda cum auctoritate canities, populique Nomen circumſpectum, & verendum:* propter fortitudinis, ſublimitatis, gloriæ, famæ, militaris virtutis, & præſtantiæ inſignoris, ſummam laudem: à quibus ROMA vrbs Fortis, & ſublimis, Nabuchææ ſtatuæ, magnæ, & ſublimis ſimulacro adumbrara, Regali Sacerdotio Chriſti Sacerdotis Regij iam olim deſignata: cum pridem Deus polliceretur, *Incuruabit habitantes in excelſo, CIVITATEM SVBLIMEM HVMILIABIT, humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum.*

Roma Regali Chriſti Sacerdotio iam olim deſignata.

Iſai. 26.

Ciuitatem ſublimen cum vocat, Romanam vrbem ſignificat, quæ ſicut omnibus pene dominabatur gentibus, ita etiam omnium gentium ſeruiebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nulla reſpuebat falſitatem. In hac ciuitate, vt propter imperium ſublimi, ſic etiam propter idolomaniam inter omnes inſigni, conculcandæ fuerant, ait Leo, Philoſophiæ opiniones hic diſſoluendæ terrenæ ſapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quicquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum. Ad quod opus, diuina potius quam humana opera perficiendum, Petrus electus, pauper cenſu, diues vocatione: egenorum omnium indigentiſſimus, cæterum poteſtate, & authoritate in vniuerſum Orbem inuictiſſimus, *ſalutaris prædicationis verbo, Primus* in hac vrbe ſublimi, *Euangelij ſui clauibus ianuam Regni cæleſtis aperuit*, vt Euſebius dixit: Primus *ciuitatem maximè Regiam, in qua etiam poſt mortem reſplendet clarius, occupauit*, vt Chryſoſtomus affirmauit. Primus, vt Oroſius air, *ſalutarem cunctis fidem*, Romam veniens, *fideli verbo docuit, patentiſſimiſque virtutibus approbauit*. Primus cum Paulo, vt Irenæus fatetur, *maximam, antiquiſſimam, & omnibus cognitam Eccleſiam ibidem fundauit, & conſtituit.* Nam quamquam *apud Dominam gentium Romam*, vt Arnobius memorabat, *homines eſſent Numæ regis artibus, atque ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coaleſcere Chriſtianæ. Viderant enim curſum Simonis Magi, & quadrigas igneas, Petri ore diſſlatas, nominato Chriſto euanuiſſe. Viderant inquam fidentem dijs falſis, & ab eiſdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, cruribus iacuiſſe præfractis; poſt deinde perlatum Brundiſium, cruciatibus, & pudore defeſſum, ex altiſſimi culminis ſe rurſum præcipitaſſe faſtigia.*

Roma omnium gentiũ erroribus ſeruiens.

Petrus primus in vrbe Roma Euãgelij ſeminator.

lib. 2. hiſt. c. 14.

in Pſal. 48.

lib. 7. hiſt. c. 6.

lib. 3. cap. 3.

lib. 2. cont. Gent.

Dei enim prouidentia, vt Euſebius narrabat, *ad peſtiferam Simonis Magi corruptelam delendam, fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apoſtolorum propter virtutis amplitudinem facile Principem Petrum Romam deduxit*; vbi cum ille perſtigiator, Romanos, *ſui præſtigijs* inquit Theodoretus, *tanta admiratione affeciſſet, vt etiam aenea columna honoraretur, veniens diuinus Petrus fraudis eum pennis nudauit; cumque tandem in miraculorum certamen prouocaſſet, & diuinæ gratiæ, & præſtigiarum diſcrimen oſtendiſſet, omnibus videntibus Romanis eum ex magna altitudine, deturbauit, & qui miraculum viderant, cæpit ad ſalutem.* Certamen miraculorum iſtud fuiſſe inſinuat, Hegeſippus Apoſtolorum diſcipulus. Adoleſcens nobilis defunctus, in medium fuerat delatus. Hunc qui ex eis ad vitam reuocaſſet, veritatis preco haberetur. Simon Magus non potuit: Petrus vnico verbo excitauit: quippe qui, non tantum annoſas diſſoluere paſſiones, cæcis reſtituere lumina, & ſine luminibus naris dare, claudos, & paraliticos ſanare, vetum, & ad vitam redanimare poſſet defunctos. Petrus itaque, vt Clemens Romanus Iacobo fratri Domini ſignificat. *Apoſtolorum primus, obſcuriorem Occidentis mundi plagam velut omnium potentior præceptor, Regem omnium ſæculorum per Orbem terræ, vſque ad ipſius Romanæ vrbis notitiam, vt etiam ipſa ſaluaretur*, hunc in modum *innexit*; ibique, vt Hieronymus habet, *XXV. annis Sacerdotalem Cathedram tenuit*: cumque *victo Simone*, ait Ambroſius, *præcepta Dei populo rumiuaret, doceret caſtimoniam, animos Gentilium excitauit: quibus cum quærentibus, deprecatæ ſunt animæ Chriſtianæ, vt pauliſper cederet, ac nocte muro egredi cæpit: & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, vrbemque ingredi, ait: Domine quo vadis? Reſpondit Chriſtus: Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus, ad ſuam crucem, diuinum pertinere reſponſum, ſtatimque correptus, per crucem ſuam Dominum Ieſum honorificauit, ſeu ad vltimum*, vt narrat Euſebius, *in vrbe Roma commoratus, ibi & crucifixus eſt, deorſum capite deuerſo, quod ipſe ita fieri precatus eſt, ne exæquari Domino videretur.* Enimuero *Nero, vt apertum ſe hoſtem diuinitatis pietatiſque profeſſus eſt, ipſorum prius Apoſtolorum, quippe qui duces, & ſigniferi erant in populo Dei, expetijt neces, & Paulum quidem capite in ipſa vrbe Roma, Petrum videlicet crucis patibulo condemnauit.*

lib. 2. hiſt. c. 13.

lib. 1. hæret.

Defunctus à Petro Romæ ſuſcitatus contra Simonis magi præſtigias.

lib. 3. de excid. Hier. c. 2.

ep. 1. ad Iacobum frat. Domini.

in Cathalogo.

in Auxentianum de tradendis Baſilicis.

Romæ Pet. XXV. annis cathedram tenuit.

Petri Paſſio

lib. 3. hiſt. c. 2. & l. 2. c. 25

Digna materies Petri, Paulique corona,
Cæſareas ſuperare minas, & in arce tyranni
Pandere iura poli ſummumque in agone tribunal

Arator in ſin. Act. Apoſt.

Vincere, ne titulos paruus contingeret hoſtis,
vt Arator panxit.

Horum teſtimonium quærere pergit Euſebius, extrinſecus ſuperfluum puto, cum rem geſtam inſignia vſque in hodiernum, & ſplendidiſſima eorum monumenta teſtentur. Extant enim *trophæa Apoſtolorum, quæ oſtendam,* ait Caius proximus temporibus Apoſtolorum. *Si enim procedas via Regali, quam ad Vaticanum ducit, aut via Oſtienſi, inuenies trophæa defixa, quibus ex vtraque parte conſtitutis, Romana communitur Eccleſia. Non ita cælum ſplendeſcit,* commentabatur Chriſoſtomus *quando radios ſuos Sol ex ſe dimittit, quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampadas, vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Felix ſtatu Eccleſia,* vt congratulabatur Tertulianus, *cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt; vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur.* Felix vrbs, vbi, quod cecinit Prudentius.

hom. 32. in epiſt. ad Rom.

de præſcript.

iam regnant duo
Apoſtolorum Principes:
Alter vocator Gentium,
Alter cathedram poſſidens
PRIMAM, recludit creditas
Æternitatis ianuas. Iam ſine mora hinc
Diſcede adulter Iuppiter ſtupro ſororis oblite.
Relinque Romam liberam, Plebemque iam Chriſti fuge.
Te Paulus hinc exterminat, te ſanguis exturbat Petri
Tibi id, quod ipſe armaueras, factum Neronis officit.

in hymno de S. Laurent.

Iam omnes, quod Elpis vxor Boetij Apoſtolorum Principibus, poſſunt Vrbi vrbium ſublimi accinere:

O felix Roma, quæ tantorum Principum
Es purpurata pretioſo ſanguine
Non laude tua, ſed ipſorum meritis
Excellis omnem mundi pulchritudinem.

hym. de Apoſtolis.

Iſti enim ſunt Patres tui, verique Paſtores, vt S. Leo concionabatur, *qui te Regnis cæleſtibus inſerendam, multo melius multoque fælicius condiderunt, quam illi quorum ſtudio prima mænium tuorum fundamenta locata ſunt: ex quibus qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fædauit. Iſti ſunt qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens Sancta, populus electus, Ciuitas Sacerdotalis, & Regia, per Sacrã Beati Petri Sedem CAPVT Orbis effecta latius præſideres religione diuina, quam dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs ius imperij tui terra marique protuleris, minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubiecit.* Sedes enim *Roma Petri,* vt S. Proſper expendebat, *Paſtoralis honoris facta CAPVT MVNDI, QVICQVID NON POSSIDET ARMIS, RELIGIONE TENET.*

Ser. 1. de Natali Petri, & : ault Apoſtol.

lib. de ingratis.

Iulium Cæſarem, Plutarchus, ideo Primum Imperatorem pronunciabat, quod mille vrbes vi cæpit, quod regiones trecentas ſubiecit, quod centena hoſtium millia in acie cecidit, quod in Aſiæ, Africæ, Hiſpaniæ bellis ciuilibus victor glorioſus extitit: cæterum longè glorioſior Petrus Eccleſiæ Romanæ fundator, qui vniuerſum Orbem, non tantum notum, ſed Romanis olim etiam ignotum, omniumque nationum populos ac gentes, ac ipſam demum Vrbem Romanam, ad ſinceram diuinæ veritatis lucem ex omnium penè ſuperſtitionum colluuie, ſub poteſtatem Regio ſacerdotalem traduxit: nec corpora ſeruituti addixit, ſed animas in libertatem, & ſalutem aſſeruit, Eccleſiamque omnium ſanctiſſimam condidit, de qua verius omnes dicant: *nulla vmquam reſpublica nec maior, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, eſt, & erit:* poſtquam illam *ſublimem* Deus humiliauit, *pes* Chriſti Sacerdotis *calcauit:* ſeu in poſſeſſionem à promiſſione illa: *Quodcunque calcauerit pes veſter veſtrum erit,* & accepit, & pauperis Petri pedibus ſeu Imperio ſubiecit: necnon greſſibus *egenorum* (recenſe omnes à Petro Pontifices, ferè omnes ſtirpe egenorum, nemo è ſanguine Regum) ſcilicet ſucceſſoribus Petri Romani Pontificis tradidit. *Quicquid enim* vt Eucherius Lugdunenſis Epiſcopo Valeriano ſcribebat, *vel ſub illa dominatione Regum vetuſta, vel ſub illa deinde gemina adminiſtratione Conſulum, Romano acceſſit Imperio, omnia Chriſti aduentui præparata, & diffundenda fidei prouiſa, poteſt (ſi quis idoneus eſt, aſſertor oſtendere.* Intellexerunt iſtud *Romani,* vt obſeruat Laonicus Chalchondylas, *cum eſſent nacti Imperium in orbe longè, lateque maximum, commiſerunt Romano Pontifici maximo, ipſi videlicet tranſierunt in Thraciam, Byzantium (quod nunc Conſtantinopolis eſt) Thraciæ Metropolim conſtituentes.* Ad hunc finem Roma, numine cœleſti deſtinata, inque poſſeſſionem, egenorum greſſibus à Deo ipſo data eſt; vt in illa, ſparſa vnirentur imperia, fide, religione, pietate, ſacrorum vſu, & imperio ſanctiore. Eam Vrbem nactus Petrus inprimis ab idolomania depurgauit.

Quod armis non poſſidet hoc tenet religione. in C. Cæſ.

Roma Pontificib. ab Imp. commiſſa. lib. 1. de geſtis Turcorum.

Romæ tunc agebat, Simon Magus Samarita, quem Petrus in Cæſarea Stratonis, de prophetia, Deique Monarchia, tertia diſputatione atque virtute diuina repreſſum, in Italiam fugere compulerat, vt Clemens Romanus memorabat. Ibi Iouem ſe credi volebat, & Helenam quamdam, quam ipſe à Tyro Ciuitate Phœnices quæſtuariam redemerat, ſecum circumducebat, hancque primam eſſe mentis ſuæ conceptionem, matrem omnium, per quam initio mente Angelos concepiſſet, & Archangelos faceret, dicebat. Cumque Magus Deo non crederet, & cupidus aduerſum Apoſtolos contenderet, vti & ipſe glorioſus eſſe videretur, vniuerſam magiam adeo ſcrutabatur, vt in ſtuporem cogeret multos hominum, ex quibus Claudius Cæſar, illum ſtatua propter magiam honorauit. Tam abunde infecerat vterque Vrbem Romanam, vt nulla alia ſuperſtitio magis: cum horum myſtici Sacerdotes, vt Irenæus refert, libidinosè quidem viuerent, magias autem perficerent, exorciſmis & incantationibus vterentur, amatoria quoque & agogima ſeu lenocinia, paredri, ſeu auxiliarij, conſiliarij & aſſeſſores exercerent: & imaginem quidem Simonis factam ad figuram Iouis, Helenæ autem in figuram Mineruæ adorarent, ac vocabulum à principe impijſſimæ ſententiæ trahentes, Simoniani dicerentur.

lib. 1. c. 20.

Ante Irenæum S. Iuſtinus, Simonis progreſſus narrabat, quod is ſub Claudio Cæſare, ſubnixus ope dæmonum & fretus magicis artibus in vrbe Regia Deus eſt habitus, & quaſi Deus honoratus; ſtatua poſita in Tiberi,

Apol. 2.

inter

inter dus pontes, cum hoc latino titulo, *Simoni Deo ſancto*, quem ferme omnes Samaritæ, & aliquot etiam in alijs nationibus tamquam primarium Deum, vnà cum Helen a quadam, quam antea proſtitutam tum circumducebat, quamquam ipſi primam intelligentiam appellarent, adorabant. Non ad longinquum temporis ſpatium Simoni, ex ſententia res proceſſerunt. Namque Petrus diuinis armis ob-

ep. 2. ad Sempron heres. 1.
Simon Magus à Petro ſuperatus.
in præſcript.

tectus munituſque, *iudice aſtipulante*, vt Pacianus ait, illum *confudit*; atque *vera*, vt Auguſtinus ad Quoduult Deum meminit, *Omnipotentis Dei virtute extinxit*: Sicque vniuerſam idolomaniam Angelis malis Simoniano ritu ſeruientem eliminauit. *Simonianæ enim Magiæ diſciplina*, ait Tertullianus, *Angelis ſeruiens*,

Conſt. Apoſtol. lib. 6. c. 9.

vtique & ipſa inter idolatrias deputabatur, & à Petro Apoſtolo in ipſo Simone damnabatur. Nam cum Simon, vt Clemens Romanus, qui vidit, ſcripſit, *ſublatus à dæmonibus volaret ſublimis, Petrus verò præcaretur, & imperaret dæmonibus vt remitterent vires ſuas, Simon cum magno fragore corruens fregit coxendicem, & pedum tharſos; clamorque plebis ortus eſt, quo ferebatur, Vnum eſſe Deum, quem Petrus nunciaret.*

Sueton. in Nerone c. 12.

Abijt ea res in admirationem apud Gentiles; ex quibus vnus Neronis actorum ſcriptor, nomine Icari, quem volatu æmulabatur Simon, huic impoſito in Commentarios retulit; *Icarus primo ſtatim conatu iuxta Neronis cubiculum decidit, ipſumque cruore reſperſit*: atque ſimul *Babylon illa magna*, mater fornicationum, & abominationum terræ ebria de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrum Ieſu, ſcilicet Vrbs Romana *Magna, quæ habebat Regnum ſuper Reges terræ*, ſub pedibus pauperis cecidit; vt reſurgeret in genus electum, in Regale ſacerdotium, gens in poſterum ſancta, & populus acquiſitionis, qui aliquando non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam tantopere conſecuti, vt fides eorum, ſtatim atque crediderunt, annunciaretur in vniuerſo mundo: vt virtutes eius qui illos de tenebris in admirabile lumen vocauit, & prædicarent ipſi, & factis oſtenderent, ſancti, ad imitationem illius qui ſanctus ſanctificans.

Apoc. 17.
Roma diues pauperi Petro ceſſit.
1. Pet. 2.

Olim Roma condita fuerat velut *altera Babylon*, & velut *prioris filia Babylonis*, teſte Auguſtino. Aliquis de ea recentiorum ſcribebat, Romæ ſplendorem qui cogitat, hærebit ſæpe dubius, quomodo ad tantum ſplendorem & decus euecta ſit. Deo hoc omne adſcribet, qui cogitat ſacram eius prouidentiam à qua periodi ſunt imperiorum, & fixi rerum fines. Interea etiam humana virtute creuiſſe intelliget, quum ad ſenatus conſtantiam oculos deflectet. Sed & vitijs quibuſdam creuiſſe iudicabit, quum fraudes, iniuſtitiam, crudelitatem, ſuperſtitionem videbit. Vides ſpatia iſta terrarum! dices orbem fere totum cultiſſimum ius fuiſſe Imperij, ſpecta eiuſdem Imperij initium! dices cum Ætolis, ſcelere illud fundatum eſſe. Nonne in ortu ſuo (verba ſunt Minutij Felicis) ſcelere & collecti, & muniti immanitatis ſuæ terrore creuerunt? Nam aſylo prima plebs congregata eſt: confluxerunt perditi, facinoroſi, inceſti, ſicarij proditores: & vt ipſe Romulus Imperator & Rector populum ſuum facinore percelleret, parricidium fecit. Hæc prima ſunt auſpicia religioſæ Ciuitatis, Mox alienas virgines iam deſponſatas, & nonnullas de matrimonio muliereulas, ſine more rapuit, violauit, illuſit & cũ earum parentibus ideſt, cum ſoceris ſuis bellum miſcuit, propinquum ſanguinem fudit. Nihil irreligioſius, nihil audacius, nihil ipſa confidentia ſceleris tutius. Iam finitimos agris pellere, Ciuitates proximas euertere, cum templis, & altaribus captos cogere, damnis alienis & ſuis ſceleribus adoleſcere, illis ſolenne. Ita quicquid Romani tenebant, colebant poſſidebant, audaciæ præda fuit. Toties ergo Romanis impiatum, quoties triumphatum. Audi Lactantium: Noſtri nullam aliam ad immortalitatem viam arbitrantur, quã exercitus ducere, aliena vaſtare, vrbes delere, oppida conſcindere, liberos populos ſubijcere ſeruituti: ſcilicet quo plures homines adflixerint, ſpoliauerint, eo ſe nobiliores, & clariores putant.

lib. 18. Ciuit Dei c. 22.
in Octauio.
Romanæ potentia orta ex ſcelere.
in Agricola.

Audi etiam Mithridatem: Atque vt iſti ferunt Conditores ſuos lupæ vberibus altos; omnem illum populum, ſcio luporum animos inexplebiles ſanguinis habere, atque imperij diuitiarum auidos ac ieiunos. Audi præterea Cornelij Taciti Galgacum, inter plures Duces virtute, & genere præſtantem, apud contractam multitudinem perorantem; horum ſuperbiam fruſtra per obſequium, & modeſtiam effugeris, raptores orbis poſtquam cuncta vaſtantibus deſuere terræ, & mare ſcrutantur. Si locuples hoſtis eſt, mari: Si pauper, ambitioſi, quos non Oriens, non Occidens ſatiauerit. Soli omnium, opes atque inopiam pari affectu concupiſcunt, auferre, trucidare, rapere falſis nominibus imperium: atque vbi ſolitudinem faciunt: pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos ſuos natura chariſſimos eſſe voluit; hi per delectus, alibi ſeruituti auferuntur. Coniuges ſororeſque, & ſi hoſtilem libidinem effugiant, nomine amicorum atq; hoſpitum polluuntur. Bona fortunaſque, in tributum egerunt, in annonam frumentum. Quotidie ſeruitutẽ ſuam emit, quotidie paſcit. Secretum, quo tutius, eo ſuſpectius. Non æqua illis in bello virtus, ac in pace laſciuia. Corpora ipſa ac manus ſyluis ac paludib. emuniendis, verbera inter ac contumelias conterſit.

Audi denique Apoſtolum Paulum, illis ipſis Romanis, quid fuiſſent, in memoriam reuocantem: *Propter* quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis: qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium: propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum qui eſt contra naturam. Similiter autem, & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt deſiderijs ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, fornicatione auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia.

Rom. 1.

Roma ob ſcelerum multitudinē Babylonis typo adumbrata. *lib 2. cont. Iouinian. & ep. ad Marcellam.*

Talis Vrbs fuit Roma, Babylonis typo adumbrata, cum in eam Petrus veniſſet: ſed ad eius prædicationem, feliciter, vt Hieronymus reſtatnr, cecidit, & ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione deleuit, & maledictionem in Apocalypſi comminatam per pœnirentiam effugit, & adeo virtute, pietate, & religione creuit, vt eſſet vrbs orbis Domiua, vrbs Apoſtoli voce laudata, in qua Chriſti Eccleſia, & trophæa Apoſtolorum, & Martyrum, & vera Chriſti confeſſio, & ab Apoſtoli prædicata fides, & Geutilitate calcata, io ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum, vbi tanto ſtudio, & frequentia quam nullibi ad Eccleſias, & ſepulchra martyrum concurritur, & ad ſimilitudinem cæleſtis touitrũ Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur; non quod Romani aliam habeant fidem, niſi hanc quam omnes Chriſti Eccleſiæ, ſed quod deuotio in eis maior ſit, & ſimplicitas ad credendum, ab exuberationt diuinæ gratiæ; & ab inſtitutione Petri; qui in, & ex hac decidua ſuo tempore Babylone fideles ad ſanctitatem efformabat, exemplis inuitabat, beneficijs iuuabat, chariſmatibus melioribus oruabat, diuitabatqne & non tantum viuens curam illorum gerebat, ſed & poſt mortem eorum ſe memoriam, & ſolicirudinem habere velle pollicebatur: ex alto Cælorum couuexo ad res illorum intentus, & ex ſepulchrali loculo, virtutem opitulatricem exerens: ad confirmationem, informationem & tutelam Ouium commiſſarum Ciniratis ſublimis quam pes illius calcauit.

Poſt Petri prædicatio nem conuerſa Religione creauit,

Curs Petri erga noua fidei germina

Ad exemplum Petri Antecoſſoris, ſuccedentes reliqui Romanorum Pootifices, & ea quæ ſunt ſpiritus, & ea quæ incolumitatis eſſent exterioris, in vrbe ſibi commiſſa, non prętermittenda ſibi cenſentes, ſuis ſinguli temporibus, inprimis fidei integritatem, ne vlla hęreſeos aut erroris macula inficeretur, ſedulo ſeruarunt: deiode diſciplinam Eccleſiaſticam, ne vitia in Clero & populo, puritatem Chriſtianam contaminarent, ad rigorem veteris Apoſtolici moris reuocare ſemper conati ſunt. Ab hac ſaluberrima cogitarione, leges in commune proferre, & cenſuram moribus adhibere, & ſi quæ ſuccreuiſſent nocentium ſpioæ ſuccidere, eradicareque non neglexerunt.

Cura reliquorũ Rom. Pont. erga gregem ſibi commiſſum ad imitationem Petri.

Iam vt religio ſanctè haberetur; vt Deus riru ſanctiore coleretur; vt ſacrorum vſus, in vſu, & prætio eſſet; vt cæleſtium amore omnes flagrarent: vt terrenis vterentur tamquam non vteutes; vt metus iudicij extremi apud fideles prętaret; vt obſtrepere nemo pudicitiæ, aut virtuti, aut qoieti alienæ auſit; vt æquiras, iuſtitia, pax rerum omnium copia, & felicitas cinilis ioter omnes vigeat; & in ſumma, ne Chriſti ooibus, in hoc maximo omnium ouili, quicquam ad beatitudiuem immaculatorum in via deſit, ſumma vigilantia adlaborabant; & Eccleſias; & xenodochia, & orphanotrophia, & peregrinorum hoſpitia, & reliqua commiſerationis ac beneficentiæ Chriſtianę domicilia condebant, extruebant, inſtaurabant, ornabanr, ditabanr; ruinas vrbanas ſiſtebant, ſolitudinem vrbanam pellebant, ingenria operum bono & ornamento publico inchoabant, perficiebant, vſibus publicis addicebaot: nullam requiem magnis adinueniendis moliendiſque concedebant, inque ijs ad faſtigium prouehendis, aut nnimo, aut robore nunquam laſſabantur: in Templis, ſacris faciendjs miniſtrandiſque aſſidui: in cathedra veritatis, aut docentes, aut controuerſias acri oculo cognoſcenres, iudicantes, iuſtiriam exercentes, inoocenriam oppreſſis, oppreſſoribus vindictam, libertatem miſeris, pacem orbi decernentes. In oculis omnium, maieſtatem clementia, grauitatem comitate, magnitudinem humanitate, facilitatem parerna iucunditate miſcentes, & exempla altiſſimarum virtutum proponentes, à quibus accenſa Eccleſia, aſſurgebat ex animo ad æmulanda meliora chariſmata, quæ videbat in eis laudanda & imitanda; quæque illi circumferebant, diuite Dei dono. Publica aliquorum opera dabo, quæ vel maieſtatl diuinæ conciliandæ, pietati depangendæ, vel cultui Sanctorum, vel ornatui templorum, vel ſpleudori vrbico, vel vtilitati communi, vel famæ & æternitati, aliquando conſecrarunt.

De varijs antiquorum Rom. Pont. geſtis tam ad Dei & Sanctorum gloriam & honorem quam ad vrbis ornatum & communem vtilitatem. *ex Anaſt. Biblioth. & Platina.*

Anacletus, quintus à Petro, memoriam, ſeu locum ſepolturæ B. Petri couſtruxit, & vbi Epiſcopi Romani ſepolturæ recouderentur compoſuit. Euariſtus, titulos in vrbe presbyteris diuiſit, & ſeptem Diaconos reſtituit, vt plebem vniuerſam commodius paſceret, alimonia per illos ſpirituali, per horum miniſterium corporali. Theleſphorus, & ieiuniorum, & Sacrorum faciendorum tempora, vel aſſignauit, vel prorogauit; vt ad cæleſtem conuerſationem omnes attolleret: Higinus, Clerum aliqua ex parte inclinantem, ad formulam Apoſtolicam reuocauit. Pius titulos dedicauit, feſtos dies deſignauit, fontem regenerationis conſtituit ac conſecrauit, ad Sacroſancti corporis & ſanguinis Domini reuerentiam, pœnis præpoſitis incitauit, multos in baptiſmate Chriſto concorporauit, multa dona Eccleſiæ obtulit, ſacris ſępiſſime operatus, viuifica myſteria accedentibus communicauit. Eleutherius multos ex nobilitate Romana, cum coniugibus & liberis, charactere baptiſmi ſignauit. Victor ſcripeis voluminibus Eccleſiam illuſtrauit. Zepherinus, ad communionem publicam, ſemel in Paſchate ſuſcipiendam, omnes aſtrinxit; vaſa miniſterij diuini decora eſſe inſtituit. Vrbanus innumerabiles Chriſto aggregauit. Calliſtus iudicia Eccleſiaſtica, certis legibus definiuit.

Anterus res geſtas martyrum, ad poſteritatis memoriam, Tabularijs Eccleſiæ inſcribi mandanit; cui ſuccedens Fabianus, ſeptem Diacouis, qui illas ſcriberent, vrbis regiones diſtribuit: ac multa in cæmeterijs ædificia conſtrui præcepit. Cornelius, pænitentibus lapſis ianuam Eccleſiæ aperuit, ac Petri & Pauli Apoſtolorum pignora, tutiore loco recondidit. Xyſtus, etiam vaſa prætioſa Eccleſiæ, in paoperes deuendidit. Dionyſius, egenis, non tantum Vrbicis, ſed etiam, remotioribus, annonam miniſtrauit. Felix, ſepulruris martyrum altaria impoſuit. Caius, ſacris ordinibus ſuſcipiendis, modum & ordinem præſcripſit. Marcellus, ad commoditatem baptiſmi & opportunitatem eorum, qui ex gentibus ad fidem veniebant, titulos vrbicos auxit. Euſebius, ab hæreticis vrbem purgauit. Melchiades, Manichæos detexit, atque eiecit. Syluester, titulum Equitij, iuxta Thermas Domitianas ædificauit, & tum donarijs aureis & ar-

gen-

genteis, tum integris fundis locupletauit: tum Conſtantino Magno auctor fuit, qui vrbem æternam, Baſilicis Laterana, Vaticana, Oſtienſi, & reliquis alijs erectis, & diuitatis, & ornatis, illuſtraret.

De recentioribus Pont. qui Roman. Eccl. & vrbem operis continuatis vel iuuarunt vel illuſtrarunt.

Marcus, duas Baſilicas, alteram via Ardeatina, altera iuxta Palatinas fecit, Iulius totidem Baſilicas, vnam iuxta forum, alteram via Flaminia: tria cæmeteria, vnum via Flaminia, alterum via Aurelia, aliud via Portuenſi. Liberius, Baſilicam Liberianam iuxta forum Liuiæ ædificauit, & ſepulchrum Sanctæ Agnetis marmoreis lapidibus exornauit, & ne omnes ſuperiorum temporum Pontifices, qui Romanam & Eccleſiam, & vrbem, operis continuatis vel iuuarunt, vel illuſtrarunt, percenſeam: etiam noſtra memoria Eccleſiæ Romanæ Antiſtites, cum peculiari, vereque paterna cura illi & præfuerunt, & profuerunt.

Pius V.

Pius V. ab omni ambitione quam maxime alienus, & à labe mundana puriſſimus, qui vt pie Chriſtianeque ab omnibus viueretur, atque abuſus nonnulli tollerentur, omne ſtudium adhibuit: Cleri & populi mores, ad ſeueriorem diſciplinam reuocauit, puritatem Fidei Catholicæ, illibatam conſeruari curauit. Virtutum ſtudioſos, & qui ingenio, animoque excelſo valebant, ad dignitates honoreſque euexit. Bonos, Eccleſiæ Dei pernecceſſarios, varijs officijs præfecit, ampliſſimiſque donis remuneratus eſt. Turcam immanem omnium Chriſtianorum hoſtem, à ceruicibus non Eccleſiæ modo, verum & vniuerſæ Italiæ, inito cum Rege Hiſpaniarum, & Republica Veneta fædere, claſſeque ſubmiſſa, depulit. Vrbem Sanctitate vitæ, & mirandorum operatione, recreauit.

Greg. XIII.

Gregorius XIII. in ædificandis varijs Vrbanis & Suburbanis templis, ingentes ſumptus fecit. Sacellum Diuæ Virgini in Baſilica, Vaticana, magnificentiſſima elegantia, inſtruxit, inque illud B. Gregorij Nazianzeni corpus, ex ſacrarum Virginum templo, Dei Genetrici ad Campum Martium dicato, celeberrima pompa tranſtulit. Collegia in Vrbe, Romanum, Germanicum, Anglicanum, Græcorum, Neophytorum, Maronitarum, & alibi alia quæ vocant Seminaria, Laureti Illyriorum, Viennæ Auſtriorum, Pragæ Boemorum Græcij Carinthiorum, Olmucij Morauiorum, Bransbergæ Prutenorum, Muſſiponti Lotharingorum. Vilnæ Lituanorum, Claudiopoli Tranſſyluanorum, Funæ, Arimeæ, & Anzuchixameni Iaponiorum, Fuldæ Haſſiorum, vt ibi iuuentus, vnà cum litteris pietatem, morumque diſciplinam addiſceret, inſtituit, dedicauit, cenſibus attributis dotauit. Fontes duxit, plateas amplificauit, vias ad Baſilicas Vrbanas aperuit & ſtrauit; granaria annonæ ſeruandæ conſtituit; in rerum omnium affluentiam curam omnem impendit. Xyſtum ſiue porticum, ſiue ambulacrum Palatij Vaticani, varijs picturis exornauit. Fame afflictæ Vrbi, datis innumerabilibus pecunijs, ſubuenit. Animo manſuetus & benignus, in eleemoſynis erogandis, pauperibuſque iuuandis adeo liberalis fuit, vt ijs dandis vehementius oblectaretur.

Collegia in Vrbe & Seminaria alibi ab ipſo fundata & dotata.

Sixtus V. & eius egregia opera.

Iam Sixtus V. Gregorio ſuccedens, latrocinia ſuſtulit, annonæ caritatem ſubleuauit, mores emendauit, vias nouas in Vrbe ſtrauit, ædes Lateranas magnificentiſsimè reſtituit, aquas vberes & ſalubres in vrbem induxit veteres Eccleſiæ ceremonias renouauit, Deorum ſtatuas è Capitolij turre deiecit, Baſilicæ Vaticanæ tholum miraculis orbis mirabiliorem impoſuit, Obeliſcum Pheronium è vetere ſede auulſum, in aream Vaticanam tranſtulit, Obeliſcum Cruce inſigniuit, vt iam ad ſuperſtitionem, ſed ad veram pietatem religioſè ſpectaretur. Tres alios Obeliſcos, vnum in area Lateranenſi, alterum in colle Exquilino, tertium via Flaminia, ad ædem S. Mariæ Populanam, Chriſto Redemptori conſecratos exaltauit. Palatium nouum Vaticanum, Templum Diuo Hieronymo Illyriorum, Sacellum Diuæ Deiparenti in Baſilica S. Mariæ Maioris, ædificauit. Templa ſitu collabentia, ac penè deſerta &, inſtaurauit, & ſtationibus ſacris deſignatis frequentari inſtituit.

Apoſtolorum Petri & Pauli ſigna ex ære inaurato in cochlidibus columnis Traiana & Antoniana collocauit. Bibliothecam Apoſtolicam, ſanctiſſimis prioribus illis Pontificibus, qui B. Petri vocem audierunt, in ipſis adhuc ſurgentis Eccleſiæ primordijs inchoatam, pace Eccleſiæ reddita; Laterani inſtitutam, à poſterioribus deinde in Vaticanum, vt ad vſus Pontificios paratior eſſet translatam, ibique à Nicolao V. auctam, à Sixto IV. inſigniter excultam, quo fidei noſtræ, & veterum Eccleſiaſticæ diſciplinæ rituum documenta omnibus linguis expreſſa, & aliorum multiplex ſacrorum copia librorum conſeruaretur, ad puram, & incorruptam fidei & doctrinæ veritatem, perpetua ſucceſſione in nos deriuandam, toto terrarum Orbe celeberrimam, cum loco depreſſa, obſcuro & inſalubri ſita eſſet, aula perampla, veſtibulo, cubiculis circum & infra, ſcalis, porticibus, totoque ædificio à fundamentis extructo, ſubſellijs, pluteiſque directis, libris diſpoſitis, in editum, perlucidum, ſalubrem, magis opportunum locum extulit, picturis illuſtribus vndique ornauit, liberalibuſque doctrinis, & publicæ ſtudiorum vtilitati dicauit. Vt egentiſſimos quoſque ſubleuaret, fœdiſſimamque famem depelleret, in eam rem auri pondo II. M. & amplius impendit, intra pauciſſimorum menſium ſpatium, turbolentiſſimam Ciuitatem in tranquiliſsimum ſtatum redegit: audacium inſolentiam coercuit, famem atque inopiam exterminauit, ærarium expleuit, pacis atque affluentiæ ſæculum reuocauit: & ſummi Principis, & Maximi Pontificis, & Sacerdotis religioſiſſimi, & Patris beneficentiſſimi, & Vindicis iuſtitiæ acerrimi munus, omnibus numeris impleuit.

De Bibliot. Vaticana ab ipſo magnificentiſſimè ædificata.

CAP. XLI.

Pontifex Romanus, Patrimonij Apoſtolici iuſtiſſimo titulo Poſſeſſor, atque Paterfamilias.

GRauem iniuriam Chriſto, Eccleſiæ, & rei Catholicæ, ſuperba quædam mendicabula inferre potuerant, ſi, dum fictitiam pauperta-

pertatem, in præfeſſione votiua proſeferebant, Chriſtum dominio rerum temporalium exuiſſent. Enimuero liceret ex illorum aſſumpto inferre; Chriſtus propter nos egenus factus, extremæ paupertatis ſupremum exemplum præbuit! & extrema pauperies eſt, nihil peculij in proprijs poſſidere! & nec ſeruus Domino nec diſcipulus magiſtro, nec Chriſtianus Chriſto ſuo maior eſſe debet! itaque, neque Pontifex Romanus, neque Eccleſia, neque miniſtri Eccleſiæ, aliquid iuris in temporalia bona, aut præſcribere, aut exercere poſſunt: cum neque Vicarius Domino ſuo, neque Eccleſia ſponſo, neque miniſter Principe Sacerdotum, aut ditior, aut perfectior eſſe queat, aut debeat. Itaque, ab his ventoſæ miſeriæ nimio ſubrilibus araneorum telis, & Romanus Pontifex, & Eccleſia, & Eccleſiaſtici, id quicquid in bonis numerant, non ex æquo, & iniuſto occupauerint; adeoque meruerint, velut iniqui poſſeſſores, poſſeſſione vniuerſorum excedere.

Fraterculorum hæreſis à Ioanne XXII. damnata.

Ad iſtud temerariæ iniquitatis commentum commentandum, Fraterculos olim adduxit, tenebricoſi ingenij, ſeu negotij perambulantis in tenebris plus nimio ſubtilis ſcientia qua inflati, dum ſe cæteris perfectiorem paupertatem amplecti, nec niſi merum purum vſum rerum, citra etiam vſus dominium, ſe habere venditarent, ac ea propter, & in ſcholis, & apud Cancellos riderentur: exemplar eius pauperiei Chriſtum ſtatuentes, decreuerant, Chriſtum, & Apoſtolos nihil proprij habuiſſe: ſcilicet vt non nemini liceret, id quicquid euidens ſeci inferre, & res temporales Eccleſijs auferre. Arrogantiam, & temeritatem, in mendicimonio ſolo, vel laudem, vel perfectionem ſpiritualem ponentium.

Io. XXII. ferre non potuit, quin damnaret, percelleret, & flammis piaret, doctus ex ſacræ hiſtoriæ Tabulario, & Chriſtum aliquid peculij poſſediſſe, & Eccleſiæ illius bona ampliſſima tum olim promiſſa, tum poſtea collata ab eo fuiſſe, qui Chriſto dixit: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Qui vel vnum vnicum Iſaiam Vatem legit, abunde affirmabit, tanto ampliora Eccleſiæ quam olim veteri Synagogæ bona in hæreditatem ceſſiſſe; quanto & Chriſtus Moyſe ditior, & Eccleſia Chriſti quam Synagoga amplior. Namque Synagogæ adminiſtri, nonnullis extra ſortitionem ciuitatibus, decimatione, & ſacrificiorum, oblationumq; certis incertiſque prouentibus, poſſeſſionem ſortis ſuæ, in vna tantum vnica gente definiebant: Eccleſiæ autem Catholicæ, latiſſimi, ditiſsimi, ornatiſsimi, optimi, maximique fundi deſtinabantur, ab eo qui pollicitus eſt;

Chriſtus Moyſe ditior & Eccl. Chriſti Synagoga amplior.

ex Iſai. pluribus loci.

Pro eo quod fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generationem & generationem. Me enim inſulæ expectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longe, argentum eorum & aurum eorum cum eis in nomine Domni Dei tui, & S. Iſrael qui glorificauit te Leua in circuitu oculos tuos & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc videbis, & afflues, ac mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Inundatio Camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha, omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes. Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis, & erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapide ferrum. Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus ſimul ad ornandum locum ſanctificationis meæ, & locum pedum meum glorificabo. Ad dexteram, & ad læuam penetrabis, & ſemen tuum Gentes hereditabit & ciuitates deſertas inhabitabit. Lætamini cum Hieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuerſi qui lugetis ſuper eam, vt ſugatis, & repleamini ab vberibus conſolationis eius, vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius: quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium. Meum eſt aurum, meum eſt argentum, ego implebo domum meam gloria. Pro confuſione ſua duplici, in terra ſua duplicia poſſidebunt: quia ego Dominus diligens iudicium, & odia habens rapinam in holocauſto

Amptitudo, & opulentia Eccleſiæ per Iſaiam prædicta.

Iſta, & alia quampiura apud Iſaiam prophetam leguntur, de futura amplitudine, maieſtate, opulentia, affluentia, & hæreditate Eccleſiæ, olim cum ſurgeret, ab omnibus derelictæ, odio habitæ, & ad internecionem vſque ab omnibus, & Iudæis, & Gentilibus, & præſertim Romanis Imperatoribus quæſitæ: quia pro confuſione ſua duplici, duplicia, ſiue quod magis eſt, pro ſimplo, centuplum aliquando poſsideret: contemptui ab omnibus habita, in ſuperbiam ſæculorum aſſurgeret; odio apud omnes exercita, in gaudium generationum, & generationum ſuccreſceret: puſillus grex, in multitudinem, arenæ maris, & ſtellarum numerum excedentem, erumperet; paupertatem, nuditatem, ſquallorem, ignominiam, ſordes, puluerem pedum, pannoſitatem laceram, laris, & tecti inopiam, & in ſumma ſummam omnium egeſtantem atque penuriam, auro, argento, opibus, lacte, & melle gentium, mamillis Regum, & Reginarum, ornamentis pretij inæſtimabilis, delicijs affluentiſsimis, gloria, ſplendore, maieſtate, rerum omnium quæ deſiderari poſſunt inexhauſta indeficientique copia, pace florentiſsima, poſſeſsione inſularum, terrarum, marium gentium, prouinciarum, regnorum iuſtiſsima commutaret, ad dexteram, & ad læuam penetraret, Gentes HÆREDITARET, & CIVITATES DESERTAS INHABITARET. Nihil clarius pro iure Pontificis Romani, in Patrimonium Apoſtolicum, ſiue à ceſsione, ſiue à donatione pientiſsimi, & religioſiſsimi Conſtantini.

Futurum pollicebatur Deus Eccleſiæ Catholicæ, ſuper Petram Petrum à Chriſto conditæ; *Ad dexteram, & ad læuam penetrabis, & ſemen tuum Gentes hereditabit, & Ciuitates DESERTAS inhabitabit. Ergo in Domino dicet; Meæ ſunt iuſtitiæ, & imperium.* Ciuitates deſertas, & imperium, & gentes cum dicit! haud dubio Romanam Vrbem, & id quicquid in poſſeſsionem Eccleſiæ, & Romanæ, & alterius cuiuſcumque, vbique gentium, à pietate Regum, Principum, & piorum ceſsit, intelligit: quando Magnus Conſtantinus ſacro fonte ab interiore, & exteriore contagione ablu- *Iſai. 54 & 45.*

Conſtantini donatio Chriſto, & Eccleſiæ facta.

ablutus, de hoſtibus capitis ſui triumphator, & apparitione tum Crucis triumphalis, tum Diuorum Principum Apoſtolici Senatus, & monitione Dei miſerentis, ad amplificationem Eccleſiæ olim afflictæ excitatus, non quidem Senatui, aut populo Romano, nam id nuſquam aut legitur, aut probatur, Senatum populumque Romanum in poſſeſsionem Vrbis derelictæ ſucceſſiſſe, ſed quod vel ipſi hoſtes Chriſtianorum inſinuant, Chriſto, & Eccleſiæ, vt ait Zoſimus homo Græcus, Græcanicæ ſuperſtitioni addictus, & Chriſtianis omnibus exitiabilis, *ceſſit Roma, & Conſtantinopolim maieſtatem Imperij tranſtulit; quod ſe Romanis ſciret inuiſum, ob mutatam religionem*.

Diuerſorũ Auctorum teſtimonia de Conſtantini donatione.

Intellexit iſtud, & memoriæ volens nolens conſecrauit Rabbi Abraham Leuita, in eo quem de traditione rerum geſtarum Romæ ſcripſit libro: in quo ex Hebræo iſtud lego; *Conſtantinus Cæſar legem Nazaræorum confirmauit, & ad eorum cultum ac legem tranſijt annis tercentum poſt Ieſum, iuxta eorumdem computationem. Ceſſit deinde Roma, eamque Sacerdotibus Idumæorum, ad hanc vſque diem dedit, Conſtantinopoli ædificata.*

Nazaræorum legem, Chriſtianam Religionem, Sacerdotes autem Idumæorum, ſummos Pontifices Romanos, impius per contemptum intelligit; aſpectu ad Chriſtum cruci affixum, cui titulum mortis Pilatus inſcripſit: *Ieſus Nazarænus Rex Iudæorum*, & reſpectu ad Edom, & Idumæam, quibus nominibus execrabiles eſſe gentiles volebant, vtpote ab Eſau reprobo deriuatione genealogica deſcendentes: quorum tamen hæreditas, iuxta illud vaticinium Dauidis; *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ ſubditi facti ſunt*; tunc in poſſeſſionem Chriſto ceſſit, cum Sacerdotibus Idumæorum, Conſtantinus Imperator, Roma, & Italia ceſſit. Patria huic narrat Abben Ezra, in Danielis cap. 11. quæ Latine ex Hebræo lego; *Conſtantinus decorauit locum Romæ, quæ erat ſedis eius, & reliquit eum iniquitati, quæ appellatur Petrus*. Clariora R. Gedalia Iachia in cathena traditionum, ex Hebræo; *Anno à creatione Mundi 4050. Romæ Conſtantinus Cæſar Chriſtianæ fidei adhæſit, & Silueſtro Papæ quod in Italia habebat, dono dedit; Byzantium adijt, & Conſtantinopolim iterum condidit, ſuoque nomine eam appellauit*.

Non obſcuriora Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Romanorum Pontificum acerrimus hoſtis, in ſuo Nomocanone, & cum eo Theodorus Balſamon homo Græcus titulo octauo eiuſdem Nomocanonis; & poſt illos Laonicus Chalcondilas item Græcus, in eo quem de Geſtis Turcarum Commentario reliquit; *Romani*, inquit, *cum nacti eſſent Imperium in Orbe latiſſ.mum, commiſerunt Romam Pontifici Maximo, ipſi vero tranſierunt in Thraciam, Byzantium, quæ nunc Conſtantinopolis eſt, Thraciæ metropolim conſtituentes*.

Cum his eadem ſentiunt, Georgius Cedrenus Zonaras, tomo 3. & Theophanes Nicææ Epiſcopus, & Nicephorus lib. 7. cap. 33. & 35: & Beda in Chronicis, & Gregorius Turonenſis libro 2. hiſtoriarum, & Iſidorus in ſua hiſtoria, & Adrianus Papa in epiſtola ad Conſtantinum, & Irenem, cum ex edicto donationis, ſeu potiùs ceſſionis Conſtantini, partem recitat de imaginibus SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum qui Conſtantino apparuerant; quam epiſtolam Patres ſecundæ Nicænæ Synodi lectam comprobarunt, & tam Iuſtinianus Imperator, quam Theodoricus, ſiue Arithbertus Longobardorum Rex, Pipinus, Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Lotharius, Otho Magnus, Henricus Pius, & vt ſuperiores alios omittam, Henricus VI. & VII. Fridericus I. II. & III. Guillelmus, Rudolphus I. & II. Ricardus, & Alfonſus, Adolfus, Albertus, Carolus IV. Venceslaus, Robertus, Sigiſmundus, Maximilianus I. & II. Carolus V. Ferdinandus I. datis diplomatibus Romanæ Eccleſiæ, donationem, ſeu ceſſionem Conſtatinianam, ratam, gratamque habuerunt; memores illius quod potuit, & debuit Conſtantinus exprimere; *quoniam vbi Principatus Sacerdotum, & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cæleſti conſtitutum eſt, iuſtum non eſt, vt illic Imperator terrenus habeat poteſtatem. Hæc videlicet omnia, quæ per hanc Imperialem noſtram ſacram, & per alia diualia decreta ſtatuimus atq; confirmauimus, vſque in finem mundi illibata, & inconcuſſa permanere decernimus. Vnde coram Deo viuo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili eius iudicio obteſtamur per hoc noſtrum Imperiale conſtitutum, omnes noſtros ſucceſſores Imperatores, vel cunctos optimates, Satrapas etiam, ampliſſimum Senatum, & vniuerſum populum in toto Orbe terrarum, nunc & in poſterum, cunctis retro temporibus Imperio noſtro ſubiacentem, nulli eorum quoquo modo licere, aut infringere, aut conuellere. Si quis autem quod non credimus, in hoc temerator, aut contemptor extiterit, æternis condemnationibus ſubiaceat innodatus, & ſanctos Dei Principes Apoſtolorum Petrum, & Paulum ſibi in præſenti, & in futura vita ſentiat contrarios; atque in inferno inferiori concrematus, cum diabolo, & omnibus impijs deficiat. Huius vero Imperialis decreti noſtri paginam proprijs manibus roborantes, ſuper venerandum Corpus Beati Petri Principis Apoſtolorum poſuimus.*

Conſtantini donatio à varijs Imp. confirmata.

Conſtant. edictum, & pœnæ in violatores donationis ab eo adiectæ.

Iſtis vinculis obſtringebat futuros ſucceſſores Imperatores, ac Senatum populumque Romanum Conſtantinus Imperator, cedens Pontifici Romano, Vrbe Roma, & quicquid ceſſit in hæreditatem Patrimonij Apoſtolici. Cui edicto Conſtantiniano, quamquam Græci, Patriarchij Conſtantinopolitani Primatum ambientes, multa adfinxerint, non tamen efficere potuerunt apud integri, & conſtantis iudicij viros, vt, quod aliqui volunt, illud quaſi in vniuerſum fictitium exiſtimauerint, aut reiecerint, quin potius extra omnem ambiguitatem illud, quod ceſſionem, vel donationem attinet, tanquam verum, & legitimum habuerunt; maximè quod, & Ludouicus Imperator, in priuilegio confirmationis, fateatur, non quod ipſe prior ſit, qui primo donauerit, ſed qui reſtituerit donationemque ſeu potius ceſſionem integram eſſe voluerit; vſus iſtis verbis; *ſicut à prædeceſſoribus veſtris, vſque nunc in veſtra poteſtate, & ditione tenuiſtis, & diſpoſuiſtis*: & Leo Iconomachus, quod legitur libro 1. Iuris Orientalis, *Patrimonia quæ dicuntur Romæ templorum SS. Apoſtolorum, & Præſulum, talenta tria ſemis, quæ iam olim pendebantur, publico ærario pendi iuſſerit*; adeoque Romanam Eccleſiam, non minus iuſto quam vetuſto titulo, ampliſſimos fundos, & in his Romanam Vrbem poſſediſſe pro certiſſimo cenſuerit: & S. Gre-

Patrimon. Eccleſiæ ſub S. Greg. Pp.

S. Gregorius circa annnm 600. Primonium Eccleſiæ, per Occidentem longè lateqne patens, quo ipſe fruebatur, demonſtrauerit; ſcilicet in Africa, epiſt. 73. lib. 1. Neapoli, lib. 5. ep. 11. In Campania libro 2. ep. 49. Sicilia lib. 1. ep. 2. 3. 68. 70. lib. 2. ep. 76. & Diacnn. lib. 21. rerum Romanarum, Sicilia tria talenta, & dimidium auri Eccleſiæ Romanæ pendebat.

In Italia, lib. 1. ep. 23. & lib. 5. ep. 12. & lib. 6. ep. 23. Sardinia, lib. 1. epiſt. 60. In Dalmatia, lib. 2. epiſt. 41. 44. 61. In Gallijs, lib. 5. epiſt. 5. 6. 10. 52. 55. & lib. 2. epiſt. 72. quæ omnia, & ſingula à Diuo Gregorio enumerata, an fuerint ex Conſtantiniana ceſſione an vero ex aliorum piorum conceſſione, ſeu donatione, nnn anxie inquiro; cum nonnulla ex his potuerint, alio quopiam iuſto tituln Eccl. Rom. acceſſiſſe, certatim contendentibus pijſsimis Principibus, Eccleſiam Romanam, iuxta pollicitationem diuinam, mamilla ſua lactare, & in ſuperbiam ſæculorum erigere.

Hiſpania à Gothis Regibus Catholicis Eccleſiæ donata. 1. ep. 7. 4. ep. vlt. to. 3. epiſt. Rom. Pont.

Sanè Gothorum Catholici Reges, Hiſpaniam, antequam à Saracenis inuaderetur, quantum ad ius, & poſſeſsionem, quod Gregorius VII. Principibus Hiſpaniarum in memoriam reuocabat, Romanæ Eccleſiæ tradiderant. Quo reſpectu idem Gregorius VII. cnm iam Principes Chriſtiani nnnnulla ex Saracenis recuperaſſent, cenſum, ſeu vectigal numerari olim ſolitum, & requiſiuit, & obtinuit; & alia recuperandi, poteſtatem Sancio, & Alfonſo

Baron. ann. 1073.

Regibus, nonniſi ea conditione fecit, vt quæ à Saracenis recuperaſſent, eadem vt obligata Romanæ Eccleſiæ ſub eius auctoritate poſſiderent, & annuum pro illis canonem penſitarent.

Cui rei, cum Sancius, & Alfonſus paruiſſent, Berengarius quoqne Comes Barchinonenſis illorum exemplo, Tarraconenſem Ciuitatem ſub Vrbann IV. recuperatam, Romanæ Eccleſiæ obtulit, eandemque ab eo ſub tributo poſsidendam accepit. Petrus Rex Aragonum Innocentij III. temporibns, regnum Aragonnm, Eccleſiæ Romanæ, cum annuo cenſu ducentarum quinquaginta maſſemutinarum, hoc eſt, vnciarum auri; Alfonſ. I. Rex Portugalliæ, ſuúm pariter regnum, Alexandro III. Pontifici, cum annuo cenſu duarum marcharum auri obtulit, & vt reliqua breuiter perſtringam; Alpes Cottias, Aripertus Longobardorum Rex Ioanni VI. reſtituit, eamque

Exarchatus Rauennæ à Pipino Saxonia Anglia, Britannia, Hungaria, Polonia, & aliæ Prouinciæ cenſuales Rom. Eccl.

reſtitutinnem Luitprandus Rex confirmauit: Exarchatum Rauennæ, & alia plurima in Italia, & inſulis circumadiacenribus, Pipinus Rex, primus amplificandæ Eccleſiæ viam aperiens, de Longobardis recepta, Eccleſiæ poſſidenda, Stephano III. tradidit; quam poſſeſſionem Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Otho Magnus, & Henricus I. comprobauit: Carolus præterea Magnus Saxoniam dedit, & Gallias, Romanæ Eccleſiæ vectigales fecit. Ina Rex Occidentalium Saxonum Angliam; Salomnn Rex, Britanniam minorem; Stephanus Rex, Hungariam, Mitcislaus vel Caſimirus, Poloniam; Vratislaus Dux Boemiam, Daniam, Ruſsiam, Dalmatiam, Croatiam, Liguriam, Thuſciam, Proninciam in Gallia, Hibernlam, Armeniam, & alia multa, Reges, & Principes earum gentium, Romanæ Eccleſiæ cenſuales conſtituerunt, & nummos qui hoc nomine penderentur, vel denarios S. Petri, vel alio peculiari titulo, qui ius Romanæ Sedis indicaret, appellarunt. Cuius Chriſtianæ pietatis, vt memoria in archiuio S. R. E. omnibns occurreret, PAVLVS QVINTVS qui condidit, imaginibus pulcherrimè depictis exprimi, & ſingulis ſubſcribi curauit, hoc ſchemate, & ordine.

I.

Ioanne VI. Pont. Max. Aripetus Longabardorum Rex Alpes Cottias à maioribus ſuis iniuſtè occupatas, Apoſtolicæ Sedi reſtituit.

II.

Pipinus Francorum Rex, Exarchatum & Pentapolim Prouincias, ex Aſtulphi Longobardorum Regis manibus ereptas, per Fuldradum Abbatem Stephano III. Pont. Max. donat.

III.

Hadriano I. Pont. Max. Carolus Magnus Francarum Rex, Pipini patris donationem Romanæ Eccleſiæ factam confirmat, nouiſque donationibus cumulat.

IV.

Gregorio VI. Pont. Maxim. Caſimirus Poloniæ Rex debellatis hoſtibns regnum ſuum B. Petro, ex voto vectigale fecit.

V.

Nicolao II. Pontifici Rom. Specienus Bohemiæ, Regali corona à Pontifice per Legatum donatus, centum argenti libras ſingulis annis Apoſtolicæ Sedi ſoluere promittit.

VI.

Stephanus I. Vngariæ Dux, à Syluestro II. Pont. Max. Regia Corona, & Cruce per Legatum inſignitus, Regnum Vngariæ Sedi Apoſtolicæ donat.

VII.

Demetrius Croatiæ, & Dalmatiæ Dux, à Greg. VII. per Legatum Regali titula auctus, annuumicenſum B. Petro ſe ſoluturum promittit.

VIII.

Gregorio VII. Pontif. Max. Mathildis fæmina præclariſſima, patrimonium ſuum in Thuſcia & Lombardia, Apoſtolicæ Sedi donat.

IX.

Vrbano II. Pontif. Max. Petrus I. Aragonum Rex per Legatum, Aragoniæ Regnum B. Petro vectigale facit.

X.

Innocentius II. Rogerium Siciliæ Comitem Regio titula ornat, & Apoſtolicæ Sedis feudatarium facit.

XI.

Alexander III. Pont. Max. Regiam coronam

nam mittit Alphonſo Portugallia Duci, qui Lucio II. Pont. Max. Ducatum ſuum Romanæ Eccleſia vectigalem fecerat.

XII.

Hadrianus IV. Pont. Max. Henrico II. Angliæ Regi, Hiberniæ regnum ſub annuo cenſu concedit.

XIII.

Innocentio III. Pont. Max. Ioannes Anglia Rex, coram Legato Sedis Apoſtolica regnum ſuum B. Petro Vectigale conſtituit.

XIV.

Honorio III. Pontifice Maximo Reginaldus Rex Inſulæ Menæ in Hibernico mari, coram LegatoPontificio regnum ſuum Apoſtolicæ Sedi donat.

XV.

Vrbano VI. Pontifice Maximo Henricus Lanthgrauius Haſſiæ per Legatum ſuum, caſtra diuerſa Moguntinenſ. Treuerenſ. & Herbipolen. diœceſ. Apoſtolicæ Sedi donat.

XVI.

Syluestro I. Pont Max. Conſtantinus Magnus Imperator, Romanam Eccleſiam ingentibus donis locupletat; Pontifici varia ornamenta largitur.

XVII.

Ludouicus Pius Imp. diploma ad Paſchalem primum Pont. Max. mittit, in quo Patris, Auique donationes Romanæ Eccleſiæ factas comprobat.

XVIII.

Ioanne XII. Pont. Max. Ottho I. Imperator, ſuperiorum Principum donationes B. Petro factas confirmat, eiuſque patrimonia quæ tyranni occupauerant illi reſtituit.

XIX.

Benedicto VIII. Pont. Max. Henricus I. Imperator, donationes à ſuperioribus ſuis Sedi Apoſtolicæ factas confirmat, eamque nouis donationibus auget.

XX.

Innocentio III. Pont. Max. Ottho IV. Imperator apud Spiram in Conuentu Principum, donationes Romanæ Eccleſiæ ab alijs Imperatoribus factas, manu ſua confirmat.

XXI.

Honorio III. Pont. Max. Fridericus II. Romæ per Legatum Apoſtolicum Imperator coronatus Superiorum Imperatorum donationes Sedi Apoſtolicæ factas tueri iureiurando promittit.

YXII.

Guillelmus Romanorum Rex, ad Innocentium IV. Pont. Max. diploma mittit, in quo donationes Sedi Apoſtolicę à ſuperioribus Imperatoribus factas confirmat:

XXIII.

Rodulphus Romanorum Rex, per Corradum Ordinis Minorum, Nicolao III. Pont. Max. ſolita iuramenta præſtat, & donationes S. R. E. factas confirmat.

XXIV.

Clementi V. Pont. Max. Henricus VII. Romæ per Legatos Apoſtolicos Imperatoris corona ornatus, donationes Sedi Apoſtolicæ à prædeceſſoribus factas probat.

XXV.

Bonifacio VIII. Pont. Max. Alberti Romanorum Regis, Legatus Sedis Apoſtolicæ iura confirmat; ius eligendi Imperatorem, ſeptem Electoribus ab ea conceſſum eſſe fatetur.

XXVI.

Innocentio VI. Pont Max. Carolus IV. cum vxore à Legatis Apoſtolicis Romæ Imperator coronatus, donationes à veteribus Imperatoribus Eccleſiæ Romanæ factas confirmat.

Hæc Paulus Quintus, ad iudicandam Chriſtianorum Principum pietatem proſtare voluit: quibus alia poterant, ſi conclauium capacitas admiſiſſet, adiungi; vt euidenter omnibus appareat, Eccleſiam Romanam, id quicquid patrimonij obtinet, iure optimo, & titulo iuſtiſſimo poſſidere: adeoque eodem iuſtiſſimo titulo, ſua vel in feudum concedere, vel ab iniquis poſſeſſoribus repetere, vel ab inuaſoribus defendere: vel ius fiduciarium ſeu beneficiarium poſtulantibus, negare; vel de ijs ex recto & æquo, ad arbitrium ſuum diſponere: quemadmodum tot decurſu ſæculorum diſpoſuit; vt & à præſcriptione temporis, & à donatione diuinitùs diſpoſita, poſſit etiam illud quod Iephte Regi Ammonitarum prouincias amiſſas repetenti, aduerſarijs præſcribere: *Quæ autem Dominus noſter victor obtinuit, in noſtram cedent poſſeſſionem, niſi fortè melior es Balaac filio Sephor Rege Moab: aut docere potes, quod iurgatus ſit contra Iſrael, & pugnauerit contra eum, quando habitauit in Heſebon & viculis eius, & in Aroer & villis eius, vel in cunctis ciuitatibus iuxta Iordanem per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentaſtis.* Iure itaque merito Paulus Quintus, ſuperiorum Pontificum, qui pro vindicando Patrimonio Apoſtolico plurima & egerunt, & ſanxerunt exemplo, in occupatores illius, anathematis ſpiculum contorſit, pronunciauitque, in ea quam die cœnæ Domini Bulla legit; *Excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios, directè vel indirectè, ſub quocunque titulo vel colore, inuadere, deſtruere, occupare, & detinere præſumpſerint, in totum vel in partem, Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuſcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venauſinum, Sabinenſ. Marchiæ Anconitanæ,*

Eccl. Rom. poteſt de patrim. Ap. ex recto, & æquo ad arbitrium ſuũ diſponere.

Iudic. 11.

Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas prouincias, illarumque terras & loca, ac terras ſpecialis commiſſionis Arnulphorum, ciuitateſque noſtras, Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneuentum, Peruſium, Auinionem, Ciuitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Ciuitates, terras, & loca, vel vera ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictaque R. E. mediatè, vel immediatè ſubiecta, necnon ſupremam iuriſdictionem in illis, nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem, de facto vſurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præſumunt, necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtantes.

Non eſt nouum, hoc genere ſpiritualium armorum, contra inuaſores & occupatores Patrimonij Eccleſiaſtici, Pontificibus Romanis pugnare: quinimo iſtud genus telorum primum fuit, ad intorquendum contra eos, vt poſſem abunde exemplis oſtendere. Vnum quod diuinæ vindictæ, in eos qui Romanæ Eccleſiæ Patrimonium inuadere occupareque auſi fuerant certiſſima argumenta ob oculos ponit, mihi ſuffecerit, quod Martinus IV. contra Regni Siciliæ turbatores Siculos, ac inuaſorem Petrum Regem Arragonum ſtrinxit: vt omnes intelligant, ius ſupremum Eccleſiæ quo ab authoritate Apoſtolica diuino calculo comprobata nititur, in ferendo anathemate, pro iuribus Apoſtolici Patrimonij. duo edicta adiunxero, pro hoc vno.

I.

Contra Siculos turbatores.

Martini IV. Pp. edictum contra Regni Sicil. inuaſores, & turbatores.

„ Ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

„ Cogit nos temporis qualitas, & nequitia plurium deteſtanda ſollicitat, vt infraſcriptorum prædeceſſorum noſtrorum geſta, quę plenius in Archiuo conſeruantur Eccleſiæ recenſentes, ipſius prouidere quieti cautius ſtudeamus.

„ Sanè felicis recordationis Innocentius Papa Quartus prædeceſſor noſter, culpas graues, imo grauiſſimas, & multiplices; ac maſeſtos proceſſus quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris perpenſi maturitate conſilij, ac recti iudicij cenſuræ diiudicans, ei ſecundum praua opera ſua reddiderit, ipſum honore Imperij, Regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuæ, Generali ſuper hoc Lugdunenſi Concilio approbante, ac iuſtitia priuauit; prout in vniuerſalem mundi notitiam non eſt dubium deueniſſe: nec ab ea veriſimiliter creditur alienum, qualiter Fridericus ipſe actus ſuperbiæ ſpiritu, quamquam ſic dignè depoſitus, ſic iuſtè priuatus, ſententia priuationis huiuſmodi prolata in eum, pertinaci animo parere comtemnens, Regnum & Imperium ſupradicta poſt eiuſdem prolationem ſententiæ occupata detinere præſumpſerit.

„ Qualiter etiam poſt iam dicti obitum Friderici, Conradus natus, paternæ malitiæ imitator, dictum Regnum præſumptuoſis auſibus occupauit, & tandem prædicto Conrado humanis rebus exempto, quondam Manfredus, olim Princeps Tarentinus, eiuſdem, vt dicitur, Friderici filius, qui etiam abſque priuatione prædicta, propterea non iuſtæ legitimæ ſucceſſionis participium perdidit, quia ipſum partus legitimus non agnouit, vtpote de damnabili commixtione ſuſceptus, ad occupationem prædicti Regni temerarias, & occupatrices manus extendit.

„ Grauibus igitur, & enormibus admodum per potentiam, & malitiam eorundem iniurijs irrogatis Eccleſiæ, ipſam quoque in ſuis multipliciter afflictam fidelibus reſpexit Dominus ſponſam ſuam, & conuertens nubilum in ſerenum, prædicti Friderici domum, qaæ conſueuerat quamuis malis abundare perſonis, ſic penè redegit ad nihilum, ſic illam iactura multitudine oppreſſit diſsipationis, vt de illa nonniſi ſcintilla vnica remaneret, Conradinus videlicet Conradi filius ſupradicti, qui, cum in eo malitia ſuppleret ætatem, ipſeque annorum ſuorum curricula ſuperaret nequitia, progenitorum ſuorum nefarios actus ſequens, ac eorum profanas iniquitates amplectens, mentiſque ambitioſę vitio in Imperium exercens, ſibi Regnum intitulando Siciliæ, ſe ipſius Regni Regem denominare temere præſumebat: & cum nonnullis Eccleſiæ inimicis Lombardis, Tuſcis, Marchianis, & Apulis, præcipuè de Regno profugis prelibato, fraudolentis ſe implicando commercijs, in Vrbe Lombardia, Tuſcia, & per alia loca, ſuas diſſeminare litteras non ſinebat, ſub expreſſione nominis proprij, & premiſſę intitulationis ſigillo Regiæ maieſtatis impreſſus; per quas commouere populum, incitare gentes, ac turbare pacem Eccleſiæ nitebatur, in ipſius Eccleſiæ, & chariſſimi in Chriſto filij noſtri Caroli Siciliæ Regis illuſtris, graue præiudicium & diſcrimen. Vnde piæ memoriæ Clemens Papa prædeceſſor noſter, cum ſibi de ijs euidentius conſtitiſſet, diligenter attendens multam ipſius Conradini malitiam, & ſuorum conatuum peruerſorum volens obuiare principijs, certum habuit contra eum in hac parte proceſſum, prout vidit rationabiliter expedire, ac negotij qualitas perſuaſit. Demum præfato Conradino ſubtracto de medio, eidem Regno pax redijt, aurora tranquillitatis illuxit ſedatis turbationis fluctibus, quos ipſius Conradini parua ſtudia ſuſcitarant, ſicut nuper non ſine multa turbatione relatu percepimus, nonnulli proteruæ temeritatis ſpiritum aſſumentes, ad noſtram, necnon & Eccleſiæ dictique Regis turbationem, & ſcandalum aſpirantes, & in prædicto Regno turbationis emortuæ ſopitum ignem reaccendere moliuntur, ad id ſua ſtudia iniqua congerunt, ad id ſuarum virtutum potentiam coaceruant, manus pręſumptuoſas apponunt, & etiam occulti fauoris auxilium largiuntur: Teſtatur hoc inter cætera horrendi ſceleris feralis immanitas, de nouo in Ciuitate Panormitana patrati, vbi ſic debacchatus eſt gladius, ferrum infremuit, furor excanduit, rabies inſaniuit, manus truculenta dæſeuijt, quod, ſicut rumor mæſtus nuntiat, non ſuffecit virorum ac mulierum multitudinem inibi cædi dati, niſi & ii quos nondum in lucem natura produxerat, maternis apertis vteris necarentur, trucidarentur innati, & deliteſcentibus viſceribus genetricum impiæ profocationis exitium inferretur.

Quia

Quia igitur præfatum Regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam ſpectare dignoſcitur, quod ſui iuris & proprietatis exiſtit, ac propter hoc nos qui vna cum Eccleſia ipſa medullitus in hac parte configimur, & quaſi cuiuſdam acerbæ punctionis aculeo excitamur, volentes tam grauibus malorum huiuſmodi iniurijs, tantiſue periculis, acceleratis remedijs, prout poſſumus, obuiare, ne tam horrenda principia conualeſcant, præſente hac multitudine copioſa de fratrum noſtrorum conſilio, vniuerſos, cuiuslibet præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus monemus attentè, diſtrictè præcipientes eiſdem, nè in prædicto Regno vel eius parte, Nos, & eandem Eccleſiam, ac præfatum Regem in ipſa, qui prædictum Regnum ab eadem tenet Eccleſia, per ſe, vel per alium, aut alios moleſtent, ſeu impetant, vel perturbent occupando vel inuadendo hoſtiliter, ſeu occupari vel inuadi faciendo Regnum ipſum vel aliquam partem eius.

Præcipimus inſuper vniuerſis & ſingulis Chriſtifidelibus, ſpecialiter autem Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Ciuitatibus, Comitatibus, & vniuerſitatibus Caſtrorum, & aliorum quorumcumque locorum Italiæ, & maxime temporali iuriſdictioni Eccleſiæ Romanæ ſubiectis. ne prædictis in occupatione vel inuaſione huiuſmodi prorſus intendant, & ne cum armis, vel ſine armis ad turbandam in prædicto Regno pacem eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, ac præfati Regis Siciliæ in eodem, præſtent eis in occupatione vel inuaſione prædictis conſilium, auxilium, vel fauorem, publicè, vel occultè, & ne ſuper hoc ſocietatem, vel coniurationem, aut fœdus aliquod ineant cum eiſdem. Si qui autem contra monitionem, & præcepta noſtra præmiſſa, per ſe, vel per alium, aut alios, quibuſcumque dolo, fraude, arte, vel machinatione fecerint, cuiuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, aut ſtatus, excommunicationis ſententia, quam ex nunc in illos proferimus, ipſo facto ſe nouerint innodatos.

Excommunicatio in inobedientes lata.

Ciuitates quoque, & communitates quaslibet, quæ contra monitiones, & præcepta noſtra prædicta quocumque dolo, fraude, ingenio, arte, vel machinatione venire præſumpſerint, Eccleſiaſticæ ſententiæ interdicti, quam ex nunc in illos proferimus, volumus ſubiacere. Apertè quoque prædicimus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & alijs inferioris gradus Prælatis quod ſi contra monitionem, & præcepta noſtra præmiſſa vel eorum aliqua venire tentauerint, Nos eos omni Eccleſiaſticæ dignitatis honore priuamus. Cæteros autem Clericos non Prælationis officium, ſed dignitatis forſitan, vel perſonatus, aut alia quæuis Eccleſiaſtica beneficia obtinentes, & obtentis priuare curabimus, & inhabiles reddere ad alia obtinenda prout nobis facti qualitas ſuggeret, & iuſtitia ſuadebit. Laicis verò cuiuſcumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, & præcipuè iuriſdictioni temporali Eccleſiæ Romanæ ſubiectis, denunciamus expreſsè, quod ſi contra monitionem & præcepta noſtra huiuſmodi, per ſe, vel per alium, ſeu alios temere veniendo, ea non curauerint obſeruare, Nos tantæ temeritatis audaciam non intendentes relinquere impunitam, ipſos feudis, & alijs omnibus quæ à prædicta, & alijs Eccleſijs, & perſonis Eccleſ. obtinere noſcuntur, Vaſſallos eorum, ſi quos habent, à fidelitatis iuramento quo tenentur eiſdem reddere penitus abſolutos, & perſonas ipſorum citra mortis & mutilationis periculum expoſitis ad expoſitionem bonorum ipſorum procedere Deo auctore curabimus, prout eorum culpæ exegerint, & videbimus expedire.

Vaſſalli à iuramento abſoluuntur.

Cœterum quia prædicta Ciuitas Panormitana, & nonnulla Caſtra, ſeu Villæ illarum partium contra præfatum Regem Carolum, qui Regnum ipſum ab eadem tenet Eccleſiæ rebellionis ſpiritum aſſumpſiſſe dicuntur, nos circa illa nolentes in hoc iuris ſeruare rigorem, ſed vti potius manſuetudinis lenitate, quam in actionibus noſtris libenter amplectimur, intendentes ac volentes eadem ab huiuſmodi erroris inuolucro paternis ſtudijs reuocare, communitatibus Ciuitatis, & Caſtrorum, ac Villarum prædictarum diſtricte præcipimus, vt ſublato cuiuslibet difficultatis & dilationis obiecto ad noſtra, & Eccleſiæ, ac Regis prædictorum mandata redire procurent; Eiſdem quoque communitatibus diſtricte præcipimus ne prædictos moleſtatores, turbatores, occupatores, ſeu etiam inuaſores, aut dantes eiſdem in prædictis conſilium, auxilium, vel fauorem, in ciuitatem, caſtra, villas, ſeu diſtrictus eorum quouis modo recipiant, vel receptent, nec ipſorum, aut alicuius eorum dominio, vel regimini quomodolibet ſe ſubmittant, neque ipſius vel eorum alicui contra Nos & eandem Eccleſiam ac Regem prædictum in ea impendant in prædictis conſilium, auxilium, vel fauorem publicum vel occultum.

Nos enim confœderationes, ſeu colligationes quaslibet, ſi quæ inter communitates eaſdem, vel ipſas ac quaſcunque alias initas ſiue factas ſuper occupatione ac inuaſione prædictis penitus diſſoluentes, ac iuramenta de illis ſeruandis, vel alijs quibuſcunque pro prædictis hinc inde præſtita relaxantes, omnino communitatibus ipſis aperte prædicimus, quod niſi præmiſſa curauerint quantocius adimplere, contra eas, & ciuitatem caſtra & villas eorum ſpiritualiter & temporaliter auctore domino procedemus, quod pœna docente agnoſcere poterunt quam ſit temerarium & ſuperbum mandatis Apoſtolicis contraire.

Iuramenta relaxantur.

Vt autem huiuſmodi proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas, ſiue membranas proceſſum continentes eundem in Maioris Eccleſiæ Vrbeuetanæ appendi vel affigi oſtijs ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo iudicio publicabunt: ita quod illi quos proceſſus ipſe cõtingit nullam poſſint poſtea excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non peruenerit, vel quod ignorauerint eundem: cum non ſit veriſimile remanere quoad eos incognitum, vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Actum, &c.

I I.

Proceſſus habitus contra Petrum Regem Aragoniæ & Siculos Eccleſiæ Romanæ rebelles.

Aliud edictum contra Petrū Reg. Arag & Sic. Rom. Eccl. rebelles.

Ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum.

Longa retro ſeries, ipſiuſque diffuſa narratio, cui vix tempora longa ſufficerent, tædio grandi nimirum audientes afficeret, ſi quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, poſterorumque ſuorum culpas horrendas, & exceſſus infandos ab ipſis contra Deum, & Romanam commiſſos Eccleſiam, ac proceſſus perinde per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros rite habitos contra ipſos, pœnaſque iuſte illis indictas repetitio ſeriofa narraret.

Ideoque ſumma rerum faſtigia prout imminentium caſuum neceſſitas exigit, & abſque ſeditionis iniuria materia patitur decreuimus proſequenda. Et quidem communem non credimus latere notitiam qualiter fel. rec. Innocentius Papa Quartus prædeceſſor noſter memoratum Fridericum, qui ſe per eoſdem ſuos exceſſus & culpas innumeras indignum Imperio & Regnis omnique honore reddiderat, in Concilio Lugdonenſi, eodem approbante Concilio, propter ſuas iniquitates à Deo ne regnaret vel imperaret abiectum, oſtendit & denunciauit omni honore ac dignitate priuatum à domino, & nihilominus ſententiando priuauit: vt in eiuſdem prędeceſſoris ſententia contra ipſum Fridericum lata plenius continetur.

Frideric. in Conc. Lugdun. ab Innoc. IV. Imperio priuatus.

Qualiter etiam poſt eiuſdem Friderici obitum licet Regnum Siciliæ ad diſpoſitionem Eccleſiæ Romanæ, cuius iuris, & proprietatis exiſtit, eſſet libere deuolutum: Idemque prædeceſſor de illo ſe prouiſurum in eodem Concilio publice prædixiſſet, quondam Conradus dicti Friderici natus, quamquam in eodem Regno ex ipſius ſui genitoris ſucceſſione nullum penitus ius haberet, cum, ſicut ex præmiſſis apparet, nec ipſe mortis ſuę tempore habuiſſet, nec alias dicto Conrado ius competeret in eodem, ipſum Regnum pręſumptione temeraria occupauit.

Conradus Frid. filius.

Nec illius recentiores facti memoriam obliterauit obliuio, videlicet quod ipſo Conrado ſubtracto quondam Manfredus tunc Princeps Tarentinus, quem velut de copula damnata ſuſceptum à dicti Regni ſucceſſione, non ſolum præmiſſa eiuſdem Friderici priuatio, ſed etiam macula illegitimæ natiuitatis arcebat, contra iuramentum fidelitatis quod dicto prædeceſſori præſtiterat temere veniens, ſub quondam Conradini nati dicti Conradi ſuique nepotis ſimulata protectione tutoria ad quædam ciuitates, & caſtra, & alia loca Regni eiuſdem manus occupatrices extendit, propter quod & alios ſuos actus nefarios, & graues offenſas piæ memoriæ, Alexander Papa Quartus prædeceſſor noſter ipſum ex cauſis varijs excommunicationis vinculo innodatum Tarentino Principatu, honore Montis Sancti Angeli, omnibus ciuitatibus, terris, feudis, dignitatibus, & alijs honoribus, bonis, ac iuribus quæ in præfato Regno, & quæ alibi, etiam ab Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis obtinebat, necnon & Vicaria in quadam ipſius Regni parte ſibi ab Apoſtolica Sede conceſſa, & etiam omnibus conceſſionibus, donationibus, largitionibus, confirmationibus, & priuilegijs, ſiue à prædictis Friderico patre, vel Conrado fratre ſuis, ſiue à Sede Apoſtolica in Regno ſibi factis, eodem, vel alibi, etiam ab Eccleſijs quibuſcunque, vel perſonis Eccleſiaſticis tamquam rebellem, & hoſtem Eccleſię Romanę, violatorem fidelitatis ſibi præſtitæ manifeſtum, ſuorumque iurium inuaſorem, occupatorem, & detentorem ſacrilegum, & tamquam ſocietatum nefando fędere Sarracenis, eorum complicem, ductorem, & protectorem publicum, Apoſtolica auctoritate priuauit. Cumque idem Manfredus, nec ijs aliiſue remedijs contra malitiam eius adhibitis in ſua iniquitate remiſſior, ſed in committendo quotidie prioribus deteriora feruentior, poſtmodum fraudulenter præfati nepotis ſui morte conficta idem Regnum proprio nomine occupans & regium in illo titulum & nomen vſurpans ſe, ortus ſui non erubeſcens primordia, in illius regem inungi & coronari feciſſet: Idemque prædeceſſor Alex. eius iniquitates, & fraudes abominans, & deteſtans, caſſauit, & irritauit, caſſum & irritum nunciauit quicquid circa ipſum Manfredum per inunctionem, ſeu potius execrationem, & coronationem, quas recipere de facto præſumpſerat, quaſque nullas eſſe conſtabat, extitit tam temerarie tam doloſe pręſumptum.

Manfredus Nothus Regni Siciliæ inuaſor ab Alex. IV. excomm.

Eiſdem vero Manfredo, & demum Conradino, qui ætatem præueniendo malitia, à dictorum prædeceſſorum ſuorum iniquis ſemitis non declinans, ſed ad eadem Imperium, & Regnum aſpirans, præfatam Eccleſiam, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrū Carolum Regem Siciliæ Illuſtrem inſidijs multis impetijt, & multipliciter apertis conatibus infeſtauit; Propter quod contra eum, & fautores ſuos per recolendæ memoriæ Clementem Papam prædeceſſorem noſtrum varij habiti ſunt proceſſus, ſi forte ſic nobis & Regno, ac Regi prædictis pacis & quietis ſerenitas arrideret, ſed in ſubditas tempeſtates acta eſt æſtiua tranquillitas, bellum in media pace ſurrexit, facti ſunt hoſtes ex ſubditis: Et qui eidem Regi Siciliæ ad fidelitatis debitum tenebantur, rebellionis ſpiritum infideliter aſſumentes, non ſolum hoſtilia, ſed tyrannica patrarunt. Sicut enim grauis clamant infamia, proceſſit adeo Panormitana Ciuitas, & ciuium præſumptuoſa rebellio, quod rebellandi audacia, & iurium interuerſione Regalium, ſuique, quantum in eis eſt, abiectione dominij non contenta, ferinæ immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas expoſuit, dum eorum exitialis iniquitas non ſolum quos ex deuotis Regis ipſius concepta potuit præoccupare nequitia ſine ſexus ætatiſque delectu inhumane accidit, verum etiam partus quos adhuc viſcerum maternorum clauſtra celabant, illis ſæue deſectis ſic præcipiti feſtinatione produxit in lucem, quod eis nimis proculdubio innaturaliter lucis vſum antequam concederet natura ſubtraxit, ipſis adeo præmatura & impijſſima cæde cæſis, quod ortus eorum principia vitę pręuenit occaſus.

Conradin. Manfredi nepos.

Carolus Sicil. Rex.

Panormitanorū rebellio & crudelitates.

, caſus. Quia vero ſicut ex tunc multorum ha-
, bebat aſſertio, & iam probat exitus euiden-
, ter hæc in noſtram & eiuſdem Eccleſię turba-
, tionem & diſpendium tentabantur, & plu-
, rium ad hoc intentio laborabat & ſtudium,
, vt fornacis quaſi recenter extinctæ, Nos, Ec-
, cleſiæ & Rex ijdem renouata eo grauiora,
, ſentiremus incendia, quo ſolent nocere gra-
, uius pericula recidiua. Nos tantorum malo-
, rum cupientes obſtare principijs, ne ſero me-
, dicina ipſis iam procedentibus pararetur, in
, feſto Aſcenſionis Domini præterito nuper
, apud Vrbem veterem præſente multitudine
, copioſa fidelium, de fratrum noſtrorum con-
, ſilio, vniuerſos & ſingulos cuiuſcunque præ-
, eminentiæ, conditionis, dignitatis, aut ſta-
, tus attente monuimus, eiuſque diſtricte præ-
, cepimus, ne in prædicto Regno, vel eius par-
, te Nos, & eandem Eccleſiam aut præfatum
, Siciliæ Regem, qui Regnum Siciliæ tenet ab
, ipſa, per ſe, vel per alium moleſtarent, im-
, peterent, vel etiam perturbarent, occupando,
, inuadendo, ſeu etiam occupari, aut inuadi fa-
, ciendo Regnum ipſum, aut aliquã eius partẽ.

, Præcepimus etiam vniuerſis & ſingu-
, lis Chriſtifidelibus, & ſpecialiter Marchio-
, nibus, Comitibus, Baronibus, Ciuitatibus,
, Comitatibus, & Vniuerſitatibus Caſtrorum,
, Villarum, & quorumcunque locorum Italiæ,
, maxime ipſius Eccleſiæ Romanæ temporali
, iuriſdictioni ſubiectis, ne prædictis moleſta-
, toribus, impetitoribus, perturbatoribus, oc-
, cupatoribus, inuaſoribus, ſeu occupari, vel
: inuadi facientibus, dictum Regnum, vel ali-
, quam partem ipſius in præmiſſis intenderent,
, & ne cum armis, vel ſine armis ad turbandum
, in Regno eodem pacem præfatorum Eccleſię
, ac Regis Siciliæ præſtarent illis conſilium, au-
, xilium, vel fauorem publice, vel occulte neue
, ſuper hoc ſocietatem, coniurationem, aut
, fœdus aliquod cum ipſis inirent. Si quis au-
Pœnæ contra inobedientes. , tem contra noſtram monitionem, & præcepta
, præmiſſa per ſe, vel per alium, quibuſcunque
, dolo, fraude, vel machinatione facerent, cu-
, iuſcunque forent præeminentiæ, dignitatis,
, conditionis, aut ſtatus excommunicationis
, ſententia, quam ex tunc in eos protulimus,
, ipſo facto ſe noſcerent innodatos, Ciuitates
, quoque & Communitates quaslibet, quæ
, contra monitionem, & præcepta eadem, quo-
, cunque dolo, ingenio, arte, vel machinatio-
, ne venire pręſumerent, interdicti Eccleſiaſtici
, ſententiæ, quam ex tunc in illos promulga-
, uimus, voluimus ſubiacere. Ad hæc prædi-
, ximus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſco-
, pis, Abbatibus, & alijs inferioris gradus
, Prælatis, quod ſi contra monitionem, & prę-
, cepta præmiſſa, vel eorum aliquod venire
, tentarent, Nos eos omni Eccleſiæ dignitatis
, honore: cæteros autem Clericos non præla-
, tionis officium, ſed dignitates forſitan, vel
, perſonatus, ſeu alia beneficia obtinentes &
, priuare curaremus obtentis, & inhabiles red-
, dere ad alia obtinenda; prout facti qualitas.
, ſuaderet. Laicis vero cuiuſcunque præminen-
, tiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, præ-
, cipue temporaliter ipſi Eccleſ. Rom. ſubiectis
, expreſſe denunciauimus, quod ſi monitio-
, nem, & præcepta huiuſmodi, contra ea per
, ſe vel per alium veniendo, temere, non ſer-
, uarent, Nos tantam temeritatem impunitam
, remanere nolentes, ipſos feudis, & alijs om-
, nibus, quæ à prædicta vel alijs tenerent Ec-
, cleſijs priuare: Vaſſallos eorum, ſi quos ha-
, bent, à fidelitatis iuramento quo tenentur
, eiſdem reddere penitus abſolutos, & perſonis
, eorum, citra mortis periculum & mutilatio-
, nis expoſitis ad expoſitionem bonorum pro-
, cedere illorum, prout culpæ ipſorum exige-
, rent, & videretur expediens, curaremus.

, Et licet Panormitanæ Ciuitatis, & Ciuiũ,
, nonnullorumq; Caſtrorum illarum partium,
, quæ contra eundem Regem Siciliæ rebella-
, rent, culpa grauis acerbiorem proceſſum
, exigeret: nos tamen deſiderantes quod Ci-
, uitatem, Ciues, & loca prædicta manſuetudo
, corriperet, & à tanti erroris inuio reuoca-
, ret, erga eos non rigorem, ſed manſuetudi-
, nem votis noſtris accommodam proſequen-
, tes, Vniuerſitatibus prædictorum Ciuitatis,
, Caſtrorum, aliorumque locorum diſtricte
, præcipimus vt cuiuslibet difficultatis, & di-
, lationis obiectu ſublato, ad noſtra, Eccleſiæ
, ac Regis eorundem mandata redirent: Quod-
, que prædictos moleſtatores, turbatores, oc-
, cupatores, inuaſores, aut dantes eis in hoc
, conſilium, auxilium, vel fauorem, in dictis
, Ciuitate, Caſtris, Villis, ſeu diſtrictibus eo-
, rundem nullo modo receptare, vel recipere
, attentarent, nec ipſorum aut alicuius eorum
, dominio, vel regimini ſe quoquomodo ſub-
, mitterent, neue ipſi, vel eorum alicui contra
, Eccleſiam, vel Regem prædictos impenderent
, in prædictis conſilium, auxilium, vel fauo-
, rem publicum, vel occultum. Et nihilomi-
, nus confœderationes, ſeu obligationes quaſ-
, libet, ſi quæ inter Vniuerſitates eaſdem, vel
, inter ipſas, & quoſcunque alios initas ſiue
, factas ſuper occupatione, vel inuaſione præ-
, dictis, & iuramenta de illis ſeruandis, vel
, alias pro prędictis hinc inde pręſtita relaxan-
, tes omnino, Vniuerſitatibus ipſis aperte prę-
, diximus, quod niſi præmiſſa celeriter adim-
, plerent contra Ciuitatem, Caſtra, & Villas
, eorum ſpiritualiter, & temporaliter ſic pro-
, cedere auctore Domino curaremus, quod
, pœna docente ſuæ temeritatis & ſuperbiæ re-
, cognoſcerent qualitatem. Cęterum dum ijs,
, alijs modis, & vijs filiorum paterna venaba-
, tur affectio, reliquorum Ciuitatum, Caſtro-
, rum, Villarum, cæterorumque locorum Ci-
, uium, & incolarum Siciliæ in noſtram noti-
, tiam perlata rebellio, & præcipue Meſſanen. Meſſanenſiũ rebellio.
, qui eorundem Panormitanorum imitati ſæ-
, uitiam, quam plures ex miniſtris & deuotis
, Regis ipſius, poſt ſecuritatem eis præſtitam,
, crudeliter trucidaſſe dicuntur, Caſtrum Re-
, gium loci eiuſdem temerarijs auſibus occu-
, pantes cauſam multæ commotionis induce-
, rent; nos tamen propterea non deſiſtentes à
, cœptis, Venerabile fratre noſtro Epiſcopo
, Sabinenſe ad partes illas cum plenæ legatio-
, nis officio, tamquam pacis Angelo, deſtina-
, to, bona in illis, & pro illis partibus quæſi-
, uimus, nec venerunt: Pacem expectauimus,
, turbinis grauioris tempeſtas apparuit, ma-
, chinatis iam dudum, vt communis opinio,
, & ſubſecutorum conſideratio indicat euiden-
, ter, dolis, & inſidijs reuelatis. Si quidem Pe-
, trus Rex Aragonum, quem chariſſimum fi-
, lium nominari non patitur exprimendus in-
, ferius ſtatus eius, de procedendo aduerſus
Afri-

, Africam quæſito colore Inſulam Siciliȩ ter-
, ram peculiarem ipſins Eccleſiæ, militum
, & peditum carerua ſtipatns innadens, oc-
, cupans, & in illa Eccleſiæ eiuſdem pacem
, turbans, grauem contra eam ſeditionem ex-
, citans, in eam temeritatis prorupit au-
, daciam, quod cum Ciuitatibus, alijſque
, locis; Vniuerſitatibus, Ciuibus, & incolis
, eiuſdem, quibus ratioue vxoris, filiæ ſcili-
, cet memorati Manfredi, natorumque ſuo-
, rum ſe teneri prætendit confœderationibus,
, pactis, quin potius conſpitationibus, & ſce-
, leſtis factionibus initis, Regium in Regno
, prædicto nomen vſurpat, ſe Regem Siciliæ
, nominat, & gerere pro Siciliæ Rege præſu-
, mit, in maioris præſumptionis angumentum
, præfato Regi Carolo in ſuis literis Regni Si-
, ciliæ titulum ſubtraendo; ſicque non ſolum
, dictos Panormitanos, quos alias pluries per
, nuncios ad hoc ſollicitaſſe dicitur, in incæ-
, ptæ contra dictum Regem Carolum ſeditio-
, nis, & rebellionis contumacia obfirmauit,
, eos per ſe, ac gentem ſuam fouens, in illa,
, vnde multi ex eis, & ſpecialiter Maſſinenſes,
, qui ante ipſius in Inſulæ memoratæ præſen-
, tiam, dicti Legari uuntios humiliter admit-
, tebant, dominium eiuſdem recognoſcentes
, Eccleſiæ, nomenque publice innocantes, eos
, poſtea contumaciter admittere denegarunt,
, baculo arundineo, eidem ſcilicet Regi Ara-
, gonum, prætextu dictorum Vxoris, & filio-
, rum ipſius, vt dicitur, innirentes.

, Quos tamen Vxorem, filios, ſine Regem
, per eos, ſeu ipſorum ratione in eadem Inſu-
, ſula, vel aliqua dicti Siciliæ Regni parte ius
, aliqnod non habere præmiſſa declarant, &
, Nos nichilominus decernimus, & etiam de-
, claramus.

, In quæ autem crimina falſa Regiæ digni-
, tatis, immo, & ſimplicis magiſtratus aſſum-
, ptio, ſeditio violentiæque cum armis com-
, miſſa mandaut, quibus addicendi ſint pænis
, talinm patratores non eſt opus exprimere,
, quod id nota, & vetuſtiſſima decreta ſanxe-
, rint.

, Nec leue ijs pondns adijcitur ſi eiuſdem
, Regis, & Regni Aragonum conditio explici-
, te deſcribatur. De Archiuio namque ipſius
, Eccleſiæ monumenta prodeunt aperte teſtan-
, tia qualiter piæ memoriæ Innocentius Papa
, Tertius prædeceſſor noſter quondam Petrum
, Regem Aragonum, dicti Petri Aragoniæ re-
, gis Auum, Arelatenſi eius temporis Archie-
, piſcopo, & alijs perſonis Eccleſiaſticis, nec-
, non & quampluribus ſuis aſſociatum Proce-
, ribus per mare ad Sedem Apoſtolicam acce-
, dentem, vt inibi ab eodem Prædeceſſore In-
, nocentio militare Cingulum, & Reginm ac-
, cipere Diadema, honorauit multipliciter,
, ac benigne recepit, & in Eccleſia Sancti Pan-
, cratij Martyris iuxta Tranſtyberim per bonæ
, memoriæ Petrura Portuenſem Epiſcopum
, faciens in Regem inungi, deinde proprijs
, manibus coronauit, & Regalia inſignia vni-
, nerſa, Mantum videlicet, & Collobiam, ſcep-
, trum, & Pomum, Coronam, & Mitram,
, quæ ad opus ipſius, non ſolum ſpecioſa, ſed
, & prætioſa parari fecerat, ex more in Regum
, Coronationibus obſeruando largitus eidem,
, ab ipſo iuramentum corporale recepit, per
, cuius religionem memoratus Rex inter ce-
, tera fidelitatem, & obedientiam ipſi ſummo
, Pontifici, eiuſque ſucceſſoribns, & Eccleſiæ
, Romanæ, Regnumque ſuum in ipſius obe-
, dientiam ipſi ſummo Pontifici, eiuſque ſuc-
, ceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ, Regnumque
, ſuum in ipſius obedientia fideliter conſerua-
, re promiſit.

, Ac demum idem Rex cum multo tripu-
, dio, & applauſu coronatus iuxta ipſum Præ-
, deceſſorem Innocentium ad Baſilicam San-
, cti Petri Principis Apoſtolorum rediens, ſu-
, per illius Altare ſceptrum, & Diadema de-
, poſuit, & militarem enſem de manu eiuſdem
, Prædeceſſoris accepit.

, Dictumque ſuum Regnum antea cenſua-
, le à ſuis prædeceſſoribus eidem Eccleſiæ con-
, ſtitutum, cupiens principali, poſt Deum,
, eiuſdem Beati Petri, & Apoſtolicæ Sedis pro-
, tectione muniri, Prædeceſſori eidem In-
, nocentio, & per eum ipſi ſacroſanctæ Apo-
, ſtolicæ Sedi obtulit.

, Illudque ſibi, & eius ſucceſſoribus in
, perpetuum Diuini amoris intuitu, & pro
, remedio animæ ſuæ, & progenitorum ſuorum
, nouo adiecto cenſu conſtituit cenſuale: polli-
, cendo adijciens, & adijciendo pollicens,
, quod ipſe, & ſucceſſores ſui ſpecialiter eidem
, Sedi fideles, & obnoxij teneantur.

, Hæc autem perpetua lege fore ſeruanda
, decernens, vt huiuſmodi Regalis conceſſio
, firmitatem inuiolabiliter obtineret, ipſam
, in ſcriptis redactam de Procerum Curiæ ſuæ
, conſilio, præſente dicto Arelatenſi Archie-
, piſcopo: Sancio patruo ſuo, Hugone de
, Baucio, & Arnaldo de Fauciano ſuis Baro-
, nibus ſigilli ſui munimine roboratum eidem
, Innocentio Prædeceſſori conceſſit.

, Nunquid igitur præmiſſa collata pari-
, ter, & ſolerti examinatione diſcuſſa dictum
, Regem Aragoniæ nepotem fidelitatis ad
, quam memoratus Auus ſuus, cuius eſt in eo-
, dem Regno hæres, ipſum, ſicut, & ſucceſſo-
, res ſuos cæteros, tàm publicè, tàm ſolem-
, niter obligauit, eidem Eccleſiæ debitorem,
, & violatorem publicum, reum grandis infi-
, delitatis, & damnabilis non accuſat?

, Profecto fidei debitæ violatio violantem
, proculdubio arguit infidelem: præſertim cum
, præmiſſa non leuiter aggrauet fraudulenta
, confictio, qua idem Rex Aragonum nepos,
, non abſque fraudis commento notabilis,
, finxiſſe detegitur, & apud Nos etiam per ſo-
, lemnes Nuntios affirmaſſe, quod cum ſum-
, ptuoſo, & ſollicito apparatu, ad Dei, & Ec-
, cleſiæ ſeruitium, & exaltationem Catholicæ
, fidei, potentiæ ſuæ brachium dirigebat.

, Quod tamen contra eiuſdem vtilitatem
, dictum Regem Carolum, in Terræ ſanctæ ſub-
, ſidium Cruce ſignatum, & publice ad Dei
, eiuſdem fidei obſequia proſequenda diſpoſi-
, tum, nulla diffidatione præmiſſa, quod mul-
, torum iudicio proditionis notam non effu-
, git, hoſtiliter impetendo, necnon, & contra
, ipſam matrem Eccleſiam, eius vt prædicitur
, terram inuadendo, & occupando direxit. nec
, eum excuſat, ſed accuſat potius quod ad par-
, tes Africæ Inſulæ prædictæ vicinas diebus
, aliquibus declinauit.

, Id enim ipſum adeo continuaſſe probat,
, immo, & conuincit euentus, vt opportuni-
, tate captata commodius iniquitatem quam
con-

, conceperat parturiret: maximè cum per ſuos
, nuncios miſſos exinde pluries dictos Panor-
, mitanos ſollicitaſſe, ipſis in præſumpta ma-
, litia conſilium,& auxilium obtuliſſe dicatur:
, nec ſit veriſimile quod eandem Africam, ter-
, ram quippe diffuſo vaſtam ambitu, refertam
, incolis non prorſus imbellibus, crebris mu-
, nitionibus, vt habet fama, non vacuam, o-
, pibus, & alijs opulentam, cuius inuaſione
, vix multorum Regũ Principumue quorum-
, cumque potẽtia coacernata præſumeret, ipſe
, adhoc proculdubio diuitijs impar, & viri-
, bus, cum comitiua tam modica bellatorum,
, ſolus aſſumeret inuadendam. Nunquid, &
, iterum hæc non patenter oſtendunt, quod ſæ-
, pefatus REX Aragoniæ nepos, tamquam
, Inſulæ memoratæ dicti Regni Siciliæ partis
, non modicæ, manifeſtus inuaſor, & occu-
, pator, ac Panormitanorum rebellium, & ſe-
, ditionis commotionis, ſeu concitationis,
, paciſque turbationis contra præfatum Regem
, Carolum motæ notorius factor, & fautor,
, & aduerſus ipſam Eccleſiam actor, & factor,
, ſuique complices Comites, ſatellites, & mi-
, niſtri præmiſſam per Nos in feſto prædicto
, latam in noſtris monitionibus, & præceptis,
, & inhibitionibus non parentes excommuni-
, cationis ſententiam incurrerunt, nec abſolu-
, tionis Vaſſallorum ſuorum à iuramento fide-
, litatis, ſi quo tenentur eidem, priuationis
, feudorum, quæ ipſi à Romana, vel quibuſ-
, cumque tenent Eccleſijs, & expoſitionis per-
, ſonarum, citra mortem, & mutilationem,
, bonorumque ſuorum comminatum in eodẽ
, feſto periculum euitarunt. Vniuerſos autem
, ſæpefatæ rebelles Inſulæ, ſcilicet Meſſanenſes,
, Agrigentinenſes, & cæteros Ciuitatum, Ca-
, ſtrorum, villarum, aliorumque locorum
, eiuſdem Inſulæ ciues, habitatores, & inco-
, las, cuiuſcumque ſine præeminentiæ, digni-
, tatis, conditionis, aut ſtatus, qui dictis Pa-
, normitanis in pertinacia rebellionis aſſum-
, ptę ſaltem ſe illis ſimili audacia ſociando,
, & eos proinde validiores, & firmiores red-
, dendo, nec non ſocietatibus, confæderatio-
, nibus pactionibus pœnarum, & iuramenti
, additione firmatis, vt dicitur vniendo faue-
, runt, & tam alios, quam Panormitanos eoſ-
, dem, qui præfato Regi Aragonum nepoti,
, contra prohibitiones, & monita noſtra præ-
, miſſa intendere inuaſione ac occupatione
, prædictis ipſum recipere, ac receptare, ſe il-
, lius regimini ſubmittere, ſibiue contra Ec-
, cleſiam, vel Regem Carolum prædictos fauo-
, rem, & auxilium impendere præſumpſerunt,
, eidem ſententiæ ſubiectos, & periculo eſſe
, proculdubio expoſitos. Ciuitates vero, Ca-
, ſtra, villas, & alia loca prædicta, necnon,
, & Vniuerſitates ipſorum Eccleſiaſtico ſuppo-
, ſita interdicto? Hæc ſunt igitur, quæ per
, eundem Regem Aragonum nepotem, Deo,
, & Eccleſiæ ſeruitia offeruntur. Hæc ſunt quę
, ipſius Eccleſiæ proſequi ſe iactabat obſequia.

, Hæc ſunt quæ ipſius Eccleſiæ proſequi
, ſe iactabat obſequia. Hæc fidei Catholicæ
, incrementa. Sic exaltationem Religionis
, Chriſtianæ proſequitur, ſic procurat. Sic
, Dei, fidei, ac Religionis eorundem hoſtes
, proſequitur, ſic impugnat. talibus in ſe re-
, galem dignitatem intitulat, talibus titulis
, vitam ſuam, famam, genuſque decorat. licet
, itaque tantis exceſſibus, & demeritis proceſ-
, ſus grauior debeatur,& ad executionem præ-
, miſſorum comminationem procedere non
, iniuſte poſſemus, immo etiam, ſicut præ-
, dictorum conſideratio perhibet, deberemus:
, quia tamen neſcit à caris caritas, etiam læſa,
, recedere, inductu paternæ caritatis indua-
, mur, vt ſimus, licet inſufficientibus meritis;
, illius Vicarij, qui non mortem peccatorum,
, ſed vt conuertantur,& viuant ſe velle fatetur.

Alta monitio cum iteratione cenſurarum.

, Regem Aragoniæ, & alios præfatos de-
, nunciationibus, monitionibus, mandatis,
, prohibitionibus, & cõminationibus ad con-
, uerſionem celerem in peccatis, iniquitatibus,
, & ſententiarum laqueis, quibus ſe, vt præ-
, miſſa docent apertius, inuoluerunt, in mor-
, te obdormiant, excitemus: Ideoque præſen-
, te hac multitudine copioſa fidelium, de fra-
, trum ipſorum conſilio denunciantes, eoſdem
, Petrum Regem Aragonum nepotem, ſuos
, Comites, complices, ſatellites, & miniſtros,
, ac Inſulæ memoratæ rebelles, ex prædictis
, cauſis excommunicationis: Ciuitates, ca-
, ſtra villas, & alia loca præfata, nec non Vni-
, uerſitates ipſorum interdicti præmiſſis per
, Nos latis ſententijs ſubiacere: De nouo tam
, in Regem, & alios ſæpefatos, quam in Vni-
, uerſitates, Caſtra, villas, & loca prodicta,
, ex cauſis eiſdem, & propter auctam eorum
, contumaciam; in non parendo noſtris mo-
, nitis, & præceptis, & à Nobis prohibita per-
, tinaciter proſequendo diutius ſimiles ſenten-
, tias promulgantes: Ipſum autem Regem, &
, cæteros vniuerſos, & ſingulos, qui cum eo,
, ſeu alias in auxilium præſentis turbationis,
, ſiue rebellionis dictam Inſulam intrauerunt,
, vel inibi exiſtentes eidem turbationi, ſeu re-
, bellioni quomodocumque fauerunt, attente
, monemus, eiſque diſtrictè præcipimus, vt ab
, huiuſmodi ſuis exceſſibus, & offenſis deſi-
, ſtens, omnino Inſulam eandem penitus exe-
, ant, nunquam illuc in noſtrum, Eccleſiæ,
, vel Regis Caroli, quoad præmiſſa, qualecun-
, que præiudicium redituri. Adijcientes ne
, quis de nouo ad id eandem Inſulam intret,
, vel aliquam eiuſdem Regni partem publicè,
, vel occultè impetat, turbet aliquatenus, vel
, moleſtet. Vniuerſis quoque Ciuibus, Inco-
, lis habitatoribus, & Vniuerſitatibus Ciuita-
, tum & aliorum locorum ipſius Inſulæ cum
, ſimilibus monitione, ac dictriſtione iubemus,
, vt Regem Aragonum, & exteros memoratos
, de ipſa Inſula prorſus expellant, numquam
, eos vel alios ad præmiſſa, vel ſimilia inibi
, recepturi.

Iubetur Rex Aragonum Regis Sicil. titulũ deponere.

, Diſtrictius inſuper inhibemus ne idem
, Rex Aragonum ſe regem Siciliæ nominet,
, ſigillum Regium ſub intitulatione Regni Si-
, ciliæ aſſumat, vel vtatur aſſumpto, neque
, priuilegia, immunitates, feuda, bona vel
, iura quæcumque in eo, aut aliqua eius par-
, te concedat, vel tamquam Rex Siciliæ quic-
, quam agat, neque dominium, vel ſubiectio-
, nem aliquam in quaſcumque ſingulares per-
, ſonas, aut terras ipſarum, ſeu Poteſtariam,
, vel quamlibet Rectoriam, ſiue officium, quo-
, cumque nomine cenſeantur, in ciuitate, vel
, aliquo alio loco, maximè ipſius Regni Si-
, ciliæ, aut alicuius partis Italiæ in noſtrum,
, Eccleſiæ, ac Regis Caroli quodcumque vel
, qualecumque grauamen, per ſe, vel per alium

reci-

, recipiat, vel acceptet, aut eum eis, vel eo-
, rum aliquo in præfatorum Eccleſiæ, ac Re-
, gis grauamen, vt prædicitur, ſocietatem,
, ſiue aliam confederationem contrahat, vel
, obſeruet qualitetcumque coutractam: neque
, ſingulares perſonæ præmiſſæ, vel aliæ quæ-
, cumqne Ciuitates, vel loca eidem, in Ec-
, cleſiæ ac Regis Caroli prædictorum perſecu-
, tioni huiuſmodi perſiſtenti, vel alij pro eo,
, ſeu in fauorem ipſius præmiſſa concedant,
, vel aliquid præmiſſorum, aut alinm pro eo,
, vel in fauorem ipſius ad prædicta, vel eorum
, aliquod eligant, nominent, recipiant, vel
, aſſumant: aut quod eaſdem ſingulares per-
, ſonas, Ciuitates, & loca, vel Vniuerſitates
, ipſarum, ſpecialiter autem cuiuſcumque
, partis Regni Siciliæ, vt ſe, vel terras ſuas
, eiuſdem Regis Aragonum dominio, vel obe-
, dientiæ cuicumque minime ſupponant, aut
, eum vel alium pro eo, ſeu in fauorem ipſius
, in Poteſtatem, Rectorem, vel aliud quod-
, cumque officium, vt prædicitur, eligant, no-
, minent, vel admittant, ſiue cum eo ſocie-
, tatem vel confederationem contrahant, vel
, qualitercumque contractam obſeruent: aut
, quod cines, Incolæ, habitarores, Cinitates,
, vel alia loca prædicta, ſeu Vniuerſitates ip-
, ſorum, præſertim cuiuſcumque partis eiuſ-
, dem Regni Siciliæ à noſtra, Eccleſiæ, & Re-
, gis Caroli prædictorum fidelitate, ſeu deuo-
, tione quomodolibet auertantur, vel auerſa
, etiam in hniuſmodi auerſione perſiſtant, per
, ſe, nuncium, vel litteras inducere, aut do-
, nis promiſſionibns ſuis, ant alio modo quo-
, uis allicere, vel etiam ſollicitare præſumant.
, Neue ſingulares perſonæ, Ciuitates, Ca-
, ſtra, Villæ, aut loca præſata ſe dicti Regis
, Aragonum huiuſmodi Eccleſiæ, ac Regis
, Caroli perſecutioni quomodolibet inſiſten-
, tis dominio, regimini, vel obedientiæ qua-
, licumqne ſubijciant, ſiue in noſtrum, Eccle-
, ſiæ, ſeu Regis Siciliæ præiudicinm, vel gra-
, vamen vt prædicitur, ipſum Regem Atago-
, num, litteras, vel nuncios ſuos, vaſa quæuis
, apta cuicumquæ nauigio, gentemue recipi-
, ant, vel receptent, vel ad ipſum vadant, ei-
, ue literas mittant, aut ſibi, genti vel nuntijs
, ſuis, aut alijs pro eis, maxime in aliqua
, parte ipſius Regni Siciliæ, obediant, vel
Prohibitio ſeuera de Rege Aragoniæ in aliquo non iuuando.
, intendant, fodrum miniſtrent, equos, arma,
, vel vaſa ſub huiuſmodi venditionis titulo,
, aut aliter quomodocunque concedant, ſeu ab
, ipſo Rege Aragonũ, vel alio pro eo priuilegia,
, immunitates ſeu da, largitiones quaslibet in
, eodẽ Regno Siciliæ, quas cõſtat, & nos nihil-
, ominus declaramus, & decernimus non tene-
, re, vel alibi occaſinne iuſtantis negocij eiuſ-
, dem Regni Siciliæ, aut ſtipendia vbicunque
, contra Nos, Eccleſiam, vel Regem Carolum
, prædictos recipiant, vel pro receptis promiſ-
, ſum audeant ſeruitium exhibere, aut alias
, præſtare conſilium, vel fauorem, publicum,
, vel occultum: nec cum ipſo Rege Aragonum,
, vel alio pro ipſo, ſeu in fauorem ipſius ſocie-
, tatem, colligationem, vel qnaſcunqne cou-
, uentiones in Noſtrum, Eccleſiæ, & Regis
, Caroli eorundem qualecunque diſpeudium
, contrahant, aut contractos, etiam ſub vincu-
, lo iuramenti, vel quarumlibet adiectione
, pœnarum, ſiue pactorum, audeant obſerua-
, re, ſingulariter autem Michaelem Palæolo-
, gum qui ſe Imperatorem nominat, quemque
, ſuper ijs, & præcipuè ſuper impenſo in præ-
, dictis memoraro Regi Atagonum nepoti
, contra Nos, eoſdem Eccleſiam, & Regem
, Carolum conſilio, auxilio, vel fauore, deq;
, pactis, conuentionibus, & confœderationi-
, bus initis cum eodem, vti argumenta veriſi-
, milia deferunt, vox præterea publica, & com-
, munis continuè, quaſi accuſationis inceſſat,
, omneſque ſibi de facto, vel quomodocunque
, ſubiectos attentè monemus, eiſque diſtrictè
, præcipimus, vt omnia monitiones, præcepta,
, inhibitioneſque præmiſſa quæ ipſos Michae-
, lem, & ſubdiros contingunt, vel poſſunt quo-
, quomodo cnntingere, vel in eis, ſeu quo ad
, eos qualitercunque locum habere, quæ omnia
, & ſingula volumus prænominatim, ſingulari-
, ter, & expreſſe pro repetitis habere, & velut
, taliter repetita robur, efficaciamque ſortiri,
, diligenter obſeruent, eiſque ſtudeant in om-
, nibus, & per omnia humiliter obedire.
, Alioquin tam ipſos Regem Aragoniæ
, nepotem, & Michaelem Palæologum, quam
, alios vniuerſos, & ſingulos dictis noſtris mo-
, nitionibus, præceptis, & inhibitionibns non
, parentes, cuiuſcunque ſint præeminentiæ, di-
, gnitatis, conditionis, aut ſtatus Eccleſiaſti-
, ci, vel mundani, excommunicationis ſenten-
, tia, quam in eos de ipſorum fratrum conſi-
, lio ex nunc ferimus, perinde innodatos eſſe
, decernimus ipſo facto, acſi expreſſi fuiſſent in
, huiuſmodi proceſſus noſtri ſeriè nominatim.
, Ciuitates vero, Caſtra, & alia loca quælibet,
, necnon Vniuerſitates quæ ipſis monitionibus
, præceptis, & inhibitionibus non parebunt,
, Eccleſiaſtico Interdicto, quod exnunc pro-
, mulgamus in illa, eſſe volumus eodem modo
, ſubiecta. Interdicta videlicet promiſſa ſic ar-
, ctè præcipimns obſeruari vt, in locis quæ in-
, ciderant in ea, vel inciderint in futurum nul-
, la Eccleſiaſtica Sacramenta, exceptis dum-
, taxat baptiſmate paruulorum, & pœnitentijs
, morientium, miniſtrentur: nulla diuina ce-
, lebrentur officia, niſi ſolum miſſarum ſolem-
, nia, quæ in Cathedralibus, vel alijs Colle-
, giatis, & Parochialibns Eccleſijs ad confi-
, ciendum corpus Chriſti morientibus mini-
, ſtrandum, ſubmiſſa voce, clauſis iannis, in-
, terdictis, & excommunicatis prorſus exclnſis,
, ſemel tameu in ſeptimana permittemus cele-
, brari. Non obſtantibus quibuslibet prinile-
, gijs, vel Indulgentijs, Ciſtercien. Prædicato-
, ribus Minoribus, vel alijs Religioſis, aut ſæ-
, cularibus perſonis, dignitatibus, Ciuitatibus
, Caſtris, locis, vel Vninetſitatibus quibuſcun-
, que, ſub quauis forma, vel expreſſione ver-
, borum ab eadem Sede conceſſis: quæ omnia,
, quo adhoc, omnino viribus vacuamus, & ni-
, hilominus ſocietates, collegationes, conuen-
, tiones huiuſmodi, & quaslibet alias factas,
, & etiam faciendas in fanorem dicti Regis A-
, ragouiæ, quo ad inſtans negotium eiuſdem
, Regni Siciliæ, aut in Eccleſiæ, ſeu Regis Ca-
, roli prædictorum qnalecunque diſpendium,
, vel grauamen, etiamſi fuerint iuramentorum
, & pœnarum adiectione, vel qnouis alio vin-
, culo roboratæ, de poteſtatis plenitudine diſ-
, ſoluentes, & carere decerneutes omnino ro-
, bore firmitatis, Vniuerſos, & ſingulos, quo-
, modocunque, ſeu quantumcunque ſolemni-
, ter aſtrinxerunt ad eas ſeruandas decernimus

non

non teneri, nec pro eo quod ipſas de cætero non ſeruarint de reatu periurij, aut ratione pœnatum, vel conuentionum quarumlibet adiectarum in illis poſſe in iudicio, vel extra iudicium impeti, ſeu aliquatenus moleſtari; quinimo eos ab illarum obſeruatione ſub pęna excommunicationis, quam ex nunc ferimus, & ipſos ſi ſecus fecerint incurrere volumus, ipſo facto præcipimus penitus abſtinere.

Penæ in Contumaces aggrauatæ.

Sanè omnibus, tam perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, quam Ciuitatibus, locisque alijs, & Vniuerſitatibus ſupradictis, quæ huiuſmodi mandatis noſtris, præceptis, & inhibitionibus contumaciter non parebūt apertè prædicimus, quod non ſolum ad exequendum comminationes præmiſſas, ſed, & alias grauius ſpiritualiter, & temporaliter contra eos: & ſpecialiter contra Ciuitates quas contigerit in huiuſmodi contumacia deprehendi, ad priuandum eos Archiepiſcopali, vel Epiſcopali dignitate: Contra memoratos vero rebelles dictæ Inſulæ ad interdicendum ipſis cum quibuslibet alijs, & alijs quibuſcunque cum eis omne commercium, quando, & prout facti qualitas ſuaſerit, & expediens fore viderimus, procedemus. Ad hæc præfatis Regi Aragoniæ, Michaeli Palæologo, & ceteris vniuerſis qui noſtra monita, præcepta, vel inhibitiones prædictum Regnum Siciliæ in præfata Inſula, ſiue in reliquis eiuſdem Regni partibus inuadere, turbare, impetere, ſeu moleſtare quomodolibet præſumetent publicè, vel occultè, hoc generali publico denunciamus edicto, quod niſi dictus Rex Aragoniæ, & alij prædicti in eiſdem Inſula, & Regno Siciliæ, ac vicinis, ſeu totius Italię partibus commorantes infra inſtans feſtum Purificationis Beatæ Virginis: alij vero magis remoti infra Kalendas Menſis Aprilis, & dictus Palæologus Infra Kalendas Menſis Maij proximè futuras, quod tempus eis adhoc pro peremptorio termino aſſignamus, humiliter ad Noſtra, & Eccleſiæ mandata redierint, præcisè Noſtris parituri beneplacitis, & tam Nobis, & Eccleſiæ, quam memorato Regi Carolo de contumacia, & contemptu damnis, & iniurijs, omnique intereſſe ſatisfactionem plenariam competenti tempore, quod eis ad hoc præfiximus, impenſuri ex nunc perſonis eorum citra mortis, & mutilationis periculum, & omnia bona ſua mobilia exponimus à quibuslibet fidelibus liberè occupanda. Ipſoſque feudis, bonis, & iuribus omnibus quæ à Romana, vel quibuslibet tenent Eccleſijs, Priuilegijs, indulgentijs, & gratijs quibuslibet ipſis ab eadem Sede, ſub quauis forma conceſſis, Apoſtolica auctoritate priuamus.

Rebellium bona exponuntur.

Feudis Eccleſ. priuantur.

Vaſſallos eorum à iuramento fidelitatis, quo forſan tenentur eiſdem, penitus abſoluentes. Lapſo vero dicto termino quandocunque nobis viſum fuerit ad priuandum eundem Regem Aragoniæ, ipſius etiam abſentia non obſtante, præfato Regno Aragoniæ, omnibuſque alijs terris ſuis. ſeu ad ipſa Regnum, & terras ſimiliter exponenda, quo ad ipſum Regnum, & terras præfata ſemper noſtro, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ iure ſaluo. Et nihilominus pro qualitate criminum, quibus vt prętactum eſt eum obnoxium ſuperiora prætendunt, quantum noſtrum patietur officium, facti qualitas ſuggeret, & nobis expedire videbitur auctore Domino procedemus.

Vaſſalli à Iuramento fidelitatis abſoluūtur. Comminatio priuationis, & expoſitionis Regni Aragonię.

Prædictas vero excommunicationis ſententias prohibemus, abſque ſpeciali mandato Sedis Apoſtolicæ, niſi forſan in mortis articulo, relaxari: quo caſu, niſi abſolutionis beneficium obtinentes infra tres menſes, poſtquam reſtituti fuerint ſanitati de loco interdicto, ſi forſan ibi fuerint recedentes, Apoſtolico ſe conſpectui curauerint præſentare, ſatisfacturi de ſuis exceſſibus, pro quibus huiuſmodi ſententias incurrerunt, & ipſius ſedis beneplacitis parituri, eo ipſo in eaſdem ſententias relabantur. Ipſas quoque ſententias ſic firmiter, & inuiolabiliter volumus obſeruari, quod abſoluendi ab eis, vel relaxandi eaſdem, niſi forſan in mortis articulo, vt dictum eſt, tam omnibus noſtris Pœnitentiarijs, quam alijs quibuslibet Confeſſoribus, ſiue generalibus, ſiue ſpecialibus, ſiue familiaribus quarumcunque, vel quantumcunque ſublimium perſonarum vbilibet exiſtentium, adimimus poteſtatem: etiam ſi à Nobis vel aliquo prædeceſſorum noſtrorum, ſub quacunque verborum forma generalem, vel ſpecialem, aut liberam abſoluendi aliquem, vel aliquos à ſententijs hominis, vel canonis, ſeu alias eas quomodolibet relaxandi obtinuerint facultatem. Si quis autem ſine dictæ Sedis ſpeciali mandato obtinendo deinceps contrarium forte præſumpſerit, tam abſoluentem à prædictis ſententijs ſeu relaxantem eaſdem, quam huiuſmodi abſolutionem, vel relaxationem recipientem, in quacumque dignitate, ſtatu vel ordine fuerint conſtituti, ex hac cauſa excommunicationis vinculo innodamus. Relaxationem etiam huiuſmodi Sedi præfatæ ſimiliter reſeruantes, mortis articulo dumtaxat excepto. Et tunc niſi ſanitate recepta infra tempus competens, iuxta locorum diſtantiam, ad eandem Sedem venerint ſuum humiliter recogniturí reatum, & ipſius Sedis beneplacitis parituri, relabantur in eaſdem ſententias ipſo facto. Ab ijs vero, mulieres in hoc tantum excipi volumus vt ſi ſolum ratione præfati fauoris in huiuſmodi ſententias forſan inciderint, poſſint per ſuos diœceſanos iuxta formam Eccleſ. abſolutionis beneficium obtinere. Vt huiuſmodi autem noſter proceſſus, ad communem omnium notitiam deducatur, chartas, ſiue membranas proceſſum continentes eundem, in præſentis Eccleſiæ S. Flauiani martyris appendi, vel affigi Oſtijs, ſeu ſuper liminaribus faciemus: quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt. Ita quod dicti Petrus Rex Aragoniæ, Palæologus, & alij, quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſtea poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non peruenerint, vel ignorauerint eundem; cum non ſit veriſimile remanere, quoad ipſos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum &c.

Abſolutionem à cenſuris præfatis Pont. ſibi reſeruat.

Excommunicatio in eos qui ſine Sed. Apoſt. licentia abſoluere præſumpſerint.

Datur diœceſanis facultas abſoluendi eos qui ratione fauoris dati ſententias incurrerint.

CAPVT XLII.

Pontifex Romanus Chriſtianorum Imperij columen.

S. Paulus Rēp Chriſtian. corpori humano anima prædito comparat.

1. Cor. 12.

FAlſi, & ab Ouili Chriſtiano extorres illi, qui Chriſtianæ reipublicæ ſpiritualem ac temporalem poteſtatem, omnino diſparatas, non vero ſubordinatas, putant. Diuus Paulus à tertio cælo doctus, tales illos demonſtrat; cum vniuerſam Chriſtianorum rempublicam corpori humano, ſed anima viuificante, mouente, regente prædito comparat, dicens; *Omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi.* Iudæos, & Gentiles, ſeruos, & liberos, cum in vno corpore Eccleſiæ, in quo etiam Deus Apoſtolos, Prophetas, Doctores, virtutes, opitulationes, gubernationes, & reliquos multiformis gratiæ diſpenſatores, poſitit, Paulus conſtituit, & tam conſtanter huic ſimilitudini corporis humani, in eadem ad Corinthios, & in alia ad Romanos, atque Epheſios epiſtola inſiſtit, clariſſimè inſinuat; duas poteſtates. alteram ſpiritualem, alteram temporalem, alteram Sacerdotalem, alteram Regiam, alteram ab omni ſeruitute humana liberam, alteram ſpirituali ſubſeruientem, non toto cœlo, aut genere, quod aliqui vellent, diſtinctas, ſed inuicem in vno corpore myſtico iunctas, vnam alteri ſubordinatam, nec minus quam corporalia membra ſpiritui regenti, viuificanti, ac dirigenti, ſubditam eſſe. Secus ſi foret; hi qui præſunt dominatione terrena, non amplius membra Chriſti, neque oues Petri, neq; Ciues ſanctorum, & domeſtici Dei cenſerentur; ſi poteſtate temporali præcellentes, nihil commune cum his qui poteſtate ſpirituali antiſtant haberent, neque per eos diuina ſuper ſe imperia agnoſcerent.

Duæ ſunt poteſtates & vna alteri ſubordinata.

Abſurdum quod ex cōtrario ſequeretur.

Agnoſcebant Iudaici Reges, Pontif. veteris teſtamenti faſtigiū, & huic ſceptra ſua ſubmittebant, docti nō aliundè pendere ſalutem regni Dauidici, quā ſi auſcultarent Sacerdoti, cuius *labia cuſtodiunt ſcientiā.* Nam iſtud diſerte ſācie-bat Deus, Imperij Iudæorum conditor; *Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos, ipſi, & filij eorum vſque in ſæculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam.* Cæterum, à quo teſtimonia hæc quæ doceret illos, audirent, aut exquirerent; ne vel illuminationes prętet ordinem expectarent oſtendit, cum Sacerdotem ſummum oſtendit, à quo iſta haurirent, *& Legem de ore eius requires, Angelus enim Domini exercituum eſt.* Itaque quemadmodum Angelus aliquis in miniſterium miſſus, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, columen eſt horum qui hæreditatem capiunt ſalutis, illuſtrans, formans, dirigens, defendens, circumdans, in manibus portans, in omnibus vijs cuſtodiens, ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulantibus pedes firmans, & ad conculcandum leonem ac draconem plantans armans; & ſicut ille idem director, ac Moderator, hos quos cuſtodit, & manu ducit, ſecundum ſe habet, ne fortè offendant ad lapidem pedem ſuum; & ſi impingere, vel in præceps ruere feſtinant, etiam ore bruti alicuius animalis in loquelam humanam impulſo, retrahere, adeoque ſalutem eorum omnimodis rationibus procurare debet, atque ſolet: ad eundem officij gradum euehere voluit Deus Principem ſacrorum, Pontificem ſupremum, qui ſicut Princeps in medio eorum quos illi Chriſtus ad paſcendum commiſit, (commiſit autem,) ſi oues Chriſti audire volunt,) & Imperatores, & Reges, & quotquot ſunt, Dynaſtas terrenos, in paſcuis vberrimis, & ſeruos, & liberos, & Iudæos, & Gentiles paſceret, perditos requireret, abiectos reduceret, infirma conſolidaret, pinguia, & fortia cuſtodiret, confracta alligaret; pecus inſolens, vel reliquias paſcuarum pedibus conculcans, vel puriſſimam aquam perturbans, vel lateribus, & humeris impingens, & cornibus omnia infirma pecora donec diſpergantur foras ventilans, coerceret; ſcabie vel aliqua contage peſtilens, à reliquis arceret; beſtias peſſimas de terra ceſſare faceret; à rapina, & opprobrio gentiū liberaret; pactum pacis omnibus ſtabiliret, in circuitu omnium benedictionem affluentiæ omnium bonorum procuraret; & ad extremum omnes *in iudicio* paſceret: vt non minus, quam vel corpus animæ, vel homines Angelis deſtinatis, vniuerſa Reſpublica Chriſtiana, quæ vnus Epiſcopatus eſt, vni Epiſcopo Romanorum Pontifici, ſalutem debeat, & propterea, in his quæ ad Deum ſunt, ab illo dependeat. *Omnis enim* hic Summus Chriſtianorum Antiſtes, *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, in ijs quæ ſunt ad Deum.*

Pſal. 131.

Pontifex Angelus Domini exercituum

Ezech. 34. Pontificis ſupremi officium.

Hebr. 5.

Cognouit iſtud diſcriminis, & dependentiæ, Baſilius Macedo Imperator, in eo, quem de iure ſcripſit libro. *Cùm autem,* inquit, *Reſpublica ex partibus, & membris ad ſimilitudinem corporis humani conſtet; ampliſſimæ verò huius, maximequè neceſſariæ partes ſunt Patriarcha, & Imperator; ideò Subditorum pax, & felicitas, tam animi ratione, quàm corporis, eſt Pontificatus, atque Imperij in omni vnanimitate conſenſus,* ſcilicet, ſi Imperator, in his, quæ ſunt ad Deum, Pontificem audiat, & ab eo in adminiſtranda, dirigendaq; ad felicitatem æternam Republica commiſſa, minimè diſſentiat; Pontifex autem, ea, quæ ad Deum ſunt, proponat, cuſtodiat, vindicet, auctoritatemque ſuam ſpiritualem commodet, *nè oues Dei,* quod Hadrianus Papa Taraſio Patriarchæ Conſtantinopolitano ſcribebat, *aut peruerſi homines praua loquentes dilanient, aut maligni ſpiritus oblectamenta vitiorum ſuadentes deuaſtent. Certè B. Iacob, qui pro vxoribus diu ſeruierat, dixiſſe meminimus.* Viginti annis fui tecum: oues tuæ, & capræ ſteriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi: ego damnum omne reddebam; quidquid furto perierat, à me exigebas, die, noctuque æſtu vrebar & gelu; fugiebat ſomnus ab oculis meis. *Si igitur ſic laborat, & vigilat, qui paſcit oues Laban: quanto labori, quantiſque vigilijs debet intendere, qui paſcit oues Dei?* nimirum debet ad hoc præcipuè inuigilare, nè greges ſuæ curæ crediti, ſint in rapinam, & direptionem lupo venienti, atque oues à Dei cultu, & à virtutum amore auertenti, aut tyrannicum in more eas lanianti, opprimentique, vel ad lanienam, aliqua, ſiue maleuolentia, ſiue conniuentia, ſiue negligentia exponenti: Imperator autem debet parere

Baſil. Imp. de Pontific. & Imperio;

to. 3. Concil.

Sollicitudo boni Paſtoris.

Pon-

Pontifici, recta, in ijs, quæ ſunt ad Deum, monenti, ſuadenti, præcipienti, facienti: vt tandem iuxta myſticam Vaticinij ſignificationem

Iſai.11.

habitet *lupus cum agno*, & *pardus cum hædo accubet; vitulus, & leo, & ouis* ſimul morentur. *vitulus, & vrſus* pariter paſcantur, *ſimul requieſcant catuli eorum*: cicurati à diſciplina pueri paruuli, qui *minabit eos*, data virga in manum Vicarij Paſtoris, cui aliquando dixit; *Paſce oues meas, paſce agnos meos*.

Pontif. in ijs, quæ ſunt ad Deũ non obtẽperare ſummum nefas.

A tali vnanimitate conſenſus, pax & felicitas ſubditorum deriuatur; cùm Imperator, in ijs, quæ ſunt ad Deum, Pontifici ſupremo, caput, & aurem inclinat, ſeque filium Eccleſiæ, & ouem Paſtoris Vicarij deputat; cui in rebus, quæ ſunt ad Deum vel præſcribere, vel non obtemperare, vel in eius officium irrumpere, ſummum nefas. Huius rei admonere olim habuit Sanctus Gelaſius Papa, Anaſtaſium Imperatorem Orientis, data ad eum epiſtola, in qua iſtud memorandum.

Epiſt.10.

Duo ſunt Imperator Auguſte, quibus principaliter hic Mundus regitur, auctoritas Sacra Pontificum & Regalis poteſtas: in quibus tanto grauius eſt pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus in diuino reddituri ſunt examine rationem. Noſti enim fili clementiſſime, quod licet præſideas humano generi dignitate, rerum tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis, atque ab eis cauſas ſalutis tuæ expetis, inque ſumendis cæleſtibus Sacramentis, eiſque vt competit diſponendis, ſubdi te debere cognoſcis religionis ordine potius quam præeſſe. Noſti itaque inter hæc, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Et ſi cunctis generaliter Sacerdotibus rectè diuina tractantibus Fidelium conuenit corda ſubmitti: quantopotius Sedis illius Præſuli conſenſus eſt adhibendus: quem cunctis Sacerdotibus, & Diuinitas ſumma voluit præminere, & ſubſequens Eccleſiæ generalis iugiter pietas celebrauit?

Hiſt. Eccleſ. Anno 503.

Paria, ſed aliquantum acriore calamo, eidem Anaſtaſio, Symmachus Papa: *Conferamus*, ſcripſit, *honorem Imperatoris, cum honore Pontificis. Inter hos tantùm diſtat, quantùm ille rerum humanarum curam gerit, iſte diuinarum: Tu Imperator à Pontifice baptiſmum accipis, Sacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas: poſtremo, tu humana adminiſtras, ille diuina diſpenſat. Nec te putes mundi pompa præcellere: quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Fortaſſis dicturus es, ſcriptum eſſe*: omni poteſtati nos ſubditos eſſe debere. *Nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas non erigunt voluntates. Cæterum, ſi omnis poteſtas à Deo eſt, magis ergo quæ rebus præſtituta eſt diuinis. Defer Deo in Nobis, Senatu & Collegio Clericorum Romæ; & nos deferemus Deo in te. Cæterum ſi tu Deo non defers, non potes eius vti priuilegio, cuius iura contemnis. Catholici Principes quidem ſemper Apoſtolicos Præſules inſtitutos ſuis litteris præuenerunt, & illam confeſſionem, fidemque præcipuam, tamquam boni filij quæſiuerunt debita pietatis affectu, cui noſcis ipſius Domini Saluatoris ore curam totius Eccleſiæ delegatam: vt ſe docerent eius eſſe conſortes. Vbi te, rerum humanarum Princeps, qualiſcumque Sedis Apoſtolicæ Vicarius, conteſtari mea voce non deſino, vt te memineris hominem, quantalibet ſis Mundi poteſtate ſubnixus: circumſpiciaſque cunctos, qui ab initio dogmatis Chriſtiani, Catholicam fidem diuerſo propoſito perſequi, vel affligere conati ſunt, quemadmodum (vaſtitatis inſectatione, cuius plaãit contriſionis illatæ) ipſi, qui intulerunt iſta, præualendo defecerint: & Orthodoxa veritas, hoc præualuerit magis, quo putaretur oppreſſa: quæ ſicut ſub inſectatoribus ſuis creuiſſe monſtratur, ſic obtriuiſſe cognoſcitur inſequentes.*

Hæc Symmachus, Anaſtaſio Imperatori, non minus conſtanter, quàm veriſſimè demonſtrabat: ſcilicet Imperatorem de corpore Eccleſiæ eſſe; rebus terrenis tantùm præſidere: in his, quæ ad Dum ſunt à Pontifice dependere: Pontificem Imperatore ſuperiorem eſſe, atque adeò in iſtum in his, quæ ad Deum ſunt authoritatem habere: adeoque illum ipſum columen imperij fore, hunc verò ipſum Imperatorem in his, quæ ad Deum ſunt illi auſcultare, non verò officium eius vſurpare, aut iuſſionem detrectare.

Pontif. Imperatore ſuperior in his, quæ ad Deum ſunt.

Præclarè S. Maximus Abbas, & Martyr, Conſtantis Imperatoris Monothelitę, qui dogmatum ſibi deffinitionem temerè arrogauerat, miniſtris reponebat. Impoſuerant viro Sancto, quaſi dixiſſet, *nefas eſſe, nec rationi conſentaneum, Regem Sacerdotem appellari*.

Anno 650.

Sanctus porrò Maximus ad hoc reſpondens, illud quidem non ſe dixiſſe, ſed hoc tamen verum eſſe affirmauit, quia *definire de dogmatibus, & quærere, Sacerdotum eſſet non Regum, quoniam Sacerdotibus conceſſum eſt, & vngere, & manu imponere, & panem cæleſtem offerre, & Altari aſſiſtere, & quæcunque alia agere. quæ diuiniora ſunt, Sacramentaque ſubblimiora habent.*

S. Maximus ad Conſtantem Imper. Monothelitam.

Vrgebant, vt damnaret Synodum Romanam, quaſi inualida eſſet, quæ Imperatoris iniuſſu facta eſſet. At ille: *Si Synodus ſactas Regum Imperia firmant, non pia fides: recipe Synodos, quæ contra Homouſion ſunt habitæ Imperatorum iuſſu: nempè primam quæ Tyri, alteram quæ Antiochiæ: tertiam quæ Seleciæ, quartam quæ Conſtantinopoli ſub Eudoxio Arriano, quintam quæ Nicææ Thraciæ, ſextam quæ Sirmij, ac multis poſt temporibus, ſeptimam quæ Epheſi, cuius Princeps Dioſcorus fuit: nam has omnes iuſſa Imperatorum congregarunt: attamen damnatæ ſunt omnes, propterea quod ſancita in illis dogmata, ſine Deo ſacta, Deo aduerſabantur. Cur autem eam, non repudiatis, quæ Paulum Samoſatenſem depoſuit, habita ſub Sanctis, & Beatis, Dionyſio Papa Romæ, & Dionyſio Alexandriæ, & Gregorio Thaumaturgo, qui eius Synodi princeps fuit: quia iuſſu Imperatoris facta non eſt? Illas nouit probas, & ſanctas Synodos in vnaquaque prouincia fieri canon iubet, iuſſionis Regiæ nulla mentione facta: idque ad munimentum ſalutaris noſtræ fidei, & emendationem eorum, quæ pertinent ad id, quod diuinum Eccleſiæ CAPVT EST*, nempe Romanum Pontificem, qui in his eſt Imperatore ſuperior, quæ ad Deum ſunt: in quibus laus obſequendi, exequendi, & defendendi penes Imperatores, Reges, & Principes temporales manet.

Diſerte iſtud Ioannes Papa vni Imperatorum ſcripſit: *Si Imperator Catholicus eſt, (quod ſalua pace ipſius dixerimus) filius eſt, non Præſul Eccleſiæ: diſcere ei conuenit, non docere. Habet priuilegia ſua poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis diuinitus conſecutus eſt; vt eius beneficijs non ingratus, contra diſpoſitionem cæle-*

Ioann Papa in eandem materiam.

cæleſtis ordinis nihil vſurpet. Ad Saserdotes enim Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt pertinere, non ad ſæculi poteſtates: quas, ſi fideles ſunt Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubiectas. Non ſibi vindicet alienum ius, & miniſterium, quod alteri deputatum eſt: nec contra eum tendat abrumpi, à quo omnia conſtituta ſunt, & contra illius beneficia pugnare videatur, à quo propriam conſecutus eſt poteſtatem. Non à legibus publicis, non à poteſtatibus ſæculi, ſed à Pontificibus, & Sacerdotibus Omnipotens Deus Chriſtianæ religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & diſcuti, recipique de errore remeantes, Imperatores Chriſtiani, ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis Præſulibus, non præferre: non minus quam ſenſus proni ad malum, & rerum cœleſtium expertes, rationi: ſi ſe & illam volunt incolumen eſſe.

Steph Papa Baſil. Imp. diſcrimen inter Summum Pont. & Imp. inculcat.

Æqualia huic Stephanus Papa Baſilio Imperatori, à Photio Pſeudopatriarcha ſeducto inculcans, quod diſcrimen inter Summum Pontificem, & Imperatorem foret, quodque huius meritum in obſequentia, illius in præceptione authoritas reputaretur, indicabat: *Pia potentia tua*, ait, *noris Regiam poteſtatem non eſſe capacem Sacerdotalis, atque Apoſtolicæ noſtræ dignitatis. Quamuis enim ipſius Chriſti ſummam imperandi ſimilitudinem in terris geras, tamen res tantùm politicas, & ciuiles curare debes. Quemadmodum igitur vobis rerum temporalium principatus à Deo eſt traditus, ita nobis per coryphæum Apoſtolorum Petrum rerum ſpiritualium principatus. Accipe quæſo optimam in partem, quæ ſubijcio. Datum tibi eſt vt cures, quo pacto tyrannorum impietatem, & inhumanitatem potentia ferro præcidas, ſubiectis tuis iura adminiſtres, leges condas, terra, marique exercitum componas. Hæc ſunt capita, curæque Imperij veſtri. Noſtri verò cura gregis tantò præſtantior eſt, quantum eſt inter cæleſtia, ac terrena diſcrimen. Audi Dominum ad Petrum dicentem;* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. *De veſtro verò Imperio, quid ait?* Nolite timere eos, qui corpus occidunt animam autem non poſſunt occidere. *De credito nobis miniſterio, quid porrò addit?* Tibi dabo claues Regni cœlorum, *& quæ ſequuntur. Obteſtor igitur tuam pietatem, vt Principum Apoſtolorum inſtituta ſequare, magnaque veneratione proſequare. Omnium enim in Orbe terrarum Ordo, & Pontificatus Eccleſiarum à Principe Apoſtolorum Petro originem accepit, per quem & nos ſincera, & incorrupta doctrina inſtruimus omnes, & docemus. Tua vera Maieſtas, ne, ex minimis coniecturam faciens, ad maiora inueſtiganda gradum faciat: quin perpendat potius, quæ hac authoritate aggrediatur. Si è grege Dei, quod opto, es? vnis es: limites Principum Apoſtolorum ne tranſilias.* Similia iſtis ante Stephanum Papam, ſcribebat Gregorius Leoni Imperatore Iſauro, in epiſtola à Patribus ſeptimæ Synodi lecta, & laudata.

Similia Greg. Papa Leoni Imp. Iſaur. ſcribit.

Obſcæcatus es, ait, *pertinaci animo tuo, ac domeſticis perturbationibus, & ſcripſiſti;* Imperator ſum, & Sacerdos. *Audi humilitatem noſtram Imperator: ceſſa; & Sanctam Eccleſiam ſequere, prout inueniſti, atque accepiſti. Non ſunt Imperatorum dogmata, ſed Pontificum, quoniam ſenſum Chriſti nos habemus. Alia eſt Eccleſiaſticarum Conſtitutionum inſtitutio, & alius ſenſus ſecularium: In adminiſtrationibus ſæculi militarem, ac ineptum, quem habes ſenſum, ac craſſum in ſpiritualibus dogmatum adminiſtrationibus habere non potes. Et ecce tibi Palatij, & Eccleſiarum ſcribo diſcrimen, Imperatorum, & Pontificum; agnoſce illud, & ſaluare, nec contentioſus eſto. Nam quemadmodum Pontifex introſpiciendi in palatium poteſtatem non habet, ac dignitates Regias deferendi; ſic neque Imperator in Eccleſia introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi, neque conſecrandi, vel Symbola Sanctorum Sacramentorum adminiſtrandi, ſed neque participandi abſque opera Sacerdotis, Imperatores, qui piè, & in Chriſto vixerunt, Eccleſiarum Pontif. obedire minimè recuſarunt, nec eos vexarunt: Tu verò Imperator, cùm tranſgreſſus fueris, ac peruerſus euaſeris, & manu propria ſubſcripſeris teipſum, ſubijciens, & confeſſus fueris eum, qui terminos patrum tollis execrabilem eſſe: in hoc proprio iudicio condemnatus es, ac Spiritum Sanctum à te alienaſti, & animam tuam in barathra, & prærupta loca præcipitem egiſti, quod humiliari nolueris, duramque ceruicem tuam ſubmittere. Nam vbi præclara commonitione adhibita, & doctrina Pontif. Deo exhibuerint Imp. irreprehenſibiles, & mundos à peccatis, ac delictis, magnam apud eum laudem, & gloriam obtinent in ſanctam reſurrectionem magnam; quo tempore res noſtras occultas, opera noſtra in lucem prolaturus eſt in confuſionem noſtram coram Angelis ſuis. Tum verò futurum eſt, vt nos humiles erubeſcamus, quod te propter inobedientiam tuam lucrati non fuerimus: cùm illi, qui ante nos fuerunt Pontif. eos, qui ſuis temporibus imperarunt, Deo obtulerint: quod nobis humilibus pudorem inuchet, qui temporum noſtrorum Imperatorem non offeramus glorioſum, & celebrem, ſed ignominioſum, & adulterinum. Ecce nunc quoque te hortamur, pœnitentiam age, & conuertere, atq; ad veritatem ingredere ſicut inueniſti, & accepiſti, cuſtodi. Honore affice, & glorifica Sanctos, & glorioſos Patres noſtros, qui cæcitatem à cordibus, oculiſque veſtris, ſecundùm Deum diſpulerunt, vſque viſum reſtituerunt.*

In his, quæ non ſunt ad Deum. ſcilicet quæ à Regibus conferri ſolent.

Hæc Gregorius Pontifex ad exemplum aliorum ſcribens manifeſtè indicabat, Pontificem Imper. ſuperiorem eſſe: ad illum, non ad hunc, ea, quæ ad Deum ſunt, pertinere: ex quibus, cùm Imperij Chriſtiani certiſſima ſalus dependeat, Romanum Pontificem ea propter columen Imperij eſſe. Innocentius Tertius ſuo tempore, paulo amplius multis argumentis, quæ libuit adſcribere, ea omnia demonſtrabat.

Rationes aliquot quibus Innoc. Papa demonſtrat in corpore Eccleſ. duas eſſe poteſtates, ſæcularé ſpirituali ſubordinatam eſſe. *lib. 1. ep. 18.*

In Geneſi legimus ait, quod Melchiſedech fuit Rex & Sacerdos; ſed Rex Salem, & Sacerdos Altiſſimi: Ciuitatis videlicet Rex & Deitatis Sacerdos. Sanè, ſi diſtat inter Ciuitatem & Deitatem, diſtat vtique inter Regnum, & Sacerdotium. Nam & ſi Melchiſedech in figura Chriſti præceſſerit, *qui habet in teſtamento, & in fæmore ſuo ſcriptum, Rex Regum & Dominus Dominantium, Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech;* ad notandam concordiam, quæ inter Regnum & Sacerdotium debet exiſtere: propter quod & ipſe Chriſtus ſecundùm naturam carnis aſſumptæ, de ſtirpe Regali pariter, & Sacerdotali deſcendit: ad notandam tamen præeminentiam, quam Sacerdotium habet ſuper Regnum, cum Abraham rediret à cæde Regum,

I. Agrum à Melchiſedech, & Abraham.

dedit

dedit Melchiſedecho ex omnibus decimas: qui benedixit ei, offerens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi. Dignior eſt autem qui decimas recipit, quam qui decimas tribuit: & minor qui benedicitur, quam ille qui benedicit; iuxta quod probat Apoſtolus, qui de hoc ipſo loquitur dicens; *ſine vlla contradictione minus à meliore benedicitur*, qui volens oſtendere Sacerdotium Euangelicum dignius eſſe Leuitico, probat illud quod Leui fuit in lumbis Abrahæ decimatus, quando Abraham dedit decimam Melchiſedecho, quaſi minor maiori.

II. *Ab vnctione Regum quæ fit a ſacerdotib.*

Licet autem tam Reges, quàm Sacerdotes, vngantur ex lege Diuina, Reges tamen vnguntur à Sacerdotibus, non Sacerdotes à Regibus. Minor eſt autem qui vngitur, quam qui vngit; & dignior eſt vngens quam vnctus. Propter quod & ipſe Chriſtus cui dictum eſt per Prophetam; *vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis*; Patrem vngentem ſe vncto aſſerit maiorem: *Pater*, inquit, *maior me eſt*. Nam Pater eſt vngens ſecundùm quod Deus; filius autem eſt vnctus, inquantum eſt homo, *quia cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, & habitu inuentus eſt vt homo*.

III. *Dij ſacerdotes a Deo dicti Reges autem Principes.*

Hinc eſt, quod Deus Sacerdotes vocauit Deos, Reges autem Principes appellauit. *Dijs*, inquit, *non detrahes, & Principi populi tui non maledices*, & de ſeruo qui maluerit remanere cum Domino, dicit, vt *offerat eum Dijs*, id eſt Sacerdotibus; *& perforabit aurem eius ſubula, & erit ei ſeruus in ſæculum*.

IV. *Sacerdos Angelus Domini vocatur.*

Sed etiam propter dignitatem officij Sacerdos Angelus nuncupatur, dicente Domino per Prophetam: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius Angelus enim Domini exercituum eſt*.

V. *Exemplo prophetæ de Sacerdotib qui erant in Anathot.*

Dictum eſt etiam non à quolibet, ſed à Deo.; nec cuilibet, ſed Prophetæ; non vtique de ſemine Regio, ſed de Sacerdotibus qui erant in Anathot; *Conſtitui te ſuper Gentes & Regna, vt euellas, & deſtruas; ædifices & plantes*. Simile dicitur Petro, ſed excellentius. *Tu es*, inquit, *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*. Illi dictum eſt; *Conſtitui te ſuper Gentes & Regna*: iſti dictum eſt, *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Illi dictum eſt; *euellas, & deſtruas, ædifices & plantes*: Iſti dicitur; *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*. Illi dictum eſt; *ne timeas à facie eorum quia tecum ego ſum, vt eruam te*: Iſti dicitur; *Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam*. Principibus datur poteſtas in terris: Sacerdotibus antem poteſtas tribuitur, & in Cælis. Illis ſolummodo ſuper corpora; iſtis etiam ſuper animas. Vnde quanto dignior eſt anima corpore, tanto dignius eſt etiam Sacerdotium quam Regnum.

Petro etiam legitur vas oſtenſum quatuor initijs ſubmiſſum de Cælo, in quo continebantur omnia animantia, volatilia, quadrupedia, & reptilia, munda pariter & immunda, & dictum eſt ei; *Macta & manduca*: macta vitia, & manduca virtutes. Macta errorem & manduca fidem: quaſi euellas, deſtruas, ædifices, & plantes, quia ſinguli Proceres, ſingulas habent prouincias, & ſinguli Reges, ſingula Regna. Sed Petrus ſicut plenitudine, ſic, & latitudine præeminet vniuerſis; quia Vicarius eſt illius, *cuius eſt terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo*. Porrò Sacerdotium ſicut dignitate præcellit, ſic & antiquitate præcedit. Vtrumque tam Regnum quàm Sacerdotium inſtitutum fuit in in populo Dei; ſed Sacerdotium per ordinationem diuinam, Regnum autem per extorſionem humanam. De Sacerdotio namque præcepit Dominus Moyſi: *Applica*, inquit, *ad me Aaron fratrem tuum, & filios eius de medio filiorum Iſrael, vt Sacerdotio fungantur mihi*. De Regno verò dixit Dominus Samueli; *Audi vocem populi petentis Regem. Non enim te abiecerunt ſed me, ne regnem ſuper eos*. Verum inter Moyſem & Samuelem, inter Aaron primum Sacerdotem & Saulem primum Regem fuerunt tempora Iudicum, in quibus multi anni fluxerunt.

VI. *Sacerdotiũ per ordinationem diuinam inſtitutum, & antiquitate præcedit Regnum.*

Reſpondetur tacitæ obiectioni.

Ne quis antem obiiciat, quod & ſi Sacerdotium præceſſerit in populo Iudæorum, Regnum tamen præceſſit Sacerdotium in populo Gentium. Nam Belus cæpit primo regnare ſuper Aſſyrios poſt turrim Babel & diuiſionem linguarum tempore Sarug proaui Abrahæ, cui Ninus filius eius ſucceſſit in Regnum, qui Ciuitatem magnam conſtruxit, quam à ſuo nomine Niniuem appellauit. Sed & de Nembroth dicit ſcriptura, quod principium Regni eius extitit Babylon. Reſpondemus profecto ſecundùm fidem hiſtoriæ, quod & hos præceſsit Noe, qui fuit rector Arcæ, quaſi Sacerdns Eccleſiæ. Sed ne figuram pro veritate mendieare videamur proponamus in medium, quod Moyſes de illo teſtatur; *Ædificauit*, inquit, *Noe altare Domino, & obtulit holocauſtum ſuper altare*. Sem quoque primogenitus eius dicitur fuiſſe Sacerdos, quem Iudæi trahunt fuiſſe Melchiſedech, & vixiſſe vſque ad tempora Abrahæ.

Sacerdos primus Abel.

De Cain quoque natus eſt Enoch, qui primus ciuitatem ædificauit. Sed de Seth natus eſt Enos, qui cæpit nomen Domini inuocare. Sed vtrumque præceſsit Abel, qui obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum munera Domino; *& reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*. Verum in Regno & Sacerdotio, non ſolum cauſam inſtitutionis ſed & ordinem proceſſus notare debemus. Contra vtrumque ſiquidem in principio motum eſt ſcandalum, & ſuſcitatum eſt ſchiſma. Contra Sacerdotium Aaron ſchiſma mouerunt, Chore, Datan, & Abyron, cum complicibus ſuis: ſed ſtatim eos vltio diuina damnauit, quia quoſdam ignis conſumpſit, alios terra viuos abſorbuit. Contra Regnum autem Saulis ſchiſma mouit Dauid, non tamen temeritate propria, ſed voluntate diuina, qui licet diu fuerit Saulis perſecutionem perpeſſus, demum tamen præualuit: quia manus Domini erat cum illo. Quid eſt hoc quod ſchiſma contra Sacerdotium non præualuit, ſed ſuccubuit, ſchiſma autem motum contra regnum non ſuccubuit, ſed præualuit? Magnæ rei eſt Sacramentum, & forſitan inſtantis temporis eſt parabola.

VII. *Ordo proceſſus in ſacerdotio, & Regno.*

Sed ne aliud Intendere videamnt, dicamns, quod ideo ſchiſma contra Sacerdotium non præualuit, quia Sacerdotium inſtitutum fuit per ordinationem diuinam; ſchiſma verò præualuit contra regnum, quia teguum fuit extortum ad petitionem humanam. Sacra verò Scriptura docente didicimus, *quia non eſt ſapientia, non eſt ſcientia, non eſt conſilium contra Deum.* Cæterum rempore procedente, diuiſum eſt ſimul Regnum, & Sacerdotium. Nam poſt obitum Salomonis diuiſum eſt Regnum; & duę tribus ſoiummodo Roboamo adhæſerunt, cæteræ verò tribus ſecutæ ſunt Hieroboam. Sed qui pauciores obtinuit ipſe habuit Hieruſalem Sedem Regiam, Templum, & Sacerdotium. Reliquus autem, qnoniam his omnibus caruit, & ſi plures haberet; ſicut Regnum diuiſit, voluit eriam diuldere Sacerdotium, & fecit duos vitulos aureos, quorum vuum poſuit in Dan, alterum in Bethel, fanumque conſtruxit, & ædificauit altare conſtituens Sacerdotes, non de Leuitis. Sed venit Propheta in ſermone Domini, & Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus faciente, inter cætera dixit; *Hoc erit ſignum quod locutus eſt Dominus: Ecce altare ſcindetur; & effundetur cinis qui eſt in ipſo.* Quod cum Rex audiſſet, extendit manum, & air; *Apprehendite eum*, & exaruir manus eius, quam extenderat contra ipſum. Altare quoqne ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis. Ecce ſtatim à Deo vindicatum eſt ſchiſma contra Sacerdotium ſuſcitatum; diuiſio verò Regni permanſit inter Indam & Iſrael, vſque ad tranſmigrationem, & captiuitatem Iudæorum.

Poſt obit. Salom. diuiſum Regnũ & Sacerdotium.

Schiſma contra ſacerdotium à Deo vindicatum diuiſio Regni non item.

Porrò, quod accidit in veteri Teſtamento; contigit in nouo. Et nè longè perannt exempla; diuiſum eſt ſimul Regnum, & Sacerdotium, tempore Innocentij Papæ, & Regis Lothatij. Contra Innocentium intrurſus eſt Anacletus, contra Lotharium verò Conradus. Sed præualuit vterque Catholicus Innocentius videlicet, & Lotharius, quoniam Innocentins coronauit Lotharium, & ſuccubuit vterqne ſchiſmaticus, Anacletus videlicet: & Contadus: quia veritas præiudicar falſitarl. Deinde ſchiſma diuiſit Ecelesiam tempore Alexandri, & Imperium in vnitate permanſit tempore Friderici. Sed idem Imperator non vt defenſor, ſed vt perſecutor Eccleſiæ ſchiſma fouit, & fauit ſchiſmaticis.

Diuiſum quoque Regnum, & ſacerdotiũ tempore Innoc. Pp. & Reg. Lothar.

Porrò ſchiſma parirer cum ſchiſmaticis, & fomentum cum fautoribns eſt confuſum. Nunc aliud Eccleſia per Dei gratiam in vnitate conſiſtit, & Imperator peccatis exigenribus eſt diuiſum. Verum Eccleſia non ſic illi retribuit, quemadmodum illnd Eccleſiæ: quia ſuper eius diuiſione condoler, & compatitur: pro eo maximè qnod Principes eius poſuerunt maculam in gloria, & in honore infamiam; libertatem, & dignitatem ipſius pariter confundentes.

Hac pro dignitare Ponrificis Innocentij III. poſt alios adducens vnà cum alijs ſuperioribus demonſtrabant, in vno corpore Eccleſias duas poteſtates eminentes quidem, cæterum non diſparatas, ſed vnam alteri, nempe ſæcularem ſpirituali, vtpote præſtantiori ſubordinatam eſſe illiuſque ſalurem, ab iſtius moderatione, atqne diſpoſitione in ijs quæ ſimt ad Deum, & ex his quæ ad pacem publicam ſunt pendere, eoquod, quantumcumque aliquis in Eccleſia etiam Imperiali faſtigio eminens ſit, ouis tamen, & filins eſt illius, cui Chriſtus dixit, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Paſce oues meas*, ac proprerea, in his qui ſunt ad Deum, opus habent vocem ſupremi Paſtoris audire, atque iuſſionibus ſummi Patris familias obtemperare: ſi non cupit ad hoc Ouili vnico, & ab hac magna Domo, in qua vaſa aurea, argentea, & fictilia, & quædam quidem ad honorem, quædam videlicer ad conrumeliam continentur, extor tis aberraie, ſeque, & ſuos peſſundare.

Enimuero, ſi ab his quoad Deum ſunt, Salns Imper. pendet: & ſummus Pontifex velut ſupremus Angelorum viſibilium, nempe Sacerdotum, eſt in illis ipſis proponendis, diſpontndis, arbitrandis, corrigendis; rectè, ab eius adminiſtratione Salus Imper. ſtabilitatem acceperit. Rurſus, ſi ſummus Hierarcha in vniuerſo corpore Eccleſiæ inſtat animæ, non quidem intime, ſed extime, diſpenſatoris myſterium Dei officio defungitur: reliqua antè poteſtas, quo ſeculari miniſterio deputata eſt, corporis vicem implet: anima videlicet extra omnem controuerſiam eſt, decus ſuſtentatio, ſulcimentum totins corporis; recte pariter ſummus Præſes ſacrorum, fuerit columen imperij Chriſtiani: contra quem ne portæ quidem inferi prænalerenr, quin porius in eum incurrentes, corruerint, ſeque & Imperia perdiderint; quod tritum illud Horatianum minime audieriut: *Iniurioſo ne pede proruas ſtantem columnam*: cuius columine iam in mille ſexcentos annos incolumitas Reipublicę Chriſtianę continetur.

Sũmus Hierarchia in vniuerſo corpore Eccleſiæ inſtar animæ.

Laudati, & glorioſi illi Imperatores qui cultum veræ religionis, quam omnibus gentibus omnibuſqne nationibns, Deus voluit Apoſtol. vocibus prædicari, totis viſceribus in Chriſto complexi. ex diuina præſcriptione ſe totos Sedi Apoſtol. in his quæ ad Deum ſunt permiſerunt, deque ea ſuis ſinguli temporibus bene mereri ſtuduerunr, vt vera ab Orthodoxa fides, ab hoc Apoſtolorum fonte dimanans eorum ope & patrociuio munita, propulſatis hoſtium impugnationibus toto terrarum orbe diffuſa floreret, atque ipſi ductum Principis Paſtorum ſequentes, tunc verè magni, verè Auguſti, verè felices cenſerentur. Sixtus V. aliquorum memoriam laudibus efferebat, eorumque illuſtria pie recteque factorum exempla, ad imitationem proponebat: quod non tam à paludamento purpureo, vel diademate aut ſceptro aureo, ſed à pietatis ſtudio, à religionis Catholicæ cultu, & à Romani Pontificis obſeruantia, felicitatem, incolumitatemque Imperij metirentur. Laudatus Conſtantinus vere maximus; qui, quod Syluestro Maximo Pontifice anrem accommodauerit, & Imperiale faſtigium inſulis Sacerdotalibus ſummiſerit, domi, foriſque in pace: in acie, felix, victor, in bellis ciuilibns externiſque trophæa per miraculum defixit: dignus cui tamen Principes Apoſtolorum ſpeciem ſuam viſibilem objicerent, verum & Chriſtus Imperior. auctor, & ſeruator, Crucem radio ſolari illuſtriorem repræſentarer, victoriam in hoc admirando ſigno ſtipularetur, hoſtium dominatorem efficerer, taurumque ei gloriæ, & famæ conciliaret, vt primus Chriſtianorũ Imp. etiam à Gentilibus Cælitum numero adſcriberetur.

Conſtantinus Mag.

Diſ-

Conſtantius hi.

Diſſimilis patri vt ſtudio, ita & fortuna Conſtantius Imperator. Is quamdiu Romanis ſacris bellum non indixerat, ſicut omnes (vt Naziauzenus laudabat) nou ſuæ ſolùm, ſed etiam ſuperioris memoriæ Imperatores animi ſolertia, & acumine longe antecellebat, ita etiam felicitate vel æquabat, vel ſuperabat: barbaras nationes per gyrum repurgabat, tyrannoſque inteſtinos ditioni ſuæ, partim ſermonibus, partim armis ſubijciebat; & quidem vtrumque ita dextrè, & egregiè, quaſi ab altero nihil moleſtiæ exhiberetur, cuius cùm magna, & eximia trophæa armis, & prælio quæſita, tum maiora, & illuſtriora ſine vlla cruoris profuſione parta: ad quem legationes, & ſupplicationes vndecumque confluebant: cui nationes omnes partim iam dicto audientes erant, partim iam iam futuræ erant; niſi celeritate inhumanæ inhumanitatis in præceps corruiſſet, Deumque ab ſe auertiſſet.

Niceph. lib. 9. c. 28. & Theodoret. lib. 2. c. 32. & lib. 3. cap. 1.

Quod enim Felicem extinxerit, Liberium grauiſſimis calamitatibus afflixerit, ſenſumque ſuum in rebus Orthodoxię ſententijs ſummorum Pontificum antetulerit, ſumma infelicitate in bellis, magnas clades in Rempublicam Chriſtianam inuexit, ac tandem ſero ſapiens, in ipſo vitæ exitu, tum de innouata Religione, tum de bello Pontificibus Romanis illato conqueſtus, in gemitibus expirauit. Iulianæum Imperium, grauior caſus penè alliſit; quod Liberio contempto, delere, ac penitùs excindere rem Chriſtianam agitaſſet. In Perſas enim profectus, in anguſtias extremas rem Romanam vbi coniecisſet, ſpectaculum Orbi fuit, ab incerto percuſſore humerum lethali plaga vulneratus, exanimis inter miracula Chriſtianæ religionis occubuit. Et ne cauſa violentæ necis ignoraretur, ipſi palàm teſtari cupiens, ſanguine ſuo manum repleuit, atque in cœlum iaculatus, in hæc verba prorupit: *Exple iram tuam Galilæe* (ita Chriſtum appellare conſueuerat) *fateor enim me à te ſuperari*: nimirum ob contemptum Vicariæ illius in terra poteſtatis; ob ſacra aut inuerſa, aut proſcripta: ob Carnifices, & Martyres, & plenam cædibus Eccleſiam, atque prioris æui ſæuitiæ conſimile ſpectaculum exhibitum, ſe cadere fatebatur, illuſtriſſimo ſæculis documento, Imperatores, & Imperia tamdiu ſtare, quamdiu in petram Eccleſiæ Primariam, vel etiam Vicariam non impegerint: quod huius lapilli prouocatus lapſus, caſus ſit vel altiſſimæ, vel ditiſſimæ, vel fortiſſimæ, quantumuis molis.

Iulianus Apoſtata.

Eius in morte blaſphemia.

Valentin. & Gratian. Imper. felices quamdiu Rom. ſacris bellum non indixere.

Valentinianus ſenior, & Gratianus Imperator tamdiu ſtabili felicitati, quamdiu Damaſum Romanum, eiuſque Cooperatorem Ambroſium, in his, quæ ad Deum veluti ſummos Duces ſequerentur. Conabantur Ariani, aſtu, & dolis, rem Catholicam perturbare. Auxentius veterator, Mediolanenſis Sedis inuaſor, cùm videret Valentinianum, optimè quidem erga Eccleſiam animatum, ſed tamen cui tumultus, & pericula non placerent, & qui factionem Arianam ſua perire tabe cuperet, tunc vel maximè cœperat, optima ſpecie peſſimum animum occultare, atque venena ex occulto ſpargere. Iuſtina Imperatrix, pariter non negligebat muliebribus artibus, periculum Orthodoxiæ concitare. Cæterum Imperator. ad petram vnde exciſi fuerant aſpicientes, Damaſo, & Damaſi Legatis, Martino, Hilario, & Ambroſio credendum arbitrati: cùm Catholicos gererent ſpiritus annos felices Imperij numerabant. Gratianus infeliciter tunc cecidit, cùm Macedonium, imprudens, in euulgandis edictis tolerauit. Priſcilliano, atque aſſeclis, noua, in vulgus opinionum portenta ſpargentibus, eoque crimine in Concilio Cæſarauguſtano damnatis, cum Mediolanum, vbi conſiſtendi locum quærebant, veniſſent, diploma ille vendidit, quo reſtituebantur in eas Ciuitates, & ſedes vnde fuerant eiecti, totaque Cæſarauguſtani iudicij ſententia reſcindebatur.

Execrabilem eam iniuriam in Deum, hominesſque, conſecuta ſunt ea, quæ ſequi par erat, violata Pontificis Romani, & Conciliorum authoritate, polluta Eccleſia, contaminatis ſacris, & in auaritiam vltimum malorũ permiſſis Imperij rebus. Ac primum quidem ab ipſo Cæſare Numen orſum, pœnas atroces expediuit, ac bella, hoſtes, & clades, quæ res Italas in longum tempus afflixere immiſit, deinde verò Præfectum illum originem malorum, exitu fœdo, ac triſti, quem meruerat, amouit. Namque cùm inter bellicos tumultus, incurſioneſque quotidianas, hærente minaciter in tergum hoſte, ad obuiam fortè ſacram ædem confugiſſet, neque aditum vſquam vllum inueniret, vt fortè Ambroſius prædixerat, obtruncatur: temerè incuſans Deum, cuius in fidem, atque tutelam incurriſſet.

Mala Valent. Imper. poſt contemptũ numen ſecuta.

Gratianus ipſe aduerſus æmulum Imperij Maximum tendens, in itinere, ab omnibus repente deſtitutus, & quacumque fugeret eiectus, cùm fruſtrà diuinam, humanamque opem implorasſet, dolo ſuorum cecidit: non ſine horribili ſigno iritati numinis, cui ob reſtitutos Priſcillianiſtas, & rem religionis incurioſè curatam piaculum debebatur. Valentinianus iunior fato eodem interijt, propter violatam Eccleſiaſticam hierarchiam. Dolis Iuſtinæ impar, Pontificium officium interuertebat, & neque Ambroſio, neque Damaſo quicqnam auſcultabat. Itaque Maximi inprimis armis exercitus, deinde barbarorum manu interfectus, & ex cubiculi tigillo ſuſpenſus, teſtimonium reliquit, & monumentum Principibus nè columen Imperij fidem auitam, & obſequentiam ſeruatoribus Fidei, in his, quæ ad Deum ſunt, conuellereut.

Gratianus dolo ſuorũ interit.

Valentin. Iun. eodem fato perit.

Iſtud Maximus, Valentiniano in memoriam tunc reuocabat cum arma infeſta inferret iuueni, vt videri volebat, corrigendo, non euertendo. Seriem, & ordinem litterarum fuiſſe Ripamontius memorabat: *Si animo inimico erga Valentinianum eſſet, aut hoſtile quippiam agitaret, gauiſurum haud dubiè, quod labefactanda religione ſeipſum euerteret. Qui enim iratum numen habeat, hunc prope iam debellatum eſſe, & ſuopte caſu ruentem facile poſſe præcipitari. Nunc amiciſſimè erga te cùm ſim affectus, cumque res tuas incolumes eſſe velim: moneo, vt diuini iudicij vim ineuitabilem reſpicias. Quippe ſæuire in Catholicum nomen, obſidere templa, legeſque ſacroſanctas obtentu nouarum legum infringere, pudor vobis adhuc nullus fuit, hæc ſi leuia forſitan eſſe piacula perſuaſum habes, numinis maieſtatem infinitam anguſtè circumſcribis. Quod ſi dixeris moueri te cura veritatis, & rectæ fidei: Iam erubeſcam ego vicem tuam. Tunc* igi-

lib. 4. hiſt. Eccl. Mediolanen.

igitur Eccleſiaſtica decreta, & tot annorum ſpatio torraboratam ronſuetudmem, audebis tollere, teq; legibus dininis quaſi magiſtrum, & moderatorem appones? Humanæ legas poſtquam ex vetuſtate nomen, atque famam habuere, ſacroſancta renſentur, & auguſta: Dininas, quo magis inueterauere, contemnemus? Non tuo iudicio ſana erit religio, in quam rlariſſima proninriarum Italia, & Gallia, & Aquitania, Hiſpaniæque tractus conreſſere, quamquam Domina rerum, & Magiſtra totius Orbis Roma complexa rſt? Diſſ:uſere, fateor, Illyrij, maluitque decepta gens paucorum ſequi ruinam, & exitium, quam publico exemplo, quod ſalutare erat, attineri! Sed & ſecutæ prouinciam clades, inſigne dorumentum eam fecere, ne qui, talia deinde vel populi, vel Reges auderent. Periculosè, mihi erede, dinina tentantur: nec alia tam intima cauſa Valentiniano patri, quamobrem Eccleſiaſticis negotijs implicari nollet, haberetque pro æternis ea, quæ ſemel placuiſſent. Nunc ea mutatio facta eſt, vt qui antea Sancti, & ſacri habebantur, iam ijdem vti ſacrilega, & damnata capita, quærantur ad necem. Falleris, ſi per hæc, aut alia, tolli poſſe religionem putas, quæ radices in ſubiectorum animis egit altas, & profundas. Citius enim ſeditiones, & diſcordiæ inteſtinæ Regnum euertent, quam ab auita fide populus deſciſcat. Preces, & vota bonorum, numquam aſpernabitur Deus. In hanc ſententiam Maximns Valentiniano ſcribens, futuræ cladis præcipitem admonuit. Conſtantem, & Valentem pene emiſeram, daros in exemplum vindictæ diuinæ, quæ Pontificiæ maieſtatis, & diuinæ religionis violarores manet.

Conſtantis Imper. Arr. miser exitus

Conſtans Conſtantini filius, dum in tantum inſaniæ cecidir, vt Romanum Poutificem Liberium, Athanaſium Alexandrinum, Hilarium Pictauenſem, multoſque alios fidei Orthodoxæ Antiſtires in exilium relegauetit, pleroſque etiam iniecto vitæ metu impio Arrij dogmati ſubſcribere coegerit, atque cum Arrium iactat, & trecentorum, ac duodeviginti Patrum decreta contemnit, in hanc ſolidam petram arietarit, & Perſicis bellis implicitus, & cinilibus exagitatus, nec relicto etiam ſucceſſore, quem vellet, quinimo & profeſſo eius hoſte Iuliano, miſerandum in modum deceſſit.

Valens Imp. in tugurio exuſtus. Secrat lib. 4. c. 37.

Valens Imperator, cùm eundem lapillum mouiſſet, & Orthodoxos multos petræ Romanæ vnitos in exilium egiſſet, bello aduerſus Gottos infeliciter ſuſcepto, ſagitta vulneratus, in tugurio quodam igni exuſtus eſt, cùm prius grando lapidum Conſtantinopolim deformaſſet, terræ motus Nicæam, & Germam Helleſponti Ciuirates deieciſſet; fames intoleranda, Phrygiam, adeovt Incolæ ſedes mutare cogerenrur, exhauſiſſet, Imperiumque vniuerſum diuerſæ calamitates concuſſiſſent.

Theodoſ. ſen. Sixtus V. in bulla 37.

Theodoſius Senior æternitatem promeruit, quod ſe Nicænæ fidei defenſorem acerrimum præſtitis, quod lege edita, eam ſe tantùm fidem ſequi, quam à beatiſſimo Apoſtolo Petro Romanis tradiram Damaſus Pontifex docebat, apud cunctus populos publicè teſtificatus eſt, quod in Eccleſiæ Romanæ cultu, ac veneratione, diſciplinam imitatione dignam non ſolùm legibus, edictiſque profeſſus eſt, ſed etiam mirificè coluit, quod denique ob grauem Theſſalonicenſem cædem à Sancto Antiſtite publicè correptus, & ab ingreſſu Eccleſiæ repulſus, inſigni Chriſtianæ humilitatis exemplo reuerenter abſtinuit, & impoſitam à ſacro viro pœnitentiam humiliter ſuſcepit, libentique animo adimpleuit, quo obedientiæ, & pœnitentiæ exemplo, is, qui clauſtra Imperij, Chriſti Domini ſic validis præſidijs antè munierat, non ſolùm Reipublicæ hoſtes ſummouit, verumetiam Chriſtiani nominis gloriam feliciter adauxit.

Arcadius, & Honor. eius filij.

Sed, & duorum filiorum eius Arcadij, & Honorij memoria in benedictione eſt; quod pietatis, ac diſciplinæ præceptis, inſtitutiſque à S. Arſenio Romanæ Eccleſiæ Diacono inſtructi, vt Chriſtianam religionem propagárent, vbique terrarum ſimulachra idolorum confringi, eorumque templa dirui, legibus ſanxerunt, nec non Catholicæ fidei integritatem conſtantiſſimè retinentes, hæreticos omnes Imperij viribus coercuerunt, neque latum vel vnguem à Pontificum Romanorum præſcriptis, recedendum ſibi eſſe propoſuerunt: Baſilicas auguſtiſſimas dinis tutelaribus regio ſumptu exædificarunt, cultum ſanctioris religionis exemplis, & edictis conſtabiliuerunt: digni, in quorum victorias Perſæ ruerent, tunc cum militibus Arcadij pro Chriſto bene pugnantibus, Cruces æreæ in veſtibus apparuiſſent.

Theodoſius Iun. & Valentin. III. bene de Eccleſia meriti & ideò felices.

Theodoſium Iuniorem, & Valentinianum Tertium omnis Eccleſia in perpetuum celebrabir, quod Cæleſtinum Romanum iuuiſſent, in Epheſina Synodo vocanda, fouenda, tuendaque, in Neſtorio hæreſiarcha condemnando, inque pace Eccleſiarum per Sanctorum Patrũ definitionem procuranda, atque Leone Pontifice ab iniurijs vindicando.

Tulir Valentinianus ſuæ pietatis vberrimum fructum, cùm Leo beatiſſimus Antiſtes, immaniſſimum Attilam, flagellum Dei vocatum, diuina ſua eloquentia placauit, auctoritate Apoſtolica deterruit, horribilemque tempeſtatem iam imminentem, ab Vrbe Roma, atque à tota Italia auertit, quin etiam ipſe Attila, Orbis terror, pauló poſt, atque multa mala Chriſtianis intulerat, in ipſis nuptijs apoplexia correptus, qui alienum ſitiuerat, proprio ſanguine ſuffocatus interijt, atque Deus Victoriam incruentam Conſtantinopolitanis renunciauit, cùm Marcianus Imperator Conſtantinopoli eadem nocte in ſomnis vidiſſet Attilæ arcum fractum eſſe. Meruit Marcianus ea diuinitus oblata viſione, atque exinde conſecuta pace recreari, quod Leonem Magnum Antiſtitem, ad maximam Synodum Chalcedonenſem peragendam, adque Dioſcorum execrandum, hoſteſque Orthodoxiæ profligandos, manu potentiſſima roboraſſet, pietatiſque, & obſeruantiæ erga Sedem Apoſtolicam illuſtriſſima argumenta dediſſet. Non minorem laudem, & Leo Imperator tulit, quod crebris Sancti Leonis Papæ litteris excitatus, nullis hæreticorum machinis paſſus eſt ſe à Catholicæ fidei conſtantia, & Chalcedonenſis Synodi propugnatione dimoueri.

Attila Orbis terror à Leone Papa placatur.

Marciani viſio propter eius in Sedẽ Apoſt. pietatem.

Miſcellanea infœlicis exitus diuerſorum eo quod Rom. Pont. non reuerentur.

Quantum pietas illorum Deo placuerit, non obſcurè tunc indicauit, cùm in oculis eorum, tyrannos vix exurgentes, mira occidione deleuit. Vidit Arcadius; Ruffinum Conſtantinopoli tumultu militari occiſum: Honorius, Gildonem ſua ipſius propria manu ſtrangulatum; Maſcezilem in Africa trucidatum:

Gai-

Gainam in Thracia iugulatum: Styliconem ſecuri Rauennæ cum filio percuſſum: Theodoſius iunior, Marcum in Britannia, Gratianum indidem, Conſtantinum, & Conſtantem in Gallijs; Attalum, Sarum, & Iouium in Italia, Maximum, & Gerontium in Hiſpanijs, Heraclianum, & Sabinum in Africa, Flintham in Palæſtina, & alios alibi, qaulò quam tyrannidem moliti ſuiſſent oppreſſos: Valentinianus Tertius, Anicium in Tyberim proiectum: Leo Senior Ardaburium, cum patre Aſpare, & fratre Patritio in Vrbe Regia interfectos: cum etiam per idem ęui, Pontifices Romani, diuinas vindicias, in hoſtibus ſuis, atque Eccleſiæ, non ſine prodigioſa Imperij Occidentalis & Orientalis, ruina aſpexiſſent. Odouacrum Herulum Theodoricus interemit: Theodoricus ex ſummo animi mœrore, in quo, oblatos in menſa piſces, Symmachi, Boethij, & Ioannis Papæ interfectorum capita eſſe arbitrabatur, ſubitanea morte perijt. Theodahatum Vitiges, Vitigem Belliſarius, extinxit: Totilam Narſes, Amalarichum Childebertus Rex vicit, & occidit. Alboinum Roſimunda vxor, Clephim ſeruus, interfecit. Autharis veneno ſublatus obijt. Adalualdus à ſuis ducibus Regno exactus eſt. Gundebertus, & Rodoaldus ferro perempti; Perrharitus eiectus: eandem fortunam Garibaldus nepos paſſus, alij alia calamitate conflictati, quod Romanum Pontificem minimè reuererentur, neque ei in his, quæ ad Deum ſunt obſequẽtes forent.

Iam in Oriente, Zenonem Imperatorem Ariadna vxor viuum ſepulchro incluſit: Anaſtaſium fulmen percuſſit; Baſiliſcum Zeno ſame mori coegit; cum etiam interim barbari Scenitæ, Hunni, Maſſagetæ, Bulgari, Auares, & alij hoſtes multam vaſtitatem Imperio Orientali, non minus quam Vandali, Gotthi, Longobardi Occidentalibus prouincijs cladem intuliſſent, ac planè ſędiſſimè laceraſſent: quod illi quoque Eccleſiam Catholicam à Capite viſibili diuidere, miſerumque in modum lancinare voluiſſent. Felicior Iuſtinus, pius, & Catholicus Imperator, qui quod & Hormiſdæ, & Ioanni Pontifici, tum ſummos honores exhibuiſſet, tum ſummam rerum fidei permiſiſſet, Perſas in Triumphum duxit; Theocritum, Amantium, & Andream perduelles facile deleuit, imperiumque ad nepotem Iuſtinianum tranſmiſit: tunc felicem, cum Pontificibus Romanis caput ſubmiſiſſet; infelicem, cum Sylucrium, & Vigilium afflixiſſet, exque proprio ſenſu dogmata, vel excogitare, vel ſtabilire conatus eſſet. Superioribus enim temporibus, Africam Vandalis expulſis, Italiamque recepit: poſterioribus verò Imperium prolabi aſpexit à delirio, vitam finiuit. Cùm enim extrema ætate in Aphthardocitarum hæreſim incidiſſet, & Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopum, alioſque miniſtros, & inptimis Romanos Antiſtites ſibi aduerſantes loco mouere conaretur in furorem verſus expirauit.

Iuſtini Imp. fœlicitas.

Iuſtiniani infelix obitus.

Zonaras tomo 3.

Non felicior illo Iuſtinus iunior ex filia nepos, qui quod in his, quæ ad Deum ſunt nimium ſibi vſurparet, atque plus Pelagianis, quàm Romanis tribueret, magnam à Perſis cladem accepit, quam cùm acerbè ferret, in phreneſim lapſus, mox ad ſanitatem reuerſus, ſubſtituto Tiberio interijt, maxima parte Italiæ, quam Longobardi eripuerant, amiſſa.

Infelix Iuſtinus.
Euagr. lib. 5. cap 9.

Felicior, Tiberius, qui Perſas nonnullis Vrbibus, & Regionibus, de Iuſtino, & de Iuſtiniano captis exuit, & in Italiam victricia ſigna non ſemel intulit, quod Benedictum I. loco patris habuerit, Gregorium Magnum coluerit, Crucis ſimulachrum in maxima veneratione habuerit, & ne vel in minimo ab obſeruatione Orthodoxiæ recedere voluerit. Tiberio non inferior Mauricius, quo tempore Gregorium honore, & amore proſequeretur, Tunc enim Perſis debellatis, Regem dedit, & in Italism exercitu miſſo Longobardorum furorem non mediocriter repreſſit. Cæterum poſtquam Gregorium inſectari, ridere, & Ioannem Patriarcham Conſtantinopolitanum aduerſus eum fouere cæpit, à Auaribus, Bulgaris, & Saluinis non ſemel ſuperatus, tandem à Phoca trucidatus eſt; cùm prius in oculis ſuis, quinque filios, & vxorem, ac vniuerſam ferè familiam ſecuri percuſſam amiſiſſet.

Fęlix Tiberius.

Mauritij exitus infelix.

Pari viciſſitudine Phocas ſucceſſor; felix, quando ſummam à Chriſto Domino Romanæ Eccleſiæ traditam authoritatem, & poteſtatem tueretur; infelix, quando in tranſuerſum actus, nihil ṗenſi pietatem duceret. Tunc enim Meſopotamiam, Syriamque amiſit; Aſiaticas prouincias vaſtatas aſpexit; Europæas regiones magnis cladibus attritas, nec quicquam recreauit; Perſis, Auaribus, & alijs barbaris cuncta infeſtantibus.

Zonaras to. 3
Phocas.

Ad extremum ab Heraclio cæſus, eiuſdem ſortis ſucceſſorem accepit: tamdiu victorem, quamdiu Romanos Pontifices agnoſceret; pudendum, nec niſi execrandum, quando illis ſimul, ac Orthodoxiæ bellum indixit, hæreſimque Monothelitarum inuexit. Arriani, quos ille temeritate ſua excitauit, Imperium, atque Religionem miſerè dilacerarunt; cùm ipſe quoque in proprio corpore non exigua tormenta expertus eſſet, aqua intercute tandem extinctus; & in monumentum inceſtus, quo ſe polluerat, hac pœna percuſſus, vt inguine conuerſo faciem ſuam permingeret, niſi tabella interpoſita auerteretur. Ceſſit & iſtud in partem infelicitatis, quod Saraceni, Mahomete neſandiſſimo Duce, & impuriſſimo legislatore, Arabiam, Syriam, & Ægyptum Imperio detraxiſſent; & Deus in reprobum ſenſum quaſi vniuerſum Orientem tradidiſſet, Iacobitarum, Georgianorum, Theopaſchitarum, Monophyſitarum, Agnoetarum, Stauroblatarum, Monothelitarum, Seueritarum, Aphtharthodocitarum, Phantaſiaſtarum, Manichæorum, Tetraditarum, Arrianorum, & Neſtorianorum hæreſibus diſtractum.

Heraclius felix, dum Rom. Pont. agnoſcit.

Eius poſtmodum calamitates.

Conſtans eius filius, quod Martinum Pontificem capi iuſſerit, captumque in exilium deportari, ibidemque mori ſuſtinuerit, ſe & imperium in extremum coniecit miſeriæ. Namque Mahometani Africam interceperunt, Aradum Inſulam inhabitabilem reddiderunt, Cyprum vaſtarunt, Iſauriam cultoribus viduarunt: ipſum fuga elapſum, vix in poteſtate non habuerunt, qui omnibus ſuis inuiſus, atque exoſus, tandem in Sicilia, à ſuo ſatellite percuſſus, infauſtam animam efflauit. Ruiſſet tunc Romanorum Imperium, niſi Conſtantinus Pogonatus, Agathoni Papæ obſequens, pietatis manum appoſuiſſet, exque Romani Antiſtitis voluntate, omnia, quæ ad Deum ſunt fieri permiſiſſet.

Conſtans Heracl. fil. poſt multas calamitates à ſuo Satellite occiſus.

Paul. Diac. lib. 19.

Mox enim, atque Legatos eius benignè audiuit, & Concilio Oecumenico, iuſſu Agathonis peracto ſubſcripſit, tanto terrore Saracenos perculit, vt vltra Armeniam, Cappadociam, Ciliciam, Libanumque ſummoti, pacem vltro petierint, ingentemque pecuniam, captiuos, equos, ſeruos, & alia nomine ſtipendij obtulerint. Iuſtinianus Pogonati filius, non minore felicitate, atque pater; quando Concilio Oecumenico ſubſcripſit; quando Romanæ Eccleſiæ in Calabria, & Apulia fundos, tributo Imperatorio eliberauit, quando Apoſtolicæ Sedis tutelam ſuſcepit.

Zonaras to. 3. Iuſtin eius fil. miſerè occiditur.

Hoc enim tempore, Africam ex hoſtibus recepit, & Armeniam, Albaniam, Iberiam, Mediam, atque Hircaniam Imperio adiecit. Poſtquam Sergium Papam iniuria affecit, Legatoſque Apoſtolicos, Conciliabulo, quod contra Eccleſiam collegerat, ſubſcribere coegit, Saracenos, & alios contra eum Deus excitauit. Illi enim pugna cum eo commiſſa, copias ipſius profligarunt, Armeniam proditione occuparunt, Orientem totum direptionibus, & incendijs numquam vaſtare deſtiterunt, Leontio, & Philippico ſuccedentibus, quorum alter naſum illi præcidit, alter vita ſpoliauit.

Philippicus

Philippicus ſucceſſor, cùm Romanum Pontificem Conſtantinum recta monentem contempſiſſet, & anathema ab eodem pronunciatum irriſiſſet, vindicem Deum in ſe prouocauit.

Paul. Diac. lib 20. Artemius.

Bulgari, Thraciam fœdiſſimè vaſtarunt, Saraceni totum Orientem ſubegerunt, Artemius Imperio illum deiecit, & oculis priuauit: ſed nec ipſe, propter violatos Pontifices Romanos, Imperio diu potitus fuit, rerum deſperatione fractus, hoſtiumque impugnationibus impar, paludamentum cum monaſtico habitu commutauit.

Leo Iſauricus.

Leo Iſauricus Gregorio Secundo iniurius & refractarius, iſtud vindictæ diuinæ tulit. Tota Italia omninò excidit, Cæſaream Cappadociæ amiſit, Mediam, finitimaſque Regiones Saracenis inuadentibus ceſſit, totamque Aſiam ab eiſdem populationibus fœdatam vidit, à Tiberio Onomagulo, Agalliano, Stephano, & Coſma tyrannis, nec quicquam tutus vitæ, & Imperij fuit, ac tandem infeliciter deceſſit, Conſtantino Copronymo filio, omnium hominum flagitioſiſſimo ſucceſſore relicto: quo, cùm Diua Deiparente, & Romanis Pontificibus bellum gerente. Gizidus Saracenorum Princeps, omnes Cyprios in Syriam tranſtulit; Turcæ, è Caſpijs portis erumpentes, Armeniam populati ſunt, Mahometani Sardiniam occuparunt, Artabaſdus tumultu populari Auguſtus appellatus, & ab Anaſtaſio Patriarcha inauguratus, tyrannidem aduerſus eum exercuit; ac tandem igne cælitus immiſſo, quo ſe exuri vociferabatur, conſumptus interijt.

Conſtant. Copronym.

Conſtant. Porphyrogen. & Irena mater.

Conſtantinus Porphyrogenitus, cum Irena matre, donec ex voluntate Pontificis Romani pietatem excolerent, triumphos multos de hoſtibus domeſticis, & extraneis tulerunt: cùm obſequendi inſtitutum detractaſſent, calamitatis exemplum Orbi vniuerſo extiterunt. Conſtantinus matrem ab Imperio ſummouit; illum à Bulgaris victum, mater oculis, & Imperio orbauit; ad quam impietatem Sol ad XVII. dies radios occultauit: matrem Imperatricem, ſeruus ſubulcus Imperiali dignitate, & theſauris ſpoliauit, atque in exilium relegauit: Nicephorus filius in Imperium ſuccedens, cùm ſupremam illam Romanæ Eccleſiæ hierarchiam floccipenderet, à Bulgaris cæſus occubuit: plurimis Aſiaticis Regionibus à Saracenis occupatis.

Nicephorus fil.

Leo Armenus.

Leo Armenus, Leoni Tertij Stephano Quarto, & Paſchali Primo, propter cultum ſacrarum imaginum infeſtus, ita à Bulgaris ſuperatus eſt, vt illi omnem Thraciam eripuerint, Conſtantinopolimque obſidione diuturna afflixerint: ipſe autem Michaelis Thrauli inſidijs interemptus viuere, & imperare deſierit.

Michael Balb.

Michael Balbus, propter eandem in Romanos Pontifices proteruiam, Mahometanos hoſtes perpeſſus, Cretam, Siciliam, nonnullaque Calabriæ, & Apuliæ reliqua perdidit: neque feliciorem filium Theophilactum imperio reliquit: quem impietatis paternæ hæredem Saraceni ter maximis copijs profligarunt, Amorium eius patriam interceperunt, tantamque quanta numerari non poterat, multitudinem hominum in captiuitatem abduxerunt. Actum proculdubio fuiſſet de imperio Orientali, ſuccedentibus Imperatoribus Romanæ Sedi aduerſis, niſi Baſilius Macedo homo Catholicus, & originis mali, quæ à contemptu Romanorum Pontificum manaret non ignarus, perpetuas clades interrupiſſet. Hic quod Hadriano Papæ auſcultaſſet, & Octauo Oecumenico Concilio calculum addidiſſet, imperium in aliquem priſtinæ dignitatis ſtatum reſtituit, plurima de hoſtibus fidei cæpit. Ruſſoſque bello fractos religioni Chriſtianæ adiunxit.

Theophilact. omnes infœlices.

Baſil Macedo Imperij ob pietatem reſtitutor.

Miſcellanea aliorum Orient Imper.

Ab eius morte, Imperium Orientale, pro varietate Imperatorum, variauit: victoribus ijs, qui Romanis Pontificibus cultum, & obſeruantiam impendiſſent; calamitate tyrannica domi, & foris oppreſſis illis, qui Imperia ſupremæ Sedis detrectaſſent, neque intellectum ſuum in obſequium Fidei, ſub arbitrio illius, pro quo ne eius Fides deficeret Chriſtus impetrauit, captiuaſſent, ſcilicet Romanus Lecapenus, Armeniam, Melitenem, & Meſopotamiam, deletis Agarenis recuperauit. Romanus alter, adhuc puer, Cretam; Nicephorus Phocas Ciliciam, Cappadociam, ac Cyprum de hoſtibus cæpit, Imperijque Romani fines longe, lateque propagauit. Baſilius Porphyrogenitus, & Conſtantinus frater, Iberiæ vlterioris, Phœniciæ, Syriæque Damaſcenæ Principes tributarios fecit: Bulgariam, Croatiam, Syrmiumque ſubiecit, Abaſgiam deuicit. Romanus Argyropylus, Edeſſam, & reliquum Meſopotamiæ recepit. Conſtantinus Monomachus Leoni IX. aduerſus, propè totam Aſiam, Turcis inuadentibus perdidit. Michaele Ducas rerum potente, Croatæ, & Bulgari deſciuerunt, deuictaque Macedonia, & Thracia, Conſtantinopolim obſidere auſi fuerunt. Nicephoro Bothoniatæ, Nicæam Bithiniæ Turci eripuerunt. Alexium Comnenum Robertus Guiſcardus copijs militaribus in acie vicit, atque Dyrrachium, multaque Oppida Theſſaliæ Imperio Orientali detraxit. Andronico Comnemo, dextra ab æmulo Imperatore præciſa, oculi effoſſi, caput cla-

clanis confixum; ipſe aſino fædiſſimo per contumeliam impoſitus, aqua ſetuenti perfuſus, ſtercoribus omni ex parte proiectis conſpurcatus, denique pedibus ſuſpenſus, animam miſerè efflauit, Imperiumque diuiſum dereliquit; quod Ioanni Pontificio Legato caput abſcidiſſet, atque abſciſſum, caudæ canis immundæ alligatum, pet Vrbem raptari iuſſiſſet; necnon Latinos Romano Pontificio addictos, aut occidiſſet, aut Mahometanis vendidiſſet; oſſaque defunctornm exhumaſſet, & in mare proieciſſet. Proculcatæ Romanæ authoritatis, tulit pœnas, & Iſaacius Comnenus, ab Angelo fratre, oculis, & imperio priuatus. Andronicus Iunior Palæologus Michaelis filius, quod Concilij Lugdunenſis, adeoque Gregorij X. decretis non ſteriſſet, & ad priſtinas hæreſes teuertentes, Romanos Pontifices aſpernatus eſſet, inter Septem Turcarum Sarrapas, omnes Aſiæ Ptouincias amiſit: moxque Conſtantinopolim integram hęredibus reliquit: quam poſtea vnà cum vita, & reliquo Imperio, Conſtantinus Græcorum Imperatorum vltimus, ſpreto Eugenio Quarto, & Conciiij Florentini ſtatuto, perdidit, immaniſſimo Turca id quicquid in Oriente ſupererat inuadente.

Floruit Ori eot. Imperium floreote apud eos Religione Orthodoxa

Floruit Orienrale Impetium, florente apud eos religione Orthodoxa: cuius quod ſupremus Dictator, & Cuſtos ſit Pontifex Romanus, floruit illud, feliciter imperantibus Orthodoxis, quamdiu Romano Pontifici in his quæ ad Deum ſunt fuerunt obſequentes. Iam Imperio à Græcis in Gallos, & ab his in Germanos translato, ilii ſoli, & meruerunt, & amplificarunt, & iucundiſsima in pace adminiſtrantes, ſummam rerum ad poſteros tranſmiſerunt, qni huic ſolidæ petræ innixi, numquam in eam arietarunt.

Sequitur de Imperio Occid.

Manere namque Deus voiuit eum honorem Sacerdotibus Supremis ſempiternum, vt ne portæ inferi aduerſus eos præualerent, quinpotius conualeſcentes confringerentur, ſupplicioq; non tantum æterno, verum etiam temporali deputarentur. Si enim in veteri lege, hominem qui non obediret Summo Sacerdoti, Indicique ſupremo ad tempus conſtituto conttadiceret, morte voluit multati; atq; vt omnes ſcirent, haue eius ad honorandum vindicandumq; Summum Pontificium, vocem, eum vera, & ſumma maieſtate proceſſiſſe, Chore, Dathan, & Abiron, audentes ſuperbire, & ceruicem ſuam extollere, & Sacerdoti præpoſito ſe adæqnare, hiatu terræ abſorbuit, pœnaſque ſacrilegæ audaciæ ſtatim de eis ſumpſit; nec ſolos illos, ſed & cæteros dncentos quinquaginta, qui eis comites ad audaciam fuerant, igne prorumpente conſumpſit: cumque populus Iſrael Samuelem contempſiſſet; *Non te ſpreuerunt, ſed me*, iratus exclamauit; Regemque Saulem, qui hoc vlturus, grauibus eos iniurijs affligeret, & per omnes contumelias, & panas ſuperbum populum calcaret, & premeret excitauit; vt contemptus Summus Sacerdos de populo ſuperbo vltione diuina vindicaretur: longè magis cōſtabilire decreuit honorem Sacerdotio nouæ legis, vtpote præſtantiori; cum parem obedientiam atque ſibi præſtandam ab omnibus ouibus, Summo omnium Paſtori conſtituit, illudque ſanxit; *Qui audit vos, me audit; &*

Populus Iſrael Samuelem contemnens à Saule Reg. Deo volente affligitur.

eum qui me miſit, & qui reijcit vos, me reijcit: reijcit eum qui me miſit: qui reijeit eum qui me miſit, diuinæque ordinationi reſiſtit, damnationem ſibi acquirit: vt inprimis à cotpore, & communione Sanctorum auulſus, tradatur in teprobum ſenſum, hæreſi, & ſchiſmate obnolutus; à quibus certiſsima perditio. *Neq; enim aliunde hæreſes obortæ ſunt*, ait Cyprianus, *aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei, non obtemperatur, nec VNVS IN ECCLESIA AD TEMPVS SACERDOS, & ad tempus IVDEX VICE CHRISTI cogitatur. Cui ſi ſecundum Magiſteria diuina obtemperaret Fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum Sacerdotum collegium quidquam moueret; nemo diſcidio vnitatis, Chriſti Eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens ac tumens ſeorſim foris, hæreſim nouam conderet.*

epiſt. 55. Origo hæreſum, & Schiſmatum ex inobedientia Sacerdotii Dei.

Nemo honorem Deo, cuius nutu, & arbitrio regi, & gubernari omnia ſcimus, & credimus, detraheret. Nemo vindicem illum in ſe armaret; nemo calamitatem, mortem, & damnationem ſibi accerſeret. *Hæc ſunt initia hæreticorum*, ſcribebat alibi idem ipſe Sanctus Cyprianus, *& ortus atque conatus ſchiſmaticorum male cogitantium, vt ſibi placeant, vt Præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia receditur*; *ſic altare profanum foris collocatur; ſic contra pacem Chriſti, & ordinationem atque vnitatem Dei rebellatur*: ſic diuina vindicta proritatur, atque accelcratur: cum *ille, qui Chriſti aduerſarius, & Eccleſiæ eius inimicus, ad hoc ECCLESIÆ PRÆPOSITVM ſua infeſtatione perſequitur, vt gubernatore ſublato, atrocius atque violentius circa Eccleſiæ naufragia graſſetur.*

epiſt. 65.

Cyprian. epiſt. 55.

Sciuit iſtud Pipinus Gallorum Rex, & non tantum aurem obſequendo, ſed etiam arma defendendo Romano Pontifici Gregorio III. commodauit; quin etiam inſupet Exarchatum Rauennæ, Æmiliam, & Flaminiam, de Longobardis recipiens, Pontifici atque Catholicæ Eccleſiæ, ſiue donare, ſiue reſtituere, quam à Conſtantino Impetatore magnam auri ſummam eo nomine accipere maluit: in bellis victor, domi felix, qui impetium in ſeram poſteritatem propagauit.

Miſcellanea Pipinus Gallorum Rex.

Secutus Patris exemplum Carolus Martellus, cum Pontificibus Romanis auſcultaſſet, Aurelianos vno impetu fudit; traiecto Rheno, Sueuos, & Bauaros Regno Francorum adiecit: Saracenos ab Eudone Duce in Aquitaniam euocaros, cæſis ex eorundem exercitu CCC. LXXXV. millibus profligauit. Amorrheum alterum eorum Regem, ſuppetias Athimo apud Narbonem obſeſſo ſerentem delenit: Ghotthos qui Hiſpaniam citeriorem Galliæ partem annos iam CCC. turbauerant, cladibus affecit, atque omnem poſtremo Galliam Francorum Regno addidit.

Carolus Martellus.

Carolus Magnus, quod Adrianum Pontificem, & Leonem; ab iniurijs vindicaſſet, Romanæque Sedi à Pipino reſtituta, ſiue collata, diplomate confirmaſſet, nec non plura alia contuliſſet, Himuldum Aquitanorum Regem in deditionem accepit; Deſiderium Longobardorum Regem captum, Francico nomini ſubegit; Saxones ſæpius rebellantes, triennali tandem bello vicit, & ſub iugum redactos, ad Chriſtianæ quoque pietatis cultum induxit. Saracenos, Hiſpaniam omnem de-

Carol. Mag Imp.

uaſtantes, perdomuit, Hiſpanoſque male de Chriſto ſentientes ſubiugauit. Slauos, Danos Bauaros, Boemios tumultuantes, in ſuam ditionem redegit. Taxilonem Bauariæ Ducem, Longobardorum reliquias fouentem, ad officium coegit. Hunnicum bellum, octauo poſt anno, expugnata eorum Regia, & theſauris opulentiſsimæ omnium gentis aſportatis, feliciſsimè confecit. Godefredum Normannorum Ducem, Francorum ſocios vexantem, in poteſtatem reuocauit. Longobardos tota Italia eiecit. Compoſitiſque Europæis rebus, ſeptuagenario non minor, immortalitatem factis promeruit, cum XLVI. annos Regnum feliciter tenuiſſet, gymnaſia condidiſſet, veramque Religionem tutatus, ſummos Antiſtites, ſumma pietate coluiſſet, templa ac Monaſteria fundaſſet locupletaſſetque.

Ludouic. Pius. Ludouicus pius, quod exemplo paterno, religioni Chriſtianæ, eiuſque Summis Hierarchis multum detuliſſet, aduerſus Hiſpanorum tyrannos multa præclara feliciter geſſit, Dacium bellum ex ſententia confecit, Britones, & reliquos pacis perturbatores compreſſit, Bernardum ex filio nepotem in Italia res nouas conantem capitali pœna affecit, Slauorum principem fregit, ac luminibus priuauit: totam Germaniam, Boemiam, Pannonias, Dalmatiam, Triballos, Dardanos, ac Mæſiæ partem in imperio continuit; inuitis filijs à cuſtodia Monaſterij eductus, priſtinæque dignitati reſtitutus, XXVII. Imperij anno lætus exceſsit, hærede Imperij Lothario filio natu maiore deſignato.

Ludouic. II. fælix. Ludouicus II. non impari felicitate atque auus imperauit, quod Sergio Pontifici inclinaſſet. Ferocienti animo pergebat, vt in Baſilica Vaticana, diadema imperij extorqueret. At Sergius fores clauſit, & ad venientem forti voce dixit: *Si pacato magis quam hoſtili animo ad nos veniſti, ſique ad reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem magis reſpicis, quam ad voluptatem ſæuiendi prædandique! meo iuſſu ingredere. Sin aliter animatus es! fores ne tetigeris: nam ſupra caput Deum habes ſcelerum omnium vltorem.* Perculſus ea voce Ludouicus auſcultauit, nec quicquam amplius aduerſus ſanctiorem poteſtatem egit. Vndè contra Saracenos ex Africa venientes, Beneuentum aggredientes, ac vniuerſam pene regionem illam cædibus, rapinis, & incendijs depopulantes, fortiter pugnauit: Lucaniam, Samnium, & Capuam, quæ defecerant, in deditionem recepit: Adalgiſi Ducis petitus inſidijs, eas detexit, euaſit, deque coniuratis ſupplicium ſumpſit: ſicque

Pacifico ſic forti pectore rexit,
Vt puerum grauitas vinceret, acta ſenem.

Carolus Caluus. Carolus Caluus, biennio quo imperauit, quod Ioannem VIII. ingenti honore coluiſſet, Saracenorum conatus repreſsit, Nortmanos, & Britones varijs cladibus afflixit, regna plurima Francico adiecit; nonniſi dolo fraterno, cum ſuſpicione veneni à Sedechia Iudæo Medico dati occubuit. Lotharius filius Lotharij, quod Nicolao I. refractarius fuiſſet, & ſimulata pœnitentia corpus SS. Euchariſtiæ ex manibus Hadriani ſucceſſoris accepiſſet, inque cauſas Eccleſiaſticas temere proſiliuiſſet, nulla re inſigni geſta, Placentiæ in reditu ex vrbe repentino oppreſſus morbo expirauit.

Ludouicus III. Carolus III. cognomento Craſſus, Carolomannus Arnolphus, variam fortunam experti ſunt, prout varij in cultu pietatis, & obſeruantia Pontificum Romanorum fuere, à qua cum deficerent, felicitas quoque eos deficiebat. Ita ſub Imperio Craſſi, ſacra auctoritate conuulſa, & imminuta, Nortmanni Coloniam, Treuerim, Aquiſgranum, finitimaſque regiones ferro ac flamma atrociſsimè vaſtarunt, Hungari autem è Scythis ſedibus expulſi Pannonias occuparunt. Sub auſpicijs Arnulphi, datis auxilijs Formoſo Pontifici à Romanis oppreſſo, ſanctioreq; poteſtate Epiſcopali vindicata, Germanicum Imperium latiſsimè propagatum. Namque is totam Galliam Ciſalpinam ſubegit, Lotharingiam recepit, Alpes Pœninas, Burgundiamque in ſuam poteſtatem adduxit, poſtquam vero præclaras pro Sede Apoſtolica ſuſceptas actiones fœdiſsimis ſacrilegijs contaminauit, pediculari morbo abſumptus obijt. Miſcellanea.

Arnulphi filius Ludouicus, quod Benedicto IV. ingratus, Leoni V. Chriſtophoro, & Sergio III. minus obſequens fuiſſet, inque maledicta Sedis Apoſtolicæ ſeſe temere proieciſſet perpetuo infortunij nodo tenebatur. Hunc inprimis Hungari deſpicientes, Bauarorum fines inuaſerunt, victoriaq; aduerſus pugnantem illum potiti, omnia cædibus, rapinis, incendijſque vaſtarunt, Italiamque, Longobardiam penetrarunt. Tandem Ludouicus fatalibus malis diu, & grauiter exhauſtus, à Berengario Rege Imperio exutus, & oculis orbatus, ſine hærede extinctus eſt. Non quietius imperium, Conrado atque Henrico cognomento Aucupe, quamdiu ij Simoniacam labem, inuitis Romanis Pontificibus, per contagionem graſſari permitterent. Ea enim tempeſtate, Hungari, Morauiam ceperunt, Dalmatiam, & Bauariam occuparunt, Germaniam vero perpetuis incurſationibus, ac Hen. Imp. populationibus defœdarunt: donec Henricus his verbis votum concepiſſet; *Simoniaca hæreſis, Deo inuiſa, & à Beatiſſimo Apoſtolorum Principe Petro damnata, quæ ab anteceſſoribus noſtris eſt temere cuſtodita, modis omnibus à Regno noſtro ſit expulſa.*

Hoc facto, Arnoldum Ducem, ſe infeſtis armis Imperio opponentem, ſine armis repreſsit. Burchardum Alemaniæ Ducem, rebellem, in deditionem recepit. Hungaros Saxoniam inuadentes, memorabili prælio apud Martisburgum fudit ac fugauit: eaque Victoria ingentem ſui timorem ac æſtimationem apud exteras nationes ſibi conciliauit, & toti Germaniæ ſummam tranquillitatem peperit. Slauos, & Dalmatas debellauit, prædamque ingentem abegit. Pragam Boemorum vrbem, vna cum Duce Wenceslao, legibus imperij ſubiecit. Lotharingiam Germaniæ regno reſtituit, & Burgundiorum Rege lanceam, qua Chriſtus dicitur eſſe perfoſſus, conſecutus, Otthonem filium Imperio præfecit. Huic porro, tamdiu ſuſcepti officij curſus arriſit, Ottho fil. quamdiu in officio erga Romanos Pontifices poſt res bene geſtas ſeſe continuit. Namque hoc tempore, Ebe- Ioan. XII. rhardum Palatinum, & Giſelberthum Lotha- iniurius in ringiæ Principem, imperium adſe deriuantes ſęneitee proſligauit, tumultuſque plenos periculi ex- poſtmodum ortos ſedauit. Henricum fratrem, & filium rexit.

Lu-

Ludolphum refractarios in ordinem redegit. Vgonem Comitem Pariſienſem compeſcuit, Boleslaum Boemiæ Regem expugnauit. Hungaros apud Auguſtam Vrbem ad Lycum fluuium fudit, atque ita robur eorum debilitauit, vt poſtea Germaniam ingredi non ſint auſi: aduerſus eoſdem Pannonios Italiam vaſtãtes feliciſsimè pugnauit. Berengarium tyrannum, cum Adelberto filio, apud forũ Iulij ſuperauit, regno deiecit, & alterum Bambergam, alterum Conſtantinopolim relegauit. Sed mox, in Ioannem XII. iniurius, cum illum Pontificatu, contra iuriſiurandi formulam eieciſſet, Daniam, Belgicam, & Burgundiæ regnum amiſit, nec niſi infelicibus auſpicijs poſteritati imperium tranſmiſit.

Ottho II. poſt multas aduerſitates tandem ſagitta venenata vulneratus intereijt.

Namque Ottho ſecundus, vt auctor vitæ Sancti Adalberti ſcripſit, *qui tum loco patris rapidis cruoribus montem imperij conſcendit, non dextro omne, nec vino, maturæue ſapientiæ ſigno Rempublicam rexit: & dum omne quod vult, Regem oportere ſequi non bene putat, collectum Orbem amiſit, & quam patris terror peperit pacem, interfecit. Senſit Theutonum tellus, mortuum nautam maris: ſenſit dormientem aurigam, Orbis.* Lotharius Rex infeliciter pugnantem prope oppreſſit, & in fugam coniecit. Galli fugientem, in Axonæ fluuij tranſitu graui incommodo affecerunt, pleriſque militum fluminis impetu, alijs ferro necatis. A Græcis in Calabria, & Apulia victus, & ad mare fugiens ſcapha conſcenſa delatus, interque fugiendum à piratis captus, magna numerata pecunia vix euaſit, ac rurſus cum eis dimicans, ſagitta venenata vulneratus, è vita deceſſit: non ſemel à Danis, Boemis, Polonis, Slauis, Francis, Græcis, atque Saracenis profligatus.

S. Henric.

Sanctus Henricus cognomento Claudus, quod pietatem, & ab hac Romanum Pontificem Benedictum VIII. coluiſſet, ingentibus animis præclara facinora aggreſſus, multa feliciter egit. Boemos, & Vandalos bello, fatigatos, tributarios ſubditos ſibi fecit. Metas, Gandanum, Lotharingiam, & Flandriam deuicit. Saracenos ex italia eiecit. Hungaros ad fidem Chriſtianam adduxit. Imperiumque vniuerſum pace florentiſſima adminiſtrauit.

Henr. II. & III.

Henricus II. & III. non eadem felicitate qua ille imperauerunt; quod ſecundus Gregorium VI. tertius verò Gregorium VII. offenderunt, & per Sedis Apoſtolicæ odium, ſecuritatem imperij conciliandam fore.

Secundo imperante, Rex Hungariæ, Conradus Bauariæ, ac Slauorum populi, iuſſa detractarunt. Altero verò, per ſcelera tyrannidem exercente, Saxones æmulum imperij excitarunt, Germani in varias partes diſtracti multa prælia contra eum ſuſceperunt. Filius demum Henricus, in eum exercitum comparauit, & imperio ſpoliatum, curis & ærumnis confectum, ad mortem duram coegit: quod is anathema Pontificium contempſiſſet. Potuiſſet ab exemplo paterno didiciſſe, contemptum ſacratioris poteſtatis cauſam excidij fuiſſe, cæterum eadem ratione calamitatem ſibi, & imperio accelerauit, quod Paſchalem Pontificem violaſſet. Inde enim multæ diſſenſiones, ſchiſmata, incendia, homicidia, deportationes: & tumultus in Germania ſunt excitati; ipſe autem morbo correptus, ex omni parte acciſo imperio perijt.

Lotarius.

Lotharius periculo alieno cautus, Sacroſanctam authoritatem omnibus rebus anteponendam, tuendamque ſibi cum propoſuiſſet, & Anacleto Antipapa eiecto, Innocentium ſecundum Romam reduxiſſet, Pomeranos, Rugos, Daniæ, & Hungariæ Reges dicto obſequentes fecit, Italiam deuicit, Regnum Neapolitanum reſtituit: motuſque varios contra ſe excitatos repreſſit.

Frid. I. & II. ambo male perierunt.

Fridericus I. & II. tantiſper non infelices, quando Romanos Pontifices coluerunt. Prior, cum Adrianum irritaſſet, Alexandrum III. exagitaſſet, & Lucium III. iniurijs fatigaſſet, Daniam, Burgundiam, Arelatenſe Regnum perdidit; cum Mediolanenſibus congreſſus, fugaque elapſus, multos ex ſuis amiſit; filium deinde nauali prælio victum captumque, in manibus aduerſariorum vidit, atque ad extremum in amne ſubmerſus, pœnas violatæ maieſtatis dedit. Alter Fridericus, quod Gregorium IX. contempſiſſet, & Innocentium IV. afflixiſſet, multis calamitatibus, & ipſe conflictatus, plurimis Imperio prouincijs detractis, veneno inprimis tentatus, & ad vltimum Manfredi filij Nothi dolo ſuffocatus eſt. Ante iſtum Ottho IV. ab Honorio III. anathemate notatus, omni ſuorum præſidio deſtitutus, ab aduerſarijs victus, fugatus, ac poſtea mærore conſumptus, reliquis documentum reliquit: quanti conſtet, temeraſſe Summum Mortalium, Chriſti Vicarium.

Rudolphi Haſpurgij primi ex Sereniſſima Auſtria eorum familia Imp. pietas, & præclara geſta.

Ab hoc ſacroſanctæ poteſtatis contemptu diuulſum, laceratumque eſſe Imperium, cum Rudolphus Haſpurgius accepiſſet; à pietate, & religione reſtituendum, ſtabiliendumque fore exiſtimauit. Itaque cum & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, ſummum honorem illum detuliſſet, & Pontifici Romano inclinaſſet, Imperium in ſeram poſteritatem propagauit, in omnibus prælijs & auſis, victor, ac felix: In Alſatia, ſedioſas vrbes, quæ in eum conſpirauerant, vi cepit, & dignas de illis pœnas ſumpſit. Ottacarum Boemiæ Regem contumacem prælio vicit, atque occidit. Totam Auſtriam in poteſtatem redegit. Boemiam caſtigauit. Heluecticos ſubiecit. Pſeudo Fridericum captum, Noueſij combuſſit. Italiam pacauit; atque Imperium illi ſtirpi reliquit, quæ nata publicam ſalutem curare.

Miſcellan. reliquorum vſque ad Rudolph. II.

Carolus IV. Sigiſmundus I. Albertus I. & II. Fridericus III. Maximilianus I. & II. Carolus V. Ferdinandus I. & Rudolphus II. ideo domi florentes, inque prælijs triumphatores, quia Romano Pontifici, & Fidei ab eo ſeruatæ traditæque addicti.

Stat enim firma Leonis IX. Michaeli Cerulario ſcripta ſententia; *Quiſquis Romanæ Eccleſiæ auctoritatem, vel priuilegia euacuare, ſeu imminuere nititur, non hic vnius Eccleſiæ, ſed totius Criſtianitatis ſubuerſionem, & interitum machinatur.*

Qui fidem à Sed. Ap. manantem ſubuertere nititur interitum, & ruinam ſibi accerſit.

Porrò, qui totius Chriſtianitatis, vel fidei à Sede Apoſtolica manantis ſubuerſionem machinatur, proculdubio interitum ſibi, & Imperio, ſi illi prælatus eſt, accelerat, & accerſit. Nam à recta in Deum fide, quam Petrus, & Petri ſucceſſores, Romani Pontifices, Fratrum Confirmatores in animis omnium depangunt, victoria de hoſtibus, atque ſalus Imperiorum; quemadmodum Epiſcopi Phæniciæ, LEONI Imperatori olim ſcripſerunt: quod

in act. Conc. Chalcedon.

quod rebus Fidei *bene diſpoſitis, manus hoſtium vertitur in timorem, & qui pridem imprudenter reſiſtere didicerant, propter veſtra Fidei magnitudinem confuſi, venient ad ruinam*. Addebant Meſopotamiæ Epiſcopi; *Hac* à Leone Papa & DCXXX. Epiſcopis, in Concilio Oecumenico conſtituta, *cum Sacerdotibus Chriſti pietas, veſtra tenens, atque confirmans, in pace, Imperij gubernacula moderabitur*. Iulianus Coenſis Epiſcopus, Marcianum Imperatorem, Leoni in exemplum adducebat; *qui amoris diuini diademate coronatus, ſpiritualem quoque ſuſcipiens veritatem, feſtinauit Apoſtolorum dogmata confirmari à præſulibus Eccleſiæ, deſiderio Fidei accenſus Orthodoxæ: quæ cum veſtra*, ait, *pietas imitatur, & victoriam contra barbaros adipiſcitur, & veritatis quoque deſtruit inimicos*.

Act. 4. DauidProphet.Conſt. Imp. à Patribus VI. Synod. Prælatus, & quare.

Patres Sextæ Synodi, Conſtantino Imperatori, Dauidem Regem, & Prophetam proponebant. *Hic*, aiunt, quod dixiſſet, Zelus domus tuæ, comedit me: *pro tali Deo placito zelo collaudatus, illam beatam vocem audire à creatore omnium meruit*; Inueni Dauid ſecundùm cor meum, qui faciat voluntates meas, *cui, & in Pſalmis pollicetur*; Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum, *vt, cuius cauſam conflagranti ſtudio elaborat, Chriſtianæ elementiæ veſtræ piiſſimus principatus efficere, remunerationis gratia omnes actus fortiſſimi eorum Imperij felices, & proſperos faciat, qui in ſuis ſacris Euangelijs repromittit, inquiens*; Quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.

PatresVII. Conc ad Conſtant. & IrenemImp

Paria vouebant Conſtantino, & Irenæ Imperatoribus, Patres ſeptimi Concilij: *Saluator omnium Deus, & qui vobiſcum regnat, Eccleſiæ ſuæ pacem pro præmio ſuo tribuat; Veſtrum autem Imperium cum Senatu, & Ducibus, & fideliſſimo militum exercitu, in multos annos conſeruet, & victoriam vobis concedat. Ipſe enim dixit*; Viuo ego, dicit Dominus; glorificantes me glorifico. *Ipſe eſt, qui accingens vos potentia, omnem hoſtilem impreſſionem à vobis auferet, obedientiam autem apud omnes conciliabit*. Æqualia, Patres Concilij Romani, ſub Martino I. congregati, Conſtantino Imperatori pollicebantur: *Solet, vnà cum Orthodoxa fide, ſtatus Republicæ florere. Ideo veſtræ poteſtati meritò hoſtes ſubiugabit Dominus, à veſtra Serenitate rectè creditus, ad vindictam inimicorum creaturam armans. Induet enim lorica iuſtitiæ pietatem veſtram galeaque muniet iudicio vero, ac ſimulationis expertè: & clypeum inexpugnabilem præbebit religionem, ad ſubijciendum pedibus eius barbaras omnes gentes, quæ bella volunt*.

Patres Cõc Aquiſgran. Ludou. I. Imp.

Tom. Conc. Toletan.

Cauſam reddebant PatresConcilj Aquiſgranenſis, Ludonico I. Imperatori. *Magis enim Chriſtianum regitur, ac propagatur Imperium, dum Eccleſiaſtico ſtatui per omnem terram conſulitur, quam cum in parte quacumque terrarum pro temporali ſecuritate pugnatur*. Quemadmodum, & Epiſcopi Hiſpaniarum, poſtquam vngerent ſuos Reges, ex libro Iob illis augurabantur, *non auferet* Deus *à iuſto oculos, & Reges collocat in ſolio in perpetuum, & illuc eriguntur. Reuelat quoque aurem eorum, vt corripiat; & loquitur, vt reuertantur ab iniquitate. Si audierint, & obſeruauerint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria. Si verò non audierint, tranſibunt per gladium, & ſtultitia conſumentur*. Vidit illud S. Auguſtinus, & ex vero affirmauit, *Conſtantinum Imperatorem, non ſupplicantem dæmonibus, ſed ipſum verum Deum colentem*, Deus *tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet: cui etiam condere Ciuitatem Romani Imperij ſociam, velut ipſius Romæ filiam, ſed ſine aliquo dæmonum templo, ſimulachroque conceſſit. Diu is imperauit, vniuerſum orbem Romanum vnus Auguſtus tenuit, & defendit: in adminiſtrandis, & gerendis bellis victorioſiſſimus fuit; in tyrannis opprimendis, per omnia proſperatus eſt: grandæuus, ægritudine, & ſenectute defunctus eſt; filios Imperantes reliquit*. Vidit iſtud ipſum, & Nazianzenus, & Iulianum alloquens ait: *Cum Chriſtianorum rebus, Romanorum res ſimul increuerunt, ſimulque cum aduentu Chriſti, Imperium ingreſſum eſt*, addit. *Salutifera Chriſti doctrinæ longè, latèque fuſa, ac circa nos maximè vigente, Religionem Chriſtianam inuertere, ac labefactare conari, nihil aliud fuerit, quam Romanorum Imperium conuellere, omnibusque Reipublicæ partibus periclitari, eaque, quibus ne hoſtes quidem grauius quidquam nobis imprecari poſſint, à nobis metipſiis accipere*. Et non ſibi dictum putaret Iulianus Imperator, prænunciabat illi, à conuulſa religione Catholica, Nazianzenus; *Futurum quoque tempus, mihi crede, ſuſcipiet te, tuaque ſcelera, proſcindentem cæteroſque omnes erudientem, & admonentem; ne eadem audacia, aduerſus Deum efferantur; ne alioquin, eadem crimina, ijſdem quoque pœnis mulctentur*.

S. Aug. de Conſtantin. Imp. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 25.

Nazianz. Iulian. Imp. Orat. 1. & 2. in Iulian.

Alij Patres ad diuerſos Imp.

hom. in Vidi Dominum.

Enimuero, apoſtaſia à fide Orthodoxa, Imperatores, vt Chryſoſtomus animaduertit. *Quicquid eſt calamitatum inuexerunt; illa nihil non ſurſum deorſum miſcuerunt, illa hoſtes armarunt; vtque victi deſcenderemus illa effecerunt. Non aliunde malorum examen inundauit, quam ex hac cauſa*. Salubriter Athanaſius Magnus, Conſtantio Imperatori ſuggerebat; *Veritas in Conſilio adſit, quæ Regum, & inprimis Chriſtianorum tutela eſt. Per eam vos regna adminiſtrare tutiſſimum eſt; cum dicat ſacra Scriptura*; Miſericordia, & veritas, Regi pro cuſtodia eſt. Eadem Iouiniano inſinuabat idem Magnus: *Decet Deo amabilem Principem diſcendi habere voluntatem, deſideriumque cæleſtium. Sic enim verè, & cor habens in manu Dei, & Imperium cum pace gubernabis*. Cauſam Auguſtinus aſſignabat; *Si cor Regis in manu Dei eſt; non ſeruatur armorum robore, ſed diuino adminiculo, & ductu*, ab hoc autem omnis ſecuritas atque felicitas imperandi, quod etiam Cyrillus Alexandrinus, Theodoſio Imperatori aliquando ſcripſit: *Præclari Imperij veſtri ſummum præſidium eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Nam* per illum Reges regnant, & potentes ſcribunt iuſtitiam, *ſicut ſcriptum eſt, eſtque illius potentiſſima; ſoluſque modus boni operis impletio. Diſtribuit autem promptè diligentibus ſe omnia quoque admirabilia, & laudabilia, atque eximia. Ad quæ demonſtranda, ſufficiunt vel ea, quæ veſtræ maieſtati donata ſunt, & adhuc danda, vt credimus*. Iſta Cyrillus, religioſiſſimo Imperatori.

in apolog.

in illud prou. 21.

de recta in Chriſtum fide.

Quæ cum non ignoraret Cæleſtinus Pontifex, ſcilicet cum religione & pietate Orthodoxa, Imperia, aut ſtare, aut cadere, & ab eius ſtudio, omnem felicitatem dependere; adeoque illam Imperiorum ſtabilimentum eſſe;

ſe;

ſe; eundem Theodoſium monebat; *Maior vobis Fidei cauſa debit eſſe quam Regni, ampliuſque pro pace Eccleſiarum Clementia veſtra debet eſſe ſallicita, quam pro omnium ſecuritate terrarum. Subſequuntur enim omnia proſpera, ſi primitus quæ Deo ſunt chariora ſeruentur, Abraham fide floruit omnemque orbem gloria ſua proſperitate impleuit. Moyſes populi liberator zelum Domini contra eos, ſi quos à Dei cultu diſceſſiſſe probarat, armauit. Dauid Regem ſua præcepta ſeruantem in regno, vt ille inimicos ſuos ſubderet, Dominus cuſtodiuit. Horũ ergo exemplorũ vallati præſidio, fide, obſeruatione, virtute, vniuerſal. Eccleſiæ in Deum noſtrum pijſſimum cultum, ne ſibi aliquid diſſentia vindicet, cuſtodite. Pro veſtri omni ſalute Imperij geritur, quicquid pro quiete Eccleſiæ, vel ſanctæ religionis reuerentia laboratur.* Quæ cum ita ſint, vt à Fidei pietatis Catholicæ integritate atque incolumitate, Salus Imperium pendeat; rectè Romanorum Pontifex, *Columen Imperij* fuerit: vtpote in ijs quæ ad Deum ſunt omnibus prælatus, Doctor, & Seruator illibatæ doctrinæ, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ, qui vigili cura, & admonitione populum Dei per paſcua vitæ æternæ ducat, lucem in caliginoſo errorum cunctis affundat, errores depellat, vitia extirpet, virtutes depangat, veram fortitudinem ingeneret, temeritatẽ cohibeat, aduerſa cuncta ſubmoueat: libertatẽ, & erroris, & moris coerceat: omnia turbandæ Chriſtianorũ quieti, & miſcendæ reipublicæ nata, & in his promiſcue credẽdi, docendi, ſeu ſeducendi pruriginem prohibeat.

Rom. Pont. rectè columen Imp.

Non enim *bene conuenit*, vt Tertullianus ait, *ſigno Chriſti, & ſigno Diaboli, caſtris lucis, & caſtris tenebrarum. Cohærere non poteſt*, addit Cyprianus, *amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fæcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas.* Addo, Abel cum Caino, Loth cum Sodomitis, Abraham cum Chaldæis, Iſaac cum Iſmaele, Iacob cum Eſau, Hebræi cum Ægyptijs, Amalechitis, Amonitis, & alijs Idolorum cultoribus: Catholicis cum hetherodoxis. Namque *hi ſunt*, vt Magnus conſtantinus notabat, *veritatis inimici hoſtes vitæ, Interneicionis authores, & conſiliarij: apud quos omnia veritati contraria, turpibus conſcentia: maleficijs, ineptijs & commentitijs fabulis exultantia, quibus certè mendacia ſtruunt, premunt inſontes, fidelibus veritatis lucem denegant. Nam falſa viſione, & ſpecie pietatis ſemper delinquentes, omnia contagione ſua contaminant, conſcientias integras, & labe vacuas, letalibus plagis vulnerans, ipſum diem pene dixerim hominum oculis adimunt*: quorum ſermo vt cancer ſerpit, quorum lingua gladius acutus: quibus pax in ore, & manu bellum: in quorum vijs contritio, & infelicitas omnis; cum quibus perpetuo Angelus Abbadon, ad exterminandos fideles, ac perinde fidem ac pietatem in Deum: vt tandem inſipiens dicat in corde ſuo, non eſt Deus. Has vulpes paruulas, vineam Domini demolientes, dum capit Pontifex Romanus; dumque illos qui in veſtimentis ouium veniunt, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, ab ouili Dominico coercet, quid niſi, Imperium Chriſtianorum firmiſſima ſecuritate, & florentiſſima quiete fæliciſſimum efficit, adeoque ab hac prima, & præcipua, cura, *Columen Imperij*, audire meretur?

Heterodoxorum proprietates.

Euſeb. lib. 3. c. 61. & 62. De vita Conſtant.

CAPVT XLIII.

Romanus Pontifex, Imperij Chriſtianorum Seruator.

GRegorius Nazianzenus Iuliano Imperatori, in memoriam, non ex vano reuocabat: *Simul cum aduentu Chriſti, Imperium ingreſſum eſt.* Qui enim res Romanas, vel à limine aſpexit non prius, quam Chriſto in terras veniẽte, Orbem vniuerſum, ſub vnius Octauiani Augusti Imperium conceſſiſſe, affirmabit: vel hac potiſſimum de cauſa, vt omnes intelligerent, æternum Dei verbum, in tempore Carnem factum, Conditorem Imperij eſſe, per quem reges regnarent. Volebat, curabat, & à Patre ſummis votis optabat, vt omnes vna fide, religione, voluntate, Eccleſia, & adminiſtratione tenerentur: atque eſſent vnum ouile, ſub vno Paſtore. Itaque tunc primum in terris viſus, cum vniuerſus Orbis ab Auguſto cenſeretur deſcribereturque apparuit; quo ſub vnius Monarchia collectum, regendum, tuendumque vni Petro relinqueret: cuius partes eſſent, diſperſos congregare, congregatos paſcere, & qua ab inuiſibili Zabulo, qua à viſibilibus aduerſarijs defendere: ac demum ne Chriſtiani eſſent, ſicut greges errabundi ſine Paſtore, & Imperatore, Paſtores, & Reipublicæ Adminiſtros, vbi, & quando opus foret, cum poteſtate præficere; adeoque Imperium Chriſtianorum à direptione, ſciſſura, & deſolatione ſeruare. Noluit deteriore conditione eſſe populum ſacro fonte ablutum, veteris memoriæ Synagoga.

Simul cum aduentu Chriſti Imperium ingreſſum.

Orat. 1. in Iulian.

Huic, cum ſummum Antiſtitem deſtinaſſet, poteſtatem fecit, qui in partem curarum ſeptuaginta ſeniores aſſumeret: deinde Iudices ſuccedentes in vices, deputaret: & ad extremum, Imperio longe lateque propagato, vnum Monarcham deſignaret, quem quia gentilem, & ex fratribus, ſeu ex contribulibus aſſumendum eſſe edicebat: ſimul concedebat, in manu Principis ſacrorum eſſe, extraneum, ſi forte euaſiſſet, vel inuaſiſſet ſede deijciendi: & qui vna ſanguinis, vel vnguinis, fidei, & confeſſionis cognatione iungeretur, ſubijciendi, atque ad ſummam rerum prouehendi. Paris authoritatis voluit eſſe, noui Teſtamenti ſummum Hierarcham. Et quidem ipſe Chriſtus ſacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech, & Iudices ſæculi XII. & ſeptuaginta diſcipulos, ex omnibus elegit: & Iudicium, de muliere in adulterio deprehenſa inſtituit: & ſacri Tẽpli prophanatores, flagris vltus eſt: & Regi terreno ſuper ſe poteſtatẽ ſeu permiſit, ſeu dedit, adeoque in cauſa ſua Regem conſtituit: nec non Petro Vicario, & nonnemini eius ſucceſſori Rom. Pont. indulſit, Iudices, & adminiſtros rerum temporalium populo Chriſtiano dare, adeoque Defenſores, Arbitros, & quid niſi Impp. Orbi præponere?

Eccleſia nõ deterioris conditionis vet. ſynag.

A Chriſto qualis poteſtas Petro & ſucceſſorib. data.

Initio ſurgentis Eccleſiæ, omnes Chriſtiani, vel Summo Pontifici (quem etiam ipſi Ethnici, ſupremum omnium Chriſtianorum Iudicem agnoſcebant) vel iudicibus ab eo, aut Apoſtolicis viris deſignatis, controuerſias de rebus deferebant. Iſtud, cum nonnulli præuaricatores detrectarent, & ad gentilium ſub-

Paulus corrigit prouocantes ad ſubſellia gentilium. 1. Corin. 6.

ſellia prouocarent, habuit Paulus corrigere, ac ſcribere: *Audet aliquis veſtrum habens negocium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos? An neſcitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? Et ſi in vobis iudicabitur mundus, digni eſtis, qui de minimis iudicetis? Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis ſecularia? Ad verecundiam veſtram dico: Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum? Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles?* Poſtquam vero illos, quod iudices Chriſtianos, vel non haberent, vel refugerent, coarguiſſet, edixit: *Secularia igitur iudicia ſi habueritis; contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtitue ad iudicandum.* Ad hunc modum Eccleſia nouella, ſub iudicibus Chriſtianis initio vixit: & exercendæ patientiæ, Imperatores ethnicos, exemplo antecurſoris Chriſti tolerauit; donec benigniore oculo, pauperculam, & tempeſtate nonnullam, Rex Regum, & Dominus Dominantium aſpexiſſet, Chriſtianoſque Imperatores illi attribuiſſet; Magnum Conſtantinum, Theodoſios, Valentinianos, Gratianos, Honorios, Leones nonnullos, Conſtantinos aliquot, Iuſtinum, Tyberium, & alios Orthodoxiæ amantes; quorum pietate, & religione, ſtetit Respublica Chriſtiana, quibus ſublatis, & apoſtatis ſubeuntibus, Eccleſiamque vaſtantibus, cum Oriens quidem ſchiſmate laboraret, Occidentale vero Imperium, nunc à Vandalis, nunc ab Erulis, Gothis Longobardis, Hunnis, Pannonijs, alijſque barbaris vaſtaretur; neque eſſet vnus vnicus qui gregem Chriſtianorum duceret, foueret, tueretur; quin potius illi qui nomine Imperatorum audiebant, ex Paſtoribus lupi euadentes, & hæreticos, ac ſectarios ſequentes, fidemque Catholicam deſtruentes, populum ſibi commiſſum miſere dilaniarent & alijs inuadentibus ad lacerandum exponerent, neque quicquam ſalutem publicam curarent: officij ſui putauit Leo Pontifex, aliquem vnum Orthodoxum Imperio præficere qui fidem Catholicam profiteretur, & ab hæreticis vindicaret; qui conuulſum labefactatumque imperium, à barbaris, & Saracenis eriperet; qui religionem, iuſtitiam, pacem, felicitatemque Chriſtianis prouincijs poſtliminio reſtitueret, quique Chriſtianæ reipublicæ vere Parens, & defenſor eſſet.

Carolus Magnus Imperium ſcepirũ à Pont. Rõ. accepit.

Magnum Carolum talem fore vidit, & pro ſumma qua in omnes fideles præſtabat authoritate Imperatorem Occidentalibus dedit. Enimuero Carolus, non à ſucceſſione hæreditaria; nam illi nihil cum Auguſtulo, aut Odoacre: non à Deo immediate; nam nihil eius rei, aut in ſcripturis aut in recenti reuelatione; non à Senatu populoque Romano; qui tunc temporis nihil amplius in creandis Imperatoribus iuris ſuffragandi habebat: non à donatione Græcorum: qui creationem Caroli indigne ferebant: non iure belli: qui numquam aut Romanam vrbem, aut totum Imperium armis cæpit: ſed ab authoritate Pontificis, qua in vniuerſas Chriſti oues præſtans, habet illas paſcere, tueri, ſeruare, ſalutemque vniuerſorum curare, Imperij ſceptrum in Occidente accepit, vt poſt Romanos Pontifices innumerabiles hiſtorici, & ipſi Imperatores, ingenue fatentur.

Ex hiſtoricis Ioannes Zonaras, Georgius Cedrenus, Paulus Diaconus, Eghinarthus; Annales Francorum, Aimonus, Ado Vienneníis, Rhegino Abbas, Vltichindus, Luithprandus Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Dodechinus, Lambertus Schaffnaburgenſis, Ortho Friſingenſis, Godefridus Viterbienſis, Conradus Vrſpergen. Lupoldus Bambergenſis, Matthæus Palmerius, Ioannes Trithemius, Flauius Blondus, Aeneas Syluius, Baptiſta Platina, Ciaconus, Antoninus, Ioannes Nauclerus, Roberthus Guagninus, Philippus Bergomenſis, Ioannes Cuſpinianus, Iacobus Vimpfelingiùs, Polydorus Virgilius, Raphael Volaterannus, Albertus Krantzius, Octauius Strada, & quamplures alij: ex ipſis vero Imperatoribus Carolus Magnus, Lotharius Ludouici filius Caroli nepos, Carolus Caluus, Albertus, Rudolphus I. Henricus VII. Carol. IV. Frideric. I. & II. Michael Conſtantinopolitanus, Emanuel Comnemus, & præter hos ipſi Electores Imperij non ſemel teſtantur, ex authoritate Leonis III. in Carolum Magnum, & exinde in Francos tranſlatum fuiſſe imperium.

Ex authoritate Leon. III. Imperium Occident. in Carol. Mag & exinde in Franc. tranſlatum.

Quod vt in ea gente, & ab eius Catholica adminiſtratione, integrum ſeruaretur, Pontifices ſuo muneri non defuerunt; ſed eadem authoritate ſuprema, Imperatores rebus temporalibus admouerunt, tunc cum eos ritu ſolenni inaugurauerunt, Ludouicum Caroli Magni filium Stephanus IV. Lotharium, Paſchalis: Ludouicum iuniorem, Sergius ſecundus: Carolum Caluum, Ioannes VIII. Ludouicum Balbum, idem ille: Carolum Craſſum, is ipſe: Arnulphum Formoſus. Cum autem Caroli Magni, & Francorum ſeries deſijſſet, Otthonem I. Ioannes XII. Otthonem II. Ioannes XIII. Otthonem III. Gregorius V. qui vt gentem ſuam aliquo inſigni priuilegio ornaret, imperiumque ex Francis in Saxones tranſlatum, Germanis ſtabiliret, ex Sacri Senatus ſententia, Septem viros Romani Imperatores Electores, in ea gente inſtituit; quod & Imperatores, & Principes Imperij in litteris ad Pontifices datis ſæpe ſæpius confitentur; & innumerabiles tum hiſtorici, tum Iuriſperiti, tum à Secretis Principum viri illuſtres; quinimo, & ipſi hoſtes Eccleſiæ apertiſſime agnoſcunt.

De inſtitu. Septem Electorum Imperij in Germania per Gregor. V. Pont. facta.

Ex hiſtoricis, Ioannes Trithemius, Ioannes Nauclerus, Conradus Vecerus à Secretis Henrico VII. Imperatori, Franciſcus Irenicus, Platina, Donatus Boſſius, Gottfridus, Rhegino, Egnatius, Anſelmus Gemblacenſis Abbas, Genebrardus Antoninus, Bonfinius, Vernerus Rolenuinkius, Æneas Syluius, Blondus, Matthæus Palmerius, Ioannes Vilanus, Matthæus Paris, Henricus Rebdorfius, Martinus Polonus, Albertus Argentinenſis, Ptolomeus Lucenſis, Auctor Chronici MS. Friderico II. æqualis, Albertus Stadenſis, Arnoldus Abbas Lubecenſis, Auctarium Sigeberti Aquicinctinum, Magnum Chronicon Belgicum, Guntherus in Ligurio, Otto Friſingenſis Epiſcopus, Amandus Friderico I. à ſecretis, Velbertus Conradi II. Imperatoris Capellanus, Sigebertus Gemblacenſis, Marianus Scotus, Annales Metropolitarum Germaniæ Eccleſiarum primi, Monumenta Aquilegienſis Eccleſiæ, Annales Mediola-

Auctores ac teſtantes.

Hiſtorici.

nenſis

nenſis Eccleſiæ, Martinus Hoffman, Ditmarus Merſeburgenſis Epiſcopus, Henrico Sancto, & Otthoni III. coænus, Adelboldus, Carolus Sigonius, & Catholici.

Ex Theologis, & Iuriſperitis; Bartholomæus Salicetus, Iacobus Philippus Porcius, Ioannes Stella Venetus, Iacobus Ardizonins, Antonius de Roſellis, Nicolauus Cuſanus, Philippus Corneus, Aluarottuus, Bonifacius de Vitalis, Baldus, Franciſcus Zabarella Cardinalis, Bartholomæus de Saxoferrato, Ioannes Andreas, Albericus à Roſate, Lupoldus Babebergenſis Epiſcopus, Otthonis III. coætaneus, Auguſtinus de Ancona, Marſilius Patauinus, B. Auguſtinus Triumphus, S. Thomas Aquinas, Hoſtienſis, & alij.

Ex Principibus; Robertus Bauariæ Dux Comes Palatinus Rheni, Electores Friderici Auſtriaci, & Ludouici Bauari: Rodulphus I. Auſtriacus Rex Romanorum: Electores Rodulphi I. Auſtriaci, Albertus Primus Auſtriacus, Henricus Sextus, Friderici I. filius: Electores Otthonis IV. & Philippi: Electores Friderici I. & ipſe Fridericus I. Electores Henrici VII. & ipſe Henricus VII. Electores Friderici II. & ipſe Fridericus II. Electores Caroli IV. & ipſe Carolus IV. Electores Friderici III. Maximiliani I. & II. Caroli V. Ferdinandi I. Rudolphi II. & Matthiæ I. necnon ipſi Reges & Imperatores Romanorum deſignati.

Theologi. Ex hæreticis; Simon Schardins, Henricus Pantaleon, Georgius Fabricius, Sebaſtianus Munſterus, Henricus Butingus, Ioannes Balæos Anglus, Chriſtianus Maſſeus, Theodorus Bibliander, Iulianus Taboetius, Michael Buchinger, Hadrianus Damman Gandanus, Baſilius Ioannes Herolt, Matthias Caſtrucius Darmſtadanus, Valentinus Munzerus, Iacobus Eiſenberger, Auctores Theatri vitæ humanæ, Hierouymus Megiſerus, Ioannes Lucidus, Ioannes Pomerius, Wolffgangus Icraus, Georgius Sabinus, Georgius Schonbeeger, Matthias Stephani Pomeranus, Georgius Richterus, Petrus Heigius, & alij quamplures, Septem Viros Electores Principes, à Sede Apoſtolica, Gregorio Quiuto decernente inſtitutos eſſe agnoſcunt, quibus ſolis ius eligendi Regem Romanorum in Imperatorem promouendum, & poteſtas ſuffragij conueniret. Ita diſertè ex hæreticis, Sebaſtianus Munſterus in hiſtoria Germaniæ, pro tabula Nicolai Cuſæ intelligenda, ex aliorum Sodalium ſententia ſcribit: Firmato itaque per hunc Otthonem (I.) Imperio apud Germanos, adhuc Canonica Imperatoris electio non fuit; ſed quem Imperio dignum prior Cæſar moriturus deſignabat, hunc Regni Principes plerumque inſtituebant, & hoc pacto filij vt plurimum quaſi hæreditario iure ſucceſſerunt.

Sebaſt. Munſteri relatio de Imperio in Germanos tranſlatione, forma eligendi & ſeptem Principum Electorum inſtitutione

Qui eligendi modus à Carolo primo durauit, vſque ad annum Chriſti DCCCC.XC.III. Nam cum eo anno Ottho II. moreretur, moliebantur Romani Imperium iterum ad ſe reuocare; turpe ducentes, quod Romanum Imperium potius ad exteram eſſet nationem, quam in Italia, vbi primum ortum cæpiſſet, & incrementa tanta accepiſſet, vt etiam toti dominaretur Orbi. Volebant igitur deinceps pro Romanorum Rege habere, vel Ciuem Romanum, vel Principem aliquem ex Italia, qui vniuerſo præeſſet Imperio. At Germani contra, nulla intercedente mora elegerunt Otthonem Tertium, ſecundi Otthonis filium in Regem Romanorum; poſtergatumque eſt, & hac vice Romanorum conſilium. Et defuncto Papa Ioanne, Imperator Otto propinquum ſuum Gregorium Quintum, in locum eius ſuffecit, legemque tulit, ſeu formam electionis Cæſaris præſcripſit, quam etiam Papa confirmauit: nempe, quod deinceps nulli liceret eligere Romanorum Regem, niſi Germanis Principibus, qui ex ſeipſis, aut extera natione, Imperio idoneum eligerent, & electus vi electionis mox Cæſar, & Romanorum Rex appellari deberet, non autem Imperator Auguſtus, niſi coronam prius à Romano ſuſcepiſſet Pontifice; Et antequam hanc electionis formulam publicauit, conuocatis Principibus, & primoribus Germaniæ, qui Imperatoris electioni intereſſe conſueuerant, indicauit multos in electione ſæpenumero inueniri, qui vel ſeipſos, aut ſuos promonerent ad Imperij dignitatem: & niſi huic ambitioni via præcluderetur, futurum eſſe, vt aliquando grandis hinc emergat diſſenſio, & periculoſa ſimultas: & ob id præſtaret paucos intereſſe electioni, qui omnium nomine deinceps vota ſua in idoneum, & Imperij faſcibus dignum conferrent. Videri ſibi quoque operæ prætium, Si Principes Electores conſtituerentur ex Imperij Officialibus, quibus potiſſimum nota eſſent Regni negotia, & conſuetudines.

Quum autem hoc Cæſaris conſilium Principibus non diſpliceret, omnium conſenſu ſtatutum eſt, quod deinceps Septem dumtaxat Principes Romanorum eligerent Regem, nempe tres Imperij Cancellarij; Epiſcopus Moguntinus, Germaniæ Cancellarius; Epiſcopus Treuerenſis, Cancellarius Prouinciarum, quas Imperium vltra Rhenum in Gallia habet; Epiſcopus Colonienſis, Cancellarius Italiæ; Palatinus Rheni, Summus Dapifer; Dux Saxoniæ, Imperij Summus Enſifer, ſeu Marſcalcus; Marchio Brandeburgenſis, Regni Camerarius; Rex Boemiæ, Imperij Pincerna, qui illo tempore, nempe anno Chriſti M. I. cum hæc ſanctio fieret, adhuc Dux fuit. Hæc Munſterus, qui licet hoſtis Pontificis, expreſſè tamen fatetur, Otthonianam Conſtitutionem à Gregorio V. confirmatam fuiſſe, adeoque robur accepiſſe.

Ferè eadem Nicolaus Ciſnerus I.C. Pontificibus Romanis infeſtus, in oratione de Otthonis III. inſtituto, ſic declamauit. Nicol. Ciſnerus I.C.

Gregorio Quinto in Pontificatum teſtiento, cum Ottho noſter, quanta detrimenta Reipublicæ Chriſtianæ pernicioſis de Principatu contentionibus inflicta eſſent, animo colligeret; cum quas ob affectationem Imperij cum alij exteri, tum præſertim Itali (quos cæteris ad cupiditatem regnandi procliuiores eſſe cognouerat) turbas monuiſſent, & coniurationes contra Imperatorem conflaſſent, memoria repeteret; cum quod liberis careret, ad eos qui alijs authoritate & virtute præſtarent, ſummam rei ab electione peruenire vellet; cum denique Imperij dignitatem apud Germanos manere, eiuſque domicilium, & Sedem in Germania ſtabilire cuperet; vt & ſeditionum cauſas tolleret, & exteros ab ambiendo Imperio ſubmoueret, & tantùm decus

patriæ conſeruaret, re diligenter cum Pontifice, & Imperij Proceribus, quos ſecum Imperator adduxerat, deliberata, & tractata conſtituerunt, nè alijs quam Germaniæ Principibus eligendi Cæſarem ius poteſtaſue eſſet: ne alium quàm Germanum Regem Romanorum deſignarent, nec niſi cui Germani Principes Imperij ſummam tradidiſſent, Pontifices Imperatorem conſecrarent. Hac lege de Cæſaris electione Romæ promulgata, Imperator Ottho in Germaniam redijt. Etſi autem hoc decretum Itali alijque exteri populi grauiſſime tulerunt, auſi non ſunt tamen aperte labefactare, aut conuellere. Hinc vetus illa, & conſtans manauit opinio, id temporis Septem conſtitutos eſſe Germaniæ Principes viros, qui eligendi Cæſaris poteſtatem haberent; quos odie Electores ſeu Septem viros vocamus. Hæc Ciſnerus.

Simon Schardius.

Eadem, ſed breuius Simon Schardius lib. de Elect. Germ. Princip. c. 1. Otthonem III. ait, ſuffragante Summo Pontifice, Gregorio V. ſanctionem tuliſſe ex conſilio Principum Germaniæ, de Imperatore à Germanis Principibus Imperij Officialibus deligendo.

Quamquam autem ad Septem viros Principes, ius ſuffragij, ex inſtituto Gregorij V. Pontificis, & Otthonis III. pertineret, ſolebant tamen, quemadmodum etiamnum hodie ſolent, ad Comitium conuenire alij Principes Imperij, tum ſpirituales, tum ſæculares, non vt eligant, aut ſuffragium ferant, ſtricto iure loquendo; ſed vt proponant, & nominent eligendum à Septem viris: vel vt electo ab eiſdem Septem viris officium exhibeant, ſiue etiam vt inter admiratores electionis, vel Comites Septem virum habeantur.

Vvelbertus Conradi II Imp. Capellan.

Hoc pacto, mortuo Henrico Rege (vt Vuelbertus Conradi II. Imperatoris Cappellanus, de electione Lotharij Cæſaris commemorat) valde multi Principes ex toto Regno congregati ſunt in Moguntinenſi Vrbe, vbi de electione noui Regis magnus erat tractatus. Initio in magna Curia collecti erant omnes, qui ibi fuerant ſæculares, ac ſpirituales Principes, *quorum plerique nudè, & ſimpliciter nominabant, quem optabant per alios eligi; & tamen ipſi non eligebant, quia non habebant voces ſuffragiorum realium. Cum igitur nominauerunt Lotherarium, dixerunt, huic prompti ſumus obedire, ſi eum vos inthronizabitis in regnum, veſtris annuentibus votis ac beneplacito, nulla diſcordia erit. Pauci autem ſpirituales, & temporales Primates, examinantes perſonas Lotherarij, & bellicoſa facta, & merita erga Chriſti ſeruos, & vniuerſam Eccleſiam eum votiuè elegerunt: cum eum magnopere commendaſſet Albertus Epiſcopus Moguntiæ, qui Magnates Sueuorum capitali odio perſequebatur. Alij Principes qui nulla dabant ſuffragia, libenter eum amplexati ſunt ſuo fauore, & habuerunt pro Rege.* Hæc Vvelbertus.

De Electione Conradi Imp.

Lothario ſine filijs defuncto (quemadmodum Ottho Friſingenſis Epiſcopus narrat) Confluentiam, vbi Principes Electores conuenerant, & indidem Conradum Henrici Imperatoris ſororium elegerant, præſens fuit Theodeuinus Epiſcopus Cardinalis, ac S. R. E. Legatus, Summi Pontificis, ac totius Romani populi, Vrbiumque Italiæ aſſenſum promittens; adeoque perſonam omnium Italię Principum, & Vrbium repræſentans. Ad electionem quoque Friderici I. (vt Amandus eius Secretarius refert) multi illuſtres heroes ex Lombardia, Tuſcia, Ianuenſi, & alijs Italiæ dominijs, ac maior, & potior pars Principum in Tranſalpino Regno conuenerant in Vrbe Francofurtenſi; plurimoque numero ij Principes conuenientes dixerunt per ſuos internuncios ad *Principes Officiatos Regni*, reſidentes in arcano loco Curiæ Regalis: *Nos, & tota patria teſtatur, nullum aptiorem eſſe regno regendo, quam Fridericum de Vaiblingen, & Stauffa, natum ex generoſa proſapia, meritis, ac virtutibus decoratum, ac illuſtrem quem per vos Deus ſublimare dignetur, cui parata erunt noſtra obſequia vſque ad mortem. In hunc ſi veſtris vocibus, ò Officiati conſentitis, firmum robur habebit ſui Imperij.*

De Friderici Imp. electione.

Cum a. ex ſecreto Conclaui prodirent Officiati, indicantes ipſos vnanimiter Fridericum in Regem, ſeruatis de iure ſeruandis elegiſſe, cunctis omnium Ordinum applauſus eſt conſecutus, dicentes; Hæc electio tuta ac firma conſiſtet; nam omnium noſtrum munietur præſidijs. Viuat iuſtiſſimus Cæſar, & inſignis bellator, qui nos contra omnes externos hoſtes defendet. Et tunc omnes ei iuramentum fecerunt, de omnibus Regi exhibendis, quæ antiquo more maiorum obligati erant facere Principes. Hæc Amandus.

Alij Principes ad electionem vocari, & interuenire ſoliti, non tamen eo iure quo Imperij Electores.

In electione etiam Rudolphi Sueui, anno Dom. 1072. (vt Paulus Benrieden. Synchronus narrat) omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, Comites, maiores, atque minores adfuerunt, Septem Viris Electoribus, apud Moguntinum Archiepiſcopum, tamquam in loco ſecretiori, & ab alijs ſegregato, vigore iuris ſui eligentibus, ſuffragando, & conſentiendo.

Ante electionem Otthonis IV. Principes qui curando funeri Henrici VI. aduenerant, alios etiam ad locum electionis inuitabant. Extat eorum epiſtola his verbis concepta.

Adalbertus Moguntin.) per Dei miſericordiam Archiepiſcop.
Fridericus Treuiren.)
Adolphus Colonien.)
Oudalricus Conſtantien.) per Dei miſericordiam Epiſcop.
Buggo Vvormatien.)
Arnolphus Spirenſis)
Ouralricus Fuldenſis Abbas.
Henricus Dux Bauariæ.
Fridericus Dux Sueuiæ.
Godefridus Palatinus Comes.

Bambergen Epiſc. ad electionem Othon. IV. inuitatus.

Beringherus Comes de Sztultzbach. & cæteri vtriuſque profeſſionis Principes, qui exequijs Imperatoris interer ant, Venerabili fratri Otthoni Epiſcopo Babembergenſi, hinc fraternas in Chriſto orationes, inde fideliſſimum deuotæ ſeruitutis obſequium.

Poſtquam Dominus Imperator viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, & nos exequias eius cum iuſta deuotione, & reuerentia compleuimus, ipſe ordo rei, & temporis qualitas exigere videbatur, vt de ſtatu, & pace Regni aliquid conferremus, vti non abeſſet præſentię veſtræ conſilium, & aliorum Principum, tanto negotio vtile, & perneceſſarium; quam expectare, quia graue erat, & difficile, ſedit omnium noſtrum ſententiæ, ſi veſtræ tantum non diſplicet concordiæ, Curiam in feſto B. Bartholomei apud Moguntiam celebrare, & ibidem conuenientibus Principibus de ſtatu, & ſuc-

& ſucceſſore Regni, ac negotijs neceſſarijs, prout Spiritus Sanctus aſpiranerit ordinare. Nullum tamen præiudicium deliberationi, & voluntati veſtræ facientes, nihil nobis ſingulare, ac priuatim in hac re vſurpamus; quin potius diſcretioni veſtræ hoc apprime intimatum eſſe cupimus, quatenus oppreſſionis, qua Eeeleſia cum vniuerſo Regno vſque modo laborauir, diſpoſitionis diuinæ ptouidentiani inuocetis, vt in ſubſtitutione alterius perſonæ, ſic Eccleſiæ ſuæ, & Regno prouideat, quod tanto ſeruitutis iugo amodo careat, & ſuis legibus vti liceat, noſque omnes cum ſubiecta plebe, temporali perfruamur tranquillitate. Coureſtamur etiam dilectionem veſtram, vt pacem credito nobis cælitus populo, infra præſcriptum Curiæ terminnm, & vltra ad quatuor bebdomades ordinetis; quatenus omnibus tutior fiat concurſus ac reditus; & vr Curialiter more videlicet antiquorum Principum, cum propria impenſa, neminem pauperum lædentes, conueniatis.

Ad hunc modnm alijs Principibus Alemauiæ, ſupraſcripti ſignifieauerunt, & ad Comitinm inuirarunt; vt ex mutuo eorum conſilio, aliquis idoneus ad eligendum Septem Viris proponeretur, in quem etiam illi conſenſus ſui ſuffragium darent: quemadmodum etiam Otthoni IV aliquos conſenſiſſe, ex his quos adiungo, euidens eſt. Ira habent.

Sanctiſsimo Patri ac Domino Innocentio, Sacroſanctæ Romanæ Sedis Summo Pontifiei, Principes, & Barones Alemaniæ, Clerici, & Laici debiram in Chriſto reuerentiam, & ſinceriratem obſequij.

Cum placuiſſet ei qui aufert ſpiritum Principum, & magnus, & rerribilis eſt ſuper Reges terræ, Dominum Henricum Imperatorem de medio tollere, neceſſarium nobis viſum fuit, de ſubſtituendo Rege tractatum, & colloquinm habere. Conuenimus ergo ſæpius, miſerias, & oppreſsiones quas hactenus ſuſtinueramus recenſentes, per vniuerſos Regni terminos animos noſtros ereximus, & quid honori Eccleſiæ Dei, & paci ac quieti ſubiectorum expediret deliberanres, nunc vnum, nunc alium quaſi finaliter eligere purabamus. Verum qnia non eſt prudentia, non eſt porentia, non eſt conſilium niſi per Deum, placuir ei qui Abrahæ filium immolare volenti victimam prouidit, & Danid fratribus iuniorem de poſtfærantes accepir, atque Matthiam ex diſcipulorum numero ad ſortem Apoſtolatus elegir, Sereniſsimum Dominum noſtrum Otthonem, quondam Henrici Ducis Saxoniæ filium, ad regimen Romani Imperij de terra peregrinationis ſuæ ex inopinato nobis offerre: Inuocata itaque Spiritus Sancti gratia, prædictum Dominum Otthonem, Chriſtianæ fidei cultorem denotiſsimum, arque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Aduocatum, & Defenſorem fideliſsimum, de longa, & antiqua Regum proſapia ex vtraque linea ſpecialiter editum, ad Romani Regni faſtigium iuſtè, & rationabiliter elegimus; ipſumque in Auguſtorum Sede à Carolo Magno apud Aquiſgranum huic dignitati deputata locauimus, & corona, & Regni diademate per manum Domini Adolphi Colonienſis Arebiepiſeopi ea qua decuit ſolennirate feliciter coronauimus.

Nos autem Principes, qui iam dictum Dominum in Regem elegimus, feuda noſtra quæ ab Imperio tenemus, à manu ipſius recipienres, hominium ſibi fecimus, & fidelitatem iurauimus. Tantæ igirur dignitatis munus, Excellentiſsimus Princeps, diuinæ potius gratiæ quam ſuis meriris adſcribens, primirias huius honoris afferens Domino, propria voluntate iuramenro firmauir; inprimis Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, deinde omnium Eccleſiarum iura, bona fide ſeruare, & manutenere; & ſubiectos Imperij, exhæredaros maximè, & à ſuis poſſeſsionibus violenter eiectos, in ſua iuſtitia pro poſſe iuuare, & conſernare. Prauam illam conſuetudinem inſuper, quam Imperatores anteceſſores ſui in occupandis rebns mobilibus, vel ſe mouentibus decedentium Epiſcoporum, vel Abbatum Principum hucuſque ſeruauerunt penirus extirpans, nos Eccleſiaſticos Principes ex hac indebita vexarione Regali benenolentia liberos dimiſit, & decedentium bona, ſuis ſucceſſoribus ſeruanda liberaliter ſtatuit. Parernitati ergo Veſtræ dignum ſupplicare duximus, quatenus fidem, & deuotionem Domini noſtri Regis attendentes, merita qnoque Illuſtriſsimi Patris ſui Henrici Dncis Saxoniæ, qui ab obſequio S. R. Eccleſiæ numquam receſsit memoriter tenentes, paci, & quieri noſtræ, & veſtræ, inrnirn Dei, & noſtri obſequij prouidentes, ipſius electionem, & conſecrationem auctoritate veſtra confirmare, & Imperiali coronatione armare, paterna pietate dignemini.

Sanctitarem inſuper veſtram obnixè rogamus, quatenus Principes, & Barones, à tam rationabili electione diſcordes, Eccleſiaſtica cenſura ad concordiam reuocetis, & ab illicita fidelitate partis aduerſæ, clauo Sancti Petri reſoluto, ad præſtandam Regi Domino noſtro fidelitatem, & ſubiectionem auctoritate veſtra compellatis. Vt autem à Domino Rege noſtro, iura Romanæ Eccleſiæ (vt prædictum eſt) integra, & illibata ſeruentur, nos in bona fide ſpondemus, & pro Domino Rege noſtro fide iubemus.

Ego Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus elegi, & ſubſcripſi.

Ego Berardus Paderbornen. Epiſcopus elegi, & ſubſcripſi.

Ego Thietmarus Minden. Epiſcopus elegi, & ſubſcripſi.

Ego Wittichindus Corbeienſis Abbas elegi, & ſubſcripſi.

Ego Gerardus Tudenſis Abbas elegi, & ſubſcripſi.

Ego Eriberthus Werden. elegi, & ſubſcripſi.

Ego Henricus Dux Lorharingiæ, qui & Brabantiæ, Marchio Romani Imperij elegi, & ſubſcripſi.

Ego Henricus Comes de Leuke, conſenſi & ſubſcripſi.

Ad quid electio aliorum Principum non Electorum.

Hi Principes ſe elegiſſe Otthonem fatentur, non quidem eo modo, & iure, quo Adolphus Colonienſis, qui ius ſuffragij ferendi habebat; ſed tum ante electionem proponendo, rum poſt electionem electioni conſentiendo, quemadmodum iam vſus obtinuerat, & deinceps etiam obrinuit, vt reliqui Principes ad Comitium conueniant, & Imperatorem eligendum Septem Viris proponanr, inque legi-

timè electum ſuffragia conſenſus per applauſum, & fidelitatis iuramentum ferant: quemadmodum electioni Maximiliani I. Cæſaris, anno 1486. in oppido Franchenford præſente Friderico Auguſto peractæ, non ſolos Electores interfuiſſe, ſed quamplurimos etiam alios adfluxiſſe Principes, Comites, Barones, Nobiles, codicillus recenſet typis excuſſus to. 3. German. Scriptor. Marquardi Freheri. Ad Maximiliani etiam II. electionem anno Domini 1562 ſubſcripti Principes venerunt.

Principes, qui Maximil. II. electioni interfuerunt.

Ferdinandus Rom. Imp. Hungariæ, & Boemiæ Rex.

Daniel Archiepiſcopus, & Elector Moguntinus.

Ioannes Archiepiſcop. & Elector Treuiren.

Fridericus Archiepiſcop. & Elector. Colonien.

Fridericus Palat. Rheni Bauariæ Dux Elector.

Auguſtus Saxoniæ Dux Elector.

Ioachimus Marchio Brandeburgen. Elector.

Albertus vtriuſque Bauariæ Dux.

Rudolphus, & Erneſtus Archiduces Auſtriæ Fratres Regis Maximiliani Filij.

Georgius Comes Palatinus Simeranus.

wolffgangus Palatinus Bipontinus.

Ludouicus, & Ioannes Caſimirus Palatini Electoris Friderici Filij.

willelmus Dux Iuliacen. Cliuen. & Bergenſis.

Erneſtus Dux Brunſuicen. & Grubenhagen.

Ioannes Albertus Dux Megalopolen.

Carolus, Dux Lotharingiæ.

Franciſcus Dux Lauenburgen.

willelmus Iunior, & Ludouicus, Fratres Landgrauij Heſſorum.

Chriſtophorus Dux Wirtembergicus, & Ludouicus eius Filius.

Bernardus Princeps Anhaldinus, & alij tum Eccleſiaſtici, tum ſæculares.

In Matthiæ quoq; feliciter moderni Imperatoris electione præſentes interfuerunt.

Ioannes Suicardus Moguntin. (Archiepi-
Lotharius Treueren. (ſcopi, & E-
Ferdinandus Colonienſis. (lectores.

Ioannes Comes Palatinus Rheni Bipontinus Electoralis Palat. Tutor, & Adminiſtrator.

Ioannes Georgius Saxoniæ, Iuliacen. Cliuen. & Montium Dux, & Elector.

Frider. V. Elector Minorennis (Cō. Palat.
Georgius Guſtauus (Rheni Du-
(ces Bauar.

Fridericus Caſimirus, Ioannes Erneſtus, & Ioannes Caſimirus, Duces Saxoniæ.

Ioachimus Erneſtus, & Georgius Wilhelmus Marchiones Brandeburgen.

Fridericus Vlricus Dux Brunſuicen. & Lunæburgen.

Ioannes Fridericus, (Duces Wurtem-
Ludouicus Fridericus, (burgen. & Teccen.
Iulius Fridericus, (

Mauricius, Ludouicus, Philippus, Fridericus, & Ottho, Landgrauij Haſsiæ.

Georgius Fridericus Marchio Baden,

Chriſtianus, & Ioachimus Erneſtus Principes Anhaldini.

Auguſtus Dux Luneburgen.

Albertus Dux Holſatiæ, & Sleſuicen.

Hi itaque, & alij Principes, ac Principum Legati, in Comitijs præſentes optando, vel proponendo, in ſuffragia Impp. quodammodo ibant, non autem iure Septemuirali eligebant: quod iſtud, ſolis Septem viris conueniat, ab authoritate Apoſtolica, Romani Pontificis, cuius eſt curare, ne populus Chriſtianus ſit in rapinam ambitorum, & ne Imperium Romanum, Orthodoxiæ ad defenſionem datum, cedat in manus profanorum. Abundè iſtud, & ſi alij quoque ſuis temporibus, PAVLVS QVINTVS recenti memoria præſtitiſſe viſus eſt, cum Matthiam I. Auſtriacum ſceptris Imperij admoueri adlaborauit, Regioque Romanorum diademate coronari curauit: vt ipſe quoque ab hac Cura, *Seruator Imperij*, quod Orthodoxum, pientiſsimumque Imperatorem rebus pub. præfectum probauerit, inter ſuas laudes æternitati adſcriberet.

Paulus V. adlaborauit pro electione Imp. Matthiæ.

CAP. XLIV.

Pontifex Romanus, Vnctor Regum.

ALiud eſt eſſe Regem Gentium, aliud Regem populi ſelectioris in peculium Diuinum. Illi, quod idolis ſeruientes, Deum verum ignorant, ſacerdotiumque Regale rident atque perſequuntur, nulla ſe lege Sacrorum ſanctioris legis teneri putant: hi autem, quod Deo nomina dederunt, atque theſſeram illius quoquomodo ſuſceperunt, inprimis ingenuè fatentur; *Tuum eſt Regnum, tua eſt poteſtas, & Imperium, tuaque omnia quæ de manu tua accepimus*: decernendi authoritatem habent, inclinant, adeoque inauctorari ab eius Vicario Pontifice aliquo, non indignum, quinimo neceſſarium putant; per veterum exempla, ad hanc ſubmiſsionem, moderationemque animi adducti vt nonniſi à ſacra vnctione, & ſolenni inauguratione, Regiam dignitatem ſe conſequi arbitrentur. Veteris Synagogæ Reges, huic vnctioni, & conſecrationi Regnum debebant: qui non titulo ſucceſsionis, neque iure belli, neque electione populari, ſed ſola deſignatione, aſſumptione, electioneque diuina Regnum capeſſebant. Saulem, & Dauidem Samuel, Salomonem Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta, Iehu Eliſeus, Ioas Ioiada: alios Reges, alij Summi Pontifices, oleo vnctionis conſecrarunt: illi vero, non prius, quam ſacro vnguine tingerentur, & à Sacerdote renunciarentur, Regiam adminiſtrationem exercuerunt.

Vet. ſynagog. Reges vngi & conſecrari ſoliti à Sum. Pont.

Futurũ quoq; iſtud in noua lege, olim Deus prędicebat, atq; pollicebatur: cum diceret, id quod poſtea Chriſtus, Regio, & Sacerdotali oleo prę participibus ſuis vnctus, de ſe legit: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me: ad annunciandũ manſuetis miſit me: vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro: vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pal-* Iſa. 61.

lium

lium laudis pro ſpiritu mœroris: & vocabuntur in ea fortes Iuſtitia, plantatio Domini ad glorificandum. Et ædificabunt deſerta à ſæculo, & ruinas antiquas erigent, & inſtaurabunt Ciuitates deſertas, diſſipatas in generationem, & generationem. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis. Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria earum ſuperbietis: ſcilicet, ſacerdoralem, & Regiam dignitatem fore in Eccleſia pronunciabatur, & illam quidem, à deriuatione olei myſtici, ad opera ſpiritus perficienda, ad veritatem Euangelicam annunciandam, ad medelam cordibus præſtandam, ad indulgentiam peccatorum largiendam, ad vinctos de cæca errorum caligine educendos, ad placandum Deum rectis corde, adque denunciandam vltionem obduratæ mentis: iſtam vero ad diſsipatas generationes congregandas, ad fortia iuſtitiæ facinora ſuſcipienda, ad plantationem manus Dei dexteræ glorificandam, tuendam, illuſtrandamque: ad deſerta à Gentilibus ædificanda: ad ruinas Regnorum inſtaurandas: ad Vrbes deſolaras redintegrandas legibuſque ſaluberrimis inſtituendas: & in ſumma, ad ſtatum politicum adminiſtrandum ſeruandumq; cum aliquibus daret coronam, oleum, pallium, tituloſque fortium iuſtitiæ: & quid niſi, diademate, vnctione, paludamento, & nomenclatura Regia inauguratos, ad ſupremam in temporalibus rerum ſummam eueherer: manu Sacerdotum ſuorum, qui in hac gloria Regum, & Gentium ſuperbirent: quod illis Reges terrę, & Principes populorum capita inclinarent, ad vngendum, ad ſacraudum, ad benedicendum. *Sine vlla* enim *contradictione*, vt Paulus edicebat, *quod minus eſt, à meliore benedicitur*: quemadmodum in præludium iſtius, Melchiſedech Sacerdos ſummus Dei Altiſsimi Abrahamo decimas offerenti benedixit: certiſsimo argumento, vt aliquando, translatione legis, & Sacerdotij veteris per Chriſtum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſadech facta, Regalique ſacerdorio, & in hoc regio Sacerdote, cum poteſtate ſuprema Vicaria inſtituto, omnibuſque ouibus, & Agnis. ſcilicet, & populis, & populorum Ductoribus prolato, ſuccederet ſpiritualis vnctionis ſymbolum, non tantum, vt theſſera ſubiecti animi ad Deum, & in his quæ ad Deum ſummo omnium Paſtori, verum etiam vt inſtrumentum multiformis diuinæ gratiæ quem ille impartitur quibus vult, & vt vult.

In Eccl. ſacerdotalis, & Regia dignitas.

De vnctione Chriſmatis.

Præclare ſanè Cyprianus. *Ceſſantibus*, ait, *his quæ ritu antiquo inoleuerant, cum iam in populo Chriſtiano circumciſio videretur damnabilis, & ſacrificia idololatriæ deputarentur, vnctionis myſterium Religio Chriſtiana non contempſit: ſed cæteris generali ſanctorum conſenſu damnatis, non ſolum in Sacerdotibus, & Regibus vnctionis honor permanſit, ſed in omnem populum Catholicum effuſa eſt huius gratiæ plenitudo vt ſicut Chriſtus à Chriſmate dictus eſt, eo quod ſingularis excellentia oleo vnxerit eum Deus; ita & participes eius quotquot ſunt, conſortes ſint tam vnctionis quam nominis, & dicantur à Chriſto Chriſtiani.*

Præmiſerat porro Cyprianus, & alias cauſas vnctionis, *nihil hoc oleum*, ait, *commune habet cum liquoribus, qui ex quorundam fructuum pinguedine exprimuntur, nec vis eius eſt ex craſſitudine penetratiua quæ ſecundum quoſdam naturales rationes emollit, & temperat ſpiſſamenta humorum, quos ſolet intrinſecus aſtringere ſiccitas aliqua, vel corruptio conglobare. Non hac medendis corporibus eſt vnctio inſtituta: quia ſanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, ſed virtus diuina potentius operatur; ſed adeſt veritas ſigno, & ſpiritus ſacramento; vt & ipſis rerum efficientijs gratię dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur auctoritas, Deiformi conuerſatione, & cæleſtibus moribus innoteſcat. Hoc oleo antiquitus Sacerdotes ſacrabantur, & Reges, & ipſi altarium lapides delibuti, ſpiritualem intelligi volebant ſacris myſterijs ineſſe pinguedinem. Et ſicut oleum fluitat, & humidis quibuslibet ſuperfertur; ita excellentia Sacerdotalis, & Regia dignitatis, ſecundum formam Dei, & Chriſti ſub ſe omnia continens, regimen, & munimen, tam actiuæ, quam contemplatiuæ vitæ obtinet: & ex hoc humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diuiſiones quas ſpiritus ſanctus prout vult, ſingulis diſtribuit, & largitur. Ex huius vnctionis beneficio, & ſapientia nobis, & intellectus diuinus datur, conſilium, & fortitudo cælitus illabitur, ſcientia, & pietas, & timor inſpirationibus ſupernis infunditur. Hoc oleo vncti, cum ſpiritalibus nequitijs colluctamur; nec fœtoribus ſpurijs imbui poſſumus, qui balſami ſpiritalis odore flagramus.*

Sacræ vnctionis myſterium nemo Chriſtianorum Regum contempſit.

Hæc Cyprianus, de ſacra vnctione; cuius myſterium nemo Chriſtianorum Regum contempſit, quinimo nonnemo volens lubens aſſumpſit: vel propterea, vt Chriſtus Domini eſſet, & diceretur; vt Rex Chriſtianorum, apud ſanctos audiret; vt infra ſe, omnes ſeculares vitæ actiuæ deditos eſſe teſtaretur: vtque ſacrorum charismarum, à ſanctificato elemento, per diuinam virtutem potentiſſime operantem, ad regimen, & munimen temporalium particeps fieret: de quo etiam Deus pronunciaret; *Inueni ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Manus mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et concidam à facie ipſius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam*, & ad extremum, vt ſe de manu Domini, cuius eſt Orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo, Regnum, idque ad iuſtitiam exercendam, ad plantationem Domini, Eccleſiam ſcilicet glorificandam, & ad populorum curæ commiſſorum ſalutem curandam, accipere, & ſigno viſibili, & voce quæ audiretur à cunctis, & inauguratione exteriore profiteretur.

De inauguratione Regum Iuramento. ab eis & à ſubditis præſtando.

Vetuſto, optimoque iure, Reges Iudæorum, iſtud, cum Regnum auſpicarentur præſtare ſolebant. Quia enim à diuina benignitate rebus præficiebantur publicis, ſacramento ſeſe aſtringebant, legem, & ſacra patria, ritus, & cæremonias à maioribus traditas; inuiolabiliter ſeſe ſeruaturos. Quia vero populo Dei libero, Patres, Paſtores, Iudices, Curatoreſque ſalutis publicæ deſtinabantur: non minus ea omnia, quæ ad ſalutem publicam ſpectabant, ipſi iureiurando ſpondebant, quam populus fidem, obſequentiam, cæteraque deditiorum vel adſcriptiorum illis iuramento addicebat, ac velut ex mutuo fœdere ſanciebat: poſtquam ea natura ſit reciprocorum, vt mutuo ſeſe aſpicientes, fouenteſque, mutua fide ſibi deuinciri habeant neceſſe.

Ad eum modum, inter alios Ioiada

Pon-

Pontifex, Ioan, quamquam *filium Regis* ex ſemine Dauid natum, auctorauit. Inprimis enim cum proceribus *fœdus iniit, & adiurans eos oſtendit eis Ioan filium Regis dixitque ad eos, Ecce filius Regis regnabit, ſicut locutus eſt Dominus ſuper filios Dauid.* Deinde *præcepit illis dicens; Iſte eſt ſermo, quem facere debetis;* adeoque quid obſequij præſtare deberent futuro Regi, clariſſime oſtendit; non minus quam Samuel, *qui locutus eſt ad populum legem Regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino.* Poſt hæc Iolada, *produxit Ioan, & impoſuit ei Diadema, & Teſtimonium,* ſeu plaudamentum Regium: *deditque in manu eius tenendam Legem,* ſcilicet, iuramentum ab eo, pro ſeruanda Lege, tuendiſque ſacris, & populis exegit; *& vnxit eum, fecitque eum Regem. Pepigitque fœdus inter Dominum, & inter Regem, & inter populum, vt eſſet populus Domini; & inter Regem, & populum.* Sic pactio ſtetit demum, inter Dominum, & Regem, & populum; vt Rex, & populus, eſſet populus Domini: atque Rex præeſſet populo, ſed populo Domini, non ſuo, neque Gentili: adeoque meminiſſet ſe, idque ex pacto eſſe, parentem publicum, & ſeruatorem omnium: rei publicæ, non priuatæ addictum.

4. Reg. 11. & 2. Paralip. 23.

2. Reg. 18.

Ad hoc exemplum, Chriſtiani Imperatores & Reges, inaugurari voluerunt: vt fidem Deo, Eccleſiæ, & populis, voluntario alligarent Sacramento, ſponſionibusque ſuis, tantum pondus, quantum eſt à iureiurando, & à ſacratis ritibus atque imprecationibus, adijcerent. Carolus Magnus, Occidentalibus Imperatoribus, ex hac formula præiuit; *In nomine Chriſti ſpondeo atque polliceor, ego Carolus Imperator, coram Deo, & Beato Petro Apoſtolo, me protectorem ac defenſorem fore huius S. R. E. in omnibus vtilitatibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout ſciero, poteroque.* Tuncque demum Leo Pontifex coronam capiti eius impoſuit: populus vero acclamauit: *Carolo Auguſto à Deo coronato, magno, & pacifico, Imperatori Romanorum, vita, & victoria.* Olim Imperatores, ait Krantzius, non paſſi viuere Pontifices, ad ſupplicia deuocabant: & Græculi, poſtquam apud eos, extincta ſtirpe Conſtantini, & deinde magni Theodoſij, non habuere Roman. Pont. niſi quem ipſi confirmaſſent: nunc mutatæ ſunt rerum vices, vt non habeatur Imperator, niſi quem Roman. Pont. confirmauit, & conſecrarit: vt pote quia ipſe eſt, & ex parte Dei, qui trasfert Regna, & imperia, quique illum ad hoc ſacrum miniſterium, digniſsimum in terris Vicarium delegauit, vt fœdus inter Deum, & Imperat. ſanciret, & ex parte populi, qui ad nutum & voluntatem illius omnia ſua ſupremo Principi permittit, & promittit: adeoque velut Dei ore ſibi illud, quod Petrus Pont. Roman. primus aliquando edixit, dictum putat; *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, Siue Regi, quaſi præcellenti: ſiue Ducibus tamquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.*

Caroli M. forma iuramenti.

Sigonius li. 4 de regno Italiæ.

Ado in Chronico. lib. 1. Metropol. c. 14

Imp. a Rom. Pont. confirmandus.

1. Petr. 2.

Non ex vano, Crantzius, affirmabat, neminem haberi amplius apud Chriſtianos Imperatorem niſi quem Romanus Pontifex confirmauit, atque conſecrarit. Namque vt omittam, notam illam Gregorij Nazianzeni, in Iulianum inuectiuam, cum illum arrogantię atque audacię plenum facinus aggreſſum coarguit, *quod ſibi ipſe diadema impoſuit, magnoque nomine ſeipſum ornauit,* nec *honoris modum ad Imperatoris arbitrium reuocauit:* pręter Ottonianam tempore Gregorij V. hac de re, (cuius Munſterus meminit) vt *nemo Imperator Auguſtus ſalutetur, niſi prius a Romano Pontifice coronam imperij ſuſcipiat,* ſanctionem; vſus perpetuus legem ſiue dedit, ſiue ſtabiliuit, vt omnes Imperatores, & Reges Chriſtiani hactenus qui feliciter rebus præfuerunt, capita ſua libenter ſubiecerint, ſacræ vnctioni nec niſi volentes, fidem ſuam obſtrinxerint, ſolenni ſponſione, quam Romanus Pontifex, vel aliquis ſanctorum Antiſtitum præſcripſiſſet, tunc cum illos Imperij aut Regni diademate exornaret.

Orat. 3. in Iulian.

in hiſt. Germ.

Apud Græcos, quorum Patriarchæ eſſe membra de membris Romani Antiſtitis gaudebant, vetuſtum morem vngendi Imperatores, & ab his iuſiurandum præſtandi, fuiſſe lego, cum lego, Theodoſio iuniore defuncto, rerum ſumma ad Pulcheriam Auguſtam delata Martiano, ab eadem ad conſortium ſcèptri delecto, præſente Senatu, & Anatolio Patriarcha, diadema imperij, (& quid niſi ab eodem Anatolio?) impoſitum eſſe. Morem enim cum iam tunc fuiſſe, vt Patriarcha Conſtantinopolitanus Impp. diademate Imperatorio cingeret, & oleo ſacro perungeret, & iuſiurandum ab eis conceptum audiret, indicio eſt euidenti, quid non multo poſt, vt Zonaras meminit, Euthymius Patriarcha noluerit imponere coronam Anaſtaſio Imperatori quamuis ſcripto edito pollicèretur, ſe, nihil in re Orthodoxa Catholicis innouaturum. Ioannes etiam Patriarcha Conſtantinopolitanus, inter ſuas laudes ſcribens, referebat, *omnes Deum glorificaſſe, quoniam talem verticem,* qualis fuit Iuſtini Imperatoris, *eius manibus tali corona decoraſſet.*

Mos apud Græcos vngẽdi Impp. & ab his iuramentum præſtandi.

Theophan. in Miſcella.

in ep. apud Baron. an. 519.

Huius porro Iuſtini, tanta fuit religio, vt quamquam ab Ioanne Patriarcha diadema Imperij accepiſſet, tamen ab Ioanne Romano Pontifice Conſtantinopolim veniente iterum voluit illud obtinere. Itaque venienti obuiam procul cum vniuerſo Clero, & Populo proceſsit, ad pedes eius venerationis cauſa procubuit, in templum maximo cum honore adduxit, dextrum dextro in ſolio collocauit, ornamenta omnia Imperatoria depoſuit, deque manu illius recepit: lege in poſterum comprobata. vt Epiſcopi, nomine Regis Regum, cuius gerunt perſonam, & officium exercent, nec non populi cui præſunt conſenſione, vtpote interpretes, & internuncij inter omnes, Auguſtalia ac Regia inſignia Imperatoribus, & Regibus attribuant, illoſque ſummæ rei admoueant. Iſtud cum non ignoraret Ludouicus Imperator, ſcilicet titulos Imperatoris, & Auguſti à Pontificia conſecratione deriuari, Baſilio Græcorum Imperatori, (quod Aimonius narrat) accuſanti, cur nomen Imperatoris, & Baſilij præſcriberet, reſpondit; *appellationem Imperatoris, non eſſe peculiarem Conſtantinopolitanorum, ſed etiam competere Francis, qui eam propter egregiam ipſorum in Deum, & Eccleſiam Romanam fidem à Sed. Apoſt. accepiſſent.* Neque apud Græcos tantum ſed etiam apud Latinos, Reges à ſummo Pontifice inaugurari, & ab eodem Regiá pote-

Iuſtini Imp religio diadems à Rom. Pont. accipientis.

Theophan. in Miſcell.

Iuſtini Imp ſanctio. *hiſt. Eccl. an. 525.*

lib. 5. c. 18.

Mos apud Latinos.

poteſtatem accipere, in pretio ponebant.

Gallorum conſuetudo

Clodoueus, id temporis, Maſſono teſte, profeſſus ſe ab Hormiſda Ioanni anteceſſore Regnum Galliarum accipere, caput ſacræ vnctioni, & imprecationi lubens volens ſuppoſuit, cum Remigius auctoritate Apoſtolica illum inaugurauerit. Manauit conſuetudo apud Gallos, vt pro Rege non habeant, niſi quem Rhemorum Archiepiſcopus, ex formula iureiurando obſtrictum, ex ampulla cælitus allata perunxerit. His Ipſis verbis, Ludouico iuniore Rege conceptis, iureiurandum Reges ſolebant efferre.

Promitto, & ſpondeo vobis, me vnicuique veſtrum, & Eccleſijs quæ vobis credita ſunt, ſeruaturum priuilegium Canonicum, legem, & ius debitum, & pro facultate mea Deo iuuante defenſurum vos, vt ex iure debet Rex in Regno ſuo vnicuique Epiſcopo, & Eccleſiæ mandatæ ipſi. Item *Promitto in nomine Ieſu Chriſti hæc populo Chriſtiano qui mihi ſubiectus eſt, primum me totum populum Chriſtianum ſeruaturum eſſe, & Eccleſiæ Dei veram pacem omni tempore: me quoque rapinas omnes, & iniquitates omnium graduum ſublaturum eſſe. Item me in omni iudicio mandaturum æquitatem, & miſericordiam; vt clemens, & miſericors Deus, mihi vobiſque ſuā miſericordiam largiatur, deinde me bona fide pro virili daturum operam, vt ex agro, & ditione mihi commiſſa eijciam turbas, & hæreticos hoſtes Eccleſiæ.* Hæc apud Gallos.

Prærogatiua Archiepiſc. Mediol. a Sede Ap. data. *Hiſt. Eccl. Mediolan. lib. 8.*

Apud Italos ſtirpe Gotthorum, & Longobardorum, poſt Imperatores quibus vel ſucceſſio, vel Senatus iudicium, vel militaris euectio ius imperandi ferebat, extincta, aliquid amplius ab authoritate Apoſtolica Archiepiſcopus Mediolanenſis obtinebat. Enimuero Magnus Gregorius, in gratiam Theodolindæ ſanxit litteris ac edictis, vt quandocumque finita Regum Italorum ſobole, vt Ripamontius narrat, vacuam eſſe ſedem contingeret, ius creandi Regis penes Archiepiſcopum Mediolanenſem eſſet: comitia, creando Regi in hunc modum haberentur. Decimo quarto die, poſtquam res ad interregnum veniſſet, ex vniuerſa Prouincia conuocarentur Mediolanum Epiſcopi, qui ſuffraganei ſiue auxiliares dicuntur. Conſultarent cum Archiepiſcopo, quis nam ille militari virtute, ſtudio Religionis cæteriſque Regijs ornamentis ita è numero Principum emineret, vt quam ſaluberrime adminiſtraturus eſſe Rempublicam videretur, atque huic ſine ambitione vlla mala, ſine vlla cura, quæ flectere ab æquo, & vero animos poſſet, mandaretur imperium. Qui ita electus foret, eum Archiepiſc. Mediolanenſis Modoetiæ corona ferrea ſolennibus cæremonijs euinciret. Coronam eam Theodolindæ munus proſequitur fama, tamquam interior circulus ſit vnus è clauis, qui Chriſtum liberatorem affixere Cruci. Ferunt: Helenam Conſtantini Matrem, cum repertos auguſtiſſimi myſterij clauos, veluti theſauri cæleſtis arbitra diſpenſaret, alios alibi collocaſſe, vnum diademati inſeruiſſe, diadema geſtamen Conſtantino fuiſſe, inde per manus traditum haud ſine numinis fauore ad Theodolindam perueniſſe: inde vero Initiandis Imperatoribus ab eadem ſacram, & ſolennem, ex vetere vſu eſſe. Nam & S. Ambroſius, cum Theodoſium extinctum funebri oratione laudaret, diadematis è clauo conſtructi meminit, quo caput Imperatoris ornaretur. Patrum memoria, cum ea corona ferrea per Legatos allata Bononiam, Carolus V. Imperium auſpicaretur, adeſſentque Principes Eccleſiæ viri, magni ſunt motus animorum facti, certiſſimo inter omnes conſenſu, veram eſſe famam, & ferrum, ibi quantalibet aurea mole prætioſius latere. Legati quin etiam increpiti, quod vili nimium ac paupere cultu, nec ea, qua par eſſet celebritate, ſalutis humanæ monumentum, & adactum olim per diuina illa membra ferrum attuliſſent.

De corona ferrea qua Impp. Rom coronari ſolent. & clauo Chriſti in ea inſerto.

Quanto terrore populus perfuſus fuerit dum dicta corona capiti Caroli V. imponeretur.

Narrant qui ſpectaculo adfuere, cum prolata ea capiti Cæſaris imponeretur, ſubito perfuſam horrore concionem obriguiſſe, tamquam & manantia innoxio ſanguine trophæa Crucis, & Chriſtus ipſe, totaque facies acerbiſsimæ mortis ante oculos obſeruaretur; ab coronati Cæſaris adſpectu ad violentos ictus laniatumque diuini corporis, meditando, & cogitando religioſiſsimos, & grauiſsimos quoſque animum auertiſſe. Iſtud etiam inter argumenta numeratur, quod per bellicos tumultus qui diu Italiam afflixere, condita corona ſubterraneo in ſpecu ſeruauit nitorem, & nihil contraxit eius rubiginis quæ ſequitur ferrum, vt cæleſtis gratia viciſſe naturam videatur, idque ſacrato clauo datum fuiſſe diuinitus affirmari poſsit. Iſto ferreo diademate cinguntur hactenus Imperatores, poſtquam Sacramento verbis conceptis prolato, fidem ſuam Deo Eccleſiæ, ſacratis viris ac populo obligarint.

lib. 9. Ordo ceremoniæ qua Carol. Mag. per Archiepiſc. Mediol. voluit coronari Modoetiæ.

Non abs re, cum eodem Ripamontio, ordinem cæremoniæ exequar, qua olim Carolus Magnus Modoetiæ per Archiepiſcopum Mediolanenſem voluerat coronari. Deductus modo etiam ab Archiepiſcopo Craſſo, cæteriſque Prouincialibus, & alij quos ſua quemque ſpes exciuerat, & cura proſequendi Regem nouum, tertio poſt die, Archiepiſcopi eiuſdem præcibus, & manu, ſummus Italiæ Rex inauguratus fuit. Baſilica Diui Ioannis Baptiſtæ, Reginæ Theodolindæ monumentum huic ſacro deſtinata erat antiquitus, ibique ſolemnia Regni Longobardi Principes capeſſebant. Illuc Carolus ingreſſus, proſequente Procerum, & Epiſcoporum agmine, in ſua ſede conſedit. Archiepiſcopus quoque Craſſus in ſuam conſcendit, deinde cum omnibus Deo præces ſudit, vt quod de coronando Rege in animo haberent, id Italo nomini, cæteriſque prouincijs, & Eccleſiæ toti bonum, felix, fauſtumque eſſet. Poſtea Archiepiſcopus proprium eius rei carmen dixit; iterum deinde conſedit, & ab vniuerſa corona Principum, Num Carolum vellent habere Regem, &, Num ei ad omnia dicto audientes forent, expetijt. Vbi velle ſeſe, ac etiam fore reſponderunt, ornauit Archiepiſcopus Carolum pallio, armillis, annulo, ſceptro, ferreamque coronam capiti impoſuit. Ea coronandi Regis cæremonia in ritualibus libris extat, eoque ritu Carolum Magnum ab Archiepiſcopo Craſſo coronatum fuiſſe Modoetiæ vetuſtiſsimi annales tradunt.

Quo ritu coronatio Regum fieret in Ambroſ. æde Mediolani.

Quando porrò Mediolani in Ambroſiana æde, ſolenne iſtud Regum coronationis celebrabatur, hoc ritu fiebat. Extra Baſilicam eſt columna, longitudine ac diametro, quam lapicidinæ noſtri temporis admirantur. Ad

eam

eam columnam futurus Rex, vt acceſſerat, munus erat Angleriæ Comitum offerre candidato pium volumen, in quo ritus Ambroſiani præces, & ſacra continerentur. Id volumen, ſiue Miſſale, Princeps Anglericæ gentis poſtquam obtulerat Regi, iurabat ille quam ſanctè, fore ſe in Romani Pontificis authoritate, ſiue ſtatus Imperij, ſiue Eccleſiaſtica res ageretur; eiuſque Sacramenti confectæ ſtatim tabulæ vinculum erant, & monumentum. Euinciebat inde Mediolanenſis Archiepiſcopus ferreo diademate Caput Regis; & præferente Crucis trophæa comite Anglerico, templum ingrediebantur; ad aram maximam accedebant: ibi nudato capite, poplite flexo, Rex pie numen veneratus expiabatur ab Archiepiſcopo ſolemni Crucis nota; deinde collocabatur in ſolio: res tota teſtato deſcribebatur. Hec auſpicandi Regni ſolemnia, nonnemo Regum Catholicorum, veterum cæremoniarum, & antiqui moris obſeruatiſsimus, obire volebat: & nonniſi ab hac ſolemni inauguratione, & ſponſione ſe Regem Romanorum ſcribebat, putabatque. Præſcribebat verò illam Romanorum Antiſtes, qui Regnum conferebat. Namque iſtud Aſpertus Mediolanenſis Archiepiſcopus ſignificauit, cum Carolum Caluum ferreo diademate coronaſſet.

Quod enim ea cæremonia, à Romano Pontifice præſcripta, Italiæ Regnum Carolo donaſſe videretur, in ipſo conſecrationis carmine, ſequi ſe Romani Pontificis iudicium & authoritatem, qui iam ei ob res turbatas, & circa ſummam potentiam exhorta Principum certamina, detuliſſent Imperium, his verbis edixit: *Nos Anſpertus Archiepiſcopus, cæterique qui nobiſcum hic adſunt, Pontifices, Abbates, Regni Proceres, & Comarchi, perpetuam tibi felicitatem, & pacem auguramur. Et quia Deo Optimo Maximo placitum fuit, vt in Romani Imperij faſtigium eueherere per Ioannem Pontificem Romanum, nos te, quod bonum, felix, fauſtumque ſit, facimus Italiæ Regem, & lætis omnes animis iuramus habituros rata quæcumque in hoc Regali ſolio conſtitutus, ad Eccleſiaſticæ rei propagationem ſalutemque noſtram ſancies decernes.* Ea cum Archiepiſcopus dixiſſet, Regiamque coronam capiti impoſuiſſet, tunc demum Carolus Caluus titulos Regios aſſumpſit: poſtquam etiam, in Ansberti ſententiam, Ioannes Arretinus, Ioannes Ticinenſis, Benedictus Cremonenſis, Theodolphus Berthonenſis. Adalgardus Vercellenſis, Azo Eporedienſis, Gerardus Laudenſis, Hilduinus Haſtenſis, Lendoinus Mutinenſis, Hildradus Albenſis, Ratbonus Auguſtanus, Eilbertus Comenſis, Adelardus Veronenſis, Paulus Placentinus, Andreas Florentinus, Epiſcopi iuiſſent, & publicis tabulis de more ſubſcripſiſſent, mutuumque Sacramentum dixiſſent cum Carolo. Hæc Ripamontius poſt alios, de ſolemni inauguratione Regum Italiæ.

Extat in Pontificali Romano. Ex hac formula Sacramentum dicebant.

Futuri Regis ſacramentum.

„ Ego N. Deo annuente futurus Rex N. „ profiteor, & promitto coram Deo, & Ange„ lis eius, deinceps legem, inſtitiam, & pacem „ Eccleſiæ Dei, populoque mihi ſubiecto, pro „ poſſe, & noſſe facere atque ſeruare, ſaluo „ condigno miſericordiæ Dei reſpectu, ſicut in „ conſilio fidelium meorum melius potero in„ uenire Pontificibus quoque Eccleſiarum Dei „ condignum, & canonicum honorem exhibe„ re, atque ea quæ ab Imperatoribus, & Regi„ bus Eccleſijs collata, & reddita ſunt, inuio„ labiliter obſeruare: Abbatibus, Comitibus, „ & vaſſallis meis congruum honorem ſecun„ dùm conſilium fidelium meorum præſtare. „ Ita me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euange„ lia Dei. *Futuri Imperatores addebant, quem„ admodum Ottho coram Ioanne XII. Papa ad„ didit.*

„ Tibi Domino Ioanni Papæ, ego Rex Ot„ tho promittere, & iurare facio, per Patrem, „ & Filium, & Spiritum Sanctum, & per li„ gnum hoc viuificæ Crucis, & per has reliquias „ Sanctorum, quod ſi permittente Domino „ Romam venero, Sanctam Romanam Eccle„ ſiam, & te Rectorem ipſius exaltabo ſecun„ dùm poſſe meum: & numquam vitam, aut „ membra, & ipſum honorem quem habes, mea „ voluntate, aut meo conſilio, aut meo con„ ſenſu, aut mea exhortatione perdes, & in „ Romana vrbe nullum placitum, aut ordina„ tionem faciam de omnibus, quæ ad te, aut „ ad Romanos pertinent ſine tuo conſilio, & Ottho. „ quidquid de terra Sancti Petri ad noſtram „ poteſtatem peruenerit, tibi reddam, & cui„ cumque Italicum Regnum commiſero, iura„ re faciam illum, vt adiutor tui ſit ad defen„ dendam terram Sancti Petri ſecundùm ſu„ um poſſe. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſan„ cta Dei Euangelia. Henricus VII. Clementi Quinto, & ad inſtar Carolus Quartus Innocentio Sexto, aliquid amplius addidit.

Henr. VII. & Carolus IV.

„ Promittimus, & obligamus nos cum „ omni efficacia, Deo Omnipotenti, vobiſque „ Domino noſtro Clementi Summo Pontifici, „ veſtriſque ſucceſſoribus, ac Sacroſanctæ Se„ di Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ, quæ Ec„ cleſiarum omnium Caput eſt, & Magiſtra, „ quod Sacroſanctam Catholicam, & Apoſto„ licam Eccleſiam, Fidemque Catholicam fun„ datam ſuper fundamentum Apoſtolorum, & „ Prophetarum, ipſo ſcilicet angulari lapide „ Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio con„ ſtructa creſcit in Templum Sanctum in Do„ mino: in cuius nomine omne genu flectitur, „ Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum, nec „ eſt nomen aliud ſub Cælo, in quo ſaluari „ oporteat, credentes toto corpore, & animo, „ pura, & ſancta intentione conſeruabimus, „ reuerebimur, atque defendemus totis viribus, „ & toto poſſe: & omnem hæreſim, & ſchiſma „ extollentem ſe contra Sanctam Catholicam, „ & Apoſtolicam Eccleſiam exterminabimus „ pro viribus: & omnes, hæreticos cuiuſcum„ que ſectæ, & conditionis exiſtant, facies „ quidem habentes diuerſas, ſed caudas adin„ uicem colligatas, quibus vineam Domini Sa„ baoth perdere, & vaſtare nituntur, omneſ„ que fautores, & adiutores, valitores, & re„ ceptatores, ac defenſores eorum: & quod „ nullo tempore coniungemur, confæderabi„ mur, parentela, vel fædere, vel vnione qua„ cumque, cum quocumque Saraceno, vel Pa„ gano, vel ſchiſmatico Rege, vel Principe, „ vel quocumque alio Fidei Catholicę commu„ nionem non habente: neque cum aliquo re„ belle, vel inimico ipſius Romanæ Eccleſiæ, „ vel eidem manifeſte ſuſpecto.

Item

Item promittimus, & obligamus nos cum omni efficacia &effectu, quod perſonam veſtram, ſtatum, & houorem, & ſucceſſorum veſtrorum, contra quemcumqne ſeu qnoſcumque honores, cuiuſcumque ſtatus, præeminentiæ vel dignitatis exiſtant, conſeruabimus, defendemns, & manutenebimus, nec non omnia priuilegia Regum, & Principum, & Imperatorum Romanorum prædeceſſorum noſtrorum cuiuſcumque tenoris & continentiæ exiſtant, qnocumque tempore conceſſa Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Pontificibus, & Sedi Apoſtolicæ, & quibuſcumque Eccleſijs, Prælatis & Miniſtris ipſarum conſeruabimus & manutenebimus, nec aliquo vmquam tempore contrauenienius, vel aliquem quantum in nobis erit venire permittemus, quacumque occaſione, vel titulo allegato, iuris vel facti: imo ad perpetuam rei memoriam, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſecuritatem, atque cautelam, ipſa priuilegia omnia, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, innouamus, & denuo coucediuius, prout melius & plenius poſſumus ex certa ſcientia, cum omni efficacia et effectu. Volentes ac etiam decernentes, quod iſta generalis ratificatio, confirmatio, recognitio, innouatio, & de nouo conceſſio, perinde robur obtineat perpetuæ firmitatis, ac ſi omnia & ſingula prinilegiorum verba de verbo ad verbum præſentibus inſerta fuiſſent ſingulariter & expreſſè.

Specialiter autem & expreſſè cum omni efficacia & effectu ſupradictis, ratificamus, cofirmamus, recognoſcimus, innouamus, & de nouo cōcedimus omnia priuilegia CONSTANTINI, CAROLI, HENRICI, OTTONIS quarti, FRIDERICI ſecundi, atque RVDOLPHI Regum & Principum ſeu Imperatorum Romanorum quocumque tempore conceſſa, ſuper quibuſcumque cuiuſcumque continentiæ vel tenoris exiſtant, S. R. E. Romanis Pontificibus, & Sedi Apoſtolicæ.

Promittimus etiam & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, omni iure & forma, quo melius & efficacius fieri poteſt, manutenere & conſeruare omnia priuilegia cuiuſcumq; tenoris vel conditionis exiſtant, & nullo umquam tempore contrauenire, vel aliqnem, quantum in nobis eſt venire permittere, qnacumque occaſione, vel cauſa, vel titulo allegato, iuris, vel facti, per quoſcumque Reges vel Principes, ſeu Imperatores Romanos, & precipuè per ſupradictos CONSTANTINVM, CAROLVM, HENRICVM quartum, FRIDERICVM II. atque RVDOLPHVM conceſſa Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Poutificibus, & Apoſtolicæ Sedi, ſuper recognitione, innouatioue, aduocatione, conceſſione, quietatione, renunciatione, & libera dimiſſione terrarum & Prouinciarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vbicumque poſitarum: pręcipuè Marchiæ Anconitanæ, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & iuriſdictionibus earundem. Exarchatus Rauennæ & Pentapolis, ac Romandiolæ, & Bertenorij Comitatus, cum Ciuitate Bononiæ, & cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus, integraliter, & cum omnibus iuribus, & iuriſdictionibus earundem.

Maſſæ quoqne quæ Trebaria nuncupatur, cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus eorundem. Vallis quoque quæ Spoletana dicitur, ſiue Ducatus, cum Ciuitatibus Peruſij atqne Caſtelli, & cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, confinbus, integraliter & cnm omnibus iuribus & iuriſdictionibus eorundem. Patrimonij etiam Sancti Petri in Tuſcia, cum Ciuitatibus Tuderti, Narniæ, Vrbis veteris, & Reate, & cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus, integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem. Comitatus quoque Sabinæ, cum Ciuitate Interamnenſi, & cnm arce Cæſarum, & terra quæ dicitur Arnnlphorum, cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibns earundem. Comitatus quoqueMaritimæ atque Campaniæ, cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus ſuis integraliter, & cum omnibus iuriſdictionibus, & iuribus earundem.

Et ex abūdātia, de nono, ad maiorē cautelā, ſnpradictas omnes terras atq; Prouincias, cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus, terminis, limitibus, & confinibus earundem, & ius, ac poſſeſſionem, & proprietates ipſorum, cum omni plenitudine recognoſcimus iure pleniſſimo, ad ius & proprietatem S.R.E. ſpectare, ac omnimode pertinere, ac ipſas omnes terras atque Prouincias de nouo annotamus, & innouamus, atque concedimus, & quietamns libere & dimittimus, reſtituimus & renunciamus: necnon ad omnem ſcrupulum remouendum, & vt pax, quies & tranquillitas inter Eccleſiam & Imperium iugiter vigeat, & futuris dante Domino temporibus feliciter augeatur, & omnis contentionis & diſſenſionis cuiuſlibet, materia præcludatur, prout melius & efficacius fieri & intelligi poteſt, concedimus ipſas, conferimus, & de nouo donamus, promittentes, & obligantes nos prout plenius & efficacius poſſumus, quod nullo vmquam tempore occupabimus, vel occupari, quantum in nobis eſt, permittemus, Ciuitates, loca, caſtra, terras & Prouincias ſupradictas, vel aliquam ipſarum, vel earum partem: nec in ipſis, vel aliqua ipſarum, vel earum parte iuriſdictionem aliquam per nos vel per alium geremus, vel exercebimus: nec iura aliqua, poſſeſſiones vel tenutas habebimus, vel poſſidebimus in eiſdem terris vel Prouincijs, vel aliqua ipſarum, ſeu parte earum: nec officium aliquod geremus per nos vel per alium Poteſtariæ vel Capitaniæ, ſeu quocunque nomine cenſeatur, in ipſis, vel aliqua ipſarum, vel earum parte, & quod tamquam Catholicus Princeps, Aduocatus & Defenſor Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iuuabimus ipſam, ſibique aſſiſtemus, contra quoſcumque occupantes, inuadentes, vel turbantes Prouincias ipſas, Ciuitates, loca, Caſtra, & terras, vel aliqua ipſarum, ſeu earum partem, & quoſcumque inobedientes,

„ ſeu rebelles Eccleſiæ, præcipue in Prouincijs,
„ Ciuitatibus , locis, Caſtris , & terris eiſdem
„ in nullo fouebimus , vel manutenebimus , ſeu
„ per quoſcumq; foueri, ſeu manuteneri, quan-
„ tum in nobis eſt permittemus: Sed contra
„ ipſos aſſiſtemus conſilijs , auxilijs & fauori-
„ bus opportunis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac
„ Romanis Pontificibus . & Apoſtolicæ Sedi ,
„ quoſque rebelles & ſubditi ad plenam reue-
„ rentiam & obedientiam reducantur . Pro-
„ mittentes quoque dictam Romanam Eccle-
„ ſiam , & Eccleſias alias , ac libertatem Ec-
„ cleſiaſticam , & bona , iura , Prælatos, & Mi-
„ niſtros ipſarum manutenere , conſeruare , &
„ pro viribus defenſare . Vaſſallos quoque
„ Romanæ Eccleſiæ contra iuſtitiam non of-
„ fendere : & quoſlibet deuotos & fideles Ec-
„ cleſiæ , etiam in Imperio conſtitutos benigne
„ tractabimus , & contra iuſtitiam non oppri-
„ memus , neque per alium quantum in nobis
„ eſt opprimi permittemus, ſed conſeruabimus
„ in iuribus & inſtitijs eorundem . Prædicta
„ autem omnia & ſingula inuiolabiliter obſer-
„ uare , & obſeruari facere , & nullo vmquam
„ tempore contrauenire iurauimus ad Sancta
„ Dei Euangelia tacto libro , in manibus diſ-
„ creti viri Ioannis de Mollans Scholaſtici Ec-
„ cleſiæ Tullenſis , nomine Romanæ Eccleſiæ ,
„ & Sedis Apoſtolicæ , ac veſtro , & de veſtro
„ mandato ſpecialiter recipientis , &c.

Ad eum modum Henricus VII. iuſiurandum dicebat . Carolus Quartus Ferrariam , Vrbem Romam , Regna Siciliæ , Sardiniæ , ac Corſicæ , necnon Comitatum Venayſinum , ſalua eſſe Romanæ Eccleſiæ, in ſacramento exprimebat, cum diadema & vnctionem Imperij ab Innocentio Sexto poſtulabat . Cumque poſtea Wenceſlaum filium , in Regem Romanorum ab Electoribus deſignari curaſſet , ſolemnem Legationem ad Gregorium XI. deſtinauit , cuius viri Principes , Wenceſlai nomine , iureiurandum Pontifici Romano præſtarent , & vnctionem , conſecrationem, & coronam Imperij , à Gregorio peterent . In hunc modum Carolus Imperator, inter alia ſcripſit: *Quapropter veſtræ immenſa clementia,cum dictis Coeleſtoribus Principibus ſupplicamus , tam humiliter quam deuote , quatenus prædictum primogenitum noſtrum in Romanorum Regem concorditer ſic electum , in Imperatorem promouendum , paternis affectibus benignius amplectentes , Regem Romanorum nominare , eiuſque perſonam ad apicem tantæ dignitatis reputare: necnon eidem munus Conſecrationis , ac diadema ſacri Imperij loco & tempore opportunis , per Veſtra Beatitudinis ſanctas manus conferre dignemini : prout EXTAT AB OLIM FIERI SOLITVM & CONSVETVM : vt ſciant & intelligant vniuerſi , quod poſuit in lucem gentium vos Dominus , vt per Veſtræ Sanctitatis arbitrium Orbi terræ poſt nubilum optata ſerenitas elucescat .*

Carolus IV. ſo emni Legatione petit à Rom Pōt. vt filiū ſuū Regem Rom nominare & munus conſecrationis ac diadema Imperij ei conferre velit.

Memorabat Carolus , *iam ab olim fieri ſolitum & conſuetum*, vt in Romanorum Reges electos , Pontifex Romanus , tum nominaret : tum ad apicem tantæ dignitatis dignos renunciaret; tum munus conſecrationis, ac diadema Imperij illis manu ſua conferret : quod is iure Chriſtianis recepto , eſſet Vnctor Regum , qui , ſi cauſa neceſſario poſtulet , Apoſtolica pleniſſima poteſtate, poſſit infeſtos Eccleſiæ Reges ſiue Imperatores in ordinem redigere , inque locum ipſorum iuſtos & pios ſufficiendos curare , & ſacro vnguine perungere , alijſque Inſignijs ornare , eos quos ſuffragium aliorum , vel hæreditaria ſucceſſio ſubrogarit .

Iure Chriſtianis recepto Pontif. Rom eſt vnctor Regū .

Carol. M.

Carolum Magnum , Leo Tertius ante Confeſſionem Sancti Petri proprijs manibus inunxit , coronam Imperialem capiti eius impoſuit, & Romanorum Imperatorem pronunciauit . Tuncque Senatus populoſque vniuerſus conclamauit : *Carolo piiſſimo Auguſto à Deo coronato , Magno , Pacifico , Imperatori Romanorum , vita & victoria .*

Lud. Pius.

Ludouico Pio , Paſchalis , Imperium ab inauguratione confirmauit: ille vero Beato Petro Principi Apoſtolorum , eiuſque Vicario & ſucceſſoribus in perpetuum , Romanam Ciuitatem cum Ducatu ſuo , ſeu cunctis Ciuitatibus , Oppidis , Caſtellis , & Villis in Tuſciæ partibus , Campaniam , Exarchatum Rauennæ integrum, Ducatum Beneuentanum & Spoletanum , Neapolim , Calabriam , necnon Inſulas Corſicam , Sardiniam & Siciliam, & alia plura , à Pipino auo , & Carolo patre , Eccleſiæ Romanæ redintegrata , ſeu vindicata , ſeu reſtituta, iureiurando confirmauit : neque alia ratione , Lotharium filium ſucceſſorem renunciauit, quam vt is in Aquiſgranenſi Conuentu Legatis Paſchalis Papæ præſentibus , vna cum reliquis fratribus Sedi Apoſtolicæ ſeſe iureiurando adſtrinxiſſet , & ex pacto fœdus percuſſiſſet . Tunc enim diadema Imperatorium , poſt ſacram vnctionem, ab auctoritate Apoſtolica accepit .

Lotharius .

Lotharius porro, vt Ado Viennenſis ſcribit, filium ſuum Ludouicum . quem in Italia Regem fecerat , Romam , vna cum Drogone Archiepiſcopo Metenſi , miſit, vt Imperatoris nomen ſortiretur . Huic Sergius iam tum Pontifex , coronam impoſuit, & oleum ſanctificatum impertiuit: neque priuſquam Imperatoria inſignia accepiſſet , Romanis permiſit , qui ſe eidem ſacramento adſtringerent . Cæterum, cum filij Ludouici pij Imperatoris aduerſus patrem nefaria arma ſumpſiſſent Conciliabuloque Epiſcoporum Lugduni indicto , Imperium ei abrogaſſent. Gregorius Pontifex Romanus decretum Conciliabuli reſcidit imperium Ludouico confirmauit , & audaciam Lugdunenſis Archiepiſcopi multauit , cum illum ſede deiecit . De Carolo Craſſo , & ante eum de Carolo cognomento Caluo, Aimonius refert , quod hunc anno Domini 875. illum vero 881. Ioannes Octauo Romæ inaugurauerit .

Ludouic. fil. *in Chron. an. 850.*

Paul. Aemil. de geſt. Frāc. lib. 3.

anno 877.

Habuerat Carolus Caluus quamplures ſibi aduerſos ; qui ne auctoritate quidem multorum Conuentuum atque Synodorum , poterant induci , vt eum pro legitimo Imperatore agnoſcerent. Quamobrem is Adalgarium Epiſcopum Romam miſit, qui à Ioanne Octauo coronationis & promotionis comprobationem poſtularet . Collecta itaque Ioannes Romæ Synodo, confirmauit , Imperatorem Carolum renunciauit, & in refractarios illius, cuiuſcumque ordinis, profeſſionis ac dignitatis eſſent anathema ſtrinxit , quod ſcilicet , Pontifices Romani , non nudum miniſterium vnctionis & coronationis exhibeant tantum; ſed vere, Imperium ipſum conferant . Ad eum modum Carolus Caluus à Ioanne Papa ap-

proba-

Imperiales tituli à Principum electione & cõfirmatione ſeu conſecrat. Pontif. ſunt.

probatus, pronectuſque ad Imperij Romani ſceptra, & Auguſtali nomine decoratus, ac demum vnctus & coronatus, Ludouico Germaniæ Regi, fratri natu maiori prælatus eſt: vt euidens omnibus ſit Imperiales titulos, non ab iure ſucceſſionis eſſe, ſed ab electione Principum, & confirmatione ſeu conſecratione Pontificis, vt Aimonius libr. 6. cap. 35. narrabat.

Carol. Craſ. Carol. Calu Arnulph. *anno* 896.

Craſſo Arnulphus ſuccedens, quandiù à Sede Apoſtolica nomen & inſignia Imperatoris non obtinuiſſet, titulo tantum Regis ſalutabatur; eo quod nefas omnes exiſtimarent, Imperatoris nomen alicui tribuere, niſi prius eſſet ab Apoſtolica Sede collatum, Formoſus Apoſtolicæ Sedis Præſul, ante Confeſſionem S. Petri illum coronauit, Imperatoremque renunciauit, vt Rheghino ſcripſit. Vidonem quoque Imperatorem, idem ipſe Formoſus, per idem temporis, & inunxit, & diademate ornauit: quemadmodum & Fulco Archiepiſcopus Rhemenſis, Conuentu Epiſcoporum & Procerum Rhemis indicto, ex authoritate eiuſdem Formoſi Carolum Simplicem, Francorum Regno legitimum ſucceſſorem, & pronunciauit, & ſacris ritibus adhibitis ſacrauit.

Tanti autem apud omnes ea ſacra, iunctionis cæremonia momenti fuit, vt cum Formoſus Lambertum Vidonis filium conſecrauiſſet, quam vnctionem poſtea Synodus Romana ſub Ioanne Nono comprobaſſet; Arnulphus autem illam necdum recepiſſet; quamuis Imperatorias functiones exerceret: nemo tamen illum in ſerie Imperatorum auderet reponere: quod id præſcripto canonum, & authoritati Apoſtolicæ aduerſarium iudicarent.

Ludou. IV.

Vidone & Arnulpho extinctis, Ludonicus Quartus contra Berengarium, à Stephano Septimo nomen, diadema, & poteſtatem Imperatoriam; ab eadem vnctione recepit; quo à Berengario tyranno oculis & imperio priuato, cum idem ille tyrannus ſummam rerum ambiret, eamque ab authoritate Pontificia pendere cenſeret, Romam cum exercitu venit, coronamque Imperij & vnctionem violenter ab Ioanne Nono extorſit. Eo recedente, vocatoque Lamberto Vidonis filio, conuocata Synodo, vtriuſque Regis iuribus examinatis, ex omnium Patrum ſententia, Lamberto imperium decreto, Berengario vero abrogatum, quod is legitime inauguratus à Pontifice Romano fuiſſet, hic autem coronationem per vim extorſiſſet.

Lambert. contra Berengar. *anno* 904.

Berengar. vnctionẽ & Imperij cõfirmat à Sede Apoſt. accepit.

Hęſit & Berengario idem de coronatione Pontificia ſenſus. Namque Lamberto in ipſo iuuentutis flore per fraudem necato, cum ab ambiendo imperio nec quicquam deſiſteret, & gratiam Pontificiam demereri curaret, collato tandem aduerſus Saracenos auxilio obtinuit, vt illum Ioannes X. ſacro Chryſmate delibutum, Imperio admouerit. Cœterum, & apud Orientales eadem prorſus fuit id temporis de poteſtate Pontificia, in Regibus inaugurandis ſententia. Nam vt Imperatores Orientis omiſerim, qui non prius Imperatorios ſpiritus præſeferebant, quam à Patriarcha Conſtantinopolitano inſignia ſimul cum vnctione recepiſſent, Simeon Bulgarorum Rex, pace cum Conſtantino Octauo confecta, ſtabilitaque, Regnum ſibi à Patriarcha Imperatoris tutore per benedictionem confirmari petijt, & Capitio pro corona, cum illa ad manum non fuiſſet, exornari ſuſtinuit; conſtantiſſima opinione, Regiam authoritatem in populum Chriſti ſanguine quæſitum, à Chriſti Vicario promanare. Pari animo eadem tempeſtate, in Occidente Ordonius filius Adefonſi Magni Rex Hiſpaniarum, conuocata Synodo duodecim Epiſcoporum, Sacram vnctionem qua vti Reges, conſueuere, ſolemni ritu accepit, ac Regiam in Baſilicam Cathedralem Oueti conuertit; vt vbi ſceptra Regia obtinuiſſet, ibi Deo laudes ſoluerentur; quod ipſe manibus Sacerdotum, collocet Reges in ſublimi.

Rex Bulgarorum. *Curopalat in Conſtan* 8.

anno 915. Ordon. Hiſpan. Rex.

anno 586. Cõſuetudo in Hiſp.

Manauit ea conſuetudo in Hiſpanijs, à temporibus Recaredi primi, vt Reges inungerentur, & à Sacerdotibus conſecrarentur; quin & lege octaui Concilij Toletani, cui duo & quinquaginta Epiſcopi, præter Vicarios abſentium & Abbates, vna cum Receſuintho Rege interfuerunt, ſancitum, Palatinorumque maiorum accedente conſenſu decretum eſt; vt Pontifices Hiſpani, quem Regi defuncto ſuccedere vellent, eligerent, eique rei aut in Vrbe Regia, aut in loco vbi contingeret Regem mori, comitia ab ipſis fierent: Iſque deinceps Rex haberetur, quem illi deſignaſſent, atque ex more recepto perunxiſſet. Apud Saxones & Francos Conrado Rege vita functo, cum Henricum Othonis Ducis Saxoniæ filium, à Conrado electum, Herigertus Archiepiſcopus Moguntinus inungere vellet, atque is, quod ſe vnctione indignum eſſe exiſtimaret, minime acquieſceret, diuinitùs in viſione Sancto Vdalrico Auguſtano Epiſcopo, S. Petrus Apoſtolus duos gladios, alterum quidem cum capulo, alterum ſine capulo oſtendit, vtque Henrico denunciaret præcepit; enſem qui ſine capulo eſſet ſignificare Regem qui ſine benedictione Pontificali Regnum teneret, capulatum autem qui cum benedictione poſſideret.

anno 653.

Viſio S. Vdalric. de Henr. Rege vnctionem detrectante.

in Vita S. Vdalrici.

Otthol Magn. nonniſi ab vnctione Regni & Imperij annos numerare voluit.

Ottho, cognomento Magnus, patri Henrico ſuccedens, nonniſi ab eo die, quo nouis comitijs confirmatus, ab Hildeberto Archiepiſcopo Moguntino ſacris ſolemnibuſque ritibus vnctus eſt ac coronatus, Regni ſui tempus, (quamquam à patre hæres eiuſdem Regni relictus fuiſſet,) numerauit; vt Rotgerus Monachus, in vita S. Brunonis, eiuſdem Otthonis Germani affirmabat. Addebat Frodoardus & cum eo Regino, non prius etiam Imperij annos numerare Otthonem eundem voluiſſe, quam ab Ioanne XII. Pontifice Romano, Romæ vnctus, coronatuſque eſſet, præmiſſo iureiurando, illis ipſis ſuperius adductis verbis concepto.

Ottho II.

Ab hac demum Apoſtolica vnctione, & benedictione, Imperator, & Auguſtus eſt conſalutatus: vt poſt Luithprandum, Otto Friſingenſis ſcripſit. Porrò Otto, non ignarus, à benedictione Pontificia Imperij titulum deſcendere, vt illum quoque Ottoni filio conciliaret, eundem ad Willelmum Archiepiſcopum Moguntinum, alioſque Germaniæ Principes miſit, qui in Italiam ducerent, ad Imperiales inſulas ſuſcipiendas. Venit proinde is Romam anno Chriſti 968. atque ab Ioanne Decimotertio ſolennibus modis coronam, & functionem imperialem Auguſtalem accepit, vt Sigebertus affirmat. Ottone Secundo mæ-

Otto III. à nomine Imperatorio abſtinet donec à Pont. inauguratus ſit.

rorę extincto, qnamuis ex ſententia Comitij Veronenſis, Ottho Tertius in regnum ſucceſſiſſet, non tamen prius Rex eſt conſalutatus, quam Aqniſgrani diademate orneretur, quo tandem ornatus, & Regium nomen adeptus, eoqne tantum contentus, nomine Imperatorio abſtinuit, & annos imperij, non à tempore, quo patri Imperatori ſucceſſerat, numerauit; ſed ab eo potius, quo à Gregorio V. ad annum Chriſti 995. inauguratns fuit, vt Lambertus, Glaber, Odoramus, & veteres Chronographi meminerunt.

Henr. I. & eius vxoris vnctio, & coronatio Romæ.

Ottoni Tertio, Henricus eius nominis I. ſnccedens, quanqnam anno Domini 1002. à Willigiſo Tertio Archiepiſcopo Moguntino, in Regem Germaniæ inauguratus fuiſſet, non niſi tamen vndecimo poſt anno Imperatoris nomen aut præſeferebat, aut in edictis publicis ſcribebat, quo ſcilicet, Romæ à Benedicto Octauo Pōtifice Maximo, ante Principis Apoſtolorum aram inſignia Imperij, vnà cum Chunegunda Auguſta ſuſcepit. Ditmarus memorabat; *lib. 7.* Antequam Henricus in Baſilicam introduceretur, interrogatus à Pontifice, *Si fidelis vellet Romanæ patronus eſſe, & defenſor Eccleſiæ, ſibi autem, ſuiſque ſucceſſoribus per omnia fidelis*; deuota profeſſione reſpondit, & tunc ab eodem iniunctionem, & coronam cum coniuge ſua ſuſcepit; ſuſceptam verò priorem ſuper altari Principis Apoſtolorum ſuſpendi præcepit; ingenuè profeſſus, ſe à poteſtate Pontificia, Imperium recipere.

lib. 5.

Glaber addit, præceſſiſſe huiuſmodi decretum; *Vt ne quiſquam audacter Imperij Romani ſceptrum præproperus geſtare Princeps appeteret, ſeu Imperator dici, aut eſſe valeret: niſi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegiſſet aptum Reipublicæ, eique commiſiſſet inſigne Imperiale.* Addit præterea idem Glaber, Benedictum Pontificem pomo aureo gemmis ornato Crucem auream ſuperimpoſuiſſe, ac inter cætera Imperij inſignia Henrico dediſſe; vt recens creatus Imperator intelligeret, ſe à manu diuiniore, procurante Chriſti Vicario, auctoratum eſſe. Henrico ſine prole deſuncto, cum Principes Regnū Germaniæ Conrado ex Wormaciæ ducibus detuliſſent, eius electionis confirmationem ab Ioanne XX. Pontifice poſtularunt, & nonniſi hac conditione impetrarunt, vt is ſuſcepto Germaniæ ſceptro, Romam quantocius pergeret, Imperij diademate coronandus.

Venit tandem ſub annum Domini 1027. atque ipſa die ſolennitas Paſchalis, feſtiuo ritu à Pontifice inauguratus, tunc primum imperij nomen vſurpauit, & litteris publicis ſubſcribere cæpit; vt idem Glaber tradidit. *Conrad. I. lib. 6. cap. 19.* Tunc etiam primum idem Conradus, vt Ottho Friſingenſis addit, duos inter Regis, Canutum Anglorum, & Rudolphum Burgundionum procedens, ab omni populo Romano Imperatoris, & Auguſti nomen ſortitus eſt. *Henr. fil.* Conrado viuente Heuricus filius in Regni Germaniæ adminiſtrationem aſſumptus, ſatis habuit ab Aquiſgrauenſi vnctione, ſi Rex Germaniæ audiret. Porrò vt etiam Auguſtali nomine ſalutaretur, Romam, anno 1046. contendit: indidemque illum, & Agnetem coniugem Clemens Secundus imperiali benedictione ſublimauit; vt Hermannus eius temporis auctor, ſcripſit, Conabatur id temporis Ferdinandus Magnus Caſtellæ, ac Legionis Rex titulum Imperatoris ſibi vſurpare, & eapropter Henrico Imperatori aduerſari. *Ferdin. M. Rex Caſtellæ cauſa cadit in Iudicio contra Henr. Imp. coram Sed. Apoſt.* Cæterum controuerſia à Concilio Turonenſi ad Victorem Secundum delata, iudicioque hac de re apud Sedem Apoſtolicam inſtituto cauſa decidit; quod numquam id honoris à quoquam Romanorum Pontificum, quorum eſſet Imperatores inaugurare, acceperit, vt poſt alios Scriptores rerum Hiſpanicarum Ioannes Mariana denarrabat.

Abſque hoc Pontificio decreto, Henricus Imperator, nec filinm quidem Henricum Regem Germaniæ eſſe ſuſtinuit; cùm eiuſdem Victoris Secundi, cæterorumque Præſulum, & Principum electione illnm Regem conſtituiſſet, vt Hermannus, & Marianus affirmabant.

Henr. III.

Cæterum idem Henricus Tertius gnarus neminem haberi Imperatorem Romanorum, niſi quem Romanns Pontifex conſecraſſet: cùm iſtud Auguſtalis honoris nomen à Gregorio Septimo legitimo Pontifice conſequi non potuerit, Guibertum Antipapam Sedi Apoſtolicæ per vim intruſit, vt ab eo ſolenni ritu Imperator inaugararetur. Cnmque coronam non gloriæ, ſed confuſionis, non benedictionem, ſed maledictionem, non conſecrationem, ſed execrationem, ab execrando, maledicto, damnatoque ſchiſmatico accepiſſet, voluit tamen videri Imperator, vel hoc ſolo titulo, quod ad Pontificem Romanum, adque Sedem Apoſtolicam pertineret, ius Imperij tribuere, vel probare, vt Bertholdus, eius temporis Scriptor aſſignauit.

Duos & viginti annos, legitimis Pontificibus aduerſus, cùm tandem varijs calamitatibus conflictatus, ad mentem redijſſet, ſeque non iuſto titulo, ſed per ſummam vim titulos imperiales vſurpaſſe cognouiſſet, coram Paſchalis Secundi Papę Legatis, in Comitio Moguntino, Crucem, Lanceam, Sceptrum, globum, atque coronam Auguſtalem depoſuit, eademque imperij inſignia filij poteſtati tradidit, qui quidem neque priuata authoritate, neque Principum perſuaſione ea ſibi arrogare ſuſtinuit; ſed ab eodem Paſchali Secundo ſibi conferri flagitauit, Legatoſque miſit.

quærens vt ius ſibi regni.
Concedat, ſedi ſanctæ cupit ipſe fidelis
Eſſe velut matri ſubijci ſibi vel quaſi patri?

hiſt. Eccleſ. anno 1105. 1108 1110. 1111.

Diadema etiam Imperij ab eodem Paſchali Pontifice poſtulauit: Cumque is recuſaret, quod Henricus libertati Eccleſiæ iniurius eſſet, tandem eum vi adegit, qui diadema Imperatorium imponeret, & ſacra vnctione perfunderet, ſcilicet, & ipſe agnoſcebat, neminem Imperatorem Chriſtianorum poſſe eſſe atque appellari, niſi quem Pontifex Romanus conſecraſſet. Henrico morte ſublato, Lotharius Dux Saxonum, ab electione Principum in Regnum Germaniæ ſuccedens, & à Friderico Archiepiſcopo Colonienſi, apud Aquiſgranum conſecrationem, & ab Honorio Secundo Romano Pontifice confirmationem *ann. 1125.* Regiæ dignitatis poſtulauit, & totis octo annis nomine tantum Regis contentus, Imperatorium numquam, præſcripſit; donec ad annum Domini 1133. Innocentius Secundus in ſedem ſuam ab eodem reſtitutus illum in Baſi- *lib. 7. cap. 18.*

lica

lica Lateranen. perunxiſſet, vt Ottho Friſingenſis adnotauit. Conradus pariter Lothario ſuccedens, in Regem Romanorum à Theodino Epiſcopo Cardinale Sedi Apoſtolicæ Legato vnctus, totis 13. annis, quibus ſummæ rerum præfuit, nomine tamen Regis Romanorum præſcripſit; quod numquam à Sede Apoſtolica inſignia imperij ſuſcepiſſet, quin & Fridericus Ænobarbus, poſt Conradum, in Regem Romanorum inunctus, amplius quam tribus annis ab Auguſtali nomine abſtinuit: nec niſi Regem Romanorum ſcripſit: donec ab Hadriano Quarto in Baſilica Apoſtolica, coronam, aliaque imperij inſignia accepiſſet: vt Ottho Friſingenſis memorabat.

In vita Friderici.

Malè tunc aliquos pſeudopoliticos Principes habuit, quod Hadrianus Friderico ſcripſiſſet, ſe illi dignitatis, & honoris plenitudinem, coronamque imperialem contuliſſe: quodque à nonnullis Romanorum & dici, & ſcribi ſcirent, Imperium Vrbis, & Regnum Italicum, donatione Pontificum Reges Germaniæ poſſediſſe. Cæterum illa arrogantia tumentes, in ipſo limine errabant: minuſque præfractè, quod luce meridiana clarius fuit, negabant; ſcilicet idipſum, ipſoſmet Imperatores profeſſos ſemper fuiſſe: cùm non aliunde quàm à Romanis Pontificibus coronam imperij poſtularent, impetrarent, obtinerent: atque Pontifices Romani, tum confirmarent, tum inaugurarent, tum ſummæ rei admonerent electos. Quamobrem & Hadrianus datis ad Epiſcopos, & Proceres Germaniæ litteris, eos admonuit, vt quoniam in his non tantùm modo Romanæ, ſed omnium Eccleſiarum cauſa ageretur, quinimo & omnium Chriſtifidelium in imperio res verteretur; ſeſe murum pro domo Domini opponerent, & iura populi Chriſtiani Romano Pontifici commiſſa tuerentur: ne quis à pernicioſis iſtis Aulicorum ſermonibus, inuito populo, & Romano Pontifice, imperium in poſterum exambiret, ſeque citra electionem legitimam, & præter conſenſum Seruatoris Imperij, intruderet.

Radeuicus in hiſt.

Furijs inuectus Fridericus, non potuit ferre, quæ Hadrianus citra faſtum præſcripſerat. Ex Epiſcopis quoque Germaniæ, qui erant apud Imperatorem, nemo fuerat, qui pro æquitate, & libertate Eccleſiaſtica exurgeret: ſed fere omnes, vel amore in Germanũ Principem, vel timore, in tranſuerſum acti, quod vel aſſentatores dixiſſent, vel Fridericus geſſiſſet, excuſarunt, idque libertatem Imperij eſſe affirmarunt, adeoque magis ac magis Fridericum in Pontificẽ inflammarunt. Quem ne amplius irritaret Hadrianus, ſed locum iræ, quamquam iniuſtæ, ad tempus daret: non quidem negauit, *Pontifices Romanos, coronam, & Imperium electis conferre*: ſed verbum *dare & beneficium* explicauit: affirmauitque, à Principibus Imperij, communibus ſuffragijs in Imperatores deſignatis, Pontifices Romanos ex bono facto, diadema imponere, & electionem confirmare: neminemque Imperatorem à Magni Caroli temporibus, aut fuiſſe, aut dictum eſſe, quem Romanus Pontifex non iniunxiſſet. Agnouit iſtud ipſum is ipſe Fridericus Ænobardus, cùm Lucium Tertium anno Imperij ſui 31. vt filium eius Imperatorem coronaret, perurgeret, cui tamen Lucius pro ſuo iure reſpondit; *non poſſe ſimul duos Imperatores regnare, neque filium coronari, niſi prius pater coronam depoſuiſſet*.

Ita Romano Pontifici certum ius confirmandi Imperatores, & Imperator vidit, & Lucius Pontifex aſſeruit, & Henricus filius perſpexit, cùm aliquot poſt annis, audita morte patris, ad Clementem Tertium, & ad Cardinales, Senatoreſque Vrbis Romæ, Nuncios deſtinauit, petens Romanum imperium, & promittens ſe in omnibus leges, & dignitates Romanorum ſeruaturum illæſas.

Clemens verò habito cum Cardinalibus, & Senatoribus conſilio, Regi quod petebat, ſaluis dignitatibus, & conſuetudinibus Romanorum conceſſit, & diem pro inauguratione deſignauit, quo, cùm Romam Henricus, Clemente iam vita functo veniſſet, Cæleſtinus Tertius ſucceſſor ad gradus Baſilieæ S. Petri ab eo Sacramentum recepit, deinde in Eccleſiam introduxit, ſacro oleo perunxit, & diadema capiti inclinis impoſuit, vt Gotefridus Viterbienſis, qui vidit, tabulis inſcripſit. Iureiurando Henricus ſpondebat, quod *Eccleſiam Dei, & iura Eccleſiaſtica ſeruaret illæſa, rectam iuſtitiam faceret, & patrimonium Beati Petri in integrum reſtitueret*.

Hen. Frid. fil.

A morte Henrici, cùm pars electorum Otthonem Saxoniæ Ducem, pars Philippum Germanum Sueuiæ Ducem Imperatorem optauiſſet; Otho rebus prælatus eſt; quod Innocentius Tertius electionem eius probaſſet, & ſacro vnguine Caput electi imbuiſſet. Otthone deiecto, cùm Fridericus Secundus ab Electoribus deſignatus fuiſſet, etiam à Romano Pontifice voluit inungi, quem poſtea alij ſecuti, nempe Henricus Septimus, Carolus Quartus, Venceslaus Primus, Sigiſmundus Primus, Fridericus Tertius, & Carolus Quintus, Pontificiam conſecrationem expetierunt, & ab eadem titulum Imperatorum, & Auguſtorum, citra adiunctam aliquam conditionem præſcripſerunt, quam qui vel neglexiſſent, vel non obtinuiſſent, Imperatoris quidem nomine, ſed electi dumtaxat tantùm, ſi legitimè electi, audierunt: neque tamen conſecrationem in Regnum Germaniæ intermiſerunt, ſed humiliter capita ſacris manibus ſubmiſerunt; vt teſtatum Orbi facerent, ſe à diuiniore vnctione poteſtatem ſuper Chriſtianum populum accipere; inque auctoritate Summi Pontificis eſſe, Reges Chriſtianos dicere, atque renunciare. Sane quam diuerſi populi, vbi nomina Chriſto dediſſent, Regios titulos à Sede Apoſtolica poſtularunt, adeoque impetrarunt.

Ottho. Frid. II. Henr. VII. Carol. IV. Carol. V.

De Polonorum Principe Miecislao, Cromerus refert, quod is Lambertum Archiepiſcopum Cracouienſem ad Benedictum Septimum Pontificem Romanum miſiſſet, vt regium diadema ſibi concederet, Regemque Polonorum ſe, & poſteros ſuos eſſe iuberet. De Hungarorum Principe Stephano, Bonfinius narrat, quod cùm is bello contra Cupam pro Chriſtiana fide inito Victor euaſiſſet, Aſtricum virum ſanctitate conſpicuum Romam ad Summum Pontificem mittendum eſſe cenſuit, vt à Chriſti Vicario in Vngaros, qui eius fidem nuper iniuerant, Apoſtolicam benedictionem imploraret, & inter oues Petri adnumeraret; deinde, quando poteſtas omnis à

lib. 3. de reb. Polon.

lib. 1. dec. 2. de reb. Hung.

Deo

Deo eſt,& maxima čapta ſiue diuina ope confirmari nequeunt, Regalia inſignia cum Pontificia benedictione aſſequeretur.

Iam Gregorius Octauus Demetriū Ruſſorum,& alterum Demetrium, Croatiæ, Dalmatiæque, Innocentius Secundus, Rogerium Siciliæ, Alexander Tertius, Alphonſum Primum Portugalliæ, Cæleſtinus Tertius, Leonem Armeniæ, ex Ducibus Reges crearunt, Regnorumque titulos ijs prouincijs aſcripſerunt: adeoque Regna crexerunt: deinde eius dignitatis à Sacra poteſtate deriuationem, in Epiſcopos, vel Primates, qui vngerent & Reges crearent, retulerunt. Ex quo Reges,quaſi à populis, & communitati ciuili conſtituti, ſiue ex traduce in regulam ſuccedentes, tamen numquam intermiſeruut inaugurationem ſuã, ex formula à Sede Apoſtolica præſcripta ab illis deſignatis accipere, ſcilicet Rex Franciæ ab Archiepiſcopo Rhemorum ex inſtitutione Hormiſdæ Poutificis: Rex Angliæ ab Archiepiſcopo Cantaurien. ex Adriani Tertij priuilegio: Rex Scotiæ ab Archiepiſcopo S. Andreæ,ex conceſſione Vrbani Secundi Rex Germaniæ à Moguntino, Boemiæ à Pragen. Poloniæ à Gneſnen. Hungariæ à Strigonien. Sueciæ ab Vpſalen. Daniæ à Lunden. Aragonum à Taraconen. Caſtellæ à Toletano, Luſitaniæ à Portugalen. alij à ſuis Primatibus, vt earum regionum ſcriptores proprij Æmilius, Dubrauius, Naucleras, Cromerus, Bonfinius, Magnus, Saxo, Gomeſius, Rodericus, Mariana, & alij teſtantur. Harum rerum ſciens Mindacus Lituanorum Princeps, ab Innocentio IV. diadema regium flagitauit, quod etiam audiret, Danieli Ruſſorum Principi ab eodem Pontifice ſubmiſſum fuiſſe; neque quenquam inter Reges Chriſtianos, ſiue in Concilijs Generalibus, ſiue in Comitio Reipublicæ Chriſtianæ, ſiue in Sacello Pontificio, ſiue in eiuſdem, quod vocant, Conſiſtorio, locum habere, qui ab hac ſacratiore poteſtate non inunctus, aut inter oues Chriſti non aſcriptus.

Sedes Apoſ. certos Epiſ. vel Primates ſubſtituit ad Reges vngendos & creandos.

CAPVT XLV.

Pontifex Romanus, Iudex, & Arbiter Orbis.

PEſſimè actum fuiſſet cum Orbe Chriſtiano, ſi ad dirimendas partium quæſtiones, tum cùm vel inter capita populorum, vel inter Principem, ac populum vel Sacerdotes, controuerſia aliqua incidit, Summus veri Iudex, & arbiter, in cuius iudicio omnes acquieſcerent, defuiſſet. Nou eo caruit vetus Synagoga. Namque Summum Pontificem à diuina inſtitutione habuit, ad quem Principes populorum, & reliqui fratres, ſi quid ambiguum accidiſſet, deferrent, & in cuius arbitrium ſtatuenda reijcerent.

Summ. Põt. in vet. Synagog. Iudex, & arbiter à Deo conſtitutus.

Deut. IV.

Pluſquam vulgata eſt illa ſanctio; *ſi difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram: & iudicium inter portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad IVDICEM, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui PRÆSVNT loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit noles obedire SACERDOTIS imperio, qui eo tempore miniſtrat Deo tuo, & decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia*, ſcilicet Supremum Sacrorum præſidem, etiam ſupremum omnium iu rebus dubijs iudicem deſtinabat: vt ſi quid ambigui, iuter Principes, vel inter eos, & Sacerdotes, aut populum pro tempore emergeret, ille, qui Paſtor populorum, qui legis diuinæ, & humanæ cuſtos, & interpres, qui cunctis infra ſe vt maieſtate ita, & auctoritate ſuperior, arbitrio ſupremo decerneret, finemque omnibus controuerſijs imponeret. Non deteriore conditione eſſe debuit, Summus Legis nouæ Antiſtes, cui, quod omnes Ouilis Dominici oues, & agni, ſcilicet omnes Chriſtifideles, ſiue Reges, ſiue Proceres, ſiue populi ad paſcendum à Chriſto dati: ex officio intereſt, arbitrari inter omnes: vt verus ſit illius Vicarius, qui aliquando dixit: *Ecce ego iudico inter pecus, & pecus, arietum, & hircorum: inter pecus pingue, & macilentum. Saluabo gregem meum, & non erit vltra in rapinam, & iudicabo inter pecus, & pecus.*

Iudiciaria poteſtas in omnes Reges,& Principes à Patre Chriſto in Summos Pont. eius Vicarios transfuſa.

Præiuit exemplo Chriſtus, qui inter Primores Hebræorum, ac mulierem in adulterio deprehenſam, iudicium exercuit. Secutus Chriſtum Petrus Vicarius, Ananiam, & Sapphiram ad ſubſellia ſua venientes caſtigauit. Secuti primitiuæ Eccleſiæ morem ſubſequentes Chriſtiani, non ad alium quam ad Romanum Antiſtitem controuerſias, quàm difficillimas, quas inferioris ſubſellij iudices vel neſcirent, vel nequirent dirimere deferebant: adeovt etiã apud Gentiles, Romanorum Pontifex, Chriſtianorum Iudex, & Arbiter haberetur. Aurelianum Imperatorem idolorum cultui deditũ, iſtud toto Orbe vulgatum non latuit. Quamobrem controuerſiam inter Chriſtianos Antiochenos, de Eccleſiæ poſſeſſione exortam, quam Synodus Antiochena dirimere non potuit, ad Dionyſium Romanum reiecit: illiſq; Baſilicam adſcripſit, cui Summus Pontifex addixiſſet, vt memorabat Euſebius.

Philippus quoque Primus, ex Chriſtianis Imperator, cum aliquid poſt baptiſma ſuſceptum deliquiſſet, à Fabiano Papa iudicari, & à Sacramentorum communione tempore Paſchatis reijci ſuſtinuit: magnæ pietatis exẽplo Imperatoribus ſecuturis, ne iudicium illorum refugiant, quorum *arma non ſunt carnalia, ſed Deo potentia, ad faciendam*, quod habet Pſalmiſta, *vindictam io nationibus, & increpationes in populis; ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conſcriptum. Tales enim compedes, conſolidat Epiſcopi manus*, inquit Auguſtinus, cum lege decernit, aduerſus Reges contra Deum quoquomopo inſurgentes, & à recta viuendi ratione, atque diſciplina Chriſtiana deſciſcentes. Non refugit Conſtantinus Magnus Imperator ſacerdotale iudicium; quod ſciret duxiſſe illud originem, & accepiſſe authoritatem à Chriſto: qui Rex ſimul

Lib. 7. hiſt. c. 24.

Euſeb. lib. 6. c. 27.

nul, atque ſacerdos à Patre conſtitutus, & Regale ſacerdotium in Eccleſia conſtituit; & iudiciariam poreſtatem, quam à patre in omnes Reges terræ, ac Principes Orbis, vt eos in virga ferrea regeret, acceperat, in ſuos, cùm eos ſicut ipſe fuit miſſus mitteret, transfudit; Principeſque ſuper omnem terram, vt ſederent in iudicio: vt regerent omnes gentes in eadem virga directionis: vt paſcerent, docerentque omnes in charitate, & manſuetudine; vt labia eorum cuſtodirent ſcientiam, vt omnes legem de ore eorum requirerenr, audirent, & acciperent, pro ſe Vicarios eſſe voluit; atque neminem Regum, ac Imperatorum, quamdiu inter oues eius Ouilis cenſentur, à virga paſtorali Propaſtoris principis paſtorum exemit.

Quamobrem, & ſuum de Cæciliano, & Athanaſi decretum, iudicio Silueſtri Pontificis ſubmiſit; & lege lata, vt Sozomenus memorat, poteſtatem omnibus fecerat, non ſolùm pro Eccleſiaſticis controuerſijs, ſed etiam pro ſecularibus cauſis, & ciuilibus diſceptationibus, ad Epiſcopale iudicium, reiectis Imperialibus, ciuilibuſque magiſtratibus prouocandi, quorum Epiſcoporum ſententiam, aliorum quorumcumque iudicum, præſidumque ſententijs præualere, adeoque, ac ſi ab ipſo Imperatore prolata eſſet, ratam, æternamque eſſe iuſſit; addita ſanctione, vt magiſtratus Epiſcoporum iudicia exequerentur, & milites eorundem voluntati inſeruirent. Eam legem, vel iniuria temporis, vel malitia hominum antiquatam, Imperator Honorius ſucceſſor reſtituit: Theodoſius autem exemplo ſuo ſauxit: cùm iudicium Ambroſij Mediolanenſis, in Cauſa Theſſalonicenſis Occidionis libens volens ſubijſſet. Addidit Honorius de iudicio Epiſcoporum edicere, vt id inuiolatum foret, quod ipſi decreuiſſent, neque cuiquam ab eorum ſententia appellare liceret. Quin & illud tolerauit, vt Magiſtratus ciuiles, ſi quid vel in Deum peccaſſent, vel iura Eccleſiaſtica violaſſent, vel contra æquitatem tranſegiſſent, iudicio Epiſcoporum ſubiacerent: quemadmodum Andronicus Præfectus prouinciæ Pentapolis Ægypti, per id temporis ſubiacuerat. Operæprętium eſt enarrare, quod accidit.

lib. 2. cap. 9.

lib. 7. de Epiſ. aud & lib. 9. de eodem.

Andronic. in Eccleſia contumelioſus ad Epiſ. iudiciũ vocatur ſentẽtiaque contra eum fertur ab ipſis.

Andronicus, quem dixi, præter horrendas crudelirates nouis tormenrorum inſtrumentis in ſubditos commiſſas, Eccleſiam, ipſumque Chriſtum Dominum ſepiſſimè factis, ac verbis contumelioſis publicè affecerat; atq; inter alia impijſſimum illud verbum aduerſus Epiſcopos ſibi obſiſtentes protulerat; *Quod nullus hominum Andronici manus effugere poſſet, etiamſi ipſius Chriſti pedem teneret.* Syneſius Ptolomaidis Epiſcopus re audita, hominem ad ſubſellia vocauit, omnibuſque in Synodo propoſitis, atque probatis. ſententiam ex hac formula pronunciauit. *Ptolemaidis Eccleſia ad omnes vbique terrarum ſorores ſuas hæc demandat: Andronico & ſuis nullum templum aperiatur; Omnis ſacer cœtus, omne ſacrum templum concluſum ſit. Non eſt diabolo portio in paradiſo. Qui etiamſi clandeſtinè ingreſſus fuerit, expellatur. Admoneo igitur, & priuatum quemquam, & Principem, vt neque ſub eodem tecto cum ipſo habitet, neque eadem menſa participet. Sacerdotes autem præcipuè, vt neque viuentes ipſos alloquantur, neque mortuos ſimul deducant. Si verò quis velut paruæ ciuitatis Eccleſiam reprobarit, & excommunicatos ab ipſa ſuſceperit, veluti neceſſe non ſit pauperi obedire; is ſciat ſe ſcindere Eccleſiam, quam vnam Chriſtus eſſe vult. Talis autem ſiue Leuita eſt, ſiue Presbyter, ſiue Epiſcopus, à nobis in Andronici ſorte locabitur, & neque porrigemus ipſi dexteram, neque vmquam de eadem menſa cum ipſo cibum capiemus. Multum autem abeſt, vt in arcano myſterio communionem habituri ſimus, cùm his, qui cum Andronico, & ſuis ſortem habere voluerint.* Perculit iſtud decretum Andronicum. Quapropter, & veniam enixè flagitauit, & ſatisfacturum ſe promiſit, & in partem pœnitentiæ, ab Epiſcopo tribunali, in quo multa in Deum, & homines deliquerat deiectus, ſeceſſit, Honorio, & Theodoſius Imperatot ſententiam Epiſcopis probantibus.

hiſt. Eccleſ. anno 412. ex Syneſij epiſt. 58. & 72.

Succeſſu temporis, conſtanti ſententia apud omnes Chriſtiani Orbis populos ſtabile permanſit, vt & ipſi Imperatores, ac Reges, ſi non ex grege à Chriſti ouili eſſe velint, ſique à Deo promiſſum cęleſte regnum conſequi optant, iudicium Eccleſiaſticum Apoſtolicæ Sedis non effugerent, neque refugerent: vel iniuriam paſſis, ad hoc immobile veritatis ſaxum accurentibus: vel ipſis Imperatoribus, ac Regibus, libenter, virgam ſummę directionis agnoſcentibus, Memoriæ proditum eſſe, refert Cedrenus, Hildericum Regem Franciæ, conſuetudine ſic obtinente, regnum per ſtirpem à maioribus ſuis ad ſe delatum, ita gerentem, vt nulli alij negotio, quam brutæ voracitati, atq; poculis intentus, Pręfectum aulæ Regiæ, omnium rerum gentis curam adminiſtrare ſiueret, ad ſubſellia Apoſtolicæ Sedis vocatum, iudicium Zachariæ Summi Pontificis ſubiuiſſe. Vt enim Ado Viennen. Archiepiſcopus in Chronicis ſcribit: Pipino, per Bruchardum Herbipolenſem Epiſcopum ad Sedem Apoſtolicam referente, Zacharias Papa, reſpondit, *Regem potius illum debere vocari, qui Rempublicam gereret; non qui à ſolita Regum fortitudine, & ſcientia degener, per ignauiam, & luxum omnia labi in deterius permittere.*

In vita Leonis Iſauri.

Neque id tantùm edixit, ſed etiam, vt Rhegino habet, ex ſacri Senatus ſententia ſanxit, iuſſitque vt Hildericus in ordinem redigeretur, & per auctoritatem Apoſtolicam Pipinus Rex crearetur: vniuerſo Regno Galliarum decretum Pontificium comprobante. Poſt aliquot annos, cùm Lotharius Rex Galliarũ, repudiata legitima vxore, Waldradam ſuperinduxiſſet, multorumque criminum reus, etiam alienis peccatis ſeſe commaculaſſet: eaque proprer cenſuram Apoſt. metuens in Conuentu Antiſtitum, ac Comitum, tribus Regibus præſentibus, quæ illi iuxta diuinas leges præſcripſerant, ſe adimpleturum promiſiſſet: iudicium tamen Sedis Apoſtolicæ ad extremum interpellauir. Nicolaumque I. rogauit, vt Synodum Metis celebrandam indiceret, ad quam Legatos à Latere mitteret; qui vnà cum Epiſcopis cauſam matrimonij ſui, aliaque cognoſcerent, atque iudicarent. Miſit ille Rodoaldum Epiſcopum Portuenſem, & Ioannem Ficodenſem, qui quod pecunia corrupti, præuaricaſſent, Nicolaus acta eorum reſcidit, in adulterij fautores ſententiam tulit, & Arſeniũ Epiſcopum, Legatum alium in Gallias ire iuſſit, qui Lotharium, varijs tergiuerſationibus iudicium Sedis Apoſtolicæ hactenus eludentem,

hiſtor. Eccl. anno 863. & ſeq.

tem, ad Waldradam pellicem eijciendam, ac Theutpergam recipiendam adduxit: tantumque effecit, vt Waldradam compulerit Romam ire, vbi Summo Pontifici redderet rationem.

Iam Lothario diuinitus extincto, cum Carolus Caluus, Regnum, iniuſte, Ludouico Lotharij fratri legitimo ſucceſſori eripuiſſet, & Carolomannum filium primo in vincula conieciſſet, deinde ex ſententia Epiſcoporum, clericalem vitam profiteri compuliſſet: Ludouicus Imperator, pro Ludouico nepote agens, Carolomannus vero pro ſeipſo, Hadriani II. iudicium interpellarunt: Hadrianus vero Legatos deſtinauit; qui cauſa cognita, & Ludouico Regnum, & Carolomanno libertatem decreuerunt. Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus, auſus eſt iudicio Sedis Apoſtolicæ obſtrepere, & Hincmarum nepotem Laudunenſem Epiſcopum, iura Apoſtolicæ Sedis aſſerentem, tum Epiſcopatu deijcere, tum in exilium eijcere, tum ad vltimum excæcare, Carolo Rege authoritatem ſuam interponente. Cęterum Laudunenſis, aduerſus Regem, & patruum, ad Hadrianum prouocauit, tantumque conſtantiſſima interpellatione profecit, vt & Carolus, & Hincmarus, iudicio Sedis Apoſtolicæ ſeſe ſubmiſerint. Decretũ ab Ioann. VIII. Pont. Max. & ad Epiſcopis in Concilio Trecen. vt Laudunenſis in Sedem ſuam reſtitueretur, & quamquam cæcus Miſſam celebraret; anathemate prolato in eos, qui prouocationem ad Romanum Pontificem aut impugnarent, aut impedirent, aut improbarent. Porro, non tantum ab Occidente, ſed etiam ab Oriente pronocatum eſt ad Apoſtolicam Sedem id temporis.

an. 869. & 870. — Francorum Reges. — *Annal. Francorum.*

anno 878. — Leo VII. Imp. — *hiſt. Eccl. his annis.*

Ad Annum Chriſti 901. Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Leonem VI. Imp. ab ingreſſu Eccleſiæ prohibuerat, quod quartam vxorem accepiſſet. Leo vero iudicium Ioannis IX. Romani Pont. appellauit; qui miſsis Conſtantinopolim Legatis cauſa accurate cognita, quartum matrimonium contractum comprobauit; ſententiamque Nicolai Patriarchę reſcidit. Iam in Occidente, cum Lambertus, & Berengarius de Imperij iure contenderent, Ioannem IX. eundem Interpellarunt; qui Romæ coacta Synodo, vtriuſque Regis iura examinauit, & Berengarij quidem coronationem tanquam vi extortam obrogauit, Lamberti autem legitimam iudicauit, anno Chriſti 904. Sub annũ etiam Domini 948. cum Ludouicus Rex Galliarum, cum Hugone Duce, de Regni poſſeſſione diſceptarent, neque Synodalibus Epiſcoporum ac Principum ſententijs acquieſcerent, ad Agapetum II. controuerſiam reiecerunt: qui Martinum Epiſcopum Legatum, rebus cognoſcendis definiendiſque præfecit; is autem Regnum, quod factione Hugonis, varijs nutabat tumultibus, Ludouico ſtabiliuit.

Lambert. & Bereng. — Ludouic. Rex Gall.

Robertus Franc. Rex *an. 998.*

Quinquaginta annis poſtea, cum Robertus Hugonis Francorum Regis filius, illicitum coniugium cum Berta commatre atq; affine ſua contraxiſſet, iudicium Gregorij V. ſubiuit, qui matrimonium illud diſſoluit, & in eo ſtabiliendo delinquentes Epiſcopos pænitentia caſtigauit. Iſtud quod adiungo, ex Septentrione Bretiſlaus Boemiæ Dux prædatoriam agens, infeſtis armis Poloniam ingreſſus, inter alias Eccleſiam Gheſnenſem ſacra ſuppellectile aurea, & argentea, necnon ſacris Diuorum pignoribus ſpoliauerat. Hunc Polonorum Epiſcopi ad Benedictũ IX. euocarunt, & reſtitutionis rerum ablatarum poſtularunt. Porro Benedictus ſacrilego diem dixit, & contra temeratorem ſacrorum, cenſuram Apoſtolicã exercuit, anno Chriſti 1039. Ex Hiſpanijs, & Germania eſt quod ſequitur Ferdinandus Magnus Caſtellæ, & Legionis Rex, nomen Imp. vſurpabat, & Imperatori Henrico obtemperare recuſabat.

Bretislaus Boemiæ Dux. — *Longinus in Chron. Polon.*

Ferdinand. Magn. Rex Caſtellæ. — *Marian. de rebus Hiſp.*

Henricus pro iuribus Imperij decretans, Victorem II. Pontificem interpellauit: is autem Legatos in Hiſpanias deſtinauit, qui cauſa cognita, ſecundum Imperatorem pronunciauerunt. Iſtud ex Anglia ad Nicolaũ II. cui S. Eduardus Rex Legatione miſſa, omne iudicium de rebus controuerſis deferebat, cum ſcripſiſſet, vt habet in eius vita Alredus; *Sũmo vniuerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorum Rex, debitam, & ſubiectionem, & obedientiam. Iuſtum iudicamus, apud vos velut ad ſolidam petram acuere, & probare omnes bonas actiones noſtras.* Ex Dania iſtud, quod Saxo Grammaticus hiſtoriæ Danicæ lib. 12. ſcripſit: Forte Hamburgenſis Antiſtes, ob inanes, & falſas ſuſpiciones Ericum Regem execratione multandum cenſuerat. Quod veritus Rex appellatione ſententiam præcucurrit, Romamque è veſtigio petiuit; vbi cauſæ ſuæ examine diligentius habito, Pontificis accuſationem potenter depulit, cunctiſque defenſionis partibus actore ſuperior redijt.

S. Eduard. Anglorum Rex. — Ericus Rex Daniæ.

De Henrico Germaniæ Rege & eius flagitioſa vita.

Quo etiam tempore, cum Henricus Germaniæ Rex Bertam vxorem repudiare vellet, Principes, & Epiſcopi, Alexandrum II. interpellarunt, qui Synodum ea de cauſa indici iuberet, & de tota re cognoſceret. Miſit Alexander Petrum Damiani, qui in Synodo Moguntina, auctoritate Pontificis diſcidium fieri prohibuit, & Epiſcopo Moguntino Apoſtolicæ animaduerſionis ſententiam minatus eſt, quod tam nefariæ ſeparationis ſe authorem promiſerit. Ad hæc renunciauit, Pontificem ſuis manibus numquam conſecrare velle, qui tam peſtilenti exemplo, quantum in ſe eſſet fidem Chriſti perdidiſſet atque prodidiſſet. Hæc ſententia Principibus adeo placuit, vt dicerent, æqua cenſere Pontificem Romanum. Ita fractus magis, quam inflexus Rex, ab incepto abſtinuit: vt Schafnaburgenſis anno Domini 1069. memorabat.

Chron. lib. 3.

Marianus Scotus addebat, quod viri Catholici multa nefanda, & inaudita Regis Henrici flagitia videntes, directis nuncijs ad Alexandrum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, hæc ei tam litteris, quam viua voce conqueſti ſunt. Ad quæ, vt reſponderet Henricus, vt Otto Friſingenſis narrat, Annonem Colonienſem, & Hermannum Bambergenſem Epiſcopos Romam deſtinauit; qui reuertentes, ab Vrbe, litteras ſummi Pontificis retulerunt, Regem ad ſatisfactionem pro Simonia, alijſque multis quę ei obiecta fuerant inuitantes. Cumque is peiora prioribus adderet, & adoleſcentiæ vſus libertate cępiſſet Principes deſpicere, nobiles opprimere, venatui, luſibus, cæteriſque huiuſmodi, vt Abbas Vrſpergenſis narrat, exercitijs, pluſquam iuſtitijs faciendis operam

lib. 6. cap. 34.

cam date, filias illuſtrium quibuslibet obſcure natis coniugare; ſtupris, vt Auentinus addit, amotibus, impudicitiæ, & adulterij infamia flagrare, Epiſcopatus, & Abbatias vendere: Etenim, vt apud Trithemium, Stephauus Halberſtatenſis Epiſcopus, ad Vvalramum Epiſcopum Naumbtugenſem ſcripſit, Conſtantienſem, Bambergenſem, Moguntinenſem, & plures alias Eccleſias pro pecunia: Ratiſponeuſem, Auguſtenſem, & Strasburgenſem, pro gladio; Abbatiam Fuldenſem pro adulterio; Monaſterienſem veto Epiſcopatum, quod dicere, & andire nefas eſt, pro Sodomitica immunditia vendidit; alijſque grauiſſimis flagitijs ſeſe contaminauit; Principes Catholici non amplius ferentes tantam Regis in omne ſcelus effrenis licentiam, Gregorio VII. Pontifici Romano omuia detulerunt.

Chron. anno 1075.

Gregorius autem, vt Marianus narrat, quærimonijs, & clamoribus iuſtis Catholicorum aduerſus Henricum, & ſcelerum eius immanitatem auditis, zelo Dei accenſus, iam dictum Regem, maxime propter Simoniam excommunicarum pronunciauit. Quod factum Catholicis quidem viris benè placuit, Simoniacis vero ac fautotibus Regis nimium diſplicuit. Cūque Henricus, Conuentu apud Vvormatiam indicto, in Gregorium Pontificem, furijs innectus, ſententiam dicere præſumpſiſſet, vt Schafnaburgenſis addit, Teutonici Principes Henrici flagitijs commoti, Papam inuitarunt, vt Auguſtam veniret ad diſcutiendam Regis cauſam. Nanque eodem tempore, Vtonis Epiſcopi Treuerenſis auctoritate adducti, optimi quique à Palatio ſeſe ſubtraxetant: maxime quod viderent, Altmannum Patauienſem Epiſcopum magnatum in Chriſto virtutum, & Patriatcham Aquileienſem à Pontifice miſſos, vt omnibus per Gallias conteſtarentur, iuſtis de cauſis excommunicatum eſſe Henricum, & ad alium Regem eligendum, Apoſtolicæ auctoritatis ſuffragium pollicerentur.

Excōmunicatur à Pōt.

Pontifici occurrit.

His anguſtijs Rex concluſus, Romano Pontifici apud Canuſium occurrit. Et quoniam pænitentia eius vera eſſe non credebatur, ægre, poſt tridui expectationem his conditionibus abſolutus eſt, vt certo die, & loco ad Generale Concilium præſto eſſet, accuſationibus quæ à Teutonicis Principibus intenderentur, teſponſurus. Rex promiſit, & alij aliquot Principes ſub iureiurando confirmatunr, hoc eum facturum. Quum enim, vt Lambertus narrat, tergiuerſari videretur, & Priucipes contra neſaſtum arma ſumpſiſſent, Legatos ad eum miſerunt, qui ſignificarent, ſe his conditionibus inducias ei conceſſuros, ſi Romano Pontifici per omnia ſubditum ſe, dictoque obtemperantem fore ſponderet, & criminum ſuorum cognitionem eius iudicio permitteret; cum quo ipſi acturi eſſent, vt ad diem Purificationis SS. Virginis Auguſtam occurreret, ibique celeberrimo totius Regni Principum habito conuentu, diſcuſſis vtrarumque partium allegationibus, ipſe ſuo iudicio vel abdicaret, vel abſolueret accuſatum, hinc autem ſe capturos experimentum, vtrum oblatam conditionem libenter acciperet, ſi omnes quos Papa excommunicaſſet protinus ab ſe ablegaret, ipſeque Spiram ſecēdens cum ſolo Epiſcopo Vrdunenſi, pauciſque miniſtris, priuatam interim vitam ageret; nullis Regiæ dignitatis inſignibus vteretur; nihil de publicis negotijs diſponeret, nullamque Eccleſiam, vſque ad Synodicam cauſæ ſuæ examinationem ingrederetur; ac de his omnibus Sacramenta, & obſides daret. Si quid videlicet eorum præuaricaretur: vel ſi poſt diem anniuerſariam excommunicationis ſuæ, ipſe ſuo vitio inabſolutus permaneret: tunc abſque retractione in perpetuum cauſa cecidiſſe cenſeretur, ipſique omni in poſterum erga illum iuriſiurandi religione liberati, alium ſibi Regem poſſent ſufficere.

Cōditiones ipſi à legatis Pont pro abſolutione propoſitæ.

Sciebat Henricus, quantum illi intererat, ſi vel in Germania cauſam dicere deberet, vel ante anniuerſariam diem diris exſolueretur. Quamobrem in Italiam voluit properare, & Pontifici indidem occurrere, & abſolutionem ſupplex flagitare, quam tantum nouniſi hac conditione obtinuit, vt die & loco quemcumque Pontifex deſignaſſet, euocatis ad Generale Concilium Teutonicis Principibus præſto eſſet, & accuſationibus quæ intenderentur reſponderet: & ad Pontificis ſententiam, vel retineret regnum, ſi obiecta purgaſſet: vel amitteret, ſi probatis criminibus Regio honore indignus decerneretur. Huic conditioni, cum Rex non contradixiſſet, ſed iudicium Summi Pontificis ſubire neceſſe habuiſſet: non deerant male ſani Polyticorum anteſignani, qui cauillarentur, criminarenturque Henricum, quaſi fœdiſſima ſubiectione maieſtatem Regiam deieciſſet, contaminaſſetque.

Conditio cum qua abſolutionem à Pont. obtinuit.

Cæterum ſanioris partis Pontifices Germaniæ, & Principes, Iudicem Supremum omnium Chriſtianorum, etiam Regnum, & Imperatorum, Romanum Antiſtitem agnoſcentes, Gregorium, vt ad diem condictam reum adeſſe iuberet, criminationeſque prolatas cognoſceret, & ſecundum æquitatem ius diceret interpellabat: tantique præuaricationem Henrici eſſe exiſtimabant, vt nouum Regem Rudolphum Ducem Sueuiæ eligere non dubitauerint: que Henricus multis ſceleribus infamis, iudicium Sedis Apoſtolicæ ſuffugeret, adeoque ſe Regno indiguum oſtenderet, vt Lambert. fidiſſimus Scriptor, ad memoriam poteſtatis, conſignauit. Quin, & Conrad. Henr. filius, & Adelaides eiuſdem Regis vxor, ille, quod eum pater non ſuum eſſe filium dixiſſet, & ad nouercæ complexum ſollicitaſſet, ac ſcelus exhorrentem multis calamitatibus afflixiſſet, hæc autem quod eam carceri concluſiſſet, & plurimos vim ei inferre compuliſſet, non ad alium iudicem, quam Vrbanum II. accurrerunt, qui Synodo 200. fere Patrum Placentiæ congregata, Impij Regis vxore aſtante, multaque neſanda in illum ad aures totius Synodi teſtificante, omnibus rite examinatis, iudicium exercuit, ſententiamque dixit, vt Veſpergenſis, & Dodechinus narrat.

Rodulph. Dux Sueuiæ eligitur in Regem loco Henrici Iudicium Sed. Apoſt. ſuffugientis.

Filij, & vxor Henr. Reg. ad Pōt. contra Patrem prouocant.

Præter Conradum, etiam Henricus alter filius, ad Paſchalem II. contra patrem prouocauit. Qua re permotus Senior, cum videret omnes plane à ſe deficere, & ipſe ad eiuſdem Pontificis ſubſellia appellauit: Is vero Richardum Albanenſem, & Gabehardum Continienſem Epiſcopos Legatos Conuentui Moguntino Epiſcopotum, & Procerum præfecit: quibus Henricus apud Ingelheim occurrens,

Henr depoſitis Imperij inſignibus iudicium Rom. Pont. expectat.

reatum ſuum confeſſus eſt, & ſatiſfactionem promiſit: ac denique, cum ei Legati abſolutionem abſque Generalis Synodi, & Apoſtolicæ Sedis diſcuſſione impertiri ſe poſſe negarent, ipſe vtriuſque partis conſilijs acquieſcẽs, depoſitis Imperij inſignibus, Summi Pontificis, & Eccleſiæ conſtitutionibus ſeſe ſubmittens, in locum ei aſſignatum priuatus abſceſſit, iudiciumque Romani Pontificis expectanit, vt Vrſpergenſis tradit, qui hæc adiuncta ſcripſit. Anno Domini 1105. Henricus V. rebellationem aduerſus patrem in Baioaria patans, primo hæreſim, quæ docet, & aſtruit, Anathema contemnendum, & Eccleſiæ ligamenta ſpernenda, iudiciumque Summi Pontificis, & obedientiam Sedi Apoſtolicæ conculcandam eſſe, anathematizans, Apôſt. Sedis Pontifici debitam profeſſus eſt obedientiam.

Conſilio etiam atq; miniſterio Ruothardi Moguntini, atque Gebehardi Conſtantienſis Epiſcopi, Reſponſalium ſcilicet Domini Paſchalis Papæ, totam Saxoniam Romanæ Eccleſiæ comunioni reconciliauit. Vidimus, ait, in Synodo (quod ſilentio præterire non poſſumus,

De Henr. eius filio & bona indole

Regem Henricum non modicam bonæ indolis ſpem magna ſimul humilitate, & auctoritate prætendentem. Inter hæc obortis lachrymis, ipſum Regem cæli, cunctamque cæli militiam teſtabatur, ſe nulla regnandi cupiditate paternum ſibi regimen vſurpare, neq; Dominum, & patrem ſuum à Romano deponi imperio exoptare; imo debitam pertinaciæ, & inobedientiæ eius ſemper compaſſionem exhibere; *Sique Sancto Petro, ſuiſque ſucceſſoribus lege Chriſtiana ſubyci velit*, ſiue regno cedere, ſiue ſeruiliter, ipſi ſe ſubeſſe promiſit. Quod auditum omnis multitudo collaudans, lachrymas ſimul, & preces, tam pro patris conuerſione, quam pro filij proſperitate fundere cæpit, voce magna Kyrieeleiſon declamans. Eadem hora. Vto Hildinisheimenſis, & Henricus Paderbrunenſis, ac Fridericus Halberſtatenſis, Præſules, veſtigijs Metropolitani proſtrati, ipſius, atque Regis ſtantis, totiuſque præſentis Eccleſiæ teſtimonio, Apoſtolicæ obedientiæ ſe dederunt. Quorum etiam commiſſa Apoſtolico nihilominus reſeruata fuerunt iudicio, ſub officij tantum ſuſpenſione.

Filius Patrẽ propter excommunicationem & delicta reprehendit.

Deinde Henricus V. Patrem ſuum Bingæ reperiens, ore ad eos de anathematis vinculo, cæterorumque in Rempublicam inſolenter cõmiſſorum, ordine quidem præpoſtero, ſed neceſſarie commutato, filius patrem commonuit ac obedientiæ debitum, ſi reſipiſcere duntaxat dignaretur, repromiſit. Senior, has, & quamplures huiuſmodi ſententias ad audientiam Optimatum, & Senatum Conſulum inſtantis Curiæ diſtulit, ſicque comitatus vterque pacificus ad inuicem, pariter contra Metropolim Moguntinam ſe conuertit. Inter hæc, aliqua quæ huic pacto pacique non conuenirent, dum per occultos nuncios conari patrem, filio fideles denotarent, viſum eſt eiſdem, vt pater ſeparatim cum ſuis in caſtello quodam tutiſſimo, Principum conuentum expectaret; præſertim cum Præſules Moguntinus atque Spirenſis, cæterique qui aderant, inter nuper reconciliatas ſuas, Eccleſiæ communicationem illi præſtare ſe non poſſe, publicè reclamarent.

His itaque diſpoſitis, cuſtodibus quoq; ne noui quicquam ab ipſo, vel ad ipſum procederet adhibitis, Rex, Moguntiam publico Principum Conuentui, in quo 52. Optimates interfuerunt, occurrit. Ibi, cum Legati Sedis Apoſtolicæ confirmaſſent ſententiam excommunicationis in Henricum latam, illum generali circumuenientes Concilio, vſq; ad reatus Confeſſionem, ſatisſactioniſque profeſſionem perduxerunt. Hæc Vrſpergenſis, qui cum cæteris interfuit, & quanti apud omnes Principes Germaniæ, auctoritas Sedis Apoſt. in iudicio de Regibus Chriſtianis exercendo eſſet apertiſſimè demonſtrauit.

Quanti Apoſt. Sed auctoritas in iudicio de Regib. cernendo fuerit apud omnes.

Inter hæc etiam accidit, vt in Regno Galliarum, Epiſc. de inauguratione Ludouici Craſſi Regis diſceptarent. Archiepiſcopus Senonenſis, cum comprouincialibus Epiſcopis, Aureliani inunxerat, & diademate ornauerat. Rhemenſis Eccleſia, non ritè factam coronationem extra Vrbem Rhemorum eſſe, opponebat. Illi neceſſitatem feſtinationis excuſabant, ne regni perturbatores, aut diuiderent, aut in alium illud transferrent: Rhemenſes, priuilegium Apoſtolicum, quo indulgebatur, ne alibi quam Rhemis vnctiones Regum fierent, tum etiam à temporibus S. Remigij, qui Clodoneum I. & baptizauit, & Regem ſacrauit, conſuetudinem pro ſuo iure allegabant, atq; Ludouicum Regem eſſe, ante vnctionem Rhemenſem affirmabant. Non poterat inter eos conuenire, præterquam vt res integra ad Paſchalis iudicium defertur. Cognouit controuerſiam Paſchalis, atque argumentis à ratione, exemplis atque rerum neceſſitate pro Aurelianenſi Comitio adductis, ſecundum Ludouicum Regem pronunciauit; vt Aimonij continuator ſcripſit. Accidit, & iſtud in Hiſpanijs, quod iudicium Paſchalis II. non effugit.

Controuerſia de inauguratione Lud. Craſſ. Reg. Gall. per Pont. cognoſcitur & deciditur.

Alphonſus Aragoniæ Rex, Vracam Alphonſi Regis Caſtellæ filiam, tertio conſanguinitatis gradu ſibi coniunctam, matrimonio adiunxerat. Re ad Sedem Apoſtolicam à Proceribus Regni delata, Paſchalis Pontifex in facinus inquiſiuit, & pœna excommunicationis atque regni priuatione indicta, einſmodi matrimonium diuelli præcepit. Iſtud in Italia. Rogerius Siciliæ Comes, Conſentinum Archiepiſcopum Sede eiecerat, & Monachum Caſſinenſem fieri coegerat. Archiepiſcopus ad Paſchalem prouocauit; qui in Synodo Ceperana querelas audiuit, & eiectum ad Eccleſiam reſtituit, reſciſſo decreto Rogerij. Iſta duo in Gallijs. Willelmus Aquitaniæ Dux, Epiſcopum Pictanienſem eiecerat; Radulphus autem Viromanduorum Comes, iniuſtè vxorem dimiſerat, & Sororem Reginæ ſuperinduxerat.

Alphonſus Rex Aragoniæ. *lib. 5. cap. 49.*

Rogerius Sicil. comes *Marian. lib. 10. cap. 8.*

Dux Aquitan. & Viromand. Comes iudiciũ Sed Apoſt. ſubierunt.

Ad ſuperiorem cauſam cognoſcendam, Innocentius Secundus, Bernardum Clarauallenſem Abbatem, ad ſecundam vero Iuonem Carnotenſem Epiſcopum Commiſſos deſtinauit. Innocentio Secundo, cum Eugenius Tertius ſucceſſiſſet, quo in loco conſtitutus eſſet, quidue ei ex officio incumberet, Sanctus Bernardus illum admonuit; *Locus in quo ſtas, terra ſancta eſt: locus Petri eſt: locus Principis Apoſtolorum, locus illius eſt, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis eius. Conſtitutus es ſuper gentes, & Regna, vt euellas, & deſtruas, & ædifices, & plantes:* ſcilicet decretoriam ſententiam, qua vitia Regno-

Petrus Diacon. in chron. Caſſinen lib. lib. 4. cap. 51. ep. 237.

gnorum, & gentium euellerentur, & eradicarentur, Bernardus ſupremo Apoſtolico throuo his verbis aſsignabat. Cui vt Conradus Rex Romanorum obſequeretur, illi ipſe idem Bernardus ſcripſit: *Legi*, ait; *Omnis anima, poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Et qui poteſtati reſiſtit [illegible] Dei ordinationi reſiſtit. Quam ſententiam cupio v[illegible] & omnimodis moneo cuſtodire, in exhibenda reuerentia ſumma, & Apoſtolicæ Sedi, & Beati Petri Vicario, ſicut ipſ[illegible] nobis vultis ab vniuerſo ſeruari Imperio.*

Henr. Iun. Rex Rom. *anno 1148.*

Detulit eam Eugenio Tertio, Henricus Iunior Rex Romanorum reuerentiam, cum electionem ſuam ad imperium, eius ſubmiſit arbitrio; nec non cum aduerſus Polonorum Principes quærimoniam ad eius ſubſellia detulit: Eugenius porro Rhemis Concilio indicto, controuerſias inter Reges exortas diiudicauit, atque ex auctoritate Apoſtolica diremit. Quo etiam tempore, Theobaldus Canthuarienſis Archiepiſcopus, graues à Stephano Anglorum Rege perſecutiones paſſus, ad Eugenium Tertium prouocauit, vt Thomas Cantuarienſis Boſoni Cardinali ſcripſit. Cæterum cum idem Thomas, ab Henrico Stephani ſucceſſore, intolerandis calamitatibus afflictus, iudicium Alexandri Tertij interpellaſſet, & ea propter à Rege appellationes ad Sedem Apoſtolicam hactenus impugnante, in exilium voluntarium ſecedens, ſententiam excommunicationis in Regem, auctoritate, & mandato Alexandri pronunciare, necnon ſacris Regno Angliæ interdicere pararet; atque anguſtijs varijs Regi oppreſſo, Lexouienſis Epiſcopus vnum remedium eſſe diceret, imminentem ſententiam obſtaculo appellationis ad Sedem Apoſtolicam impedire: ab omnibus eo probato conſilio, eundem Lexouienſem cum Sagienſi Epiſcopo Henricus ad Thomam miſit, vt appellatione interpoſita eius ſuſpenderent ſententiam.

Rex Angel. ius appellationis ad Sed. Apoſt. euacuare contendens, ad illud appellationis refugium pro ſeipſo confugere cogitur.

Ea ratione Rex, qui per auitas conſuetudines ius appellationis euacuare conabatur, illam magis confirmauit; dum ipſemet pro capite ſuo, ad appellationis remedium confugere coactus eſt, vt Ioannes Saresberienſis 1. ep. 139. ſcriptum reliquit. Iudicauit tunc Alexander Pontifex, & aduerſus peruicacem, ſententiam Thomæ confirmauit. Cumq; Rex ad plenariam cauſæ cognitionem, Legatos à Latere poſtularet, Pontifex eos ſubmiſit, qui de tota re, inquiſitione facta, decernerent. Tergiuerſabatur Henricus, & minis additis, aliud quam Pontifex præſcripſiſſet, ſe facturum præſeferebat. Porro vnus nuntiorum, nomine Gratianus; *Domine*, inquit, *noli minari. Nos enim nullas minas timemus, quia de tali Curia ſumus, quæ conſueuit imperare Imperatoribus, & Regibus.* Pluſquam verum Legatus dixit: namque Alexander Pontifex, inuicto animo, & in Imperatorem Fridericum Ænobarbum, & in Henricum Anglorum Regem ſententiam dixit, atque vtrumque dicto obedientes fecit; cum & Imperator, caput illi ſubmiſiſſet, & Henricus Thomam reuertentem in Eccleſiam ſuſcepiſſet.

Legati Pōt. ad Reg. Angl. reſponſum.

Cumque conueniente, ſiue adeo iubente Henrico Thomas cæſus fuiſſet, Alexander, (vt Guilelmus Neubrigenſis refert) pro ſua dignitate, & pro ſceleris atrocitate quæſtionem habendam ſtatuit. Miſſi ergo à Sede Apoſtolica, duo Cardinales, in celebri Epiſcoporum, & Nobilium Conuentu, ſuſceperunt purgationem Henrici Regis Anglorum de nece Beati Thomæ Cantuarienſis: vbi Rex iuxta morem publicè pœnitentium, nudum ſe Eccleſiaſticæ ſub miſit diſciplinæ. Idemque poſtea, & ad ſepulchrum Beati Thomæ fuſis vbertim lachrymis orauit, & ingreſſus Capitulum Monachorum, à cunctis per ordinem fratribus propria petitionis inſtantia virgis corporaliter caſtigatus eſt. Qua ipſa die atque hora, ho[illegible] eius Regem Scotorũ in extremis Angliæ finibus [illegible]us diuina peſſumdedit, vt merces pij operis non [illegible]ta pium opus, ſed comitata potius videretur, nullus [illegible] ſuper hoc ambigere ſineretur. Hæc Neubrigenſis, qui addit: ipſi etiam homicidæ, conſcientia ſtimulante, ad Sedem Apoſtolicam profecti, ad agendam pænitentiam, à ſummo Pontifice directi ſunt Hieroſolymam: vbi annis aliquot indictum ſatisfactionis modum non ſegniter exequentes, vitam omnes finiere. Auctor relationis, quæ eſt inter epiſtolas S. Thomæ, addit, Henricum Regem, Legatis pænitentiam iniungentibus obtemperantem, dixiſſe; *Ecce corpus meum in manu veſtra eſt: Scitote pro certo, quod quicquid iuſſeritis, paratus ſum obtemperare.*

lib. 2. cap. 25. & reliq.

Henr. Reg. Angl. ſubmiſſio, & publica pœnitentia.

Quanta Henr. Reg. Angl. in acceptanda pœnitencia promptitudo.

Tanta promptitudo in Henrico: quod videret Iudiciariam ſupremam poteſtatem, ad Summum Pontificem pertinere; iſtudque longè veriſsimum eſſe, quod aliquando Innocentius Tertius indicio de Philippo Rege Galliarum, qui vxorem legitimam repudiauerat, & aliam ſuperinduxerat, inſtituto, Comiti Montiſpeſſulani æquali ſcelere contaminato, diſpenſationem poſtulanti reſcripſit, poteſtatemque ex illo Deut. 17. Summi Pontificis, in cauſis omnium Chriſtifidelium, à prouocatione ad Sedem Apoſtolicam cognoſcendis aſſeruit; *In Deuteronomio*, ait, *continetur*: ſi difficilè, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram; & iudicium inter portas videris variari: venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & iudicem qui fuerit illo tempore; qui iudicabunt Iudicij veritatem: & facies quæcunq; dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, ſequeriſq; eorum ſententiam. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur. *Sanè, cum Deuteronomium Lex ſecunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo Teſtamento debeat obſeruari. Locus enim quem elegit Dominus, Apoſtolicæ Sedes eſſe dignoſcitur. Cum enim Petrus Vrbem fugiens exiuiſſet, volens eum Dominus, ad locum quem elegerat, reuocare, interrogatus ab eo,* Domine, quo vadis? *reſpondit,* venio Romam iterum crucifigi. *Quod intelligens pro ſe dictum, ad locum ipſum protinus reuerſus eſt. Sunt autem Sacerdotes Leuitici generis fratres noſtri, qui nobis iure Leuitico in executione Sacerdotalis Officij Coadiutores exiſtunt, Is verò ſuper eos Sacerdos, Siuè Iudex exiſtit cui Dominus inquit in Petro*: Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis: *eius Vicarius, qui eſt* Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, conſtitutus à Deo iudex viuorum, & mortuorum. *Tria quoque diſtinguit iudicia. Primum inter ſanguinem,*

Philippus Rex Gall.

decr. 4. tit. 17. cap. 13.

Quid Pont. Comiti Mōtiſpeſſulani pro iudiciaria Sed. Ap. in omnes auctoritate ſcribat.

nem, & ſanguinem, per quod criminale intelligitur, & ciuile. Vltimum inter lepram, & lepram, per quod Eccleſiaſticum, & criminale notatur. Medium inter cauſam, quod ad vtrumque refertur, tam Eccleſiaſticum, quam Ciuile. In quibus cum aliquid fuerit difficile, & ambiguum, *ad iudicium eſt Sedis Apoſtolicæ recurrendum. Cuius ſententiam* qui ſuperbiens contempſerit obſeruare, *mori præcipitur: id eſt per excommunicationis ſententiam velut mortuus à communione fidelium ſeparari. Paulus etiam, vt plenitudinem poteſtatis exponeret, ad Corinthios ſciben*[…]*: 1. Cor. 6.*

Neſcitis, quoniam Angelos iudicabitis? quanto magis ſæcularia? Hęc Innocentius III. pro iudiciaria ſummi Pontificis, in omnes Chriſtifideles auctoritate ſcribens, inprimis, inter Philippum Galliarum Regem, atque Ingebergam ab eo repudiatam Reginam, controuerſiam cognouit. Scripſerat hunc in mo-

ex 1. lib. Regeſtr. Innoc. III. in Arch. Vaticano.

Litteræ Ingebertæ Reginæ Franciæ à Philippo repudiatæ ad Innoc. III. quibus afflictionem ſuam ei exponit, & ad eius Iudicium prouocat.

, dum afflicta, Spirituali Patri ac Domino
, ſuo, Innocentio Dei gratia Summo Pontifi-
, ci, filiarum eius minima Ingeberga, Fran-
, ciæ nomine ſolo Regina, ſeipſum ad pedes
, in omni humilitate. In Spiritu humilitatis,
, & in animo contrito, ſæpiſſime veſtræ piæ
, paternitati miſerias meas, tam per me, quam
, per meos explanare curaui: & quia conuerſa
, in ærumna mea, iugum Domini non graue
, ſed grauiſſimum aſſiduè porto, adhuc Pater
, Sanctiſſime recogitabo vobis omnes annos
, meos, in amaritudine animæ meæ: in qua
, vigilanter permanens, dilectum meum faſci-
, culum mirræ mihi factum inter vbera mihi
, commorantem ſuſtineo, remedium amaritu-
, dine per vos *Chriſti Vicarium* deſiderans ob-
, tinere. Vos ſiquidem, per Dei gratiam eſtis
, *ſucceſſor Petri, collega Pauli*, qui Corinthium
, gladio ſpiritus trucidare minime formida-
, uit; *Phinees imitator: mons in vertice montium*
, *poſitus, ad quem oculi leuandi, erutio oppreſſo-*
, *rum, refugium miſerorum*. Vnde ad vos Pa-
, trem Sanctiſſimum confugio, & vtinam mi-
, hi datum fuiſſet deſuper, vt pedes *Heliſæi*
, corporaliter amplecti valerem, lachrymis ri-
, garem, capillis extergendo, anguſtiam ani-
, mi mei expreſſius opere, quàm litteralis ex-
, ponerem. Eripite itaque me Pater iuſte, vt
, non infigar: liberate me ab hijs qui ode-
, runt me, & de profundis aquarum: quo-
, niam gratis perſequuntur me. Perſequitur
, me Dominus & maritus meus Philippus illu-
, ſtris Rex Franciæ, qui non ſolùm me ſicut
, vxorem non videt, ſed ſolitudine carceris
, meam deſiderans faſtidire iuuentutem, op-
, probijs & calumnijs per ſuos ſatellites me
, irritare non ceſſat, ad indignationem ſpiri-
, tus, vt ei contra matrimonij iura, & legem
, Chriſti conſentiam: ac per præambulos An-
, tichriſti, qui ſpeciem pietatis habentes vir-
, tutem eius abnegant, me prouocare nullate-
, nus erubeſcit. Sciatis autem Pater Sancte,
, quod in meo carcere nullum eſt mihi ſolatiũ,
, & innumeras, & importabiles moleſtias pa-
, tior. Nec enim me audet aliquis ibi viſitare,
, nec aliqua religioſa perſona ad me conſo-
, landam accedere, nec de ore alicuius verbum
, Dei ad reficiendam animam meam poſſum
, audire, nec copiam habeo alicui Sacerdoti
, confeſſionem meam faciendi, Miſſam raro
, audire poſſum: alias horas numquam.

, Inſuper nulla perſona vel nuncius de ter-
, ra natiuitatis meæ, cum litteris, vel ſine lit-
, teris ad me venire, vel mihi loqui permitti-
, tur. Victus mihi aliquanto arctus nimium
, miniſtratur: pane tribulationis, & potu an-
, guſtiæ quotidie vtor: nihil medicinale, pro-
, ut expedit fragilitati humanæ, nec qui de ſa-
, lute corporis mihi conſulat. […] faciat quod
, mihi proſit poſſum habere. Balneum intrare
, non […] volo minuere mihi ſanguinem
, […]acere non poſſum: & propterea timeo mihi
, de viſu, & ne graues mihi infirmitates ſuper-
, ueniant. Veſtimentorum copia non adeſt:
, nec talia ſunt qualia deceret habere Reginã.
, Accedit ad cumulum miſeriæ meæ, quod
, illæ perſonæ admodum viles, quæ circa me
, ex voluntate Regia conuerſantur, numquam
, bona mihi verba proponunt: ſed contume-
, lioſis ſermonibus, & iniurioſis affligunt: de
, quibus, & audiui, & ſcio, quod poſtquam
, à me receſſerint, mihi compatiuntur: ſed in-
, de nihil mihi conſolationis impendunt: ſed
, triſtem iugiter me compellunt remanere. In
, quadam domo ſum clauſa: nec enim poſſum
, exire. Quid plura? miſerias meas, non poſ-
, ſem per ſingula proſequi: quia ea mihi dene-
, gantur, quæ nulli Chriſtianæ mulieri debe-
, rent denegari, & ea mihi fiunt, quæ nulli fie-
, ri deberent, quantumcumque abiectæ perſo-
, næ. Litteras quas Sanctitas veſtra mihi man-
, dauit, habere non potui. Hijs namque & ſi-
, milibus, quæ veſtræ ad præſens non poſſum
, exponere ſanctitati: ita quod tedeat me vi-
, uere afflictam, cum ignorem quid agere de-
, beam. Oculi mei ad vos ſunt, Pater San-
, ctiſſime, ne peream. Peream dico, non cor-
, pore, ſed ſpiritu. Cum enim quotidie mo-
, rior propter gloriam veſtram, & propter iura
, matrimonij illibata ſeruanda: quam dulcis,
, quam iucunda, quam ſuauis, mihi miſeræ,
, mihi deſolatæ, mihi ab omnibus repudiatæ
, & eiectæ, vnica mors corporalis adueniret,
, qua tot mentium diſcrimina aufugere poſ-
, ſem? vnde quoniam anguſtiæ ſunt mihi vn-
, dique, quia ſi cauſa Domini egero, mors mi-
, hi eſt: ſi autem non egero non effugiam ma-
, nus perſecutorum. A vobis, qui Pater eſtis
, conſolationis, conſolationem peto.
, Hoc veſtræ, vt iam per me, & clericos
, meos inſinuatum eſt ſignificans Sanctitati,
, & rogans & proteſtans, quod ſi minis ac ter-
, roribus compulſa fæminea fragilitas, contra
, iura matrimonij mihi aliquod propoſuero,
, non ſit in præiudicium prænominati matri-
, monij, & à vobis qui perſecutor eſtis confeſ-
, ſionis extortæ, nequaquam recipiatur, ſed
, in manu forti & brachio extento, ab hac me
, curetis abſoluere miſeria, Pater benigne, vt
, ſi fortè Dominus meus Philippus Illuſtris Rex
, Franciæ, diabolica fraude deceptus, contra
, me ſuper ſæpe facto matrimonio denuo age-
, re tentauerit, tali loco me procuret ſiſti,
, veſtra paternitas, in quo priſtinæ libertati,
, & proprijs parentibus reſtituta, liberè meam
, poſſim in omnibus declarare voluntatem. Et
, ſi fide interpoſita, vel Sacramento interue-
, niente, hoc quod prædixi, fuero timore in-
, tercedente confeſſa, ab illa obligatione Apo-
, ſtolicæ miſerationis obtentu, me liberare di-
, gnemini. Ita oro faciatis Pater Sancte, vt
, conſolationem veſtram ſentiam, & iuſtitiam

quam

, quam omnibus exhibetis, mihi nullatenus, ſubtrahatis: vt in extremo examine, præmiũ, condignum, ab omnipotente Deo recipere, valeatis. Valete Pater Sancte.

Prouocatione Ingebergæ Reginæ, atque patris illius Regis Danorum, nec non vtriuſque RegniProcerum Innoc. excitus, iudicium de Philippo Rege inſtituit: non minus, quàm de Otthone & Philippo ad Imperium in diſcordia Principum deſignatis; cum ad eius ſubſellia Ottho appellaſſet. Aliquibus durum videbatur, quod in decernenda ea controuerſia, iudicium Sedis Apoſtolicæ Innoc. interpoſuiſſet. Cæterum Pontifex Duci Zaringiæ ſcripta epiſtola, ad Sedem Apoſtolicam id pertinere affirmauit, atque inter alia ſcripſit:

Annal. tom. 13. an. 1198.

C. Venerabilem ext. 6. de elect.

Principibus illis ius & poteſtatem eligendi Regem, in Imperatorem promouendum, recognoſcimus, vt debemus, ad quos de iure ac antiqua conſuetudine noſcitur pertinere: præſertim cum ad eos ius & poteſtas ab Apoſtolica Sede peruenerit, quod Romanum Imperium: in perſonam Magni Caroli, à Græcis tranſtulit in Germanos. Sed & Principes recognoſcere debent, & vtique recognoſcunt, ſicut ijdem in noſtra recognouere præſentia, quod ius & authoritas examinandi perſonam electam in Regem, & promouendum ad Imperium, ad nos ſpectat qui eum inungimus, conſecramus & coronamus. Eſt enim regulariter, & generaliter obſeruatum, vt ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat. Nunquid enim ſi Principes, non ſolum in diſcordia, ſed etiam in concordia, ſacrilegum quemcumque, vel excommunicatum in Regem, tyrannum vel fatuum, hæreticum eligerent aut paganum, nos, inungere, conſecrare, ac coronare hominem huiuſmodi deberemus? Abſit omnino.

Rom. Pontifices iudicarunt de Impp. in diſcordia electis.

Hæc Innocentius, pro iure Sedis Apoſtolicæ cum ſcripſiſſet, inter Phillippum & Otthonem in diſcordia electos iudicauit; quemadmodum etiam olim, inter Lothar. & Conrad. pariter in diſcordia electos Rom. Pont. iudicauit, & Imperium quidem Lothario, decreuit; Conrado, tunc demum ad eius gratiam redeunte.

Annal. Eccleſ. anno 1257. anno 1316. & ſeqq.

Quo exemplo, Alexander IV. inter Richardum Angliæ, & Alphonſum Caſtellæ Reges; necnon alij Pontifices inter alios contendentes & ad Sedem Apoſtolicam iure merito prouocantes, iudicarunt, iſtudque clariſsimum Orbi Chriſtiano reddiderunt; ad ſummos Pontifices Romanæ Eccleſiæ, arbitrium, & iudicium ſupremum, omnium quæ in orbe Catholico controuerſiarum difficillimarum, emergunt, iure diuino, Conciliorum ſanctionibus, Imperatorum & Regum ſubmiſsione, populi Chriſtiani conſenſu, atque vſu perpetuo ſpectare. Omitto ſubſequentium temporum exempla iſthic recenſere (horum enim ingens vbique gentium copia) quomodo Romani Pontifices in Imperatores, Reges, & Principes Chriſtianos, iudiciariam poteſtatem exercuerint: Concludo cum Gregorio Nazianzeno, aliquem Imperialem Præfectum pro concione alloquente; cuius verba, longè magis, Pontifices Romani, pro ſuprema authoritate, quam ille in partem ſollicitudinis vocatus, poſſunt Principibus præſcribere; *Quid igitur dicitis? aut quid inter nos conuenit? An me liberè loquentem æquo animo feretis? Non vos quoque Imperio meo ac Throno, Lex Chriſti ſubijcit? Imperium enim nos quoque gerimus: addo etiam præſtantius ac perfectius. Niſi verò æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere. Sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus ſis, vtpote ſacri mei gregis ouis ſacra, magnique Paſtoris alumna, rectèque iam olim à ſpiritu ducta & inſtituta, ſanctæque & Beatæ Trinitatis lumine, æque ac nos ipſi, colluſtrata.* Grauia hæc, & pondere maximo plena tanti Patris verba, vtinam Reges memoria retineant, diſciplinamque ex Chriſti præſcripto ſancitam apprehendant, nequando iraſcatur Dominus, & pereant de via iuſtà.

Greg. Nazianz. ad Imperialẽ Præfectum de Iudiciaria poteſtate Epiſcop. & Pont.

Orat. ad Ciues Nazianz. tim. percuſſ.

CAPVT XLVI.

Pontifex Romanus, Vindex ſcelerum.

TAm neceſſaria eſt poteſtas vindicatiua malorum, poteſtati iudiciariæ, vt ſine illa, hæc altera vel inutilis, vel potius nulla ſit. Eam vtramque Deus Throno ſuo innexuit, cum & oculos plus ſole lucentes, & gladium quouis alio magis verſatilem, flammis armatum, ſibi ineſſe ſignificauit; illis vt intima ſpirituum & cogitationum perſpiceret, diſcerneretque: iſto, vt pro meritis vel demeritis, æqua præmia vel ſupplicia non decerneret modo, ſed & infligeret, irrogaretque. Ipſam vtramque in Iudice generis humani deſideraſſe ſe renunciauit, cum monuit; *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* Sanè cum Moyſen populo ſelectiori Ducem ac Iudicem olim præficeret, non Tabulas tantùm Legis ex quibus vniuerſas incidentes controuerſias definiret, digito Dei ſcriptas illi propoſuit, ſed & virgam cenſoriam, caſtigatoriamque manui eius indidit, qua corriperet nocentes, omneque flagitium, à ſancto populo extirparet. Eandem virtutis vltricis virgam, quotquot Iudices, Reges, & Duces, in Hæbraica gente ſummæ rerum præfuerunt, ſceleribus vlciſcendis, ſontibuſque plectendis adhibuerunt: & ipſi Virgulam diuiniorem Regno Sacerdotali, ſeu Sacerdotio Regali concreditam aut metuentes aut expectantes; ſi quid non ex æquo egiſſent; aut in Deum ac diuina deliquiſſent. Gloria enim hæc eſt Sanctis Dei, facere in Regibus iudicium conſcriptum, alligare eoſdem in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, gladioſque ancipites mandato proprio, & manu aliena aduerſus peccatores ſtringere, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Tritæ ſunt veterum vindiciæ Pontificum, in Reges, Nobiles, ac populos, iure recepto exercitę; quibus iuſtus Zelotes Deus præſtruxit iter, poteſtati ſcelerum vindici, tum Chriſto, tum Vicarijs illius, Sacerdotibus nouæ Legis conceſſæ. Namque illi Sacerdoti ſecundum Ordinem Melchiſedech ſcilicet Regio Antiſtiti pollicebatur; *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* A qua virga inflexa, ne Reges

Poteſtati Iudiciariæ neceſſaria poteſtas vindicatiua malorum.

Eccl. 7.

Deus Moyſi non tantũ legem ſed & virgam cenſoriam dedit.

ſe

ſe exemptos exiſtimarent, præmonebat: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram; apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta*, quo ſignificabat, Regibus quidem datum eſſe gladium, ad vindictam malorum & tutelam bonorum; ſed vt etiam ipſi ſuſpicerent, ſupremum, ore Sacerdotis Altiſsimi vibratum; ſi non rectè iudicarint, ſi non cuſtodierint legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulauerint. Dedit in os Chriſti Deus virgam iſtam virtutis, cum illum Caput Eccleſiæ conſtituit, atque omne iudicium mundi illi dedit; vt in medio inimicorum dominaretur, vt in die iræ ſuæ Reges confrigeret, vt capita inimicorum ſuorum, non in vna, ſed in multorum populorum terra conquaſſaret, cum iudicaret in nationibus impleretque ruinas.

Regibus datus gladius vindictam malorum & tutelam bonorum.

Virgam hanc vltoriam, viuens, & patiens cum ferendo potius quàm feriendo natus eſſet, præter in paucos ſacræ Domus temeratores non exeruit; ſed vaticinijs: pollicitationibusque implendis, manibus Vicarij ſui Prothopaſtoris, inprimis, deinde Fratribus ſuis illiuſque commiſit, cum illum quidem in plenitudinem, hos verò in partem iudiciariæ Regio Paſtoralis, ſeu Sacerdotalis authoritatis aſſumpſit, vt ille quidem omnes, hi verò ab eo deditos in iudicio, & vbi opus foret, in iuſtitia & ſpiritu ardoris paſcerent, atque ſuper ſedes duodecim ſedentes, haberent poteſtatem in virga veniendi, ad ſcelerum vindictam in nationibus & Capitibus populorum exercendam. Quod ſi Paulo licuit, & Corinthium Satanæ tradere, & Corinthijs, iſta diſciplinæ Chriſtianæ elementa; *Nunc ſcripſi vobis non commiſceri: ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere*, præſcribere: & de ijs qui intus ſunt iudicium exercere: & poteſtatem de iiſdem qui intus ſunt, ſapientibus Corinthiorum Eccleſiæ iudicandi; malumque ex ipſis auferendi concedere, & Hymenæum & Philetum, & Hermogenem, & quemcumque Hæreticum, & nonneminem fratrem inordinatè ambulantem, à cætu aliorum excludere: & Galatas verbis acrioribus arguere: & illis ipſis Corinthijs prænunciare, *vt non præſens*, ait, *durius agam ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non deſtructionem*. *Nam*, inquit, *arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes. & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam*. Si inquam Paulo, omnium Apoſtolorum, vt ipſe de ſe fatetur, nouiſſimo, & minimo, iſta licuit, & facere, & dicere, & demum aliquos interrogare, Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis: longe magis licuit Primo, & Summo poſt Chriſtum Prothopaſtorem, Paſtorum Paſtori Petro, cui Chriſtus Claues omnium Cælorum, & Curam vniuerſalem Catholici Ouilis dedit. Quamobrem ipſe Virga virtutis diuinæ præſtans, Ananiam imprimis, & Sapphiram, præſente nouello credentium cætu, & verbis coarguit, & Spiritu oris examinauit. Deinde cum Simon Magus, vt Theodoretus ſcribit, Romanos, ſuis præſtigijs, & in his Neronem Imperatorem tanta admiratione affeciſſet, vt etiam ænea columna honoraretur, diuinus Petrus rurſus veniens, fraudis eum penitus nudauit; qui cum eum tandem in miraculorum certamen prouocaſſet, & diuinæ gratiæ, & præſtigiarum diſcrimen oſtendiſſet, omnibus Romanis videntibus, cum ex magna altitudine deturbauit, & qui miraculum viderant, eos cœpit ad ſalutem: cum etiam longe antea, in Sacrilegum, diuina chariſmata pretio æſtimantem, ſententiam damnationis, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*, tuliſſet. Secuturis Pontificibus, Chriſti pariter Vicarijs, dedit exemplum, & robur infuſum poteſtatis traditæ tranſmiſit, vt & ipſi virga oris ſui percuterent impios, neque quantumuis altitudinem formidarent deprimere, ſi illa ſe extolleret aduerſus ſublimitatem Dei vltoris. Non metuebant, quod ingenue apud Gentes fatetur, omnium antiquiſſimus Tertullianus. *Edam nunc*, ait, *negotia Chriſtianæ factionis. Corpus ſumus, de conſcientia religionis, & diſciplinæ vnitate, & ſpei fœdere. Coimus in cœtum, & congregationem, vt ad Deum, quaſi manu facta precationibus, ambiamus orantes. Cogimur ad diuinarum literarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas, aut præmonere cogi, aut recognoſcere. Certe fidem ſanctis vocibus paſcimus ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina. Nam, & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu, ſummumque futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur*. Talis in primitiuo corpore Eccleſiæ cenſura, virgam virtutis exerente Summo omnium Paſtore; cuius eſſet pecus morbidum à ſano ſecernere. In hoc corpus Eccleſiæ Catholicæ, poſtquam non tantum Hebræi, ſed & Græci, & Barbari & omnes Gentiles, nec tantum ſerui, ſed & liberi, & nobiles, & ignobiles, & populi, & principes populorum, à ſacro baptiſmate conceſſiſsent; & non tantum conſcientiam religionis profeſſi eſſent, ſed & ſpei fœdus vnum cum reliquis percuſſiſſent, & diſciplinæ vnitati ſeſe ſubiecisſent, & iam in Chriſto, nullus eorum, aut ſeruus, aut barbarus, aut ignobilis; ſed omnes vnum corpus cenſeri gloriæ loco ducerent; conſecutum eſt, vt nemo eorum, quantauis dignitate, aut nobilitate ſublimis, ſeſe ab hac cenſura diuina exemptum putare debeat. Itaque & Reges, & Imperatores, & Principes, poſtquam Chriſto nomina dediſſent, & Petrum ouilis Catholici Summum Paſtorem à Chriſto inſtitutum agnouiſsent, libentes, volentes, huic Virgulæ cenſoriæ Caput inclinabant, ſi quid ſanè pro fragilitate humana deliquiſsent. Sciebant enim quis illis imperium dediſſet, quis homines, quis & animam: Sentiebantque eum Chriſtum Deum eſſe, per quem regnarent; in cuius ſolius poteſtate eſſent, à quo eſſent primi, & poſt quem ſecundi. Itaque non ignorantes, quouſque vires imperij eorum valerent, & per quem, & aduerſus quem valere non poſſent, cæloque, & cælitus venien-

Virgam vltoriam manibus Vicarij ſui, & fratribus ſuis cōmiſit.

Paulus hac virga vſus. 1. Cor. 5.

1. Cor. 5.

2. Cor. 10.

Petrus hac poteſtate vſus.

Lib. 1. hæreticarum fabularum.

A Petro Secuturis Pōt. robur iſtud infuſum.

in apol. adu. Gent.

Nullus Chriſtianus ab hac cenſura Pont. exemptus.

niente diuiniore poteſtate minores, adeoque illi ſubditi forent, non detractabant ſublimius ſpirituale imperium, etiam cum rigore Eccleſiaſticæ diſciplinæ exercitum.

Philippus primus Imp. Chriſtian. ſpirituale imperium non detrectat.
Euſ. lib. 6. cap. 27.

Philippus, is qui primus ex Imperatoribus Chriſtianam fidem complexus eſt, aliquantulum quopiam delicto impiatus, cum ab Eccleſia extorris fieri meruiſſet, à Fabiano Pontifice ingreſſu prohiberi tolerauit, ac publicam peccatorum exomologeſim imponenti prompte auſcultauit. Theodoſius Imperator, cæde Theſſalonicenſium pollutus, quamuis non Romano, ſed Mediolanenſi Antiſtiti, Ab exemplo Fabianeo, communicatione, & Eccleſiaſtico conſortio interdicenti, memor ſuperioris auctoritatis cui cælitus datum eſt ligare, & ſoluere, adituque cæleſtis Regni excludere, non minus prompte obtemperauit.

Theodoſius Imper. Mediol. Antiſtiti prompte obtemperat.
Hiſt. Mediolan. lib. 4.

Factum narrabat eleganter Ripamontius. Occiſione illa à militibus Theodoſij Theſſalonicæ perpetrata, cum Imperator ad ſe quoque ſcelus pertinere cognoſceret, damnaretque, nec redire Mediolanum audebat Ambroſij metu, cuius vultum ſuſtinere ſe poſſe non arbitrabat; nec diutius abeſſe poterat, gliſcente deſiderio placandi; quem offenſum eſſe ſciret. Itaque certum è ſua familia virum pro ſe ad Ambroſium miſit, qui precaretur errori veniam, ſi quibus aut precibus iam, aut veniæ locus foret. Ea legatio cum hoc reſponſo dimiſſa eſt. Non ita peccaſſe Cæſarem, vt ignoſci poſſit. Quia tantum Summi Iudicis clementia omnes mortalium culpas exſuperet; ideo ſpem bonam ipſum concipere debere. Cæterum ad Eccleſiam ne accederet, niſi prius flagitium expiaſſet eo modo quem ipſe præſcripturus eſſet. Si ſecus facere conaretur, excluſum iri. Thodoſius inde haud multo poſt Mediolanum reuerſus conſtitit in Templi limine, Pontificèque precibus infimis obſecrabat, vt ſibi dare aditum vellet: Humano errore lapſum eſſe, deteſtari noxam, neque commiſſorum vmquam in poſterum, vti ſanguinarius dici poſſet. Ambroſius ad iſta: *Fortaſſe*, inquit, *Princeps, dignitas iſta qua præditus es, & licentia quam tibi ſumis, animo caliginem offundit, neque ſinit reputare, quam ſit atrox facinus ac deteſtabile quod admiſiſti. Ego autem ſcire te peruelim, vnum Deum eſſe potentem omnium rerum, & dominum huius vniuerſitatis: mortales vero nihil niſi cœnum, & inane nomen: neque in hac communi miſeria ſingularem eſſe veſtram Regum conditionem. Ex luto viliſſima, rerum natura parte ficti, & excitati, mox reciditis in lutum, voſque temporis momento mors æquat illis ipſis, quos nimirum eluditis vmbratili hoc imperio. Agnoſce crimen, & perhorreſce, neque auſus fueris temeratum iſtud caput inferre intra ſacratos Templi fines. Tantum humani ſanguinis hauſiſti, vt procul inde ſis amouendus, vbi celebrantur auguſtiſſima miſteria Redemptionis humanæ. Ne ſceleri ſcelus addas, inquinando, & profanando domicilia hæc Sacroſancta.*

Ambroſij ad Theod. Imp. veniã deprecantẽ verba.

Cum hæc ingenti ſpiritu intonuiſſet Ambroſius, edebat inde, quænam eſſent admiſſi ſceleris piacula; ſimul adnectebat Imperatoris collo funem horridum, atque ita conſternatum hominem dimittebat. Ille multum ingemiſcens, inſtare rurſus ac precari, ſibi vt ignoſceretur; non ſe temporariũ illud recuſare ſupplicium, ſed ignes æternos perhorreſcere, ſimul ciebat flebiliter Dauidem, inque culpæ pariter ac veniæ celeberrimum exemplum identidem inuocabat. Dauidis audito nomine, arripuit inde occaſionem Ambroſius, & monuit, vt cuius flagitium exſuperaſſet, eius etiam pœnitentiam imitaretur.

Quantã in ſtãtia Theodoſ. abſolutionem petierit.

Ita reuertit in Regiam Theodoſius, ibique multum intentus placando Numini, cupidiſſimè tempus illud expectabat, quo diris vinculis exſolutus in Eccleſiæ ſinum reciperetur. Iam octauus ab interdicto menſis effluxerat, aderantque forte Chriſti Natalis feriæ, cum ſubeunte acrius deſiderio communionis Eccleſiaſticæ, Princeps, afflictari ſenſibus intimis, crebros ſingultus edere, tundere pectus, palmas in cælum graueſque lachrymis oculos tollere. Familiares, & aulici, doloris cauſam intelligebant; ſed neque conſolabilis erat dolor, neque ſicuti nutantem impulerant, ita poterant ſubleuare proſtratum. Ex eo numero Rufinus fuerat, inter præcipuos authores conſilij, neq; creditus eſt Theodoſius tantam fuiſſe ſuſcepturus indignitatem, niſi ſtimulatorem, atque ſatellitem hunc habuiſſet. Is audet ſeſe deprecatorem offerre, parteſque depoſcit, flectendi ſuis precibus Ambroſium, vti conniuere velit, ad clementi leniendam interpretatione legem, quæ tardare abſolutionem videretur. Lex erat in Ancyrano Concilio lata, conſentanea ſeueritati illorum temporum, & candidiſſimis Eccleſiæ primæuæ moribus accomodata: *Parricida voluntarius, ſacris abſtineto: ſub vitæ finem communicato tantum. Non voluntarius parricida, communicato poſt quinquennium.* Theodoſius, etſi planè diffidebat; tamen inſita mortalibus natura, tentandi, quæ vehementer cupiunt, ſibi Rufinum legat. Iret, atque Pontificem ad ſui miſericordiam doloris, quacumque poſſet ratione conaretur adducere. Simul ipſe Legatum modico ſubſequitur interuallo, ſi fortè legatio ſecundis auribus accepta foret. At Ambroſius, ſimul deprecatori, ſimul reo, paternum in morem infenſus præciſè negauit: oppoſitum ſui corporis oſtentans, & ſi qua vis fieret paratus cadere.

Ambroſij grauitas, & conſtantia.

Nunciatur id ſtatim Theodoſio, moneturque redire domum, ne repulſam ferret in tanto populi concurſu: tem fore plenam dedecoris, & ignominiæ. Iam ille peruenerat in forum, vnde breuis ad templum via, nec retro greſſum vertere ſuſtinuit, Concepta repente fiducia, & obfirmato animo ad ſubeundum omne dedecus, pergit ire, nihil diſſimulans inter ſuos, quemadmodum in lucro poneret, ſi tota inſpectante Ciuitate ſacris arceretur (id quoque nimirum fore lenimen iræ cæleſtis, & ſe meritum eſſe, vt contemptui ſit omnibus, ac ludibrio. Vbi venit in Ambroſij conſpectum (is in ædicula ſalutatoria tunc fortè conſidebat) res accidit, quæ conſternationem, dolorem hominis miſerabiliter augeret. Nam cum armati de more cingerent latera, ea ſpecie Pontifex eſt offenſus, & quaſi, non ad veniam implorandam, ſed ad vim inferendam adeſſet, ipſum increpuit. Ille flendo, & inuocando teſtes ſuperos, auertere ſuſpicionem eam, purgare nouum crimen, conſuetudini datum dicere, ne incomitatus veniret, nec exiſtimaſſe vmquam accidere poſſe, vt à parente filius timeretur. Inde rogare ſuppliciter, vt quoniam dies adeſſet, quo die ſalutis

huma-

humanæ principium anniuerſaria gratulatione recoleret Eccleſia, ne ſe vnum publicæ lætitiæ fructu priuatum vellet. Clementiam imitaretur ipſius Chriſti, qui natali ſuo munere genus hominum vocaret ad libertatem, In eius gratiam abſolueret ſe miſerum æternis vinculis; populo Principem, Principi populum redderet. Demum recordaretur, quæ conſulto ac deſtinato feciſſet Eccleſiæ cauſa, potius, quam profunda conderet mente, ſi quid in rebelles per iram admiſiſſet. Non ſuſtinuit hoc modo ſupplicantem Ambroſius, ſed ſatis iam irarum, ſatis eſſe ſubmiſsionis arbitratus, ad concedendam veniam inclinauit, inque templum admiſit, memorabili pietatis exemplo. Non enim Auguſtam in Sedem Theodoſius proceſsit, vt ibi ſe oſtentaret populo, præſentique maieſtate præteritæ fortunæ miſeriam, & ſqualorem eleuaret; quin potius, nouo quæſiuit ſqualore contemptum, & quaſi nimiam Ambroſij facilitatem emendare vellet, profundæ ſpectaculum humilitatis atque ſubmiſsionis exhibuit multitudini, quę defixa, & attonita ſtabat intentis in eum oculis. Inſigni loco, vt ab omnibus conſpici poſſet, procubuit in genua, moxque nudum ſolum ore contingens, elata pronunciauit voce, mœſta Dauidis verba, quibus Rex ille Regum, inter peccati deteſtationem aiebat, ſe quoque adhæſiſſe pauimento: ſcilicet, inhorruit ad eum aſpectum, eaſque voces concioni capillus, obuertenteſque viciſsim ora, pio ſingultu teneros animos oſtendebant. Inde ſordidatus Princeps manibus familiarium alleuatus, lacrimas fundebat vbertim: nec modus, donec alternantes chori, ſacræque deinceps cæremoniæ ſopiuere paulatim dolorem, & ab intenta meditatione patrati facinoris ad Sacra, & Aram animum auertere. Itaque iam ſibi placatus, iam erectus ad æquitatem ſumma cum veneratione interetat rei diuinæ, cum repentinus adhuc euentus, demiſsionem ſimul, & cæleſte robur illius noua ſignificatione comprobauit.

Profundæ humilitatis atque ſubmiſsionis ſpectaculũ.

Ante caſum illum Theſſalonicenſem vſitatū ac ſolenne fuerat Theodoſio, vt feſtis diebus offerret ſacrificanti Pontifici regalis opulentiæ dona, veſtem pretioſam, auri pondus, & alia, templo, vel aræ decorandæ. Pium eum morem ſimulatque reconciliatus eſt Eccleſiæ, repetere voluit, obtulitque hoc ipſo die tanto magis illuſtria dona, quanto maiorem ex abſolutionis beneficio fructum percipiebat, & quanto plus temporis effluxerat, quo nihil obtuliſſet. At Ambroſius, accepit quidem ille omnia, ſicut & pietati largitoris, & ipſius humanitati conſentaneum erat; ſed mox, cum ille idem conſtitiſſet forte per imprudentiam inter cancellos, miſit ad eum ex Aræ miniſterio præcipuæ dignitatis virum, qui iuberet inde in ſuam ſedem excedere: *ſacrorum hominum, non profanorum eam eſſe: ſi pane cæleſti refici vellet, expectaret foris, vnà cum reliqua multitudine*. Perculſus ea denunciatione Princeps, trepidè errorem excuſans, ait: Bizantij diuerſam inueteraſſe conſuetudinem; eam ſibi fuiſſe fraudi: ſed numquam in poſterum admiſſurum, vt officij commonendus eſſet. His dictis, conſentanea facta deinceps adiecit: & quamdiu ſubſtitit Mediolani, religioſè ſeruauit, nè intra adyta greſſum inferret, commorandi cauſa. Vt verò Conſtantinopolim reuertit, ibi quoque idem tenuit, & quaſi diſciplinæ magiſter factus, vltro aliquando Nectarium eius Eccleſiæ Antiſtitem reuerenter increpuit, cùm ab eo priſtinam in Sedem inuitaretur. Tanti faciebat Theodoſius Eccleſiaſticam diſciplinam, vt quamuis non à ſupremo omnium Antiſtite, ſacris arceretur, ſententiæ tamen Canonicæ obtemperauit.

Theodoſ. intra cácellos ingreſſus, egredi iuſſus obtemperat.

Eius exemplo Theodoſius iunior, magis ſubmiſsè ſe geſſit, in ſpecie Eccleſiaſticæ cenſuræ ferenda. Aliquando enim, à quopiam audaciori monacho, vt Theodoretus narrabat, ob neſcio quid ei non conceſſum, communione interdictus; quamuis ab Epiſcopo Conſtantinopolitano moneretur, non timendam, neque curandam eſſe eiuſmodi excommunicationem: tamen noluit cibum ſumere, quin prius ab eodem monacho, magno labore conquiſito, communioni reſtitutus fuiſſet. Inhæſerat Catholicis Imperatoribus de ſacerdotali ſententia, conſtans ſententia, vt quod illi ligaſſent, vel ſoluiſſent in terris ligatum, aut ſolutum eſſet in cœlis; *ſummumque futuri iudicij præiudicium eſſe, ſi quis ita deliquiſſet, vt à communicatione orationis, aut conuentus, & omnes ſancti commercij relegaretur*.

lib. 5. cap. 36.

Pro hac ſacerdotali, ad faciendam vindictam in nationibus, auctoritate, Felix Pontifex, ſeu Coepiſcopus Romanus, Conſtantium Imperatorem, diris modis Eccleſiam Dei perſequentem, & fidem homouſij impugnantem damnauit.

hiſt. Eccleſ. anno 483.

Pari auctoritate Felix Tertius Zenonem Imperatorem, quod hæreticis faueret, Acaciumque ad ſubſellia Sedis Apoſtolicæ euocatum tueretur, cenſura Eccleſiaſtica perſtrinxit, cùm in Acacium, eiuſque ſectatores, & fautores ſententiam damnationis in Concilio Romano pronunciauit.

Conſtantius & Zeno Imper.

Pari poteſtate Symmachus Papa, in Tertia Synodo Romana, aduerſus Anaſtaſium Imperatorem anathematis ſententiam tulit, cauſamque cur protuliſſet, ſcripto ad eum Apologetico aſſignauit, & inter alia hęc Apoſtolico calamo panxit: *Conferamus autem honorem Imperatoris, cum honore Pontificis; inter hos tantùm diſtat, quantùm ille rerum humanarum curam gerit, iſte diuinarum. Tu Imperator à Pontifice Baptiſmum accipis, Sacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas, poſtremo, tu humana adminiſtras, ille diuina diſpenſat. Nec te putes Mundi pompa præcellere; quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Precor Imperator, (pace tua dixerim) memento te hominem; vt poſſis vti conceſſa tibi diuinitus poteſtate: qui etiam ſi hæc ſub humano præuenere iudicio, ſub diuino neceſſe eſt vt diſcutiantur examine. Fortaſſis dicturus es; ſcriptum eſſe omni poteſtati nos ſubditos eſſe debere. Nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas non erigunt voluntates. Cęterum, ſi omnis poteſtas à Deo eſt, magis ergo quæ rebus præſtituta eſt diuinis. Defer Deo in nobis, Senatu, & Collegio Clericorum Romæ: & nos deferemus Deo in te. Cęterum, ſi tu Deo non defers, non potes eius vti priuilegio, cuius iura contemnis. Dicis, quod mecum conſpirante Senatu, excommunicauerim te. Iſta quidem ego; ſed rationabiliter factum à deceſſoribus meis ſine dubio ſubſequor. Dicis, quod male te*

anno 503. Anaſtaſius Imp.

tra-

tractet Romanus Senatus. Si nos te male tractamus, ſuadentes vt diſcedas ab hæreticis: tu nos bene tractas, quos vis ſociare precipitanter cum hæreticis? Quid ad me (inquies) quod egit Acacius? Recede ergo, & nihil ad te. Nam ſi non recedis ab eo pertinent ad te. Relinquamus vterque mortuum, & nos hoc petimus, vt nihil ad te pertineat, quod egit Acacius, vita & tu: & ad vtroſque non pertinet, quod egit Acacius, cum ea, quæ ad nos pertinet cauſa coniungi, vt poſſis ſine Acacio noſtræ communioni ſociari. Nos, non te excommunicauimus, Imperator, ſed Acacium: Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis: Tu te noli miſcere excommunicationi eius, & non es excommunicatus à nobis. Catholici Principes quidem ſemper, Apoſtolicos Præſules inſtitutos ſuis litteris præuenerunt: & illam confeſſionem, fidemque præcipuam tamquam boni filij quæſiuerunt debitæ pietatis affectu, eius cui noſcis ipſius Domini Saluatoris ore curam totius Eccleſiæ delegatam. Quod quia per occaſiones fortaſſe publicas tua creditur prætermiſſe tranquillitas: ne magis honorem meum, quam ſolicitudinem Dominici gregis appetere iudicarer, appellare non deſtiti meis te ſponte colloquijs. Vnegatum fuiſſe deſignas, quod tua Serenitas, directa militari manu compelleret eos, qui ſe à contagione perfidorum multis temporibus abſtinere delegerint, vi, & armis in præuaricatæ communionis conſortia detestanda. Vbi te, rerum humanarum Princeps, qualiſcumque Sedis Apoſtolicæ Vicarius, conteſtari mea voce non deſino, vt te memineris hominem, quantalibet ſis mundi poteſtate ſubnixus; circumſpiciaſque cunctos, qui ab initio dogmatis Chriſtiani, Catholicam fidem diuerſo propoſito perſequi, & affligere ſunt conati, quemadmodum (vaſtitatis inſectationes, ab eo, cui diſplacuit vis contritionis illata) ipſi, qui intulerint iſta, præualendo defecerint: & Orthodoxa veritas hoc præualuerit magis, quo putaretur oppreſſa: quæ ſicut ſub inſectatoribus ſuis creuiſſe monſtratur, ſic obtinuiſſe cognoſcitur inſequentes. Omnes Catholici Principes, ſiue cum Imperij gubernacula ſuſceperunt, ſiue cum Apoſtolicæ Sedi nouos agnouerunt Præſules inſtitutos, ad eam protinus ſcripta ſua miſerunt, vt ſe docerent eius eſſe conſortes. Itaque qui hoc non fecerunt, ab eadem ſe ipſos profitentur alienos; quod chartis quoque tuis apud te etiam poſſemus aſtruere, niſi te æmulum, & reum, & inimicum vitaremus, & iudicem.

Hæc, & alia Anaſtaſio Manichæorum patrono, & omnium hæreticorũ fautori, Symmachus, poſtquã eũ anathemate perculiſſet, ſcribebat. Huic ſuccedens Hormiſda, cùm Acacianos, & Seuerianos virga decretoria percuſſiſſet, & Anaſtaſiũ quoq; eodem in luto hærentem percuſſit, rationemq; reddidit: *non habere cum religioſis impios portionem, nec vllum Fidei cum perfidia eſſe conſortium*. Iracundia, & furore exardeſcens, Anaſtaſius, inter alia ſcripſerat Hormiſdæ; *nos iubere volumus, non nobis iuberi*. Cæterum Deus non ſiuit inultum ſuperbum: Deletis enim ob peruerſitatem eius fidei annis quatuordecim vitæ ipſius, fulmine illum extinxit; Timotheum verò Conſtantinopolitanum, totius contemptus incentorem, morte inopinata peremit, atque Pontificium in eos decretum vltricibus pœnis comprobauit.

Pari conſtantia, *recordandæ memoriæ Vi-*
lib. 2. epiſt. 35 *gilius Papa*, vt meminit S. Gregorius, *in vrbe Regia conſtitutus, contra Theodoram tunc Auguſtam, & Acephalos, damnationis promulgauit ſententiam*. Sanctus autem Gregorius Conſtitutionem quandam, pro diſciplina Eccleſiaſtica, illibatam eſſe cupiens, iſtud, in vniuerſum, in omnes temeratores pronunciauit; *Si* *lib. 11. ep. 10*
quis Regum, Sacerdotum, Iudicum, ac perſonarum ſecularium hanc Conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentauerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat.

Succedentibus annis, Ioannes Quartus condemnata Ecthesi Heraclij Imperatoris, vnà *Heraclius Imp.* cum ipſa Monothelitarum hæreſi, etiam ipſum Heraclium Imperatorem, anathemate *hiſt. Eccleſ. anno 640.* notauit: quemadmodum & Martinus Typo Conſtantis Imperatoris, ac authoribus, fautoribuſque eiuſdem Monothelitarum hæreſis, damnatis; æquè Conſtantem, atque Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, & Sergium, Pyrrhum, ac Paulum Epiſcopos Conſtantinopolitanos, à cætu piorum alienos pronunciauit. Secutus ſuperiores Pontifices Conſtantinus, Philippicum hæreſim Monothelitarum ab inferis excitantem, execratus, **Philippicus** hæreticam quoque eius epiſtolam, reſpuit. A cuius monitione, Populus Romanus, vt Paulus Diaconus narrabat, ſtatuit, *nè hæretici Imperatoris nomen, aut chartas, aut figuram* *lib. 8. in vita Philipp.* *ſolidi ſuſciperent. Vnde nec eius effigies in Eccleſiam introducta eſt, nec nomen ad miſſarum ſolennia prolatum*. Pari zelo Gregorius II. in Leonem **Leo Iſaurus** Iſaurum, ſacris imaginibus bellum inferentem inſurrexit, & Synodo Romæ congregata, Imperatori, omnibuſque Iconoclaſtarum hęreſis ſectatoribus anathema dixit. Cumque nec quicquam precibus, & adhortationibus apud impium proficeret, quinimo malum pro bono reciperet, quod is necem illius eſſet intentus, vnaque cum eo omnes pios perſequeretur, Greg. Caroli Martelli auxilium implorauit, & vt Zonaras addit, ne amplius Imperatori hæretico tributa ex Italia penderentur, prohibuit. Quare in Italia diuulgata, *anno 726.* Rauennæ, & Venetiarum exercitus, alium tunc Imperatorem elegiſſent, niſi eos Pontifex prohibuiſſet, ac beneficijs multiplicatis emollire ad pietatem voluiſſet. Sed cùm fruſtrà conaretur, quod Imperator in ſacroſanctas imagines Saluatoris inſaniret, mox omnes Principes cõuerſi aduerſus Imagines eiuſdem, illas omnis generis ludibrio, & ignominia affecerunt, atque in ipſum Imperatorem commoti, cauſam tranſlationis Imperij aper- *lib. 6. cap. 5.* tam arripientes, Francos poſtea ad iſtud faſtigij euexerunt. Iam in Gallijs Francorum Regibus, vt Paulus Diaconus memorat, à ſolita fortitudine, & ſcientia degenerantibus, nullique alij negotio quam brutæ voracitati, poculis, ac libidinationi intentis, cum ij, qui maiores Domus Regalis eſſe videbantur, adminiſtrare Regis potentiam, & quicquid Regibus mos agere cæpiſſent, ignauiamque, & ſcelera Regiorum ad Sedem Apoſtolicam detuliſſent, Zacharias Papa ea ratione vindicias egit, vt reſponderit, Regem illum potiùs debere vocari, qui Rempub. gereret, iuſſeritq; vt per auctoritatem Apoſt. Pipinus Rex crearetur, vt Ado Viennenſis in Chronicis refert.

Ad Leonem Iſaurum reuertor. Hunc in impietate ſolita perſeuerantem, & non

tantùm ſacras imagines euertentem, verum etiam redditus patrimonij Romanæ Eccleſiæ, quod in Sicilia, & Calabria poſſidebat, in Fiſcum inferri, ac natos mares deſcribi, vt quondam Pharao de Hebræis ſanxerat, iubentem, nec non Longobardos aduerſus Romanos irritantem, ac omnes pios opprimentem, Gregorius Tertius in Concilio Romano diris deuouit, indignumque Sanctorum conſortio iudicauit; Deus autem, vt Cedrenus habet, aliam vindictam ſuperaddens, & ingentem claſſem aduerſus Italos, Romanoſque ab eodem paratam, in Adriatico mari demerſit, & Luithprandum Longobardorum Regem, illi, fœdere contra Romanos iunctum, ab eo alienauit: cùm is vnà cum Exarcho, & exercitu, iam portis Vrbis appropinquans, viſa quadam auguſtiore Pontificis ſpecie, ad pedes eius ſeſe proieciſſet, & arma, coronam auream, & Crucem argenteam ad ſepulchrum S. Petri depoſuiſſet, vt Anaſtaſius ſcripſit. Vniuerſus quoq; Oriens totis duodecim menſibus tremuit, & Mare extra terminos ſuos exilijt, & Ciuitates multæ ſolo æquatæ, & innumeri mortales abſumpti, vel aquis obruti, & ad extremũ ipſe Leo animæ, & corporis morte interijt, detruſus ad inferos, vt Theophanes refert Deo probante ſententiã Pontif. Romanorum.

Mala, quæ in Oriente cõtigerunt tẽpore Leonis Iſauri.

Leoni ſuccedens Conſtantinus Copronymus, quod pſeudoſynodum, Conſtantinopoli, aduerſus imagines, & Sanctos coegiſſet, multoſque piorum immanitate barbarâ perſecutus, tum in vincula conieciſſet, tum in exilium relegaſſet, tum varijs tormentis excarnificaſſet, ſententiam damnationis à Stephano Tertio meruit. Eidem Patriarchæ Orientales, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus ſubſcripſerunt, & ſceleſtum Ichonomachum execrati ſunt. Deus quoque calculum ſuuum addidiſſe viſus eſt, cùm & claſſem Imperatoris, duorum millium, & ſexcentarum nauium, aduerſus Bulgaros comparatam tempeſtate diſiecit, depreſſitq; & tam Conſtantinum Patriarcham hęreſis propalatorem, ignominioſa morte extinxit, quam ipſum Imperatorem ignibus anthracis exuſſit, faterique in anima, & corpore morientem coegit, *ſe adhuc viuentem inextinguibili igni traditum propter Mariam*. Narrat Cedrenus, Patriarcham iuſſu Imp. Conſtantinopolim reductum, & in ludis Circenſibus populo expoſitum, raſo capite, ac veſte breui ſine manicis indutum, aſino obuerſa facie ad caudam impoſitum caudam manu tenentem, à nepote, cui etiam naſum Imper. recidi præceperat circumductum, poſt multa ludibria capite truncatum, dignam factis mercedem, licet à magis impio Imperatore recepiſſe, quod hac cæde non contentus, etiam cadauer interempti fune raptari, & in locum damnatorum trahi iuſſit. Succeſſorem porrò Copronymi Leonem Quartum Iconoclaſtam, non ſolùm Hadrianus Papa damnauit, ſed etiam Deus, vindex ſacrilegij, carbunculis in capite, & febre ardentiſſima percuſſit; quod is in contumeliam Diuorum, coronam magnæ Eccleſiæ capiti impoſitam portaſſet, vt ait Theophantes.

Conſtant. Copron.

Leo IV. Iconocl.

Pari auctoritate Leo Tertius Papa, Nicephorum Imperatorem anathemate perſtrinxit; quod is hæreſim Iconoclaſtarum propagaret; quod Synodum adulterantium coegiſſet, inque ea mæchiam probari conſtituiſſet: inſuper quod virgines honeſtiſſimas, in ludibrium cuncto populo, homo omnium turpiſſimus defloraſſet, quodque ſanguine nobilium ciuium procerumque, atque virorum Eccleſiaſticorum ciuitatem cruentaſſet, omneſq; ſuperiores Imperatores, ambitione, luxurijs, atque barbaricis crudelitatibus ſuperaſſet. Vindex ſcelerum Deus, Leonis execrationem prolatam in Imperatorem cæde permiſſa probauit. Namque Nicephorum Crunus Bulgarorum Rex adortus, captum interfecit, & caput argento circumdatum ad vſum poculi redegit; vt ex cranio reciſo, non Reges modo, ſed & Proceres ſitim extinguerent, quod pluribus refert idem Theophantes.

Nicephor. Imp.

Pari auctoritate Paſchalis I. Leonem Armenum Imperatorem, ſæuiſſimum Sanctorum perſecutorem, & in ſacratas imagines præceps furentem, ex Synodi conſulto, Eccleſiaſtico gladio confodit, cùm Orientales Epiſcopi miſſa ad Sedem Apoſtolicam legatione, iudicium, & auxilium Pontificis implorasſent Romani. Et quidem Romanam Eccleſiam vocabant, *ſupremum thronum, in quo Chriſtus fidei Claues poſuit, aduerſus quem non præualuerunt vmquam nec præualebunt vſque ad conſummationem portæ inferi, ora ſcilicet hæreticorum. Fontem Orthodoxæ veritatis: aduerſus omnem hæreticam procellam, tranquillum portum vniuerſæ Eccleſiæ; Electam ciuitatem refugij ſalutis*: Paſchali verò tribuebant, quod eſset, *Princeps Sacerdotum primus. Vniuerſalis, ſupremum lumen, Apoſtolicum Caput, à Deo præpoſitus Paſtor ouium Chriſti, Ianitor Regni cœlorum: Petra fidei ſuper quam ædificata eſt Catholica Eccleſia*. Is itaque Pontifex cùm mentes reſiſtentium impietati ſummoperè confirmaſset, impiorum verò inſolentiam, à ſpiritu profecta poteſtate profligaſſet, etiam Leonem inter damnatos Iconoclaſtas recenſuit; Deus autem inopinata morte, decretum Apoſtolicum confirmauit. Namq; Leo, in ipſa nocte Natalis Domini, dum officio Eccleſiaſtico intereſset, in Eccleſia Palatij gladijs coniuratorum appetitus, ad ſacrum altare recurrens, vulneribus confoſsus occubuit: cùm ictus fodentium, cruce, quam antea conculcabat, fruſtra auertere conatus fuiſſet. Cadauer tandem confoſſi, in circum à percuſſoribus protractum, ludibrio à prætereuntibus exceptum eſt.

Leo Armen. Imp.

apud Theod. Studit. in ep.

Michaelem Balbum, omnis impietatis colluuiem, quod eaſdem ſacras imagines impugnaret: quod Moſaycam legem amplectendam eſſe iactaret: quod Virginem Deo dicatam ex monaſterio rapuiſſet, ſibique in matrimonium copulaſſet: quod Orthodoxos oppugnauerit, multoſque exilio multauerit: quodque Eccleſiam grauiſſimis calamitatibus afflixerit; poſt Paſchalem, & Eugenium Secundum Valentinus, & Gregorius IV. precibus Theodori Studitæ, & Catholicorum fatigati, inter hæreticos anathematizauerunt: Deus autem, dyſenteriæ morbo hominem peremit, maledictionibus omnium pro panegyricis infamatum, multiſque cladibus paulò ante afflictum. Idem Gregorius IV. vt Trithemius in Chron. Hirſaugienſi teſtatur, cùm audiſſet, S. Fridericum Traiectenſem Epiſcopum (eo quod dixerat ad Imperatorem: *Non licet tibi Iudith ſanguine proximam pro vxore habere*) iuſſu Iudithæ

Michael Balbus.

dithæ interfectum; Ludouicum Imperatorem pro agenda pœnitentia in monaſterio poſuit.

Ludou. Imp.

Addit etiam de Lothario Imperatoris fratre, Trithemius narrationem, quemadmodum propter adulterium à Pontifice Romano damnatus ſit Anno Domini 856. ait, Lotharius Rex frater Ludouici Imperatoris duxerat in vxorem Vhietbergam filiam patrui ſui Caroli Calui poſtea Imperatoris. Sed non multo poſt repudiauit eam, & ſuperduxit waldradam concubinam ſuam priſtinam ſororem Guntheri Archiepiſcopi Colonienſis: ex qua coniunctione multa mala non ſolùm illi, ſed etiam omni regno eius ſuborta ſunt. Cæterum S. Nicolaus Papa, I. illum ipſum Lotharium, vnà cum pellice Vvaldrada, propter Thietbergam iniuſtè repulſam, ad inſtantiam fratrum Reginæ, qui cauſam ad Apoſtolici audientiam detulerant excommunicauit. Ob eandem cauſam Guntherus Colonien. & Thiedgaudus Treuerenſis Archiepiſc. ab eodem Papa vſque ad laicalem ſtatum depoſiti, dignam iniquitatis ſuæ mercedem receperunt; quippe qui falſis criminibus arte confictis, Reginam innocentem damnare præſumpſerunt. Addit Rhegino ad annum Domini 868. Lotharium Regem, Hadriani II. deſiderantem conſpectum, iſtud reſponſi ab eodem tuliſſe: *Sedem Apoſtolicam S. Petri, ſemper paratam eſſe dignam ſatisfactionem ſuſcipere, nec quod diuinæ, humanæque leges iuſtè decernunt, vmquam repuliſſe. Itaque ſi immunem ab obiectis ſe ſciret, cum omni fiducia Sedem Apoſtolicam adiret, vt expeditam benedictionem perciperet: Si culpam autem recognoſceret, nihilominus abſque hæſitatione veniret condigna pœnitentiæ remedia ſuſcepturus.* Hæc in Occidente. Sed in Oriente, cùm Theophilus, pari impietate vt pater, diuorum imagines ex paterna æmulatione auerſatus, non paucos, qui eas colerent ad mortem vſque cædi iuſſiſſet, & quos gladio non ſuſtulerat, exilio, aut diro carcere multaſſet; imagines verò ſacras pingi prohibuiſſet, ac pictas in forum proieciſſet, hæreticorumque ludibrio expoſuiſſet; & exquiſita arte ſingulos ſuo imperio ſubiectos indagans, Quæſtoribus, vt cùm tributum capitationis exigerent, pariter de cuiuſque fide quæſtionem haberent, & quem cultorem imaginum inueniſſent, in carcerem, diris ſupplicijs conficiendum retrutruderent, in mandatis dediſſet, idem, quem memoraui, Greg. IV. hominem peſtilentem cætu piorum abdicauit, Deus autem diuerſimodis caſtigauit. Nam Saracenis Aſiæ prouincias vaſtantibus bis congreſſus, bis victus, caſtriſque exutus, eodem dyſenteriæ morbo, quo pater vitam finiuit mærore confectus. Accidit inter hæc in Occidente, vt Ludouicus, & Carolus, bello aduerſus Lotharium Imperatorem ſuſcepto ipſum Regno exuerint & quidnam de illo diuidendo agerent Epiſcopos Aquiſgranum ad Synodicam deliberationem euocarint. Ibi Epiſcopi poſt multam inquiſitionem, Lotharium Imperatorem propter multa crimina aduerſus Eccleſiam, patrem, fratreſque commiſſa, nec non propter alia multa facinora, iuſto Dei iudicio regno priuatum renunciarunt.

Lotharius Ludouici frater.

Colon. & Treuir Archiep. depoſiti.

Theophil. Imper.

Epiſc. in Aquiſgran. Synodo cẽſuram in Lothar. Imper. exercent.

Et cùm illud ijſdem fratribus inter ſe diuidendum adiudicare vellent, non prius id fecerunt, quam illi iure iurandum de recta illius adminiſtratione præſtitiſſent. Tunc demum illi, *Et nos auctoritate diuina, vt illud ſuſcipiatis, & ſecundùm Dei voluntatem regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus,* decreuerunt, regnumque illis tradiderunt, Lothario, iuſto iure ademptum. Quod ſi id licuit Epiſcopis non video, cur non liceat Epiſcopo Epiſcoporum Romano Pontifici, in pœnam ſceleris, aliquos malechriſtianos principes, non tantùm cætu piorum excludere, verum etiam poteſtate ſuper illos priuare, adeoque Regno, & Imperio indignos pronunciare: cùm ille ſit ſupremus vindex omnium flagitiorum, à Chriſto omnium viuorum, & mortuorum Iudice conſtitutus. Volebat communione Chriſtifidelium, Hadriani Secundi Carolum Caluum, expoſtulante Ludouico Imperatore arcere, quod is Ludouico nepoti regnum eripuiſſet. Quamobrem Legatione in Gallias miſſa, tum illi gladium ſpiritualem oſtentauit, tum Epiſcopis in regno Caroli conſtitutis ſcripſit: vt ſi Carolus Sedi Apoſtolicæ obtemperare recuſaret, ipſi ſe ab eius communione ſeiungerent, ſi vellent cum Apoſtolica Sede communicare. Alioquin, ſi recuſarent: ſcirent ſe ab eadem vt indignos reſpuendos, & dignitatibus exuendos, quod non aliud fuit, quam, quod Hadrianus, in Chriſtifideles Gallos, poteſtatem Carolo abrogabat, Regnoque excidere decernebat.

Nithardus lib. 2. & 3.

De Carolo Caluo.

Aimon. lib. 5. cap. 26. 27.

Eadem authoritate Ioannes Papa X. vt Polydorus Angl. hiſt. l. 6. narrat, Edouardo Regi Anglorum, per occaſiones bellorum præficere nouos Epiſcopos Eccleſijs negligenti, per litteras minatus eſt, *ſe illum vnà cum populo religionis hoſtem denunciaturum, niſi negligentiam reſarciret.* Vnde Rege hortante, Pleimundus Cantuarienſ Archiepiſcopus primũ creauit plures Epiſcopos, deinde purgandi Regis cauſa Romam profectus, Pontificem placauit.

De Edouardo Anglorũ Rege.

Hac ipſa Apoſtolica auctoritate, Gregorius V. vnà cum Epiſcopis Galliarum, Robertum Regem Galliarum, quod illicitum matrimonium cum commatre ſua Berta, ex permiſſione adulantium ſibi Epiſcoporũ contraxiſſet, graui pœnitentia caſtigauit. Vnde Epiſcopus ad zelum excitati, in Regem inceſtuoſum anathema tulerunt, ex quo factum, vt ab eius ſocietate vniuerſi receſſerint, nec præter duos ſeruulos ad neceſſarij victus obſequium remanſerint: qui tamen & ipſi omnia vaſa, in quibus Rex edebat, vel bibebat abominabilia iudicantes, mox igni tradebant, maximè, quod ex huiuſmodi illicito coniugio monſtrum anſerino collo, & capite natum aſpexiſſent. His anguſtijs coarctatus Rex diuortium cum Bertha fecit, & legitimam tandem vxorem ſibi copulauit, atque piè, & ſanctè vitam duxit, vt poſt Petrum Damiani, in epiſtola ad Deſiderium Abbatem iſta memorantem, legitur in fragmentis Aquitanicæ hiſtoriæ. Gregorius VII. in eandem Apoſtolicã Sedem ſuccedens, æquali auctoritate vindicias egit de Henrico Germaniæ Rege. Quod enim Agnes Auguſta, ex ipſo grauida vidiſſet, ſe draconem parere virulentum, id euenta clariſſima declararunt, ſcilicet magno Eccleſiæ demno aliquando fuiſſe Henricum prognatum. Enimuerò vbi à cura matris, & poſtea ab educatione S. Annonis Colonien. Ar-

hiſtor. Eccl. ann. 998.

Robertus Rex Gall.

De Henric. Rege German. & Roman. Pontif. de eo vindicijs.

chiepiſcopi in manus aulicorum incidiſſet, ſtatim ruptis omnibus modeſtiæ, & temperantiæ frenis, in omnia flagitiorum genera ſeſe dedit. Et quidem iuuenili furore, Bertam coniugem repudiaſſet, niſi Alexander II. miſſa Legatione, ſub interminatione anathematis id prohibuiſſet. Contra quem inflammatus, illam quidem, ſed non in conſuetudinis conſortium reuocauit, ſed ſtupris, amoribus impudicitiæ, & adulterijs indulſit; adeoque infamia publica flagrauit, deinde procerum oculos fugiens, vbi in montana Saxoniæ, & Thuringiæ ſeceſſiſſet, prædas ex proximis agris, & villis agere, huicque ſpecioſum nomen decimationum, quaſi pro Eccleſia Moguntina imponere, adeoque etiam Eccleſiaſt. innocentiæ illudere voluit: mox Eccleſiaſticos viros iniuriam paſſos, Sedem Apoſtolicam interpellare prohibuit, adeoque apoſtata factus, Henricianam hæreſim, extremo ſectatorum damno inſtituit: cumque poſt Alexan. II. Greg. VII. adoleſcentem proteruiẽtem ad mẽtem reducere niteretur, contra eum auſu nefario exurrexit, iuraq; Rom. Sedis violare, quin & ipſum Gregor. è medio tollere properauit.

Non iſtis facile crederem, niſi hiſtorici illorum temporum, quos Ripamontius in compendium reuocauit, rem propudioſam ita vt acciderat, poſteritati retuliſſent. Ita ex illis Ripamontius, decimo hiſt. Eccl. Mediolan. libro, narrabat. Placet memorare, ad vniuerſam eam tragædiam, in ſumma cognoſcendam. Henricus, poſtquam violando Romana iura, Metropolim Inſubriæ venditando, & quaſi trahendo in Regiam Pontificatu Gregorium irritarat, haud poterat ex eo tempore quietis vllum locum inuenire. Siue dulcedo vlterius progrediendi, ſiue metus ex acerrimo viro, ſiue vltrices furiæ animum ſolicitarent, noua conſilia, turbidos conatus voluebat, quibus demum vniuerſa ſpes; & finis in eo, ſi quo pacto Gregor. ipſum e ſacrorum Principatu, & ſummis Eccleſ. rebus exturbare poſſet. Mala mens Henrici, malus animus, & importuna deſtinatio, adiumenta tentandæ rei ſtatim inuenit *antiquę, & immutabili Regum ſorte, vt miniſtri ſcelerum, & calamitatum artifices, ac inſtrumenta perniciei nunquam deſinit*. Gibertus Rauennas, & Thealcus Mediolan. Archiepiſc. ille ſpe inflatus adipiſcendi ſummi honoris, hic obligatus recenti munere (dignitatem à cura Henr. obtinuerat) ſeſe cum ſuis vterq; artibus, ac dolis ad opprimendum Greg. obtulere. Hi communicatis inter ſe conſilijs, & re multum agitata, aut procul aberant à patrando facinore, quo cædem Summi Pontificis gratificarentur improbo Regi. Inſania ad ſæuiendum præceps, ad latendum incauta, repente patuit Greg. nec ille, ita & vi, & quod fortaſſe alius quam Romanus, & Catholicus Pontifex feciſſet, arte pari, ſed maturato conſilio, & plano Paſtorali lenitate obuiam iuit.

Recenſetur Hiſtoria.

Erat per id forte tempus edictũ Epiſc. tam Græci, quàm Latini generis, vt Romam ad certam diem conuenirent, de maximis Eccleſ. rebus, in celeberrimo Lateranen. conuentu deliberaturi. Conuentus illius opportunitatem, emendando Henrico Regi, reprimendoque duorum Antiſtitum furori ſibi diuinitus oblatam ratus Pontif. iam meditato verborum temperamento paratus inidipſum, auide tempus expectabat, quo Henrici patefacta conſilia moderaretur, & ſacrilegos argueret nefarij auxilij; atque eos, aut ignoſcendo, & condonando traduceret ad æquitatem, aut ſi duriores viderentur, inſigne aliquod, neque tamen abhorrens ab animo paterno documentum ederet vindicandi ſceleris eiuſmodi. Ac cæteri quidem Patres, obedienter ad diem adſuere, Conciliumque frequens habebatur in Laterano: Thealeus verò, & Gibertus, vt eſt omnis malitia ſuſpicax, & meticuloſa, varias nectendo moras, deſtinata Pontificis eluſerunt. Tunc ille non eſſe vltra diſſimulandum ratus, retulit ad Senatum de parricidarum ſcelere, & contumacia, & quemadmodum inferre ſibi ſacrilegas manus agitaſſent. Indigniſſima res omnibus viſa: Satellites Henrici Vicario cœleſti ſtruere inſidias auſos, & Maieſtatẽ illam, qua nihil ſit in terris auguſtius, & ſanctius, ad necem appetiuiſſe. Fit ex templo Senatus Conſultum, vt Pontificatu deijcerentur ipſi, cæterique, quorum deprauari conſilijs Henricum, & fauore ſubniti fama conſtans erat. In hunc modum illi notati, & perculſi omiſerant inceptum, magiſq; tumebant ira, quam tentabant aliquid, & moliebantur.

Cæterũ Henricus, qui maiorẽ animo ferociam inſitam haberet, quam, vt Mediolanenſis, aut Rauennatis Epiſcopi pœnitentia, & conſternatione flecteretur, quotidie magis fluctuabat æſtuabundus, & omnes opprimendi Gregorij vias inquirebat. Gregorius contra, monitis, & authoritate nequicquam lenire furentem conatus, in publico demum Conuentu ſtatuit experiri, ſi qua poſſet eum ratione coercere. Conuentus Epiſcopis Romam iterum eſt indictus, miſſique ad Henricum Legati, cum denunciatione cæleſtium dirarum, monuere, veniret, ad purganda crimina, quorum argueretur, ſatisfaceret Eccleſiæ, neue ſeſe vltra in diuini iudicij Vicarios contumacem præberet. Nihil eſt tam impotens, ac temerarium, quam eorum animi, quos magnis opibus, & proſpero ſucceſſu fortuna ſemel inflauit. Non liberæ vocis, non veri, aut ſinceri pati quicquam poſſunt. Sic Henricus, & Legationem, & mandata Pontificis Maximi ſuperbè adſpernatus, non iam fraudibus, & dolis, quibus in eum diem graſſatus fuerat, ſed ſtolido auſu, eliminando palàm, & in ius vocando, per conciliabula, & cætus aſſeclarum ſuorum, abrogare Gregorio cæleſtem curam, & Eccleſiæ Catholicæ conſenſum irritum facere conatus eſt. Vormaciam ex vniuerſa Germania congregati ſeditioſiſſimus quiſque Præſulum, & Antiſtitum inſtigante, ac ſolicitante animos Henrico, Gregorium Pontificem Maximum eiurauere, quaſi flagitioſa, fœdaque vita contaminatus fuiſſet. Verba decreti fermè in hunc modum fuere. Maculoſum hominem eſſe Gregorium; malis artibus ad Pontificatum obrepſiſſe, plurimaq; detrimenta quotidie rebus Eccleſiæ per ſcelera, & corruptelas illius importari. Proinde placere Concilio, nè legitimus ille, iuſtuſque Pontifex habeatur: nihil ipſis iuris in quenquam, nihil authoritatis, aut fuiſſe vnquam, aut fore. Rolandus erat quidam oriundus ex Vrbe Italiæ Parma, Clericus ordine, loco non obſcurus, promptus ingenio; cæterum prauus, aui-

dusque

duſque famæ malæ. Is, cùm cæteri, formidine, ſeu nonnulla religione cunctarentur, auſus eſt depoſcere ſibi munus adeundi Pontificem, & ſacrilega mandata cum minacibus litteris perferendi. Summa fuit. Cederet abſque mora Pontificatu, & ſummi nominis maieſtate: neue ſeſe in poſterum vllis Eccleſiæ rebus immiſceret. Simul, arrogantia, & ſtoliditate dari Cardinales admonebãtur, vt in Germaniam ad Comitia noui Pont. venirent, quẽ Henricus eo faſtigio dignũ ſuo tẽpore nominaturus, animo, & cogitatione deſtinaret.

Non erat Gregorio mollis, & pauidus animus; quales raro ſummus honor facit, aut admittit: ſed acer; vehemens, & quem timere poſſes haud minus quam veteri. Itaque tanto ſpiritu, & ardore in Senatu cauſam Dei, Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis, ſuamque cum ſuperioribus coniunctam egit, ac Henrici factum impium tam grauiter, ac dolenter eſt deteſtatus, vt Patrum animos iuſtæ indignationis impleret, ac temerario Regi per iniurias Eccl. regnũ exercenti, male in eo capite collocatũ honorẽ abrogarent. Extant adhuc in idipsũ tremenda verba Pontif. quod longo affata carmine non operæ eſt referre.

Potuit eo tempore, ſi vnquam alias, magnum nomen, & celſiſſima Pontificatus maieſtas, & proxima cœlo ſedes omnibus mortalibus eſſe terrori, & contemptores diuinarum rerum animos ab iniurioſis in Eccleſiam conatibus obſtupefacere. Nam poſtquam Gregorij Pontificis Maximi ſententia damnatum Henricum, Regni Proceres cognouere, eaque latè per prouincias eſt dedita fama, tamquam ſi Pontificius dolor ad omnes pertineret, ac vnius iniuria violati forent vniuerſi, ita deteſtari, & horrere Henricum cæperunt. Si conuentum indiceret, non obire diem, &, aut negare palàm venturos, aut varias latendi, vel diſcedẽdi artes nectere. Si aliquid ſanciret, ac decerneret, imperata cõtemni. Si pœnas irrogaret, tumultuari acerrimus quiſq; & ad ſubtrahendum iudicio reum, prohibendoſue lictores facta manu cõcurrere. Demũ eo proceſſere, vt conſilia de nouo Rege creando minime diſſimulanter agitarent.

In idipſum conſtituta die ad Oppenehiu (Germaniæ vrbs eſt) conuenere ardentibus in Henricum animis, & imminentes haud dubiè cædi, ſi pacato conſilio prupoſitum tenere non poſſent. Legati quoque Pontificis, Sigehardus Aquileienſis, & Almannus Patauinus ad promouendam authoritate rem, & ſi quorum forte labarent animi, præmiorum, aut periculorum oſtentatores adſuere. Sed acerrima Principum indignatio non egebat ſtimulis, primoque ſtatim conſeſſu; cùm pro ſe quiſque probra, & flagitia Regis expoſuiſſent, omnium ſuffragia in eam ſententiam conſenſere, ne quis Henricum ſibi Regem duceret in poſterum, atque circumſpecto nobilitatis flore deligerent, quẽ vacuo iam loco, ac nomine dignum arbitrarentur. Humillimi quoque ſenſus hominem ea tam inſignis contumelia perculiſſet; nedum Henricus immoto ſtaret animo, ac de ſummo faſtigio detrahi ſeſe penè ad ima pateretur. Sed quia tumultuando, & aduerſando, nihil aliud feciſſet, quam vt ſatis iam ſua ſponte concitatos animos impenſius efferaret, nec iam illud Regiæ ferociæ tempus erat: ideò ſeſe ad preces infimas, & varia blandimenta conuertit; nè ſibi tantùm dedecus imponèrent. Miti poſthac, & manſueto imperio rectum iri, atque adeo ipſos fore arbitros omnium rerum. Se nihil publicæ rei geſturum, niſi ex eorum ſententia. Proinde veterum obliti, futura ſpectarent, & quo diademate ſemel caput incinxiſſent ſibi, id ratum, ac perpetuum eſſe vellent, atque beneficium ſuum tuerentur.

His dictis, homini priuato ſimillimus Rex, primo nihil mouebat, perſtabantque Principes in eo, quod ſemel vnanimes conſciuiſſent. Denium inſtando pluribus, & vrgendo, miſcendoque precibus lacrymas, & lamenta flebilia, peruicit, vt inflecterent ijdem illi pauliſper animo, remque totam interuallo adhuc modico ſuſpenſam tenerent, ſuſpendere autem in conditiones haſce. Reſeruaretur integra cauſa Pontifici Maximo; quicquid ille cenſuiſſet, id ius ratumque foret. Henricus interim omiſſa Regiæ fortunæ mole, Spiram ſecederet; ibi, cùm paucis quotidiani victus adminiſtris, Apoſtolica decreta, ſupremumque de ſuo capite iudicium expectaret. Quod niſi æternis vinculis abſolutus foret antequam anni ſpatium circumageretur, tum verò tu Regia ſede in perpetuum deiectus eſto, nec ad eam repetendam iuris quicquam habeto. Etiamſi duriora Concilium imperaſſet, non abnueret Henricus; & hæc ipſa molliter ſatis, ac benignè conſtituta putauit. Inde Germani Proceres Legatos ad Gregorium miſere cum precibus; vt quando totum iam Henricum ipſius arbitrij, poteſtatiſque feciſſent, ne differret cogniſionem, ac vellet pro ſua Paſtorali auctoritare, & ſolicitudinee ſtatuere, quod maximè fore in rem Eccleſiaſticã arbitraretur. Si vellet poſſe ipſum Auguſtam Conuentum indicere in Mariæ Virginis luſtralia publica gratulatione feſtum diem. Eum locum, id tempus maximè opportunum omnibus videri. Rontifex Maximus, quem ſimul cura publicæ pacis angebat, ſimul ex atroci Regis iniuria ſtimulabat dolor, nihil cunctatus, ſeſe in viam dedit. Facile Henricus videbat, ſi prius Auguſtã à Pontifice Max. peruentum fuiſſet, quam ipſe cum Eccl. Catholica recõciliaretur, ibi plena omnia difficultatum, & inſectionis fore, proceresq; regni arrepta materia criminãdi nihil reliqui facturos eſſe, quominus ſeſe dignitati ſuæ aduerſarios præberẽt.

Ea ſuſpicione, ac prouiſu faciendum putauit, vt occuparet, in gratiam cum Pontifice redire, iamque ſuperatis alpibus, magnis itineribus Cannuſſium innoxio acceſſu peruenerat, vbi Gregorium diuertiſſe audierat. Ibi reconciliationis auidus, ac dira iſla pertæſus vincula, Principes quamplures authoritate inſignes, qui circa Gregorium erant, appellat, vt mitigare ſibi Pontificem velint, ac in tanta ſua conſternatione deprecatores exiſtant. Non recuſanere illi, moxque variè apud Gregorium agendo, & ſolita deprecantium arte, qua præteritas culpas eleuando, qua ſaniora in poſterum, & conſilia, & paratam obſequio mentem demonſtrando, flectere offenſum Pontificis animum nitebantur. Sed non ita ſænierat Henricus, vt crederet eum Põtifex ab ſua poſſe grauitate deduci,

ac primo quidem conſtanter abnnebat; poſtea verò, cùm ijdem illi precibus iteratis inſtarent, exoratus randem ad concedendam veniam inclinauit; ſiquidem ſupplicem, & antiquæ contumaciæ oblitum viderit. Cannnſſium oppidum triplici per ea tempora muro cingebatur. Henricus ad ſpem veniæ receptus, intra prima mænia, nudis pedibus, tempeſtate frigida, nullo Regali comitatu, vel ornatu, ſententiam de ſe Pontificis expectauit. Cùm primo die, tentando nimirum animo, nullum omninò reſponſum redderetur, ille & poſtero, & ſequenti vices repetijt eaſdem, ac iterata toties prece fidem demum animi ſinceri cùm feciſſet, quarto die in conſpectum admittitur. Ibi multis vltro citroque verbis habitis, obliuio præteritorum indicta, dempta vincula Henrico latæ, acceptæque conditiones, cùm Henricus inſignia imperij depoſuerit, Moguntiamque contenderet, ad crimina eluenda: & ſi illa manſiſſent comprobata; ad ſententiam Sedis Apoſtolicæ audiendam. Hæc Ripamontius ex veterum, qui ea tempeſtate ſcripſerant, ſchedijs memorabat. Cæterum, quanti eam Gregorij VII. in Henricum olim prolatam cenſuram Catholici Principis fecerint, placet duos ſanctitate viros illuſtres audire, tunc viuentes. S. Anſelmus Canthuarienſis Epiſcopus, ita ſcribebat Vvilhelmo Abbati Hirſaugienſi in Chron. Trithemij.

S. Anſelm. Canthuar. Comitem nõ Regem dicit: quod propter anathema, excidiſſe Regia dignitate Henricum cenſeret.

Comes, *inquit*, veſte, qui excommunicatus, vobis diuina celebrantibus ſe immiſcet, mihi videtur humiliter admouendus, nec contemnendo ſententiam eorum, à quibus, & in quibus Deus ſe confirmat ſe audiri cum audiuntur, & ſperni cum ſpernuntur, ſeque ligare cum ligant, & ſoluere cum ſoluunt, aggrauet ſuper ſe Dei iudicium, à quo fugere nuſquam homo poteſt. Quare illi melius eſſet, vt per ſalubrem humilitatem abſtineat ab his à quibus eum ſententia Apoſtolica ſegregat, quam per præſumptionis contemptum ſe ingerat in illa, quæ nuſquam niſi per humilitatem quæſita proſunt, at ſemper inordinatè præſumpta obſunt: nec deberet cum nullo ſuo commodo, & grauiſſimo veſtro malo, cogere vos vt cum eum offendere nolitis, Deum, & Apoſtolici authoritatem grauiter irrietis, ad quos peccandos illum adiutorem habere non poſſitis. Facilius quoque ac benignius Apoſtolicum eius rationes ſuſcepturum, ſi ſuam illam ſententiam cognouerit reueritum. Quod ſi Comes idem hanc admonitionem reſpuerit, ſcitis quia Deus plus timendus eſt quam homo. Quapropter, aut ſecundum iam prolatam Apoſtolicam ſententiam erga illum agendum, aut ipſum Apoſtolicum, ſeu aliquem Vices eius gerentem, de hoc ipſo conſulendum æſtimo. Hæc de Anſelmo Trithemius. Quæ adiungo, de alio quem recolit in Chron. Hiſaugnien.

Stephan. Halberſtat. Epiſc.

Stephanus, *inquit*, Halberſtatenſis Epiſcopus vir doctus, & ſanctus, ſemper Henrici quarti ſcelera deteſtatus, cum Romana Eccleſia optime ſenſit. Scripſit ex perſona Ludou. Eccleſiæ Romanæ, ad Vualramum, Epiſc. Naumbergen. quod partes Henrici contra obedientiam ſummi Pont. pertinaciter defendebat, epiſtolam non minus elegantem quam prolixam; in qua cunctos errores, crimina, & ſcelera ipſius Henrici Regis tam aperte deſcribit, vt nulla deinceps potuerint excuſatione negari. Inter cætera vero eiuſdem epiſt. ſic dicit ad Vualramum deſenſorem Regis ſchiſmatici, & excommunicati: Audi igitur vera, non fucata; audi fortia, non faceta. Omnis qui dignitates ſpirituales diuendit, hæreticus eſt: Dominus autẽ Henricus, quem Regem dicunt, Epiſcopatus, & Abbatias vendit: Etenim Conſtantienſem, Bambergenſem, Moguntiuenſem, & plures alios pro pecunia: Ratiſponenſem, Auguſtenſem, & Strasburgenſem, pro gladio; Abbatiam Fuldenſem, pro adulterio: Monaſterienſem vero Epiſcopatum, quod dicere, & audire nefas eſt, pro ſodomitica immunditia vendidit: Quæ ſi impudenter negare volueris, teſte cælo, teſte terra, omnes etiam à furno redeuntes ſcioli, concludent hoc: Dominus Henricus hereticus eſt. Pro quibus neſandis malis, ab Apoſt. Sed. excommunicatus, nec Regnum, nec poteſtatem aliquam ſuper nos, quia Catholici ſumus, poterit exercere. *Hæc Stephanus, aſpectu iuris diuini, quod Deus olim ſanciebat*: Non poteris alterius gentis, *ſcilicet qui non ſit eiuſdem religionis*, Regem facere, qui non ſit frater tuus. *Deuter. 17.*

Obitus miſerabilis Hẽrici IV. Imp.

Probauit Deus Gregorij ſententiam in Henricum. Is enim ab Henrico filio captus, & Leodij cuſtoditus, fædore carceris miſeram animam efflauit, etiam ſepoltura Eccleſiaſtica indignus indicatus.

Cenſura Eccl. in Henricum V. Imp.

Nemo Henrici illius propudioſi, Henricum Quintum prolem agnoſceret, niſi is impietatem paternam redoleret, in continua Pontificum inſectatione. Namque Paſchalem per ſummam perfidiam, in poteſtatem redegerat, neque prius dimiſerat, quam ille cuncta rara quæ voluit, feciſſet, & Imperij coronam ab eo per vim expreſſiſſet. Quæ inauguratio, quaſi parum aut ſancta, aut proba eſſet, Bracharenſem Antiſtitem ad aliam conſecrationem ſeu potius execrationem impulerat; cum Gelaſiũ Sanctiſſimum vrbe expuliſſet, & tum ſchiſmare diuiſiſſet, tum hæreſi Nicolaitarum atque Henricianorum Eccleſiam infeciſſet. Non potuit, nec debuit vllus Pontificum ferre iſtud probrum. Et quidem Paſchalis, vti extorta ſibi, irrita omnia denunciauit, parricidamq; Regem diris deuouit; Gelaſius autem ſententiam anteceſſoris comprobauit, vt ſcriptores eorum temporum prodiderunt, cum etiam id temporis, Vrbanus II. Philippum Regem Galliarum, quod viuente legitima vxore aliam ſuperinduxiſſet, anathemate ferijſſet; & Paſchalis II. ſacrarum vindex legum, eandemm cenſuram in peruicacem iteraſſet.

Miſcellanea.

Mira res tunc accidit, in Conc. Epiſc. Pictanienſi. Miſerat eo Paſchalis Ioannem S. R. E. Cardinalem, Legatum, qui cætui præſideret, & diſciplinam Eccleſiaſticam in Regem Philippum ſanciret. Iſtud Philippus cum audiſſet, Guillelmum Aquitaniæ Ducem datis litteris admonuit, qui Epiſcopos congregatos expelleret, neque Legatum lege Eccleſiaſtica agere ſineret. Ibi nocte interiectâ viſus eſt Legato S. Hilarius, aſtare & hortari, nè minis Guillelmi Ducis territus ab incæpto deſiſteret. Non enim paſſurum Deum, vt ea res ei fraudi eſſet, aut malè ſuccederet. Retulit Legatus *an. 1100.*

quæ

quæ vidit Guillelmo: hic verò vt Legati cuncta pro arbitrio perficerent permiſit, vt eſt in Aquitaniæ Annalibus. Perculit pariter Paſchalis anathemate Alfonſum Aragoniæ Regẽ & Vracam Reginam, tertio gradu conſanguinitatis inter ſe coniunctos, quod inceſtas nuptias celebraſſent. Cumque ij non paruiſſent, Deum vindicem experti ſunt. Nam Vraca morte ſubitanea medium crepuit, Alphonſus à Saracenis peremptus eſt; prout vterque Rodericus affirmat, Honorius etiam II. Rogerium Siciliæ Regem, propter varia facinora, excommunicatione percelluit. Eugenius III.
an. 1148. in Stephanum Anglorum Regem, anathematis,& in regnum interdicti ſententiam, ab omnibus Epiſcopis authoritate Apoſtolica exerceri præcepit; quam diuina vltio ſubſecuta, filium Regis Euſtachium, cum terram S. Eadmundi martyris inuaderet, ſubitanea morte extinxit, itque vtrumque vindicias exeruit. Alexander etiam III. Fridericum Ænobardum quod Eccleſiam ſcinderet, gladio Euangelico proſtrauit. Quem cum profanus contemneret diuino iudicio incipiebat reprobari, ſchiſmaticis mortibus ſubitaneis circumquaq; cadentibus,filio illius capto,illoq; ipſo in ludibrium non tantùm apud Reges, ſed etiam apud viliſſimos quoſq; adducto, donec calamitatibus edoctus, caput ſummę poteſtati ſubmiſiſſet.

Pari authoritate Cæleſtinus Tertius, Rege Anglorum Richardo intercedente, Henricum Imperatorem V. quod ab eo malè exacta nollet reſtituere, anathematis ſententia condemnauit.In qua cum is vſque ad obitum perſeueraſſet, Pontifex, ne cadauer illius ſepelliretur, prohibuit: cum etiam Deus multis cladibus illum affeciſſet, & inter hæc Conſtantia eius vxor, contra illum exercitum ſcripſiſſet, inque fugam maritum & latebras compuliſſet. Henrici pariter fratrem Philippum, necnon Galliarum Regem Philippum, itemq; Ioannem Angliæ Regem, vſque ad extremum Otthonem Imperatorem, Innocentius III.ſpiculo Apoſtolico traiecit.Illum quod Imperium aduerſus Otthonem infeſtaret; Gallum, quod vxorem legitimam repudiaſſet; Anglum,quod grauiſſima crimina admiſiſſet: Otthonem denique, quod Pontificiæ ditionis oppida quædam intercepiſſet, & Friderici Iunioris regnũ inuaderet. Iiſdem diris Pontificijs petitus, eodemque modo Imperij titulis priuatus eſt ab Honorio III. primum, deinde à Gregorio IV. & ad extremum in Concilio Lugdunenſi ad Innocentium IV.Frideric. II. quod exercitum in Saracenos à Chriſtianis Principibus ſubmiſſum peſſimè habuerit: quod Brunduſio equis, pecunia, & prætioſiſsima ſuppellectile demortui Thuringi Reguli direpta, non belli ſed prædæ iſtius tegendæ & velandæ gratia in Aſiam nauigarit: quod neglecta Sacramenti deuotioniſque religione & ſponſione, ſimulato morbo redierit, militemque Chriſtianum periculo obierit: quod eius culpa Damiata amiſſa & Chriſtianus exercitus afflictus ſit, quod ingenuæ cuidam puellæ,quæ in gynæceo Reginæ famulabatur, ſtuprum intulerit, quod Coniugem propter hoc facinus Patri Ioanni denunciatum, verberibus affectam, in carcere necarit, quod à libidine immenſa, præter gentis morem, in contumeliam Reginæ concubinas multas & ſcorta aleret, quod Italiæ infeſtus eam propè ad internecionem redegerit, quod pernicioſiſsima Italiæ nomina Guelphos & Gibellinos primus turbandis rebus inuexerit, Saracenoſque in Chriſtianos adduxerit, ac eorum communione ſeſe polluerit, quodque plures Sacrorum hominum interceperit, in vincula coniecerit, & varijs generibus exanimarit. Propter hæc & alia atrociſſima crimina, Innocentius IV. illum Imperio abdicauit: deinde anathematis ſpiculum in eum diſtringens, Henricus Thuringiæ Landgrauium Imperator dixit: mox magnam Italiæ partem in illum armauit, inque fugam coniecit:ex qua Panormum cum ſe recepiſſet, Manfredi filij nothi dolo ſuffocatus, interijt. Eandem & in alios Principes poteſtatem exercuerunt maximè quod illius legis in Magno Lateranenſi Concilio latæ ſe reos feciſſent, quæ Innocentio III. authore condita eſt iſtis verbis: c. 3.

De Frider. II. & atrocibus eius delectis propter quæ excommunicatus, & imperio priuatus à Pont. fuit.

Si Dominus temporalis, monitus ab Eccleſia, terram ſuam ab hæretica fœditate purgare neglexerit, per Metropolitanum, & cæteros comprouinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere contempſerit infra annum: ſignificetur hoc Summo Pontifici, vt ex tunc ipſe Vaſſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos,& terram exponat Catholicis occupandam. Rectè, & ex Catholico ſenſu, Patres, ex quibus fuere Metropolitani 70. Epiſcopi 400. Abbates 12. Priores Cœnobiorum 800. præſentibus Græci & Romani Imperij, necnon Hieruſalem, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Cypri Regum Oratoribus ſanxerunt,cum & Chriſtus edixerit; *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*; & Apoſtoli vetuerint cum hæreticis miſceri, cibum ſumere, colloquia habere, aue eis dicere: quia & monuerint, iuſſerintque illos deuitare, arguere, execrari, Sathanæ in interitum carnis tradere. Cui præſcriptioni Patres ſuccedentes innixi, *S. Gregorius Primus S. Innocentius I. S. Fabianus; S. Ambroſius, S. Felix, S. Symmachus, S. Gregorius VII. S. Leo III. S. Nicolaus I. S. Anſelmus Canthuarienſis, S. Stephanus Halberſtaten. S. Anſelmus Lucen. & poſt hos ex Italia S. Thomas Aquinas. 22. qu. 10. & qu. 12. art. 2. & qu. 60. art. 6.*

S. Bonauentura lib. de Eccleſiaſtica hierarchia parte 2. c. 1.

Ægidius Romanus. libr. de poteſtate Eccleſiaſtica.

Auguſtinus Triumphus. lib. de poteſtate Eccleſiæ: qu. 22. art. 3.

S. Antoninus Florentinus. parte 3. Summæ tit. 22. c. 5 §. 7.

Iſidorus Mediolanen. libr. 2. de imperij militantis Eccleſiæ dignitate. tit. 8. Concl. 3.

Petrus de Monte Venetus Epiſcopus Brixienſis in Monarchia parte 2. qu. 4.

B. Ioannes Capiſtranus lib. de poteſtate Papæ. parte 2.

Thomas Caietanus Cardinalis. lib. de comparata authoritate Papæ & Concilij.

Gabriel Biel, lectione 23. in Canone Miſſæ.

Alexander de Elpidio libr. de authoritate Summi Pontificis & iuriſdictione imperij. c. 9.

Petrus Ancharanus in cap. Canonum ſtatuta. num. 6.

Sylueſter Prierias in Summa verbo Papa num. 10. & 11.

Aſten-

Aſtenſis in Summa 1. par. libr. 2. tit. 64. articul. 4.

Nicolaus Abbas Panormitanus. in C. *Solitæ, de maiorit. & obedient. num. 7.*

Ioannes de Anania, Archidiaconus Bononien. in C. *Licet, de voto num.* 10.

Bartolus in l. ſi Imperator C. *de legibus num. 4.*

Baldus in præmio ff. vet. & alijs pluribus in locis.

Petrus Andreas Gambara, in tractatu de officio & poteſtate Legati, lib. 2. tit. de varijs ordinariorum nominibus num. 220.

Raſtaurus Caſtaldus lib. de Imperatore qu. 81.

Gaſpar Contarenus Cardinalis lib. de poteſtate Papæ.

Robertus Cardinalis Bellarminus noſtri ſæculi Auguſtinus, libro aduerſus Barclaium.

Dominicus Cardinalis Tuſcus, tomo 6. Practicarum concluſionum.

Cæſar Cardinalis Baronius tomo 11. & alijs.

Franciſcus Zabarella Cardinalis, in tractatu de ſchiſmate.

B. Laurentius Iuſtinianus Patriarcha Venetus lib. de obedientia.

S. Bernardus in Mariali.

Aeneas Syluius pluribus in locis.

Ludouicus Bologninus tract. de poteſt. Papæ.

Antonius Bonfinius dec. 4. lib. 1.

Ex Gallis.

S. Bernardus lib. 4. de conſideratione.

Petrus de Palude Patriarcha Hieroſolymitanus, tract. de cauſa immediata Eccleſiaſticæ poteſtatis art. 4.

Durandus Epiſcopus Miniaten. lib. de origine iuriſdictionum. qu. 3.

Herueus Britto Generalis Magiſter Dominicanorum tract. de poteſtate Papæ.

Iacobus Alma in tract de ſuprema poteſtate Eccleſiaſtica & temporali q. 2.

Henricus Cardinalis Oſtienſis in Summa, tit. de hæreticis §. Qua pœna puniantur. num. 11.

Petrus Bertandus Cardinalis & Epiſcopus Eduen. tract. de Origine iuriſdictionum q. 4. num. 5.

Ioannes de Sylua tract. de Beneficio par. 3. queaſt. 8.

Stephanus Auſtrerius tract. de poteſtate ſæcularium. n. 5. & 6.

Guillelmus Durandus Speculator, in ſpeculo lib. 1. tit. de legato.

Ioannes Faber in legem primam num. 10. C. *de ſumma Trinitate & fide Catholica.*

Ioannes Gerſon 4. Serm. de pace & vnitate Græcorum.

Aegidius Bellamera Epiſcopus Auenion. in C. *alius. 15. q. 6. num. 2.*

Ioannes Quintinus Hæduus in repetitione ad C. *Nouit. de Iudic. num 64.*

Remundus Ruffus contra Molinæum c. 6.

Remundus Remundus lib. de ortu, progreſſu & interitu hæreſ.

Ex Polonis.

Stanislaus Hoſius Cardinalis, noſtri ſeculi Ambroſius in Confeſſ. Cathol. & alibi.

Stanislaus Socolouius Regis Stephani Theologus lib. de Eccleſia.

Stanislaus Reſcius Abbas Andreiouien in miniſtromachia, & alijs libris eruditis contra hæreticos.

Stanislaus Orichouius in Chimera & quincuxe.

Stanislaus Carnoneouius Archiepiſcopus Gneſnen. in Meſſia & epiſtolis.

Iacobus Gorſcius inſignis Theologus in prælectionibus.

Martinus Bialobreſcius Epiſcopus Camenecen in poſtilla Euangeliorum.

Petrus Scarga Soc. Ieſu. Sigiſmundi III. Poloniæ & Sueciæ Regis Theologus & Eccleſiaſtes doctiſſimus in annalibus Eccleſiæ & alijs in lucubrationibus, quibus memoriam ſui ad poſteritatem, magno cum fructu Eccleſiæ, tranſmiſit.

Hieronymus Pouadouius Canonicus Cracouien. in Miſcellaneis contra hæreticos.

Seuerinus Roxolanus gente Hæbreus, profeſſione Dominicanus, noſtra ætate Malleus hæreticorum in Theatro Concionatorum, & in vaſtiſſimo opere Monotheſſeron.

Martinus Cromerus Epiſcopus Varmien. de rebus Poloniæ varijs in locis.

Ioannes Longinus Canonicus Cracouien. in Annalibus Poloniæ tom. 1. & 2.

Andreas Patricius Epiſcopus Venden. in lib. de Eccleſia.

Ex Hiſpanis.

S. Raymundus in Summa lib. 1. tit. de hæreticis. §. 7.

Pelagius Aluarus Epiſcopus Syluen. de planctu Eccleſiæ lib art. 21.

Ioannes de Turre Cremata Cardinalis in Summa de Eccleſia lib. 2. c. 113.

Cyprianus Benetus Aregonen. lib. de prima Orbis Sede.

Franciſcus Victoria de poteſtate Eccleſiæ, Relectione 1. qu. 5. propoſ. 8.

Dominicus à Soto in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. Concl.

Alphonſus de Caſtro lib. 2. c. 7. de iuſta hæreticorum punitione.

Iacobus Simanca Epiſcopus Pacenſis lib. de Catholicis inſtitutionibus tit. 45. num. 25.

Dominicus Bannes in 22. qu. 10. art. 10. Concl. 4.

Martinus Ledeſmius in ſecunda quartæ qu. 20. art. 4. Concl. 8.

Gregorius de Valentia in 22. diſput. 1. qu. 12. punct. 2. aſſert. 2.

Guilelmus de Monſerat Catalanus in tract. de ſucceſſione Regum num. 30.

Alphonſus Aluarez in ſpeculo. c. 16.

Antonius Cordubenſis lib. 1. Quæſtionarij qu. 57. dub. 3.

Ludouicus Molina tom. 1. de iuſtitia, & iure tract. 2. diſp. 29. concl. 3.

Didacus Couarruuias tract. de Reſtitutione ſuper Regulam Peccatum, p. 2. §. q. nu. 7.

Fernandus Vaſquius lib. 1. Illuſtrium Controuerſiarum cap. 21.

Michael de Aninyon tract. de Vnitate Ouilis, & Paſtoris num. 12.

Martinus Nauarrus in Comment. ad C. Nouit. de iudicijs Notab. 3. num. 41.

Ex

Ex Germanis.

Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis pag. 2. c. 41.

Henricus de Gandauo Quolibeto 6. qu.33.

Vlricus in Summa.

Dionyſius Carthuſianus. libr. de regimine Politia. art. 19.

Ioannes Driedo lib. 1. de libertate Chriſtiana c. 14.

Albertus Pighius lib. 5. de Eccleſiaſtica Hierarchia c. 2. & 14.

Iacobus Latomus lib. de Eccleſia c. 14.

Conradus Brunus lib. 3. de Legationibus c. 6.

Iacobus Gretſerus aduerſus Goldaſtum pro Baronio.

Ex Anglis, & Scotis.

Alexander Alen. parte 4. qu. 10. & qu. 79. membr. 5. & 6.

Robertus Holkoth lect. 200. in librum ſapientia.

Franciſcus Maironus in 4. ſent. diſt. 19. quaſt. 4.

Ioannes Bachonus in Prologo ſuper 4. ſentr qu. 11. art. 4.

Thomas Valdenſis lib. 2. Doctrinalis fidei antiquæ art. 3. cap. 75.

Reginaldus Polus Cardinalis lib. de Summo Pontifice c. 8.

Nicolaus Sanderus lib. 2. de viſibili Monarchia Eccleſiæ.

Ioannes Roffenſis Epiſcopus Martyr contra Lutherum.

Thomas Morus pro Regis Henrici VIII. de Sacramentis libello, in Lutherum.

Martyres Anglicani quomodo poteſtatem Pontif. aſtruant fuſo ſanguine.

Innumerabiles Anglicani martyres, Ducem Edmundum Campianum ſecuti, pro Primatu Romani Pontificis ab Henrico VIII. & Eliſabetha cæſi, ſanguine profuſo, vt alij ſupetiores ſtylo exerto, docuerunt, 1. Poteſtatem ſæcularem ſubditam eſſe ſpiritnali, ſicut corpus animæ: adeoque non eſſe vſurpatum indicium, ſi Prælatus ſpiritualis de temporalibus indicaret. 2. Pontificem ſupremum, ſupremam habere auctoritatem, etiam in Reges, & Principes Chriſtianos, quatenus ſunt Oues Chriſti, dirigendæ, & ducendæ ad vieam æternam: adeoque illos, vt pars, & membra ſunt Eccleſiæ, neceſſariò etiam ſubeſſe Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſidi, qui ſui imperij habena eoſdem moderetur; in ſuam mutuo, & totius corporis Eccleſiaſtici vtilitatem conſpirantes teneat; omnes in officio contineat, prænaricantes corrigat: & ſi ita totius reipublicæ neceſſitas exigat, adminiſtratione quoq, & officio amoueat, & in locum eorum alios conſtituat, aut conſtituere eis præcipiat, ad quos hoc ipſum aut de iure conſuerudine recepta pertinet. 3. Pontificem Romanum, propter eminentiam poteſtatis ſpiritnalis ſuper temporalem, quantum poſtulat finis ſnpernaturalis, & ratio rerum ſpiritualium, poſſe, omnia quæ aduerſantur rebus ſpiritualibus, & rationi finis ſupernaturalis remouere: adeoque poſſe, quemcumq; etiam Regem, propter hæreſim, ſchiſma, crimen intollerabile in populo, negligentiam aut ſocordiam ex qua ſalus publica periclitaretur: maximè ſi iniquas leges contra Religionem, aut contra bonos mores conderet: aut conſuetudines prauas, cum ſcandalo, & detrimento totius Regni introduceret: vel iuſiurando dato, in rebus grauiſſimis non non ſatisfaceret: aut Eccleſiam opprimeret; poſtulante maximo vniuerſo Regno, dignitate Regia exuere: adeoque circa vſum illotum iuriſdictionis delinquentes, per cenſuram Eccleſiaſticam coercere: eo quod in Clauium, poteſtate, Petro à Chriſto tradita, contineatur ratio ampliſſimæ auctoritatis, ad dirigendos illos in viam ſalutis æternæ: & à poteſtate Romani Pontificis, vtpotè Paſtoris omninm vniuerſalis, nemo ouium Chriſti, ſen nemo ex Chriſtianis Principibus exemptus ſit: & illius cenſura ſit præiudicium futuri iudicij, adeo vt quod ille aut ligauerit, aut ſoluerit, ligatum, ant ſolutum ſit in Cælis.

CAP. XLVII.

Pontifex Romanus, Eccleſiaſticæ libertatis Aſſertor.

S. Bernardus ad Conradũ Reg. Rom. de officio Principum ep. 234.

PRæclarè ſanè, de Orbe Chriſtiano ageretur, ſi, quid eis ex officio incumbit, Reges & Principes ſeculares ſecum expenderent. Oſtendebat iſtud S. Bernardus, ſcriptis litteris Conrado Regi Romanorum. *Nec dulcius,* ait, *nec amicabilius, ſed nec arctius omninò, Regnum Sacerdotiumque coniungi, ſeu complantari in inuicem potuerunt, quam vt in perſona Domini ambo hac pariter conuenirent, vtpote qui factus eſt nobis ex vtraq; tribu ſecundum carnem Summus & Sacerdos, & Rex. Non ſolum autem, ſed & commiſcuit ea nihilominus, at confœderauit in ſuo Corpore, quod eſt populus Chriſtianus, ipſe Caput illius: ita vt hoc genus hominum Apoſtolica voce,* genus electum, Regale Sacerdotium *appelletur. In alia quoque ſcriptura, quotquot ſunt prædeſtinati ad vitam, omnes Reges, & Sacerdotes nominantur. Ergo* quæ Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Magis autem quod diuina ſanxit authoritas, humana ſtudeat adimplere voluntas, & iungant ſe animis, qui iuncti ſunt inſtitutis. Inuicem ſe foueant, inuicem ſe defendant, inuicem onera ſua portent. Ait ſapiens;* Frater adiuuans fratrem, ambo conſolabuntur. *Quod ſi alterutrum ſe, quod abſit, corroſerint, & momorderint, proculdubio ambo deſolabuntur. Non veniat anima mea in conſilium eorum, qui dicunt: vel imperio, pacem, & libertatem Eccleſijs, proſperitatem, & exaltationem imperij nocituram. Non enim vtriuſque inſtitutor Deus, in deſtructionem ea connexuit, ſed in ædificationem.* Itaque accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, *& reſtituat ſibi Caſar, quæ Caſaris ſunt, & quæ ſunt Dei Deo. Vtrumque intereſſe Caſaris conſtat, & propriam tueri coronam, & Eccleſiam defenſare. Alterum Regi, alterum conuenit Eccleſiæ Aduocato.*

Sacerdotiũ, & Regnum in corpore Eccleſiæ quamquam diſtincta diſparata.

Docebat Bernardus; Sacerdotium, & Regnum, in vno corpore Eccleſiæ, quamquam diſtincta, non tamen diſparata, ſed mira coordinatione coniuncta eſſe. Illud quidem, in his quæ ad Deum ſunt præcipuè; iſtud autem, in his quæ ad vitam tranquille agendam ſpectant: vtrumque vero ad æternam ſalutem deſtinatum conſequendam. A-

nimæ inſtar illud ; hoc corporis : ornando, ſacrando, dirigendoque humano generi in cæleſtes ſedes, illud cælitus datum : tuendo ; amplificando, æquandoque publico ſtatui iſtud, iure omnium gentium receptum, Pace, & liberrate Eccleſiarum florentiſſimum illud : iſtud proſperirate, & exaltatione publicæ quietis feliciſſimum. Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus Patriarchæ, Taraſio Conſtantinopolirano, eadem quæ Bernardus Conrado, ſed aliquantum maiore energia euulgabant ; quæ paulo poſt, in Septima Oecumenica Synodo, coram Patribus Nicææ lecta, in publicum placitum Orthodoxiæ apud Catholicos abierunt. *Secundas Eccleſiæ*, ſcribunt, *portant Imperatores : nam primum in Eccleſia locum Sacerdotes poſſident. Sacerdotium enim, Imperij ſanctificatio eſt, & conſtitutio : & imperium, Sacerdotij fortitudo, & firmamentum. De quibus ſapiens quidam Princeps, & in ſanctis Regibus beatiſſimus ait : Maximum donum Deus hominibus præſtitit, Sacerdotium, & Imperium ; illud quidem adornans, & regens cæleſtia, hoc vero gubernans iſta terreſtria.* Vno cum eis Spiritu Bernardus, & Pontificarus, & Regni, officia aſſignabat. Imperium illi à Sacerdotio ſanctificari, & conſtitui aſſerebât, quæ, cum à pace, & libertate Eccleſiarum, vt alibi demonſtrauimus, dependeaut, idem cum Bernardo, pacē & libertatem Eccleſiarum optante, ſentiebant. Imperium illi fortitudinem, & firmamentū Sacerdotij decernebant.

Pōtificatus, & Regni officia.
in act. 7. Synodi.

Bernardus item, cum Regem Romanorum, Eccleſiæ Aduocatum, & Defenſorem appellaret, iſtud ipſum firmamentum, & fortitudinem Eccleſiæ (vt Patres Græci Imperatorem vocabant) dicere volebat; quod Imperatoris ſit pacem, & libertatem Eccleſiarum curare : quæ ſunt Dei, Deo reddere ; Romanum Pontificem fouere, defendere, onera mutua portare, non illum aut Eccleſiam, aut rodere, aut mordere. In hanc libertatem Chriſtus Eccleſiam ſanguine proprio quæſiram euexit, cum & perſonas, & bona Eccleſiaſtica, ſui peculij eſſe voluit, & à Poteſtatum ſæcularium iure, & iniuria exemit ; ne Chriſtos eius illi tangerent ; ne ad ſubſellia ſua traherent ; ne leges Sacris Canonibus aduerſarias, contra illos ſciſcerent ; ne manum violentam inijcerent, ne felicitate temporum frui, & vti vetarent ; ne grauibus oneribus, aut exactionibus opprimerent, ne res & bona illorum fiſci eſſe putarent, neque loca ſacrata vlla ratione violarent ; ſed ab omni oppreſſione defenderent. Quod ſi illi officio aut deforent, aut aburerentur, & loco fortirudinis, firmamenti, & defenſionis, iacturam, calamitatem, & ſeruitutem pluſquam ſeruilem illis inferrent, & à Magno Sacerdote qui Princeps eſt Regum terræ, & ab eius Vicario, qui Defenſor eſt Eccleſiaſticæ libertatis, vindicias expectarent. Ille enim apertè conteſtatur ; *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Et alibi, electis Sacerdotibus ait : *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et cum Petrum, Catholicæ Eccleſiæ Catholicum Paſtorem præfecit, munus illi impoſuit, vt aduerſus lupos venientes inſurgeret ; vt pecus cornibus armatum, à noxa aliorum auerteret : vt ouile Dominicum ſartum tectum ab inuaſoribus, & à temeratoribus conſeruaret, cuſtodiretque atque exemplo Dauidis, leonem, & vrſum, & omne belluinum genus, in perniciē Sacratioris Ordinis præceps, arceret : & quatenus opus eſt, Apoſtolica manu, & machæra diuiniore iugularet : fore aliquando tempus, quando id quod longe ante pollicitus apud Iſaiam Eccleſiæ fuerat, impleretur ; *Omne vas, quod fictum eſt contra te, non dirigetur : & omnem linguam reſiſtentem tibi, in iudicio iudicabis. Hæc eſt hæreditas Seruorum Domini, & iuſtitia eorum apud me, dicit Dominus.*

Rex Rom. Eccl. aduocatus, & defenſor eſſe debet.

Pſal. 104.

Munus Petro à Chriſto impoſitum pro aſſertione libertatis Eccleſiaſt.

Iſai. 54.

Hanc Seruorum Dei hæreditatem, ne quodcumque profanum vas, aduerſus illos, illorumque tum ſpiritualia, tum temporalia bona inſurgeret præualeretque, Chriſtus multis modis ſcripſit, ſtabiliuitque. Et quidem in primis, cum à Sacratis ædibus, nundinationem proſcripſit, & per ſacra lucra victum parentes templo eiecit ; manifeſto argumento, ne Sacris vſibus deputatæ res, & Domus, alteris addicerentur aut temerarentur ; ſuaqꝫ Sanctis adytis cōſtaret ſanctitudo, nullo mercimonio, multo magis nullo ſacrilegio temerata.

Quomodo libertas Eccleſiaſtica exemplo Chriſti aſſeri, & defendi debeat.

Deinde, cum, & ſe, & in libertatem aſſertos diſcipulos, à tributis liberos eſſe pronunciauit : nec niſi propter ſcandalum tunc temporis exoriturum didrachma ſoluit : certiſſimo oraculo, res & perſonas Eccleſiaſticas, à publicanorum cupiditate, & ab exactione titulorum eſſe immunes. Tertio, cum ſe à poteſtare Pilati abſolutè exemptum pronunciauit ; nec, niſi volens, lubens illius iudicium ſubiuit: nam *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Vnde, & Pilato propalam dixit: *Nullam ſuper me haberes poteſtatem : niſi data tibi fuiſſet deſuper* : & quid ni ab ipſo Rege Regum, cuius Regnū non erat de hoc mundo, ſed deſuper veniens? Euidentiſſimo reſponſo, ſecnlares poteſtates, nullum prorſus ius poſſe præſcribere, in Eccleſiaſticos : vt eos cenſuræ, & virgulæ ſuæ, præſertim in rebus ſpiritualibus, & ad fidem ſpectantibus ſubijciant. Quarto, cum non, niſi ipſe ſpontè, *ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit* : adeoque & in vincula, & in colaphos, & in flagella, & in crucem, & in mortem denique ipſam per mille contumelias auide iuit : tamen & maleſanos miniſtros, & ingratos Hebræos, & præuaricatorem iudicem, mille modis, poſteaquam noluiſſent tempus viſitationis ſuæ cognoſcere, caſtigauit : & diſcipulorum libertati proſpexit, cum verbo virtutis ſuæ edixit : *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire : vt impleretur ſermo, quem dixit : Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Illuſtriſſimo documento, voluiſſe illum perſonas Eccleſiaſticas, ab omni vt iure ſæculari, ita & iniuria ſeruare illæſos. Ideoqꝫ addebat: *Qui vos odit, me & Patrē meum odit. Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit. Qui, vni ex minimis meis quippiam facit, mihi facit.* Quod ſi illum qui Eccleſiam non audiret, publicani, & ethnici inſtar haberi voluit ; quo loco itaque eos cenſeri decreuit, qui Eccleſiā, ſcilicet perſonas Eccleſiæ addictas, adeoque ipſam Sanctioris Ordinis congregationem, aduerſus quam portæ inferi non præualebunt, vel lege iniqua, vel contumelia atrociore, vel manu ſacrilega, violarint? Non alio proculdubio, quam vt & Eccleſia omnem reſiſten-

Ioan. 18.

tem

tem ſibi, in iudicio ſuo iudicet; & omne vas, quod fictum eſt contra eam, noo dirigatur; Deo pro illa excubante, pugnance, & vindicias ſumente: vt iudicata ſententia Pontificis in terris, præiudicium certum habeat in Cælis, ab illo ſolenoi verbo, quod aliquando Principi Apoſtolorum dixit: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis. Hæc* enim *iuſtitia ſeruorum Domini, apud me eſt, dicit Dominus*, ſcilicet rata, grata, ac cæleſti calculo, ſed ignito, deſolatotioque probata, Hanc hæreditatem ſeruorum Dei, Petrus Catholicus Sacerdos, defendere adnerſus omnes aduerſantes non diſtulie. Namque primus, poſt Aſcenſionem Dominicam, cætum diſcipulorum à furore Hebraico ſub duxit, cum omnes *in cænaculum introiſſent vbi manebant Petrus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomeus, & Matthens, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi*. Primus deinde cænaculum, in domum orationis, fractionis panis myſtici, & ſacrarum functionum, vbi Spiritum Sanctum, eiuſque chariſmata reciperent, connertit, adeoque à prophanis vſibus ſegregatum eſſe voluit.

Quomodo S Petrus Eccleſiaſticam immunitatem, & libertatem aſſeruerit. *Act*. 1.

2. c. Primus diſcipulos, temulentiæ inſimulatos, à calumnia vindicauit, cum eleuata voce intonuit: *Non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia, ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioel: Et erit in nouiſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.*

Primus ille ipſe, à ſubſellio Pontificio, & à carceris cuſtodia, in quã Apoſt. docentes, impij Sacerdotes, & Magiſtratus templi, & Sadducæi coniecerant, exemit, exemptoſque rationibus grauiſſimis adeo demonſtrauit, vt illi ipſi

4. c. *iuſſerint eos foras extra concilium ſecedere, neque potuerint modum inuenire, quo eos punirent*: maximè quia omnes clarificabant curationem claudicantis ad huc ex vtero, quam Petrus virtute diuina operatus, oſtendit; de facto, non de iure, Principes conueniſſe in vnum, aduerſus Chriſtum eius, facere, quæ manus Dei, & conſilium illius decreuerant fieri; adeoque minas, & conamina, quæ etiam contra ſeruos eiuſdem intentarant, inter iniurias deputari, & facti eſſe, non iuris, cum nihil iuris in liberos à ſeruitute legis, Legis Doctores haberent amplius. Probauit Deus, iuſtitiæ ſummæ innixam Petri ſententiam. Cum enim/ibidem *oraſſent Apoſtoli, motus eſt locus, in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spiritu S. & loquebantur verbum Dei cum fiducia: & erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis: cæterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis, ſed magnificabat eos populus*: maximè, quod vidiſſent, decretum Petri, in pecularores Ætarij ſacri prolatum, probatum fuiſſe à vindice Sacrorum Deo: quo vltionem exercente, Ananias cecidit, & expirauit: & paulo poſt etiam Saphira vxor, ante Petri pedes cecidit, & expirauit.

5. c. Iam cum Princeps Sacerdotum, & omnes qui erant cum illo Sadducæi, repleti zelo, manus inieciſſent in Apoſtolos, eoſque in publica cuſtodia poſuiſſent; Angelus vero Domini, per noctem aperiens ianuas carceris, illos eduxiſſet: Deus, manifeſto miraculo probauit, Sacris addictos homines, nulli ſubiacere prophano magiſtratui, neque vllis eorum legibus teneri. Cuius rei ſciens, Petrus, Principi Sacerdotum reſpondit: *Obedire oportet Deo magis, quia hominibus*: ſcilicet illos diuinis ſanctionibus, minimè videlicet humanis inſtitutis, niſi ex vi rationis, obligari.

Itaque quod illis Princeps Sacerdotum præciperet: quod illos in vincula daret: quod cæſis, ne omnino loquerentur in nomine Ieſu denunciaſſent Sacerdotes; quod Stephanum in ius traxiſſent, & extra ciuitatem eijcientes lapidaſſent: quod Saulus Eccleſiam deuaſtaret, per domos intrans, præcipuè diſcipulos: facti fuit, non iuris teocamentum, ſeueriore Dei manu vindicatum. Iam cum Petrus, vel Legem Moſayeam antiquaſſet, vel in Simonem Magum, rei ſacræ oundinatorem, ſententiam damnationis tuliſſet, illumque extra partem, & ſortem Sanctorum eſſe pronunciaſſet: & ab omni noo Eccleſiaſtica lege exemptos eſſe diſcipulos, & rem omoem diuinam, ab omni mercimonio, à pecuniæ numeratione, & ab omni eo quod pecunia æſtimari poteſt, pariter exemptam, adeoque in ſorte Dominica eſſe, quam nulla manus profana, vel dare, vel occupare poſſet declarauit. Dedit exemplum ſecuturis Pontificibus Romanis; & alijs vt & ipſi eadem auctoritate à Chriſto collata, pro domo Dei, & pro vocatis, electiſque in partem ſortis Sanctorum, nec non pro rebus Deo ſemel addictis, conſecratiſque ſurgerent, hæreditatem ſeruorum Dei tuerentur, & omnem linguam ac manum violentam ſibi atque Eccleſiæ, in iudicio iudicarent: certo certius ſcientes, iuſtitiam eorum probatam iri à Domino: qui omnes vas fictum contra illos, virga virtutis ſuæ confringeret: ne amplius dirigat, aut dirigatur.

Paulus doctus à Petro, cum à Feſto Procõſule, accuſantibus Iudæis prægrauaretur, atque ab eius conatibus Cæſarem appellaret, ſeſe ab eius ſubſellij poteſtate omnino liberũ eſſe reipſa aſſeruit, Cæſaremque, qui iudicem præiudicantem iudicaret, damnaretque, interpellauit. Quamuis autem dixit: *Ad tribunal Cæſaris ſto: ibi me oportet iudicari*: tempori tamen io ea prouocatione, ſi iudicari volebat, detulit, & factum tolerauit: non videlicet poteſtatem aliquam ſuper ſe Cæſaris, (quã nullam in eum habebat,) agnouit: memor Saluatoris mundi, qui etiam ab iniquo iudice iudicari, atque damnari ſuſtinuit. Tempus patiendi, non faciendi vindicias tunc fuerat: donec tandem Eccleſia per mortes, & martyria ſuccreſceret, vireſque robuſtas acquireret, ad ſtringendam vltionis virgam in eos, qui vel Ouile Dominicum, vel portionem gregis ſelectiorem violaſſent. Interim tamen Deus, hæreditatem ſeruorum Dei, & ſeruos ipſos Dei, ab iniuria vindicabat, cum neminem tyrannorum diurnare permiſiſſet.

Paulus Eccleſ. libertatis vindex.

Act. 25.

Quomodo Deus iniurias ſeruorũ ſuorum vindicauerit.

Clariſſima ſunt Orbi vniuerſo, & Imp. Ethnicorum, & Imperij Romani funera, propter Eccleſiam, Eccleſiaſticaſq; res, & perſonas, impia manu lancinnatas, cumulata: Nero, qui primus Chriſtianum ſanguinem, Petro, & Paulo interfectis, hauſit, hoſtis à Senatu iudicatus, & vix non à propria manu, qui alterius adigendo ferro adiutus, cæſus. Adrianus miſerabili fato conſumptus, vt in ſeipſum ſæuire potuerit, ſi per domeſticos licuiſſet: Commodus

Neronis, & aliorum Ethnicorum Impp. exempla.

modus faſcia ſtrangulatus : Pertinax militari factione ſublatus : Seuerus articulari morbo extinctus ; Caracalla gladio iugulatus ; Heliogabalus in cloacam proiectus, ac tandem cum matre raptatus ; Maximinus cum filio necatus; Decius cum toto exercitu proſtratus: Gallus, tributarius Scythis factus, cum eius imperio ſæua lues ab Æthiopia Orbem inuaſiſſet, ac pene omnes terras exhauſiſſet, vna cum Voluſiano filio à militibus trucidatus; Valerianus, Gallienus, & Claudius, tyrannorum non minus triginta auſis exerciti; Aurelianus, domeſticorum fraude oppreſſus; Diocletianus, vel alienatione mentis, vel veneno hauſto, fatis functus: Maximianus captus, & Conſtantij iuſſu interemptus: Galerius Maximinus, genitalibus putreſcentibus, cum vitæ tædio vim ſibi gladio intuliſſet, manu propria occiſus: Maxentius, vlcere inguinario innato, à vermibus vndique erumpentibus corroſus; Licinius, Theſſalonicæ percuſſus: reliqui Sacratioris Ordinis perſecutores, breui ſublati, Imperio quoque ipſo, domeſticis, externiſq; bellis, nec non peſtibus, annonæ penuria, & alijs calamitatibus, vel deformato, vel diſtracto, vel occiſo, Deo aſtruente, veriſſimum eſſe illius pronunciatum : Omne vas quod contra te factum eſt, non dirigetur.

Varia Conſtan. Magni Eccleſiam beneficia, & pro Eccleſiaſtica immunitate edicta.

Affulſit tandem Eccleſiæ diu ante proſſima felicitas, Flauiano Conſtantino Magno Imperiũ adminiſtrante. Is cum non ignoraret, quid Orbis totius moderatori, in ſacris perſonis ac rebus deberet, ſtatim atq; diuino beneficio ab vtraq; labe mundatus eſt, in primis Romanam Eccleſiam, eiuſque Catholicum Pontificem varijs priuilegijs ornauit, & à lege publica ſæcularium ſolutum eſſe diuinitus, lato edicto pronunciauit. Secundo, Locis ſacris, & omnibus Eccleſijs, eam immunitatem, vt ad eas confugientes, in omnibus ſecuri eſſent, conceſſit. Tertio, vt decimæ Eccleſijs ex veteri inſtituto exſoluerentur, innouauit. Quarto, vt Pontifici Romano ius eſſet, facultatem extruendi Eccleſias vbique terrarum indulgere probauit : neue eo inuito, alicubi ædificarentur, edixit. Quinto, idolomaniam, aduerſus ſacra, ſacratoſque viros ſeſe attollentem proſtrauit ; neue de cætero, aut dij eſſe, vel dicerentur, vel crederentur, aut ſtatuæ ; vel delubra erigerentur, aut ſacrificia idolis libarentur, vel diuinationes, & ſuperſtitiones exercerentur, interdixit. Sexto, Templa vel ædificari, vel ædificata ampliora effici præcepit, quæ ampliſſimis donarijs, & latifundijs cumulauit, inque violatores, & vſurpatores ſupplicia grauiſſima decreuit. Septimo, liberum omnibus fecit, ad Sacra Romanæ Eccleſię accedere; vt ſpem firmam omnes conciperent, amicitia Imperatoris potiri, qui ad legẽ Chriſtianorum acceſſiſſent. Octauo, Priuilegia, quæ Sacerdotes Templorum habuiſſe noſcebantur, vt Antiſtites Chriſtianæ legis aſſumerent, ſanciuit. Nono, Sacerdotes, ab iudicio Imperatorio, & quocunque ſæculari, immunes eſſe iure diuino, declarauit, cum aduerſus Euſtachium Antiochenum, & Athanaſium Alexandrinum Epiſcopos, libellos criminationum oblatos, nè legit quidem, ſed in faſcem coniectos, igni iniecit, illudque memorandum edixit, quod Ruffinus ſcripſit: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque iudicandi : & ideo, nos à vobis rectè iudicamur : Vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium; & veſtra iurgia, quæcumque ſunt, ad illud diuinum referuentur examen. Vos autem nobis à Deo dati eſtis Dij; & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos: ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio Deus diſcernit.*

vit. Conſt. Eu. lib. 2.

lib. 1. c. 2.

Præter hæc Conſtantinus, prouocationem ad Epiſcopos, etiam in cauſis ciuilibus, à ſæculari Magiſtratu indulſit: vtq; pro Sãctis ſemper & venerabilibus haberetur, quicquid Epiſcoporum ſententia fuerit terminatum, conſtituit, Cumque nonnulli Donatiſtarum, ab Eccleſiaſtico iudicio, ad Imperatorium tribunal prouocaſſent, rabidam eorum audaciam execratus, gentilitio furore agitatos eſſe dixit: neque cauſam Cæciliani cognoſcere ipſe, ſed Pontificem Romanum lege ſua agere voluit. Quod ſi aliquando illud reſcripſit : *Sin autem quiſquam, temeritate & audacia accenſus, eas Eccleſiæ peſtes*, id eſt *Epiſcopos Arianos à Concilio damnatos, vel memoria, vel laudibus celebrare aggrediatur, confeſtim opere ac diligentia miniſtri Dei, hoc eſt mea, pœnas ſuæ inſcitiæ dabit* : non Epiſcopis, neque alicui ex Clero, ſed plebi Nicomedienſi illud præſcripſit : neque is alia ratione, quam à Concilio Niceno Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum damnatum, in exilium proſcripſit : tunc cum iam priuilegio Eccleſiaſtico, nefaſtus ille excidiſſet, & in ordinem redactus fuiſſet ; propter execrandas blaſphemias, in diuinitatem prolatas, & Eccleſiam nefarijs conatibus impugnatam. Præterea, idem Conſtantinus, Valentino Conſulari Numidiæ reſcripſit.

libr. de Epiſ. & Cler. Cod. Theodoſ.

Lectores diuinorum apicum, & hypodiaconi cæterique Clerici, qui per iniuriam hæreticorum ad Curiam deuocati ſunt, abſoluantur. Et de cætero, ad ſimilitudinem Orientis, minimè ad Curias deuocentur, ſed immunitate pleniſſima potiantur. Super hæc ille ipſe Conſtantinus, iudicium de Athanaſio Alexandrino, Dalmatiani Cæſaris inhibuit, & Euſebianos aduerſus illum ad ſe venientes, re infecta abire iuſſit. Cumque illi impudentes, Eccleſiaſtica cenſura percuſſi, tamen per omnia fora circumſtreperent; tunc demum contra iam profanos, Athanaſio reſpondit : *Certum habeant, me ita decreuiſſe, atque huius eſſe ſententiæ : ſi quid tale iterum mouerint, non pro more Eccleſiarum, ſed legibus publicis, mea ipſa opera cauſæ cognitionem ſuſcepturum : ac deinde cognoſcent, ſe non ſolùm humani generis, ſed etiam diuinæ diſciplinæ latrones eſſe.* Morem Eccleſiarum, & diuinam diſciplinam, vt Clerus, nonniſi ab Eccleſiaſtico Iudice audiretur, caſtigareturque, appellabat Conſtantinus : non inſcius, quid poſt diuinas voces, Pontifices Superiores ſanxiſſent. Iſtud Caius Papa, in epiſtola ad Felicem Epiſcopum. *Nemo Epiſcopum, aut reliquos Cleros apud Iudicem ſæcularem accuſare præſumat.* Iſtud ſimile Marcellinus Papa, in epiſt. 2. *Clericum cuiuslibet Ordinis abſque Pontificis ſui permiſſu, nullus præſumat ad ſecularem iudicem trahere.* Secutus veteres Pontifices Gregorius vere magnus, Ioanni Defenſori præſcripſit : *De perſona Presbyteri hoc attendendũ eſt, ſi quam cauſam habuit non ab alio teneri, ſed Epiſcopum ipſius adire debuit.* Paria cum Pontificibus Romanis, Patres diuerſorum Conciliorum, decreue-

lib 11. ep. 14.

creue-

creuere. Calcedonenſes, probantibus Auguſtis Marciano atque Pulcheria; can. 9. *ſi Clericus aduerſus Clericum habet negotium, non relinquat Epiſcopum ſuum, & ad ſecularia iudicia non recurrat*. Agathenſes can. 23. *Clericum nullus præſumat apud ſecularem iudicem, Epiſcopo non permittente, pulſare*. Carthaginenſes III. Toletani III. illi canon. 9. hi vero 13. Mileuitani can. 13. Matiſconenſes cap. 8. idem ſtabiliuerunt, inque eos, qui cauſam Eccleſiaſticam ad iudicium Imperatoris deferrent, graues pœnas ſtatuerunt. Sanctus etiam Martinus aliquando dixit: *Nouum eſſe, & inauditum nefas, vt cauſam Eccleſiæ iudex ſeculi iudicaret*, vt Sulpitius lib. 2. ſacræ hiſt. ſcripſit. Quin, & Ambroſius epiſt. 78. & Auguſtinus epiſt. 162. graui reprehenſione eoſdem dignos eſſe iudicarunt, qui ſeculares iudices, in cauſis Eccleſiaſticis appellarent. Patres, longe omnium numeroſiſſimi Concilij Sardicenſis, adeo exhorruerunt, Epiſcopalem, ad Comitatum, ſeu Curiam Auguſtalem recurſum, vt nonniſi in cauſis Eccleſiæ profuturis; vel pro eliberandis, iniqua vi magiſtratuum ſecularium oppreſſis; vel pro pauperibus aut viduis, aut pupillis iuuandis illum, maxima tamen cum cautione permiſerint. Placet ſanctiones eius Concilij iſthic adſcribere.

Sanctiones Concilij Sardicen. circa recurſum ad Cur. Aug.

Cap. VIII.

Ex editione Dionyſij Exigui.

I. „Hoſius Epiſcopus dixit: Importunitates, & nimia frequentia, & iniuſtæ petitiones fecerunt, nos non tantam habere, vel gratiam, vel fiduciam, dum quidam non ceſſant ad Comitatum ire, Epiſcopi, & maxime Afri: qui (ſicuti cognouimus) ſanctiſſimi fratris, & Cœpiſcopi noſtri Grati ſalutaria conſilia ſpernunt atque contemnunt: vt non ſolum ad Comitatum multas, & diuerſas Eccleſiæ nō profuturas perferant cauſas, neque, vt fieri ſolet, aut oportet, vt pauperibus, aut viduis, aut pupillis ſubueniatur, ſed & dignitates ſeculares, & adminiſtrationes quibuſdam poſtulent. Hæc itaque prauitas, olim non ſolum murmurationes, ſed & ſcandala excitat. Honeſtum eſt autem, vt Epiſcopi interceſſionem his præſtent, qui iniqua vi opprimuntur, aut ſi vidua affligatur, aut pupillus expolietur, ſi tamen iſta omnia iuſtam habeant cauſam, aut petitionem. Si ergo vobis, fratres chariſſimi, placet, decernite ne Epiſcopi ad Comitatum accedant, niſi forte hi, qui religioſi Imperatoris litteris, vel inuitati, vel euocati fuerint. Sed quoniam ſæpe contingit, vt ad miſericordiam Eccleſiæ confugiant qui iniuriam patiuntur, aut qui peccantes, in exilio vel inſulis damnantur, aut certe quamcumque ſententiam excipiunt, ſubueniendum eſt his, & ſine dubitatione petenda Indulgentia. Hoc ergo decernite, ſi vobis placet. Vniuerſi dixerant; Placet, & conſtituatur.

Cap. IX.

II. „Hoſius Epiſcopus dixit: Hoc quoque prouidentia veſtra tractare debet: quia decreuiſtis ne Epiſcoporum improbitas nitatur, vt ad Comitatum pergant. Quicumque ergo quales ſuperius memorauimus, preces habuerit, vel acceperint: per Diaconum ſuum mittant: quia perſona miniſtri inuidioſa non eſt; & qui impetrauerit, celerius poterit referre. Et hoc conſequens eſſe videtur, vt de qualibet prouincia Epiſcopi ad eū Fratrem, & Coepiſcoporum noſtrum preces mittant; qui in Metropoli conſiſtit: vt ille, & Diaconus eius, & ſupplicationes deſtinet, tribuens commendatitias epiſtolas pari ratione ad Fratres Coepiſcopos noſtros, qui in illo tempore, in his regionibus, & vrbibus morantur, in quibus felix, & beatus, Auguſtus Rempublicam gubernat. Si vero habet Epiſcopus amicos in Palatio, qui cupit aliquid (quod tamen honeſtum eſt) impetrare: non prohibeatur, per Diaconum ſuum rogare ac ſignificare his, quos ſcit benignam interceſſionem ſibi abſenti poſſe præſtare.

Cap. X.

III. „Qui vero Romam venerint, ſicut dictum eſt Sāctiſſimo Fratri, & Coepiſcopo noſtro Romanæ Eccleſiæ, preces quas habent, tradant: vt & ipſe prius examinet, ſi honeſtæ, & iuſtæ ſunt, præſtet diligentiam atque ſollicitudinem, vt ad Comitatum perferatur, vniuerſi dixerunt, placere ſibi, & honeſtum eſſe conſilium.

IV. „Alypius Epiſcopus dixit: Si propter pupillos, & viduas, vel laborantes, qui cauſas non iniquas habent, ſuſceperint peregrinationis incommoda habebunt aliquid rationis: nunc vero cum ea poſtulent præcipuè, quæ ſine inuidia omnium, & ſine reprehenſione eſſe non poſſunt, non neceſſe eſt eos ire ad Comitatum.

Cap. XI.

V. „Gaudentius Epiſcopus dixit; Ea quæ ſalubriter prouidiſtis, conuenientia, & æſtimationi omnium, & Deo placitura, & hominibus, tenere ſuam firmitatem poſſunt, ſi metus huic ſententiæ coniungatur. Scimus enim, & ipſi, ſepiſſime propter paucorum impudentiam, religioſum Sacerdotale nomen fuiſſe reprehenſum. Si igitur aliquis contra omnium ſententiam niſus fuerit ambitioni magis placere quam Deo: is debet ſcire, cauſis redditis, honorem dignitatemque ſe amiſſurum. Quod ita demum compleri poterit, ſi vnuſquiſque noſtrum qui in Canali conſtitutus eſt, cum progredientem Epiſcopum viderit, inquirat tranſitum eius: cauſas videat: quo tendat, agnoſcat, & ſi quidem eum inuenerit ire ad Comitatum, requirat & illud, quod ſuperius comprehenſum eſt: niſi inuitatus ſit, vt ei facultas eundi permittatur. Si vero, vt ſuperius memorauit ſanctitas veſtra, propter deſideria, & ambitiones ad Comitatum pergat; neque in litteris eius ſubſcribatur, neque in communionem recipiatur. Si vobis placet: omnium ſententia confirmari debet. Vniuerſi dixerunt, honeſtum eſſe, & placere ſibi hanc Conſtitutionem.

Hęc Patres Sardicenſes ſanciebant; nec niſi pro vtilitate Eccleſiæ, pro damnatis liberandis, pro pauperibus viduis, aut pupillis

lis iuuandis, accedere ad Palatinas fores, permittebant: niſi forte Imp. aut eadem de cauſa, aut vel dignitate aliqua Epiſcopum ornare, vel Eccleſiam beneficentia ſua iuuare, vel quippiam in rem Eccleſiaſticam, vel ciuium, vel pauperum, conferre voluiſſet, eaque propter Epiſc. inuitaſſet, vel euocaſſet. Tunc enim poterat, citra noxiam ire. Quod ſi propter importuniorem his de cauſis ad Impp. recursū, religiosū Sacerdotale nomen reprehenſum fuiſſe Patres aſſerebant, & ne amplius probro eſſet ſumma cura cauebant: longè magis proſpiciebant, ne criminationes aduerſus Clerum ad Comitatum deferrentur. Quamobrem, ad quem appellandum, recurrendumque in cauſis Eccleſiaſticis foret, indicebant; cauctione quā adiungo, (quam etiam Patres Niceni probauerunt) promulgata.

Cap. XII.

Sanctio eiuſdem Conc. ad quem in cauſis eccleſiaſt. appellandum, & recurrendū.

„ Hoſius Epiſcopus dixit: Placuit au-
„ tem, vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & iu-
„ dicauerint congregati Epiſcopi regionis ip-
„ ſius, & de gradu ſuo eum deiecerint; ſi ap-
„ pellauerit qui deiectus eſt, & confugerit ad
„ Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe
„ audiri; ſi iuſtum putauerit, vt renouetur iu-
„ dicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere
„ his Epiſcopis dignetur, qui in finitiam, &
„ propinqua prouincia ſunt, vt ipſi diligenter
„ omnia requirant, & iuxta fidem veritatis de-
„ finiant. Quod ſi is qui rogat cauſam ſuam
„ iterum audiri, deprecatione ſua mouerit
„ Epiſcopum Romanum, vt de latere ſuo pre-
„ sbyterum mittat: erit in poteſtate Epiſcopi,
„ quid velit, & quid æſtimet. Et, ſi decreue-
„ rit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epi-
„ ſcopis iudicent, habentes eius auctoritatem,
„ à quo deſtinati ſunt: erit in ſuo arbitrio. Si
„ vero crediderit Epiſcopos ſufficere, vt nego-
„ tio terminum imponant; faciet, quod ſa-
„ pientiſſimo conſilio ſuo iudicauerit.

Iſta cum Patres pronunciarent, oſtendebant, quod iure diuino, & recepto Eccleſiæ vſu, Iudex ſupremus Eccleſiaſticorum ſit, non Imperator, neque Rex, neque aliquis cum poteſtate ſeculari Princeps, ſed Romanus Pontifex; qui & Epiſcopus Epiſcoporum, & Libertatis ſeu immunitatis Eccleſiaſticæ vindex, potens non tantum iudicare in iudicio omnem linguam reſiſtentem ſibi, atque ſibi ſubiectis; ſed & omne vas aduerſarium, virga oris ſui conterere, Eccleſiamque ab omni iniuria defendere.

S. Sebaſtian à Caio Pp. Eccleſiæ defenſor conſtiturus. *in Act. martyrij S. Sebaſtiani apud Baronium anno 286.*

Defendit Caius Papa; qui adhuc crudis, ſub Diocletiani, & Maximiani, primitiuæ Eccleſiæ temporibus, & legem quam ſuperius recitaui promulgauit, & Sebaſtianum Ducem, inſignem poſtea Eccleſiæ martyrem, *Eccleſiarum defenſorem* conſtituit, qui Magiſtratus ad hæc vſque noſtra tempora in Imperatoribus Chriſtiano ritu iniunctis perſeuerat; quos ideo Pontifices, ſummæ rerum deſtinatos ſceptris admouent, vt illorum manu, rem Eccleſiaſticam præcipuè, ab iniuria tueantur. Eius officij; & ſi in alijs locis in epiſt. tamen D. Gregor. frequentiſsima eſt mentio.

Iulius Pp. Conſtant. magn in Athanaſium edictum reſcidit.

Defendit, & Iulius Papa: qui Conſtantini magni in Athanaſium, quamuis non omnino iniqua intentione (nam ideo relegauerat, vt eum crudelitati Euſebianorum ſubduceret) vſurpata tamen auctoritate prolatum exilij edictum, auctoritate Apoſtolica reſcidit, & à ſubſellijs profanis ad Concilium Romanum cauſam iudicandam euocauit, quo cum accuſatores, ad diem condictam non veniſſent, criminationes eorum falſi condemnauit, & tā impoſtoribus, quam iniquis iudicibus anathema dixit. Idem iudicium, & Liberius, & Felix, aduerſus Imperatorem Conſtantinum, Athanaſij aliorumque Sacerdotum piorum perſecutorẽ exercuit, cum vterque illum, cætu ſanctorum indignum iudicaſſet, danaſſetque.

Vltus eſt, & Deus, ſeruorum ſuorum iniurias. Nam inprimis vlcere plane incurrabili tyrannum percuſsit: deinde fraterno bello in varia diſcrimina adduxit, donec æſtuantiſsima febri conſumptum aſſumpſiſſet. Iulianus, quanquam à religione Chriſtiana apoſtata: tamen ſciens, quanta immunitas deberetur Sacerdotibus nouæ legis, omnes aulicos magiſtratus, qui in gratiam Conſtantij, fauentes Arianæ hæreſi, magnis moleſtijs Epiſcopos affeciſſet, iudicio ſubiecit, varijſque ſupplicijs confecit. Inter hos, Taurum Conſulem in exilium relegauit; Florentium eius collegam capitis crimine damnauit: Euſebiū Eunuchum, Præfectum Conſtantij Cubiculi, ab ima ſorte ad vſque iubendū Imperatori penè elatum, Arianorum patronum, in Deum impium, in SS. Epiſcopos contumelioſum, pænæ lætali addixit: alios vel ignibus viuos exuſſit, vel gladio ſuſtulit, vel relegatione mulctauit: Deo vindicias pro immunitate ſacrorum agente. Egit eaſdem pro Baſilio, & alijs Epiſcopis, aduerſus Iulianum, & Valentem Auguſtos. Et illum quidem tum vaſa, tum ſecreta Orthodoxiæ ſacra inter profana cenſentem, tam ſanctos varie vexantem, lancea militari traiecit; hunc ignibus viuum cremauit: poſtquam etiam miraculo probaſſet, ſanctorum iniurias Epiſcoporum ſibi diſplicere. Nam cum in Baſilium ſententiam exilij vellet ſubſcribere, calamus atramentum non reddidit, & manus illi tremuit, & ſella concuſſa eſt, & ipſe inſolito pauore perculſus, ab incepto ſcelere deterritus eſt.

Enituit illo tempore Athanaſij robur pro Eccleſiaſtica libertate. Quam cum quidā Præfectus, in Eccleſia Lybiæ labefactaſſet, illum Athanaſius ſentẽtia excommunicationis. perculit, omnibuſque Epiſcopis, ne illum ad communionem reciperent, ſcripſit. Eas porro litteras cum inprimis Baſilius Cappadociæ Metropolitanus accepiſſet, eundem nefarium hominem à Fidelium conſortio extorrem denunciauit, deque ea re Athanaſium reddidit certiorem.

Athanaſij robur pro Eccleſiaſt. libertate. *ep. 47. 48.*

Enituit, & Damaſi Romani Pontificis, Apoſt. pro priuilegijs Eccleſiaſt. authoritas. Nam cum Valentinianus Imp. inſignem auaritiam, ac ſordidam cupiditatem, multorum eius temporis presbyterorum ac monachorum, bonis viduarum inhiantium, atque ex pietate quæſtum captantium domoſque ad decipiendas mulierculas oneratas peccatis circumeuntium, aduerſus quam multi etiam Patres inuecti ſunt, reprimere vellet: nonniſi agente permittenteque Damaſo legem, *ne Eccleſiaſtica perſonæ ſiue Clerici, ſiue Monachi, qui continentiam nomine honeſtarentur hereditates, vel legata, aut alias donationes à*

mulie-

Valentin. Imp. reſcriptum à nonnullis perperam interpretatum, poſtea à Marciano Imp. antiquatum.

mulieribus accipere poſſent, ſcripſit: quo etiam ſeculari auctoritate, ſordida Eccleſiaſticorum officina coerceretur. Cæterum Reſcriptum eiuſmodi, prohibente Damaſo, Imp. non extendit ad Eccleſias ipſas, quin eis aliquid à quocquam poſſit adſcribi: ſed Clericos, & Monachos tantum, ne priuato nomine quicquam, potiùs eriperent, quam acquirerent, ea ſanctione teneri voluit. Hanc ſanctionem, cum nonnulli, in omnes duntaxat, etiam ſine crimine auaritiæ egentes Eccleſiaſticos, nimis ſeuera interpretatione extenderent, Ambroſ. habuit, & pro Concione conqueri, & datis litteris apud Valentin. iuniorem expoſtulare. *Scribuntur*, inquit, *teſtamenta templorum miniſtris: nullus excipitur profanus: nullus vltimæ conditionis: nullus prodigus verecundiæ. Soli ex omnibus Clerico commune ius clauditur, à quo ſolo pro omnibus votum commune ſuſcipitur, officium defertur. Et vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta preſcribitur. Quod Sacerdotibus Phani legauerit Chriſtiana vidua, valet: quod miniſtris Dei, non valet. Quod ego, non vt querar, ſed vt ſciant, quid non querar, comprehendi. Malo enim pecunia minores eſſe quam gratia*. Hieron. etiam eodem tempore habuit exprobrare. *Pudet, ait, dicere Sacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ, & ſcortæ, hereditates capiant, ſolis Clericis ac Monachis hoc lege perhibetur: & prohibetur non à perſecutoribus ſed à Principibus Chriſtianis*.

ep. 31.

ep. 2.

Itaque cum aliquod maligniores, hac ſanctione abuterentur, ad Eccleſia Cænobia, xenodochia, & alia Chriſtianæ pietati loca, perſonaſque non vitio auaritiæ, ſed inopia laborantes, donatione & ſucceſſione quacumque à quocumque facta priuandas, Patres in eandem & calamum, & vocem acuerunt: quam poſtea Marcianus Imperator bono publico antiquauit, eiuſque ea de re ſanctionem Iuſtinianus probauit, ac ſuo Codici inſeruit. Enituit & Oſi Cordubenſis, pro eadem libertate Eccleſiaſtica zelus acris. Conſtantius hortabatur, damnatione Athanaſij ſubſcriberet. Cæterum ille, inter alia multa, verè Apoſtolico pectore digna: *Deſine* inquit *& memineris te mortalem eſſe: reformida diem iudicij, ſerua te in illam diem purum; ne te miſceas Eccleſiaticis: neque nobis hoc in genere præcipe, ſed potius ea à nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit: nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit. Et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ; ita & tu caue, ne quæ ſunt ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date (ſcriptum eſt) quæ ſunt Cæſaris Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. Neque enim fas eſt nobis in terris Imperium tenere: neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes Imperator. Ego neque Arianis aſſideo, neque ſuffragor, ſed eorum hereſim anathemate damno: neque in Athanaſium accuſationibus ſubſcribo, quem nos & Romana Eccleſia, vniuerſa Synodus innocentem pronunciauit. Inhibe ergo te, quæſo, neque aures præbeas malis hominibus, neque te miniſtrum malitiæ eorum, qui per te deteſtabilem hæreſim in Eccleſia ſeminant, exhibeas. Non eſt enim prudentis, in gratiam alienæ libidinis, ſeipſum in periculum certum conijcere. Deſine, quæſo & auſculta mihi Conſtanti; hoc enim decet, & me ſcribere, & te non vilipendere*. Hoc Hoſius Conſtantio, apertè indicans, non eſſe Cæſaris, *non Cæſari ſed Chriſto ſubiectos, ad Cæſareum tribunal vocare, aut Cæſareo edicto grauare*: quod illi iudicium Dei, apud Epiſcopale ſolium, à Deo erectum expectent: nec Imperator, Sacrorum habeat poteſtatem.

Oſij Cordubéſis pro libertate eccl. zelus. anno 355.

Enituit, & Luciferi Caralitani, pro Eccleſiaſtica immunitate, per idem temporis ingens animus. Iuſſu Conſtantij, Athanaſio eiecto, Georgius Cappadox militari fretus manu, Eccleſiam Alexandrinam Catholicis eripuerat, & Arianiſmo infecerat. Eiuſdem Imperatoris mandato, Dux copiarum Sebaſtianus, ſecta Manichæos, in Catholicos Sacerdotes quod à communione Georgij abhorrerent, inque cæmeterio ſeorſim cætum Orthodoxorum cõuocarent; irruens, multos ex eis partim in lapidicinas, partim in metalla, partim in inſulas deſertas relegauerat: prætextu non quidem religionis ſed criminis maieſtatis. Non tulit eam ſacrato templo ac cætui illatam iniuriam Lucifer, ſed contra Imperatorem inuectus calamum ſtrinxit, & ſcelerum memoriam, quam ille ſibi in Alexandrinorum ciuitate inuſſerat, tam ardentiſſimo ſpiritu defricuit, vt mirum ſit Conſtantium ſcriptam apologiam legiſſe, neque Lucifero caput detruncaſſe: præſertim cum is ab Imperatore, an libri author eſſet, interrogatus, libere reſponderit, & ſuum eſſe & ſe ſtare lætum, contra ea quæ in ipſius necem parabantur, cum cauſas, cur tali ſcripſerit modo, diſcutere vellet Conſtantius.

In eadem cauſa, enituit etiam Hilarij aduerſus illum ipſum Imper. quaſi iniuſſu ſuo iſta accidiſſent excuſantem, & ſanctos Epiſcopos alia ratione in ſuam ſententiam adducere nitentem ardor, cum illum appellaret *Antichriſtum, perſecutorem hoſtem blandientem*, qui inquit *non dorſum cædit, ſed ventrem palpat: non proſcribit ad vitam, ſed ditat in mortem: non tradit carceri ad libertatem, ſed intra Palatium honorat ad ſeruitutem: non latera vexat, ſed cor occupat: non gladio deſecat, ſed animam auro occidit: non ignes publicè minatur ſed gehennam priuatim accendit: non contendit ne vincatur, ſed adulatur, vt dominetur; Chriſtum confitetur, vt neget; vnitatem procurat, ne pax ſit: hæreſes comprimit, ne Chriſtiani ſint: Sacerdotes honorat ne ſint Epiſcopi, Eccleſiæ tecta ponit, vt fidem deſtruat*. Addebat alloquin Conſtantium. *Chriſtianum te mentiris, Chriſti nouus hoſtis es. Antichriſtum præuenis, & arcanorum myſteria eius operaris. Condis fidem, contra viuens. Doctor prophanorum es, indoctus piorum. Epiſcopatibus tuis donas, bonos malis demutas, Sacerdotes cuſtodiæ mandas, exercitus tuos ad terrorem Eccleſiæ diſponis; Synodos trahis, & Occidentalium fidem ad impietatem compellis; Orientales autem diſſenſiones artifex nutris, blandos elicis, fautores inſtigas, veterum turbator es, profanus nouorum es: Oſculo Sacerdotes excipis, quo & Chriſtus eſt proditus: Caput benedictioni ſubmittis, vt fidem calces. Conuiuio dignaris, ex quo Iudas ad proditionem egreſſus eſt. Cenſum capitum remittis, quem Chriſtus, nè ſcandalo eſſet, exoluit. Vectigalia, Cæſar, donas vt ad negationem Chriſtianos inuites. Quæ tua ſunt relaxas, vt quæ Dei ſunt amittantur. Concluſos Vrbe Epiſcopos minis terres, fame debilitas, hyeme conficis, diſſimulatione deprauas. Omnia ſæuiſſima ſine inuidia glorioſarum mortiũ peragis: nouo inauditoque ingenij triumpho de diabolo vincis, & ſine martyrio perſequeris. Plus crudelitati veſtræ, Nero, Deci, Maximiane debemus: Diabolum*

Hilarij aduerſus Conſtan. Imp. ardor.

bolum

bolum enim per vos vicimus ; quam tibi mortalium ſceleſtiſſimè, quia omnia perſecutionis mala ita temperas, vt excludas , & in peccato veniam , & in confeſſione martyrium . Iſta Hilarius vnà cum alijs Epiſcopis, in Conſtantium Auguſtum quem Iulius Felix, & Liberius diris percuſſerant, ob Eccleſias , & ſacratas res ac perſonas violatas.

Diuina in alios violatores vindicta.

Præter Conſtantium, quemdixi à Numine proſtratum, etiam in alios vindictam Deus properauit. Notę ſunt, quas Athanaſius recenſet , in illos diuinitus immiſſæ calamitates Georgius ille Cappadox, & cũ eo Dracontius monetæ Præfectus , necnon Diodorus quidam veluti Comes , à populo tumultuante , iniectis per crura funibus tracti, exanimati, dilaniati, cremati, cineribus in mare proiectis diſtracti, in viuis eſſe deſierunt: tanta execratione, vt ipſum camelum geſtatione cadaueris Georgij contaminatum fuiſſe putantes, ſimul cum eo ignibus exuſſerint: vt Gregorius Nazianzenus, Epiphan. Sozom. & alij plures teſtantur .

Grat. Imp. in rebus Orthodoxiæ amplificandis, & tuendis pietas.

Enituit & Gratiani Imperatoris pietas , in rebus Orthodoxiæ amplificandis, tuendiſque. Nam & liberum cuique fecit Catholicam Romanam religionem profiteri , & Baſilicas nonniſi ijs qui Damaſi Romani communionem amplecterentur, tradi, adeoque hæreticis quibuſcumque tolli imperauit . Quare fretus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus ingentibus auſis, pro Dogmatum puritate, nè ab hæreticis in dubium vocarentur, & pro Templorum immunitate, nè Arianis traderentur ſtetit . Ripamontius memorabat ex veteribus iſtud ad eum modum accidiſſe. Auxentio hęreticorum Anteſignano , Mediolani ſublato , alter eiuſdẽ nominis & ſectæ ſucceſſerat. Huic Iuſtina, Valentiniani iunioris mater , fraudibus Arianorum ſeducta, impulſaque fauebat , rebuſque Eccleſiaſticis præficere ambiebat .

hiſt. Eccleſ. Mediolanen. lib. 4.

Infracta Ambroſij pro templorum immunitate conſtantia.

Vbi conatus priores non ſucceſſiſſent, Ambroſium , velut rudem Eccleſiaſticorum dogmatum mentiebatur : iamque Cæſarem adduxerat , vti certa dies Ambroſio præſtitueretur , qua die , ſiſteret ad reddendam ſuæ doctrinæ rationem ; iudices & arbitros quos vellet adduceret ; ſe quoque videlicet ex aula delecturum eſſe , quorum æſtimatione ac prudentia dijudicare poſſe litem arbitraretur ; quaſi aut æquus Iudex, aut iuſtum illud Imperium eſſet. Ita ſumma religionis & arbitrium Eccleſiaſticæ rei, profanis hominibus permittebatur. abſque reſpectu legis à ſeniore Valent. latæ . Lex erat pij carminis . *Sanctarum rerum iudicia penes Eccleſiaſtici homines ſunto : populares, & aulici; nulla eiuſmodi cognitionem attingunto*. Neque violabatur ſolùm ea lex , ſed accedebat inſuper aliud , quod veluti diſſolueret Eccleſiaſtica iura , ſacroſanctamque libertatem abrogaret . Non enim Templum , aliamue ſacri ſoli ſedem , ſed Palatium ipſum examinandę Religioni deſtinarant , & illuc Epiſcopo vadendum erat . Id edictum Iuſtina mater abſtulerat ab iuuene Valentiniano, & interpoſita principis authoritate indignitatem augebat . Ea res poſtquam enunciata èſt Ambroſio, vtque iudicij dies eſt indictus , recuſare illę, iniuriam dicere non iudicium, fraudes & iniquitates, & ſub diſceptationis titulo latitantes inſidias increpare . Auxentius nihilominus properare, feſtinare , ſuo nomine iudices perhibere , ſtimulare Valentin. & Iuſtinam, vt fugitantem aduerſarium irretire nè cunctaretur . Sed Pontifex contra ea conſtans, & immotus obdurabat , miſſuſque Dalmatius Tribunus à Cæſare , nulla ipſum ratione promouere potuit, vt ex Eccleſia pedem efferret, Porrò , nè certamen effugere videretur , ex Eccleſia litteras ad Valentinianum miſit , quarum ſententia fuit huiuſmodi . *Niſi diuinæ & humanæ leges obſtarent , libenter , ſe ad Tribunal iturum fuiſſe , neque recuſaturum vllo modo, quominus vteretur diſceptatore ac Iudice Cæſare. Nũc ipſum tranſilire fines imperij , & patris acta reſcindere , dum ſeſe rebus Eccleſiaſticis immiſcere velit . Si cura religionis, vtilitatumque publicarum animum ſollicitaret , debere, iuſto ac legitimo ritu congregare Patres , non illic in angulo cætus haberi turbolentos . Epiſcopi Principis , non Principem Epiſcopo iudicem eſſe conſtitutum . Eccleſia excedere, nec velle , nec poſſe , nè deſerto ſcilicet ab ſe loco aduerſarios immitteret , quos in omnia momenta gerendæ rei excubare pertinaciter , ſciebat* . Viſus eſt acquieſcere Valentinianus , & quaſi vera exprobari faſſus, perſonam , quam ſibi temere ſumpſerat. exuit, neque vltra Ambroſium accerſebat . Sed Iuſtina, de ſuo furore remittebat cum Arianis nihil , vtque Arianos in Eccleſiæ poſſeſſionem induceret, imperio atque comitationibus agere incepit .

In Baſilica Portiana manebat Ambroſius non humano metu, vel cura mortalis vitæ: ſed quia timendũ videretur, ne Arianorũ audaciſſimi vacuam ſedem occuparent . Huc miſſi Tribuni denunciauere , vt ſacra vaſa ſuppellectilemque traderet , faceſſeret ex Eccleſia & aliquo loci quamprimũ abiret. Sic Cæſari placitum eſſe, quem non oportere amplius irritari . At Ambroſius primum quidem exhorruit poſtulato tam impudenti : deinde videlicet collegit animum, & libertate ingenita ſic reſpondit: *Non ego Chriſti hęreditatem prodam, ſed potius tuebor hac vita , exemplo maiorum , qui ſuo capite potiorem eam habuere. Hæc vobis prius abſcindenda lingua eſt, hic ſpiritus intercludendus quod me tacente, & quieſcente , figant in hac ſede pedem Ariani , Corpus exturbare fortaſſe vis aliqua poterit, mens quidem ipſa ſemper inconcuſſa manebit , & immota loco : Neque item ſacra vaſa tradere conſilium eſt : vel quia cuſtos Eccleſię non direptor à Deo ſum conſtitutus ; vel quia debemus ipſius quoque Cæſaris tueri exiſtimationem & ſalutem* . Dixit Ambroſius; populus autem Orthodoxus, animos ab eius animo ſumens, etiã aduerſus gladios ruere voluit. Quod cum Valentinianus accepiſſet, & militibus ire permiſiſſet : qui per vim effracturi valuas , & cæde fœdaturi templum videbantur, ſi Arianos Ambroſius à capeſſanda poſſeſſione Eccleſiæ populi concordia impediuiſſet : tunc ille nihil remittens de tenore conſtantiæ , qua impetus huiuſmodi alias repuliſſet : *An ego, inquit, ſedare multitudinem potero , quam pietas & religio & diuinæ cauſæ patrocinium armauit ? Si me inſtigante concitatos putatis, nullis humanarum rerum inuitamentis attinemur . Et ferire vobis licet , & quocumque alio modo promere quę verbis & vultu dolorem præfertis. Non iam ego templi religione tuebor hanc vitam , ſed eam pro ipſa religione libenter deponam in hoc templo . Tanto minor cura mihi domeſticæ ſuppellectilis, ac patrimonij totius quod Chriſti pauperibus iam antea deſtinatum, pro*

Chri-

Chriſto effundere non recuſem. Agite, ferte omnia, dum nè aſpiciam ego tantas indignitates, violata cædibus templa, Chriſtum exturbatum, Arij fæcem introductam. Hæc Ambroſij plena ſpiritus oratio, quod virtutibus exaggeratum, & vitæ prodigum animum declararet, magnopere perculit Auguſtales Legatos: nec tantum abire ſine maleficio, ſed ita ſunt conſternati, eoque terrore cæterorum animos impleuere, vt ad ſummam certaminis vniuerſi, ex eo die Catholici ſuperiores haud dubia voluntarum inclinatione relinquerentur. Quietis portum iam inueniſſe Eccleſia videbatur, niſi eam noua mox exorta tentatio obturbaſſet, quæ virtutem Ambroſij pro libertate Eccleſiaſtica magis exerceret. Miſſus ab Imperatore Scriba, non ſine tumultu Templum ingreſſus, proteruè Ambroſium interpellauit, ac effari iuſsit, quo iure Sacerdotes in Portianam Ædem immittere fuiſſet auſus, quod Cæſar ædem Arianis adiudicaſſet. Si tyrannidem vſurparet, ac de ipſo Imperatore triumphum peteret, facilè vindicari temeritatem poſſe. Extremum hoc ambiguis verbis intulerat Scriba: ſed facile Ambroſius minarum ambages intellexit, atq; hanc in ſententiam reſpondit: *ſe cum in Baſilicam inuitaretur, dediſſe publicæ quieti ac paci, nè vadendum illuc putaret; miſiſſe tamen Sacerdotes, quia petenti ſalutem populo, ſubſidium hoc denegare non potuiſſet: De tyrannide, mirari quidnam iaceret. Arma ſibi ad eam inuadendam eſſe nulla, præter nudam inermemque vitam; hanc ipſam tradere: ferirent, vbi vellent. Cæterum inſueuiſſe Pontifices largiri alijs Regna, non quæ aliorum eſſent, vſurpare. Iam inde ab ipſo capite & authore Catholici nominis Chriſto proditum exemplum eſſe, nè quis Eccleaaſticus Imperium appeteret. Ipſum enim potius fugiſſe, cum in id faſtigium expeteretur. Si vno verbo declarari vellet, quanam tyrannis hominum Eccleſiaſticorum eſſet, hanc nihil aliud, quam debilitatem atque ſubmiſsionem.* Hęc ab Ambroſio dicta. Ac ſatellitis quidem temeritas & proteruia tali oratione repreſſa eſt: violentior alter ex cubiculi miniſterio, Calligonis nomine paulopoſt acceſsit. Is Ambroſium contracta fronte per ſuperbiam, & elato ſupercilio, totidem interpellaſſe verbis dicitur:

Vltio diuina.

Tunc ergo, me viuente, Valentinianum adſpernabere? Caput iſtud obtruncabo, ſi pergis. Sed obtruncatus in ſtupri pœnam ipſe poſtea, diuini iudicij documentum dedit. Cæterum Ambr. conſtantia ſua tantopere populum Catholicum roborauit, vt aliquando Valentin. ſuis interrogantibus; Vellet ne parari ſibi ſedem in Eccleſia, reſponderit: *& vincula fortaſſe etiam iniicietis, ſi ita Epiſcopi animo collibitum fuerit*, ſcilicet tanta authoritate Ambroſius apud populares fuit, vt ſi, pro Eccleſia decertans, annuiſſet; Imperatori quoque ipſi, diuina & humana iura violanti, manus intuliſſent.

Ripamont. lib. 3. Ambroſij in Palladiũ ad ſæculares Iudices prouocantem ſententia.

Par huic facinori, & iſtud aliud, quod Ambroſius pro ſacrorum iudiciorum libertate geſſit. Claudianus, & Secundianus Epiſcopi, corrupta in Arrium mente, audaciſſimi mortalium, & importuniſſimi, in Synodo Aquileienſi, à Patribus, detecta eorum fraude damnati fuere. Palladius quoque præcipuus inſtigator Arrianorum, & ſectæ maximum momentum, in partem damnationis acceſſerat. Is concoquere non potis cenſuram, poſtquam ſeſe verſaſſet in omnes partes, eo demum reuolutus eſt, vt à Patrum authoritate, ac ſententia prouocaret ad alios Iudices: & ad eos maxime, qui nullis initiati ſacris forent, nulla ſacrorum adminiſtratione, & cura. Offendit animos tam flagitioſa prouocatio; & ipſa in primis Ambroſius hominis notandam eſſe temeritatem arbitratus, pronunciauit; *Indignum eſſe Pontificatu, qui Pontificum ſtare decretis abnueret, ac velut in Eccleſiæ contumeliam, iret in iudicium ad profanos Magiſtratus.* His cæteri Patres ſubſcripſere: quod viderent ab Ambroſio ſtare in hac parte, etiam Conſtantinianam Conſtitutionem, non minus quam in illa de Baſilicis non tradendis, & de cœtibus hæreticorum prohibendis, Gratiani, Valentiniani ſenioris, & Theodoſij Auguſtorum, eam quam adiungere viſum ſanctionem.

Gratiani, Valentin. ſen & Theodoſij Augg. pro Eccleſiarum ſanctitate ſanctio *C. de ſum. Trinit. & fide Cathol.*

Nullus hæreticis miniſteriorum locus: nulla ad exercendam animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio. Sciant omnes, etiam ſi quid ſpeciali quolibet reſcripto per fraudem elicito, ab huiuſmodi hominum genere impetratum ſit, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ; vnius, & ſummi Dei nomen vbique celebretur. Nicenæ fidei dudum à maioribus tradita, & diuinæ religionis teſtimonio, atq; aſſertione firmata, obſeruantia ſemper manſura teneat. Qui verò non iiſdem inſeruiunt, deſinant affectatis dolis alienum veræ religionis nomen aſſumere, ſed ſuis apertis criminibus denotentur, atque ab omni ſummoti Eccleſiarum limine, penitus arceantur: cùm omnes hæreticos illicitas agere intra oppida congregationes vetemus: ac ſi quid eruptio factioſa tentauerit, ab ipſis etiam Vrbium mœnibus exterminato furore propelli iubemus, vt cunctis Orthodoxis Epiſcopis, qui Nicænam fidem tenent, Catholicæ Eccleſiæ toto Orbe reddantur.

Hæc Imperatores Auguſti, pro Eccleſiarum ſanctitate: quæ ne Arianorum blaſphemijs pollueretur, Ambroſius zelo Apoſtolico prohibuit: cum etiã eadem tempeſtate Theodoſius iunior, Eccleſias ab Arianis per quadraginta annos occupatas, & in his primarium templum Conſtantinopoli, Catholicis reſtituiſſet; Deus autem euidentiſſimo miraculo reſtitutionem comprobaſſet; cum ſimul ac Gregorius Nazianzenus ſacros cancellos introiuit, Sol puriſſimis radijs effulgens, atrã nubem, quæ in meridiano noctem ferme induxerat, in momento diſſipaſſet. Gratianus quoque pariter, eam Baſilicam, quam Iuſtina inſtigante, Ambroſio abſtulerat, non quidem Arianis dedit, ſed eidem Ambroſio reſtituit: quod videret ab hæreſi multa mala orbi accidiſſe, quæ nonniſi pietate in Deum, ac ſacrorum propugnatione depellerentur. Macedonius Magiſter officiorum, Priſcillianorum muneribus corruptus, quod reſcriptum pro eis, vt Eccleſias in Hiſpanijs reciperent, à Gratiano ſurripuiſſet, & Imperatori, & ſibi vltionem diuinam accelerauit.

Miraculum in reſtitutione templi Catholicis. *Nazian. in carm. de vita ſua.*

Ille enim ab exercitu derelictus, fugiens, ab Andragathio Duce occiſus occubuit: hic vero ad Eccleſiam confugiens, patentibus ianuis, iuxta quod ei prædixerat Ambroſius, cum ad prætorium pro quodam interceſſurus pergens, haud permiſſus eſſet ab eo fores ingredi, aditum reperire non potuit: vt in vita Ambroſij Paulinus memorabat. Doctus ab hoc exemplo Beneuolus Magiſter Memoriæ,

Vltiò diuina ob ſacrorum violationem.

tiæ, cum Valentinianus iuniot ab Iuſtina deprauatus, edictum pro Arianis, quo dedit illis facultatem Conuentus agendi promulgaſſet; Iuſtina autem altiorem illi gradum, ſi decretum dictaſſet, polliceretur: is non ſolum promiſſam ſublimiorem dignitatem, velut mercedem impietatis reſpuit, ſed & ipſam quam ſuſtinebat deponete maluit, quam impia decreta dictare: vt Sozomenus laudauit.

Mira Beneuoli conſtãtia.

lib. 7. cap. 13.

Monebat Maximus, (quem Deus pro ſacratis Templis, & viris, aduerſus iuuenem Imperatotem concitauerat) Valentinianum, vt à vi in Sacetdotes abſtineret, atque religioni paternæ inhæreret, neque Templa, aut coitiones hæreticis permitteret. Cæterum is artibus Iuſtinæ in fraudem abductus, obdurans, maluit ſibi imperioq; cladem accerſere, quam à libertate ſacrorum ſalutem retinere, aut perniciem auertere. Dederant etiam idem temporis milites Ariani pænas, violatæ Eccleſiaſticæ immunitatis: quod Honorio Imperatore in Vrbe Mediolan. ex more Libycarum ferarum munus exhibente, ab Stilicone Comite miſſi, Creſconium quendam grauiſſimorum criminum reum, qui ad Eccleſiam confugerat, fruſtra renitente Ambroſio rapuiſſent.

Arriani milites à Leopardis dilaniati.

Accidit enim, vt dimiſſi ad ludum leopardi, ſaltu celeri aſcendentes locum in quo taptores muneta ſpectaturi conſederant; eoſdem miſere dilaniauerint: vt Paulinus in vita Ambroſij memorabat. Hoc forte miraculo perculſus Honorius, inprimis conſtituit, *Inferentes iniuriam perſonis Eccleſiaſticis, & locis ſacris Catholicorum, capitali ſupplicio puniri*: voluitque cunctis liberum eſſe, factas atroces Sacerdotibus alijſque Miniſtris Eccleſiaſticis iniurias, veluti publicum crimen inſequi. Cumque omnes ſacrati ordinis viros ab indicio Auguſtali exemptos eſſe renunciaſſet, vltrò etiam tulit legem, qua ſanxit licere popularibus atq; laicis ad Epiſcopum in ius ire, quaſue inde ſententias, & litium cauſarum, rerum æſtimationes auferrent, eas ratas, & legitimas haberi, perinde atque ſi altero foro eſſent latę. Statuerat hoc ipſum iam antea, vt recitaui, Conſtantinus Magnus, dederatque prouocationem à Magiſtratibus, & Præfectis Vrbium, ad Pontifices, & Epiſcopos, cum graui denunciatione, ſi quis eam Eccleſiæ poteſtatem imminuere, aut violare auſus eſſet.

Sanctio Honorij Imp de perſonis Eccleſiaſt. & de locis ſacris

lib 31. Cod. Theodoſ de Epiſc. & Cleris.

Alia quoq; lege Honorius ſanxit; vt quotquot orbe toto templa ſtarent inanibus dijs; ea, vel darentur excidio, vel in veri Dei cultum religionemq; Romani ritus transferrentur, ſiquidem ea forent deſcriptione ac ſtructura, quæ facilè poſſet ad Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem, & vſum accommodari.

Alia eiuſdẽ de templis falſorum Deorum.

Dum hæc Honorij edicta; Maſceſil Princeps contemneret; atque Eccleſiam temeraret, extrahendo nonnullos ab ea ad pænam; ſecuta eſt pæna ſacrilegium. Iiſdem enim quos protraxerat ſuperſtitibus atque inſultantibus interijt, à militibus Stiliconis de ponte influmen præceps datus. Eutropius quoque qui Arcadio Imperatori author fuerat ſanciendæ legis, qua præcipiebatur, ne quis omnino ad Eccleſiam confugeret, & vt per Magiſtratum extraherentur qui ad eam confugiſſent; is ipſe paucis poſt menſibus, ad Eccleſiam confugere neceſſitate compulſus, in ſe primum ſæuientem legem experiri coactus eſt. Egit tum temporis pro immunitate Eccleſiaſtica Chryſoſtomus, vixque depoſcentes Eutropium ad necem milites, oratione habita ab inuaſione ſacri loci dimouit; neque prius ſiuit eum ab Eccleſia abſtrahi, niſi iuramento à Magiſtratibus exhibito, de vita ei ſecura ſeruanda.

in hiſt. Miſcella.

Ita magno Dei iudicio habuit ad Eccleſiam confugere, qui haud pridem ius Eccleſię ſuperba licentia violauerat. Quod quidem ſcelus non impune tulit, ſed multis modis luit: Conſulatu, omnibuſque alijs dignitatibus ac bonis ſpoliatus. Chryſoſtomus, Eccleſiæ immunitate integra illibataque conſeruata, obtinuit vt illius nefaſti capiti parceretur; acta tamen eius ab Imperatore reſciſſa, nomen è faſtis expunctum, omnes, ſtatuæ eiuſdem publicis ac priuatis locis vbique abolitæ, ac tandem ipſe in Cyprum inſulam relegatus, & ad extremum fraude militari trucidatus.

Stetit pro Eccleſiaſtica immunitate, & in hoc caſu quem adiungo, Chryſoſt. Gainas tyrannidem aduerſus Arcadium Imp. moliens, cum non ſatis haberet capita virorum Conſularium ad gladium euocare, etiam Baſilicam vel vnam Conſtantinopoli pro Arianis poſtulabat. Imp. ad Chryſoſtomum referebat; cui iſte: *Ne, inquit, iſtud ei pollicere, neque ſanctum Dei canibus, mandes. Numquam enim patiar, vt qui Dei Verbum ſanctè celebrant, expellantur à ſacro Templo: idemque tribuatur ijs, qui contra eum blaſphemias loquuntur. Atque ne barbarum iſtum metuas, ſed me cum illo committas.* Commiſit ille; Chryſoſtomus vero Gainæ promiſſum expoſcenti reſpondit: *Non licere Imperatori, qui pietatem colere inſtituit, aliquid contra res ſacras temere moliri.* Repetenti; *Templum ſibi dari oportere*, ait, *Templum ſacrum apertum eſſe, neminemque eum prohibere, quominus in eo, ſi libeat, preces Deo fundat.* Repetenti; *ſe alterius ſectæ eſſe, & cum ſuo populo debere templum habere*: præcisè negauit, & *res ſacras ſacrilegio deputari non debere*, quantumuis præmium aliquis quodpiam mereatur, aſſeuerauit. Dixerat Chryſoſt. Gainas vaſtationem Vrbis, & Palatij incendium pertentans, Angelorum apparitione deterritus diſceſſit quidẽ, ſed Templum Diuo Ioanni in Hebdomone dicatum inuaſit.

Inuictum Chryſoſtõ cõtra Gaynæ iniuſtam petitionem pectus.

hiſt. Eccl. an. 400.

Qua indignitate commotus Arcadius, & Angelica viſione recreatus, Gainam hoſtem reipublicæ declarauit, domum in qua ſe milites eius reliqui concluſerant incendit, exercitum reliquum in inſidias adductum demerſit, Gainam autem ipſum per Thracias fugiẽtem interemit, Deo vindice, ſententiam ſacerdotis probante. Iam cum Ariani in Vrbe Regia ſimul cum Orthodoxis habitarent; & in contumeliam Conſubſtantialis, extra Vrbem procedentes hymnos blaſphemos concinerent, ac inſuper Catholicos laceſſerent, Chryſoſt. Arcadio pro Concione dixit: *Dic mihi, ò Imperator, ſi quis huic tuæ ſpecioſæ coronæ quoſdam obſcuros lapides inſeruiſſet; tolerares? Quid verò non putas vniuerſorum Regem iraſci, ſi in pia Ciuitate, pars quæ male ſentit, ſinatur habitare: cum ab illis oporteat exigere, vt vel conuertantur, vel emigrent?* Dixit Chryſoſtomus; Imp. verò primos Arianorum accerſiuit, atque conuerti recuſantes Ciuitate eiecit, dignitatibuſque, & magiſtratu eos qui fungebantur priuos fecit: reliquis ne hymnos in publico concinerent, neue

Gaynæ, & eius exercitus miſerabilis interitus.

neue ad litanias faciendas aliquando intra Vrbem conuenirent, prohibuit: Chryſoſtomo, pro ſacrorum libertate, & ſanctitate acerrimè decertante. Decertauit, & in hoc facto, quod narrabo.

anno 404.

Eudoxia Auguſta permiſerat, circa ſtatuam ſuam, pone templum maximum, in area publica erectam, ludos populares more idololatrico celebrari. Cedebat iſtud in contumeliam ſacrorum quod cultus diuini qui in Eccleſia peragebantur, perturbarentur, & populi ad antiquatos paganorum ritus ſenſim auerterentur. Quamobrē non ferendam ſibi Chryſoſtom. exiſtimauit iniuriam diuinorum, ſed pro Concione in populum bacchantem innectus, etiam Imperatricem liberrima voce perſtrinxit, adeòque irritauit, vt illa cætu Epiſcoporum male Chryſoſtomo volentium coacto, in exilium abire compulerit. In quo cum libertatis Eccleſiaſticæ innictus aſſertor diem ſuum obijſſet, Innocentius I. Roman. Pont. pro eadem libertate Eccleſiaſt. ex ininncto officio ſurrexit, & tam Arcadium, quam Auguſtam cenſura Apoſt. percelluit, ſcripta Imp. iſtis ipſis verbis epiſtola.

anno 407. Innoc I. Arcadium Imper. & Eudox. Aug. cenſura Apoſtol. percellit.

Vox ſanguinis fratris mei Ioannis clamat ad Deum contra te, ò Imp. ſicut quondam Abel iuſti contra parricidam Caim, & is omnino vindicabitur: nec id modo admiſiſti; ſed etiam pacis tempore, perſecutionem magnam aduerſus Deum, & Eccleſiam eius concitaſti. Eieciſti è throno ſuo, re non iudicata, magnum totius Orbis Doctorem, & vna cum eo Chriſtum perſecutus es. Neq; de illo ita queror (ſortem enim, & hæreditatem cum ſanctis Apoſtolis, in Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti regno conſecutus eſt) quamuis intolerabilis iactura ea ſit, ſed affligor, propterea quod primum de animarum veſtrarum ſalute, deinde de eis, qui ſapientiſſima ſpirituali, & diuina doctrina, & inſtitutione eius orbati, fame verbi Dei conficiuntur, ſum ſolicitus. Non enim Eccleſia tantum Conſtantinopolitana mellitæ illius linguæ iacturam fecit, ſed Orbis ſub ſole totus ad orbitatem redactus eſt, viro tam diuino amiſſo, perſuaſione vnius mulieris fabulam hanc, & ſpectaculum exhibentis. Verum excipiet, & præſentem hic pœnam, non poſt multos dies ei aduenientem. Tametſi enim B. Ioannes vitam reliquit, fide ſeruata, & fluctuantibus confirmatis: in æterna tamen ſæcula, ſempiternam delitiarum, & immortalitatis vitæ hæreditatem eſt conſecutus.

Innoc. ad Arcad. Imp inſignis pro libertate Eccleſiaſt. Epiſt.

Noua autem Dalila, Eudoxia, quæ paulatim te erroris ſeu ſeductionis nouacula totondit; execrationem ex multorum ore ſibi ipſi introduxit graue, & quod geſtari nequeat peccatorum pondus colligans, atq; id prioribus peccatis ſuis ſuper addens. Itaquæ ego minimus peccator, cui thronus magni Apoſtòli Petri creditus eſt, ſegrego, & reijcio te & illam à perceptione immaculatorum myſteriorum Chriſti Dei noſtri. Epiſcopum etiam omnem, aut Clericum Ordinis ſanctæ Dei Eccleſiæ, qui adminiſtrare, aut exhibere vobis ea auſus fuerit, ab ea hora, qua præſentes vinculi mei legeritis litteras, dignitate ſua excidiſſe decerno. Quodſi, vt homines potentes quamquam ad id vi adegeritis, & canones nobis à Saluatore per S. Apoſtolos traditos tranſgreſſi fueritis; ſcitote id vobis non paruum peccatum fore in horrenda illa iudicij die cum neminem huius vitæ honor, & dignitas adiuuare poterit, arcana autē, & abdita cordium ſub oculos omnium effundentur, atq; exhibebuntur. Arſaciū quem pro magno Ioanne in thronum Epiſcopalem produxiſtis, etiam poſt obitum exautoramus, vnà cum omnibus qui conſulto cum eo communicarunt Epiſcopi: cuius etiam nomen ſacro Epiſcoporum albo non inſcribatur. Indignus enim bonore eſt, quod Epiſcopatum quaſi adulterio polluerit. Omnis enim planta, quę à patre noſtro in cælis plantata non eſt, eradicabitur. Ad Theophili anathematiſmum addimus abrogationem, & abſolutam à Chriſtianiſmo alienationem.

Excepit ſtatim diuina vltio Eudoxiam, Arcadium, & alios Eccleſiaſticæ libertatis in Chryſoſt. temeratores. Illam enim Deus, difficili grauiſſimaque ægitudine, ex mærore & anguſtia percuſſit, afflixitque: in Arcadium quod perſecutus eſſet eccleſiam, Honorius, paratus cum eo bello decernere, ſurrexit: Arcadius porrò, partim Honorij Imperatoris, partim Innocentij Pontificis litteris, excitatus, Acacianum, Senetianum, & reliquos Theophili ſequaces, comprehendi pœnaſque criminis dare iuſſit, atque Innocentio ſupplex ſcripſit, errorem partim agnoſcens, partim in Epiſcopos illos, partim verò in Auguſtam reijciens: in vniuerſam autem humiliter deprecans, ne illum desereret, expertem myſteriorum incontaminatorum. Debet Ordo Eccleſiaſticus plurimum Innocentio Pontifici, quod illum adeo conſtantibus auſis ab iniuria vindicaſſet.

Vltio diuina.

Quantum ordo Eccl. & loca ſacra Innoc. I. debeant.

Sed & loca ſacrata, non minus agnoſcunt patrocinium illius: quando Alaricus Rex Gotthorum, illo authore præcepiſſet, vt qui in ſancta loca Romanæ vrbis, quam tunc furor barbaricus permiſſione diuina vaſtabat, præcipuèque ad Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas confugiſſent, hos inprimis inuiolatos ſecuroſque eſſe milites ſinerent. Ferunt etiam huius Alarici tantam erga limina Apoſtolorum reuerentiam fuiſſe, vt cum in Sacrario S. Petri plurima prætioſa iocalia Chriſtiani, ſeruandi gratia contuliſſent, Alaricus ea à militibus illæſa cuſtodiri iuſſerit; dicens; *Cum Romanis ſe bellum gerere, non cum Apoſtolis*. Accidit tunc iſtud, dignum quod ad cōfuſionem eorum qui quoquomodo Chriſti nomen agnouerunt, pro Sacrorum immunitate adſcribatur.

anno 410.

Alarici erga limina Apoſtolorum reuerentia.

Diſcurrentibus per vrbem barbaris, fortè vnus Gotthorum, idemque potens & Chriſtianus, Sacram Deo Virginem iam ætate prouectam, in quadam Eccleſiaſtica domo reperit. Cumque ab ea aurum argentumque honeſtè expoſceret, illa fideli conſtantia eſſe apud ſe plurimum, & mox proferendum ſpopondit, ac protulit nimirum vaſa ſacra in cuſtodiam accepta; quæ non abſque Spiritus Sanctus inſtinctu barbaro reuelanda putauit. Dumque expoſitis opibus attonitum barbarum magnitudine, pondere ac pulchritudine, ignota etiā vaſorum qualitate, intelligeret; Virgo Chriſti ad illum ait: *Hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt. Præſume ſi audes: de facto, tu videris. Ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo.* Barbatus, ad reuerentiam religionis timore

Res mira de ſacris vaſis in vaſtatione Vrbis Romæ.

Dei & fide Virginis motus; ad Alaricum hæc per nuncium retulit. Qui continuò reportari ad Apoſtoli Baſilicam vniuerſa vt erant, vaſa imperauit; Virginem etiam, ſimulque omnes quod ſe adiungerent Chriſtianos, eodem cum defenſione duci. Ea domus à Sanctis ædibus, longo & medio vrbis interiectu aberat.

Itaque magno ſpectaculo omnium, diſpoſita per ſingulos ſingula, & ſuper capita elata palàm aurea atque argentea vaſa delata ſunt: exertis vndique ad defenſionem gladijs pia pompa munita, hymnis Deo Romanis barbariſque canentibus. Baſilicæ Apoſtolorum, quia præ alijs martyrum locis, maiore in veneratione apud barbaros erant, multò plures ſuos alienoſque confugientes in illa vaſtatione vrbis ad ſe receperunt. Hucuſque cruentus ſæuiebat inimicus; ibi accipiebat limitem trucidatoris furor; illo deducebantur à miſerantibus hoſtibus quibus etiam extra ipſa loca, nomen Chriſti vel Sanctorum nominantibus pepercerant; nè in eos incurrerent, qui ſimilem miſericordiam non habebant. Sic etiam multi Gentiles, fingentes ſe Chriſtianos, in Apoſtolorum Baſilicis euaſerunt. Tulit tunc temporis Honorius legem contra hæreticos violatores Sanctorum dogmatum: *Sciant omnes Sanctæ legis inimici, plectendos ſe pœna & proſcriptionis & ſanguinis, ſi vltra conuenire per publicum, execranda ſceleris ſui temeritatem tentauerint.* Auctor ſanciendæ legis fuit Innocentius Papa, crebris Orthodoxorum Africanorum legationibus ſollicitatus; quod hi à Donatiſtis, & Circumcellionibus adeo opprimerentur, vt barbarorum facta in vaſtatione Eccleſiarum & perſecutione Epiſcoporum ac Clericorum, mitiora exiſterent.

Honorij lex in hæreticos.
Cod. Theodoſ. lib. 51. de hæret.

Tulit idem Honorius, & alias leges pro Eccleſiaſtica libertate, ſcilicet, *nè bona Eccleſiaſtica, diuerſis alijs, præter canonicam penſionem teneantur obligata muneribus, nè Clerici apud alios Iudices quam Epiſcopos iudicio poſtulentur, & vt laici, & qui inter eos magiſtratibus fungerentur, ſi quid in Deum peccaſſent, vel iura Eccleſiaſtica violaſſent, iudicio Epiſcoporum ſubderentur.* Contra Donatiſtas etiam pœnas decreuit, *vt in ſchiſmate perſeuerantes, primùm pecunia, deinde ſi non reſipiſcerent, exilio multarentur.* Aduerſus temeratores quoque Eccleſiarum mulctas edixit: fretus monitione Auguſtini, qui Bonifacio Comiti, quod confugientem quendam ad Eccleſiam abſtrahi iuſſiſſet, iſta ſcripſerat: *Miror, quomodo tam ſubitò fidei murum aries ruperit inimici. Noui enim qua religione ſemper ſis Eccleſiam Dei veneratus. Quo inſtigante frater hominem de Eccleſia rapuiſti? Eccleſia igitur illæſum reuoca, quem vt irreligioſiſſimus rapuiſti. Oblatio videlicet domus tua à Clericis nè ſuſcipiatur, indixi: communionemque tibi interdico, donec per acta pro auſibus vel errore à me definita tibimet pœnitentia, & tempore condonato, pro hoc facto corde contrito & humiliato dignum offeras ſacrificium Deo.* Monuit ea epiſtola Bonifacium, vt pœniteret, vt lapſum fateretur, vtque oraret; *Indigna mea lachrymæ iungantur tuis fletibus iuſtis, quo poſſit hæc nota nigro inſcripta titione deleri. Eccleſia mihi introitus non negetur: illic ſpero veniam, vbi admiſi culpam.*

Aliæ pro libertate Eccleſiaſtica eiuſdem Imp. leges.
Cod. Theodoſ. lib. 40. 41

Præter Honorium, etiam Theodoſius Iunior, & Valentinianus III. omnes hæreticos, ſchiſmaticos, lege lata, vrbe eiecerunt: Templa Catholicis ab hæreticis erepta reſtitui iuſſerunt: complices, & conſcios violatæ Fidei vel Eccleſiæ eiſdem pœnis ſubiecerunt; omnia privilegia ſiue Eccleſiæ, ſiue Clericis delata confirmauerunt, ac tyrannicas eorum reuocationes aut moderationes abrogauerunt; Cæleſtino Romano, nihil pro defenſione eorumdem priuilegiorum ommittente. Ad eum modum Theodoſio ſcribebat Cælæſtinus; *Maior vobis fidei cauſa debet eſſe, quam Regni: ampliuſque pro pace Eccleſiarum clementia veſtra debet eſſe ſollicita quàm propter omnium ſecuritate terrarum. Subſequuntur enim omnia proſpera, ſi primitus quod Deo ſunt chariora ſeruentur. Abraham fide floruit, omnemque Orbem gloria ſua proſperitatis impleuit. Moyſes populi liberator, zelum Domini contra eos, ſi quos à Dei cultu receſſiſſe probarat, armauit. Dauid Regem ſua præcepta ſeruantem, in regno, vt ille inimicos ſuos ſubderet, Dominus cuſtodiuit. His, rogo, exemplorum vallati præſidio, fide, obſeruatione, virtute, vniuerſalis Eccleſiæ in Deum noſtrum piiſſimum cultum, nè ſibi aliquid diſſenſio vendicet, cuſtodite. Pro veſtri enim imperij ſalute geritur, quicquid pro quiete Eccleſiæ, vel ſanctæ religionis reuerentia laboratur.* Auſcultauit Cæleſtino Theodoſius; & cum in primis monſtra hæreticorum ab Orthodoxis repuliſſet, etiam pro quiete Eccleſiæ laborauit; conſtituitque, Eccleſiam, aram eſſe ſalutis, ad quam fugientes accurrerent, intra cuius ſepta nemo arma inferret, nemo ſacrilegas manus in extrahendis reis immitteret.

Theod. Iun. & Valen. Impp. pro Eccleſiaſtica Catholica ſancta.
ext. epiſt. in act. Conc. Epheſini.

Cæterum, legem quam in fugientes, ne arma introferant in templa, tulit, ipſe non fugiens, ſed cum maieſtate ingrediens ſeruauit, dixitque; *Nos qui legitimi Imperij armis numquam non circumdamur, quoſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non conuenit, Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus: & ipſum etiam diadema Regia maieſtatis inſigne humiliter deponimus: & ſacra altaria munerum tantum offerendorum cauſa accedimus: quibus quoque oblatis, ad extimum communeque atrium mox nos recipimus, nec quicquam ex propinqua Diuinitate nobis arrogamus.* Profecerat ſcilicet Theodoſius Imperator à diſciplina Cæleſtini, pro immunitate Sacrorum vigilantiſsimi. Perſeueraſſet vtinam Theodoſius Imperator, in hac ſacrorum locorum & hominum reuerentia; non ſibi cladem extremam accerſiuiſſet, neque maculam turpiſſimam omniũ, in gloriam ſuam poſuiſſet.

C. Theod. lib. 4.
Conc. Epheſ. cap. 21.

Ab Eudoxia Auguſta, & fautoribus Eutychetis hæreſiarchæ ſeductus, tolerauit, à Dioſcoro, pſeudoſynodum Epheſi prædatoriam, ſeu latrocinalem, contra Patres S. Synodi Epheſinæ celebrari, eaſque violentias Sanctis Epiſcopis, ope Comitum ac militum ſuorum, inferri, quas mundus exhorruit, Leo condemnauit, Deus vindicauit. Ibi Eutychete abſoluto, Sanctus Flauianus Patriarcha Conſtantinopolitanus, quod Eutychetis abſolutioni ſubſcribere recuſaſſet, ac Sedem Apoſtolicam primò viua voce, deinde etiam ſcripto libello appellaſſet, eiuſdem impiiſſimi Dioſcori, & ſceleſtiſſimi Barſumæ Archimandritæ opera, ab ſatellitibus Imperatoris, plagis contuſus, & catenis conſtrictus, inque exilium delatus, ibique multis alij preſſuris, & ærumnis confectus, paulò poſt nobiliſſimam pro egregia defenſione Catholicæ fidei, ac generoſa prouocatione ad Romanum Pontificem,

Hiſt. Eccl. an. 449.
S. Flauian. Patr. Conſt. pro libertate Eccleſiæ martyr effectus.

adeo-

adeoque pro libertate Eccleſiæ, martyrij coronam promeruit. Ibi Legati Apoſtolicæ Sedis Iulianus Epiſcopus Puteolanus, Renatus Presbyter Cardinalis tituli S. Clemenſis, atque Hilarus S. R. E. Diaconus Cardinalis, indignum in modum vexati. Ibidem deinde Epiſcopi Orthodoxi, quod Flauiani damnationi non ſubſcriberent, calcibus conquaſſati verberibus lacerati, inque exilium abire iuſſi, miſerabilem vitam ſuſpirarunt.

Leo Mag. pro defenſione libertatis Eccl. inſurgit.

Non hæc tolerauit Leo, ille Magnus; ſed Theodoſium Imperatorem, aperte quidem litteris interpellauit: prolata verò in Dioſcorum & reliquos, vim libertati Eccleſiaſticæ inferentes ſententia, coniunctim factum eius damnauit: ſatis, pro patientia Paſtorali habens hæc interim acerrima Theodoſio perſcribere.

epiſt. 25.

Comperimus, ait, non incerto nuncio, ſed fideliſſimo rerum quæ geſta ſunt narratore, Hilario diacono noſtro (qui vix ne ſubſcribere per vim cogeretur, effugit) conueniſſe ad Synodum plurimos Sacerdotes, quorum vtique frequentia conſultationi & iudicio profuiſſet, ſi is qui ſibi locum principem vendicabat, Sacerdotalem moderationem cuſtodire voluiſſet: (vt ſicut moris eſt) omnium ſententijs ex more prolatis, id tranquillo & æquo conſtitueretur examine, quod & fidei congrueret, & errantibus ſubueniret. In ipſo autem iudicio, non omnes qui conuenerant interfuiſſe cognouimus: nam alios reiectos, alios didicimus intromiſſos, qui pro ſupradicti Sacerdotis arbitrio, impijs ſubſcriptionibus captiuas manus dederunt: quod nociturum ſtatui ſuo ſcirent, niſi imperata feciſſent: talemque ab ipſo prolatam eſſe ſententiam, vt dum vnus homo impetitur, in omnem Eccleſiam ſæuiretur. Quod noſtri ab Apoſtolica Sede directi, adeo impium & Catholicæ fidei contrarium eſſe viderunt, vt ad conſentiendum nulla potuerint oppreſſione compelli: conſtanterque in eadem Synodo (vt decuit) fuerunt proteſtati, nequaquam, id quod conſtituebatur, Sedem Apoſtolicam recepturam, quoniam reuera omne Chriſtianæ fidei Sacramentum (quod abſit) à temporibus veſtræ pietatis excluditur, niſi hoc ſceleſtiſsimum facinus, quod cuncta ſacrilegia excedit, aboleatur.

Plura alia Pontifex ſcribebat, obſecrabatque Imperatorem, remoueret à ſuæ pietatis conſcientia, periculum religionis & fidei: non permitteret, vt Chriſti Euangelio vim inferat humana præſumptio: ne pateretur alieno ſe peccato grauari: appellationi ad Sedem Apoſtolicam, quam Canones Niceni Concilij, à totius mundi Sacerdotibus, conſtituti probarunt, nè obicem opponi fineret. faueret Catholicis, ſuo more, parentumque ſuorum: daret defendendæ fidei libertatem, quam nulla vis, nullus poterit mundanus terror auferre: defenderet contra hæreticos *inconcuſſum Eccleſiæ ſtatum*, *vt*, inquit, *& veſtrum Chriſti dextera defendat Imperium.*

Theodoſ. reſipiſcit ſed tamen vltionem diuinam nō effugit.

Theodoſius partim his litteris admonitus, partim verò, imo magis metu numinis perterritus, impietatem in Flauianum & alios perpetratam doluit, & pacem Eccleſiæ reſtituere cogitauit. Et quod ſciret Chryſaphium, & Eudociam coniugem, ſe in illud præceps depuliſſe, hanc quidem aula excedere, & ad Septimum ſecedere imperauit; illum verò malorum omnium incentorem, primùm dignitate, mox ſubſtantia exuit, & exilio multauit, quo cum deportaretur, interfectus, inque mari demerſus eſt. Præter hæc Epiſcopos expulſos, ad ſedas ſuas reuocauit, & Leoni Pontifici ſupplex fuit, à quo dum Legatos pro ſalute expectaret Eccleſiarum, equo delapſus, luxata ſpinæ vertebra, occubuit; miſer eo tempore, quo Eudociæ & Chryſaphio auſcultans Eccleſiam oppugnabat.

Quale tunc de Epiſcopis iudiciũ magiſtratus ſeculares vſurpata poteſtate exercuerint. ep. 140. 141.

Quale tunc de Epiſcopis iudiciũm vſurpata poteſtate ſeculares Magiſtratus exercuerint, vnus ex eis Theodoretus Anatolio Exconſuli ſignificabat. Nullus homicida, ait, damnatus abſens vmquam fuit. Nullus nuptiarum inſidiator, aut adulter non præſens condemnatus. Nullus murorum effoſſor, vel ſepulchrorum, vel incantator, vel ſacrilegus, vel quiduis aliud a lege prohibitũ, & interdictum auſus, ad tribunal currere feſtinando fuit impeditus nè id faceret, & damnatus fuit iudicis ſententia. Leges enim præcipiunt, vt ante iudicem, & actor, & reus ex aduerſo ſtent; & Iudex expectet aperta argumenta, & indicia, & tunc vel vt innocentem dimittat, vel vt reum ſententia condemnet. Nobis verò contrarium euenit. Imperatoris litteræ interdixerunt nobis ad celebrem illam venire Synodum, & iuſtiſſimi Iudices abſentem condemnauerunt, non iudicantes, ſed potius laudantes ea quæ ad noſtram accuſationem allata fuerunt ſcripta: & neque diuina lex, neque hominum vindicandi cædem meam & damnationem potuit detinere. Sed præcipiebat quidem Præſes, veritatem negligens & contemnens, & temporali poteſtati obſequens: obediebant etiam illi, qui idem nobiſcum ſentiunt, & conueniunt in dogmatibus, & noſtra aliquandò maximè ſunt admirati. Hæc Theodoretus, permiſſione ſiue adeo iuſſione Theodoſij perpeſſus, cum iudicem legitimum cauſarum Eccleſiaſticarum Pontificem Romanum interpellaſſet. Oportuit Leonem alios Legatos in Orientem mittere, qui in Concilio Calcedonenſi rebus afflictis mederentur, & vnicuique ius proprium reformarent: Leone Pontifice non minus pro fidei integritate, quam pro Eccleſiaſtica libertate, feliciter decertante. In Dioſcorum profanum enituit diuina vindicta. Concilio enim Chalcedonenſi abſoluto, Gangram Paphlagoniæ à militibus deportatus, infelix diem clauſit extremum.

Dioſcori infœlix obitus.

Pari conſtantia Leo Magnus, pro Eccleſiæ Alexandrinæ libertate eadem tempeſtate ſurrexerat. Timotheus Ælurus, homo non homo, ſed monſtrum, Proterium eius Sedis Epiſcopum in baptiſterio latitantem extraxerat, trucidauerat, corpus vnco per ciuitatem traxerat, membratim concidi, demum igni exuri, & cineres in aerem diſpergi mandauerat: & ad extremum Eccleſiam illam occupauerat. Baſiliſcus, apud Leonem Auguſtum gratia pollens, parricidam ſceleſtum protegebat.

Miſerabilis quorundam Eccleſiaſticæ immunitatis temerariorum finis. epiſt. 15.

Non diſſimulauit Leo Papa, ſed Timotheum Chriſtiana appellatione priuari decreuit, & Auguſto præſcripſit, nè pateretur Eccleſiam Alexandrinam fieri ſpeluncam latronum. neue ambigeret, quid de his decernendum ſit, quod poſt nefanda ſacrilegia, poſt ſanguinem probatiſſimi Sacerdotis effuſum, auderent ſibi ius peruaſæ dignitatis expetere. *Magnum vobis eſt*, ait, *vt diademati veſtro de manu Domini etiam fidei addatur corona. & de*

hoſtibus Eccleſiæ triumphetis. Quia ſi laudabile vobis eſt, aduerſus Gentium furorem arma conuertere, quanta erit gloria, ab inſaniſſimo tyranno Alexandrinorum Eccleſiam, in cuius contritione omnium Chriſtianorum iniuria eſt, liberare? Motus his litteris Leo Imp. parricidam execratus eſt. Baſiliſcum poſtea vniuerſi proditionis rerum conclamarunt, & vix non enecarunt, niſi is ad aſylum Eccleſiæ confugiſſet, & à ſorore Verina Auguſta liberatus, Perinthum Thraciæ amandatus fuiſſet. Non diſtulit tamen Deus hominem impium caſtigare. Cum enim Imperium occupaſſet, à Zenonis Ducibus captus, inque Cappadociam hyemis tempore nudus, ſine cibarijs cum vxore, & filijs relegatus, fame, & frigore vna cum illis enectus miſere interijt. Timotheus cum ad Eccleſiam Catholicorum quam illi Zeno impius patere Conſtantinopoli voluerat, pergeret, in magna qua vehebatur pompa ex iumento cadens, fracto crure domum redijt, ac Iudæ proditoris inſtar mortem ſibi veneno conſciuit, vt memorat Liberatus horum temporum hiſtoricus.

hiſt. Eccl. anno 466.
Leo Imp. ius aſyli Eccleſijs confirmat.

Zeno quoque Imperator, quod violata Eccleſiaſt. libertate, Petrum Mogum Sedi Alexandrinæ intruſiſſet, & Timotheum Solofaciolum legitimum Pont. pro quo Simplicius Papa agebat redire non permiſiſſet, necnon Calendionem Antiochenum in exilium amandaſſet, viuus ſepultus, comeſis lacertis occubuit. Porro Leo, ius aſyli Eccleſijs confirmauit, ex hac occaſione. Ardaburius potentiſſimus Arianorum Dux militem quendã ex cœnobio Acæmetarum vi extrahere tentauerat, nec poterat: quod ab eo miſſi ſatellites, fulguribus ex imagine apparentis in faſtigio Monaſterij Crucifixi procedentibus mirabiliter expulſi fuiſſent. Imperator vbi magno periculo aſylum Eccleſię violari accepiſſet, de immunitate ad Eccleſ. confugentium ſanctionem ampliſſimam atque ſeueriſſimam promulgauit, necnon veterem quandam, qua iubebantur Epiſcopi ſoluere, quod creditoribus debebat ad Eccleſiam confugiens, niſi eum redderent, moderatione vſus temperauit.

Nihil intermiſerunt interim, ſuccedentes Rom. Pont. Hilarus, Simplicius, Felix III. Gelaſius, & Symmachus pro libertate Eccleſiaſt. aduerſus impios Impp. & Reges conari. Namque cum Zeno, & Anaſtaſius, in Oriente, Theodoricus autem Rex in Italia, ſiue Epiſcopos Catholicos eijcerent, ſiue hetherodoxos Eccleſijs intruderent, ſiue iudicium in Eccleſiaſt. exercere præſumerent, ſiue bona Eccleſiarum vſurparent, ſiue denique leges iniquas contra ſacra ferrent, oppoſuerunt ſe ex aduerſo murum pro domo Dei, neque dubitarunt ſacrilegos immunitatis Eccleſiaſt. violatores diris deuouere. Ex his Symmachus, in Sexta Synodo Rom. pronunciauit, vt vendicantes ſibi indebite bona Eccleſiaſt. ſiue mobilia ſiue immobilia, niſi ea reſtituerent, veluti hæretici manifeſti deberent anathematizari; eaque ſenrentia etiam eos teneri, qui facultates Eccleſ. ſub ſpecie Regiæ liberalitatis obtinuiſſent: eo quod non Regum ſit de bonis Ecnleſiæ decernere. Tanti fuit Pont. apud Arianum Principem decretum, vt is quam plurima tum pro bonis Eccleſiarum Mediolan. & Narbonenſis, tum pro defenſione iurium Eccleſiæ reſcripſerit, tantaque præſtiterit, quæ in pluribus deſiderari poſſint Regibus Catholicis.

Caſſiod. 2. var 29. & lib 4. ep. 17.

Hormiſda Symmacho ſuccedens, pro reſtitutione Macedonij Patriarchę Conſtantinopolitani quem Anaſtaſius Imp. in Armeniam relegauerat, multa apud eundem egit: ac in refractarium anathema tulit. Quo tempore cum S. Remigius videret quanta felicitate adminiſtraret Regnum Galliarum Clodoueus, propter venerationem ſacrorum domi foriſque laudatus, in tabulas Teſtamenti retulit, memoranda omnibus Regibus iſta quæ pro immunitate Eccleſiaſt. adiungere viſum. *Si aliquando genus illud Regium per benedictionem meam toties Domino conſecratum, mala pro bonis reddens, Eccleſiarum Dei peruaſor, deſtructor, depopulator, grauis aut contrarius exiſtere voluerit: conuocatis Rhemorum diœceſeos Epiſc. primum moneatur: deinde Vrbi præfata, adiuncta ſibi ſorore Eccleſ. Treuerenſi, iterum conueniatur: Tertio vero Archiepiſc. tantummodo Galliarum tribus aut quattuor conuocatis, Princeps ille quicumque fuerit moneatur: ita vt ad ſeptimam monitionem, ſi prius ſatisfacere renuerit, paternæ pietatis longanimitate differatur. Tandemque ſi poſtpoſitis omnibus præfatis benedictionibus, incorrigibilis contumacia ſpiritum non depoſuerit, & ſe per omnia Deo ſubdi nolens, benedictionibus Eccleſiæ participare noluerit: elogium ſegregationis à corpore Chriſti ab omnibus ei porrigatur, quod per Prophetam, & Regem Dauid eodem qui in Epiſcopis eſt dictante S. Spiritu noſcitur decantatum:* Quia perſecutus eſt, *inquit*, hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde, & non eſt recordatus facere miſericordiã, & dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo, *totumque ei, quod in perſona Iudæ traditoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, & malignorum Epiſcoporum Eccleſia decantare ſolet per ſingulas ei decantetur Eccleſias. Quia Dominus dixit;* Quamdiu feciſtis ex minimis meis, mihi feciſtis: & quamdiu his non feciſtis, nec mihi feciſtis. *Et ideo quod probatur in capite, in membris intelligendum eſſe non dubitetur. Vnum tantummodo ibi Verbum per interpoſitionem commutetur.* Fiant dies eius pauci; *& principatum* eius accipiat alter. *Quod vtique ſi ſucceſſores mei Rhemorum Archiepiſcopi operari, ſicut à me ordinatum eſt neglexerint: in ſe, quicquid in Principibus reſecandum fuerat, maledictionibus deprauari reperiant: vt fiant dies eorum pauci, & Epiſcopatum eorum accipiat alter. Si vero Dominus meus Ieſus Chriſtus, vocem orationis meæ, quam quotidie pro genere illo in conſpectu diuinæ maieſtatis ſpecialiter fundo, audire dignatus fuerit, vt ſicut à me Clodoueus accepit, ita in diſpoſitione Regni, & ordinatione Sanctæ Dei Eccleſiæ perſeueret: benedictionibus quas Spiritus S. per manũ meam peccatricem ſuper caput eius infudit, plurima ſuper caput illius qui ſuccedet, per eundem Spiritum Sanctum ſuperaddantur: & ex ipſo Reges, & Imperatores procedant, qui in præſenti, & in futuro, iuxta voluntatem Domini, ad augmentum ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, virtute eiuſdem in iudicio, & iuſtitia confirmati, & corroborati, regnum obtinere atque augere quotidie valeant: & in domo Dauid, hoc eſt in cœleſti Hieruſalem cum Domino in æternum regnaturi ſublimari mereantur, Amen.*

S. Remigij teſtamentũ de Regibus Franciæ pro Eccl. immunitate.
Briſſon. de formul. l. 7.

Sub-

Subſcripſere teſtamento, S. Vedaſtus Atrebaten. S. Medardus Nouiomen. & S. Lupus Sueſſionen. vna cum tribus alijs Eiſcopis. Singulorum ſubſcriptionis hæc vnica fuit formula: *Vedatus Epiſcopus: Cui Pater meus Remigius maledixit: & cui benedixit, & ſubſcripſit.* Iſta Sancti Epiſcopi Regibus imprecabantur, certiſſimum habẽtes Deum eſſe ſeuerum vltorem iniuriarum, quas aliquis Eccleſiæ, & Sacro ordini intulerat: neque quemquam Imperatorum aut Regum poſſe ſubterfugere armatã Dei dexteram, in vindicias Sanctorum. Anaſtaſio Imperatori Sanctorum perſecutori, Oeniadum Epiſcopus eadem tempeſtate inſinuare non dubitauit, cum apprehendens eius chlamydem dixit; *Hæc veſtis nequaquam te poſt mortem ſequetur, ô Imperator: ſed ſola te pietas comitabitur, ac virtutum habitus. Deſine perſequi Eccleſiam, quam ſuo redemit Chriſtus ſanguine. Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, neque vellum Eccleſiæ decretum perfecte intelligis. Tantum impoſturis, & ſcurrilibus calumnijs fatuos tenes. Satis ſit tibi dignitatis, quod Imperator es: Antiſtites Eccleſiæ vexare noli, quos Rex Regum vindicabit.* Dixit Epiſcopus: Deus autem fulmine hoſtem Eccleſiæ percuſſit.

Anaſt. Imp. Theodoſ. Rex Beliſarius, Iuſtina, & Iuſtinian. à Deo puniti. *Cedren. in annalib.*

Percuſſit, & paulo poſt morte horrenda Theodoricum Regem, quod Ioannem Pontificem Romanorum, pro libertate Eccleſiaſtica depugnantem, & Eccleſias ab Arianis recuperantem, in carcere mori coegiſſet. Percuſſit, & Beliſſarium, & Theodoram, & Iuſtinianum: illum quidem oculis orbari, ſumma rerum deijci, & ad mendicimonium redigi voluit, quod Syluerium Papam, Libertatis Eccleſiaſticæ Aſſertorem in exilium eiecit: iſtam diro iaculo anathematis à Vigilio Papa ſauciatam, haud diu poſt vlciſcentis numinis manus extinxit: Iuſtinianum vero inuiſibili ictum plaga, ſubitanea morte peremit; quod Vigilium vterque violaſſet; quod in Epiſcopos iniurius, multos ex eis proſcripſerit; quodque nimius in rebus Eccleſiaſticis, leges ſacratiores, & fidei formulas, profana auctoritate ſancire auſus fuerit, ex quibus quod aliquas Agapetus Papa probauit, fecit non quod laicani poteſtatem, in condendis ijs quæ ad fidem, & rem Orthodoxam pertinent, aut agnoſceret, aut admitteret, ſed quia non abſona foret à diuinis Patrum, & ſcripturarum regulis.

Iſtud diſerte profitebatur Agapetus, datis ad Iuſtinian. litteris: *Firmamus*, inquit, *laudamus, amplectimur; non quia laicis authoritatem prædicationis admittimus; ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum noſtrorum regulis conueniens, confirmamus, atque roboramus.* Stetit tunc fortiter Agapetus, aduerſus Iuſtinianum, pro libertate Eccleſiaſtica. Poſtulanti enim, vt ijs qui ab Ariana hæreſi ad Catholicam fidem redirent, liceret dignitates Eccleſiaſticas, in quibus apud hæreticos fuerant, retinere, & ad alias promoueri: conſtanter negauit, & ſacra ſcriptura docuit, non eſſe lapſos eum honoribus recipiendos, neque pænitentibus vere, honores curæ eſſe. Stetit, & aduerſus Clotarium Francorum Regem, non minus coſtanter per eadem immunitate Eccleſiaſtica: cum is Gaulterum Iuetotium, litteras Agapeti pro pro ſua reconciliatione, ipſa feria ſexta hebdomadæ ſanctæ, in ſacello ſacris præſenti, iamque ad ſanctiſſimæ Crucis adorationem procedere parato reddentem, gladio peremiſſet. Perculit illum Agapetus pæna interdictionis Regni, niſi pro tam Immani ſacrilegio ſecundum impetrata ſatisfeciſſet.

Agapet. ep 6.

G. r. du Hail. hiſt. Franc. in vita Clotarij I.

Accidit eadem tempeſtate in Gallijs, zeli Epiſcopalis pro bonis Eccleſiaſticis ſpecimen inſigne. Clotharius Rex indixerat, vt omnes Eccleſiæ regni ſui, tertiam partem fructuum ſuorum fiſco perſoluerent. Reliqui Epiſcopi, quamquam inuiti conſecrant: Iniurioſus Turonenſis viriliter reſtitit, nec ſubſcribere ſuſtinuit, ſed Regi dixit; *Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet: quia iniquum eſt, vt pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum ſtipe tua horrea repleantur.* Dixit, & iratus abſcedens, nec vale Clotario dixit. Qua re commotus Rex, deprecatores cum muneribus ad illum miſit, qui veniam depoſcerent, & regem eam ſanctionem ſtatim damnaſſe edicerent: vt Gregorius Turon. de geſt. Franc. lib. 4. cap. 2. narrabat.

Quantum Gothi Baſilicis Apoſt. Pet. & Pauli detulerint.

de bello Goth. lib. 1. & 2.

Accidit, & iſtud, ſed Romæ. Quam cum Gothi inuaſiſſent, & amplius quam vno anno ibi moram feciſſent, quantumuis Ariani, atque Romanæ Eccleſiæ hoſtes acerrimi, nihil tamen contumeliæ damniue intulerunt Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicis, earumque miniſtris, ſed ſiuerunt illic Catholico ritu libere ſacra peragi, vt Procopius teſtatur: magno probro Nouatorum, quibus, velut diaboli facibus, ſacra Deo dicata Sanctorum monumenta rapinis incendijſque vaſtare, iucunda voluptas. Percuſſerat ſcilicet Deus ea confluge Barbarorum Vrbem Romanam, atque vniuerſam Italiam, in vltione violati Syluerij Pontificis, quem in exilium Iuſtinianus amandarat, atque contra ſanctorum Patrum regulas, contraque traditionem, & vſum Eccleſiæ, Oeconomiam Eccleſiaſticam peſſumdederat, præter fas iuſque vſurpata ab ſecularibus in Eccleſiaſticos poteſtate tolerata, ſiue adeo permiſſa, aut lege iniquiore ſtabilita, vt per Prouinciarum Præfectos Epiſcoporum iudicia exercerentur, & ab ijs ad maiores Præfectos appellaretur, ac rurſus ſi opus eſſet ad Imperatorem prouocaretur, Sanctius egere Reges Francorum Theodobertus, & Chidelbertus. His enim annuentibus Patres Concilij Aurelianenſis decreuerunt, ne quiſpiam clericus, aut laicus, cuiuſlibet gradus fuiſſet, auderet Clericum quemcumque ad ſeculare iudicium pertrahere. Eodem Theodoberto authore, Patres in Synodo Aruernenſi, illos qui à Regibus bona Eccleſiæ vſui pauperum inſeruientia impetrarent, quique Regum fauore potius quam meritis Epiſcopatus adipiſcerentur, damnauerunt: lata lege, ne Sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à clericis.

Nouell. 115.

Theodobert. & Chidelbert. Franc. Reg. Eccleſiaſt. libertatis defenſores.

cap. 31. anno 542.

Præter hæc Theodobertus, Eccleſiaſticas leges, quibus iura antiqua Eccleſijs illibata penitus ſeruarentur, innouauit. Quæ dum ſucceſſores illius labefactarent, Patres Concilij Pariſienſis, aductſus auctoritatem Regiam plus æquo ſibi ſumentem inſurgentes, anathemati ſubiecerunt eos qui nomine Regio res Eccleſiaſticas inuaderent, aut Epiſcopatus adipiſcerentur, aut ad ſæculare iudicium vel traherent, vel currerent. Subſcripſere damnationi, S. Germanus Pariſien. S. Prætex-

anno 559.

tatus

tatus Rothomagen. Leontius Burdegallenſis, alijque ſanctitate Illuſtres Epiſcopi, quorum nomina in tabulas Eccleſiaſticas relata ſunt. Probauit Deus, non vnico miraculo, diſplicere ſibi iniuriam ſacrorum.

Miracula quib. Deus iniuriam ſacrorum ſibi diſplicere probauit.

I.

Charibertus Rex, poſſeſſionem quandam, cui Nauicellis nomen priſca vetuſtas indiderat, Eccleſiæ eripuerat. Admonitus, vt reſtitueret, reſpondit; *Siue iuſte, ſiue iniuſte reddi debeat, regnante me hanc Baſilicam non habebit*: miſitque eo equos ſtabulatum: Cæterum cum equi appoſitum ibi fænum cæpiſſent expendere correpti ſunt rabie, & frementes adinuicem, diſruptis locis, per plana proſilientes, inque fugam verſi, alij excæcati, alij è rupibus præcipitati, alij ſæpium palis infixi interierunt; paucos tãtum ex his ſtabularij recuperarunt, Regique dixerunt: *Dimitte eam poſſeſſionem, & erit tibi pax*. Noluit reſtituere, ſed maluit in excommunicatione ad tribunal Chriſti tremendum abire: vt Sanctus Gregorius Turonenſis ſcripſit. Alio in loco, non minus tremendum narrauit.

II. 1. lib. de miraculis Eccl. S. Martini cap 29. & lib 4. de geſt. Franc, c 47.

Theodobertus Rex ſuperato Gundebaldo Duce, Turonenſium, Pictauenſium, atque aliarum ciuitatum Eccleſias vaſtauit, euertit, incendit, miniſteria detraxit, Clericos interfecit, monaſteria virorum deiecit, puellis illuſit, fuitque illo in tempore peior in Eccleſijs genitus, quam tempore perſecutoris Diocletiani. Inter reliqua, Monaſterium Latta reliquijs Sancti Martini Illuſtre inuaſerunt, necquicqnam Monachis clamantibus, ne fluuium tranſirent, neque monaſterium ſpoliarent, quod Beati Martini poſſeſſionis eſſet.

Viginti fuerant, qui inimico ſtimulante, monacos ceciderant, monaſteriũ euerterant, reſque diripuerant, & nauigio impoſitis recedebant: ſed tamen non impune. Ingreſſi fluuium, protinus vibrante carina, huc illucque ferebantur. Cumque amiſſo auxilio temorum, haſtilibus lancearum in fundo aluei defixis, remeare conarentur, nauis ſub pedibus eorum dehiſcens eos adegit, vt vnuſquiſque ferrum, quod contra ſe tenebat, pectori infigeret. Tranſuerberati itaque cuncti à proprijs iaculis interempti fuerunt: vnus tantum ex ipſis, qui eos increpabat ne iſta committerent, remanſit illeſus.

III. de glor. martyr lib. 1. c. 105.

Alij apud vrbem Conuenienſem, Baſilicam Sancti Vincentij, & in ea multitudinem populi ſe ſuaque ſaluantem inuaſerant, portis effractis irruperant, congeſtas res rapuerant, atque innocentes trucidarant. Sed non diu hæc manſere inulta; nam alij à dæmone correpti, nonnulli in Garumna ſubmerſi, multi vero diuerſis morborum generibus vexati interibant.

IV. de glor. Confeſſ. cap. 71.

Memorandum eſt, & iſtud, quomodo Deus caſtigauit raptorem pagi Eccleſiæ Aquenſis Sanctæ Metriæ. Franco Epiſcopus eam Eccleſiã adminiſtrabat, cum Childericus, qui tunc primus apud Sigebertum Regem habebatur, villam eius competit dicens: quia iniuſtè ab Eccleſia Aquenſi retineretur. Franco Epiſcopus Regem conuenerat, obſecraueratque, ne iniuriam fieri Eccleſiæ toleraret addens: Scio enim virtutem Beati Metriæ, quod velociter in peruaſorem ſuum irrogat vltionem.

Interim Childericus fiſci authoritate potens, Epiſcopum criminibus onerauit, villam fiſco debitam occupare dixit, mox trecentis aureis tamquam rem alienam vſurpaſſet condemnatum, à ſubſellijs detrahi imperauit. Condemnatus, ſpoliatuſque Sacerdos, ad vrbem redijt, atque proſtratus in oratione coram ſepulchro Sancti, dicto Pſalmi capitello ait: *Non hic accendetur lumen, neque pſalmorum modulatio canetur, glorioſiſſime Sancte, niſi prius vlciſcaris ſeruos tuos de inimicis ſuis, reſque tibi violenter ablatas Eccleſiæ Sanctæ reſtituas.* Hæc cum lacrymis effatus, ſentes cum acutis aculeis ſuper tumulum proiecit: egreſſuſque clauſit oſtia, & in ingreſſu alias collocauit in ſignum, quod is locus derelictus eſſet: Nec mora, corripitur peruaſor à febre, decumbit in lectulo, abhorret cibum, faſtidit, & potũ: annum totum laborat: labitur ei cęſaries cuncta cum barba, & ita totum caput remanſit nudum, vt putares eum olim ſepultum, nuper eiectum fuiſſe poſt funera de ſepulchro. His miſer afflictus malis, ſero recogitauit ſe peccaſſe, & pagum Eccleſiæ rapuiſſe. Quamobrem citius ire, villam reſtituere, & ſexcentos aureos ſuper ſepulchrum Sancti viri deponere iuſſit. Iuerunt miniſtri, & iuſſa expleuerunt: ille tamen ſpiritum miſere exhalauit, detrimentum animæ lucratus, per adeptionem acquiſitionis iniquæ. Æquale eſt huic, quod idem Gregorius de Gomachario Comite narrabat.

V. lib. 6. c. 2. de geſt. Franc.

Is Agatenſi prouinciæ, à Leuuigildo Ariano Rege Gottorum præfectus, Eccleſiæ Agathenſis vrbis, Sancti Andreæ reliquijs illuſtris, agrum quemdam peruaſerat. Monebat Leo Epiſcopus Arianum, vt relinqueret agrũ, vtpote qui eſſet pauperum: ne, ait, tibi ſit noxium, & à lachrymis egentium, qui de fructibus eius ali conſueuerunt, enecetis. Contemnebat Gomacharius, ſed non impune. Nam paulo poſt febre correptus, non modo ardore corporeo, verum etiam animæ vexabatur cruciatu. Cumque ſufferendo dolori nõ ſufficeret, miſit ad Epiſcopum nuncios, orans, vt pro illo, deprecaretur Dominum, & ſtatim ille agrum reſtitueret. Orauit S. Leo: impetrauit: Comes vero iam ſanatus, ſubſannauit: *Quid putatis quod iſti nunc Romani* (ſcilicet Catholici, qui nomine Romanorum vocabantur) *dicant? Aiunt enim me ob hoc fuiſſe febre grauatum, quod tulerim agrum eorum: quod mihi iuxta conſuetudinem humani corporis accidit. Veruntamen non habebunt eum, me viuente.* Quod cum Epiſcopus comperiſſet, venit ad eum dicens: *Num pœnitet te feciſſe bene, quod hoc iterum conaris euertere? Ne facias, quæſo, ne vltioni diuinæ ſubiaceas.* Qui ait ad Epiſcopum; *Sile, ſile, decrepite: iam infrenatum te loris, circuire vrbem ſuper aſinam faciam, vt ſis ridiculus omnibus qui te aſpexerint.* At S. Leo tacitus, ad ſolita recurrit præſidia: proſternitur in oratione, celebrat vigilias, & totam noctem in lacrymis, & pſalmis duxit. Mane autem facto, accedit ad lychnos Eccleſiæ, extendenſque virgam fregit cunctos, dicens; *Non hic accendetur lumen, donec vlciſcatur Deus de inimicis, & reſtituat res Eccleſiæ ſuæ.* Hæc eo dicente, protinus ille hæreticus, in rediuiuam febrim corruit. Cumque in extremis ageret, miſit ad Epiſcopum dicens; *Oret pro me Sacerdos Dominum, vt viuam: & reſtituam agrum, ac ſimilem eius conferam dominationi.* Quibus Pontifex reſpondit; *Iam oraui Dominum, & exau-*

diuit

diuit me. Miſit, & alios, & tertios nuncios;
ſed Sacerdos in vno reſponſo perſiſtens, non
mouebatur ad hæc, vt pro eo rationem face-
ret ad Dominum. Hoc ille hæreticus cernens,
iuſſit ſe in plauſtro componi, atque ad eum
euehi; ac per ſe Epiſcopum deprecari dicens;
*Quia dupla ſatisfactione reſtituo agrum, quem
inique peruaſi, tantum vt pro me oret ſanctitas
tua*. Illo quoque recuſante, compulit eum vi,
vt abiret ad Eccleſiam. Quo deſcendeure, vt
vt Eccleſiam eſt ingeſſus, & hic ſpiritum exha-
lauit, & Eccleſia rem ſuam recepit.

Accidit, & iſtud eadem tempeſtate. Rhe-
VI. tarius Dux à Rege Childeberto miſſus Theo-
dorum Maſſilienſem ab Epiſcopatu expulerat,
& res Eccleſiæ aliqnas tapuerat, aliquas ſub ſi-
gillorum monitione conluſerat. Cumque hoc
feciſſet, protinus famnlos eins ſæuiſſimus in-
naſit morbus, ex hauſtoſque febre peremit; fi-
lius quoque eius ab hoc incommodo defecit,
quem in ſuburbano Maſſiliæ ipſius cum graui
gemitu ſepeliuit; fuitque talis domni eius pla-
ga, vt cum ab vrbe illa eſſet digreſſus, vix ad
patriam ſuam regredi putaretur. Cæterum
Theodotus cum ad Baſilicam S. Maximini ve-
niſſet, & illic pro eo Epiſcopus ſuper ſepul-
chrum ſancti precaretnt, Sacerdotem cæpit
arreptitia quędam vociferari: *O ſceleſte, & in-
ueterate dierum, qui pro inimico noſtro Thodoro
fundis orationem ad Dominum. Ecce nos quotidie
quærimus, qualiter ab his Gallijs extrudatur, qui
nos quotidianis incendijs conflagrat: & tu pro eo
orare non deſinis. Satius enim tibi erat res Ec-
cleſiæ tuę diligenter inquirere, ne pauperibus ali-
quid deperiret, quam pro hoc tam intente depoſce-
re*. Et aiebat: *Væ nobis, quia eum non poſſu-
mus expugnare*. Et licet dæmonijs credi non
debeat: tamen qualis eſſet Sacerdos, de quo
hæc dæmon declamabat apparuit.

Accidit illud quoque admirandum apud
VII. Baſilicam Agennenſem ſancti martyris Vin-
cētij. Violatores eius multos milites, diuina
vltio vbi contetuit. Nam pleriſque manus di-
uinitus vrebantur, emittentes fumum magnū,
ſicut ex Incendio ſolet aſſurgere, nonnulli ar-
repti à dæmone per energiam debachantes,
martyrem declamabant: plnrimi vero ſemoti
à ſeditione, proprijs ſe iaculis ſauciabant. Ac-
cidit, & iſtud, quod Magnus Gregorius me-
VIII. morabat. Spoleti, Arianorum Epiſcopus, à
lib. 3. dial. c. 29. Catholico Epiſcopo Eccleſiam aliquam po-
ſtulabat, quam ſuo erroti dedicaret. Nega-
uit Catholicus: Arianus minatus eſt, ſe pro-
pediem Eccleſiam S. Pauli erepturum. Ædi-
tuus porto accurrens, illam clauſit, ſeris com-
muniuit, lampades extinxit, ſeque interius
abſcondit. Crepuſculo, Arianus collecta
multitudine aduenit, clauſas Eccleſiæ lanuas
effringere paratus. Sed repente, omnes portę
diuinitus concuſſæ, abiectis longius ſeris a-
pertæ, & offuſo deſuper lumine, omnes quæ
extinctæ fuerant lamdades accenſæ ſunt. A-
rianus autem, qui vim illaturus aduenerat,
ſubita cæcitate percuſſus, atque alienis mani-
bus, ad ſuum habitaculum reductus eſt. Lon-
gobardi obſtupuere, & à temeranda illa Ec-
cleſia, manibus temperauere. Oſtendit tunc
Deus, quantum ſibi diſpliceat, & manus, &
labes hæretica: ideoque, ne illa quidem viola-
retur, iſta autem pollueretur, miracnlo de-
monſtrauit: cui iſtnd alterum adiunxero, quod
mirandnm admirandum hoc tempore.

Antiochiæ, Anaſtaſius Sinaita Epiſcopus IX.
in graue odium Iuſtini Imperatoris incurrit. *Euagr. lib. 5. cap. 6.*
Cum enim rogaretur, quid cauſæ eſſet, cur ſa-
crum theſaurum tam effuſe in pauperes ab-
ſumpſiſſet, ingenue reſpondit; ne à Iuſtino
communi totius Orbis Principe diriperetur.
Dicebant quoque Iuſtinum Anaſtaſio ſuccen-
ſuiſſe, quod poſtulanti ei pecuniam, Anaſta-
ſius dare noluiſſet. Quamobrem Concilio E-
piſcoporum coacto Imperator, illum prætextu *Prat. ſpiritu-*
confictorum criminnm Epiſcopatu abdicauit, *ali cap. 40.*
inque illius locum Gregorium quemdam ex
Monacho Patriarcham conſtitnit. Ad hnnc
aliquando venit ab Hieroſolymis Abbas Coſ-
mas Eunuchus Lauræ Pharan, vir ſingularis
religionis, & fidei, rectorumque dogmatum
valde tenax ac zelator, ac diuinarum ſcriptu-
rarum ſcientia non mediocriter inſtructus.

Cum ergo ibi fuiſſet dies non paucos, de-
functus eſt, & vna cum quodam Epiſcopo, in
eodem monumento ſepultus, Paralyticus qui-
dam ab annis duodecim confectus, ſuper ſe-
pulchrum illius reſidens, referebat, quod per
ipſum curaſſet eum Deus, & in omni tribula-
tione conſolaretur. Sed, & illud narrabat di-
cens: Ex qua die illnm ſepelliſſent, vſque ad
hanc horam, ait, audio illum ſingulis nocti-
bus clamantem, ac dicentem ad Epiſcopum
coniacentem: Noli me tangere, hæreticè, &
nè appropinques mihi, inimice Sancti Dei Ec-
cleſiæ Catholicæ. Abbas Baſilius Presbyter
Bicatiorum dicebat Patriarchæ, vt corpus ſe-
nis alio in loco transferret. At Gregorius Pa-
triarcha: Mihi, ait, crede fili, nihil ab hære-
tico læditur Abbas Coſmas: ſed hoc tantum
factum eſt, vt ſenis virtus, zeluſq; fidei nobis
innoteſceret, qualis ſcilicet fuerit, qualiſue e-
tiam ſit poſt carnis occubitum: vtque Epiſco-
pi nobis proderetur opinio, ne illum arbitra-
remur Orthodoxum atque Catholicum. Po-
terat adiungere, & hanc cauſam, vt manife-
ſtum eſſet omnibus, etiam cadauere illato ac
tumulato, violari puritatem Baſilicæ. Non
fuit impunè Iuſtino Imperatori, Anaſtaſium
Epiſcopum diuexaſſe, & ſacri auri auaritia æ-
ſtuaſſe. Siquidem imperium Orientale à quā-
plurimis hoſtibus diuexatum eſt, eo viuente,
& tum ex phreneſi, tum ex maleficorum præ-
ſtigij væſaniente: donec extinctus, Tiberio il-
lud ſucceſſori reliquiſſet. Hic portò ſciens vn-
de tanta calamitas Iuſtinum excepiſſet, inpri-
mis Epiſcopos in exilium actos in ſedes ſuas
reſtituit; deinde vectigalia Eccleſijs impoſita
ſuſtulit: ac ſi quid ex bonis Eccleſiarum in fiſ-
cum relatum eſſet, in integrum remiſit: cauit-
que per leges, nè quid huiuſmodi in poſterum
committeretur.

Accidit in Gallijs id temporis, iſtud me- X.
morandum. Rnccolenus, Chilperici Regis *Greg. Turon.*
miniſter, Turonenſem ciuitatem obſidebat, & *lib. 2. mirac.*
eos qui ad Eccleſiam Sancti Martini confuge- *S. Martin. c.*
rant, vt ſibi à Clericis traderentur, require- *27.*
bant: niſi verò extraderent, omnia incendio
concremare minabatur. Magna afflictorum
facta ad Sancti Martini tumulum complotà-
tione, paralytica quidem vna à duodecim an-
nis contracta, ſanitatem tunc recepit: Rucco-
lenus autem morbo regio & Herodiano per-
cuſſus, ſicut cera à facie ignis guttatim defluēs
quinquageſimo die ab hydrope interijt. Chil-

pericus Rex aſſimile quid, ſed exitio ſuo tentauit.

Moreucum filium armis contra ſe rem gerentem, ſuperatum, capite detonſo, in Mona-
XI. *Greg. Tur. Hiſt. lib. 2. c. 14.* ſterium Cænomanenſe, quod vocatur Aninſula, vt ibi Saeerdotio initiaretur detruſerat, ſubque cuſtodia haberi præceperat: Ille autem opertus caput, veſte ſæculari indutus, Turonos ad Ecelcſiam S. Martini, eluſis euſtodibus effugerat, & prætextu, quod ſine conſenſu Epiſcoporum excommunicatus eſſet, à Sancto Gregorio, ſed nimis leuirer dibſtribuente, ſacram eulogiam acceperat. Propter quod Chilpericus nuncios mittens, edixerat: Eijeite apoſtatam illum de Baſilica: Sin autem, totam regionem illam igne ſuccendam. Reſcribente Gregorio: *Impoſſibile eſſe, vt quod tempore hæreticorum non fuerat, ſub Chriſtianorum Regum dominio ad Eccleſiam confugientes, vi expellerentur*: ille exercitum comparauit, monit, Turonos direxit: Pariſijs concilio coacto, Prætextatum Epiſcopum Rothomagenſem ealumnijs oneratum; in careerem conieeit, & in exilium detruſit: cæterum Gregorius, Angelum per aera volantem aſpexit, audiuitque dicentem: *Heu, heu, percuſsit Deus Childericum & filios eius, nec ſupererit de his qui proceſſerunt de lumbis eius, qui regat regnum illius in æternum*. Dixit Angelus: euentus autem verum prænunciaſſe demonſtrauit, Childerico breni eum filijs & vxore extincto; & regno ad alios translato, vleiſcente Numine iniurias ſacratis viris, locis, & rebus illatas.

Ab his cladibus doctus Rex Gunthera-
tom. 2. Concil. mnus, permiſir Epiſcopis Matiſcone congregatis ſancire: nè Epiſcoporum cauſæ ad forum ſæculare traherentur, vt Sacerdotibus equo vectis caput aperiatur, pedes verò ineedentibus, equo vecti ſæculares deſcendant, & inclinent, vt confugientes ad Eccleſias nemo audeat extrahere, vt fiſci titulo aliena vſurpantes anathemate percutiantur, vt decimæ, in vſus pauperum dentur.

Quam ſtrenue Greg. Mag Pont. libertatem, & immunitatem Eccl. aſſeruerit. Præfuerat tunc temporis Eeclefiæ vniuerſæ Magnus Gregorius, libertatis & immunitatis Eceleſiaſticæ præcipuus aſſertor.

Blandum Hortenſem Epiſcopum, Rauennæ, Exarchus detinuerat. Hunc vt ex manibus illius vindicaret, iuſſit vt in cauſa eius Synodus cogeretur, & ſi quidem obnoxius cri-
lib 2. ep. 32. minibus fuiſſet repertus, deponeretur: ſiu ſe-
lib. 2. ep. 2. cus, in ſuam reſtitueretur Eccleſiam. Per idem tempus, Paulus Neapolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, in ſeditione quadam conflata, per familiam Clemenriæ illuſtris fœminæ, non verba ſed verbera pertulerat. Iſtud facinus nè inul-
lib. 2. ep. 38. tum maneret, Petro Subdiacono commiſit, vt in malefactores iniquireret, atque ſeuerins animaduerteret. In Gallijs, Monaſterio S. Medardi apud Sueſſionenſem Ciuitatem priuilegijs conceſsis, hæc addidit; *Si quis Regum, Antiſtitum, Iudicum vel quarumcumque ſæcularium perſonarum huius Apoſtolicæ authoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel fratres inquietauerit, vel conturbauerit, vel aliter ordinauerit, cuiuſcumque dignitatis vel ſublimitatis ſit, honore ſuo priuetur*. Indidem in Gallijs, Eccleſiæ S.
lib. 11. ep 8. & 10. Martini in ſuburbano Agaunenſi, priuilegijs datis adiecit; *Si quis verò Regum, Sacerdotum, Iudicum, perſonarumque ſæcularium hanc Conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentauerit, poteſtatis honoriſquè ſui dignitate careat, reumque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat; & niſi vel ea quæ ab illo malè ablata ſunt reſtituerit, vel digna pœnitentia iniuſtè acta defleuerit, à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei, & Domini noſtri Redemptoris Ieſu Chriſti alienus fiat, atque in æterno examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat*.

Idem Gregorius 1. Maximum Solonita- *Ext. in ep. S. Greg.*
num Epiſeopum, quamnis à Mauritio Imperatore defenderetur, ad eauſam coram Commiſſario dicendam, Rauennam ire compulit. 2. Mauritio Imperatori, multa aduerſus libertatem Eccleſiaſticam & conanti, & ſtatuenti, ſeſe oppoſuit. 3. Theodoricum Theodobertum, atque Clotharium Reges Francorum, nè beneficia Eccleſiaſtica venundarent, admonuit, inque præuaricatores diuinam vindictam imminere pronuncianit. 4. Conſtantiæ Auguſtæ ſeribens, vt Epiſeopi ſui ad ſæculares iudices refugium habeant, vtque Epiſcoporum ſuę curæ commiſſorum cauſæ, apud Imperatores ſæculari modo diſponantur, peccatis ſuis deputauit, adeoque iſtud eſſe alienum accuſauit. 5. Phocæ Imperatori antiquam conſuetudinem fuiſſe, vt Apoſtolicæ Sedis Diaconus in Palatio Imperatoris permaneret, qui & cauſas Eccleſiaſticorum cognoſceret, & iura Eecleſiarum tueretur teſtatus eſt. 6. Gennadium Patricium Africæ, quod is, non Primas, Epiſcopum quemdam communione priuatum eſſe renunciaſſet, redarguit. 7. Bruniehilda Galliarum Regina poſtulante, Legatum, qui cuncta contra Canones perpetrata, omnipotente Deo anthore poſſet corrigere, deſtinauit.

8. Reges Galliarum, vt Synodum congregari præciperent, in qua non ſæculari poteſtate de rebus Eccleſiæ decerneretur, hortatus, etiam anathematis obligationem illis oſtentauit. Contra Symoniacum Regem, qui in tantum ſuæ temeritatem extendebat veſaniæ, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vindicaret, & in Domina gentium terrenæ ius poteſtatis vſurparet, & ſtylum, & gladium Eccleſiaſticum exeruit: multaque alia pro ſecuritate iurium & bonorum Eccleſiæ tum ſtatuit, tum ſategit. Accidit, ferè eodem tempore, quod in Rege Ariano admireris. Bertulfus aliquis præfuerat Monaſte- Mirandum in Rege Ariano.
rio Bobienſi, apud Longobardos. Eum Proelus Cleronenſis Epiſcopus nitebatur dignitate ſpoliare, & alio Abbate ſubrogato, Monaſterium ſui iuris efficere. Prouocauit Bertulphus, ab Arionaldum Regem Longobardis imperantem. Cæterum is quamquam Arianus. *Surius tom 4*
Non eſt meum, ait, *Sacerdotum cauſas diſcernere, quas Synodalis examinatio ad purum debet iudicare*: & ad Honorium Romanum Pontificem controuerſiam reiecit.

Fortè ab hac oceaſione, S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, Eugenium Toletanum interrogabat. Num maioris ſententiam, minor poſſet reſcindere: & an Apoſtoli pari eſſent poteſtate, ſcilicet dubitabat, an quod Summus Poutifex decreuiſſet, alius Epiſcopus poſſet irritare: & an Epiſcopi aliarum Eecleſiarum, illi Eugenij Tolet. reſponſum ad petita S. Iſid. Hiſpal.
æquarentur. Reſcripſit Eugenius: *quod maioris ſententia innodatio, niſi in mortis articulo, à minori nequaquam valet enodari, ſed potius ab inferiore prolata, à ſuperiore, iure mediante caſſetur.*

Ortho-

Orthodoxi Patres quidem Spiritus Sancti authoritate præuia ſanxerunt, aliter autem quolibet aſtruente; prauum ſuborietur exemplum ſcilicet Gloriatio ſecuris, contra eum qui ſe, at in ea. Quod verò de parilitate agitur Apoſtolorum; Petrus præeminet cæteris, qui à Domino audire meruit, Tu vocaberis Cephaz, Tu es Petrus &c. Et non ab alio aliquo, ſed ab ipſo Dei & Virginis filio, honorem Pontificatus in Chriſti Eccleſia primus ſuſcepit. Cui etiam poſt reſurrectionem filij Dei, ab eodem dictum eſt; Paſce agnos meos: Agnorum nomine Eccleſiarum Prælatos notans. Cuius dignitas poteſtatis, & ſi ad omnes Catholicorum Epiſcopos eſt transfuſa, ſpecialius tamen Romanus Antiſtes ſingulari quodam priuilegio velut Caput cæteris membris celſior permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reuerenter obedientiam, à capite ſeiunctus, acephaliſmo ſe reddet obnoxium, quod ſicut illud S. Athanaſij de fide S. Trinitatis, Sancta Eccleſia approbat, & cuſtodit, quaſi Fidei Catholicæ articulum: quod niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit. Huius æpiſtolæ fragmentum, ante quadringentos fermè annos, Lucas Tudenſis diſputationi ei inſeruit; qua Albigenſium ſectam vires in Hiſpania colligentem, doctè, & eleganter exagitauit.

Pro hac Paſtorali cura, S. Martinus Papa, Conſtantem Imperatorem, in Eccleſiaſticos furentem, & omnia Eccleſiæ iura ſubuertentem, diris affecit: Deus autem ſententiam ſummi paſtoris probauit, & libertatis Eccleſiaſticæ violatorem cruenta cæde rebus humanis exemit, quo etiam tempore Clodoueus Rex Galliarum, quod rapinis bona Eccleſiarum affligeret, ac diripi toleraret: quod Theodardum Traiectenſem Epiſcopum, poſſeſsiones Eccleſię ſuæ repetentem trucidari permiſiſſet: quod argentum & aurum ex ſepulchro S. Dionyſij detrahi, & authoritate Regia, non verò Eccleſiaſtica in egentes diſtrahi iuſsiſſet, in perpetuam amentiam incidit: cum necquicquam cenſuras Eccleſiæ penſi habuiſſet.

Conſtans Imper. & Clodouæus Rex Gall. diuinitus puniti.

Accidit inter hæc apud Hiſpanos, quod meritò omnes Reges imitentur. Sisbertus Toletanus Epiſcopus, muneris Sacerdotalis oblitus, Regem Egicam & omnes eius ſiue cognatos, ſiue affines interimere conatus eſt. Noluit Rex iure ſæculi agere, contra illum maieſtatis accuſatum, ſed Synodum Toletanam voluit indicando illi congregari. In qua conuictus, damnatus, Sacerdotio, & bonis exutus, inque exilium deportatus, & à communione Corporis & Sanguinis Domini, iudicio 59. Epiſcoporum reiectus eſt: raro exemplo Regibus Chriſtianis relicto, nè ſibi iudicium in Eccleſiaſticos vendicarent.

in actis Concil. 16. Tolet. c. 9. & 10.

Rarum exemplum.

Pro hac ipſa Paſtorali cura, Gregorius II. Leonem Iſaurum Imperatorem, quod S. Germanum Patriarcha Conſtantinopolitanū violaſset, ſpiculo Eccleſiaſtico confodit, qua tempeſtate, cùm Altelbaldus Rex Anglorum iura, & bona Eccleſiarum peruaderet, Sanctus Bonifacius Alemanorum Epiſcopus, Zachariæ Pontificis Romani authoritate excitatus, illum obiurgauit, ac diuinām vindictam illi renunciauit.

Leo Iſaurus à S. Greg. Pp. excommunicatus.

Scribebat confidenter: *Præterea, nunciatum eſt nobis, quod multa priuilegia Eccleſiarum, & Monaſteriorum fregiſſes, & abſtuliſſes inde quaſdam facultates. Dt hoc, ſi verùm eſt, peccatum grande eſſe dignoſcitur, teſtante Scriptura, quæ ait:* Qui abſtulerit aliquid patri, vel matri, & dicit, hoc non eſt peccatum, homicidæ particeps eſt. *Pater noſter, ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit: mater noſtra Eccleſia, quæ nos in baptiſmo ſpiritualiter regenerauit. Ergo qui Chriſti pecunias & Eccleſiæ, fraudabit, vel rapiet: homicida ante conſpectum iuſti iudicis eſſe deputabitur: de quo quidam ſapientum aiebat;* Qui rapit pecuniam proximi ſui iniquitatem facit; qui autem pecuniam Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit. *Et quoque dicitur, quod Præfecti & Comites tui, maiorem violentiam & ſeruitutem Monachis, & Sacerdotibus irrogant, quam cetæri ante Chriſtiani Reges feciſſent, igitur poſtquā Apoſtolicus Pontifex Sanctus Gregorius ab Apoſtolica Sede miſit Prædicatores Catholicæ fidei, gentes Anglorum, intemeratæ, & inuiolatæ permanſere vſque ad tempora Ceolredi Regis Merciorum, & Hofredi Regis Deirorum, & Berniciorum. Hi duo Reges hæc duo peccata maxima in Prouincijs Anglorum diabolico inſtinctu ſuis exēplis ſceleratis, contra præcepta Angelica, & Apoſtolica Saluatoris noſtri, publicè facienda monſtrauere; & in iſtis peccatis commorantes, id eſt in ſuperſtitione, & adulterio Nonnarum, & fractura Monaſteriorum, iuſto Dei iudicio damnati, de culmine Regali huius vitæ abiecti, & immatura, & terribili morte peruenti, à luce perpetua extranei, in profundum Inferni, & tartarum abyſſi demerſi ſunt. Nam Ceolredum præceſſorem venerandæ celſitudinis tuæ, ſtupratorem ſanctimonialium, & Eccleſiaſticorum priuilegiorum fractorem, (vt teſtati ſunt qui præſentes fuerunt) apud Comites ſuos ſplendidè epulantem, malignus ſpiritus arripuit, qui eum ad fiduciam damnandæ legis Dei ſuadendo pellexit, potantem ſubitò in inſaniam mentis conuertit: vt ſine pænitentia, & confeſſione, & viatico, furibundus & amens cum diabolis ſermocinans, & Dei Sacerdotes abominans, de hac luce, ſine dubio ad Inferni tormenta migrauit. Carolus quoque Princeps Francorum, multorum Monaſteriorum euerſor, & Eccleſiaſticarum pecuniarum in vſus proprios commutator, longa tortione, & verenda morte conſumptus eſt.* Hæc S. Bonifacius memorabat, vtque foueam, in quam alios incidiſſe Rex vidiſſet, caueret, admonebat.

epiſt. 23.

S. Bonifat. Anglorum Regem iura, & bona Eccleſiarū peruadentē admonet.

Aequalia, ſed pro authoritate Pontificia, Stephanus Papa Tertius Pipino Regi Galliarum, Carolo & Carolomāno eius filijs, necnon Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Principibus, Proceribus, & Optimatibus, niſi Eccleſiam Romonam, ab oppreſſione Aiſtulphi Longobardorum Regis vindicaſſent, comminabatur. Res eſt.

hiſt. Eccleſ. anno 755. & ſeq.

Aiſtulphus, Romanam Vrbem ſecundo obſederat; nihil aliud requirens, quam vt Stephanum viuum in poteſtate haberet. Cum Romani dare renuerent, omnia ille ſuburbana inuadens, Eccleſias incendit, ſacras imagines in fruſtra comminuit, & exuſſit, ſacroſanctam Euchariſtiam ignominia affecit, ornamenta altarium, & Eccleſiarum in profanos vſus conuertit, patrimonium S. Petri ferro, & flammis vaſtauit, Monachos, & Sacerdotes ad necem poſtulauit, & quinquaginta totis diebus omnes ditionis Eccleſiaſticæ adeo afflixit, vt Stephanus cogeretur hæc illis quos memoraui ex perſona S. Petri preſcribere; *Si obedientis velociter, ait, erit vobis pertingens ad ma-*

Vltio diuina in Aiſtulphum Longobard. Regem Eccleſ. Rom opprimentem.

gnam mercedem; & in præſenti vita omnes inimicos veſtros ſuperantes, & longæui exiſtentes, bona terræ comedetis, & æterna proculdubio vita fruemini. Sin autem (quod non credimus) & aliquam poſueritis moram, & aut adinuentonem, minime velociter hanc noſtram adimplendam adhortationem, ad liberandam hac meam ciuitatem Romanam, & populum in ea commorantem, & Sanctam Dei Apoſtolicam Eccleſiam à Domino mihi commiſſam, ſimul, & eius Præſulem: ſciatis vos ex auctoritate ſanctæ, & vnicæ Trinitatis, per gratiam Apoſtolatus quæ data eſt mihi à Chriſto Domino, vos alienari, pro transgreſſione noſtræ adhortationis, à Regno Dei, & vita æterna.

Obſecutus eſt prius Rex Pontifici libertatis Eccleſiaſticæ aſſertori, & ducto in Italiam exercitu, Aiſtulphum in ordinem redegit, omniaque de illo triumphata, Eccleſiæ Romanæ reſtituit. Infelix ab hinc Aiſtulphus, quodam in loco ad venationem pergens, diuino ictu percuſſus, defunctus, & in inferni voraginem merſus eſt: Pipinus autem à Stephano Pontifice, multis elogijs, ac benedictionibus ornatus atque auctus, quando illum nouum Moyſem, & præfulgidum Dauid Regem prædicaret; *quoniam* (ita ſcribebat) *quemadmodum illi ab oppreſſionibus Allophylorum populum Dei liberauerunt; ita tu qaoque benedicte à Deo victor, fortiſſime Rex tuo certamine Eccleſiam Dei, & eius afflictum populum, ab hoſtium impugnatione eruere ſtuduiſti*, Addebat imprecari; *Benedictus es, eximiæ fili à Deo excelſo, qui fecit cælum, & terram: & benedictus Deus, quo protegente, in manibus tuis hoſtes ſunt. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iuſtitiæ, & tuos amantiſſimos natos, meoſque ſpirituales filios, Dominum Carolum, & Carolomanum, à Deo inſtitutos Reges Francorum, & Patricios Romanorum, cum Chriſtianiſsima eorum matre, excellentiſsima Regina, dulciſsimaque coniuge, fideli Deo ſpirituali noſtra commatre, tueatur, & in omnibus protegat. Dilatet Dominus ſemen veſtrum, & benedicat in æternum, atque ſolium Regni fruendum perenniter concedat, & vniuerſam gentem Francorum ſub veſtra ditione permanentem illæſam cuſtodiat.*

Pipini Reg. benedicto ob Eccleſ. Rom. ab oppreſſione liberatam.

Non fuit vana imprecatio Stephani Pontificis. Quamdiu enim ab eo deſcendentes filij, & nepotes, Eccleſiarum dignitatem iuxta ac libertatem tuebantur, regnare in domo Pipini perſeuerabant, ſuperioreſque hoſtibus ſuis facti, nonneminem triumphabant: maxime memores iſtius quod narrabo, quod Pipino acciderat. In Gallijs, quod bona Eccleſiarum auxiſſet, & quædam à Vaiphario Duce Aquitaniæ erepta, bello contra eum decreto recuperaſſet; per indulgentiam à Summo Pontifice impetrauerat, vt nonnulla ſub cenſu retineret. Accidit, villam Aniſiacum Epiſcopi Laudunenſis, ſicut & alias quaſdam, volens ſub cenſu retinere, ad illam aduenerit. Vbi cum dormiret, venit ad eum S. Remigius, dicens; *Tu quid hic facis? Quare intraſti in hanc villam, quam mihi te deuotior homo dedit? quamque ego Eccleſiæ Dominæ meæ ſanctæ genitricis Dei donaui?* Et flagellauit eum ſatis duriter, ita vt liuores poſtea in corpore eius apparerent. Et cum diſparuit S. Remigius, Pipinus valida correptus febre, quantocyus ab ipſa villa receſſit: ex qua febre non paruo tempore laborauit.

hiſt. Eccleſ. anno 760. Quid Pipino villam Aniſiacum vſurpare volenti acciderit.

Euenit poſtea, vt Rex nullo, quamuis honeſto titulo, res Eccleſiæ acciperet, & aduerſus inuaſores atque occupatores vindex cõſurgeret. Iſtud exemplum cum in vulgum abijſſet, tanto magis conſtanter habuit Paulus Papa violatoribus bonorum Eccleſiaſticorum, anathema diriſſimum, & iram Dei ſæuiſſimam, & pænas Ananiæ, Saphiræ, Datan, & Abiron, Iudæ traditoris, & Sathanæ ad extremum imprecari: vt ſcilicet cum illis, ac omnibus impijs deputati in tartareo igne, & inextinguibili incendio, & in voragine inferni crementur in æternum. Silo Rex Hiſpaniarum, ab eodem zelo, habuit etiam aduerſus inuaſores rerum ſacrarum hanc execrationem adijcere: *Anathema, Marrano, & excommunicatus.*

anno 761. *anno 775.*

Carolus pariter Magnus, abuſum quorumdam laicorum, qui Epiſcopia, & Monaſteria ad illorum opus diuidebant, Conſtitutione lata abrogauit, & vt omnia Eccleſiaſticis viris integra eſſent, quæ ex bonis Eccleſię prouenirent, Paulino Epiſcopo Hadriani Papæ, & Sedis Apoſtolicæ Vicario ſuggerente ſanxit: cum etiam Hadrianus Papa, Conſtantinum Copronymum Imperatorem, anathemate innodaſſet, quod impius pijs viris bellum intuliſſet, atque eos per calumnias opprimi tolleraſſet. Formidauit Carolus iſtud genus maledicti incurrere. Quamobrem cum nonnulli aduerſarij, Leonem III. Pontificem Romanum per impoſturas obruere properarent, inique iudicium ſeculare euocarent; Imperator illud detrectauit, ſed Antiſtites congregauit.

Carolus Magn. Eccleſ. immunitatis aſſertor. *anno 789.*

Horum porro vana vox fuit, *ſe Apoſtolicam Sedem, quæ eſt Caput omnium Dei Eccleſiarum, iudicare non audere: cum ex antiquo more, omnes illa iudicet, & à nemine iudicetur.* Ita demum per Carolum ſtetit integerrima immunitas Eccleſiæ, cum & à Summo Pontifice iudicando abſtinuiſſet, & iudicio illius omnes Eccleſiaſticos ſubiectos eſſe comprobaſſet. Quanquam autem centum ſexaginta octo capitula legum Eccleſiaſticarum, ex ſacroſanctis Concilijs, atque decretis Summorum Põtificum, pro Eccleſiaſtica diſciplina colligi imperaſſet, non tamen, vt vel leges Epiſcopis præſcriberet, vel aduerſus Summi Pontificis decreta aliquid præſumeret, aut vim obligatoriam illis adijcere vellet, excuſauit, ſed admonere ſe illos dixit, vt ipſi paternas ſanctiones cuſtodirent, & Romanæ Apoſtolicæ Sedi, quæ eſt Eccleſiaſticæ magiſtra rationis obedirent.

anno 800. & ſeq.

Proſtrare etiam voluit Carolus monumentum perenne, ſuæ in Eccleſiaſtica libertate tuenda propenſionis, cum ſuper omnia filijs ſuis moriens *iuſſit, vt curam, & defenſionem Eccleſiæ Romanæ ſimul ſuſciperent, ſicut quondam ipſius auus Carolus cognomento Martellus, paterque Pipinus, atque ipſe ſuſcepiſſet: pariterque Eccleſiarum quæ in eorum Regnis eſſent, Sacerdotumque curam haberent.*

anno 806. Præclare propenſionis ipſius in Eccleſiaſtica libertate tuenda monimentum.

Auſcultauit Ludouicus Imperator patri obſecranti; & ſi quid interim controuerſiæ aduerſos Epiſcopos incidiſſet, Epiſcoporum iudicio reſeruauit: adeo vt Fortunatum Gradenſem Patriarcham maieſtatis accuſatum, noluerit iudicare, ſed ad Paſchalem Papam iudicandum Romam remiſerit. Legum ab

anno 821.

Ludouic. Imp. Eccleſiaſticæ immunitatis zelator.

eo in varijs Synodis latarum, aliqui meminerunt. Tamen tantum abfuit, ab ijs ad Eccleſiæ perſonas, & res ſpectantibus condendis, vt etiam nec putauerit ſibi ſuiſque Epiſcopis, de his quæ ſpectant ad Eccleſiaſticas controuerſias, abſque auctoritate Romani Pontificis, vel pertractare, ant differere; quod datis ad

anno 824.

Eugenium ſecundum litteris clariſſimè ſignificauit. Præter hæc Ludouicus, cum videret mala innumera in Regnum Francorum prouenire, eo quod Reges contra fas in cauſas Eccleſiaſticas proſilirent, Conuentu Aquiſgrani indicto iſtud prohibuit: ac filijs Pipino, Ludouico, & Carolo inter alia Caput præſcripſit, *de cura, & defenſione S.R.E. cæterarumque Eccleſiarum, maiorum ſuorum exemplo habenda.* Trithemus in Chronicis Monaſterij Hirſaugienſis addit, quod Gregorius IV. Pontifex Romanus, Ludouicum Imperatorem, propter necem S. Friderici Traiectenſis Epiſcopi, iuſſu

Geſta quorundã Pont. pro libertate, & immunit. Eccleſ. vindicanda. *Frodoard. hiſt. Remen. lib. 3. cap. 12.*

Iudithæ Auguſtæ perpetratam, pro agenda Pœnitentia in monaſterio poſuerit, necquicquam purpuræ ſplendorem reſpexit, conſcius auctoritatis Apoſtolicæ, in vindicias violatæ Eccleſiaſticæ libertatis. Certiora ſunt, quæ pro eadem libertate, & immunitate ſacrorum vindicanda alij Pontifices geſſerunt, quæ adiungo.

Sergius II.

Sergius II. ne cauſa Ebbonis Archiepiſ. Rhemenſis, quem coniurationis aduerſus Imperatorem aliqui accuſauerant, alibi quam in Concilio Epiſcoporum cognoſceretur, Lothario Imperatori præſcripſit, atque Legatos qui Synodo Treuerenſi præſiderent, iterumque in facinus inquirerent, & pro iuſtitia decernerent, deſtinauit.

Leo IV.

Leo IV. Nomenoium Caroli Francorum Regis Ducem, in Britannia minori grauem Eccleſijs, & Epiſcopis tyrannum, omnia diuina humanaque vaſtantem, & Epiſcopos expellentem, anathemate percelluit. Quod cum nefarius deſpiceret iubente Domino ab Angelo percuſſus interijt: vt refertur in Chronico Engoliſmenſi.

Idem ipſe Leo Papa, Ludouicum Imperatorem eo adduxit, vt Epiſcopis, omnia ſecundum canones diſponendi libertatem permiſerit; cum ſuperioribus calamitoſis temporibus tyrannico vſu veniſſet, vt quæ Epiſcopi vellent in Eccleſia ordinari, non vt olim ab ipſis Sacerdotali auctoritate conſtituerentur, ſed ea per capitula digeſta in Palatium probanda à Principibus mitterentur.

Nicol. I.

Nicolaus I. Michaelem III. Imperatorem Orientis, quod ſuaſione ſchiſmaticorum, Eccleſiam Romanam priuilegijs ſpoliaſſet, atque Ignatium Patriarcham Conſtatinopolitanum ſede eieciſſet, inque illius locum Photium ſceleſtiſſimum intruſiſſet, à communione piorum ſegregauit: in Gallijs autem Archiepiſcopos Colonienſem, & Treuerenſem, in tutela Ludouici Imperatoris confidentes, Romam euocault, omnique dignitate priuauit: nec non Ioannem Epiſcopum Rauennatem, à protectione eiuſdem Ludouici tumentem, quod multa aduerſus Apoſtolicæ Sedis auctoritatem nefanda perpetraſſet, cenſuris Eccleſiaſticis iudicio ſuo ſe ſubmittere coegit. Reſcidit inſuper in cauſa Rothaldi Epiſcopi Sueſſionenſis decretum iuſſu Caroli Regis factum, illumque in ſedem ſuam reſtituit: addita comminatione anathematis in Carolum, niſi ſententiæ Apoſtolicæ obtemperaſſet.

Præter hæc Michaeli Conſtantinopolitano Imperatori, libellum contra Romanam Eccleſiam ab eo ſcriptum incendio tradere præcepit: ac niſi publicè exureret, ſolenni ſe ritu Romæ crematurum denunciauit, minatus etiam grauiorem execrationem, ſi in perſequendis Epiſcopis, & in ſuis ſceleribus perſiſteret. Ex Principibus Bardas erat, qui Michaelem in Apoſtolicam Sedem inflammabat. In hunc maiorum omnium auctorem Deus prima vibrauit iacula vindictæ, quæ illi voluit ſecundum viſionem a S. Petro prænunciari. Siquidem inter alia ſigna interitus Bardę prænuntia, illud fuit, quod nocte quadam in ſomnis vidit S. Petrum in ſolio ſedentem, Ignatium vero ad eius pedes procumbentem, & vltionem iniuriarum ſibi illatarum petentem; ipſumque S. Petrum lachrymis illius flexum, cuidam aſtanti gladium dediſſe, quo primum Bardam, deinde Michaelem Imperatorem fruſtratim concideret, vt Nicetas in vita Ignatij narrabat. Secutus eſt effectus; nam primo Bardam, milites, iuſſu Imperatoris, in fruſta diſſecarunt, eiuſque genitalia haſtæ appenſa per exercitum traduxerunt: deinde ipſum quoque Imperatorem vino ſomnoque ſepultum, iuſſu Baſilij Macedonij, manibus amputatis, alijs vlneribus poſtea confoderunt, Deo comprobante execrationem Nicolai Pontificis, quam in violatores Eccleſiaſticæ immunitatis protulerat.

Hadrian. II

Hadrianus II. non minore zelo egit pro libertate Eccleſiaſtica, cum Regi Galliarum Carolo, vt Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum, auctoritate Regia prædamnatum, deiectum, in exilium delatum, ac tandem exoculatum, Romam iudicandum mitteret, ſcriptis acrioribus, & comminatorijs litteris, præcepit.

Secuta eſt diuina vindicta, in contemptorem Pontificiæ iuſſionis; nam proditione ſuorum Beneuenti in palatio ſuo captiuus factus, inque carcerem detruſus, vix inde potuit liberari: coactus iudicium Sedis Apoſtolicæ aduerſus Aldegiſum proditorem implorare, Ioannes VIII. confugientem admiſit, conquerentem audiuit, poſtulantem abſoluit: quod olim, Nicolao Papa illi obuiam prodeunte, Clerum fuſtibus cædi, Cruces omniaque ſancta miniſteria pedibus calcari iuſſiſſet, atque ipſum Pontificem ſede priuare cogitaſſet. Inter alias violatæ Sacræ Maieſtatis pœnas, tulit, Carolum natu minorem aduerſum ſe conſpirantem, à dæmone diuexatum.

Ioan. XV.

Ioannes XV. æqualia conatus eſt, & perfecit, contra Hugonem Regem Galliæ, cum is voluntate propria Epiſcopos nonnullos impuliſſet, vt Arnulpho Rhemenſi Epiſcopatum abrogarent, & Gerbertum ſubrogarent. Enimuero omnibus Epiſcopis, qui Arnulphum deieciſſent, & Gerbertum ordinaſſent, ſacris interdixit: Gerbertum vero virulentas litteras ad contemnendam excommunicationem Romani Pontificis ſcribentem: necnon illius fautores Regia poteſtate nitentes, cenſuræ ſubiecit: qua Hugo percuſſus, iudicium cauſæ, Ioanni Papæ detulit, eiuſque iudicio ſe ſuoſque ſuppoſuit: is autem Leonem Abbatem Legatum in Gallias miſit, qui Concilio Rhe-

nis

mis indicto, authoritate Apoſtolica, ſententiam ſæculari reſpectu nixam reſcidit, & Gerbertum quidem depoſuit, Arnulphum vero reſtituit.

Benedictus IX. Conrado Imperatori permiſit: is vero non inconſulto Pontifice, aliquos Epiſcopos rebelles, exulare iuſſit: cæterum Deus factum non probauit; ſed peſtilentia immiſſa, & fulguribus, ac tonitruis, exercitum Imperatoris afflixit; ipſumque inopinata morte ſubtraxit: cum Bruno Epiſcopus vna cum tribus alijs, inter miſſarum ſolennia vidiſſet S. Ambroſium Conrado minitantem, vt Sigebertus tradit.

Greg. VII.

Gregorius VII. fortius ſtetit contra Henricum IV. Germaniæ Regem, iura Eccleſiaſtica peruadentem. Decimationem Eccleſiaſticorum prouentuum vſurpabat profanus: Epiſcopos quos volebat Eccleſijs imponebat, vel deponebat; Epiſcopatus, & reliqua bona Eccleſiaſtica diuendebat; Synodos authoritate tyrannica cogebat, & verè cogebat; appellationem ad Sedem Apoſtolicam, pæna capitis interpoſita, interdicebat: Legatos Apoſtolicæ Sedis, ne legitimas Synodos, ad controuerſias Eccleſiæ dirimendas, indicerent impediebat: Simoniacos, & concubinarios Sacerdotes fouebat, neue iudicio cum eis ageretur, prohibebat: iudicium in perſonas Eccleſiaſticas ſibi vſurpabat; à Sede Apoſtolica, ac Synodo Romana excommunicatis, communionem ſcienter exhibebat; Epiſcopatus quoſdam ſub Romanæ Eccleſiæ dominio poſitos, perſonis etiam ipſi Gregorio ignotis conferre præſumebat; decreta Synodalia contra labem Simoniacam, & Clericorum luxuriam promulgata, contemnebat: ſcenicis figmentis refertas accuſationes in ſummum Pontificem libens audiebat, adeoque deponere Gregorium conabatur, multaque alia contra Eccleſiaſticam hierarchiam perpetrabat.

Quamobrem Gregorius, Concilio Romę celebrato, ſpiritu Apoſtolico inſurgens, vinculo anathematis ſacrorum temeratorem alligauit, Regni Theutonicorum, & Italiæ gubernaculis indignum pronunciauit, & omnes Chriſtianos à vinculo iuramenti quo illi aſtringebantur abſoluit. Dignum eſſe affirmans, *vt qui ſtudet honorem* Eccleſiæ *minuere, ipſe honorem amittat, quem videtur habere*. Sanxit præterea, vt *pro conſeruanda deinceps in promouendis Epiſcopis canonica, & Apoſtolica authoritate, nullus Metropolitanorum, aut quiuis Epiſcoporum, alicui qui à laica perſona donum Epiſcopatus ſuſceperit, ad conſecrandum illum manum admoueat; niſi dignitatis ſuæ honore, officioque, & ipſe velit carere. Similiter, vt nulla perſona, aut aliqua poteſtas, de huiuſmodi honoris donatione vel acceptione ſe intromittere audeat. Quod ſi præſumpſerit, eadem ſententia, & animaduerſionis cenſura, quam Beatus Hadrianus Papa in octaua Synodo, de huiuſmodi præſumptoribus, & ſacræ auctoritatis corruptoribus ſtatuit atque firmauit, ſe aſtrictum ac ligatum fore cognoſcat.*

Similem excommunicationis gladium, in ſocios, & ſequaces Henrici vibrauit; Deus autem, Paſtoris ſui decretum vindice manu approbauit: cum omnes Principes ab Henrico defeciſſent, & filius aduerſus illum arma ſumpſiſſet, & tandem eum in ordinem atque in carcerem redegiſſet, in quo mærore, & ſqualore confectus occubuit. Willhelmus Traiectenſis Epiſcopus, qui cauſam Henrici contra bonum, & æquum tuebatur, & ſtudio partium Regis, multa in iniuriam Romani Pontificis omnibus pene diebus ſolemnibus inter miſſarum ſolemnia rabido ore declamabat; eo ipſo in loco quo excommunicationē Gregorij deriſerat, & nihil eſſe dixerat, grauiſſima ægritudine correptus eſt. Cumque per acerrimos corporis, & animæ cruciatus vrgeretur, cuidam ex miniſtris Regijs dixit: *Hoc mitto Regi Henrico mandatum, quod ipſe, & ego, & omnes iniquitati eius fauentes, ſumus in perpetuum damnati*. Cumq; à ſuis qui aderant Clericis, ne talia loqueretur, eſſet admonitus; *Quid aliud*, inquit, *loquor, niſi quod verum eſſe viſibiliter intueor? Ecce enim dæmones, lectum meum circumſtant, quatenus me, mox vt expirauero, rapiant. Itaque cum fuero è corpore eductus, rogo vos & omnes fideles, ne ſe fatigent in ſupplicationibus, pro me faciendis*. In hac voce, ſine communione, ſine ſatisfactione expirauit.

Diuina vindicta in Hēric. IV. Imp. & ſequaces ob immunit. Eccl. violationem.

Non diſſimilem vltionem alij acceperūt. Burchardus Miſnenſis Præfectus ex equo cadens expirauit. Gothefridus Dux, haſtis Saxoniæ percuſſus, ſine confeſſione perijt. Eppo Zitzenſis Epiſcopus riuulum quemdam tranſiens, ex equo fractis ceruicibus occubuit. Godefridus Lotharingiæ Dux, Antuerpiæ occiſus eſt. Quintius Ciuis Romanus, qui antea Gregorium, & in præſentia Epiſcopum Comēſem vinctum ducebat, cum primum Papiam appuliſſet, ab Henrico premium recepturus, ſubitanea morte præuentus, debitam ſcelerum remunerationem à Deo recepit. Vercellenſis Epiſcopus Henrici Cancellarius, cum in Runcalibus conuentum indixiſſet, in quo Gregorium deponeret, antequam eo veniret, vitam, & Epiſcopatum miſerabiliter depoſuit.

Auguſtenſis Epiſcopus, qui ſe Sacramento obſtrinxerat, vt ſacræ oblationis perceptio in iudicium ei prouenirct, ſi Henricus iniuſtè regnum retineret, in morbum incidens, numquam de lecto ſurrexit, & ſine Eccleſiaſtica communione defunctus eſt. Sigehardus Patriarcha Aquileienſis, cum primum pro Henrico arma ſumpſiſſet, amentia, & poſtmodum apoplexia correptus interijt: quod à Gregorio receſſiſſet, & ſchiſmaticis, qui Geraldum Oſtienſem Epiſcopum in Longobardia, Bernardum vero Abbatem Maſſilienſem in Germania, Gregorij Pontificis Legatos, contra ius diuinum, & gentium vi captiuarant, & in vincula coniecerant, adhæſiſſet. Rupertus Abbas Augienſis, per Papam Gregorium VII. depoſitus, quia Romam, vt ſe de obiectis criminibus purgaret, ire contempſiſſet, in monaſterio Gegebach, quod ab Henrico Rege ſuſceperat, lucris temporalibus pro conſuetudine ſua immoderatius intendens, atq; ius ſuum armis defendens, vna cum alio Monacho adoleſcente occiſus eſt. Ad hunc modum Deus, libertatis Eccleſiaſticæ vindex, iuſtitiā Serui Seruorum Dei Pontificis Romani, iuſtiſſimam eſſe, ſupplicijs varie irrogatis declarauit.

Gregor. VII.

Pari ardore atque in Henricum, Gregorius VII. in Philippum Galliarum Regem exarſit: quod is Eccleſias diuenderet, & legitimè electos Epiſcopos admittere recuſaret. Itaque Roderico Gabilonenſi Epiſcopo Regis familia-

miliari ſcripſit; qui Regem officij admoneret, denunciaretque, ſe effecturum, vt Franci (niſi fidem Chriſtianam abijcere maluerint) generalis anathematis mucrone percuſſi, ei non amplius obtemperarent. Spoponderat correctionem Philippus, eaque de cauſa Oratores ad Gregorium, qui ſatisfacerent ſubmiſerat. Cæterum deterior factus, & paganos quoque exſuperans principes, cum & Eccleſias deuaſtaret, & Italos in Gallijs mercimonia exercentes, deprædaretur, Gregorius Epiſcopos Galliarum admonuit, qui Regi renunciarent, ſe in Romana Synodo proximè futura, illum atque omnes, qui regalem ei honorem vel obedientiam exhiberent, à corpore, & communione Eccleſiæ ſequeſtraturum, & eius quotidie ſuper Altare S. Petri excommunicationem confirmaturum. Synodo tandem Romę congregata, Philippo Regi anathema dixit, ſi Sedis Apoſtolicę Legatis in Gallias deſtinatis, ſecuritatem de ſatisfactione promiſſa nō præſtitiſſet. Iſimbertus Pictauienſis Epiſcopus, quod Gozelinum Archiepiſcopum Burdegallenſem, & Amatum Epiſcopum Olotenſem, in cauſa Comitis Pictauienſis à Gregorio VII Legatos per milites emiſſarios verberibus, cōtumeliſque affeciſſet, in eadem Synodo Romana, ab officio ſuſpenſus eſt.

Rogerium quoque Comitem Siciliæ, iura Eccleſiæ Romanæ impugnantem, anathematis vinculo Gregorius deuinxit. Item Guillelmum Regem Angliæ, qui Epiſcopos regni ſui, ad limina Apoſtolorum accedere vetuerat, miſſo Legato admonuit, vtque ex vnoquoque Archiepiſcopatu ſaltem duos Epiſcopos, Romam ad Synodum celebrādam venire permitteret, propoſita Eccleſiaſtica cenſura imperauit. Præter hæc, vt Cromerus lib. 4. de rebus Polonorum refert, vbi Romæ nunciatum eſt, Boleslaum Poloniæ Regem eius nominis ſecundum, apud ipſum Altare, S. Stanislaum (qui mortuum etiam ſuſcitauerat) nefarie occidiſſe, toti Poloniæ ſacris interdixit, Boleſlaum diris deuouit, regnumque ipſi ſolemni ritu abdicauit. In poſterum quoq; ne quem Epiſcopi Regem ſine ſuo iuſſu inungerent, & coronarent, edixit.

Quod edictum adeo ſeuere obſeruatum eſt, vt à Rege Boleslao Secundo, vſq; ad Præmislaum, hoc eſt per ducentos, & eo amplius annos, nemo Principum Poloniæ auderet Regium nomen ſibi aſſumere. Boleslaus verò, etſi anno fere vno poſt Gregorij ſententiam in Regno permanere videbatur (quod tempus ei ad pænitentiam Deus conceſſit) tamen poſt annum expletum, primi omnium eius imperium detrectarūt nuper ſubacti Principes Ruſſorum. Deinde Nobiles ac Proceres nonnulli in eum conſpirarunt. Tum autem in Vngariam perfugus, amentiaque correptus, mortem ſibi conſciuit. Vt omnes ſciant, violatoribus ſacrorum poſt Apoſtolicam cenſuram, vindictam à Deo decretam eſſe.

Vrbanus II. paulo poſt Gregorio VII. ſuccedens, libertatem Eccleſiaſticam aduerſus oppreſſores aſſeruit. Cum enim Guillelmus Angliæ Rex, S. Anſelmo Canthuarienſi Archiepiſc. Guibertum Antipapam execranti iniurius eſſet; & is tandem ad Sedem Apoſtolicam accurriſſet; Regem percellere voluit, niſi Anſelmus intercedens, ſatiſfacturum illum promiſiſſet. Falſi Monarchiæ Siculi inuentores, qui illius auctorem Vrbanum confingunt; cum ille neque ſeipſum, neq; ſucceſſores ſuos, neque Sedem Apoſtolicam, iure diuinitus cōceſſo ſpoliare, aut Ieſum iterum Pilato ſiſtere potuerit, in Clero, quem aſſentatores ſæculari iudicio ſubijciunt, & prouocationem ad Romanum Pontificem, quam etiam Guillelmus Angliæ Rex Anſelmo denegabat, impediunt; vt ſuperius ex Baronio oſtendimus. *Sic* enim *Apoſtolica Sedes*, vt olim Nicolaus Papa, Henrico Archiepiſcopo Turonenſi reſcripſit, *aliena iura cuſtodiuit, vt ſua non minuat: ſic honorem debitum dat, vt ſuum non tribuat alienis*. Tribueret autem, ſi, id quod Reges Siciliæ volunt, iſti ipſi, ac ipſorum delegati, poſſent authoritate ſæculari, iudicare, & punire, abſoluere, & excommunicare quoslibet, laicos, Monachos, Clericos, etiam Eccleſiaſtica dignitate Prælatos, Abbates, Epiſcopos, Archiepiſcopos, ac denique ipſos S. R. E. Cardinales ibidem degentes: deinde appellationes ad Sedem Apoſtolicam impedire; Nuncios, & Legatos, & Viſitatores ab eadem Sede miſſos non admittere: ac demum reſpectu Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, neque ipſam Sedem Apoſtolicam ſuperiorem aut habere, aut cognoſcere; adeoque vniuerſum ordinem hierarchicum peruertere, ſuæque tyrannidi ſubijcere, quos Chriſtus à manu profana exemiſſet.

Iuo Carnotenſis, cum vidiſſet, Willelmum Regem Anglum, libertatis Eccleſiaſticę perturbatorem, in venatione ſagitta in ceruū emiſſa percuſſum periiſſe: didiciſſetque à S. Hugone Abbate Cluniacen. qui aſpexerat, apud thronum Dei accuſatum, iudicatum, & condemnatum; Henricum illius ſucceſſorem, hominium ab Anſelmo petentem, & tum inueſtituras Eccleſiarum, tum reliqua iura Sacra vſurpantem, datis litteris hunc in modum admonebat: *Et quia res omnes non aliter benè adminiſtrantur, niſi cum Regnum, & Sacerdotium in vnum conuenerint ſtudium: Celſitudinem veſtram obſecrando monemus, quatenus in regno vobis commiſſo verbum Dei currere permittatis, & regnum terrenum cæleſti regno, quod Eccleſiæ commiſſum eſt, ſubditum eſſe debere, ſemper cogitetis. Sicut enim ſenſus animalis ſubditus debet eſſe rationi: ita poteſtas terrena, ſubdita eſſe debet Eccleſiaſtico regimini. Et quantum valet corpus, niſi regatur ab anima: tantum valet terrena poteſtas, niſi informetur, & regatur Eccleſiaſtica diſciplina. Et ſicut pacatum eſt regnum corporis, cum iam non reſiſtit caro ſpiritui; ſic in pace poſſidetur regnum mundi, cum iam reſiſtere non molitur regno Dei. Hoc cogitando, ſeruum ſeruorum Dei vos eſſe intelligite, non Dominum: protectorem, non poſſeſſorem: vindicem non iudicem: vnam debere eſſe de cedris Libani quas plantauit Dominus in qua nidificent paſſeres, item enim ſub cuius tutela quiete fructificent, & conuerſentur Chriſti pauperes: quorum orationes pro ſtatu Regni veſtri, & incolumitate veſtra, quanto quietiores, tanto ſanctiores, quanto ſanctiores tanto conſtat eſſe efficaciores. Hoc enim faciendo, & regnum terrenum quiete, Deo cooperante, poſſidebitis, & ad regnum æternum eiuſdem miſeratione peruenietis.* Hæc Iuo Carnotenſis Henrico Anglo.

Iuo Carnoten. Henr. Angl. Reg. iura ſacra vſurpantem admonet.

ep. 51.

Paulo acriora, eodem ſenſu Paſchalis Papa Anſelmo Cantuarienſi, in eadem cauſa inueſtiturarum, quas Henricus Rex vſurpabat. Si pa-

Hiſt. Eccleſ. anno 1141. Paſchal. Pp Anſelmo

, Si paſtorale ſignum, *ait*, ſi annulum
Cantuarien. de inueſtituris quas Henr. Rex. vſurpabat.
, ſignacnlum fidei tradit laica manus; quid in
, Eccleſia Pontifices agunr? Eccleſiæ honot
, atteritur, ſnluitur diſciplinæ vigor, & om-
, nis religio Chriſtiana conculcatur: ſi, qnod
, nouimus Sacerdotibus ſolis deberi, laica pa-
, tiamur remerirate præſumi. Non eſt laico-
, rum, Eccleſiam tradere: nec filiorum, matrem
, adulrerio maculare. Iure ergo priuandus eſt
, patrimonio, qui matrē polluit adulterio: nec
, meretur Eeeleſiaſticæ benedictionis conſor-
, tium, qui eam impia infeſtatione perſequi-
, tur. Laicorum eſt Eccleſiam tueri, non tra-
, dere. Quare quidam, cum illicitum ſibi Sa-
, cerdotium vendicaret, lepra percuſſus eſt.
, Filij quoque Aaron quia ignem aliennm im-
, poſuerunt, igne diuinn conſumpti ſunt.
, Alienum enim ab Eccleſia; & à ſacris cano-
, nibus inhibitum eſt, ne Principes, & ſæcula-
, res viri inueſtiruras nnn ſolum dare, ſed nec
, electioni Epiſcoporum audeanr ſe vinlenter
, inſerere. In VIII. quippe Synodo (vt noſtri)
, ſcriptum eſt; Sancta, & vniuerſalis Synodus
, definiult, Neminem laicorum Principum,
, vel potentum ſe vi ingerere electioni, vel pro-
, mnrioni Epiſcoporum. Si ergn filij Aaron,
, quia ignem alienum intulerunt, corporalirer
, puniti ſunr; iſti qui à Laicis, à quibus alie-
, num eſt, Eccleſiam ſuſceperunr, ſpirituali
, gladio feriuntur. Epiſcnpos autem, qui ve-
, ritatem in mendacium, commutauerunt, ipſa
, veritare, quæ Deus eſt, in medium introdu-
, cta, à Beati Petri gratia, & uoſtra ſocietate
, excludimus, dnnec Romane Eccleſiæ ſatisfa-
, cianr, & rearus ſui, pondus agnoſcant Qui-
, cumque verò intrà prædictas indncias, inue-
, ſtituras ſeu cnnſecrationem acceperunt, à
, conſortio Fratrum, & ordinatos, & ordina-
, tores alienos habemus; nec eis ad excuſatio-
, nem deceptio ſufficit, quia & Propheta ab
, alio Propheta deceptus, nec ideo mortem
euaſit. *Hæc Anſelmo Paſchalis.*

In Henricum quoque Germaniæ Regem,
eadem de cauſa, quæ adiungo pronunciaulr;
*Quia tunicam Chriſti ſcindere, ideſt Eccleſiam
rapinis, & incendijs deuaſtare, luxurijs, periu-
rijs, atque homicidijs commaculare non ceſſanit
primo à Beatæ memoria Gregorio Papa, deinde à
Sanctiſſimo viro Vrbano prædeceſſore meo, propter
ſuam inobedientiam excommunicatus eſt, & con-
demnatns: nos quoque in proxima Synodo noſtro
indicio totius Eccleſia perpetuo eum anathemati
tradidimus.* Is ipſe Paſchalis etiam, miſſo in
Poloniam Gualdone Legato, vt Blugoſſius
ſcribit Poleslai Principis illum animante aſſi-
ſtenrla, Iſaslaum Cracouienſem Epiſcopum,
quod eam dignitarem, ex ſola Principis dnna-
rione ſuſcepiſſet, & alium quemdam Gneſnen-
ſis prouinciæ Epiſcoporum, culpa exigente
damnauit, & ſedibus eiecit. Præter hæc Pa-
ſcalis, Parmenſes, quod Bernardum Cardl-
nalem ſuæ ciuitatis Epiſcopum violaſſent, ex-
cnmmunicauit. Daiberti Parriarchæ Hiero-
anno 1106.
ſolymitani, quem Balduinns Rex vinlenter
eiecerat cauſam cognouit, eumque ſedi ſuæ
reſtituit. Conſtitutionem aduerſus inueſtitn-
ras laicorum, in Concilio Beneuenrano inno-
uauir; ne Senioris Henrici Regis cadauer in
Eccleſia ſepeliretur, prohibuir. In Henricum
IV. Imperarorem, quod ab eo inueſtituras per
ſummam vim extorſiſſet, inque vinculis ſeſe
male habuiſſet, nec non Sanctæ Romanæ Ec-
cleſiæ Cardinales exuiſset, traxiſset, & peſſi-
me tractaſser, in Concilio Romano anathema
tulit. Eius anrhoritarem, & exemplum ſecu-
ti Patres Concilij Viennenſis, hunc in modum
anno 1112.
pronnnciauerunt.

, Henricum Teutonicorum Regem, qui
Decretum Conc. Viennen. contra Henr. Teuton. Regem.
, ſimulata pace Romam veniens, poſt data ſa-
, cramenta Domino Paſchali Papæ, vitæ,
, membrorum, malæ captionis, refutationis
, inueſtituram, eumdem Dominnm Papam
, in Sedem Apoſtolica ante corpus Beati Petri,
, poſt oſculationem pedis, ori, & faciei, pro-
, ditione, periurio, & ſacrilegio, velur alter
, Iudas, cum Cordinalibus Epiſcopis, & Ar-
, chiepiſcopis, & multis Romanorum nobili-
, bus tiadidit, cepit, & raptum in caſtra inſi-
, gnibus Apoſt. exuit, & indigne arque inho-
, neſte irriſum tractauir, & ab eo nefandiſſi-
, mum, & deteſtabile ſcriptum violenter ex-
, torſit: excommunicamus, anathematiza-
, mus, & à gremio ſanctæ matris Eccleſiæ ſe-
, queſtramus: donec his omnibus abrenuncia-
, tis, plenam ſatisfactionem Eccleſiæ exhi-
, beat.

anno 1118. Gelaſ. II.
Gelaſius II. Paſchali ſuccedens, Cano-
nem Cardinalem Legatum in Germaniam
miſit, quod Synodis, primum Coloniæ, dein-
de in Friteslai celebratis, in Henricum Regem
anathema promulgauir. Senreuriam anteceſ-
ſorum ſuorum Caliſtus II. Concilio Generali
Caliſt. II.
Rhemis indicto, præſente Ludouico Gallia-
rum Rege, in contumacem Henricum, adque
Concilium inuitatum venire recuſantem, con-
firmauit: miſſiſque in Germaniam Legatis,
tandem illum authorirate Apoſtolicæ ſiue fre-
gir, ſiue flexlt: vt is diploma his verbis conce-
ptum, Romam deferendum, Legatis tradi-
derit:

Hēric. Imp. renunciat inueſtituris Eccleſiarū. *Vrſpergen. in Chron.*
, Ego Henricus Dei gratia Romanorum
, Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & S.
, R. E. & Domini Papæ Caliſti, & remedio ani-
, mæ meæ, dimitto Deo, & Sanctis eius Apo-
, ſtolis Petro, & Paulo, & S. Dei Eccleſiæ Ca-
, tholicæ omnem inueſtituram per anulum, &
, baculum: & concedo in omnibus Eccleſijs
, quæ in Regno vel imperin meo ſunt, fieri ele-
, ctionem, & liberam conſecrationem, poſseſ-
, ſiones, & regalia Beari Petri, quam à princi-
, pio huius diſcordiæ vſque ad hodiernam di-
, em, ſiue rempore patris mei, ſiue etiam meo
, ablata ſunt, qnæ habeo, eidem Sanctæ Ro-
, manæ Eccleſiæ reſtituo; quæ autem non ha-
, beo, vt reſtiruanrur fidelirer iuuabo. Poſ-
, ſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſia-
, rum, & Principum, & aliorum tam Clerico-
, rum, quam Laicorum, conſilio Principum,
, & iuſtiria, quæ habeo reddam; quæ non ha-
, beo, vt reddantur fideliter adiunabo. Et dò
, veram pacem Dnmino Papæ Caliſto, Sanctæ-
, que Romanæ Eccleſiæ, & omnibus qui in par-
, te ipſius ſunt, vel fuerunt. Et in quibus San-
, ctæ Rnmanæ Eccleſiæ auxilium poſtulauerit,
, fideliter iuuabn: & in quibus mihi quærlmo-
, niam fecerir debiram ſibi iuſtitiam faciam.

Rom. Epiſcoporum electionem nollet ſeculari poteſtati eſſe ſubiectam.
Erat cauſa, cur Pontifices, eam Epiſco-
porum electionem Sæculari poteſtati nollent
eſſe ſubiectam. Aliquis Polonorum illam
ipſam, apud Cromerum lib. 25. indicabat.
, dicebar autem. Donec liberæ ſacrorum Col-
, legiorum, ſiue Capitulorum, vt vulgo loquun-
tur,

, tur, electioni in creando Epiſcopo iocus fuit,
, fuit tamen aliquid bonorum, & malorum,
, dignorum indignorumque diſcrimen: cum
, Sacerdotes ſumptis reuerenter tremendis
, Chriſti myſterijs, iurati, de futuro Epiſco-
, po ferrent ſuffragia. Virtute, doctrina, &
, pietate tunc ambiebatur, plnſquam fautori-
, bus, aut neceſſariorum præcibus, aut mu-
, lierum blanditijs atque lachrymis, aut ſplen-
, dote Comitatus, aut apparatu conuiuiorum
, & compotationibus, aut commendatione
, generis & familiæ, aut aſſentatione, & Sacer-
, doti indecoris miniſteris, aut etiam largitio-
, ne. Vigebat igitur diſciplina Eccleſiaſtica
, minus ſibi permittebant ij, qui Epiſcopi fie-
, ri cupiebant: ſeruiebant famæ, & exiſtima-
, tioni: & non modò reprehenſionem collega-
, rum, ſed etiam ſiniſtram cuiuſuis ſuſpicio-
, ne cauebant. Epiſcopi videlicet facti, nihil-
, minus pro fratribus ducebant collegas dudũ
, ſuos: in conſilium eos de rebus maioribus ad-
, hibebant, plurimumque reuerebantur: &
, officium ſuum nauiter faciebant, memores
, ſolenni & ſerio dato iureiurando recepiſſent.
, Ad aulas Principũ quoties veniebant (veniebant autẽ rarius, nec tam ſuam ſuorũue quã
, publicæ vtilitatis gratia) de via ipſis dece-
, debatur, aſſurgebatur, omniſquè honos ha-
, bebatur, & quaſi numinibus quibuſdam tan-
, tùm non ad genua procumbebatur, ab ipſis
, etiam Principibus. Porrò in conſilijs de re-
, publica, nè iudicijs, in defendendis ac vin-
, dicandis bonis, & hominibus Eccleſiaſticis,
, pupilliſque, & viduis: denique in admonen-
, dis & corrigendis non modò infimis, & me-
, diocribus, verum etiam primoribus, atque
, adeo Regibus ipſis liberæ erant eorum voces
, & ſententiæ, ſingularis dignitas, ſumma
, authoritas. Non inhibebat vocem accepti
, beneficij memoria, non ſpes futuri. Nec cle-
, nabat authoritatem dicentis aut arguentis
, ambitio, & conſcientia audientium: nec
, metus, aut inſcitia dignitatem deprimebat.
, Non erat neceſſe Epiſcopo, & Sacerdoti pro
, foribus cubiculi Regij, & inter ſcurras & vi-
, lia ventris mancipia aſſidere: nec ſannas, &
, ſcommata leuiſſimorum quorumque ferre:
, non turpiter & indecorè adulari & ad blan-
, diri non modo elegantioribus iſtis cubiculi,
, & menſæ Regiæ adminiſtris. vt aliquam ta-
, men ij vel ioco mentionem abſentis apud
, Regem facerent: verùm etiam ſatellitibus,
, ianitoribus, nè dicam etiam horum amicis,
, & concubinis, matellionibus, morionibus,
, ac cæteræ fæci aulicæ atque ipſis denique ca-
, tellis Principum.
, Itaque florebat tunc reſpublica, florebat
, religio, florebat ordo Eccleſiaſticus, flore-
, bant Scholæ & Academiæ, Sacerdotum & E-
, piſcoporum ſeminaria: ſplendeſcebant tem-
, pla: Aulæ verò Principum, horum præceptis
, & exemplis inſtitutæ, vrbanitatis, virtutis,
, fortitudinis, prudentiæ, modeſtiæ, & pudo-
, ris erant officinæ: non faſtus, ignauiæ, ebrie-
, tatis, libidinum, temeritatis, impudentiæ,
, & omnis nequitiæ, & impietatis ganeæ ac
, barathra. Nunc ſublata electione, hæc &
, multa alia plura mala bonis illis ſucceſſerunt
, & in domos ac familias, atque adeo in ipſa
, intima cubicula Epiſcoporum, nedum in
, profanorum Principum aulas inuaſerunt: ſi-
, mulque dignitas Sacerdotum indecorè eme-
, rendo & emendo fauore etiam abiectiſſimo-
, rum hominum viluit: labefactata eſt autho-
, ritas: nutat, nè dicam ruit, Reſpublica: re-
, ligio penè proſtrata concidit. Quæ omnia
, Principes, non tam Epiſcopis debent impu-
, tare, & Sacerdotibus, quam ſibiipſis, qui
, nuncupandorum Epiſcoporum ius ſacris col-
, legijs ereptum vſurparunt. Nam vt nihil per-
, peram ij faciant: nihil affectioni cuiquam
, indulgeant, ſed eadem illa omnia, quæ iura-
, ti Sacerdotes in electionibus Epiſcoporum
, habere ſolent, ob oculos habeant: certè lon-
, gè facilius vnus aliquis, & is quidem alienis
, ferè oculis & auribus ſentiens & iudicans, er-
, rat & fallitur, quam multi graues, acuti, &
, multarum rerum periti: & aliud is plerum-
, que ſpectat, quam quod potiſſimum ſpectan-
, dum eſt in deligendo Epiſcopo: & verò expe-
, ditius eſt: vnum quam multos corrumpere.

Hæc ille Polonus, vſu rerum apud Polonos, Germanos, Boemos, Hungaros, & Gallos edoctus, diſſerebat: & cur Pontifices Romani tantopere pro electionibus Epiſcoporum laborarent, inſinuabat. Sed nos, ad Imperatorem electionibus nuncium remittentem.

Non impune fuit Henrico, Eccleſiam vaſtaſſe. Non multo enim poſt, crambem illam odiorum eructans, ſine prole maſcula exceſſit: ab obſidione vrbis Rhemenſis, quam ideo, quod in ea primùm excommunicatus fuiſſet, euertere parabat, virtute diuina deterritus. Mos inuexerat, vt SS. Dionyſij, & aliorum Martyrum reliquiæ, altari, velut ad defendendum Regnum ab Epiſcopo imponerentur, & vexillum bellicum ea eadem ara à Rege acciperetur. Hoc apparatu perterritus Henricus, abſceſsit, & finem Germanis imperandi fecit: Imperio ad Saxones, magnos olim Eccleſiæ Tutelares, diuinitus tranſlato. *Hen. Imp. ab obſidione vrbis Rhemenſis diuinitus deterritus anno 1125.*

Ludonicus Rex Galliæ, Henrico Imperatori in defenſionem Rhemorum illam ſpiritualem machinam oppoſuerat: ſed is ipſe paulò poſt, in eandem immunitatis Eccleſiaſticæ violatæ petram impegerat. Per id temporis, Epiſcopi, Abbates & Clerici Gallicani, ſeruitute pluſquam ſeruili, aulæ & militiæ onera ſubibant. Sanctus Bernardus ſuggillabat, diaconum quemdam menſæ Regię deputatum miniſterio, quod, Curiam, Eccleſiæ: Regis menſam, altari Chriſti: & calici Domini calicem dæmoniorum antetuliſſent. Eam ſeruitutem execrati multi, ad Eccleſias à Palatina, & à caſtris ad clauſtra reuertentes, Ludouicum offenderant. Inter hos Archiepiſcopum Senonenſem, & Epiſcopum Pariſienſem, Rex iniquior factus, per calumnias, contumelias, & iniurias quamplurimas oppreſſerat. Non tulit iſta Bernardus, ſed inprimis Ludonico illa ſcripſit; *Quæ iam fiducia manus pro vobis leuare præſumimus ad ſponſum Eccleſiæ, quam ita & ſine cauſa, auſu inconſulto contriſtaſtis? Grauem ſiquidem aduerſum vos apud eundem ſponſum & Dominum ſuum querimoniam deponit, dum quem acceperat defenſorem, ſuſtinet oppugnatorem. Attendis iam cui ex hoc infenſum vos redditis? Non vtique Epiſcopo Pariſienſi, ſed Domino Paradiſi, & quidem terribili, & ei qui aufert ſpiritum Principum. Ipſe quippe eſt qui ad Epiſcopos dicit: Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Poſtquam Ludouico ſcripſiſſet iſta Bernardus, & *S. Bernard. multa, & mira pro eccleſiaſtica immunitate conatur, & peragit. epiſt 45. vſque ad 51.*

nonnihil obrepſiſſe Honorio Pontifici accepiſſet, habuit conqueri, honorem Eccleſiæ, Honorij tempore, non minime læſum: cum à Summo Pontifice ſumma ſuperueniens auctoritas, conſtantiam Epiſcoporum deieciſſet, ſuperbiam Regiam ſtatuiſſet: & tam iuſto quã neceſſario interdicto ſublato, mentiens, & ſibi, & tantæ maieſtati iniquitas, obtinuerit iudicari de parte, abiudicata abſente: maxime cum Ludouicus ſentiens Eccleſiaſticos ad arma Eccleſiæ pro Eccleſia velle confugere, timuerit, annueritque ſe omnia redditurum.

Præter hæc Bernardus, & cum eo Stephanus Ciſtercienſis, & Hugo Pontiniacenſis Abbates, habuerunt exponere, quia in illis Epiſcopis Ludouicus Rex perſequeretur, non tam Epiſcopos, quam iuſtitiæ zelum, pietatis cultum, habitumque religionis: adeoque non dubitabant inferre, Ludouicum non aliud quam oppugnare religionem, quam nimirum aperte *ſui regni deſtructionem, ſuæ coronæ pronunciabat inimicam*. Habuerunt ſuper iſta acria adijcere: *Et alter Herodes Chriſtum, non iam in cunabulis habet ſuſpectum, ſed in Eccleſijs inuidet exaltatum. Et iam nunc in Senonenſi prouincia Chriſtus quæritur ad perdendum. Rex in Archiepiſcopo ex eo aperte nouam perſequi religionem dignoſcitur, quod eum in antiqua ſæculari conuerſatione, & habitu ſicut promoueri omnimode voluit, ſic ab omni penitus ſecurum infeſtatione dimiſit.* Addebant: *Nunc ſub pannis infantiæ Ieſu. quæritur Simonia, & inter naſcentes virtutes, emortuorum vel cadauera vitiorum ſcrutatur curioſa malitia. Videtis, & nunc ſtare Ieſum in ſignum cui contradicitur.* His quærimonijs excitatus Honorius, pro honore Eccleſiæ ſeſe oppoſuit, & Legatum in Gallias, ad cognoſcendas controuerſias deſignauit, & is Synodum Trecis indixit: vbi Chriſtos Domini à contumelijs, & iniurijs exemit. Anno 1127.

S. Bernardus ſui tẽporis Helias.

Cæterum Bernardus, ſui temporis Helias, magna, & multa miranda, pro Eccleſiaſtica immunitate, & conatus eſt, & peregit. Vuilhelmum enim Aquitanum, & oſtentatione Sacroſanctæ Euchariſtiæ, & acrimonia verborum proſtrauit, ne amplius Innocentium Romanum Pontificem, & alios legitimo illi adhærentes Epiſcopos perſequeretur. Romanos quoque Eugenio III. aduerſarios (ſanctiſſimum virum eiecerant,) graui calamo pupugit, & quantum ſummæ in terris maieſtati, deferri, quidue ab eius veneratione ſperari debeat, ſpiritu ſancto inflammatus, expreſſit. Auro, & radio, qui & pondere vel omnium maximo digna quæ ſcripſit, placuit adſcribere.

S. Bernardus pro Eccleſ. libertate, & Pontificia maieſtate ad Pop. Rom. Eugenij III. aduerſantem.

Ep. 242.

, Sermo mihi eſt ad te popule ſublimis,
, & illuſtris, cum ſim vilis, & exigua perſona,
, ac nullius pene momenti homuncio. id qui-
, dem venerandum atque oneroſum mihi con-
, ſideranti, quis, quibus, ſcribam, ſimulque
, quam aliter hoc alius iudicare poſſit. Sed
, ieiuius, cor verecundia apud homines peri-
, clitari, quam condemnari apud Deum ſilen-
, tio, veri taciturnitate, & abſconſione iuſtitiæ.
, Ipſe enim dicit; *Annuncia populo meo ſcelera*
, *eorum*. Erit mihi etiam in teſtimonium ante
, faciem Domini ſi dicere potero. *Iuſtitiam*
, *tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam,*
, *& ſalutare tuum dixi*. Pro huiuſmodi ſane non
, vereor, quamuis verecundia reluctante, pro
, mea ignobilitate ſcribere, de longinquo ad
, populum glorioſum, atque his litteris tranſ-
, montanis ſui ipſorum periculi atque peccati
, commonere Romanos, ſi forte audiant, &
, quieſcant. Quis ſcit ſi conuertantur ad pre-
, cem pauperis, qui non cedunt potentium
, minis, non omni armaturæ fortium. Nonne
, quondam in Babylone, ad vocem pueri iu-
, nioris vnius, omnis ille populus qui à ſeni-
, bus iniquis iudicibus ſeductus fuerat reuerſus
, eſt ad iudicium, & ſic ſeruatus eſt ſanguis in-
, noxius in die illa? Ita nunc quoque, & ſi *ado-*
, *leſcentulus ſum ego, & contemptus*, adoleſcentu-
, lus dico non annorum paucitate ſed merito-
, rum; potens eſt tamen Deus dare etiam voci
, meæ vocem virtutis; per quam fiat, vt, & is
, populus, quem nihilominus conſtat eſſe ſe-
, ductum, ad iudicium reuertatur.

, Mea ergo defenſio, ad eos qui mihi hinc
, forte ſuccenſendum indignandumue reputa-
, uerint, hæc ſit. Si neque hoc ſatis eſt, etiam
, iſtud adijcio. Communis eſt cauſa, & non eſt
, diſtinctio puſilli, & magni. Dolor nempe in
, capite eſt; ac per hoc minime alienus, ne à
, minimis quidem vel extremis quibuſque cor-
, poris partibus. Nec à me ergo. Peruenit pro-
, fecto vſque ad me quamuis omnium minĩũ,
, dolor maximus iſte, quia maximus iſte, &
, quia cum ſit Capitis, non poteſt non eſſe, &
, Corporis, cuius membrum ſum ego. Num-
, quid non dolente Capite clamat lingua pro
, omnibus corporis membris, in Capite ſe do-
, lere, & omnia per ipſam ſuum caput ſuumque
, capitis fatentur incommodum? Dimitte pro-
, inde, quæſo, dimittite, vt plangam paululum
, apud vos dolorem meum; Nec meum tantum,
, ſed, & totius Eccleſiæ. Nonne ipſius vox eſt
, hodie per vniuerſum mundum; *Caput meum*
, *doleo, Caput meum doleo*? Quis namque vel no-
, uiſſimus Chriſtianorum in toto ſit orbe, qui
, non glorietur hoc Capite, quid ambo illi glo-
, rioſi Principes terræ, alter amiſſo, alter ſub-
, miſſo in cruce capite, ſuo triumpho extule-
, runt, ſuo ſanguine ornauerunt? Ad omnem
, itaque ſpectat Chriſtianum iniuria Apoſto-
, lorum: & ſicut in omnem terram exiuit ſonus
, eorum, ſic læſio eorundem ab omnibus vſque-
, quaque ſentitur, vſquequaque plangitur, &
, doletur. Quid vobis viſum eſt ò Romani, of-
, fendere Principes mundi, veſtros autem ſpe-
, ciales patronos? Cur Regem terræ, cur Do-
, minum cæli, furore tam intolerabili quam
, irrationabili in vos pariter prouocatis, dum
, ſacram, & Apoſtolicam Sedem Diuinis Re-
, galibus priuilegijs ſingulariter ſublimatam,
, auſu ſacrilego inceſſere, ſuoque minuere ho-
, nore contenditis, quam vel ſoli contra om-
, nes, ſi oportuiſſet defendere debuiſtis; Sic
, fatui Romani non iudicantes, neque quod
, honeſtum eſt diſcernentes, Caput veſtrum
, atque omnium, quod in vobis eſt, deturpatis,
, pro quo magis nec veſtris ipſis ceruicibus
, parcendum à vobis foret, ſi neceſſitas exegiſ-
, ſet? Patres veſtri Vrbi Orbem ſubiugauerunt?
, vos Vrbem properatis Orbi facere fabulam.
, En Petri hæres, Petri Sede, & Vrbe à vobis
, expulſus eſt. En rebus, & domibus ſuis, ve-
, ſtris manibus ſpoliati ſunt Cardinales, atque
, Epiſcopi miniſtri Domini. O popule ſtulte,
, & inſipiens; ò columba ſeducta non habens
, cor. Nonne ille caput, & illi oculi tui erant?
, Quid ergo nunc Roma, niſi ſine capite trun-

cum

, eum corpus, ſine oculis frons effoſſa, facies
, tenebroſa? Aperi gens miſera, aperi oculos
, tuos, & vide deſolationem iam iam iamque
, imminentem. Quomodo in breui mutatus
, eſt color optimus, facta eſt quaſi vidua Do-
, mina gentium, Princeps prouinciarum? Ve-
, rum initia malorum ſunt hæc: grauiora time-
, mus. Nunquid non prope interitum es, ſi
, perſiſtis? Reuertere, reuertere Sumanitis, re-
, uertere ad cor tuum: agnoſce iam vel ſero,
, quæ, quanta, à quibus patiaris, vel paſſa ſis.
, Recordare qua cauſa, quo fine, per quos, &
, in quos vſus, non longe ante hos dies, cun-
, ctarum quæ in te ſunt Eccleſiarum omnis or-
, natus, & cenſus profligatus eſt; quicquid in
, altaribus, & in altarium vaſis, quicquid in
, ipſis ſacris imaginibus auri, & argenti repe-
, riri tunc potuit, manibus impiorum dire-
, ptum, & aſportatum eſt. Quid ex his omni-
, bus tu in tuis nunc marſupijs inuenis? Porro
, decor domus Domini irrecuperabiliter pe-
, rijt. Et nunc quid tibi viſum eſt iterare ma-
, litiam, inuocare denuo ſuper te dies malos?
, Quid modo vel lucri amplioris, vel certioris
, ſpei arridet tibi? Niſi quod in eo nouiſſima
, tua cernuntur incautiora prioribus, quod
, tunc quidem non ſolum multi de plebe, ſed
, etiam de clero, & principibus nonnulli per
, Orbem in ſchiſmate illo fauerunt tibi. Nunc
, videlicet ſicut manus tuæ contra omnes, ſic
, manus omnium contra te. Mundus eſt à
, ſanguine tuo mundus omnis præter te ſolam,
, & filios tuos qui in te ſunt. Væ ergo nunc ti-
, bi popule miſerande, & vę duplo quam an-
, te, non ab exteris nationibus non à feritate
, barbarorum, non à militibus armatorum.
, Væ tantum à facie tuorum tibi: væ à dome-
, ſticis, & amicis, à clade inteſtina, à crucia-
, tu præcordiorum à tortione viſcerum. Agno-
, ſciſne iam quia non omnes pacifici qui do-
, meſtici, nec omnes amici qui videntur?

, Et ſi alias noueramus, ſed nunc per te
, manifeſtius edocemur omnem veritatem il-
, lius ſermonis Domini quem dixit, quoniam
, inimici hominis domeſtici eius. Vę fratri a
, fratre in medio tui, & filijs à parentibus. Væ
, non à gladijs, ſed à labijs iniquis, & à lingua
, doloſa. Vſquequo male in malo vos alteru-
, trum confortatis, & gladijs impiorum inui-
, ſternitis, inuicem perditis, vt ab inuicem
, uicem conſummamini? Congregate oues diſ-
, perſæ, redite ad paſcua, redite ad paſtorem, &
, Epiſcopum animarum veſtrarum, redite præ-
, uaricatores ad cor. Quod loquor, non quaſi
, hoſtis conuicians, ſed quaſi amicus obiur-
, gans. Habet vera amicitia nonnunquam ob-
, iurgationem, adulationem nunquam. Sed
, iungimus, & obſecrationem. Obſecramus
, pro Chriſto, reconciliamini Deo, reconci-
, liamini Principibus veſtris: Petrum loquor,
, & Paulum, quos vtique in vicario, & ſucceſ-
, ſore ſuo Eugenio, ſuis ſedibus, & ædibus ef-
, fugaſtis. Reconciliamini, in quod Orbis
, Principibus ne forte incipiat pro eis pugna-
, re Orbis terræ, contra inſenſatos. An neſci-
, tis, quia his offenſis, nihil omnino valetis;
, his propitiis, nihil omnino timetis? Non, in-
, quod non timebis, ſub horum tutela, millia
, populi circundantis te, vrbs inclyta, Ciui-
, tas fortium. Reconciliare proinde illis ſi-
, mul, & millibus martyrum, qui quidem
, apud te, ſed contra te ſunt, propter grande
, peccatum quod peccaſti, in quo, & perſiſtis.
, Reconciliare etiam omni Eccleſię ſanctorum,
, qui vbique terrarum audito hoc verbo ſcan-
, dalizati ſunt. Alioquin pagina iſta contra
, te in teſtimonium erit: ſed, & ipſi Apoſtoli,
, & martyres tui ſtabunt in magna conſtantia
, aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui
, abſtulerunt labores eorum. Sed iam finem
, loquendi omnes pariter audiamus. Annun-
, ciaui iuſtitiam, prænunciaui periculum, ve-
, ritatem non tacui, hortatus ſum ad meliora:
, ſupereſt vt aut de veſtra citius correctione
, lætemur, aut de iuſta imminente damnatio-
, ne certi inconſolabiliter lugeamus, areſcen-
, tes, & tabeſcentes præ timore, & expectatio-
, ne eorum quæ superuenient vniuerſo orbi.
Hæc fortia Bernardus pro libertate Eccleſia- *Hiſt. Eccleſ. annus diuerſis.*
ſtica.

Defendit illam fortiter Innocentius II. cum Lothario Imperatori inueſtituras Epiſcoporum importune petenti, denegauit, cum Rudolphum Mamiſtanum, qui ſolius populi fauore quem largitionibus demeruerat, Sedem Antiochenam inuaſerat, miſſis Legatis damnauit, deque ſede depoſuit; cum Anacletum Antipapam anathemate percuſſit, cum Romanos rempublicam antiquam reſtituere conantes in ordinem redegit; cum Regnum Galliarum, propter Ludouicum Regem, qui Petrum Archiepiſcopum Bituricenſem ſine aſſenſu illius à Pontifice conſecratum repudiauerat, interdicto ſubiecit, & tandem veniam iuueniliter admiſſorum petere coegit, quo etiam tempore in Anglia, ab Vintonienſi Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Legato, Rege Stephano in Synodo præſente decretum fuit, ne qui alicui clerico manus violentas inijceret, (quod paſſim fieri conſueuerat) ab alio quam à Pontifice Romano poſſet abſolui. Innoc. II.

Defendit, & Eugenius III. cum ipſum illum Stephanum Anglię Regem, quod in Theobaldum Archiepiſcopum Cantuarienſem, qui vocatus à Pontifice ad Concilium Rhemenſe contra prohibitionem Regis acceſſerat, grauem perſecutionem excitaſſet, anathematis vinculo innodauit, & vniuerſo eius Regno ſacris interdixit; cum Arnaldum hæreſiarcham, ab obedientia Summi Pontificis, & Cardinalium omnes retrahentem, damnauit, cum Hugonem cognomento Diſcalceatum, aliquod caſtrum aduerſus Monaſterium Cluniacenſe, quod poſtea Deo vindice terræ motu, & chaſmate abſorptum eſt, inque eis loco lacus profundiſſimus exereuit, Eccleſiaſtica cenſura perterruit, cum Friderico Ænobarbo Regi inueſtituras Epiſcoporum repetenti reſtitit, & ne iniuſſu ſuo Epiſcopi de Sede in Sedem transſerrerentur prohibuit. Eugen. III.

Defendit, & Hadrianus IV. cum propter Gerardum Cardinalem ab Arnaldo hæreſiarcha grauiter cæſum, Romanæ vrbi ſacra officia detraxit, cum Vuilielmum Siciliæ Regem, quod Henricum Cardinalem recipere noluiſſet, & Romam redire præcepiſſet, atque iura Eccleſiæ Romanæ inuaſiſſet, ſolemni ritu excommunicauit, cum Fridericum Ænobarbum, non prius, quam ille conſuetum Stratoris officium Pontifici occurrenti exhibuiſſet, diademate Imperatorio ornauit, cum eidem Imperatori, quod Londonienſem Epiſcopum à Se- Hadr. IV.

de Apoſtolica reuertentem, in dicione ſui capi, ſpoliari, inque carcerem conijci, & in eo detineri tolerauit: quod Bernardum, & Rolandum Cardinales Legatos, violari permiſit, inque vrbem recta reuerti imperauit; quod edictum, ne quis Romam peregrinari præſumetet, promulgauit, viarumque cuſtodes ad hoc cnnſtituit; qnod regalia ab Epiſcopis, & Abbatibus exigeret; quod in contumeliam Pontificis, nomen ſnum, illius, in litteris anteponeret, & dictionibus ſingularis numeri illum alloquetetur; quod ab Epiſeopis non ſolum fidelitatem ſed etiam homagium exigeret, & Cardinalibus à Latere Legatis non tantum Ecelesias, verum etiam Ciuitates regni ſui clauderet; comminarione excommunicationis, miſſiſque legationibus, in officio continere diſpoſuit.

Alex. III. Defeudit, & Alexander III. cum eundem Fridericum Imperatorem, quod Octauianum Antipapam foueret, quod Eccleſiam ſehiſmate diuideret; quod Concilia indicere, & cogere præſumeret; quod priuilegia libertatis Eccleſiæ Romanæ, ab ipſo Domino illi conceſſa irritare nitetetur; quod in legitimum Pontificem damnationis ſententiam prouunciare iuberet; quodque Reges Catholicos ab obedientia veri Pontifieis ſeduceret, diris Eccleſiaſtieis execratus eſt: nec non æquali pæna dignum cenſuit Henricum Angliæ Regem, quod ThomamArchiepiſcopum Cauthuarienſem, pro libertatibus Eccleſiaſiieis ſtrenue certantem, primum eieciſſet, deinde trucidari permiſiſſet, ſiue adeo iuſſiſſet; nec non fructus Eccleſiarum vacantium ſibi vſurparet, adeoque Eccleſias diu vacantes abolere ſatageret, & Clericos delinquentes iudicin ſeculari ſubijeeret; & iurameutum fidelitatis, citra clauſulam *ſaluo ordine ſuo*, ab Eccleſiaſticis extorqueret; & prohibentes Epiſcopos iniuſtam tributi exactionem perſequetetur: & appellationem ad Sedem Apoſtolieam prohiberet; & Regias quas vocabat Conſuetudines, aduerſus Eccleſiaſticam immunitatem introduceret; & in ſumma, Eccleſiam exterminate conaterur. Damnauit itaque Alexander, Decem Conſtitutiones Regias, contra Eccleſiam diuulgatas, pariter eum auctore illarum Rege Henrico: vel tunc maxime, cum Thomas pro Eccleſia gladijs impinrum occubuit. Damnauit pariter, & Willelmum Regem Scotorum, Regnoque illins ſacris interdixit, quod Ioannem legitimum S. Andreæ Epiſcopum regno expuliſſet, aliumque in eam ſedem intruſiſſet.

Innoc. III. Defendit eandem libertatem Eccleſiaſticam, & Innocentius III. maxime in Regno Siciliæ. Anacletus Antipapa, eum titulum Reginm Rogerio Siculo contuliſſet, ad mercedem derídiculam coronæ vſurpatæ, auctarium turpiſſimum addiderat; nimirum edictum, vt Epiſcnpi, & Abbates qui in eius ditinnis ſnlo manerent, ei obtemperarent. Ab eo tempore, quo tyrannns, & vſurpator atque inuaſor coronæ Regiæ, à pſeudn Pontifice, iſtud PRAVILEGIVM obtinuerat, Clerus vniuerſus ſub grauiſſimo iugo in Sicilia gemuit; donec Henrico VI. Imperatore extincto, Regnum ad Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem veniret. Ibi Innocentius, non alia conditione, Siciliam, iure fiduciario, Conſtantiæ Reginæ; & Friderico infanti conceſſit, quam vt electiones Epiſcoporum, ſecundum Deum per totum regnum canonice fierent, de talibus perſonis, quibus ipſi Reges requiſitum à Romanis Pontificibus præbere deberent aſſenſum: Epiſcopi porro, ante confirmationem Romanorum Pontificum nullatenus ſe adminiſtrationi Eccleſiarum immiſcere præſumerent. *Sic enim*, ſcribebat Innocentius Conſtantiæ, *honori veſtro volumus condeſcendere, vt libertatem Canonicam obſeruemus; nullo prorſus obſtante reſcripto, quod à Sede Apoſtolica fuerit impetratum.*

De Regno Siciliæ ab eo in feudū dato, & quibus conditionibus.

Præter hæc adpoſuit: vt appellationes ad Sedem Apoſtolicam, earumque proſecutiones liberæ quibuſuis eſſent: vt Pontificibus Romanis, quoties neceſſitas poſtularet, liberum eſſet Apoſtolicæ Sedis Legatos, Nuncios, & Viſitatores in Siciliam, & Apuliam deſtinare, qui quæ plantanda eſſent, plantarent, & quæ euellenda euellerent, nullo prorſus obſtante priuilegio, quod à Sede Apoſtolica fuiſſet aduerſus iſthæc impetratum. Fridericus cùm adoleuiſſet, his conditionibus Regnum Siciliæ à Sede Apoſtolica in feudum accepit, datoque diplomate, conſentientibus Principibus Imperij ſanciuit, Electiones Prælatorum liberè, & canonicè à Capitulis fieri, appellationes in negotijs, & cauſis Eccleſiaſticis ad Sedem Apoſtolicam liberè interponi; earumque proſecutionem, ſeu proceſſum à nemine impediri: omnia denique ſpirltualia Romanis Pontificibus, alijſque Eccleſiarum Prælatis liberè diſponenda relinqui, vt quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo, recta diſtributinne tedderentur. Dedit & aliud diploma Honorio III. in qno præcepit, vt irritarentur omnia ſtatuta, & conſuetudines, quæ à quibuſcumque perſonis contra libertatem Eccleſiæ, vel perſonas Eccleſiaſticas, edi vel ſeruari tentarentur, aduerſus Cannnicas ſanctiones, eaque penitus de Capitularibus ſuis aboleri mandauit. Præter hæc, quæcumque per vniuerſam Italiam, per Dominos, & Magiſtratus præſumpta eſſent contra Eccleſiaſticam libertatem, tamquam de radice prauitatis hæreticæ (vt loquitur) prouenientia, abrngari, eaque de ſuis ipſius Capitularibus, ſeu breuiatijs condemnata penitus deleri iuſſit.

Cumque poſtea à malo ſpiritu incitatus, bellum aduerſus Eccleſiam ſuſcepiſſet, & electiones Prælatorum in Sicilia perturbaret, tributa Prælaris præſcriberet, Clericos ſæculari iudieio ſubijceret, pro libertate Eccleſiaſtica ſurgentes ſuccedentes Pontifices, Gregor. IX. & Innocentins IV. anathemate illum præcelluerunt, atque regno ſimul, & Imperio abiudicarunt. Et vt breuiter, in ſummam, quæ alij Pontifices ad hæc vſqne noſtra tempora, pro eadem libertate Eccleſiaſtiea in Regno Siciliæ cis & vltra Pharum egerunt, contrahamus, & Orbi vniuerſo, iniquitatem ſedere in iudicio Siculæ Monarchiæ, oſtendamus: Cnuradum, atque Manfredum Siciliæ inuaſores, & iurium Eccleſiæ perturbatores, Innocentius IV. & Alexander IV. diris deuouerunt: & Eadmundo Henrici Regis Anglorum filio, Regnum Siciliæ, in feudum, nonniſi cum conditionibus pro libertate Eccleſiaſtica ſuperius expreſſis, conceſſerunt. Quæ inueſtitura cum effectu caruiſſet, Clemens IV. eaſdem conditiones Carolo Andegauenſi ad confirmandum propo-

proposuit; Carolus verò eas approbauit, & omnia contra libertatem Eccleſiaſticam, vel tentata, vel introducta, vel præſcripta abrogauit, atque Sedi Apoſtolicæ ius integrum in omnibus ſpiritualibus conſeruauit.

Iiſdem conditionibus ab alijs Pōt. diuerſis Regibus iure feudi cōceſſum.

Nicolaus IV. Carolo Secundo; Bonifacius VIII. Roberto Regi, Clemens VI. Ioannæ Reginæ, Gregorius XI, Friderico III. Eogenius IV. Alphonſo Aragonio: Pius II. Ferdinando: Innocentius VIII. alteri Alphonſo, Iulius II. Ferdinando cognomento Catholico, ſuccedentibus iure fæudi Regibus, eaſdem conditiones pro eadem libertate Eccleſiaſtica, in diplomatibus inueſtiturarum inſeruerunt, & illi iureiurando eaſdem comprobarunt, & Pontifices iure ſuo in vtraque Sicilia agere (quod alibi demonſtrauimus) voluerunt. Noſtra memoria, quid Pius V. iure ſuo indidem egerit, narrabat in eius vita Ioannes Antonius Gabutius.

Lib. 1. cap. 1.

Pius V. Viſitatorem Apoſtol. ad Regnū Neapolitan. mittit Prorege nequicquam obſtrepente

Cùm Pius intelligeret, nihil eſſe vel ad rem Eccleſiaſticam ordinandam, vel ad Chriſtianam diſciplinam, aut lapſam reſtituendam, aut reſtitutam conſeruandam accommodatius, quam ſi Diœceſes accuratè viſitarentur, id ipſe primus aggreſſus, non ſolùm per Antiſtites in ſua quemque Prouincia, ſed etiam per Apoſtolicos Viſitatores, quos in varias Orbis terræ partes emiſit, ſedulo præſtari curauit. Atque à Regno Neapolitano rem exorſus, Thomam Orſinum, ſpectatæ integritatis virum, Viſitatorem Apoſtolicum eo cum poteſtate miſit. Qui Strongolenſium à Pio factus Epiſcopus, & obeundis Eccleſijs, & corruptelis tollendis, & ſalutaribus præſcribendis legibus, Neapolim profectus, cum ei Prorex edixiſſet, vt exequendi decreti Pontificij Regiam facultatem (quam vocant *Exequatur*) acciperet, id facere conſtanti animo recuſauit. Se namque miſſum eſſe à Chriſti Vicario, cui haud quaquam opus eſſet huiuſmodi laicorum poteſtate; atque eo minus in ditionibus Pontifici tributarijs, neque verò indigere ſe, aut vti velle litteris commendatitijs, quas illi Prorex ad Regios miniſtros ſe daturum offerebat: quippe quæ perinde, atque ipſa Regia facultas valerent. Quo tempore Neapoli Magiſtratus duo Viſitatori audacter obſiſtere non veriti, nec multo poſt ambo vita defuncti terrifico cęteris fuerunt exemplo. Iam verò, cùm à Pio Prorex ſuppliciter impetrauiſſet, vt ſuper hac re perſcriberetur ad Regem, interimque negotio ſuperſederetur, ita præſtitum eſt.

Thomæ Vrſini Viſitatoris Apoſtolici conſtans reſpōſum.

Sed reſponſo ſetius allato, Pius corruptelam hanc nullo pacto ferre ſe poſſe profeſſus, poſthabita diſputatione de vi generali Regiæ ipſius facultatis, rem faciliori conditione tranſigendam putauit, quod Pontifici, qui Caput, & Princeps eſt Epiſcoporum omnium, Diœceſes inuiſere magis liceret, quam proprijs Epiſcopis: qui alioqui Diœceſes ſuas abſque huiuſmodi exſequendi conceſſu viſitare conſueſſent. Itaque illi, viſitationem, vt proſequeretur, Pius imperauit ad Proregemq; Rex ipſe præſcripſit, Pontificem officium ſuum præſtare permitteret. Perluſtratæ ſunt igitur abſque alia Regia facultate, Calabrenſes, Hydruntinæ, Barienſes, ac cæteræ adiacentes Eccleſiæ, inprimiſque Neapolitana Ciuitas: in qua non ſolùm Eccleſias, ac ſacratos homines Archiepiſc. ſubiectos, ſed etiam qui ipſi Proregi à ſacris erant, immunitatem obijcientes, & recognoſcendos, & emendandos curauit. Quæ res magno tum publico, tum priuato bono fuere, atque inde in ijs regionibus, quæ antea plurimum imminuta fuerat, Apoſtolicæ Sedis auctoritas, ac reuerentia reſtituta eſt. Sed ad Innocentium III. pro Eccleſiaſtica libertate aduerſus violatores conantem regredior.

Series aliorum Innoc. III. geſtorū pro eccleſiaſt. libertate defenſione.

Is Abbatem S. Martini, apud Regem Hungariæ maieſtatis poſtulatum, ne coram ſæculari Iudice cauſam diceret, Romam euocauit. In Germanum quemdam Procerem, quod Salernitanum Archiepiſcopum detineret, anathema tulit. Regi Angliæ, vt bona Eboracenſi Epiſcopo ablata reſtitueret, & officium adminiſtrationis exercere permitteret, ſerio imperauit. Regem Hungariæ, vt Epiſcopo Vacienſi pro iniurijs, & damnis ſatisfaceret, ſeuerè hortatus eſt. In Parmenſem, & Placentinam Ciuitates, quod Gregorium S. R. E. Cardinalem Sedis Apoſtolicæ Legatum bonis ſpoliaſſent, priuationem dignitatis Epiſcopalis, in graſſatores autem excommunicationis ſententiam diſtrinxit. Contra Patriarcham Græcorum, Romani Pontificis Primatum carpentem, zelum Apoſtolicæ Sedis exeruit. Innocentium Croatiæ Regem, ne confugientes ad Eccleſias extrahi pateretur, præcepit. Ab Otthone Imperatore, iuſiurandum pro conſeruandis iuribus Eccleſię exegit.

Eundem Otthonem Imperatorem iuribus Eccleſiæ iniurium, communione fidelium exemit, atque ſolio Imperiali depoſuit. In Philippum Sueuiæ Ducem, quod Conradum Epiſcopum Herbipolenſem interficere vel iuſſiſſet, vel diſſimulaſſet, pœnas Eccleſiaſticas decreuit. Ioannem Angliæ Regem, ex profeſſo Eccleſiarum hoſtem, hoſtem Chriſtianorum propalam renunciauit, & Regia dignitate priuum fecit. Patriarcham Conſtantinopolitanum, Orientali Imperio primum à Latinis ſubacto, Latinis aduerſus ſchimaticum Græcum, qui iura Eccleſiarum tueretur, primus Latinum conſtituit. Venetorum in Oriente conatus aduerſus libertatem Eccleſiaſticā repreſſit. Regem Daniæ, quod Danorum, & Slauorum Epiſcopum in vincula conieciſſet, cenſura Apoſtolica ad ſatisfaciendum compulit. Regem Caſtellæ, vt Templarijs ereptas poſſeſſiones reſtitueret, eadem ratione adegit. Vladislaum Laſconogum Polonię Principem, quod multa contra Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas perpetraſſet, & manus violentas in aliquos inieciſſet, vinculo Eccleſiaſtico ligauit. Alios Duces Poloniæ, decimas ſoluere recuſantes, & prouentus vacantium Eccleſiarum ſibi vſurpantes, atque electionibus Prælatorum vim inſerentes, ad officium reuocauit. In Raymundum Comitem Toloſſanum, hæreticorum anteſignanum, arma, & ſpiritualia, & temporalia diſtrinxit. In Henricum Imperatorem Orientis, qui legem iniquiſſimam, *ne quiſpiam bonorum immobilium ſcriberet heredem Eccleſiam*, tulerat, grauiter ſurrexit, adeout is ſanctionem abrogarit.

In Luſitanum Regem, qui multa in Epiſcopum Portugalliæ egerat indigna, nec non plurimas poſſeſſiones Eccleſiæ rapuerat, Epiſcopo Zamorenſi commiſit, qui impium dehortare-

tatetur; quod ſi à perſequenda Eccleſia non ſe contineret, ingreſſu Eccleſiæ, & ſacrum communione eidem interdicere non cunctatetur. Fridericum Siciliæ Regem, quod is Epiſcopum Cathanienſem bonis exuerat, acerrimè increpuit: eoque adduxit, vt is datis diplomatibus, omnia priuilegia Eccleſiarum confirmauerit, & contraria edicta ſuſtulerit, deq; Tabularijs eraſerit, ſeu deleuerit. Propter Philippum Galliarum Regem, Aurelianenſi, & Antiſiodorenſi Epiſcopis in feſtum, Regno Galliarum ſacris interdixit, eaque cenſura effecit, vt is pœnitentia facinoris ductus, indulgentiam poſtularit, & reconciliatis ſibi Epiſcopis pacem meruerit. Regem Cyprium, quod Eccleſiæ Nicoſienſi Epiſcopum intruſiſſet, ſeuerè corripuit, Petrum Regem Aragonum, hæreticorum fautorem, & Eccleſiaſtico ordini infenſum, damnatis hæreticis, & pſeudopolyticis accenſuit. Patriarcham Conſtantinopolitanum, ab iniuria Henrici Imperatoris, qui dignitatem Eccleſiaſticam flocci pendens, in Eccleſia, loco illum excluſerat, & in partem ſiniſtram, idque iuxtà pedes ſuos detruſerat, vindicauit, eamque inſolentiam Imperatoris redarguit. Ægrè tulit Henricus, modeſtam Pontificis obiurgationem. Inſuper ſolenne illud à pſeudopolyticis male vſurpatum verbum, ex epiſtola Diui Petri, obiecerat Imperator: quaſi lege diuina ſuperior eſſet, etiam ſacro cætu. Reſpondit Innocentius, ò vtinam Principibus memoria retinendum, quod adiungo.

Innoc. III. ad Henrici Imp. obiectionem reſponſum contra pſeudopolyticos C. Solitæ benignitate de maioritat. & obed.

Mirata eſt Imperialis ſublimitas, quod te niſi fuimus in noſtris litteris increpare. Huic autem tuæ admirationi non cauſam, ſed occaſionem præbuit, quod legiſti Beatum Petrum Apoſtolorum Principem, ſic ſcripſiſſe: Subditi eſtote omni humanæ creaturæ, propter Deum: ſiue Regi, tamquam præcellenti: ſiue Ducibus, tamquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. *Verùm, ſi perſonam loquentis, & eos ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentius attendiſſes, ſcribentis non expreſſiſſes taliter intellectum. Scribebat enim Apoſtolus ſubditis ſuis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat. Nam ſi per hoc, quod dixit*: Subditi eſtote, *Sacerdotibus voluit imponere iugum ſubiectionis, & eis prælationis auctoritatem offerre, quibus eos ſubiectos eſſe mouebat: ſequeretur ex hoc, quod etiam ſeruus quilibet in Sacerdotes imperium accepiſſet, cùm dicatur*: omni hu-humanæ creaturæ.

Quod autem ſequitur Regi tamquam præcellenti *non negamus quin præcellat Imperator in temporibus, illos dumtaxat, qui ab eo ſuſcipiunt temporalia. Sed Pontifex in ſpiritualibus antecellit: quæ tanto ſunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori, licet non ſimpliciter dictum fuerit*, Subditi eſtote: *ſed additum fuerit*, propter Deum: *nec purè ſit ſubſcriptum*, Regi præcellenti, *ſed interpoſitum forſitan fuit non ſiui cauſa*, tamquam. *Quod autem ſequitur*, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, *intelligendum non eſt, quod Rex, vel Imperator, ſuper omnes bonos, & malos gladij acceperit poteſtatem, ſed in eos ſolummodo, qui vtentes gladio eius ſunt iuriſdictioni commiſſi. Potuiſſes autem prærogatiuam Sacerdotij ex eo potiùs intelligere, quod dictum eſt, non à quolibet, ſed à Deo: non Regi, ſed Sacerdoti, non de Regia ſtirpe ſed de Sacerdotali proſapia deſcendenti, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot*: Ecce conſtitui te ſuper Gentes, & regna, vt euellas, & diſſipes, ædifices, & plantes. *Præterea noſſe debueras, quod fecit Deus* duo magna luminaria in firmamento cœli: Luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, *vtrumque magnum, ſed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ*, fecit Deus duo magna luminaria; *ideſt duas inſtituit dignitates: quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas: ſed illa, quæ præeſt diebus, ideſt ſpiritualibus, maior eſt: quæ verò carnalibus, minor: vt quanta eſt inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoſcatur.*

Hæc autem ſi prudenter attenderet Imperatoria celſitudo, non faceret, aut permitteret Conſtantinopolitanum Patriarcham, magnum quidem, & honorabile membrum Eccleſiæ, iuxtà ſcabellum pedum ſuorum in ſiniſtra parte ſedere; cum alij Reges, & Principes, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſuis (ſicut debent) reuerenter aſſurgant, & eis iuxta ſe venerabilem ſedem aſſignent. Nos autem etſi non increpando ſcripſerimus potuiſſemus tamen rationabiliter increpare. Nobis enim Beato Petro ſunt oues Chriſti commiſſa, dicente Domino; Paſce oues meas, *nec diſtinguente inter has oues, & alias: aut alienum à ſuo demonſtraret ouili, qui Petrum, & ſucceſſores ipſius, Magiſtros non recognoſcerent, & Paſtores: vt illud tamquam notiſſimum omittamus, quod Dominus dixit ad Petrum, & in Petro dixit ad ſucceſſores ipſius*; Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; *nihil excipiens qui dixit*, Quodcumque. Hæc pro libertate Eccleſiaſtica Innocentius reſcripſit, multaque alia ex varijs occaſionibus tum egit, tum ſanxit, præcipuè verò in maximo Lateranenſi Concilio.

Honor. III.

Honorius III. Innocentio ſuccedens, pari acrimonia, Andream Pragenſem Epiſcopum, ab iniuria Ottocari Boemię Regis vindicauit: Fridericum II Imperatorem, ad confirmationem iurium Eccleſiæ adduxit; cumque illa ipſe Fridericus in Sicilia violaret, Pontifex ea ſtrenuè defendit, & in peruicacem anathema defixit: qua etiam de cauſa Henricum, & Iſabellam Reges Cyprios, Eccleſiaſticis iniurios, gladio Eccleſiaſtico perterruit: eumdemque contra Sancium Luſitaniæ Regem, qui Bracarenſem Epiſcopum hoſtiliter perſequebatur, exeruit.

Gregor. IX. Innoc. IV.

Gregorius IX. ſucceſſor, in Fridericum Imperatorem, & Sancium Luſitanum, latas diras, propter illas ipſas cauſas, confirmauit. Cumque Fridericus iniurias iniurijs adijceret, & Legatos Sedis Apoſtolicæ ne officio ſuo fungerentur, impediret, Cardinales autem, & Eccleſiarum Prelatos ad Concilium Generale venientes intercepiſſet, inque vincula coniectos male habuiſſet, hoſtemque ſe Eccleſiæ propalam demonſtraret. Innocentius IV. ex ſententia Patrum Concilij Lugdunenſis cætu piorum impium abdicauit.

Bonif. VIII.

Bonifacius VIII. poſtea, in violatores S. R. E. Cardinalium, grauiſſimam pœnam, quæ in Codicem Decretalium relata eſt, conſtituit: inque eos ſæculares, qui Clericos, aut intercipere, aut iudicio, vel ſupplicio ſubijcere præſumerent, ſerio reſcripſit: inſuper in Philippum Regem Galliarum, qui Sedis Apoſtolicæ

Lega-

Legatum grauiſſimis iniurijs affecerat, & Prælatos ne ad Concilium Romæ indictum venirent, detinuerat, ſententiam damnationis promulgauit.

Ioann. XXII. Bened. XII. Clem. VI. Huius exemplum Ioannes XXII. Benedictus XII. & Clemens VI. ſecuti, ſequentibus, ac ſecuturis Pontificibus Romanis præiuerunt, ad aſſerendam Eccleſiæ libertatem: quæ premi quidem poteſt, opprimi non poteſt. Conradum Regem Romanorum, S. Bernardus Abbas, data quam ſuperius memoraui epiſtola, certiorem huius rei reddebat, idque memorandum Principibus Chriſtianis ſuggerebat: *Et quidem ignoro quid vobis ſuper hoc conſulant ſapientes veſtri, & Principes Regni; ſed ego in inſipientia mea loquens, quod ſentio non tacebo. Eccleſia Dei ab exortu ſui vſque ad hæc tempora pluries tribulata eſt. Denique audite quid ipſa de ſe loquatur in Pſalmo. Ipſius enim vox eſt;* Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam. *Certus eſto ò Rex, quoniam nec nunc quidem quoque* relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper fortem iuſtorum. Non eſt abbreuiata manus Domini, *nec facta impotens ad ſaluandum. Liberabit & hoc tempore abſque dubio ſponſam ſuam, qui ſanguine ſuo redemit eam, ſuo ſpiritu donauit, donis cæleſtibus exornauit, ditauit nihilominus & terrenis.* Concludere volui, iſta certiſſima ſponſione, ſeu dote; ne, ſi, alia vindicata à Pontificibus alijs Romanis Eccleſiaſticæ libertatis argumenta in medium aſſeruiſſem, veritatem ipſiſſimam in odium Iulianæum adducerem, aut verò Soli lucernam, quod aiunt, adijcerem.

CAPVT XLVIII.

Pontifex Romanus, Orbis Chriſtianorum pacarius.

Felicitatem Regni ſacerdotalis, à temporibus ſummi ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontificis prænuncians Propheta Iſaias, inter alia Iudiciariæ, vel arbitrariæ eius po-

Iſa. 2. & 11. teſtatis facinora numerabat; *Iudicabit Gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet, ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ, & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum*

Chriſtus venit pacificare ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris. *ſuorum interficiet impium. Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renũ eius. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus, & Vrſus paſcentur; ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas. Et delectabitur infans, ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit manum ſuam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes.* Nihil magis decebat Pacificum ſacerdotem, & Regem Pacis, iuſtitia, & fide præcinctum, quam ferro parricidali ſublato, oleam Pacis Orbi Chriſtiano depangere: quippe qui venerat pacificare omnia ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt, & propter diruere interpoſitum diſcordiarum parietem: vt in vno ouili habitarent ſimul diues, & pauper, Græcus, Latinus, & barbarus, ac perinde ouis, leo, & vitulus, agno cum lupo, pardus cum hædo, vitulus, & vrſus, puer & aſpis, ablactatus ab vbere, & regulus, Saulus, & Petrus, Philippus, & Fabianus, Conſtantinus, & Syluester, Scytha, & Europeus, & non nemo feritate depoſita Chriſtianus cum innocente manibus.

Quamdiu Chriſtus in terris verſatus, nihil magis quam concordiam, & pacem ſuaſit; hancque diſcipulis & ſeruandam, & prædicandam commiſit, iubens vt ſibi mutuo noxas dimitterent, vt ſe inuicem diligerent, vt pacis fœdera domum aliquam ingreſſi primo renunciarent, illudque potiſſimum curarent, ne in vno corpore myſtico membra in vnitatem fidei congregata, aduerſum ſe pugnarent, ſed omnes vnum cor, & vna anima forent in Domino.

Petrus Propaſtor in vicem Chriſti ſuccedens, iſtud primum à Chriſti aſcenſione curauit. Nam & diſperſos diſcipulos in vnum congregauit, & congregatos vno ſpiritu adeo inanimauit, vt illis vna eſſet, domus, oratio, ſynaxis, menſa, cella proma, Euchariſtia, pietas religio, fides, ipſaque ipſiſſima charitas, & omnium communio. Iam & ipſe certus, quod velox eſſet depoſitio tabernaculi illius, ſecundùm quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ei ſignificauerat, ſenioribus quos in Eccleſia relinquebat, nihil magis quam charitatem, & amorem fraternitatis, curandam inculcabat; præcipuè cùm præciperet; *Paſcite* Petrus in vicem Chriſti ſuccedẽs hoc primũ curauit.

qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo. 1. Petr. 5.

Cùm præciperet *Paſcite*, edicebat, ne diſpergerent, ſed congregarent: concordiam non diſcordiam ſeminarent; diſcordes, in æquitate arguerent, arietantes, virga oris, vbi opus foret, percuterent, adeoque cenſura eccleſiaſtica ad conuiuendum, condonandumque compellerent; & ſi neceſſitas extorqueret, ſpiritu labiorum ſuorum, impium aliquem calcitronem, ſuſurrorem, detractorem, malitioſum, doloſum, ſeminatorem diſcordiarum, ferocientemque in alios, interficerent, proque manſuetis terræ, murum aheneum ſeſe opponerent: nec ſecundùm viſionem oculorum, quos aſpectus perſonæ, vel purpuræ præſtringere ſolet, aut ſecundùm auditum aurium, impoſturæ, calumniæ, & falſimoniæ capacium iudicarent; ſcilicet non amicum, inimicum, non pauperem, aut diuitem, non illuſtrem, aut obſcurum, non Regem, aut foſſorem, non denique hominem, ſed meritum, vel demeritum aſpicerent, adeoque non quemquam metuerent, aut reſpicerent, ſed in iuſtitia, etiam pauperes iudicarent; illudque ante omnia efficerent, vt hi quorum controuerſias arbitrantur, *deponentes omnem malitiam, & om-* 1. Petr. 2.

nem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes, imbelles, innocentes, beneconſentientes, *creſcant*

ſcant

ſcant in ſalutem, non ſibi amplius alterutrum, aut metuant, aut noceant: vt ab euentu, verum ſit Vatis oraculum; *Delectabitur infons ab vbere ſuper foramine aſpidis*, mentis doloſæ: *& in cauerno reguli* hominis ſolo ſpiritu nocentis, qui ablactatus fuerit manum *ſuam mittet*. *Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſanctò meo*: propter virus, & linguam aculcatam depoſitam, & charitatem in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffuſam, quæ operit multitudioem peccatorum, quæ patiens, & benigna eſt; quæ non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia denique ſuffert, non mala infert: ſciens hoſti non male, ſed facere bene; inimicum non vlciſci ſed paſcere, ſed fouere, ſed complecti; adeoque vrſo, leoni, pardo, lupo, & vniuerſæ hoſtilitati ignoſcere; ignoſcendo cicurare, ſen edentare, & exungulare: cicuribuſque, & manſuetis in vnum in vna Cyburna Eccleſiæ cohabitare.

Petrus officij ſui futuros ſucceſſores ſuos Pont. admonet.

Paſcite, cùm Petrus diceret, adijceretq; *gregem Dei*, etiam hac ratione, officij ſui futuros ſucceſſores ſuos Pontifices admonebat; cùm illis & gregem, & non quemlibet, ſed ouium, & non cuiuslibet ſed Dei, ante oculos ad paſcendum ponebat. Grex, diſpergi, ſeu exgregari non amat. Grex ouium, congregationem amat; quam nullus alius armis naturalibus ferocientium animalium amat. Grex Dei, vnitatem, & charitatem amat, quam confluges diaboli non amat.

Ezech. 34.

Itaque ſi gregem, & ouium, & Dei paſcendum ſuſceperunt, Pacariorum officium, qui congregarent, & qui concordiam, & pacem curarent ſe ſuſcepiſſe memorarent, iubebat; ne & ipſi aliquando, quod olim nonnullis, ſerio dicatur: *Et diſperſa ſunt oues meæ, eo quod non eſſet Paſtor: & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerſo colle excelſo: & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea paſtores audite verbum Domini; Viuo ego dicit Dominus Deus: quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri, eo quod non eſſet paſtor (neque enim quæſierunt paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant; propterea paſtores audite verbum Domini; Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos vt vltro non paſcant gregem, nec paſcant amplius paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit eis vltra in eſcam.*

Iſtud ipſum Petrus forte Paſtoribus inſinuabat, & vt diſcordiam, à qua certus interitus, à grege Chriſti extirparent, concordiā verò, à qua certiſſima Reipublicæ Chriſtianæ ſalus, inſererent, admonebat, premiumque Pacarijs proponebat; *Et cùm apparuerit Princeps Paſtorum*, ait, *percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam*. Admonebat præterea, *ne ſint vt dominantes in cleris*. Nam iſtud Deus olim in alijs Paſtoribus execrabatur, cum illis exprobraret; *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis? & quod ægrotum, non ſanaſtis: quod confractum eſt, non alligaſtis: & quod abiectum eſt, non reduxiſtis: & quod perierat, non quæſiſtis; ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia*.

Qua ratione Petrus, Pōt. orbis Chriſtiani Pacarios eſſe voluit.

Itaque & hac ratione Pacarios Orbis Chriſtiani Pontifices, Petrus inſtituebat, cùm volebat illos eſſe Patres Orbis Chriſtiani, non Dominos: Medicos, Curatores, non exacerbatores, neque exulceratores animorum, qui velut Patres inter filios charitatem, & pacem ex animo promouerent: & velut Medici animorum; infirmos ad toleranda alterius onera ſuaſionibus ſolidarent; ægros animi panacea diuiniore ſanarent: fractam patientiam aliquorum aut læſam, authoritate ligandi qua præſtant, alligarent: abiectos domo, lecto, ara, ad ſocietatem communicationis reducerent: perditas, & deploratas prope amicitias, & fœdera, requirerent: non more dominorum, quibus nihil penſi aut concordia, aut ſalus ſeruorum, non cum auſteritate quæ diſgregat, quæ irritat, quæ perdit, ſed in ſpiritu lenitatis, & manſuetudinis, manſuetudinem, & lenitatem Chriſtianos docerent; quemadmodum ipſe Petrus & docuit, & egit, cum dextras ſocietatis Paulo dediſſet, iſtudque Pacarij munus, & onus ſucceſſoribus ſuis Rom. Pontif. impoſuiſſet.

Tertull. de pace, & concordia, quæ viguit in primogenia eccleſ. in apologet.

Ab hac primæ ætatis Summorum Pontificum, Lini, Clementis, Cleti, Anacleti, Euariſti, Alexandri, Teleſphori, Higini, Pij, Aniceti, Soteris, Eleutherij, Victoris, & Zephyrini cura, quanta inter Chriſtianos pax, & concordia viguerit, Tertulianus Gentilitati renunciabat: *Dilectionis maxime operatio, notam nobis inurit penes quoſdam. Vide, inquiunt, vt inuicem ſe diligant, & vt pro alterutro mori ſint parati. Sed & quod fratres nos vocamus, non alias, opinor, infamant, quam quod ipſos omne ſanguinis nomen de affectatione ſimulatum eſt. At quanto dignius fratres, & dicuntur, & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerint, qui vnum ſpiritum biberint ſanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiuſdem ad vnam lucem expauerint veritatis. Sed eo fortaſſe minus legitimi exiſtimatur, quia nulla de noſtra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex ſubſtantia familiari fratres ſumus, quam penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque quia animo animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus; omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter vxores. In nullius perniciem congregati, quod & diſperſi, hoc vniuerſi, quod & ſinguli: neminem lædantes, neminem contriſtantes: quum probi, cum boni coeunt, quum pij, cum caſti congregantur, eſt factio, eorum qui in odium bonorum, & probrum conſpirant, quique aduerſum ſanguinem innocentium conclamant, dicenda ſed Curio. Veſtros iam conteſtamur actus, qui quotidie iudicandis cuſtodijs præſidetis; qui ſententijs elogio diſpungitis: tot à vobis nocentes varijs criminum elogijs recenſentur, quis illic ſicarius? quis manticularius? quis ſacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo? quis ex illis etiā Chriſtianus aſcribitur? aut cum Chriſtiani ſuo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De veſtris ſemper æſtuat carcer, de veſtris ſemper metalla ſuſpirant de veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur, de veſtris ſemper munerarij noxiorum greges paſcunt, nemo illic Chriſtianus, niſi plane tantum Chriſtianus, aut ſi, & aliud, iam non Chriſtianus,*

Tan-

Tanta ſcilicet fuerat primogeniæ Eccleſiæ Summorum Pontificum, in ſancienda, tum concordia fraterna, tum diſciplina Eccleſiaſtica, cura; vt dilectioni primorum Chriſtianorum, etiam notam inurerent Gentiles, atque illos in exemplum amoris perfecti, qui meum, & tuum neſcit, & ſuum ſanguinem pro fratre erogat, ſtatuerent. Tanta porro eius dilectionis fuit flamma, vt pro alteris mori eſſent parati; quippe qui non de affectatione fratres dicerentur, ſed quia vnum ſpiritum bibiſſent; & non tantum animo, ſed & anima mixti, nihil de rei communicatione inter ſe dubitarent; & omnia, præter vxores communia haberent; neque propter meum, & tuum diſcordias ſuſciperent; neminem læderent, neminem contriſtarent; & probi non improbi, boni non maligni, pij non impij, caſti non inceſti, tam congregati, quam diſperſi, tam vniuerſi quam ſinguli, non in odium ſed in commodum bonorum ac proborum conuenirent. Tanta dæmum fuit Iudicum, ſeù Pontificum ſuperioris ſeculi, in arbitrandis cauſis, decernendiſque controuerſijs integritas, iuxta atque ſeueritas, vt vel ſolo numinis timore, à flagitijs grauioribus deterrerent; & vel ſolo charitatis fraternæ reſpectu, ad concordiam, & mutuam delictorum remiſſionem, in leuioribus adducerent.

Quales ardor dilectionis:

Quales tunc Chriſtiani & diſciplina Eccleſiaſtica.

Quapropter nemo illis temporibus ex Chriſtianis aut ſicarius, aut manticularius, aut ſacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo, aut alieni nocens: & ſi alicui nocens, nemo ex illis diu, aut grauiter nocens: cùm ex præſcriptione Chriſti pacarij, omnis qui offerret munus ad altare, non potuiſſet illud offerre, niſi primo reconciliatus fratri, quem offendiſſet. Tanta ſcilicet fuerat ex priſco vſu diſciplina. Iam nec ad oſculum ſanctum, aut oris, quod primis ſolenne fuit; aut altaris, quod apud poſteriores in eius locum ſucceſſit, ille admittebatur, qui rancorem aduerſus fratrem non depoſuiſſet, aut iniuriam acceptam ex corde non dimiſiſſet: prouidentibus Pontificibus Romanis, ne in vno ouili quod regendum ſuſceperant, lites aut offenſiones germinarent.

Tertull. ad Gentiles de Innocētia & tolerantia Chriſtianorū primi ſeculi:

Itaque idem ille Tertullianus, Gentilibus improperabat: *Nos ergo ſoli innocentes. Quid mirum ſi neceſſe eſt? Innocentiam à Deo edocti, & perfectè eam nouimus, vt à perfecto Magiſtro reuelatam; & fideliter cuſtodimus, vt ab incontemptibili diſpectore mandatam. Vobis autem humana æſtimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio imperauit. Inde, nec plenæ, nec adeo timendæ eſtis diſciplinæ, ad innocentiæ veritatem. Tanta eſt prudentiæ hominis ad demonſtrandum bonum, quanta authoritas ad exigendū; tam illa falli facilis, quam iſta contemni. Atq; adeo, quid plenius, dicere, Non occides? an docere ne iraſcaris quidem? Quid perfectius, prohibere adulterium, an etiam ab oculorum ſolitaria concupiſcentia arcere? Quid eruditius, de maleficio, an & maleloquio interdicere? Quid inſtructius, iniuriam non permittere, an nec vicem iniuriæ ſinere?* Plura volebam ex Tertulliano, pro innocentia, & tolerantia Chriſtianorum primi ſeculi adducere: ſed me iſta obruerunt, volentem inde procuranda concordia curam ſuperiorum Pacariorum educere; qui neque iniurias permittebant, neque vicem iniuriæ ſinebant: ad congregandos diſperſos intenti; ad refractarios ſiue cogendos, ſiue corrigendos attenti. Grauiora aliquot exempla dabo, ſtudij Pontificum Romanorum, ad Chriſtianos conciliandos.

Exempla ſtudij Romanorū Pōtificum ad Chriſtianos cōciliandos.

Primus Innocentius I. agmen ducat, qui tota Italia bellis flagrante, & Alarico Gotto vrbis obſidionem minitante, vrbe, ipſo populo ſupplicante exiuit, & Honorium Imperatorem Rauennæ agentem conuenit, de pace tractaturus.

Ioannes I. Theodorico Italiam turbante, ad Iuſtinum ſeniorem, pacis componendæ cauſa, Conſtantinopolim iuit, & tametſi cum ſuæ vitæ diſcrimene, patris officium fecit.

Agapetus I. à Theodato Gottorum Rege, ad Iuſtinianum Imperatorem ad pacem ſanciendam deſtinatus, omnia ex voto confecit.

Zacharias I. Luithprandum Longobardorum Regem, Rauennatibus, quorum excidium is moliebatur, conciliauit.

Stephanus III. Aiſtulphum Regem, Romanis infeſtum ad pacem adduxit.

Gregorius IV. inter Ludouicum Imperatorem, & filios eiuſdem, Roma, in Gallias profectus, concordiam ſtabiliuit.

Nicolaus I. inter Carolum, Ludouicum, & Lotharium Galliarum Reges, pacem componere tentauit: cum aliqui ex eis poſtulaſſent, vt Apoſtolica auctoritate malis mederetur: & quos nulla pacis fœdera, nulla mouerent charitatis viſcera, Apoſtolica cenſura ad concordiam compelleret.

Ioannes X. inter Romanam, & Conſtantinopolitanam Eccleſiam parietem diſcordiarum diſiecit: quem eundem poſtea erectum ſuis temporibus Gregorius VII. Gregorius X. Vrbanus V. Gregorius XI. & Eugenius IV. proſtrauerunt, atque vnum ouile ex duobus populis effecerunt.

Inter Gallos, & Anglos, centum olim continuis annis bello mutuo decertantes, plures Pontifices Romani pacem componere adniſi ſunt.

Paulus III. nihil aliud toto ſuo Pontificatu egit, quam vt pax inter Principes Chriſtianos coiret.

Gregorius XIII. eam inter Stephanum Poloniæ Regem, & Moſcorum Ducem compoſuit.

Clemens VIII. inter Auſtriacos, & Polonos, item inter Hiſpaniarum, & Gallorum Reges ſtabiliuit.

Noſtra iſta tempeſtate, Paulus V. Sabaudum Ducem, Regi Hiſpaniarum reconciliauit, adeoque arma ad perniciem Italiæ, & Orbis Chriſtiani educta, in vomeres conflauit.

CAP. XLIX.

Pontifex Romanus, Chriſtianorum Defenſor:

Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus Dei, non tantum regendo, ſed etiam defendendo populo electo fuerant deſtinati. Itaque non tantum vel tabulas ſcribebant, vel virgam proferebant, ſed etiam proprias manus

in oratione leuabant, à quibus prolatis hoſtes
ſternebãtur, necnon alienas iuſſione ſua arma-
bant, à quibus etiam hoſtes cadebant. Exem-
plo præibant futuris Pontificibus, & quaſi
vmbram ſignabant nouæ legis Antiſtitibus; vt
& ipſi tutelam populi Chriſtiani, qua oratio-
ne, qua iuſſione, qua prece, qua præcepto
exercerent, vbi opus. Bonifacius VIII. quid
Eccleſia ſit, quidue poſſit, ſatis luculenter re-
nunciabat, cum iſtud edicebat.

Quid & qualis ſit Eccleſia ext. de maior. & obed.

, Vnam Sanctam Eccleſiam Catholicam,
, & ipſam Apoſtolicam, vrgente fide credere
, cogimur, & tenere. Noſque hanc firmiter
, credimus, & ſimpliciter confitemur, extra
, quam nec ſalus eſt, nec remiſſio peccato-
, rum, ſponſo in Canticis proclamante; *vna*
, *eſt columba mea, perfecta mea; vna eſt matri ſuæ,*
, *electa genitrici ſuæ*: quæ vnum Corpus myſti-
, cum repræſentat, cuius *Caput Chriſtus, Chri-*
, *ſti vero Deus*. In qua *vnus Dominus, vna fi-*
, *des, vnum baptiſma*. Vna nempe fuit diluuij
, tempore arca Noe, vnam Eccleſiam præfi-
, gurans, quæ in vno cubito conſummata,
, vnum (Noe videlicet) gubernatorem habuit,
, & Rectorem; extra quam omnia ſubſiſtentia
, ſuper terram legimus fuiſſe deleta. Hanc
, autem veneramur, & vnicam, dicente Domi-
, no in Propheta: *Erue à framea Deus animam*
, *meam, & de manu canis vnicam meam*. Pro
, anima enim, id eſt pro ſeipſo capite ſimul
, orauit, & corpore, quod corpus vnicam
, ſcilicet Eccleſiam nominauit, propter ſponſi,
, fidei, Sacramentorum, & charitatis Eccleſiæ
, vnitatem. Hæc eſt tunica illa Domini in-
, conſutilis, quæ ſciſſa non fuit, ſed ſorte per-
, uenit. Igitur Eccleſiæ vnius, & vnicæ, vnum
, corpus, vnum caput, non duo capita quaſi
, monſtrum, Chriſtus videlicet, & Chriſti Vi-
, carius Petrus, Petrique ſucceſſor, dicente
, Domino ipſi Petro; *Paſce oues meas; meas*,
, inquit, & generaliter non ſingulariter has
, vel illas: per quod commiſiſſe ſibi intelligi-
, tur vniuerſas. Siue ergo Græci ſiue alij ſe
, dicant Petro, eiuſque ſucceſſoribus non eſſe
, commiſſos: fateantur neceſſe, ſe de ouibus
, Chriſti non eſſe, decente Domino Ioanne,
, *vnum ouile, & vnicum eſſe Paſtorem*.

, In hac eiuſque poteſtate duos eſſe gla-
, dios, ſpiritualem videlicet, & temporalem,
, Euangelicis dictis inſtruimur. Nam dicen-
, tibus Apoſtolis, *Ecce gladij duo hic*, in Eccle-
, ſia ſcilicet: cum Apoſtoli loquerentur, non
, reſpondit Dominus nimis eſſe, ſed *ſatis*. Cer-
, te, qui in poteſtate Petri temporalem gladiũ
, eſſe negat, male attendit verbum Domini
, proferentis: *Conuerte gladium tuum in vagi-*
, *nam*, vterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ,
, ſpiritalis ſcilicet gladius, & temporalis. Sed
, is quidem pro Eccleſia, ille vero ab Eccleſia
, exerendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum
, & militum, ſed ad nutum, & patientiam Sa-
, cerdotis. Oportet autem gladium eſſe ſub
, gladio, & temporalem authoritatem ſpirita-
, li ſubijci poteſtati. Nam cum dicat Apo-
, ſtolus. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ autem*
, *ſunt à Deo, ordinata ſunt*: non autem ordina-
, tæ eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio, &
, tamquam inferior reduceretur per alium in
, ſuprema. Nam ſecundum B. Dionyſium,
, *Lex Diuinitatis eſt, infima per media in ſupre-*
, *ma reduci*. Non ergo, ſecundum ordinem
, vniuerſi, omnia æque ac immediatè, ſed in-
, fima per media, & inferiora per ſuperiora
, ad ordinem reducuntur.

, Spiritualem autem, & dignitate, & no-
, bilitate terrenam quamlibet præcellere po-
, teſtatem, oportet tanto clarius nos fateri,
, quanto ſpiritalia, temporalia antecellunt.
, Quod etiam ex decimarum datione, & bene-
, dictione, & ſanctificatione, ex ipſius pote-
, ſtatis acceptione, ex ipſarum rerum guber-
, natione claris oculis intuemur. Nam veri-
, tate teſtante, ſpiritalis poteſtas terrenam
, poteſtatem inſtituere habet; & iudicare, ſi
, bona non fuerit. Sic de Eccleſia, & Eccle-
, ſiaſtica poteſtate verificatur vaticinium Hie-
, remiæ Prophetæ; *Ecce conſtitui te hodie ſuper*
, *gentes, & regna*: & cætera quæ ſequuntur. Er-
, go ſi deuiat terrena poteſtas, iudicabitur à
, poteſtate ſpirituali: ſed ſi deuiat ſpiritualis
, minor, à ſuo Superiori. Si vero ſuprema, à
, ſolo Deo, non ab homine poterit iudicari;
, teſtante Apoſtolo: *ſpiritualis homo iudicat om-*
, *nia, ipſe autem à nemine iudicatur*. Eſt autem
, hæc authoritas (etſi data ſit homini, & exer-
, ceatur per hominem) non humana, ſed po-
, tius diuina ore diuino Petro data, ſibique
, ſuiſque ſucceſſoribus in ipſo, quem confeſ-
, ſus fuit petra firmata, dicente Domino ipſi
, Petro: *Quodcumque ligaueris &c.* Quicum-
, que igitur huic poteſtati à Deo ſic ordinatæ
, reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; niſi duo (ſi-
, cut Manichæus) fingas eſſe principia; quod
, falſum, & hæreticum iudicamus; quia teſtan-
, te Moyſe, non in principijs, ſed *in principio*
, *Cælum Deus creauit, & Terram*. Porro ſu-
, beſſe Romano Pontifici, omni humanæ crea-
, turæ declaramus, dicimus, & pronuncia-
, mus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.

Denunciabat Bonifacius I. Papa vnam
eſſe Eccleſiam, ex omnibus qui oues Chriſti
audire volunt, collectam. 2. Vnum eſſe Ec-
cleſiæ Catholicæ Rectorem, & Paſtorem, etiam
terrenæ poteſtati Prælatum. 3. In poteſtate
illius eſſe gladium, non ſolum ſpiritualem,
ſed temporalem. 4. Ad illum pertinere, omnes
verbo, & Sacramentis paſcere, rectitudinis
virga dirigere, in Iuſtitia iudicare, & ad ex-
tremum defendere, ad eum modum, vt illi in-
cumbat pro ouibus potius animam ponere,
quam gregi commiſſo in tutela deeſſe.

vna vnum Paſtorẽ habens. Poteſtas eius.

Non defuit olim Moyſes, ſed & manus
in oratione contra Amalechitas extendit, &
innumeram multitudinem ad tutelam ſuorũ
ſcripſit, eduxitque. Non defuit, & maior
Moyſe Chriſtus, qui puſillum gregem, adhuc
viuens, à rabie Pontificum defendit. Non
defuit, & Petrus, Chriſti Vicarius, ſed ad-
uerſus omnem furentis Synagogæ impetum,
pro ouibus relictis conſtanter ſtetit. Non
defuerunt, & alij Pontifices Romani, poſt-
quam tempus patiendi tranſijſſet, tempus ve-
ro pro Eccleſia faciendi adueniſſet. Leo Ma-
gnus, Vrbem ab incendio, cædibus, atque
ſupplicijs, obuiam factus Genſerico Regi Vã-
dalorum, immunem ſeruauit. Ioannes I. Pa-
pa, vt Theodorici Regis gladium, à ceruici-
bus Orthodoxorum auerteret, Conſtantino-
polim perrexit, & tandem pro illis in erga-
ſtulo occubuit. Ioannes II. Iuſtiniano Imper.
qui Catholicos à perſecutione Gilimeri, & Vã-
dalorum, miſſo Beliſſario eriperet, author fuit.

Moyſes Chriſtus Petrus & alij Pontif. quomodo gregẽ ſibi commiſſum defenderint.

Aga-

Agapetus I. Theodatum Regem Gothorum, Senatui, Clero, & populo Romano cædes minantem, Legatione ad Imperatorem Iuſtinianum ſuſcepta, arma deponete coegit, accitoque Belliſſario Gotthos vrbe eiecit. Vigilius, Vrbem Romanam, à Totila Gottho, non ſemel tutatus eſt, integritatique ſuæ reſtituendam curauit: nec non Iuſtinianum Imperatorem, qui Narſete in Italiam miſſo, Torilam ope Dei genitricis vicit, triumpho memorabili felicitauit. Pelagius II. & Gregorius I. aduerſus Longobardos, aſſiduis bellis Italiam fatigantes, auxilium à Mauritio Imperatore poſtularunt. Gregorius ſolus, vigilijs, ieiunijs, orationibus, & pecunijs Ecleſiæ, quibus vexationem hoſtilem redimere viſum, à furore Longobardorum, Vrbem inaceeſſam reddidit: idemque vigilantiſſimus Pontifex Defenſores Eccleſiæ Septem viros in Vrbe conſtiruit, quos in diuerſas Prouincias mitteret, auxiliatum Chriſtianis oppreſſis.

Iam enim Arnulphus Longobardus, Romanæ Vrbi moliretur excidium, & Neapolitana Ciuitas in periculum eſſet adducta, Gregorius, Imperatorios Duces per Italiam conſtitutos, qui Arnulphum à tergo aggrederentur, admonuit; pro cuſtodia vera Neapolitanæ Vrbis Conſtantium Tribunum miſit, militibuſque Imperatorijs vt illi parerent, præcepit. Ioannes VI. in defenſionem Vrbis, à Theophylacto Exarcho, vniuerſam Italiæ militiam exciuir, atque ſolus tyrannos aduerſus Aripertum Regem conſurgentes in Italia compeſcuit.

Gregorius II. Romanam Vrbem mænibus munire aduerſus Longobardos decreuit: & in defenſionem Italiæ, contra Leonem Iſaurum, fædus cum Francis percuſſit: nec non Luithprandum Longobardorum Regem, ad ſubijciendam Romam, cum Eutycho Exarcho & exercitu Leonis tyranni venientem, ſola reuerentia ſui, ab eo ſcelere reuocauit, ac ſalutem ſibi ac Vrbi ſolo occurſu comparauit. Cumque iterum Luithprandus, infeſta arma Vrbi intuliſſet, Gregorius III. Carolum Martellum Francorum Principem, qui pijs adiutorio eſſet, interpellauit.

Zacharias Primus vt Rauennates ab oppreſſione eiuſdem Luithprandi liberaret, ipſe Ticinum ad Regem profectus, eidem arma extorſit, & à ſuſcepto bello dimouit. Stephanus III. Conſtantinum Copronymum Imperatorem, contra Aiſtulphum Luithprando in opprimendis pijs ſuccedentem, cum fruſtra compellaſſet, in Gallias profectus, Pipinum Regem in ſuppetias adduxit. Paulus I. Stephani ſucceſſor, eumdem Pipinum Regem, Defenſorem contra Conſtantinum Imperatorem, & contra Deſiderium Longobardorum Regem, Catholicorum inſtituit, adeo vt eius armis atque potentia pacem florentiſſimam Italiam aſpexerit.

Carolus Magnus defenſoris Eccleſiæ titulo à Pont. exornatus.

Hadrianus I. Carolum Magnum, eodem Defenſoris titulo, in Italiam contra Longobardos euocatum, exornauit: vtque is perpetuus Romanorum Imperatoribus eſſet, renunciauit: non alia de cauſa, quam vt Imperatoria manu gladium in defenſionem Chriſtianorum educeret. Habuit Carolus Magnus, vna cum titulis, *Regis Francorum. & Longobardorum, ac Patricij Romanorum*, ſe quoque *Filium, & Defenſorem Sanctæ Dei Eccleſiæ* nominare.

Eius preclari tituli.

Iam Leo IV. aduerſus Saracenos Italiæ ex Africa imminentes, & Vrbem Leoninam ad defenſionem Romanæ præmuniuit, aliaſq; Ciuitates mœnibus circumdedit. Sylueſter Papa II. excitatus epiſtola Hieroſolymorum Eccleſiæ, ſcripta, vt vetus habet exemplar, *ad Vniuerſalem Eccleſiam ſceptris regnorum imperantem*, primus ſacræ militiæ claſſicum occinuit, & ad ferendum ſubſidium, ſub iugo barbarorum laboranti Palæſtinæ, Principes Chriſtianos excitauit.

Leo IX. in Northmannos perſecutores proborum, exercitum miſit. Gregorius VII. contra Saracenos Conſtãtinopolim perurgentes, vniuerſos Principes Chriſtianos in Orientem ad arma vocauit.

Sacrum bellum aduerſus Saracenos & Turcas ab Vrbano I. primũ decretum.

Vrbanus Secundus ab Alexio Imperatore Conſtantinopolitano, & à Simeone Patriarcha Hieroſolymitano litteris ſolicitatus, primus omnium in Concilio Claromontano, ſacrum bellum aduerſus Saracenos, & Turcas, Syriam, & Aſiam vaſtantes, decreuit, trecentaque armatorum millia in Orientem miſit: qui Gothifredo Duce, hoſtes Chriſtianitatis tota Syria, & Aſia eiecerunt, Orientem Imperatoribus Conſtantinopolitanis à Turcis ereptum receperunt, reſtitueruntque, Chriſtique trophæa in latiſſimis illis prouincijs erexerunt.

Paſchalis Secundus eamdem ſacram expeditionem tanta felicitate innouauit, vt ad ſolum S. Crucis intuitum, quæ Legato Apoſtolico præferebatur, Turcæ, & Saraceni ſternerentur, vel in fugam agerentur. Eugenius Tertius aliquando poſt in Concilio Carnotenſi, eandem piam militiam indixit, & inter alios Ludouicum Regem Galliarũ ſacro baltheo incinxit. Alexander Tertium Philippum Galliæ, & Henricum Angliæ Reges in illam ipſam Orientalium Chriſtianorum defenſionem armauit: quo defuncto, Lucius Tertius in eamdem ipſam curam ſerio incubuit, vtq; Henricus Rex Anglus, in ſatisfactionem cædis S. Thomæ Cauthuarienſis, in Terram Sanctã exercitum duceret, ſerio iniunxit.

Gregorius VIII. paucis diebus quibus ſedit, illud vnicum ſubſidium Chriſtianis Orientalibus cogitauit, eaque de cauſa litteras ad vniuerſos Chriſti fideles dedit. Clemẽs III. Fridericum I. Imperatorem, Galliæ, & Angliæ Reges, ad idem ferendum, excitauit. Innocentius III. non alia magis fere de cauſa, Concilium Lateranenſe, quam pro rebus Orientalibus iuuandis, congregauit. Honorius III. Fridericum II. Imperatorem, & Andream Hungariæ Regem, cum alijs Principibus Chriſtianis in Aſiam deſtinauit, cumque Fridericus deſiderio Chriſtianorum non multum ſatisfeciſſet, ſed piam illam militiam deſeruiſſet, adeoque rem Chriſtianam Saracenis expoſuiſſet, Gregorius IX. illum anathemate percuſſit: quod Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi comprobauit, & Principes Europæos ad tutelam Orientalium inuitauit. Alexander IV. S. Ludouicum Galliarum Regem, eodem ſacro enſe accinxit. Gregorius X. Concilio Lugduni indicto, quemadmodum, & Clemens V. Viennæ, & Vrbanus V. Romæ, & Eugenius IV. Florentiæ Concilijs celebratis. Orientales ſuppetias decreuere. Bonifacius VIII.

VIII. Benedictus XI. & XII. Ioannes XXII. Clemens Sextus; Innocentius VI. Martinus V. Pius Secundus, Paulus Secundus, Nicolaus V. Calixtus Tertius, Xyſtus Quartus, & Quintus, Clemens Septimus, Paulus Tertius, & Quartus: nihil magis conati ſunt, quam, vt pace inter Europæos principes ſtabilita communibus armis communem Chriſtianorum hoſtem, à ceruicibus oppreſſorum depellerent.

Bellum nauale ſub Pio V.

Noſtra ætate, Pius Quintus, facto cum Rege Catholico, & Venetis fœdere, quid pro tutela Chriſtianorum claſſe comparata egerit, non eſt opus, rem Orbi vniuerſo clariſſimam, exponere. Clemens VIII. ad hunc hoſtem à finibus Chriſtianorum arcendum, & copias ex Italia non contemnendas in Hungariam miſit, & maxima vi pecuniarum Tranſyluaniæ Principem iuuit. Hoc etiam tempore Paulus Quintus, Rodulpho Imperatori in ſuppetias belli ſacri, ingentem pariter pecuniam numerauit, defenſoriſque Chriſtianorum titulum promeruit.

Clemens VIII & Paulus V. contra Turcam ſuppetias miſerunt.

CAPVT L.

Pontifex Romanus, indeficiens.

Theodorus Beza, Caluiniſtarum turpiſſimus iuxta ac impudentiſſimus, non potuit tamen non confiteri, propalam, in Summo Geneuenſi theatro, pro concione, in facie ſuorum, idque iterum repetere, ***Pontificem Romanum eſſe indeficientem***. Res eſt, quæ poſtulat, verbis Florimondi Ræmundi Conſiliarij Regis Burdegalen. qui primus in hiſtoriam retulit, Caluiniſque oculis obiecit, narrari. Ita habet.

lib. 8. c. 5.

Bezæ teſtimonium de indeficiẽtia Rom. Pont.

, Theodorus Beza; Geneuæ circa annum , 1600 dum concionando prius dicta repetijſ, ſet, cæpit verba facere de ſucceſſione Patriar, charum, ſumpto themate ex cap. 7. Actorum , vbi de S Stephano agitur: ac ibi tum puſil, lum gregem ſuum deprimere, Eccleſiæ verò , Catholicæ amplitudinem plurimum extolle, re. Deinde, ad ſucceſſionem Apoſtolorum , tranſiens: ſi, *inquit*, aduerſarij noſtri (*Ca, tholicos intelligens*) à vobis quærant, vbi ſit apud vos Cathedra, & ſucceſſio Petri! cedamus illud, quoniam verè Catholici, & Papiſtæ hanc habent ſucceſſionem Apoſtolicam , perſonalem, ad hunc vſque diem velut per , manus traditam, & propagatam: idque infi, ciari non poſſumus, Aderat tum vir honeſto , loco è Lotharingia natus, Metenſis, Ioannes , Druet nomine, qui Geneuam aduentarat, & , apud Bazam diuertens, è Germania reuer, ſus, vbi miniſtri officio functus erat, eius , concionem audire voluerat. Vnde Beza do, mum reuerſus vna cum miniſtro illo alijſque , conuictoribus, eos interrogauit, quid rerum , nouarum audiſſent. Miniſter reſpondit: Cer, te, Domine mi, hodie noua, eaque prodi, gioſa ex te audiuimus: nimirum, quod Pa, piſtæ veram habent ſucceſſionem Apoſtoli, cam, quæ à Chriſto inde à Petro in hunc vſ, que diem legitimè perſeuerat. Sumus ergo , (ſubdebat ille ipſe Miniſter) ſchiſmatici. Ad , quem Beza: Amice mi, inquit, habent ipſi , veram ſucceſſionem doctrinæ. Tum Miniſter: , Quomodo, ait, potes ſeiungere, ſucceſſionem , doctrinæ à ſucceſſione perſonarum? In qui, bus Capitibus erat hæc doctrina? Quinam , erant Paſtores? His interruptis à Beza, ſci, licet ne aſtantes ſcandalum paterentur, Mi, niſter ille poſt ſerium dictorum diſcuſſionẽ, , recta Lutetiam perrexit: vbi, cum alijs 76. , coram Cardinale Florentino ad Gallos Le, gato hæreſim abiurauit: Inde Romam anno , 1600. profectus, à Clemente VIII. plenam , peccatorum abſolutionem recepit.

Hæc Florimondus narrabat, clariſſimumque orbi faciebat, illum qui linguam aſinæ ad monendum Balaamum olim ſoluiſſet, etiamnum os Bezanum, ad perhibendum veritati teſtimonium aperuiſſe, qui hanc certiſſimam omnium, notam Eccleſiæ Romanæ Catholicę, volens, nolens fateretur; ſcilicet in Eccleſia Romana veram eſſe ſucceſſionem Apoſtolicã, à Chriſto, & inde à Petro vſque ad hanc diem adeoque Pontificem Romanum indeficientem eſſe. Vel hanc vnam vnicam notam S. Iræneus Martyr, omnibus antiquior Doctoribus, ſui temporis hæreticis opponebat, per hanc Tertullianus, à Catholicis hæreticos diſcernebat, & ab his, vt origines Eccleſiarum ſuarum ederent, perpetuamque ad id æui ſucceſſionem Apoſtolicorum oſtenderent, requirebat. Tertulliano ſuppar Cyprianus, eundem in Eccleſia Romana ſucceſsionem Epiſcoporum laudabat, & ad eundem lydium prouocabat. Hieronymus, paria cum ſuperioribus prædicabat. Optatus Mileuitanus, Donatiſtis iſtud ipſum fidenter proponebat: *De Dotibus Eccleſiæ*, ait, *Cathedra eſt prima, quam probauimus per Petrum noſtram eſſe. Veſtræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Eccleſiam vindicare.*

In Eccleſia Rom. vera eſt ſucceſſio Apoſt.

lib. 2.

Ibidem Mileuitanus, ab hac ipſa ſucceſſione non interrupta Pontificum Romanorum ad hanc illam ipſam ætatem, Romanam Eccleſiam, veram eſſe Chriſt Eccleſiam demonſtrabat. Auguſtinum omnium doctiſsimum, inter alia, ſucceſsio Epiſcoporum Romanorum, vt alibi recitauimus, in Eccleſia tenebat: quod argumentum Petrus à Soro Maior, in aſſertione Catholicæ fidei circa articulos Confeſsionis Vvirtembergenſis, & in defenſione Catholicæ confeſsionis, doctè vrgebat; *Si*, inquit, *Auguſtinus in epiſtola 165. triginta octo Pontificum Romanorum ſucceſſiones, & quadringentorum plus minus annorum tanti fecit; quanti nos nunc facturi ſumus ſucceſſionem continuam ducentorum & amplius quam triginta Pontificum vſque ad Paulum huius nominis Quartum, mille quingentorum & amplius annorum, de quibus & dicere poſſumus, quod Auguſtinus eo loco inquit; In hunc ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Paulum quartum, qui nunc in ea Cathedra ſedet, etiam ſi quis traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prouidens, ait de malis Præpoſitis: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere: dicunt enim & non faciunt.*

Ex non interrupta Põtificum ſucceſſione Romana Eccleſia vera eſſe Eccleſ. oſtẽditur.

Porrò in hac Pontificum Romanorum perpetua ſucceſſione, an non videre eſt certiſſimam apud Eccleſiam Romanam diuinæ aſſiſtentiæ manum? Cum enim perpetua quædam Eccleſiæ perſecutio durauerit à Nerone vſque ad Conſtantinum, non

multo

multo minus quam trecentis annis, licet nonnunquam paulò remiſsior, vel ad breue tempus intermiſſa videri poſſet: nonne igitur miranda diuina prouidentia efficacia fuit, quod in Sede Romana Satanas & Imperatores obtinere non potuerunt, vt deeſſet certa & legitima ſucceſsio? Certè, qui hæc per ſingula (vt ita dicamus) membra conſiderauerit, intuebitur miranda Dei opera. Occidebantur vno die Petrus & Paulus, & tam atrociter Nero ſæuiebat in Chriſtianos, vt ex cadaueribus interfectorum lumina continuata per aliquot noctes fuiſſe dicantur, & tamen intrepidè audet Linus locum Petri tenere, nec officio deeſſet boni Paſtoris. Afficitur ille ſupplicio vltimo, & mox ſuccedit Clemens, aut accedit potius ad periculum & victimam: atque ſic demum, omnibus illis temporibus neque defuit Cleri & populi cura, & conſtantia in eligendo Pontificem. nec in electis virtus & charitas animas ſuas ponendo pro ouibus.

Nec Satanas nec tyranni potuerũt efficere vt in Sede Rom. deeſſet certa & legitima ſucceſſio

Quæ maiora miracula ſpectare debemus quibus hæc confirmetur fides? Succedunt poſt hæc mutationes circa imperium, diuerſaque irruptiones in Italiam, & Romam, & hinc circa ipſas electiones Pontificum difficultates plurimæ ortæ ſunt, & contentiones: & inter hæc omnia non defuit hæc ſucceſſio, nec legitimi Pontifices officio ſuo defuerunt: ita vt, & ſi nonnulla aliquando fuerit turbatio: tandem ſemper illuxit diuina gratia Eccleſiæ ſuæ, qua & agnoſceretur verus Paſtor, & ipſe vel præſtaret quod ſui erat muneris, vel certè non læderet Eccleſiam. Et in hac præcipuè Sede Vicarij Chriſti, illud quod in domo Dauid, ex cuius ſucceſſione Chriſtus naſciturus erat factum legimus, videmus impleri: vt remaneat, *ait*, lucerna ſeruo meo Dauid cunctis diebus coram me in Hieruſalem ciuitate quam elegi, vt eſſet nomen meum ibi. *Multò enim iſtius dicere poſſumus, elegiſſe Chriſtum Romam, in qua ſedem ſuam collocaret, dum eam Principum Apoſtolorum ſanguine fundauit, & multorum millium nobiliſſimorum martyrum conſtantia, & meritis ædificauit.* Hæc Petrus Soto. Felicianus Ninguarda, idem argumentum aduerſus eos qui Pontificem Romanum Antichriſtum dicunt, arctius premebat, in aſſertione fidei Catholicæ art. 20.

Egregium argumentũ a continuata Pont. ſucceſſione.

Si Papa Antichriſtus eſſet appellandus, ait, ad quid Chriſtus ipſum tamdiu perſeuerare permiſit? Omnis enim plantatio, quam non plantauit Pater Cæleſtis (Matth. 25.) eradicabitur. Quare vnumquemque Pontificum mundo talem eſſe non manifeſtauit Chriſtus, & ſpiritu oris ſui non interfecit? Nam ait Apoſtolus, de ipſo Antichriſto loquens Theſſal. 2. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui. Impoſſibile nempè eſſet, quod Deus, tot, & tantos homines, Principeſque, amore, feruore, zelo erga Chriſtum affectos, Romano Pontifici (ſi talis eſſet) obedientes perire permiſiſſet, & tantam Romanorum Pontificum ſucceſſionem ſuſtinuiſſet, ſed tandem ipſis finem prorſus impoſuiſſet, quemadmodum omnibus hæreticorum ſectis, quæ diù perſeuerare non valuerunt. Quæ enim reperiri poteſt Synagoga, quæ tantam, diuturnamque ſuorum Pontificum retinuerit ſucceſsionem, quemadmodum Romana fecit Eccleſia? Fortaſsis Simonianorum, vel Ebionitarum, aut Marcioniſtarum, Manicheorum, Pelagianorum, Arianorum, aut Lutheranorum? qui Martino, illorum Deo adhuc viuente, inter ſe diuiſi, neminem in ſuperiorem recognoſcentes, diuerſas conſtituerunt factiones, vt citius eradicarentur: cum omne Regnum in ſeipſum diuiſum deſolari neceſſe ſit quod indicat, ipſorum ſectas verè Antichriſti eſſe Synagogas, & non Chriſti Eccleſiam Romanam, quæ vna eſt, ſectionem non patiens.

Paulus Guidellus Tridentinus, in conſeſſu Patrum Concilij Tridentini, veſperriliones Lutheraneos, qui Eccleſiam tot ſæculis latuiſſe blacterant, redarguens, & falſimoniæ conuincens; hanc ipſam non interruptam Pontificum Romanorum ſucceſſionem, tum oſtendebat, tum vrgebat: quod videlicet Chriſtus, non ideo myſticum corpus Eccleſiæ congregauit, vt Apoſtolis, & primis Eccleſiæ proceribus ſublatis, illud quoque eſſe ſine capite deſineret, quod Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, Romani Pontifices, priorum ſæculorum Eccleſiæ, totis 330. annis continuata ſucceſsione præfuerunt, quod ad hæc noſtra vſque tempora, à Conſtantini Imperio, quo Ieſu Chriſti imperium cœpit apertius orbi innoteſcere, omnes Orthodoxi Imperatores, Reges, & Principes Catholici, ſe Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubditos profeſſi, illam ipſam ſucceſſionem Romanorum Pontificum agnouerunt, quod portæ inferi, ſcilicet hæreſes, ſchiſmata, tyrannica intruſio & inuaſio, vincula, exilia, carceres, mortes, vitæ diſſolutio quorumdam, oppreſſiones, & impreſſiones, varia fortuna imperij, & omnia tentamenta, doli, fraudes, & machinæ Diaboli, numquam aduerſus iſtam petram ſolidam, Petrum ac Petri ſucceſſores præualuerunt.

Contra Lutheranos Eccleſiam tot ſæculis latuiſſe blacterantes.

Franciſcus Forrerius eandem perpetuam Romanorum Pontificum ſucceſsionem demonſtrabat ex illis Iſaiæ cap 59. verbis: *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui dicit Dominus, amodo vſque in ſempiternum.* Nam Eccleſia Romana eſt, quæ à tempore Apoſtolorum perpetua Pontificum ſerie, ſpiritum hunc Domini habuit. Et ob hanc promiſſionem Sancti Patres aduerſus hæreticos decertantes, perpetuam in Eccleſia Romana ſeriem Pontificum narrant, qui ſemper eundem ſenſum habuere: quod in Eccleſijs ſuis hæretici oſtendere non valent. Siquidem negare non poſſunt, aliud ſe, aliud Patres ſuos credidiſſe: neque Pontifices, qui Germaniæ Eccleſias ante quinquaginta annos gubernarunt, ſpiritum Lutheri, aut Caluini, aut Zuinglij habuiſſe. Hæc vir doctiſsimus, vt certum Orbi faceret, Pontificem Romanum indeficientem eſſe.

Rom Eccleſia eſt quæ à tempore Apoſtolorum Spiritũ Domini habuit & Pontifices ſemper eundẽ ſenſum.

Falſi illi, qui Ioannam VIII. ſeriem iſtam interrupiſſe fabulantur: indignique omnino, quorum fabulationes, iam à tota hiſtoria per Scriptores Eccleſiaſticos exploſæ, hic aut recenſeantur, aut ad cenſuram expendantur: cum nec tempus, nec locus, nec nomen, nec duratio, nec reliqua fabulæ iſtius conueniant; nec aliqui melioris notæ hiſtoricorum, qui res illius temporis ſcripſerunt, huius ſtrophæ, an ſcrophæ meminerint; omnes verò ſint perpetui, in aſſerenda perpetua ſucceſsione, Petri, in Romana Cathedra ſucceſſorum: quorum, & fides numquam defecit; & charitas, atque vigilantia Paſtoralis, in confirmandis fratribus, paſcendiſque ouibus commiſsis, gregi Chriſtiano ſemper adfuit: à quorum ſtu-

Fabula de Ioanna exploditur.

dio

dio indefeſſo , cultus dæmonum eliminatus , feralis ſuperſtitio propulſata , parricidalis idolomania profligata , barbarici ritus moſque propudioſus antiquatus , caligo errorum diſcuſſa , lumen veritatis illatum , vnius ſummi boni ſcientia introducta, Sacrorum & Sacramentorum maxima charyſmata deriuata , ſanctitatis ſtudium inſtitutum , virginitatis , & caſtitatis flores inſerti , perfectionis virtutum ſumma propoſita, doctrinæ omniuariæ illuſtratæ , humanitas poſtliminio renoeata , adminiſtrandæ publicæ ac priuatæ rei forma præſcripta , communio Sanctorum qua Orbis patet diffuſa , Imperium Chriſtianorum amplificatum , diſciplina ſeuerior reſtituta , iuſtitia & pax florentiſsima addita, & omnia felicitatis humanæ ornamenta aut quęſita , aut ſeruata , aut ampliſsimis acceſsionibus cumulata : vnde vnius diei puriſsimus cultus , incredibilis animorum in fide ac doctrina conſenſio , Sanctitatis ingens deſiderium . Innumerabilis Sanctorum vtriuſque ſexus multitudo , Sanctiſsimi viri virginitatis puriſsimæ integerrimi cuſtodes , ijdemque aut Reges , aut Regum filij : innumeri Sanctarum virginum chori , Virgines ſanctimonia , ſimul doctrina , ſcriptiſque editis præſtantes , Virgines ac mulieres prophetiæ dono admirabiles , fœminæ ordinum Religioſorum inſtitutrices : Reginæ , Regumue aut Imperatorum Sorores ac filiæ , eorundem ordinum auctrices : Reges , ac Reginæ , & alij qui numerari non poſſunt , martyres : Pontifices , Imperatores , Imperatrices , Reges , Reginæ , & alij ſanctitate aut doctrina Illuſtriſsimi , Cultus Chriſtiani amplificatores , Religionum Conditores , Theologi Eminentiſsimi , Doctores acutiſsimi, Philoſophi doctiſsimi, Concionatores eloquentiſsimi, Rerumpublicarum adminiſtratores prudentiſsimi : Templa & Monaſteria ampliſsima ædificata, ornata , ditata : Academiæ erectæ: ſcholæ inſtitutæ: Studia artium & linguarum, & omnium diſciplinarum : publicæ locupletiſsimæque Bibliothecæ : vrbes ad elegantiam & tutelam reductæ : inundationes gentium repreſſæ , Imperium clementia temperatum , Maieſtas Imperatorum aucta , nobilitatis ſtemmata multiplicata , concordia diuerſarum Gentium ſtabilita , libertas hominum vindicata , feritas ſublata , humanitas adducta, vita in tuto magis collocata : affluentia bonorum quæ deſiderari poſſunt , à pacis & iuſtitiæ cultu opima : ſi quando , certè PAVLI QVINTI BVRGHESIJ Pontificio , in cuius temporum fęlicitate , merito alumnis Eccleſiæ illud ex Iſaia renunciauerim : *Lætamini cum Hieruſalem* ſcilicet Eccleſia Catholica , *& exultate in ea omnes , qui diligitis eam : gaudete cum ea gaudio vniuerſi , qui lugetis ſuper eam , vt ſugatis , & repleamini ab vbere conſolationis eius, vt mulgeatis , & delitijs affluatis ab omnimoda gloria eius,* quæ illi à cura PAVLI Pontificis Optimi Maximi profluit , in cuius diebus quoque , orta eſt iuſtitia , & abundantia pacis , & qui noſtra hac ætate , ſuperiorum omnium melioris notæ Pontificum epithome .

Pontificum Rom. elogia.

F I N I S.

ABRAHAM MARONITA,
PATRIA ECCHELLENSIS,

In Biblienſi Diœceſi Montis Libani, Romam profectus Philoſophicis, ac Theologicis ibidem incumbens Studijs, primum eruditionis ſpecimen oſtendit, Syriacam Grammaticam edendo, quæ in hodiernum vſque diem ab huis idiomatis ſtudioſis præcunctis acceptatur in vſum. Hinc in Patriam redux, Emir Druſorum Principi, qui totam penè Syriam Armorum vi, ab Ottomanico diuellerat Imperio, charus, quià naturalem Philoſophiam ſatis callebat, eiuſdem ſuaſu ex Italico in Arabicum tranſtulit Idioma, Matioli Bottanicam, quo Principis amicitiam adeptus: Ferdinando Mediceo Magno Etruriæ Duci de conſulendo in Turcas validiori bello Orator mittitur; interim per inſidias hoſtium, capto interfectoque Emiro, à Magno Etruriæ Duce, in Piſarum Academia, Orientalibus Idiomatibus publicè edocendis deſignatur; ad idem poſtmodum munus in Vrbe exercendum, ab VRBANO VIII. Pontifice Maximo accerſitur; Hinc Pariſios Pontificis permiſſu migrans à Ludouico XIII. Galliarum Rege deſideratus, Regiæ Bibliæ Septem Linguarum perficiendæ deſtinatur, eiuſque in gratiam, teſtante Carolo Tugliante in ſua Cronologia Cathedram Orientalium linguarum Sorbonæ ab eo moderandam erexit, vbi multas elaborauit verſiones ex Arabico in Latinum Sermonem, luci poſteà editas, eæque ſunt.

Synopſis propoſitionum Sapientiæ Arabum Philoſophorum;
Concilij Niceni præfatio cum titulis, ac argumentis Canonum, & Conſtitutionum eiuſdem, quæ hactenus apud Nationes Orientales cum notis extant.
Sancti Antonij Magni Monachorum omnium parentis, Epiſtolæ viginti due.
Epiſtolæ duæ Apologeticæ ad Valerianum de Flauignis.
Semita Sapientiæ, ſiue ad Scientias Comparandas Methodus.
Chronicon Orientale cui acceſſit eiuſdem Abrahami ſupplementum;

Quod opus inſertum habetur in Hiſtoria Bizantina. *D. Ephrem Carmen de Chriſti Natiuitate; eiuſdem dialogus B. Virginis Mariæ, cum Magis. Sancti Antonij Abbatis Regula, Sermones, Documenta, Admonitiones, & Vita.* Inſtante Leopoldo Mediceo poſteà Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, ex Arabo in Latinum vertit Sermonem *lib. V. VI. VII. Conicorum Appollonij Pergei.* Quod Opus ſimul *cum interpretatione Aſſumptorum Archimedis*, publicæ commiſſum eſt vtilitati. Ex Arabicis in Latinas tranſtulit voces *Concilij Niceni Canones cum notis*, eſtatque opus hoc in Corpore nouiſſimo Conciliorum Pariſijs impreſſo tom. 2. Librum quoque ſcripſit cui titulus Eutichius Alexandrinus vindicatus, & De ORIGINE NOMINIS PAPÆ, EIVSQVE PRIMATV, qui typis Collegij Propagandæ Fidei, Romæ datus eſt anno 1661. ex cuius operis ſecunda parte ſequentia, quæ eruditè tractauit ad rem noſtram exponimus excerpta, ommiſſa penitùs prima parte in qua agit Author de Alexandrinæ Eccleſiæ Originibus.

DE ORIGINE NOMINIS PAPÆ, NEC NON DE ILLIVS PROPRIETATE
IN ROMANO PONTIFICE
ADEOQVE DE EIVSDEM PRIMATV.

CONTRA IOANNEM SCHELDENVM ANGLVM

PARS ALTERA,

Omnia ex Orientalium excerpta Monumentis.

PRÆFATIO OPERIS.

CVM multas, variaſque, Amice Lector, cùm publicis, tum priuatis de cauſis Theatri huius humani, quà mari, quà terra, longè lateque diſsitas peragraſſem plagas, atque perluſtraſſem; minimè quidem omnium mihi defuit indita illa mortalium animis curioſitas, & cupido percontandi variarum gentium naturas, mores, leges ſtatuta, & quod caput eſt, cui vnaqueque gens religioni addicatur; quæ profiteatur dogmata: quas cæremonias, quemque Deo Optimo Maximo exhibeat cultum; & quæ iuſta, ac debita præbeat illi obſequia. Cumque diù multumque hæc

omnia

omnia apud me ſæpiùs penſitaſſem, atque contuliſſem inter ſeſe, nullam profectò nactus ſum prouinciam, nationem vllam, aut gentem, quæ falſa aliquandò veris, & profana ſacris non immiſcuerit. At proh dolor! proh nefas! nulla certè gens, nullus populus, nulla natio, barbara quamuis, nulla ætas, aut hominum memoria, nulla prouincia, regio nulla, nullumque regnum tantam vnquam hæreſum copiam, tantam ſectarum varietatem, tot tantaſque diſsidentes opiniones, tantam blaſphemiarum colluuiem, tantam hominum impudentiam, effrenatamque animi libidinem, quantam Patrum noſtrorum memoria vnus protulit Aquilo tam improba feracitate, ac luxuriæ; & heu calamitatem! heu miſeriam! adhuc in noſtrum ſeruat caput, in noſtram perniciem, adhuc fouet, adhuc lactat, adhuc luxuriatur.

Mirabatur olim D. Hieronymus, vnum Vigilantium ex Gallia prodijſſe tamquàm monſtrum horrendum, atque inuiſum. At quos clamores, ſodes, quos eiulatus ingeminaſſet, quaſque profudiſſet lacrymas, ſi tot horrenda monſtra, & quidem longè immaniora, & crudeliora paſsim obuia vidiſſet; quæ inſtar Africanarum ferarum (vt de Copronymo affirmauit olim Zonaras) ex diuerſi generis coitu multiformi, confuſaque ſpecie, & immanitate naſci perhibentur? Etenim ſi copiam ſpectes, & varietatem, tanta eſt hæc pluſquàm Babylonica confuſio, vt nemo vel ſibi conſtet; totque ſententiæ ſunt, totque opiniones, quot capita; tot Pſeudochriſti, quot Hæreſiarchæ, imò quot Hæretici; tot Pſeudoſpiritus Sancti, non profectò quot Sectariorum Adminiſtri, ſed quot homunculi, quot fæmellæ, quot deliri ſenes, quot garrulæ anus. Tot Scripturæ tandem, tot Leges, quot vnicuique ſuppetit animi libido. Vndè confuſionis huius Nembrod, & author Lutherus in Epiſt. ad Antuerpienſes dicere coactus fuit: *Tot inter Nos religiones ſunt, quot homines, neque aſinorum quiſquam eſt tam hebes, & vecors, qui inſomnia proprij capitis, & propriam opinionem pro inſtinctu Spiritus Sancti, & ſeipſum prophetam haberi nolit.*

Hinc litigandi, ſcribendi, declamandi, diſputandi, condemnandi, excommunicandi, & dilacerandi, Inter Sectarios iſtos nullus eſt finis, aut futurum ſperant, vti conqueritur Ioannes Iezlerus Zuinglio-caluiniſta lib. de diuturnit. belli Euch. & ex eodem grege Schluſſelburgius in prœmio Theolog. Caluin. hiſce verbis: *Nec ſpes vlla concordiæ ineundæ olim affulgebit miſeris, donec magnus dies Domini interuenerit, liteſque diremerit.*

Nec arbitretur quiſquam, hanc pugnam gladiatoriam, hæcque diſsidia verſari inter Hæreſiarchas tantùm, & ipſos ſectarum Coriphæos, quodque duntaxat:

Frigida pugnabunt calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Nimirum (vti refert P. Henricus Fitz Simon lib. 2. Britannomachiæ Miniſtrorum ex lepidiſſima interpretatione cuiuſdam doctiſsimi viri) frigidi Formaliſtæ impugnant alternis vicibus calidos Puritanos: Humentes Anabaptiſtæ, ſiccos, arenteſque pari viciſsitudine proſequuntur nuperos Arianos. Molles Lutherani, duros, rigidoſque Lutheranos mutuùm exagitant. Phantaſtici ſine pondere Figuraliſtæ lutei, plumbeique ponderis Realiſtas, reciproca ſimultate conficiunt, verum iure, & concordiſsimè, hoc quod ſpectat, ſinguli occinunt.

Cædimur, & totidem plagis conſumimus hoſtem.

Imò non ſolùm hoſtis in hoſtem irruit, & iugulat; ſed quod longè crudelius eſt, & impietate horrendum.

Ecce patrem nati perimunt, natoſque parentes,
Mutuaque armati coëunt in vulnera fratres.

Vndè hos hominum deſignaſſe digito dixeris apud Iſa. cap. 19. aientem; *Concurrere faciam Aegyptios aduersùs Aegyptios, & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, ciuitas aduersùs ciuitatem, regnum aduersùs regnum, & dirumpetur Spiritus Aegypti in viſceribus eius, & conſilium eius præcipitabo.*

Porrò adhuc miſerabilior horum conditio eſt, & vberioribus deploranda lacrymis. Etenim non ſolùm diſsident inter ſeſe ſinguli, & primæuum illud Eccleſiæ purum labium, & ſermonem ita confundunt, vt nemo vocem proximi ſui audiat: verumetiam Lutherus à Luthero, Caluinus à Caluino, Zuinglius à Zuinglio ita diſcrepat in horas, & momenta, vt neſciat quid velit, aut quorsùm. Qua autem de re audiendus eſt qui in Caluini verba iurauit Theodorus Beza in Epiſt. Theologicis, Epiſt. 1. ad Andream Duditium: *Exercuerunt me diu*, inquit, *& multùm illæ ipſæ, quas deſcribis cogitationes, ſcilicet noſtros palantes omni doctrinæ vento, & in altum ſublatos, modò ad hanc, modò ad illam partem deferri. Horum quæ ſit hodiè de Religione ſententia ſcire fortaſſe poſsis, ſed quæ cras de eadem futura ſit opinio, neque tu certò affirmare queas. In quo tandem Religionis capite congruunt inter ſe Eccleſiæ, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad calcem ſi percurras omnia, nihil propemodùm reperias ab vno affirmari, quod alter ſtatim non impium eſſe clamitet.*

Et Sutcleffius eiuſdem farinæ author in Reſp. ad calumn. *Ea eſt*, inquit, *horum Monomachia, vt neque in Conſiſtorij ſui inſtitutione, eiuſque partibus, authoritate, aut officio ſaltem bini eorum conſentiant, neque aliquando conſenſuros probabile eſt, cum ita contendant, vt neſciant quid velint, aut quorsùm.*

Tot diſſidiorum, & diuortiorum rationem reddit Eduinus Sandes euſdem perſuaſionis homo in Relat. ſtatus Relig. §. 44. & 82. in hæc verba: *Romani pro communi parente, admonitore, & duce habent Pontificem ad lites dirimendas, ad controuerſias ſopiendas, ad Religionem ſuam Conciliorum conſenſu vniformiter temperandum &c. E contra verò Proteſtantes ſunt veluti factiones diſperſæ, palantes greges, trahentes ſinguli animos diuerſos ſine omni ad iurgia componenda, ad repugnantias tollendas, ad animos conciliandos præſidio. [Nullus eſt princeps ſupra reliquos iuriſdictionis prærogatiua præeminens: Nullus Patriarcha, ne vnus quidem cum ſuperioris poteſtate, aut cura ad Eccleſiarum diſiunctarum conſenſionem conciliandam: Nulla ad Synodos indicendas, quæ vnica ſpes*

con-

concordiæ ineundæ, & quas optimi quique obnixè ſuſpirant, ratio ſupereſt, omnis inter illos Eccleſia diuerſa forma, & norma agendi, diuerſa liturgia, denique diuerſa opinionum ſententia vtitur.

Idem proſequitur argumentum Schluſſelburgius in catalogo Hæreticorum lib. 13. *Quis enim*, inquit, *noſtrum ſibi arrogabit, vt locum habendo Concilio conſtituat, diem dicat, variarum nationum Theologos euocet? & quis in ipſa Synodo præſidebit? porrò quis iudex erit inter litigantes?*

Planum itaque, ac conſtans eſt ipſa aduerſariorum confeſſione, hæc diſſidia, hanc Monomachiam, hanc deploratam concordiæ ineundæ ſpem inter ipſos Proteſtantes ex eo prouenire, quod communi careant parente, admonitore, duce, ac Pontifice ſummo, qui factiones diſperſas congreget, palantes greges ad ouile reducat, iurgia componat, repugnantias tollat, animos conciliet, indicet Synodos, & ſingulos in ordinem cogat.

Quod ſanè optimè animaduertentes viri ſapientiſsimi pariter, & auitæ Religionis Catholicæ ſtudio addictiſsimi, ſatis ſuperque in hac prouincia excolenda deſudarunt, in aſſerenda Summi Pontificis ſuprema authoritate, omnem nauauerunt operam, ac ſtudium, in hoc argumento demonſtrando omnes intenderunt neruos, & vires, vt nihil propemodùm poſteris Catholicis relictum ſit in hoc argumenti genere elucubrandum, Aduerſarijs nihil hæſitandum.

Contra verò agnoſcens humani generis hoſtis hinc pendere rerum omniumm ſummam, & momentum, necnon quaſcumque difficultates, & diſsidia, atque pugnam illam gladiatoriam facilè inde dirimi, ſi ſcilicet controuerſiarum iudex ſtatuatur Romanus Pontifex; ſyncretiſmum inter diſsidentes iniuit, ac totam Proteſtantium aciem iſthuc conuertit. Nam quamuis in nullo ferè Religionis articulo conueniant inter ſe Proteſtantes, nec etiam in ipſis adiaphoris rebus, in hoc tamen vno, nempè in Romani Pontificis expugnanda authoritate, illumque ex Pontificatus apice, & Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ ſpecula deturbando, atque deijciendo, ſi per vires liceret, omnes eò collimant, conueniunt, conſpirant, fremunt, dira moliuntur, dira minitantur, conclamantes: *Quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hæreditas in filio Iſai?*

Hic mentem ſubijt, quod legeram olim in vita Pauli cuiuſdam Monachi ſanctimoniæ nota inter Syros celeberrimi. Huic Diabolum apparuiſſe fertur, dum preces Deo funderet pro ſceleſtiſsimis quibuſdam hominibus, & nè pro eis Deum precibus fruſtra ſollicitaret, admonuit Diabolus, quia completa iam erat eorum iniquitas. Monachus de multis, varijſque rebus Diabolum ſciſcitatur, ac inter cætera interrogat illum, an concordes ſint inter ſe Diaboli, & conſentientes? Cui ille: Nulla profectò intercedit inter Diabolos concordia, niſi cùm in alicuius perniciem, & caput conſpiratur, & coniuratur, tunc enim maxima eſt conſenſio, & concordia.

Eadem prorsùs ratione noſtri temporis Nouatores, & Sectarij in hoc vno tantummodò, vt mox diximus, conueniunt, ſuntque concordes, ſcilicet in Romani Pontificis Sacerdotio, & Primatu impugnando, & labefactando. An mirum id ſit? nequaquam, cùm pro Principe, ac Deo habeant omnium diſcordiarum parentem, ſcilicet Diabolum, qui veluti captiuos illos tenet, vti diſſertiſsimis fatetur verbis eorum Coriphæus Martinus Luther. tom. 3. Germ. Ien. fol. 243. §. 2. vbi *Nos*, inquit, *à Diabolo captiuos teneri veluti à Principe, ac Deo noſtro, vt cogamur facere, quicquid ipſe vult, nobiſque inſpirat.* Nec id ſat fuit, ſed & Diabolum inuocare non horruit ille, qui Angelorum, Sanctorumque inuocationem tamquàm Idololatricam habuit. *Sancte Sathan*) inquit in Colloquijs fol. 5. 18. 124. & alibi) *ora pro nobis: minimè tamen contra te peccauimus clementiſſime Diabole.*

Ac primùm quidem fecit Lutherus (teſte Staniſlao Hoſio Epiſcopo Varmienſi lib. 1. Confutationis Prolegom. Brentij) quod eſt Hæreticis omnibus commune, vt Romani Pontificis authoritatem labefactare, & eum in ordinem cogere conaretur. In hunc rabiem ſuam conuertit omnem, ſummaque contentione perficere conatus eſt, vt plurimorum ab eo voluntates alienaret, & eum in ordinem redigeret: quò ſic gubernatore ſublato, vt ait Cyprianus lib. 1. Epiſt. 3. atrociùs atque violentiùs circa Eccleſiæ naufragia ſibi graſsari liceret. Itaque facinus ingens aggreſſus, omnes Pontificij iuris libros cum pleriſque literis Pontificijs, vulgò Bullas vocant, incendit. Nec ita multò poſt librum ſcripſit de captiuitate Babylonica, in quo nè Sacramentis quidem intactis, ſursùm, ac deorſum miſcere omnia conatus eſt. Itaque non iam ille ſcribendis deinceps libris quid eſſet, aut quid non eſſet cum pietate coniunctum; incommodare Papatui maximè poſſet, ſpectandum eſſe putauit: vt quicquid diceret, quidquid faceret, omnia in odium, & deſpectum Papæ, Conciliorum, & Epiſcoporum faceret. Fatetur hoc adeò ipſe in quadam Epiſt. ad Argentinenſes, ad quos in hæc verba ſcripſit: *Hoc diffiteri*, inquit, *nec poſſum nec volo, quod ſi Carolo ſtadius, aut alius quiſpiam ante quinquennium perſuadere mihi potuiſſet, in Sacramento præter panem, & vinum eſſe nihil, ille magno beneficio me ſibi deuinxiſſet: grauibus enim curis anxius in hac excutienda materia multùm deſudabam, omnibus neruis extenſis me obſtricare, & expedire conatus ſum, cùm probè perſpiciebam, hac de re Papatui valdè me incommodare poſſe.* Nonnè hic apertè confitetur ipſe, peregrina ſua doctrina populo inculcanda non hoc ſe ſpectaſſe, vt Chriſti gloriam propagaret, vtque veritatem illius patefaceret, ſed vt odio ipſe erga Papam excæcatus, eodem illius odio cæteros inſtammaret? Tanta autem fuit mens illius infuſcata maleuolentia, Chriſtum vt præſentem in Euchariſtia libenter fuerit negaturus, dummodò per hanc occaſionem incommodare Papatui potuiſſet.

Cùm itaque in omnibus dictis, ſcriptis, factiſque ſuis, non alios, quam iram, & odium peſſimos conſultores adhibuerit, erit adhuc quiſquam, qui dubitet, quæcumque ab eo profecta ſunt, aliundè quàm à Diabolo profecta eſſe? Si quis eſt huiuſmodi, tollet illi dubitationem hanc Lutherus ipſe, qui in libro, quem inſcripſit, *De Miſſa Angulari*, quem habuerit authorem doctrinæ ſuæ, non obſcurè fert. Inducit enim ibi Diabolum ſecum diſputantem, ac fortiora contra Miſſam argumenta proferentem, quàm quæ refelli à ſe potuerint. Cuius etiam vocem

inibi deſcribit, quòd ea grauis, & robuſta ſit, tamque terribiliter inſonet, vt vſu quandoque eueniat, quòd poſt collationem cum Dæmone nocturnam, homines poſtridiè manè mortui reperiantur: nam & corpus, inquit ipſe Lutherus, occidere poteſt, deindè verò animam ita reddit anxiam, vt in vno momento quandoque neceſſe habeat è corpore migrare. Quod ſępè ſibi quoque ipſi propemodùm accidiſſe ſcribit Lutherus. Quin & accidit ad extremum. Nam qui veſpere benè potus erat, & hilaris, poſtridie manè repertus eſt in lecto mortuus, cùm totos annos vndetriginta magnos in Eccleſia Dei motus excitaſſet. Atque hoc eſt illud, quod adeò magnificè prædicatur à quibuſdam Dei verbum, & Euangelium non à Chriſto, ſed ab authore Sathana profectum, ſicut ipſe fatetur, qui primus id in lucem edidit Lutherus. Nam ab eo ſibi gloriatur argumenta eſſe ſuppeditata, quibus & Sacerdotium, & Sacrificium euerteret, Quibus euerſis, quid aliud, quam Deus ipſe ſublatus è medio, vel ſaltem in ordinem coactus eſſe videtur? Nam vbi nullum Sacerdotium, nullum eſt Sacrificium, ibi conſequens eſt, nullum etiam Deum agnoſci.

Hiſce itaque iiſdem Sectarum parentis, & authoris inſiſtens Seldenus veſtigijs in eiuſmodi concordiæ, & ſyncretiſmi genere, verborum Eutychij Alexandrini enarrantis hiſtoriam originis huius nominis, *Papa*, euertit ſeriem, ſenſum peruertit, & omnia ſuſque deque habuit. Siquidem affirmatiua negatiuè eſt interpretatus, ea addendo etiam authoris enarrationi, quorum nec vola inibi extat, nec veſtigium. Cuius quidem euerſionis, peruerſionis, & additionis ipſi inimici noſtri (religionem quod attinet) ſint iudices: non eſt enim Deus noſter, vt Dij eorum. Dicant, quæſo, ingenuè, ferantque ſententiam bini illi Angli doctiſſimi, & linguarum Orientalium periti ſſimi, Odoardus Pokoc, & Ioannes Grauius, an ſcilicet ea Eutychij verba vllo modo habere, aut admittere poſſint eum ſenſum, quem tribuit eis Seldenus? Proferat quoque è ſua pera Orientali ſuum iudicium vir ille ventoſiſſimus, & vaniſſimus iactator aduerſùs Catholicos, Ioannes Henricus Hottingerus Tigurinus linguarum Orientalium in patria profeſſor. Deus bone! quæ, quantaque in nos iactat iſte verba! & ea quidem accommodata ad idem genus nequitiæ, & arrogantiæ ſui parentis, & authoris. Sed ad calcem huius operis, Deo, noſtris conatibus & ſtudijs fauente, vapulabit, & meritas pro tanto ſcelere & auſu referet pœnas. In ea quippe Hiſtoria, in qua nos impetit hoſtilibus, improbiſſimis, & ſuperbiſſimis verbis, nullum ferè teſtimonium, vel authoritatem ex Orientalium monumentis productam legere eſt, in qua non cubet, aut mendum craſſa ignorantia notandum, aut mala fide aliquid verſum, & adulteratum.

Portò Seldenum noſtrum quod attinet, certiſſimum eſt, eò collimaſſe in hoc Opere ſcribendo, quò omnes noſtri temporis Nouatores, cuiuſque ſint generis, perſuaſionis, aut fatinæ; ſcilicet, fortem priùs alligandum eſſe, tum vaſa domus illius diripienda.

Hinc profectò nullo alio quidem fine, aut ſcopo, & mente inficiati ſunt tam impudenter, & ænea fronte contra apertiſſima Scripturarum verba (quamuis nihil aliud crepant, quàm Scripturas) Petrum fuiſſe primum Apoſtolorum. Ex quo ea Matth. 10. 5. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc primus Simon, qui dicitur Petrus*: additionis arguere non puduit Bezam in eo Matthæi loco ſcribentem: *Quid ſi hoc vocabulum* (primus) *ab aliquo additum eſt, qui Petri Primatum vellet ſtabilire*. Item illa Matthæi 16. 18. verba: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, hac ineptiſſima commentatus eſt interpretatione Lutherus Tom: 5. fol. 26. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, hac ineptiſſima commentatus eſt interpretatione Lutherus Tom. 5. fol. 26. *Super hanc, ideſt ſuper me, non ſuper te*. Ineptiùs quoque Zuinglius de vera, & falſa religione cap. de clauibus: *Ego*, inquit, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, non ſuper te, nam tu petra non es*.

Præterea, Petrum numquàm fuiſſe Romæ, contra omnium Gentium Hiſtoriographorum perennem conſenſum impudenter contendunt, eo duntaxat nomine, mente, & ſcopo, vt eiuſdem D. Petri Succeſſoris omne infirment, & labefactent auctoritatis pondus, & momentum. At audiant ita blatrantes contra vniuerſalem, ac perpetuum omnium populorum conſenſum, Iacobum Arminium hominem primariæ claſſis inter Nouatores, diſput. priuat. theſ. 13. de obiecto Chriſtianæ Religionis num. 14. ita diſſerentem: *Accedit denique*, inquit, *perpetuus, & vniuerſalis omnium populorum conſenſus, qui inſtar legis, imò Oraculi diuini habendus eſt*. Et oratione 3. de certitudine Sacroſanctæ Theologiæ: *negare miracula quæ Gentilium, & Iudæorum teſtimonia habent, manifeſtæ impudentiæ eſt, & execrandi ſtuporis*.

Quò magis ergo manifeſtæ impudentiæ, & execrandi ſtuporis erit, negare vnanimem Iudæorum, Samaritarum, Mahometanorum, ac vtriuſque Orbis Chriſtianorum Nationum conſenſum, quæ vnico fatentur ore, Petrum, & Romam profectum fuiſſe, & Pontificiam fundaſſe dignitatem, ac ſuum ibi obijſſe diem? Hoc idem argumenti genus plurimi facit, & inculcat Anonymus ille Mahometanus Auctor Epiſtolæ, *De Collatione trium Prophetarum*; ſcilicet Moyſis, Chriſti, & Mahometi, qui ſic habet . . . . Id eſt: *Primum quidem argumentum (ſeu propoſitio) continuata confirmatur traditione, quæ eſt plurimarum gentium narrationes, quarum conſenſus in mendacium impoſsibilis eſt*.

Cuiuſmodi eſt conſenſus Chriſtianorum, & Iudæorum de Sacrarum Scripturarum veritate. Etenim cordatus nemo, ac ſanæ mentis ſibi perſuadere facilè poterit, ambas has nationes conuenire poſſe ad ſacras paginas corrumpendas, atque adulterandas. Quò minùs ergo tot nationes tam diſſitis diſtinctæ locis, & regionibus, tot fidei, religionis, & perſuaſionis diſcrepantes, atque abhorrentes principijs, & articulis præſtare, aut efficere ſimile quicquam poterunt? Nugæ ergo, nugæ ſunt, quæ iactantur ab Hæreticis, ac noſtri temporis Nouatoribus contra Diui Petri Sedem, contra eius Succeſſorum dignitatem, auctoritatem, maieſtatemque aduerſùs tot gentium conſenſum vnanimem.

Sed

Sed vndè, quæſo, hæ nugæ, & ineptiæ ergaſtulo dignæ potiùs, quàm cordato homine? Vnde? *Doctor Martinus Luther* (tom. 4. Germ. Witt. Anno 1551. fol. 475.) *vult ſic habere, & dicit Papiſtam, & Aſinum eſſe rem vnam*. Probationem, & rationem ſtatim ſubdit hiſce verbis: *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas*. Ex intimo igitur concepto odio in Romanum Pontificem proceſſere hæ nugæ? planè ex intimo concepto odio, & animi inſana libidine.

Ex qua autem inſana inſani magiſtri doctrina quos miros legerunt diſcipuli, & aſſeclæ fructus, quoſque fecerunt progreſſus, ab ipſis diſcere iuuat. Andræas Muſculus inſignis inter reformatos, & nouos Euangelicos Scriptor Conc. 1. Aduent. *Si quis videre volet*, inquit, *ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impoſtorum, fœneratorum: ciuitatem aliquam adeat, in qua Euangelium purè prædicatur, cateruatim tales ibi reperiet*. Idem lib. de nouiſſimo die: *Hoc de nobis Euangelicis teſtari cogimur; magis quàm nos guloſos, ſcortationibus, vſuris, circumuentionibus, fraudibuſque deditos in toto iam Mundo nuſquam reperiri*.

Mennon lib. de Chriſtiana fide, cap. de fide mulieris Chananææ: *Si ad prædicantes veneris*, inquit, *qui de verbo Dei gloriantur, inuenies quoſdam apertè mendaces, quoſdam ebrioſos, & vinolentos, quoſdam fornicarios, & fœneratores, quoſdam ſuperbos, & faſtuoſos tum habitu, tum geſtu, quoſdam calumniatores, & conuitiatores, quoſdam perſecutores, & proditores innocentium. Quo iure etiam ac fide nonnulli matrimonia contraxerint, cuiuſque notæ vxores habeant, Domino, ac ipſis concedo. Agunt inertem, ac ignauam vitam, aluntur meris ſeditionibus, & blanditijs ex Antichriſti prædis, & rapinis. Tantum docent, quantum ventri dedito Magiſtratui placet, quantumque ille iuſſerit.*

Kingus Londinenſis Pſeudoepiſcopus ſuper Ionam ſect. 32. *Operibus*, inquit, *& fructibus pœnitentiæ tam ſumus nos peregrini, vt vix ſciamus, quid pœnitentia ſignificet. Adeoque procul abeſt, vt ſimus veri Iſraelitæ cum Nathanaële, aut ex parte Chriſtiani cum Agrippa, vt potiùs conuincamur perfecti Athei. Et quod Tullius inter naturæ portenta retulit, in quadam regione cœnum ſiccitate, & pluuia pulueres cauſari, in nos verè conuerti queat, quibus abundantia gratiæ peperit abundantiam peccati. E ſicut aliqui ex lege arripuerunt occaſionem maioris nequitię, ſic nunquam inter nos fuiſſet iniquitas ita luxurioſa, niſi ex luxuriante, ſeu redundante Euangelio.*

Caluinus Tract. de Scandalis, Geneuenſium, eorumque Miniſtrorum facinora in hæc celebrat verba: *Quidam miri ſunt ad captandum artifices. Humaniter excepti, ſpoliatis hoſpitibus fuga dilabuntur. Alij ancillas ad flagitium pelliciunt, ipſaſque ſine ſcrupulo coniuges ſollicitant. Alij mutuò petunt, quantum valeant, quod nunquàm reddituri ſunt. Alij depoſita ſibi vſurpant. Ipſimet Paſtores turpiſſimæ ſunt nequitiæ, vel malorum aliorum exempla. Et tales ſcilicet in contemptu ſe eſſe apud plebem, aut etiam ludibrij cauſa digito demonſtrari querunt. Ego verò potiùs miror vulgi patientiam, quòd non eos luto, & ſtercoribus, mulieres, & pueri, operiant.*

Sed qui fieri poteſt, vt aliter viuent, qui id præcepti à ſuo habent magiſtro, & Coripheo Luthero in Colloq. de peccatis edito Isleb. fol 130. his concepti verbis: *Blaſphemias, parricidia, contemptum Dei, adulteria confidenter committant, & non aliter ſint veri, & germani ſancti, quàm vt fortibus, & atrocibus peccatis obnoxij.*

Et quidem, vt quæcunque aggrediantur confidentiùs facinora, ac ſcelera patrare audeant, hanc ſtatuit illis regulam explicandarum, & intelligendarum Scripturarum in Com. Pſal. 5. *Hæc tibi norma*, inquit, *& regula eſto, quam in Scripturis ſacris intelligendis ſequaris: Vbicunque Scriptura iubet bona opera facere, tu id ſic intelligas, quòd Scriptura prohibeat bona opera facere.*

Videtis ergo, inquit D. Auguſtinus tom. 6. con. Fauſt lib 32. cap. 19. *id vos agere, vt omnis de medio Scripturarum auferatur authoritas, & quique animus author ſit, quid in vnaquaque Scriptura probet: ideſt vt non authoritati Scripturarum ſubijciatur ad fidem, ſed ſibi Scrpturas ipſe ſubijciat, non vt ideò illi placeat aliquid, quia hoc in ſublimi authoritate ſcriptum legitur; ſed ideò rectè ſcriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis Anima miſera?* Rectè igitur, ac præclarè à fructibus eorum ſunt cognoſcendi, quia non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Quamobrem id Epheſiorum Plebiſcitum, *Nemo de nobis vir bonus videatur, ſed ſi quis extiterit, alibi, & apud alios eſto*, ſuæ ſynagogæ valuis, & affixiſſe ſtudioſè ac religioſè obſeruaſſe videntur.

Hæc hæc eſt latiſſima illa porta: hæc hæc eſt ſpatioſiſſima illa vita, per quas infinitas mortalium turbas tartara demiſit Nouatorum præcurſor Mahometus, & Arabum Pſeudopropheta. Id planè profectò inculcat Elias Epiſcopus Niſibenſis in Epiſt. ad Abilhala Sahedum, in cuius ſeſſ. 4. diſceptat cum Aluaziro Abilcaſem Mahometano pro confirmatione Chriſtianæ religionis ex ipſa ratione, lumine intellectus, & miraculis, vbi duas affert cauſas, ob quas homines vt plurimùm induci ſolent ad falſas, inſanaſque religiones amplectendas, quæ ſunt commodum ſcilicet, & timor............Ideſt: *Vtique deprehendi, neminem de religione ad aliam migrare religionem, niſi duabus de cauſis, nempè vel ob commodum aliquod, ſiue cupiditatem, & auiditatem, vel ob timorem. Ob commodum ſeu auiditatem, vti ſunt dignitates, fortunæ, munera, permiſſio voluptatum, tranſitus ab arduis ad faciliora, & eiuſmodi, quæ anima expetit.*

Quoniam autem Orientalium nomine, & auctoritate ſuas haſce impietates fucare bellè nituntur Nouatores, operæ pretium nobis viſum eſt, eorum tam leuoria, & hebetiora retundere tela, ac Orientalem ſcriptorem ſuis reſtituere Orientalibus, & à tanta vindicare calumnia. Ne verò pergant vlteriùs ſimplicibus imponere, Romanique Pontificis falſo nomine dilacerare exiſtimationem, auctoritatemque fallacijs labefactare, totam controuerſiam de eius Primatu, & quæ eò ſpectant proſequi duximus.

Porrò in hac palæſtra adhuc me deſudantem interpellauit nonnemo dicens: Quorsùm hæc toties recocta crambe in tot ſapientiſſimorum Scriptorum opuſculis, controuerſijs? & quorsùm hic battariſmus?

Verum is narrat; ſed nos ita hanc condiemus, vt verè Plautinianum illud nos vſurpaſſe diceres:

Ibo intrò, vt quod alius condiuit coquus, ego
nunc viciſsim,
vt alio pacto condiam.

Nartat quippè Titus Liuius, cauponem quendam domeſtici vnius porci carnes tanta apparatus varietate condiuiſſe, vt Romano Duci ingentem venatus copiam in media bruma exhibere videretur. Præclarè quoque D. Chryſoſtomus Homil. 2. de Anna in ſimili argumento ratiocinatus eſt: *In conuiuio,* inquit, *corporali ex eodem obſonio multa eduliorum genera poteſt aliquis conficere.* Auguſtinus autem magis ad rem noſtram: *Vtile eſt*, inquit, *plures à pluribus fieri libros diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat; ad alios ſic, ad alios autem ſic..*

Quem quidem apparatum Orientalibus conditum aromatibus, nec ingratum fore, nec iniucundum vel ipſis Aduerſarijs ſperamus. Perindè enim hac facta Græcis, Latiniſque condimentis acceſſione, ægerrimus ille cenſendus eſt, & grauiſſimo correptus morbo, ſenſuſque ſtupore, qui tot ciborum varietate ſuauitatem non ſentiat aliquam.

Tandem etiam, atque etiam rogo te, humaniſſime lector, ne vllam requiras ab homine alienigena eloquentiam, aut facundiam vllam, vel argumentorum argutiem, cùm hæc ægrè alieno prouenire ſoleant in ſolo, diu inculto præſertim. Nam Phœniciam licet ſortitus ſim patriam, feliciſſimorum olim feraciſſimam ingeniorum altricem & literarum, artiumque liberalium inuentricem, & quidem primam; ea tamen temporum nobis obtigit infelix viciſſitudo, & miſera conditio, vt vix harum veſtigij quicquam cernere ſit, aut ſplendoris. Omnia quippè quarumcunque optimarum ſcientiarum, artiumque ſtudia Turcarum barbarie, & immani tyrannide (proh dolor! proh nefas! proh dedecus, nec dicam eorum ſcelus!) exciſa, & euerſa iacent, gemuntque oppreſſa; agerque ille fœcundiſſimus olim, & amœniſſimus miranunc, & vberrimis deploranda lacrymis ſterilitate mœret, languet, ſtupet.

Proindè meam agnoſcens hanc tenuitatem non ſemel, & iterùm ab inceptis deſtiti, timens in eruditiſſimi huius ſæculi theatrum inter varios ingeniorum, & iudiciorum ſtrepitus Scriptor alienigena prodire. Hæſitantem diu Apoſtoli hæc compulit auctoritas: *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare, non in ſapientia verbi, vt non euacuetur Crux Chriſti.* Adhuc mihi pro tanta tenuitate cunctanti eblanditum eſt pauperculæ illius exemplum tantoperè à Chriſto Domino laudibus celebratæ præ omnibus Iſrael diuitibus, ob vnum, aut alterum minutum in Domus Dei Gazophylacium miſſum.

Ad hæc alijs nominibus pluribus obſtringor; vt totum me quantuſcunque ſum, impendam ſcribendo, & ſuperimpendam, vndè Chriſti Eccleſiæ, proximorum ſaluti, diuinæque gloriæ nonnihil pro virili adijciam, debeo enim Eccleſiæ Catholicæ imprimis, quòd Catholicis in medio infidelium ſim progenitus, parentibus, qui eam armis, fortunis, & ſanguine in prima noſtræ gentis acie tutati ſunt. Debeo Eccleſiæ Catholicæ, quòd in eius gremio ſim enutritus, & Catholicum ſuxerim lac. Debeo, & alijs pluribus nominibus Catholicæ Eccleſiæ, vt minimè mihi conſentaneum viſum ſit, bonum eius, quod quoquo modo pacefacere poſſem, quod facundia expers ſim, & eloquentia, ſilentio ſepeliam. Hæc igitur, & huiuſmodi quamplura alia incitamenta timorem excuſſerunt omnem, & verecundiam, vt velim nolim hanc prouinciam ſuſciperem. Tù intereà, humaniſſime lector, hiſce noſtris ad maiorem Dei gloriam faue conatibus, vt libentiori animo, & parato calamo ad cæteras controuerſias digerendas manus admoueamus. Felix intereà Vale.

CAPVT PRIMVM.

De ſtatu præſentis Queſtionis.

EVTYCHIVS Patriarcha Alexandrinus in ea ipſa Periocha, qua Seldenus abuſus eſt ad extorquendam indè Presbyterorum, & Epiſcoporum ſiue ordinis, ſiue gradus, ſiue poteſtatis, & iuriſdictionis ęqualitatem, vti prima huius Tractatus parte vidimus, narrationem ſubindè inſerit de Origine nominis *Papa*, apud Ægyptios, & Alexandrinos. & quod ſub Heracla, XII. Patriarcha Alexandrino, ſcilicet Anno reparatæ ſalutis 220. circiter, Imperium moderante, ex eodem Eutychio, Alexandro Seuero, Alexandrinis Patriarchis tribui cœptum fuit. Huius originis narrationem ab interrogatione orditur tibi Eutychius dicen: . . . . *Si qui verò interrogauerint, cur Patriarcha Alexandriæ Papa vocetur?* Et ſubindè reſpondet interrogationi, & narrationem proſequitur de occaſione originis huius nominis. Hæc Eutychius. Seldenus ea Eutychij verba ſic malitioſa, & omni reprehenſione digna interpretatione excepit: *Is etiam petijt ab eis, ne Patriarcha Alexandrinus Papa vocitaretur.* Quæ quàm diuerſa ſint à noſtra interpretatione, nemo non videt. Quod quidem ex eo prouenit, quia Seldenus ſuam confecit interpretationem, addendo quæ non ſunt, & peruertendo, atque adulterando quæ ſunt, & auctoris genuinum ſenſum ita aliò tranſtulit, atque retorſit, vt ea dicere, & aſſerere videretur, quæ nunquàm eius ſubierunt mentem, aut animum, vt iure quidem optimo quadrare hic poſſit illud Arabis Poetæ: . . . .

Quanta corrumpit verba malè intellecta commentator!

Quantaque translata deprauarunt nonnulli, & vitiarunt!

Quotque permutarunt Scriptores ſenſus,

Ea proferentes, quæ nunquàm mentem ſubierunt auctoris!

Sic actum eſt enim Eutychio, ea ipſi appingens Seldenus, quæ nunquàm ſomniauit, aut illi venerunt in mentem.

Neque his etiam fuit contentus, aut ſat illi fuit; ſed inſuper commenta Commentarijs auxit, & adornauit, niciturque ex ijs Eutychij verbis ſic ab illo adulterina interpretatione exceptis, atque vitiatis probare; Alexandrum Alexandrinum Patriarcham, qui Nicæno interfuit Concilio, prohibuiſſe, ne ipſe, ſucceſſoreſue nomine *Papæ* vocitarentur; nominiſque huius abolitionem apud Alexandrinos, Ægyptios procuraſſe. Sic enim ſcribit pag. 140. Comment. 21. *Ipſe eſt* (Alexander) *quem nomen hoc eſt ſibi Succeſſoribuſue dari noluiſſe ſcribit hic Eutychius.* Et eodē Com. pag. 143. *Quicquid autē petierit Alexander de huius nominis apud Alexandr. Ægyptioſque abolitione.* Quę quidem omnia non veritatis ſtudio inductus profert, & eructat Seldenus, ſed quà huic nomini ex inſtituto, cui addictus eſt, infenſus, quod ſcilicet Romano Pontifici ab vniuerſo Chriſtiano orbe antonomiſtè tributum fuit ſubindè. Quod ideò præſtitit, vt nomen hoc odioſum, exoſumque ab ipſa penè origine, & incunabulis redderet apud ſuos; oſtenderetque Orientalium auctoritate, & teſtimonio abolendum eſſe, tamquàm religioni habitum ab ipſa antiquitate, ſuiſq; natalibus.

Ne verò pergat vlteriùs ſua Orientalium teſtimonijs, & auctoritate tàm bellè fucare ſcripta, & Commenta; Romanique Pontificis dilacerare exiſtimationem, auctoritatemque fallacijs labeſactare niti, operæ pretium viſum nobis eſt, Orientalem Scriptorem à tanta illata vindicare calumnia, ſuiſque reſtituere Orientalibus, ac totam controuerſiam de Primatu, & quæ eo ſpectant proſequi. Quamobrem videamus iam quo iure, quaue fide ſuam hanc adornauit Seldenus interpretationem, & in eam Commentaria.

CAPVT II.

Examinatur, & expenditur Seldeni Interpretatio Linguæ Analogiam quod attinet, & Gammatices præceptiones.

PRima Seldenæ interpretationis verba hęc ſunt: *Is etiam*. Sed horum apud Eutychium nec vola extat, nec veſtigium. Prima enim dictio illius periodi Euthychianæ hæc eſt, ... *Vaemma*, quæ nuſquàm apud Arabes eam habet ſignificationem; quam tribuit illi Seldenus, vti teſtes nobis eſſe poſſunt omnium Arabum Lexicorum Scriptores, & Interpretes, & quotquot Arabicam profitentur vbique terrarum, & gentium linguam. Ea enim ſignificat Arabibus, *At verò, ſed verò, porrò*, & eiuſmodi. Nec aliter eam interpretatus eſt dictionem Seldenus alibi, cùm ad eius ſcopum, & mentem, *Is etiam*, non faciebat. Ita enim habet in Commentarijs pag. 139. num. 21. ex vetuſtioris Codicis lectione . . . . . . *Sed verò dixit eis.* Vndè igitur eſt Seldeno pronomen hoc, *Is*, & hæc particula, *etiam*? Profectò nonniſi ex proteſtantico Choragio ad connectendam ſuperiorem narrationem cum ſequente; quæ diuerſæ omninò fuit, ac penitùs diſparatæ, vti clariùs infra ſuo loco videbimus; nec non ad tribuendam callidè excogitatam prohibitionem illam Alexandro, ne ſcilicet Alexandrinus Patriarcha *Papa* vocitaretur. Peccat hic igi-

tur

tur grauiter Seldenus addendo pronomen, *Is.* & particulam, quæ ſignificat, *Sed verò*, *At verò*, & eiuſmodi interpretando *etiam*, in quo ſenſu nullibi, & apud vllum Scriptorem legere eſt. Quod quidem eo turpiùs eſt, quo falſa indè inferre conatur Aduerſarius, & linguarum imperitis inſinuare. Errat ergo Seldenus iuxta vtramque partem falſitatis in re ſcilicet, & intellectu.

Secunda autem dictio illius periodi eſt, ..:.... *Saualohom*, quam Seldenus interpretatus eſt: *petijt ab eis*, quod quam verè, fideliter, & feliciter expendamus. Inprimis enim dictio: .... *Saual*, non eſt verbum, ſed nomen verbale, vti vocant, ſignificans *Interrogationem*, deriuatum à verbo, ſeu radice .... *Saala*, id eſt *Interrogauit*, ... *hom* verò eſt pronomen affixum tertiæ perſonæ pluralis maſculini generis, & ſignificat *eorum*, & ſimul coniunctum, *interrogationem eorum*.

Quod cùm ita ſit, nomen illud verbale cum illo affixo tertiæ perſonæ pluralis numeri, nullo modo referri poteſt ad Alexandrum, quia *interrogatio eorum* idem ſonat, *ac ij interrogant*. Affixum quippè in eiuſmodi nominibus, quoties pro verbis ſubſtituuntur, locum agentis tunc ſupplere ſolet. Quo quiquidem loquendi modo vtuntur Arabes vt plurimùm, cùm de incerta, & indeterminata perſona ſermo habetur, eadem proſùs ratione ac Latini, cùm pro imperſonali paſſiuo tertiæ perſonæ ſingularis ſubſtituunt tertiam perſonam pluralem actiuam, vt *dicunt*, pro *dicitur*, *ferunt*, pro *fertur*, & id genus.

Id multò clariùs liquet ex lectione alterius Codicis, quem pag. 130. num. 22. vetuſtiorem vocat Seldenus, vbi pro..... *Saualohom*, id eſt *interrogatio eorum*, habetur hæc vox ...... *Kaulohom*, nempè *dictum eorum*, quod idem eſt, ac *ij dicunt*, vti mox diximus. Vndè malè, imò peſſimè hæc Codicis illius vetuſtioris ...... *Faèmma Kaulohom*, vertit Seldenus: *Sed verò dixit*, ſeu *in mandatis dedit eis.* Hoc autem multis de cauſis. Et primò quidem, quia nomen verbale cum affixo, quale eſt præſens nomen..... *Kaulohom*, nempè *dictum eorum*, nunquàm ſubſtituitur loco tertiæ perſonæ actiuæ ſignificationis, vti facit hic Seldenus. Secundò pronomen affixum in eiuſcemodi nominibus non eſt actio tranſiens, ac recepta in paſſo, ſed eſt eiuſdem agentis, & permanens; ergo *Actio* illa, ſiue *Dictum* non poterat eſſe Alexandri ad illos Presbyteros, ſiue quoſcunque alios.

Sed regeret fortè nobis Seldenus...*Kaulohom* eſſe verbum cum affixo patienti, adeoque ſe benè vertiſſe, *Sed verò dixit*, ſeu *In mandatis dedit eis*. At bellè profectò, ac plus nimiò hallucinaretur, ſi hoc regerat; quia vt omnes ſciunt Grammatici, & docent, verbum hoc in themate, ſeu radice, nequaquam admittere literam .. *Vau*, ſed eam mutare in .. *Aleph*, atque pro themate..... *Kauala*, ſcribi, ac legi ab omnibus..... *Kala*, id eſt *dixit*. Vide Erpenium ex Proteſtantibus in hoc verbo, & alios. Sed fac, Seldene, hoc eſſe verbum; quàm conſtructionem illi tribuis? Neſcis, affixa verborum eſſe caſus patientes, ſeu accuſatiuos? Ignoras adhuc, verbum hoc apud Arabes, vt & apud Latinos nequaquàm admittere caſum accuſandi perſonarum? Quis enim legit apud Latinos: *dixit eos*, pro *eis*? nemo ſanè. Nec apud Arabes etiam id auditum fuit, Sed quemadmodùm Latini dicũt, *dixit eis*, ſic Arabes etiam dicunt..... *Kala labom*, hoc eſt, *dixit eis*, cum pronomine disiuncto, non affixo. Itaque ſi illud eſſet verbum, vertendum eſſet, *dixit eos*, non, *eis*, quia affixum pronomen ſemper ponendum eſt in caſu *Nasbo*, ſeu accuſatiuo ex omnium Arabum, & Arabicæ linguæ profitentium ſententia, nemine penitùs diſcrepante. Quàm autem accommoda eſſet, & congruens hæc conſtructio, & interpretatio, indicent vel ipſi linguarum tyrones, & pueri.

Si verò amicè fatebitur, illud eſſe nomen cum affixo tertiæ perſonæ maſculinum pluralis, vti re vera eſt; in eodem ſanè hærebit luto, quia tunc ſignificat, *dictum eorum*, quod idem eſt, ac *ij dicunt*, vti mox notauimus; adeoque non Alexander dixit eis, aut in mandatis dedit; ſed ij quidem dicunt, ſeu interrogant de cauſa denominationis *Papa*, nempè cur Alexandrinus Patriarcha ita dictus fuit. Hoc loquendi modo paſſim vtuntur Arabes Scriptores, cùm aliquid objiciunt ſibi nomine alicuius incerti; idemque ſonat ac *ſi quis objiciet*, vel *interrogabit*, & eiuſmodi. Pluribus exemplis confirmari id poteſt, & Scriptorum Arabum auctoritatibus, atque teſtimonijs, ſed ne longior, quàm par eſt, noſtra protragatur oratio, vnius...... *Hazzaddaula Ben-Camune* teſtimonio contenti nunc erimus. Hic Tract. de tribus Legibus, & Legislatoribus lib. 3. de Chriſtiana Lege, ſic Aduerſariorum nomine, quicunque ſint, objicit contra traditionem de miraculis Chriſti domini, rebuſque ab illo geſtis..... Ideſt: *Sed verò dictum eorum, traditionem de miraculis Chriſti, ac rebus ab illo geſtis non eſſe ſucceſsiuè continuatam, neque confirmatam*. Qua facta obiectione ſtatim reſpondet, ac argumenta, & rationes Aduerſariorum ita obijcientium diluit. Ex quò planè liquet, *dictum eorum*, hic, vt alibi, idem ſonare ac *ſi dicant*, *objiciant* hoc vel illud. Sed hæc notiora ſunt linguæ Arabicæ Profeſſoribus, quàm vt longiori oratione, & probatione dignanda.

Tertia dictio Eutychiana eſt Particula ..... quam Seldenus interpretàtus eſt, *Ne*, & in ea totam vim collocat ſui argumenti. Sed falsò, & inaui ex more nixus firmamento; quia nunquàm, & nuſquàm particula hæc legitur, aut occurrit in hac ſignificatione apud Arabes, nempè prohibitiuè. Duplicem hæc particula fundit ſenſum iuxta duplicem modum, quo punctis afficitur vocalibus. Nam ſi eius prima litera notatur vocali Fatha, vt loquuntur Arabes, ſic.... tunc profertur *Lam*, & vim habet negandi, ſeu negatiua eſt, & præponitur tantummodò modhareo, nempè tempori præſenti, vel ſimplici futuro, quod idem eſt forma, ac tunc eius ſignificationem ad præteritum trahit. Si verò eius prima litera notatur vocali *kaſra*, ſic ...... tunc pronunciatur *Lem*, ac ſemper interrogatiua eſt, atque his Latinorum æquipollet particulis, *cur*? *quarè*? & id genus. In vtraque notata ſignificatione iuxta variam hanc punctationem occurrit Geneſ. cap. 4. num. 5. & 6........ *Ad Cain verò, & ad munera illius* NON *reſpexit: iratuſque eſt Cain vehe-*

men-

meiter, & contractus eſt vultus illius. Dixitque Dominus ad eum: CVR *iratus es? &* QVARE *contractus eſt vultus tuus?*

Vide quomodò eadem particula diuerſo notata vocali puncto, diuerſam fundit ſenſum. Primò quippè loco legitur .... *Lam*, cum vocali phatha, & negatiuè accipitur, id eſt *Non*, & verbum ..... *Iandhor*, quod eſt præſentis temporis, & verti debet ex vi ſuæ formæ *reſpicit*, retrahit ad præteritum, ita vt ex vi illius vertendum ſit, *reſpexit*. Sequentibus verò duobus locis ſcribitur cum Kaſra ſic ..... *Lem*, ac ſumitur interrogatiuè, *cur?* vt ibi videre eſt. Exempla occurrunt paſſim apud Scriptores in vtraque hac ſignificatione iuxta duplicem punctandi genus.

Porrò prohibitionis, & inhibitionis particola eſt ... *La*, & ſic dicitur ..... *Non occides*, ... *Non facies furtum*. Si autem his iiſdem dictionibus præponatur particula ... *Lam*, ſic .... & nequaquàm verti poſſet, *Non occides, Non facies furtum*, ſed, *Non occidiſti, Non feciſti furtum*, quia hæc particula retrahit præſens, & futurum tempus ad præteritum, vti modo diximus. Prætereà particula hæc .. *La* vſurpatur quandoque apud Arabes pro *Ne* Latinorum, vt eſt illud Geneſ. cap. 2. verſ. 17...... *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali* NE *comedas*.

Quod verò particula illa non ſit accipiẽda in ſenſu negatino, aut prohibitiuo eo loci apud Eutychium, verbum illud, de quo ipſa dicitur, planè demonſtrat. Ex Grammaticorum quippè præceptionibus, & regulis habetur particulam illam, cùm eſt negatina, vel prohibitiua, eſſe gezmantem, vti loquuntur illi; ac tunc ex verbis ſanis abſcindere vltimam vocalem, quemadmodùm ex verbo hoc .... *Ianforo*, id eſt *iuuat*, fit ..... *Lam iaoſor*, dempta ſcilicet vltima vocali, *O*, & præſente reiecto ad præteritum ſignificatione ſcilicet, non forma, vertendumque *Non iuuit*, pro *Non iuuat*. Ex verbis autem infirmis vti loquuntur Arabum Grammatici, infirma litera demitur, & vltima etiam vocalis abijcitur ex vltima litera, ſi ſana litera illa fuerit. Literæ autem infirmæ ſunt .. *Aleph*. .. *Vau*, & ... *Ie* Hinc ex .... *Iakulo* id eſt *dicit*, addita particula illa negatiua, fit *Lam iakol* id eſt, *Non dixit*, mutato tempore, ſed non forma temporis, reiecta litera .. *Vau*, quę media erat, & vocali vltimæ. Item ex verbo .... *Iarmi*, id eſt *proijcit*, fit ..... abiecta litera .. *Ie*, remanente vocali vicem gerente, ſeu compenſationis, vt Grammaticis placet: vertendumque eſt, *Non proiecit*, pro *Non proijcit*. Atqui in caſu noſtro apud Eutychium, verbum de quo nobis controuerſia eſt cum Aduerſario, eſt...... *Ioſammi*, id eſt *vocare, nominare, nuncupare*, quod quidem eſt infirmum vltima, ergo præpoſita particula gezmante ... *Lam*, reijcienda erit vltima litera, remanente tamen vocali compenſationis, & id ex Grammaticorum Arabum placitis, quia vltima eſt infirma, legendumque eſt, ... *Lam ioſammi*. Sed non ſic legitur inibi apud Eutychium, quia vltima remanet. Ergò particula illa eo loci non eſt ſumenda negatiuè, aut prohibitiuè.

Id autem probare teſtimonio ipſius Seldeni ex Eutychio in eadem Periocha, haud difficile erit. Qua quidem probatione ad hominem nihil profectò afferri poterit aut firmius, aut magis ratum, & conſtans ad vrgendum, coarguendum, & erroris conuincendum ipſum Seldenum.

Eutychius autem paulò ante narrationẽ de Origine nominis, *Papa*, apud Ægyptios, loquens de inſtituto illo duodecim Presbyterorum, & quamdiù in Alexandrina durauit Eccleſia, hæc ſubijcit .... Quæ verba ſic vertit Seldenus: *Neque deſijt Alexandriæ inſtitutum hoc de Presbyteris, vt ſcilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, vſque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini.*

In hiſce autem Eutychij verbis duo diligenter animaduertenda, obſeruandaque ſunt contra ipſum Aduerſarium. Primum circa ſcripturam verbi ...... *Iazel*, quia cùm deriuetur à radice, ſeu themate ... *Zala*, quod eſt tertia perſona ſingularis maſculini generis temporis præteriti, præſens formare deberet .... *Iazulo*, ex Grammaticorum regulis, non autem ... *Iazel*, vt ibi apud Eutychium dempta media, & quiete affecta poſtrema. Alterum cùm Verbum ... *Iazel* ſit præſentis temporis, non autem præteriti, vertendum eſſet Seldeno, *deſinit*, non quidem, *deſijt*, vtrumque tamen rectè legitur, & rectè vertitur. Rationem ſi petas à Seldeno, reſpondebit, & rectè: Ita legendum, & ita vertendum ob influxum particulæ .... *Lam*, id eſt *neque*, vel *non*, quæ præpoſita verbis præſentibus infirmis, duobus defungitur officijs, nimirùm literam abijcit infirmam, & poſtremam afficit quiete, nempè illius demit vocalem; nec non verbis formæ præſentis ſignificationem tribuit præteritam. Hinc concludit Seldenus, ſe rectè legiſſe, & rectè vertiſſe. Accedimus vltrò, cùm id ſit iuxta Grammaticorum Arabum placita.

Si ergò eam habet vim particula hæc negatiua, vt contrahat, & abſcindat vltimam verborum vocalem, & literas abijciat ex ipſis infirmas, & præſentis formæ ſignificationem ad præteritum retrahat; cur hoc loco, de quo nobis cum Aduerſario præſens quæſtio eſt, legit ipſemet Aduerſarius ..... *Ioſammi*, retenta vltima litera, quæ eſt infirma, & præteritam nequaquàm tribuit verbo illi ſignificationem, vt par erat ex linguæ analogia, & Grammaticorum placitis, quæ ipſe vltro concedit? Imò non modò non tribuit illi verbo præteritam ſignificationem, ſed nec tribui vllo pacto poteſt; quia ſi tribueretur, ita vertendum eſſet, cæteris modò conceſſis Seldeno: *Is etiam petijt ab eis, non Patriarcha Alexandrinus Papa vocatus fuit*, vel *Ne* (vt Aduerſarius verti tibi) *Patriarcha Alexandrinus Papa vocatus fuit*. Quæ interpretatio quàm congruum, accomodumque fundat ſenſum, ipſemet Seldenus cum Symmyſtis ferat iudicium, & ſentẽtiam dicat.

Hoc idem cõfirmatur duobus alijs locis, quæ occurrunt ſubſequente commate eiuſdem Eutychianæ Periochæ, nempè ſtatim poſt ea verba, de quibus nobis res eſt cum Aduerſario, & ſunt ....Quæ ſic ex Seldeni interpretatione: *Nullus erat in prouincijs* (demus modò hæc Saldeno) *Aegypti Epiſcopus; nec Patriarcha ante eum crearunt Epiſcopos*. In hoc commate duo notanda ſunt, nimirùm legi hic ... *Iacon*, pro .... *Iacuno*, ... Et *Tacon*, pro ..... *Tacuno*, reiecta vtrobique litera media

infir-

infirma ſcilicet . . *Vau*, & vltima dempta vocali nempè *Dhamma*, ſiue, *O*, & præſente ſignificatione ad præteritā tetracta ex vi nimirùm, & influxu particulæ huius negatiuæ . . . *Lam.*

Igitur cùm in eo commate, de qno nobis controuerſia eſt cum Aduerſario, nec reijciatur litera infirma ex verbo . . . . . *Ioſammi*, ſed legitur manente litera infirma .·. id eſt, *I*, in fine; nec eius verbi ſignificatio retrahatur, ſed nec rettahi etiam poteſt ad præteritum; neceſſe omninò erit, ibi haudquaquàm legendum eſſe . . . *Lam*, negatiuè, aut prohibitiuè, ſed . . . . . *Lem*, interrogatiuè, itaut germanus, ac genuinus huius periodi . . . . . . Senſus ſit iſte, *Si qui verò interrogauerint, cur Patriarcha Alexandrinus Papa vocatur?*

Concludendum igitur eſt, ea Eutychij verba nullo modo eum fundere poſſe ſenſum, quem illis ſua interpretatione tribuit Aduerſatius ad ſuam ineptiſſimam extorquendam inde ſententiam, ex animi libidine.

CAP. III.

Refellitur item Aduerſarij interpretatio, & Sententia ex ipſa narrationis Eutychianæ ſerie, & orationis connexione.

EVtychius ab ipſo Periochæ exordio vſq; ad iſtam narrationem de Origine nominis Papæ, totus eſt in deſcribenda Eccleſiaſtica Politia à D. Matco in Alexandrina Eccleſia inſtituta, qnam ita tandem concludit : . . . . Quæ ſic Seldenus: *Atque ita euanuit inſtitutum illud antiquius, quo creari ſolitus à Presbyteris Patriarcha, & ſucceſſit in locum eius decretum de Patriarcha ab Epiſcopis creando.* Subinde verò hanc de Origine nominis Papæ aſſumit narrationem, quæ nullam habet cum illa connexionem, vel aliquid commune, ſed omninò, ac toto cælo eſt diuerſa. Quod quidem haud latuit Aduerſarium, hinc vt orationis vtraque connecteret diſpatata extrema, has duas ex proteſtantica pera produxit dictiones, *Is etiam*, quarum nec vola extat apud Euthychium, nec veſtigium, vti ſupra demonſtrauimus.

Sed nec multum in hoc demonſtrando laborandnm nobis eſt, aut impenſior opera danda, quia idem Eutychius pauló inferiùs ita hanc narrationem de Origine nominis *Papa* concludit : . . . . . Quæ ita Seldenns Aduerſarius: *Ita à tempore Heracla Patriarcha Alexandrinus dictus eſt Papa, ideſt Auus.* Quę verba nomenclationis continuationem denotant nullo præfixo termino, vt ea penitiùs conſideranti liquidò patet. Et quidem magis liquet ex eodem Eutychio, vbi ſic de ipſo Heracla agens ſuo loco, in ſerie Patriarcharum Alexandrinorum loquitur . . . . . *Et in diebus eius vocatus fuit Patriarcha Alexandrinus Papa, ideſt Auus.* Quaſi dixiſſet vtrobique : viſn' ſcire, cur Patriarcha Alexandrinns etiamnum dicitur *Papa*, & quando id contigit? hoc fuit Heraclę Patriarchę tempore ob iam narratam cauſam, & occaſionem. Et quidem id nominis refert hic auctor, tanquàm aliquid inſigne, atqne præclarum, & pietatis ac religionis redolens, ex quo ob eius hanc præſtantiam, atque excellentiam Romano ſubindè Pontifici antonomaſticè tributum fuit, vti Georgins Homaidius in Nerone perhibet & nos infra oſtendemus. Alioquin Eutychio dicendum erat : *A tempore Heracla vſque ad Alexandrum, qui fuit è numero Patrum Nicænorum, Alexandrinus Patriarcha Papa vocabatur; Alexander verò iſte petijt à Presbyteris Alexandrinis, ſeu vetuit, ne ita deinceps vocitaretur*, vel aliquid eiuſmodi, quemadmodùm ſupra dixerat de eiuſdem Alexandri decreto, quo Presbyterorum ius antiquauit . . . . Quæ idem Seldenus : *Neque deſijt Alexandriæ inſtitutum hoc de Presbyteris, vt ſcilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, vſque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero illo CCCXVIII. Is autem vetuit, ne deinceps Patriarcham Presbyteris crearent.*

Et profectò ipſa ratio poſtulat, & ſno quodammodò iure exigit, vt res priùs proponatur, & liquida fiat, dein aliquid de illa, vel affirmetur, vel negetur. Ita Propherarum maximus Moyſes c.2. verſ. 9. Gen. hanc præmiſit narrationem de ligno ſcientiæ boni, & mali: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in medio Paradyſi, lignumque ſcientiæ boni, & mali.* Deindè verſ. 17. ſubdit; *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali, ne comedas.* Præmiſit narrationem creationis illius ligni, ſubindè verò vetuit, ne comederet ex illo Adam. Nam ſi præmiſiſſet inhibitionem, deindè aggreſſus fuiſſet narrationem, qui aptam, & congruentem iudicauerit illius narrationem, aut orationem? Ita Eutychius narrationem exorſus eſt ab interrogatione, camque congruè concludit . . . . *Igitur vocatus fuit* (ad verbum) *Patriarcha Alexandria à diebus Heracla Papa, ideſt Auus.*

CAP. IV.

Refellitur eadem Aduerſarij interpretatio & ſententia ex notione, ſeu ſignificatione ipſius nominis, Papa.

RAtioni fides tunc adhibenda eſt ex Philoſopho 3. de gen. ani. cap. 10. ſi quæ demonſtrantur, conueniant cum ijs, quæ ſenſu percipinntur. Sed ea, quæ interpretatur Aduerſarius Seldenus, minimè conueniunt cum ijs, quæ omninm ſenſibus externis patent, & internis; ergo nulla fides eius ſententiæ, & interpretationi adhibenda eſt, notionem nominis huius, *Papa*, quod attinet. Affirmat quippè Seldeni Eutychius, nomen *Papa* ſignificare *Auum*, ſeu *Patrem Patrum*; Sed quis audiuit vnquàm, aut vllo ſenſu percepit, nomen *Patris*, aut interdictum fuiſſe, aut tamquàm odioſum habitnm apud vllam gentem, vel nationem, quamuis feram, quamuis barbaram? Imò nihil eo amabilius, nihil ſuauius, nihil dulcius, nihil pietate, & religione plenius, aut commendatius. Hinc Propheta ille Eliſeus nullo alio nomine Zelotem Eliam in Cælum per turbinem aſcendentem, quàm hoc interpellauit: *Pater mi, Pater mi.* Et generis humani reparator Chriſtus Dominus hac orandi formula diuinam pietatem erga nos allicere quodammodò nos docuit: *Pater noſter, qui es in Cælis.* Diuinus quoque Apoſtolus ad Rom. 8. 15. *Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterùm in timore, ſed*

acce-

accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater. Quinimò maximi quoque honoris nomen hoc habebatur olim apud ipſos gentium Principes, & Reges, nec dedignabantur eos, qui aliqua prædìti erant virtute, quamuis infimæ conditionis, *Patres*, appellare. Nam 2. Paralip. cap. 2. verſ. 13. legimus Hiram regem Tyri potentiſſimum, & Salomoni amicitia coniunctiſſimum appellaſſe, *Patrem ſuum*, honoris cauſa, artificem quendam ſcientiſſimum nomine Hiram, ita ad ipſum Salomonem ſcribentem: *Miſi ergo tibi virum prudentem, & ſcientiſſimum Hiram, patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater fuit Tyrius*. Apud Romanos quoque *Pater*, nomen reuerentiæ erat: ideò Romulus centum Senatores, quos ad Reipublicæ curam elegit, Patres ab honore vocauit. Sed huiuſmodi reuerentiam, & obſeruantiam quid grauius, aut planius exprimere poteſt, quàm Iacobi illud iuramentum Geneſ. cap. 31. v. 53. Labano hiſce præſtitum verbis: *Iurauit ergo Iacob per timorem patris ſui Iſaac*? Nulla ergo ſuppetit ratio, aut prudens, conſtanſque reddi poteſt, cur Alexander petierit à Presbyteris illis, ne Patriarcha Alexandrinus, *Papa*, vocitaretur; cùm id nominis ſit honoris, reuerentiæ, pietatis, atque religionis, & nunquàm, ac nuſquàm ante hanc Seldenam adulterinam interpretationem quid ſimile auditum fuit.

Porro regeret fortè Aduerſarius, Alexandrum neutiquàm petijſſe, ne Patriarcha Alexandrinus *Pater* vocitaretur, ſed *Papam*, ideſt *Auum*, ſeu *Patrem patruum* Eutychio auctore pluries in eadem Periocha.

Cedo, *Papam* ſignificare *Auum*, ſiue *Patrem patrum*, ex Eutychio; at quid indè? An aliqua affertur in contrarium ratio ab Eutychio, aut ab Aduerſario, vel vlla afferri ſaltem poteſt, cur id præſtitit Alexander? certè nulla: quia id eſſet tam contra apertam Sacrarum Literarum auctoritatem, quàm Patrum placita. In Scripturis *Principum patrum*, quod idem eſt, mentio paſſim occurrit, vt apud Ezdram lib. 1. cap. 1. verſ. 5. cap. 3. verſ. 12. cap. 4. v. 3. & alibi. Patres, ſeu inſigniores antiquitatis Doctores non solùm Romanum Pontificem hoc nomine, *Pater Patrum*, decorarunt, vt S. Athanaſius Epiſt. ad Liberium, & ad Felicem, Trias Conciliorum Africanorum Epiſt. ad Damaſum, Geruaſius Rhemenſis ad Paſchalem, & Iuo Carnot. Epiſt. 12. verùm etiam alios plerumque Antiſtites inferioris gradus, quemadmodùm notat vir noſtri ſeculi doctiſſimus, & eruditiſſimus Theophilus Raynaudus Societatis Ieſu in Onomaſtico Pontificio dictione *Pater Patrum*, cuius verba ipſa hæc ſunt: *Id nomen vlli vnquàm præterquàm Romano Pontifici eſſe communicatum, negat Bellarminus lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 31. ſed ſicut alias pleraſque Romani Pontificis per ſe primò proprias nomenclationes, ita hanc quoque ad alios plerumque Antiſtites inferioris gradus extenſam eſſe, diffiteri non licet. Nam Clemens, Iacobum initio Itinerarij S. Petri, & Epiſt. 1. vocauit* Patrem patrum. *De Gregorio Nyſſeno in II. Niceno Concilio ſeſſ. 6. dicitur, quem omnes* Patrum Patrem *vocant. S. Chryſoſtomus à Theodoſio apud Nicephorum lib. 14. cap. 43.* Pater Patrum *dicitur, ijs literis, quas ad eum euocandum tanquàm viuentem ad ipſum ſcripſit. Eodemque nomine donatur S. Ioannes Alexandrinus in libello ſupplice Coſmæ, vt retulit Anaſtaſius in eiuſdem S. Ioannis hiſtoria cap. 13. Taceo de S. Eutychio Patriarcha Conſtantinopolitano, cuius Acta eum appellant*, Magnum Patrem Patrum. *Quo eodem modo denominatur apud Balſamonem ad interrogata Marci Patriarchæ. De hoc ſilere malo, ne quis opponat, id ſchiſmatico, vel etiam hæretico ſenſu prolatum. Fortunatus Magnericum Epiſcopum ſic compellat*: Culmen honorificum, Patrum Pater, alme Sacerdos. *Sidonius lib. 6. Epiſt. 1. vocat S. Lupum Trecenſem Epiſcopum* Patrem Patrum. *Et eodem recidit, quod S. Athanaſius Oſium Cordubenſem* Patrem Epiſcoporum *nominauit. Nam Epiſcopi Patres ſunt populorum, vt eſt apud Sidonium lib. 4. Epiſt. 27. & apud Caſſiodorum in Pſal.* 109. *Itaque* Pater Epiſcoporum, *quo nomine donatus eſt Oſius, idem ſonat, quod* Pater Patrum: *ac proindè ea appellatio* Patris Patrum, *tametſi per excellentiam, & antonomaſticè debetur Romano Pontifici, tamen aliquandò alijs quoque Pontificibus communicata reperitur*.

Quid igitur cauſæ fuit, quod impulit Alexandrum, animumque eius commouere potuit, vt peteret ab Alexandrinis Presbyteris, ne Patriarcha Alexādrinus *Papam*, ſeu *Patrem Patrum* vocitarent; cùm hoc nomine vel inferioris gradus Antiſtites vocitentur, & omnibus vbique terrarum, & gentium Eccleſiæ Præſulibus hæc nomenclatio probetur? Sanè nulla fuit cauſa, nec cuiuſquam mentem id ſubijt vnquàm, ſi deliramenta Seldenæ interpretationis, & Sabinorum inſomnia excipias.

At regeret forſan Aduerſarius, id Alexandrum feciſſe, quia nomen hoc, quà *Patrem Patrum* denotat, neſcio quid præ ſe fert elati, Superbi, atque arrogantis, adeoque aduerſari videtur doctrinę Chriſti Domini dicentis ad diſcipulos ſuos, Matth. 20. 25. *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores ſunt, poteſtates exercent in eos. Non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus*.

Profectò, ſi eiuſmodi admittenda eſſet ratio, vt recta, & honeſta, & eò verè Alexandri mens collimaſſet debuerat potiùs, atque multo maiori iure petere à Presbyteris illis, ne Alexandrinus Epiſcopus Patriarcha, vel Archiepiſcopus vocitaretur, cùm hæc nomina ſonent principatum, cuius ſtudium, & cupiditatem à diſcipulorum cordibus, & animis euellere Dominus & extirpare ijs intendebat verbis. Tamen Patriarchę nomen in vtroque inſtrumento, & frequens, & familiare eſt, ac in Eccleſia primæ dignitatis titulus, cui proximè Archiepiſcopatus ſequitur.

Hinc rectè, ac iurè concluditur, interpretationem illam Aduerſarij, & quæ indè conſequuntur, nulli niti fundamento, niſi meræ falſitatis, & libidini impugnandi quicquid Romani Pontificis maieſtatem, & amplitudinem aſſerere videtur, nulla vel veritatis, vel ingenuitatis, vel probitatis ratione habita.

CAPVT V.

Refellitur rurſus eadem Aduerſarij Interpretatio, *& ſententia ex praxi, & continuato nomenclationis* Papæ, *vſu tàm ſub ipſo Alexandro, quàm proximè poſt.*

PORrò praxis in contrarium, & continuatus huius nomenclationis *Papa*, in Alexandrina Eccleſia vſus tam ſub ipſo Alexandro, qui Seldeno eius interdictionis, ſeu inhibitionis auctor fuit, quàm proximè poſt, Seldenam interpretationem, & ſententiam apertè falſitatis,& adulterationis conuincit. Nam qui, ſodes, fieri potuit, vt ijdem Presbyteri, quos paulò antè rogauerat Alexander, ne Patriarcham Alexandrinum *Papam* vocitarent, (vt Aduerſarij exhibet falſa, & adulterina illa interpretatio) eum ſubindè *Papam* appellauerint? An non iniurij in illum exſtitiſſent ita ad ipſum ſuam Epiſtolam inſcribentes: *Beato Papæ Epiſcopo noſtro Alexandro, Presbyteri, & Diaconi in Domino ſalutem*, dùm paulò ante ab eis petiuerat,ne Patriarcham Alexandrinum *Papam* vocarent? aut quis facilè credet, Athanaſium Alexandri diſcipulum,& ſucceſſorem eo nomine vocitari paſſum fuiſſe cõtra Alexandri petitionem, & mentem, cùm in eum obſequentiſſimus, & obſeruantiſſimus ſemper extitiſſet? Tamen identidem in ipſa ipſius Athanaſij Apolog. 2. hac nomenclatione *Papa*, idem Athanaſius decoratur, & ornatur. Siquidem Hiſtoria illius reuerſionis è Tyro in Ægiptum in Apolog. 2. relata ſic inſcribitur: *Narratio quomodò è Tyro abierit in Ægyptum* Papa *Athanaſius*. Iſchyras item ſuam Epiſtolam ad Athanaſium ibidem ſic inſcribit: *Beato* Papæ *Athanaſio Iſchyras in Domino ſalutem*. Et paulò poſt Epiſtolæ mediũ: *Quemadmodùm, & tu Beate* Papa *in media Eccleſia de ſolio tuo diſcipulis tuis ſubindè expoſuiſti*. Arſenius Epiſcopus Ciuitatis Hypſelitarum ita Athanaſio ſcribit Epiſtola in eadem Apolog. 2. relata: *Athanaſio Beatiſſimo* Papæ *Arſenius Epiſcopus Ciuitatis Hypſelitarum, cui aliquandò præfuit Meletius vna cum Presbyteris, & Diaconis in Domino ſalutem*. d. p. In Epiſtola verò: *Et nos quoque diligentes pacem, & vnanimitatem cum Eccleſia Catholica, cui tu per Dei gratiam præfectus es, volenteſq; Eccleſiaſtico Canoni pro veteri inſtituto ſubijci, ſcribimus tibi* Papa *dilecte*. Et propè calcem: *Valere te exopto multis temporibus* Papa *beatiſſime*.

Quinimò, & ipſe Alexander ab eodem Athanaſio, qui ei ſucceſſor fuit proximus, dictus etiam eſt, ὁ Πάπας Ἀλέξανδρος, vti teſtis eſt locupletiſſimus idem Seldenus Aduerſarius pag. 140. num. 21. Qui ergo fieri potuit, vt idem petitionis, ſeu inhibitionis, auctor, & proximus ei ſucceſſor illo nomine vocitari æquò tuliſſent animo ſine latæ legis, vt ita dicam, iniuria, & diſſimulationis nota? Adde: & inofficioſus extitiſſet in magiſtrum Athanaſius, qui perofficioſè, & peramanter ſemper illum coluit, ſemper veneratus. Palam igitur ex hoc quoque capite relinquitur, Seldenam interpretationem illam ſoli falſitatis, & adulterationis innixam eſſe fundamento.

CAPVT VI.

De varijs opinionibus circa huius nominis, Papa, *Originem, & Notiones.*

HActenùs cum laruis luctati ſumus Seldeni adulterinam, falſamque interpretationem refellentes, cùm ex linguæ analogia, tum ex narrationis ſerie & connexione orationis, tum ex notione ipſius nominis, *Papa*, quam exhibet Eutychius,tum demum ex praxi in contrarium, & continuato eiuſdem nomenclationis vſu, tam ſub ipſo Alexandro Alexandrino, quàm poſt; Nunc verò ratio poſtulat, vt de varijs huius nominis agamus notionibus, vt quænam vera ſit, germana, & ſubiecta illius notio, ſubindè ſtatuatur.

Plures huius nominis, *Papa*, enumerantur notiones tam apud ſupra laudatum à me P. Theophylum Raynaudum in Onomaſtico Pontificio verbo *Papa*, quàm Ignatium Braccium lib. 1. de Etymologia nominis *Papæ*, & *Pontificis*, & alios quamplures.

Sunt in primis, qui deducunt hoc nomen, *Papa*, à *pappo* carduorum flore in lanuginem abeunte, nec diu durante ob breuem Pontificum Romanorum vitæ periodum, Pro qua ſententia citantur Petrus Damiani opuſc. 23. & Corraſius lib. 5. Miſcell. cap. 5.

2 Arbitrantur alij nomen, *Papa*, eſſe nomen complexum ex duplici, *Pa*, quod monoſyllabum *patrem* apud antiquos Latinos denotabat, vt hiſce verbis Sextus Pompeius Feſtus lib. 14. *De verborum veterum ſignificatione*, ſcriptum reliquit: *Pa, pro patre, Po, pro populo ſcriptum eſt in ſaliari carmine*. Item dicebant, vt notat Braccius cap. 7. libri primi, *Cæl*, pro Cælum, *Do*, pro Dominus, *Min*, pro Minium, *Tau*, pro Taurus, *Gau*, pro Gaudium, & eiuſmodi. Qua ratione, *Papa*, idem ſonat, ac *Pater patrum*.

3 Quidam deriuant hoc nomen ab interiectione admirantis *Papæ*! quaſi denominaretur admirabilis. Eſt Siluestri in Summa V. *Papa*, dicentis: *Papa dictus eſt quaſi admirabilis, à Papæ! interiectione admirantis: eò quod Vicarius ſit Chriſti, & Dei, cuius eſt terra, & plenitudo eius*. Item Ambroſij Nouidij lib. 2. Sacrorum Faſtorum ſcribentis.

Clauibus acceptis aperire, & reddere Cælum,
Antiochi clara fas priùs Vrbe fuit.
Mira dabat populo, premitur cum carcere nauta;
Facta gemunt fratres, inſtituuntque preces.
Soluitur, & collo populi defertur in ora;
Admirantur; habet nomina Graia Pater.

Eandem ſequitur opinionem Franciſcus

Petrarcha lib. 2. de vita ſolitaria cap. 18. ſectionis tertiæ agens de Cæleſtino, qui Papatui renunclauerat, & iterùm ad vitam ſolitariam ſe receperat: *Reliquerunt*, inquit, *alij nauiculas ſuas, ac retia, alij poſſeſſiunculas, alij teloneum, & alij etiam regna, vel regnorum ſpem, ſecutique Chriſtum Dominum facti ſunt Apoſtoli, facti ſunt Sancti, & amici Dei. Papatum verò, quo nihil eſt altius, rem tam exoptatam, tamque mirabilem, vt ab admiratione, ac ſtupore dictum ferant; quis vlla ætate, præſertim ex quo tanto in pretio eſſe cœpit, tam mirabili, & excelſo animo contempſit, quàm Cæleſtinus iſte?* Eidem ſubſcribunt opinioni Hieronymus Vida Hymno de Cathedra S.Petri, Nicolaus Eymericus Tract. de poteſtate Papæ quæſt. 2. & 3. Gabriel lect. 23. in Can. Duardus lib. 1. in Bullam Cœnæ cap. 4. quæſt 7. F. Iuniperus à Drepano diſp. 1. pro Iuris Pontif. defenſ. quæſt. 1. cap. 4. à num. 11. & multi alij apud illum.

4 Nonnulli germanam notionem vocis, *Papa*; vt ex Euſtathio refert Henricus Stephanus V. Πάπας, duci exiſtimant ex antiquo, & Græcorum, & Latinorum vſu, quo paruuli, veluti naturali voce (vt diſſerit Ioannes Goropius Becanus in Gotodanicis) ablandiendo patri vocant *Pappam*, quæ eſt vox *poſtulantis ſibi dari pulticulam*, vt idem ait, *& à pueris auditur priùs multò quàm à quopiam ſint edocti: atque indè naturalem habet, non voluntariam originem, cùm vbique gentium ex ore infantium audiatur.* Subinde rationem, cur id nomen accommodatum eſt, ad ſignificandum patrem, ita idem Auctor reddit: *Verùm quia patrum eſt officium, pueris ablactatis alimenta labore ſuo comparare; priſco primorum hominum vſu receptum eſt, vt patres ita compellare infantes docerentur; quaſi, dicerent, tuum eſt, vt nos deinde alas, atque neceſſarijs ad vitam rebus tantiſper ſuſtentes, dum ipſi nobis poterimus prouidere. Papa itaque, & pultis eſt nomenclatura, & eius, cuius eſt pultem ſuppeditare.* Proindè verbum *pappare*, apud Latinos ſignificat *comedere more infantium*, in quo ſenſu Plautus in Epidico: *Nono Liberto opus eſt, quod pappet:* Et Perſius Flaccus Satyra 3.

Et ſimilis regum pueris pappare minutum poſcis.

Ariſtofanes Comicus initio Comœdiæ inſcriptæ Εἰρήνη, ſeu *pax*, Trigæum ſic filias alloquentem inducit: Ἡνίκ' ἂν αἰτίζητ' ἄρτον, Παπάν με καλοῦσαι. Id eſt: *Quando quæritis Panem, papam me vocantes.*

Itaque ex voce *Pappa*, quæ *pulticulum puerorum* ſignificat, per translationem *patrem*, huius ſententiæ Auctores nomen *Papa*, deriuatum eſſe volunt. Ex quo inquit P. Theophilus: *Minuſcula enim ætas haud aliter patrem compellat, quàm vocando Mon Papà*, Intellige apud Gallos.

Tandemque ab omnibus huius ſententiæ aſſertoribus affertur hoc Iuuenalis teſtimonium Satyræ 6.

Timidus prægustet pocula pappas.

& hoc Auſonij ad Nepotem:

Pappos auiaſque trementes
Anteferunt patribus ſeri noua cura nepotes.

Locus Iuuenalis ab omnibus accipitur pro *patre*, ſi Britannicum excipias, qui *pappas*, accipit pro accuſatiuo plurali à ſingulari *pappa*, ſed malè, vt notat Theophilus Raynaudus, & alij. Locus verò Auſonij communiter intelligitur pro *Auo*; quamquàm Cardinalis Baronius in annotationibus ad Martyrologium Romanum ſub die x. Ianuarij aliter cenſeat ita ſcribens: *Germana eſt eius interpretatio, vt à Græca voce* Πάππας, id eſt *pater, deſcendat. Licet alij deducant à* Πάππος id eſt *Auus. At verò in prima ſignificatione accipi conſueuiſſe vidimus: Eoque ſenſu accepta (vt ſcribit Vualfridus Strabo de rebus Eccleſ. cap. 7.) tranſijt in dignitatis nomen, vt Clerici venerandi eodem nomine appellarentur.*

5 Quidam nomen, *Papa*, deriuant à priſco Idiomate apud Italos, ſiue id aliundè obrepſit, ſiue ab Oſcis manauit, quod ſignificat *directorem*, aut *cuſtodem*. In hanc ſententiam inclinare videtur P. Theophilus Raynaudus in Onomaſtico Pontificio ver. *Papa*, quam confirmat primo loco teſtimonio impoſtoris Adelberti in Epiſtola, quam è Cælo delapſam fingebat, vbi ſic habet præter cætera: *Duodecim Papati, qui ſunt in Romana Ciuitate triduanas fecere vigilias.* Ita refertur, inquit, in Concilio Romano ſub Zacharia contra planum illum celebrato. Papatos autem ibi ſignificare aut præfectos morum, vel moderatores, & pædagogos, habetur ex Actis SS. Viti, atque Modeſti. Citat prætereà pro hac ſententia Petrum Damiani Opuſ. 23. cap. 4. aientem: *Nonne protinus ille depoſcet, & reconſignare depoſitum, & Papatis* (loquitur de pedagogo filijs regis in furorem verſo) *abijcere famulatum?* Item Opuſc. 57. Diſſert. 1. cap. 4. *Puer in medio, ſine Papate vel gerula cœpit.* Aliud adducit teſtimonium ex Actis breuiatis S. Cypriani antiquitùs conſcriptis, & exhibitis à Surio 13. Septembris, vbi Galerius Maximus Proconſul ſic refertur allocutus S.Cyprianum: *Tu Papam te, Sacrilegæ mentis hominibus præbuiſti.* Idem firmat auctoritate Epiſt. 60. lib. 3. apud Innocentium III. vbi Archiepiſcopus Corinthi expoſtulat ſibi circumuento ablatā eſſe medietatem Decimarum omnium Monaſteriorum, & Papatuum in quibus tres Monachi, vel pauciores morantur. *Vbi Papatus*, ſubdit P. Raynaudus, *apertè ſumitur pro Rectoria, vt vocant, in qua pauci Monachi ſub vno Papa, ſiue Rectore, vitam exigunt, longè minores numero, quàm in Abbatia, aut Prioratu.* Ex quibus omnibus infert: *Eſt ergo Papas, Cuſtos*,

6 Idem mox à me laudatus Auctor exiſtimat, non ineptam rationem denominandi Romanum Pontificem *Papam*, crui poſſe ex Polluce, apud quem Pappus, idem eſt, quod præcipuus inter ſeruos. Sic enim ille habet: Ὁ μὲν πάππας, μόνος τῶν θεραπόντων πάλαι, καὶ δῆλοι ἀποδείκνυον. Ad differentiam μόνος καὶ πρεσβύτης. *Erat enim hic ſeruus*, inquit, *inter ſeruos Dominus. Quia enim erat cæteris ſeruis in herili domo antiquior, & eius fidelitas magis erat probata, præponebatur omnibus famulis.* Abraham, *eiuſmodi famulum habuit Geneſ. 24. vbi legitur: Dixitque Abraham ad ſeruum ſeniorem Domus ſuæ, qui præerat omnibus, quæ habebat.*

7 Quidam etiam arbitrantur; nomen hoc *Papa*, complexum eſſe ex primis ſyllabis nominum Pauli, & Petri. Antiquitùs enim, vt affirmat Liuius Sanutus lib. 10. primæ par. Geographiæ, & ex eo Ignatius Braccius lib. 1. c. 10. pro *Decretum Pauli, & Petri*, ſcribeba-

tur *Decretum Pa . pe* . Ex hiſce autem duabus ſyllabis coaluiſſe poſtea hanc dictionem *Pape*, Dein *Papa* , volunt .

8 Ignatius Braccius lib. 1. de Etymologia nominis *Papa* , cap. 12. fieri poſſe exiſtimat , nomen *Papa* , ſuam duxiſſe originem à primis ſyllabis harum duarum vocum , *Pater Patriæ* ; vel , vt eodem lib. cap. 13. ſcribit , ex primis ſyllabis harum duarum, *Pater Patratus*.

9 Nonnulli nomen , *Papa* , à *papilla* , quæ eſt mammæ capitulum , vndè lac ſugitur, acceſſunt , vti perhibet idem Braccius lib. 1. cap. 6.

10 Tandem ſunt , qui exiſtimant nomen hoc formatum eſſe ex ſono, quem Patres edūt ſuos exoſculantes filios , ſimillimum ſyllabæ *Pa* .

Hæ ſunt Occidentalium 'opiniones circa nominis huius , *Papa* , notiones; quænam autem ſit Orientalium , infra dicemus .

CAPVT VII.

Refelluntur ſuperiores opiniones de nominis , Papa, *notionibus* .

PRima ſententia , quæ nomen , *Papa* , deriuat à *Pappo* Carduorum flore in lanuginem abeunte , nec diu durante , ſua euaneſcit leuitate . Comparatio autem ipſa caducitatis huius floris cum Romanorum Pontificum breui vitæ periodo , ipſum ſententiæ deſtruit argumentum . Commune quippè antiquitus erat nomen hoc omnibus Epiſcopis , ac proindè ad ipſorum vitæ periodum ea ratio nullo modo reuocari poteſt, ſaltem quamplurium , qui longiſſimam egerunt vitam . Præterea breuis eiuſmodi vitæ Romanorum Pontificum periodus longe poſt obſeruari cœpit , ac ſerò . Quis enim obſeruauit vnquàm breuitatem hanc , & vitæ compendium , dum Romani Pontifices non ſtatuta ſemel omnibus dies claudebant ſuos ; ſed Martyrij laureola per aliqua ſæcula coronabantur ? Leuis igitur ratio in re tanti ponderis,& grauitatis.

Secundam ſententiam , notionem quod attinet , veram eſſe exiſtimamus , vti poſteà probare conabimur : at deriuationem quod ſpectat , friuolam , ac futilem . Nam ſi exactis iam regibus veterem Latinam linguam vix ſub Cõſulibus antiquitatis peritiſſimi intelligebant , quemadmodùm Polybius Scriptor antiquiſſimus lib. 3. teſtatur ; qui fieri potuit,vt multò recentioribus ſeculis ſub Romanis Pontificibus , & ſerò quidem obſoleta illa vocabula , & vix peritiſſimis antiquitatis nota , poſtliminio redierint ? *Tanta enim* , inquit Polybius loco citato, *facta eſt mutatio Romanæ linguæ ab ea tempeſtate in hodiernum; vt etiam qui antiquitatis peritiſſimi ſunt , pleraque nonniſi difficulter intelligebant.* Idem innuit Horatius lib. 2. Epiſt. 1. de Carmine Saliari , quod à Salijs Sacerdotibus canebatur , ita ſcribens :

Iam ſaliare Numæ carmen qui laudat, & illud ,
Quod mecum ignorat , ſolus vult ſcire fateri .
Ingenijs non ille fauet , plauditq; ſepultis ;
Noſtra ſed impugnat .

Quaſi verò non habebant qui primi nomen hoc Romanis indiderunt Pontificibus ſui æui (quo tempore lingua Latina omnibus numeris abſoluta erat , & florentem , ac optimam nacta ætatem) vocabulum aliquod idem ſonans , eiuſdemque notionis , vt repueraſcere , ac balbutire *pa . pa . pa .* cum linguæ Latinæ pueris cogerentur .

Tertia , quæ nomen , *Papa* , ab interiectione admirantis deducit , non ſine admiratione excipi poſſe videtur . Noua , mea ſententia,eſt hæc opinio. Nemo ex antiquis ſcriptoribus adſtipulatur illi . Affinitas vocabuli, & præſens Romanorum Pontificum amplitudo , & Maieſtas in hanc induxit ſententiam , ne dicam , eius decepit auctores . Si autem in Romanos Pontifices bellè cadit ob rationes ab illius propugnatoribus allatas, de alijs inferioribus dignitatis Antiſtitibus, quibus diu hoc nomen commune fuit , quid aſſerendum erit ? Quid præterea , ſi alijs tributum fuerit hoc nomen, antequàm Romanis Pontificibus aſcitum ? quod quidem oppidò probabile eſt, vt infra ſuo loco videbimus .

Quarta friuola,& puerilis quodammodò videtur . Quid, quæſo , commune habet nomen , *Papa* , cum puerorum *pappa* ? Si enim deriuandum eſt hoc nomen à *pappa* & *pappare* , nimirum *cibo* , & *cibari* , vt iſti aiunt , id potiùs matri eſſet tribuendum, quàm patri ; quia matris officium eſt in ea ætate cibum præbere pueris , quàm patris . Et ſi alicubi vocant pueri patrem *mon pappà* , id ſane non deriuatur à *pappa* , nempe pulmento , vt infra videbimus ; quemadmodum nec nomen *Mamma* , quo matrem appellant , deriuatur à *Mamma*, nempe vberibus,quæ ſunt receptacula puerorum cibi , nempe lactis , & potus . Alia ergo eſt huius nomenclaturæ ratio , & aliunde petenda , quàm à puerorum *pappa* , *vel pappare* . Hinc, & iure , meo iudicio,Ianus Parraſius in quadam Epiſtola , quæ habetur in Theſauro Critico , ſcribit : *In Papa, ridiculum eſt puerorum cibum intelligere* . De voce autem *Papa*, qua ſignificat *Patrem* , capite ſequenti fuſius dicemus .

Quinta ſententia benè quidem caderet in Romanum Pontificem , notionem , quod attinet , ſi vocabuli deriuatio illa ſolidius aliquod haberet fundamentum.Sed quid obſtat, quin *Papas* , locis citatis per accommodationem ſignificet Cuſtodem , vel Directorem ? Et quid,quin *Papatus* ibidem denotet Abbatiam, in qua pauci Monachi ſub vno Abbate , ſeu patre vitam exigunt ? Vulgatiſſimum quippe eſt animorum directores , & puerorum magiſtros, & pædagogos, paſſim apud omnes gentes appellari patres . In quibuſdam vero Abbatijs non ſolùm pauci degunt Monachi , ſed multo etiam aliquando pauciores , quam in quibuſdam Rectorijs .

Sexta opinio egregiè , & doctiſſimè tractatur, & explicatur à P.Theophilo , in eamq; initio inclinare videtur , multis adductis in ea probanda ; & aſſerenda Patrum auctoritatibus , & teſtimonijs , ad calcem tamen ſic concludit : *Quominus tamen hinc petitum credam nomen* Papæ , *obſtat , quod olim omnes Epiſcopi donabantur* Papæ *nomine; cùm tamen ſeruus ille ſenior toti familiæ Chriſti præpoſitus , ſit ſolus Romanus Pontifex . Hac , & alia à varijs in*

hanc

hanc rem excogitata, proferri in hanc rem non inuerisimiliter poſſunt, nec dum tamen explent animum,

Septima, quæ nomen *Papa*, deriuat ex compendio expreſſa adſcriptione antiqua in Pontificijs decretis *Pa*, *Pe*, hoc eſt Paulus, Petrus, nullo modo ſubſiſtere poteſt, cum quia nuſquam, & nunquam in Pontificijs decretis, & diplomatibus nomen Pauli præponitur nomini Petri, vt opinionis huius ſupponunt auctores; tum quia nomen, *Papa*, commune antiquitus erat omnibus Epiſcopis, in quos notio hæc nullo modo cadere poteſt. Ex quo liquidum fit plures huius nominis tractatores deceptos fuiſſe ſua tantummodo reſpicientes tempora, & ac ſi nomen, *Papa*, ſoli Romano Pontifici ſemper tributum fuiſſet.

Octaua iiſdem refellitur rationibus, & argumentis: ac ſeptima. Si quidem hæc nomina, *Pater patriæ*, *& Pater Patratus*, nullo modo in alios cadere poſſunt Epiſcopos, qui nomine, *Papa*, olim donabantur, illiſque id cum Romano Pontifice commune erat.

Nona friuola omninò videtur, ac futilis. Quid enim commune habet nomen, *Papa*, cum *papilla*? Conceduntne Grammatici hanc formationem? Ego ſane neſcio an hinc commode deduci poſſit. Præterea alia eſt ratio capitis, alia papillæ. Equidem puto, hanc, & ſimiles alias opiniones ex eo oriri, quod cùm neſciatur vera, & germana nominis huius deriuatio, vnuſquiſque eam deducere ſtudet ex obuia quaque dictione, quæ cum nomine, *Papa*, ſimilitudinem habet aliquam, quicquid illa ſignificet. Nam ſenſum, quod ſpectat, eum accommodant ad ea, quæ dicunt, aut intendunt. Ita ſanè vt ſi auris, vel naſus, vel os, vel brachium, aut manus, pes vel etiam arbor aliqua, vel herba, vel flos, vel lapis, vel gemma conſimilem nomini, *Papa*, haberet denominationem, non defuiſſet, qui inde hoc deriuaſſet nomen, additis deriuationibus, rationibus, & argumentis vna cum Commentarijs. Proinde eſt, qui illud accerſet a Carduorum flore, & qui à *pappa* puerorum, nempè pulmento, & qui à *papilla*, & qui à ſono oris, quem patres edere putantur, cùm ſuos exoſculantur natos, & quid non?

Decima opinio, quæ nomen, *Papa*, deriuat à ſono, quem pater ſuos exoſculans natos edit, omnium ſane ineptiſſima mihi videtur. Etenim ijdem huius generis ſoni diuerſimodè à diuerſis concipiuntur, vt accidere videmus, exempli gratia in campanarum ſono, qui vni eſt *ta*, alteri *ba*, *fa*, *ſa*, *da*, *la*, & eiuſmodi. Imo eidem alius, & alius eſt per diuerſa temporis inſtantia, & momenta. Quod quidem euidentiſſimè probatur, & euincitur ex iiſdem ſententiæ huius auctoribus, qui ex magno Etymologiſta volunt nomen hoc Latinum, *Filius*; deriuatum eſſe ex hoc nomine Græco, Φίλος, idest *Carus*, *Gratus*, & id ἀπὸ τοῦ γινόμενον κατὰ τὸ φιλεῖν ἦχον. idest *Ab ea voce, quam quis edit alium exoſculans*. Concluditur itaque alium, atque alium concipi à diuerſis ſonum illum, qui editur ex ore exoſculantis alium, nempè alium vt *pa*, alium vt *fa*, & multis forſan vt *da*, *ſa*, & eiuſmodi. Quamobrem nihil certum ex allatis ſententijs ſtatui poteſt in hac quæſtione. Hinc P. Theophilus Raynaudus, poſtquàm ſuam retulit opinionem in Onomaſtico Pontificio V. *Papa*, ſic tandem ſubdidit: *Itaque hæreo in vocis notatione, & ſubiecta ei notione, quam propoſui.*

CAPVT VIII.

Eutychij Patriarchæ Alexandrini Narratio de Origine Nominis, Papa, *eiuſque notione, & qua occaſione, & quandò Alexandrinis Patriarchis omnium primùm impoſitum fuit.*

EVtychius Patriarcha Alexandrinus, cuius teſtimonio, & auctoritate non ſemel abuſus eſt Aduerſarius, Originem, notionem, occaſionem, & quando nomen hoc, *Papa*, Alexandrinis Patriarchis omnium primùm impoſitum fuit, ſic in ſua Eccleſiaſtica narrat hiſtoria: .... Ideſt: *Si qui verò percunctati fuerint, cur Patriarcha Alexandrinus,* Papa, *vocatur?* Papa *autem Auum ſignificat. Hoc quidem ideò, quia à tempore Hananiæ, quem Marcus Euangeliſta Patriarcam conſtituit Alexandriæ vſque ad tempora Demetrij Patriarchæ Alexandriæ, qui fuit vndecimus Patriarcha Alexandrinus, nullus erat in Prouincia Ægypti Epiſcopus; nec Patriarchæ, qui ante illum erant, conſtituerant (ibi) Epiſcopum vllum. Factus autem Demetrius Patriarcha tres creauit Epiſcopos; & is eſt primus Patriarcha, qui in Alexandria fecit Epiſcopos. Eo autem defuncto, ſuffectus eſt poſt illum Heraclas Patriarcha Alexandriæ, qui viginti creauit Epiſcopos. Vnus verò ex his Epiſcopis nomine Eumenius in Legem præuaricatus eſt. Cuius quidem fama cùm ad Heraclam delata eſſet, congregauit Heraclas Patriarcha Synodum Epiſcoporum, & ad Vrbem Eumenij perrexit eiuſque ſtatu ſatis cognito, atque perſpecto negotio, illum ad veritatem reduxit. Plebs verò audiens Epiſcopos appellantes Patriarcham,* Aba, *patrem, dixit apud ſe: Si nos Epiſcopum appellamus,* Aba *patrem, oportet, vt nos Patriarcham appellemus* Baba, *ſeu* Papa *id eſt* Auum, *cum ſit* Pater Patrum. *Itaque à tempore Heraclæ Alexandrinus Patriarcha,* Baba, *ſeu* Papa *id eſt* Auus *dictus fuit.*

Hæc Eutychius Patriarcha Alexandrinus de Origine, & notione nominis, *Papa*, nec non de tempore, occaſione loco, & perſonis, quibus, & à quibus, impoſitum fuit.

CAPVT IX.

Eutychij narrationi de Origine Nominis, Papæ, *apud Aegiptios, aliorum, Scriptorum Alexandrinorum accedunt teſtimonia.*

EVtychianæ narrationi, quam ſuperiori capite retulimus de illa Origine Nominis, *Papa*, apud Ægyptios, bini adhuc adſtipulantur Alexandrini Sciptores, Chriſtianus vnus, alter Mahometanus.

Horum primus eſt Georgius Homaidius, qui par. I. ſui Chronici in Nerone rem ſic narrat.

rat . . . . . . , . . Id eſt : *Et ſuffectus eſt poſt illum* (Demetrium) *Heraclas in Patriarcham Alexandrinum, qui Heraclas plures conſtituit Epiſcopos Ægyptios in prouincia Ægypti; cœperuntque Epiſcopi appellare Patriarcham*, Aba , patrem, *& Presbyteri, ac populus Epiſcopum nuncupare*, Aba , patrem, *Eoque adducti ſunt pietatis ſtudio, vt Patriarcham Alexandrinum* Babam, *ſeu* Papam *appellauerint , dicentes: Hic* Pater *eſt* Pater Patrum . *Et innotuit ex eo tempore id nomen.*

Alter eſt Abubacrus Habbaſides, qui par. 2. ſuæ Apologiæ contra Chriſtianos, ſic tem ex Chriſtianorum Ægypti, vbi ſcribebat, vulgatiſſimis Scitis narrat: . . . . Ideſt : *Presbyteri autem, & populus audientes Epiſcopos appellantes Patriarcham* Aba , patrem, *& Epiſcopus appellat Patriarcham*, Aba, patrem, *conſentaneum erit, vt Patriarcham nos appellemus* Babam, *ſeu* Papam, *ideſt* Auum, *cùm ſit Pater Patri noſtro* .

Hic itaque animo adſis, & mente, Seldene, videbiſque ex laudatis mox auctoribus, huic nomini ex ſua origine, & notione nihil ineſſe exoſi, aut tumidi, quod Alexandro præbuiſſet occaſionem, vt peteret à Presbyteris illis Alexandrinis, ne Patriarcha Alexandrinus *Papa* vocitaretur, quæmadmodùm tibi verba Eutychij interpretari, forte ex concepto odio, quod eum lacte ex Caluiniſticis ſuxiſti vberibus, viſum eſt.

CAPVT X.

Quenam ſententia de Origine, & nominis Papæ *notione tanquàm Probabilior ſtatuenda ſit.*

CApite 6. huius partis decem ſententias, & opiniones de nominis *Papæ* Origine, & notione retulimus, illaſque omnes cap. 7. refellimus, & impugnauimus tamquam nulli ſolido innixas fundamento. Capite verò 8. Eutychij hac de re in medium attulimus opinionem, quam capite 9. aliorum Orientalium roborauimus, atque confirmauimus auctoritatibus, ac teſtimonijs. Nunc reſtat, vt videamus, vtrùm hęc opinio Eutychij aliorumq; Orientalium tamquàm verior, ac probabilior ſit ſtatuenda.

Dicimus itaque hanc Eutychij, & Orientalium aliorum ſententiam de Origine Nominis *Papæ*, tamquàm probabiliorem ſtatuendam eſſe, & id, quia omnibus probabilitatis innititur principijs. Principia autem, & rationis probabilitatis ſunt *locus*, vbi nomenclatio *Papæ* originem habuit, qui eſt Ægyptus, *tempus*, nempè ſub Heracla 12. Alexandrino Patriarcha circa An. Dom. 222. imperante ex eodem Eutychio Alexandro Seuero. *Auctores, & parentes*, ideſt populus, ſeu Ægyptiaca plebs, quæ id nomen Patriarchæ impoſuit. *Occaſio*, & *ratio*, quæ plebem illam induxit ad id nomen imponendum Patriarchis, nempè Synodus Epiſcoporum appellantium Patriarcham *Patrem*, vndè intulit plebs illa : Ergo Patriarcha *Pater patrum*, ſeu *Auus* nobis nuncupandus eſt, quia eſt Pater Epiſcoporum, qui patres ſunt noſtri.

Quæ omnes ſanè circumſtantiæ ſatis ſuperque eſſe videntur ad ſententiam hanc cæteris probabiliorem reddendam; eaſque tamquàm obſcuras, ignobiles, & ſpurias quodammodò habendas, cum nec parentes agnoſcant, nec Auctores, nec natalium locum, neque impoſitionis, aut originis occaſionem, aut veriſimilem rationem, aut demum notionem nomenclationis. Quamobrem ratione ad hanc habita futiles eſſe videntur, cùm *rationes, quæ non deducuntur ex proprijs principijs inanes ſint*, vt docet Philoſophus 2. de gen. Anim. cap. 6. & 1. de Anim. cap. 11. Igitur omnium probabiliſſima habenda, & exiſtimanda eſt hæc Orientalium opinio, vt quæ ex proprijs deducitur principijs. Iure igitur concludit P. Raynaudus in ſuo Onomaſtico Pontificio, poſtquàm varias attulit ſententias: *Itaque hæreo in vocis notatione, & ſubiecta ei notione, quam propoſui*. Aliorum non placent ipſi ſententiæ, in ſuæ notatione hæret.

Contra hanc tamen ſententiam Orientalium facere videtur Epiſtola S. Ignatij ad Mariam Zarbenſem, in qua S. Anacletum titulo *Papæ* multò ante Heraclæ tempora decorat. Verùm quantæ auctoritatis ſit Epiſtola illa, & an ſit ipſius Ignatij, nunc non diſputo, ſed doctorum Virorum, & antiquitatis peritorum relinquo iudicio, & diligentiori inquiſitioni.

Notionem deindè quod attinet, omnes grauiores Auctores conuenire videntur, hoc nomen, *Papa*, ſignificare *Patrem Patrum*; Sed notio hæc à nulla ſententia meliùs, aut commodiùs deduci poteſt, quàm ab hac ſententia Orientalium; ergo tamquàm omnium probabiliſſima habenda, & ſtatuenda eſt. Ratio probabilitatis ex circumſtantijs ſupra allatis ducenda eſt; nec non ex ipſa vocabuli certitudine, qua alia omnia carent.

Verùm contra hanc notionem occurrit obiectio Celſi Mancini lib. 3. de iuribus Principatuum cap. 5. quam refert doctiſſimus P. Theophilus Raynaudus in Onomaſtico Pontificio verbo *Papa*, vbi *Ad hæc*, inquit, *ea notio vocis* Papa, *vt ſic dictus, quaſi* Pater Patrum, *ægrè poteſt ſubſiſtere, & monſtrari ſolida; tum quia, vt argumentatur Celſus Mancinus lib. 3. de Iuribus principatuum cap. 5. plerisque locis, ac nominatim in Synodali Epiſtola Epiſcoporum Epiri ad Hormiſdam, idem ſimul, &* Pater Patrum, *&* Papa *appellatur, quod abſque labe battologiæ non fieret, ſi* Papa *idem eſſet quod* Pater Patrum.

Huius obiectionis tota vis pondus, & momentum conſiſtit, vti videtur, in ea auctoritate Epiſtolæ Synodalis Epiſcoporum Epiri ad Hormiſdam, in qua, & *Papa*, & *Pater Patrum* appellatur, quod abſque labe battologiæ dici non poteſt, arbitratur Celſus Mancinus, & qui ei ſuffragantur. Sed mea ſententia hæc obiectio ſtraminea eſt, ac nullius prorsùs momenti. Nam fieri poteſt, & quidem probabiliter, quòd Epiſcopi illi Epiri neſciuerint, nomen *Papa*, ſignificare *Patrem Patrum*. Nec eſt mirandum, quia etiamnum poſt tot elapſa ſæcula, ac poſt infinitas rerum Eccleſiaſticarum diligentiſſimas indagationes, inueſtigationes, ac dilucidationes permulti ſunt ferè Epiſcopi, qui id (abſit tamen iniuria) penitùs ignorant; quemadmodùm, & plura alia id genus Eccleſiaſtica vocabula.

Præ-

Prætereà *Papa* hæc nomenclatio nequaquam ſpectatur, aut ſpectanda eſt iuxta propriam notionem, aut ſignificationem, ſed qua nomen dignitatis eſt, & officij, vti plura alia Eccleſiaſtica vocabula. Quo quidem animaduerſo nullam ibi cubare battologiam comperies. Idem obſeruandum eſt in ſimilibus alijs nominibus; dicimus enim *Pater Abbas*, quod ſi attendendum eſſet ſecundùm ipſam notionem, idem eſſet, ac *Pater Pater*; ſimiliter *Presbyter ſenior*, idem eſſet, ac *ſenior ſenior*, & eiuſmodi, tamen hoc ſine vlla battologiæ labe, aut vitio.

Item nomen hoc *Epiſcopus*, quid aliud ſignificat, quàm *ſpeculatorem*, ſeu *inſpectorem*, nihilominus in Epiſtola Pamphyli Epiſcopi Abydorum ad Petrum Fullonem legitur: *Inſpector, & Epiſcopus omnium*. Raynaudus in Onomaſtico. Et id quidem, quia ea nomina tunc ſpectantur, non quà eam habent notionem, & ſignificationem, ſed quà ſunt nomina dignitatis & officij. Iuxta quam autem rationem iure, ac ritè Epiſcopi Epiri Hormiſdam, & *Papam*, & *Patrem Patrum* appellarunt abſque vlla battologiæ labe, quia ipſam ſpectarunt dignitatem, & officium, non notionem. Haud rectè igitur arguit indè Celſus Mancinus, & qui ab eius partibus ſunt.

Obiectionem proſequitur, & corroborat hac alia ratione P. Theophilus Raynaudus loco ſupra citato: *Tum etiam quia olim omnibus Clericis, poſteaque omnibùs ſaltem Epiſcopis commune fuit nomen* Papæ, *tamſi non dicerentur* Patres Patrum. *demptis perpaucis inſignis notæ Præſulibus, de quo poſteà*.

Hæc obiectio duplex eſt: Primùm enim reſpicit Clericos minores, deindè verò Epiſcopos. Ad Clericos minores quod ſpectat, dicimus, hos nunquam apud Patres, aut grauiores auctores *Papæ* nomine decoratos fuiſſe, & ſi quid eiuſmodi legitur, id abuſiuè intelligendum, accipiendumqee eſſe, cùm minores aliquandò maiorum titulos vſurpaſſe deprehenſum fuerit. Ex quo aſſertio Walfridi lib. de rebus Eccleſ. cap. 7. ſcribentis nomen *Papæ* ſouare olim dignitatem omnibus venerandis Clericis communem, parui habenda eſt, atque futilis cenſenda, cùm id neque in Patrum legatur Scriptis, neque ſolido alicui innitatur fundamento ſed gratis aſſertum. Pari ratione abuſiuè intelligenda eſt Iſaaci Comneni Bulla aurea, in qua ſimplex Lector *Papa* vocatur. An ſingulare hoc, & vnicum exemplum? An Conſtantinopolitanus œcumenici, ſiue vniuerſalis tituli ad nimiam non incubuit ambitionem? quid dicendum eſt de Babylonico Epiſcopo, qui ſe Catholicum, & vniuerſalem inſcribit? nempè Patriarcha.... *Totius Orbis habitabilis*, vt paſſim hiſce verbis apud auctores Gentis huius legitur. Nonne idem etiam, & eodem contendit Armenus? Nonne hactenus in toto ferè Oriente Diaconi titulus honoris gratia tribuitur ijs, qui vel prima tonſura, vel aliquo minorum Ordinum ſunt decorati?

Prætereà hæc eadem obiectio militat quoque contra omnes alias ſententias. Qua enim ratione aptari poteſt nomen *Papa* Clericis minoribus, vel deducatur à *pappo* Carduorum flore; vel ſit complexum ex duplici *Pa*, vel ex interiectione *Papa* deriuetur; vel ex *pappo*, quod *præcipuum inter ſeruos* deſignat; vel ex verbo infantili *pappare*, aut, *pappa* & id genus alijs? Abuſiuè ergo intelligenda eſt, ſi qua occurrit eiuſmodi loquutio apud aliquos Auctores.

Quòd verò *poſteà* omnibus ſaltem Epiſcopis, tributum fuerit nomen *Papæ*, valdè improbabile eſt. Nam quis facilè credet, nomen hoc inditum priùs fuiſſe minoribus Clericis, poſteà verò Epiſcopis? niſi tamen velit eius auctor particula illa *poſteà* denotare id nomen relictum *prius* à minoribus, & retentum *poſteà* à maioribus, quemadmodùm nomen Epiſcopi relictum à Præsbyteris, & retentum ab Epiſcopis, & *Papæ* nomen dimiſſum ab Epiſcopis, & retentum ab Romanis Pontificibus.

Ad ſecundam obiectionis partem reſpondeo; hoc nomen non ſolùm tributum fuit omnibus Epiſcopis olim, ſed, & *Patres Patrum* eadem notione dicebantur, quia *Patres* generant, vti docet D. Epiphanius Hæreſ. 75. ita ſcribens: *Ordo verò Epiſcoporum eſt ad gignendum patres, gignit enim patres Eccleſiæ. Ordo verò Presbyterorum patres non poteſt generare, per lotionem verò regenerationis filios generat Eccleſiæ; non patres*.

Omnes ergo Epiſcopi ex mente D. Epiphanij dici poſſunt ex æquo *Patres Patrum*, quà ordinandi ſunt præditi poteſtate, quia ordinando Presbyteros generant patres: igitur ſunt *Patres Patrum*. Ex quo non maiori iure appellatus fuit Gregorius Nyſſenus in II. Nicæno Concilio Seſſ. 6. *Pater Patrum*, aut Chryſoſtomus a Theodoſio apud Nicephorum lib. 15. c. 43. aut Ioannes Alexandrinus in libello ſupplice Coſmæ, vt retulit Anaſtaſius in eiuſdem Ioannis hiſtoria c. 13. aut alij inſignioris notæ Epiſcopi, quàm illi, qui infimæ ſunt notæ. Id autem ideò factum eſſe, pro certo habendum eſt, & credendum, quia illi alij nullum nacti ſunt Scriptorem, qui eorum ſcriberet geſta, vel nulla ſe obtulit occaſio Scriptoribus, aut ipſis in mentem id venit. Alioquin qua maiori ratione Magnericum Epiſcopum *Patrem Patrum* compellat Fortunatus, aut Sydonius lib. 6. Epiſt. 1. S. Lupum Trecenſem Epiſcopum, quàm viros illos magnos Auguſtinum, Ambroſium, Cyrillum Alexandrinum, Athanaſium, & alios ſexcentos, quamuis ea nomenclatione non minùs digni ſunt, quàm Chryſoſtomus Gregorius Nyſſenus, Ioannes Alexandrinus, & quicunque alij.

Porrò idem obiectionis auctor aſſerit, nomen *Papa*, commune olim quoque fuiſſe omnibus Epiſcopis; tamen perpauci eo titulo decorati ſunt; at non ſequitur proindè à pari ex eiuſdem ſententia, ergo hoc nomen non fuit commune, quia perpauci, & ij inſignioris notæ Præſules eo cohoneſtati ſunt. Ratio eadem, quæ ſuprà militat, quia nimirùm nulla ſe obtulit occaſio Scriptoribus. Alioqui cur potiùs S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, cùm Pallium ab Vrbano II. Pontifice Romano ante annos ampliùs quingentos reciperet, ab eo vocatus eſt, *Papa alterius Orbis*, quod legitur apud Geruaſium Dorobernienſem Monachum in libro Manuſcripto, quem ſub titulo: *Imaginationis contra Robertum Abbatem S. Auguſtini*, annis ab hinc ampliùs quadrigentis compoſuit, teſte ipſo Seldeno

pag.

pag. 140. Cur iſte inquam, fuit eo uomine compellatus priùs ab Vrbano II. quàm quiſpiam alius ab alijs Summis Pontificibus inſignis notæ, ac Sanctimouiæ, & maioris, amplioriſque iuriſdictionis, quales ſunt Couſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolimitanus, aut Babylonicus?

Concludeudum igitur eſt, hanc Orientalium ſententiam de Origine, & nominis *Papa* notioue omnium eſſe probabiliſſimam, atque multò magis veriſimilem, quia eò concurrunt omnes probabilitatis rationes, & circumſtantiæ, & à ſuis egregiè deducitur principijs, quibus omnibus conditionibus aliæ carent ſententiæ, quemadmodùm ex teſponſione ad ſingulas ſuo loco videre eſt.

CAPVT XI.

In quo inquiritur, à qua lingua deriuatur hoc nomen Papa.

QVamquàm ex laudatis ſuperiùs Auctoribus Eutychio, & alijs conſtet, nomen, *Papa*, complexum eſſe ex hiſce duabus vocibus *Ab*, & *Aba*, & ſignificare *Auum*, ſeu *Patrem Patrum*, tamen cuius linguæ ſit, aut idiomatis reticent penitùs. Quamobreu ratio exigit à nobis, & uoſtræ poſtulant partes, vt inquiramus, ſtatuamuſque cuius ſit linguæ; & difficultatibus, quæ circa ſcripturam, & literarum diuerſitatem reſpondeamus.

Et ſanè *locus* imprimis, qui eſt Ægyptus, vbi primò nomen hoc excogitatum eſt: *Auctores*, qui illud, ex data occaſione intulerunt, qui eſt Ægyptiacus populus, *perſonæ*, quibus inditum eſt, qui ſuut Alexaudrini Antiſtites, ſeu Ægypti Patriarchæ, planè peſuadere videntur, Ægyptiacum eſſe debere id vocabulum, & illius gentis vernaculum.

Pòrrò conſtautiſſimum, atque notiſſimum eſt, in toto liuguæ Ægyptiacæ ambitu nullum eſſe einſmodi vocabulum, quemadmodum linguarum periti, quutquot ſunt, facilè, ac ſine vlla protsùs controuerſia concedunt, & in hanc accedunt ſenteutiam. Reſtat ergo, vt dicamus, id eſſe peregrinæ linguæ ab Ægyptijs vſurpatum, eorumque linguæ adſcriptum catalogo, & ipſis tamquam vernaculum factum.

Sunt autem, qui arbitrantur Hebraicum eſſe vocabulum. Ita Iguatius Braccius Tract. de Etymologia nominis, *Papa*, lib. 1. cap. 8. cuius ſimplex.... *Ab*, ipſi ſignificat ex Pagnino *Pater*, *primus*, *doctor*, *prior*, *antiquus*, *dominus*, *magiſter*, à quo fit compoſitum, ſeu complexum ..... *Ab-Ab*, id eſt *Pater Patris* ſeu *Auus*.

Nounulli verò exiſtimant nomen hoc Syriacum, ſiue Chaldaicum eſſe. Hæc opinio eſt Gabrielis Klahi Marouitæ Ledrenſis Archiepiſcopi *lib. de Sacerdotio cap. 3. de Sacris Ordinibus, & Dignitatibus*. Ipſa Auctoris verba ſunt. .... Id eſt: *At verò*, Papa, *eſt nomen deriuatum à lingua Syriaca, & eſt compoſitum ex hiſce duabus dictionibus* Ab, *&* Aba, ſcilicet Pater Patris, *ſiue* Auus.

Id igitur in cõtrouerſiam, & diſceptationem modo vocatur, ab vtra nimirùm harum duarum liuguarum, Hebraicæ, vel Syriacæ deriuarum ſit hoc vocabulum. Nam ab harum alterutra deriuatum eſſe, neceſſariò oportet iuxtà Eutychij, aliorumque Orientalium Scriptorum, qui ab eius ſnut partibus.

Quamubrem ad buius rei maiorem elaritatem, atque intelligentiam ſciendum, notandumque eſt: huius nomiuis thema, ſeu radicem communem eſſe Hebræis, itemque Sytis, imò & Arabibus, atqne omuibus hiſce gentibus ſignificare *Patrem*, & eius complexum, ſeu compoſitum, *Patrem*, *Patrum*. Itaque uodus totius quæſtionis, & difficultatis momentùm in eo ſitum eſt, ab vtra nimirùm harum duarum linguarum id vocabulum ad Ægyptios translatum fuit, & an æquè beuè admittat iuxtà vtriuſque linguæ analogiam, & genium eam compoſitionis formam, & ſcripturam. Nam tametſi thema, & radix eadem ſit vtrique linguæ, nihilominus non eadem eſt vtrique forma, ſcriptura, & orthographia. Id autem eodem modo ſe prorsùs habet in hiſce linguis, ac in Latina, Italica, Gallica, & Hiſpanica, quibus multarum vocum idem eſt thema, eadem radix, diuerſa tamen ſcriptura, & orthographia diuerſa. Ex eodem quippè themate, ſeu radice Latini dicuut *Panis*, Itali *Pane*, Galli *du pain*, Hiſpani *el pan* Item *Currere*, *Correre*, *Courir*, *Correr*, & alia huiuſmodj perplura, quæ ex eadem deriuantur radice, & origine, & Latina, vel Italica, vel Gallica, vel Hiſpanica dicunrur ob ſolam orthographiam, & paruam illam ſcripturæ diuerſitatem.

His itaque animaduerſis, & notatis reſtat, vt videamus ab vtra harum duarum linguarum Hebraica ſcilicet, vel Syriaca commodius deduci poteſt hoc vocabulum, cuinam ſcripturæ, & Scriptores magis ſuffragantur, vel refragantur.

Contra eorum opinionem, qui nomen, *Papa*, à lingua Hebraica deriuarum eſſe arbitrantur, duo repugnate, & reluctari maximè videntnr. Primum, ipſa dictionis forma, terminatio, ac orthographia, cùm nomeu *Papa*, terminetur, & claudatur vocali, *A*, non autem conſonanti; *B*, vt Hebraicum .... *Abab*, ſiue *Apap*, de quarum literarum diuerſitate capite ſequenti. Igitur ſecundùm ſuperiùs notata id vocabulum non eſt Hebraicum, licet radix, ſeu thema, idem ſit, ac vtrique linguæ commùne.

Præterea non bonis tantùm illis temporibus, ſed ſubſeqnentibus etiam, ac deinceps Chriſtiani teligioſè abſtinuiſſe videntur, ne dicam abhorruiſſe à linguæ Hebraicæ vſu in ſacris præcipuè, & Eccleſiaſticis rebus. Ex quo factum eſt, vt nulla ad nos Hebraica lingua, vel ſermone perueuerit Liturgia, Sacræ preces nullæ, nullum Rituale, nulli Canones, nullæ Conſtitutiones, aut quicquam aliud Eccleſiaſtici iuris. Et ſi quid legitur id genus apud Scriptores, tunc uomine Hebraicæ linguæ Chaldaica, ſiue Syriaca intelligenda eſt, quæ Hebraica dicta aliquaudo fuit, quòd ea vterentur poſt teditum à Babylonica captiuitate Hebræi. Hoc planè patet ex lib. Actorum cap. 1. ver. 19. vbi ſic legitur: *Et notum factum eſt omnibus habitantibus Ieruſalem, ita vt appellaretur ager ille, lingua eorum Haceldama, hoc eſt, Ager ſanguinis*. Hic Syriacus Textus

legit

legit . . . . *Et ita appellata fuit villa illa lingua eius regionis, Haceldama*. Hæc autem verba, ſen complexum *Haceldama*, Syriacum eſſe, nemo linguarum vel parumper peritus ignorat. Idem confirmatur ex cap. 21. ver. 40. Actorum vbi dicitur, Paulum alloquutum eſſe Iudaicam plebem lingua Hebręa. Et cap. 22. vet. 2. aſſeritur, plebem illam, cùm eum audiſſet Hebræa lingua loquentem, magis præſtitiſſe ſilentium. Sed Iudæorum linguam eo tempore Chaldaicam, ſiue Syriacam fuiſſe, nemo doctus ambigit.

Ex quo clarè, & liquidò conſtat, linguam Chaldaicam, ſiue Syriacam, linguam habitantium Ieruſalem, nempè Hebtæornm, dictam olim fuiſſe. Quamobrem qnoties occurrit apud antiquos Auctores, aliquid Hebraica lingua Scriptum, & Chriſtianis monumentis traditum, id de lingua Chaldaica, ſine Syriaca ſub eo nomine accipiendum eſſe, pro certo habeudum eſt. Id autem affirmatur ab omnibus Scriptoribus, qui hoc perttactarunt argumentnm, nec vllus penitùs dubitat, aut reuocat in dubium. Imò id maximè comprobanr Hebræorum & priuata, & publica ſcripta, qui hactenùs poſt teuerſionem è Babylonica captiuitate Chaldaica, ſiue Syriaca lingua & ſcribunt, & celebrant monumenta, quæ tamen à multis Hebraica dicuntur, tùm quòd Hebræorum ſunt, tùm quòd characteribus exarata ſunt Hebraicis.

Itaque nihil prorsùs Eccleſiaſtici iuris Hebraica lingua commendatum fuit. Et qnod ſanè plurimum demirandum eſt, licet prima Ecoleſia ex Hebræis ortum habuerit, ac inter ipſos educata ſit, atque propagata, nnlla tamen ex Hebræorum nonune Hebraica nnncupata fuit Eccleſia, quemadmodum ex Gentibus, vti Latina, Græca, Chaldaica, Syriaca, Ægyptia, Æthiopica, Armena, atque eiuſmodi aliæ. Quod quidem apud me ſæpiſſimè penſitans, nulli rei, aut cauſæ id adſcribendum exiſtimaui, quàm Hebræorum gentis, & linguæ reprobationi, quia reprobauerunt illi lapidem illum, qui factus eſt in caput anguli, vt cecinit Pſalmiſta regius Pſal. 112. ver. 22. quamobrem *Ecce nationem filiorum reprobaui*, inquit, idem Pſal. 72. ver. 15. Quod quidem referens Seruator noſter Matth. 21. 42. principibns Sacerdotum, & Phariſæis dixit: *Nunquam legiſtis in Scripturis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris: ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*: Et ne ambigeretur, quòd de illis dictum ſit, ſtatim ſubiungitur. *Et audiſſent principes Sacerdotum, & Phariſæi parabolas eius, cognouerunt, quòd de ipſis diceret*. Quod autem ablatum ſit ab eis regnum Dei, & datum gentibns, dubitat nemo. Et ſanè mirabile eſt hoc in oculis noſtris, cùm nullam habeant in Eccleſia ſub eo nomine partem, aut ſortem; ideoque cui non tinniunt ambæ aures.

Iactabant ſe olim Iudæi, nulla alia lingua eſſe laudandum Deum, ant preces ipſi fundendas, quàm ſna Hebraica, nec ab alijs gentibus adorandnm. Sed contrarium minatus eſt eis Deus Iſa. 45. 23. dicens: *In memetipſo iurani, egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua*. Quod & opere completum eſſe videmns.

Quam autem Iudæorum iactationem peregregiè quidem inter autiquos Patres perſtrinxit olim D. Epiphanius lib. 2. Hæt. 69. hiſce verbis: *Nam de hoc prophetauit, qui dixit iuxta Hebraicam linguam* ELI ELI lamaſabactani, *quod per conſequentiam implebat Dominus in Cruce dicens: & quæ de ipſo prædicta erant*, ELI ELI, *Hebraica lingua velut præſcriptum erat. Et non ampliùs Hebraica, ſed Syriaca lingua coniunctum verbum exprimens dicebat*, lamaſabactani: *quo principio quidem vteretur, velut erat de ipſo ſcriptum. Quod verò deerat huic dicto in aliam linguam tranſmutabat, & hoc ipſum faciebat propter bonam diſpenſationem, vt confiteretur id dictum de ſe dictum eſſe à Propheta per quod* ELI ELI *dixit. Quod verò reſtabat non ampliùs Hebraica lingua, ſed Syriaca prophetaret, quo ſubuerteret eos, qui Hebraicam iactant, & honoraret etiam alias linguas ad completionem eorum, quæ de ipſo dicta ſunt*.

Ex dictis hactenùs patet igitur nomen *Papa*, ex Hebraica lingua haudquaquàm deriuari poſſe, vel ſpectetur in hoc ſcripturæ, & orthographiæ tatio, vel antiquæ Eccleſiæ vſus, quæ bonis etiam illis temporibus, dum tenella inter Hebręorum gentem educabatur, & lac ſugebat è Scripturarum vberibus ln media Iudæa, nullam agnouit Hebraicam Liturgiam, nullum ſacrarum rerum Rituale, ſummum nihil Eccleſiaſtici, & Chriſtiani iuris; & quod omnium caput eſt, nulla Eccleſia Hebraico nomine inſignita fuit, velut apud omnes alias gentes, *quo ſubuertere eos, qui Hebraicam iactant*, teſte D. Epiphanio.

Reſtat ergo, vt dicamus, nomen *Papa* deſcendere, atque deriuari ex Syriaca, ſiue Chaldaica lingua, quoniam à nulla alia lingua commodiùs deduci poteſt, ſiue ſpectetur ipſa orthographia, & ſcriptura, ſine notio, ſiue deriuationis ex ſacris Paginis fundamentum, & anctoritas. Quæ quidem omnia clariùs, liquidiuſque pateſcent ex ſolutione difficultatum, quæ contra hanc ſententiam, & deriuationem opponi, & obijci poſſunt.

CAPVT XII.

Nonnullæ diluuntur difficultates, quæ contra mox laudatam ſententiam, & deriuationem afferri poſſunt.

CONtra hanc ſententiam de nominis *Papæ* deriuatione à lingua Syriaca, ſiue Chaldaica, nonnullæ, & graues quidem difficultates, afferri, & opponi poſsunt, quas proponere, ſimulque diluere operæ pretinm eſt.

Prima difficultas. Si nomen *Papa* ortum habuit in Ægypto, auctore Ægyptiaco populo, & Ægypti Patriarchis primò tributnm, vt ſupra ſtatutum eſt; qui fieri poteſt, vt ſit Syriacum, aut Chaldaicum, cùm nullus ſit, aut aliquando fuerit Syriacæ linguæ apnd Ægyptios vſus, vel familiaritas?

Ad hanc obiectionè reſpondetur: Quamquàm in Ægypto ſuam habuit originem, &

ortum hoc nomen complexum *Papa*, vbi linguæ Syriacæ, ſiue Chaldaicæ nullus eſt, aut aliquando fuit vſus, vel familiaritas; eius tamen ſimplex *Abba*, *pater*, ex quo compoſitum eſt, tam in Ægyptiaca, quàm in omnibus aliarum gentium Sacrarum Literarum noui Inſtrumenti verſionibus conſeruatum, atque retentum eſt, prout illud Syriacè protulit Chriſtus Dominus apud Marc. 13. 36. *Abba*, *pater*. Quod refert & Apoſtolus Epiſt. ad Rom. 8. 15. & ad Galat. 4. & 6.

Id autem vocabulum eſſe Syrum, qui nomina Hebraica, Chaldaica, Syriaca, & Græca in Latina editione retenta, & ad calcem Bibliorum adiecta interpretatur, ita teſtatur: *Abba*, *pater*, *Syrum eſt vocabulum*.

S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis iib. 9. Etymolog. cap. 13. de hoc eodem vocabulo ſic ſcriptum reliquit: *Abba autem Syrum nomen, ſignificat in Latinum pater: quod Paulus Romanis ſcribens expoſuit, dicens: in quo clamamus Abba pater. In vno nomine duabus vſus linguis. Dicit enim Abba Syro nomine patrem, & rursùs Latinè nominat patrem.*

Ex quo etiam nomine omnes fermè Chriſtianæ nationes ſuorum Monachorum Præſuies *Abbates*, hoc eſt *Patres*, nuncupant. Proindè non modò conijcere eſt, ſed pro certo habere, nomen hoc, *Abba*, bonis illis temporibus in vſu fuiſſe apud Ægyptios, eoque ſuos compellare, atque decorare Antiſtites. Quinimò etiamnùm apud ipſos familiariſſimum eſt, & magnis inter Eccleſiaſticos, & Religioſos tribuitur viris, primò, *b*, mutato in *n*, ſic, *Anba*, euphoniæ gratia. De qua literarum inter ſe permutatione infra docebimus.

Secunda difficultas ex ipſa ſuboritur orthographia, & ſcripturæ diuerſitate. Nam vocabuli, *Abba*, ex quo componi aſſeritur nomen, *Papa*, iuxta hanc ſententiam, prima litera eſt *A*. quam duplex ſequitur *B*, adeoq; compoſitum ex illo eſſet *Ababba*, vel *Abbabba*, non quidem *Papa*. Sed hæc ſanè immenſum diſtant quantum, nullamque habent quodammodò inter ſe affinitatem, velut ex ipſa collatione videre eſt. Ergo vocabulum hoc ex lingua Syriaca, ſiue Chaldaica nequaquàm commodè deduci poteſt.

Ad hanc difficultatem ſoluendam, diluendamque, notandum primò eſt. Nomen hoc tam apud Syros, quàm apud Chaldæos vnico, *B*, ſemper ſcribi, adeòvt ſi duplici ſcribatur, erronea haberetur illa ſcriptura, & mendoſa; veluti ſi quis apud Latinos ſcriberet *patter* pro *pater*, aut *ſcribbo*, pro *ſcribo*, & eiuſmodi. Verùm licet vnico exaretur *B*, apud omnes Syros, & Chaldæos, diuerſimodè tamen à diuerſis profertur. Noſtrates enim Syri, nimirùm Phœnices, Palæſtini, Damaſceni, & alij id nomen, & ſcribunt, & proferunt vnico *B*, ſic ...... *Aba*; Orientaliores verò, nempè Meſopotamiæ, Babylonis, & aliarum regionum incolæ, quamuis illud ſcribant vnico *B*, ſic .... illud tamen duplici pronunciant ſic *Abba*. De qua pronunciationis diuerſitate fusè agunt vtriuſque gentis Grammaticæ tractatores. Quia verò Iudæi, qui è Babylonica reuerſi erant captiuitate, linguam & pronunciationem illius regionis didicerant, hinc Apoſtoli, vt qui ex ea gente erant, & ipſe Chriſtus Dominus ea vſi ſunt pronunciatione, & vocabulum illud licet vnico *B*, ſcriptum, duplici pronunciarunt, quemadmodum videre eſt locis ſupra laudatis ex D. Marco, & Apoſtolo, & clariſſimè ex Syrorum, & Chaldæorum ſacris Noui Teſtamenti Editionibus, vbi apud vtroſque vnico *B*, ſcriptum occurrit id vocabulum.

Notandum eſt ſecundò; apud Syros, Chaldæos, & Hebræos literæ, quæ ſunt eiuſdem organi identidem inter ſe permutantur, & vna in aliam tranſmutatur, velut optimè norunt illi, qui his linguis, aut ediſcendis, aut docendis operam nauant. Cùm ergo literæ *B*, & *P*, ſint eiuſdem organi, facilè inter ſe ex linguæ genio, & analogia commutantur, & vna in aliam tranſmutatur; atque idcircò pro *Aba* legendum eſt *Apa*, vnica litera *B*, vel *P*, more Syrorum, vt infra dicetur.

Notandum eſt tertiò; Syros, Chaldæos, & Hebræos ſex habere literas, quæ modò puncto lenitatis, modò puncto aſperitatis notari, atque ſic iuxta variam puncti huius poſitionem, ſeu appoſitionem variè pronunciantur. Ex his autem literis prima eſt ... *B*, quæ cùm afficitur puncto aſperitatis profertur *B*, cùm verò lenitatis, profertur, vel vt *P*, à quibuſdam, vel vt *V*, conſonans à nonnullis. Sed in ea dictione litera illa eſt lenis iuxta Grammaticorum præceptiones, & regulas, eò quòd ſit poſita inter duas vocales, adeoque proferenda eſt *Apa*, vel *Aua*, id eſt *Pater*, vel iuxta Chaldæos *Appa* cum duplici *P*, pronunciatione, non verò ſcriptura.

Neque etiam hæc literarum inter ſe permutatio à linguarum Græcæ, & Latinæ genio, & analogia aliena eſt. Proindè apud Græcos illa interiectio admirantis modò Βαβαί, modò παπαί ſcribitur, eodem prorsùs modo, ac ſi quis modò ſcriberet *Papa*, modò *Baba*. Apud Latinos non minùs etiam frequens eſt eiuſmodi permutatio, quoties ad cacophoniam euitandam exigit pronunciatio: hinc *Scripſi*, pro *Scribſi*, & *Suppono*, pro *Subpono*, & id genus alia infinita.

Sed neque alijs etiam gentibus inſueta eſt hæc literarum permutatio. Proindè modò *Balco*, modò *Palco*, ſcribunt Itali, quemadmodum modò *balla*, modò *palla*. Hiſpani pro Latinorum, *opera*, dicunt *obra*, item pro *cooperira*, ſcribunt *cubrir*. Galli in hac eadem dictione pro, *P*, ſubſtituunt, *V*, conſonans ſic *couurir*. Ex quo planum relinquitur, has literas, *B*, *P*, *V*, inter ſe facilè permutari, & vnam pro alia ſubſtitui. Græci prætereà Syrorum ... *B*, efferunt per ſuum φ vt in hac voce Σαβαχθανὶ apud Matt. 27. 46. quã rursùs Arabs ex Græco Interpres per Arabum ... *F*, ſeu *ph*, ſic expreſſit ..... *Saphachtani*, vti legitur in Medicea interlineari Editione.

Ex hactenus itaque notatis planum, ac manifeſtum relinquitur, nomen hoc legendum eſſe *Apa*, vel *Aua* iuxtà Syrorum Grammaticorum regulas, & eius compoſitum *Apapa*, vel *Auaua*, ſecundùm varium variarum Nationum pronunciandi modum. Colligitur præterea, Ægyptios illos, qui primi nomen hoc Alexandrinis Præſulibus impoſuerunt, illud pronunciaſſe more noſtratum, ſcilicet vnica litera *P*, vel *V*, veluti ſcriqtum eſt, non autem duplici more Chaldæorum.

Portò

Porrò biceps adhuc occurrit difficultas, nimirùm circa primam, & tertiam literam huius compoſiti, quæ ſunt duo *A*. Nam ſi ſimplex eſt *Apa* ex eius repetitione componitur *Apaapa*, non quidem *Papa*, in quo minimè conſpiciuntur duæ illæ literæ *A*, primo, & tertio loco.

Hæc difficultas nullum nobis faceſſit negotium, adeòque facillimè diluitur. Et primum quod attinet, ſciendum eſt, Syros, ſiue Chaldæos, quemadmodum & Nationes alias, frequenter in nominibus, præſertim compoſitis, primam elidere ſolitos eſſe literam euphoniæ gratia, & ad facilitatem pronunciationi conciliandam, quoties hæc id exigit. Imò verò non primam demum, & in principio dictionis duntaxat id præſtant; verùm etiam & in medio, & in fine dictionis. Exemplum, primam literam quod attinet, eſto nobis . . . . . cuius prima eſt *A*, quæ in compoſitione amittitur, diciturque . . . . *Ad manum via*, id eſt *ſecus viam* . . . . *Ad manum maris*, hoc eſt *ad litus maris*. Extra compoſitionem autem, & regimen ſcribitur & paſſim . . . . . . pro . . . . *Africanus*. Ex medio vt . . . . . . pro . . . . hoc eſt *Statim*. Ex medio ſimul & fine, vt . . . . . pro . . . . *Vſque nunc, hactenùs*. Itaque hanc ob cauſam, ſcilicet euphoniæ gratia, & ad facilitatem pronunciationi conciliandam reiecta eſt prima litera ex hoc compoſito *Apapa*, & pro eo ſubſtitutum eſt *Papa*.

Ad ſecundam difficultatis partem dicimus: Syros tam in compoſitione, quàm in regimine poſtremam primæ dictionis literam ſemper demere, adeoque prima vox, ſeu pars huius compoſiti erit *Ap*, non autem *Apa*, & compoſitum ipſum *Apapa*, non *Apaapa* ſeruatis omnibus literis. Itaque dempta prima euphoniæ gratia, veluti diximus ad primam partem difficultatis, nec non tertia ex Grammaticorum regulis, & præceptionibus, ac linguæ genio, analogia, & vſu, remanet *Papa*, hoc eſt *Pater Patrum*.

CAPVT XIII.

Nomen Papa, *olim commune omnibus Epiſcopis, deinde Romani Pontificis factum proprium, ac ipſi antonomaſticè tributum, Orientalium eſt ſententia.*

NOmen *Papa* commune olim fuiſſe omnibus Epiſcopis, non Occidentalium tantùm, ſed & Orientalium conſtans, ac firma ſententia eſt, vt ex ſuperioribus capitibus pleniſſimè conſtat. Exempla & benè multa exhibent nobis Ferrarius lib. 3. de Epiſtolis Eccleſ. cap. 1. Duarenſis lib. 1. de Sacr. Miniſt. cap. 10. Sauro ad lib. 6. Sydonij Epiſt. 1. & alij.

Cardinalis Baronius ab Ignatio Braccio laudatus lib. 1. de Etymologia nominis *Papa*, cap. 2. quem ſequitur Azorius, de communione huius nominis ſic habet: *Poſtea nomen illud cœpit eſſe peculiare Epiſcoporum, vt ijdem Papæ dicerentur. Sunt de his innumera exempla apud Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, Ruffinum, Prudentium, Sulpicium Seuerum, Sydonium Apollinarem, Venantium Fortunatum, & nouiſſimè apud S. Eulogium Cordubenſem, qui floruit anno Domini 850. Vſque enim ad illud tempus id nomen commune fuit omnibus Epiſcopis. Licet frequentiùs, ac peculiariùs tribui conſueniſſet Romano Pontifici. Idque quiſque facilè obſeruare poterit ex Epiſtolis Caſſiodori.*

Contra huius nominis *Papæ* communionem facere videtur id, quod ſcribit Nicephorus Calliſtus lib. 14, cap. 34. vbi refert, vt notat Azorius in Summa lib. 4. cap. 4. Cæleſtinum Romanum Pontificem priuilegium conceſſiſſe Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, à ſe conſtituto Legato in Sancto Concilio Oecumenico Epheſino, vt *Papa* diceretur, mitraque vteretur.

Sed hoc vt Nicephori error animaduerſus fuit à Ludouico Cerda Aduerſ. Sac. cap. 72. & reiectus, atque improbatus ab eodem Azorio loco ſupra notato vbi, *Certè*, inquit, *ſi* Papæ *nomen tunc erat omnium Epiſcoporum commune, neſcio, quodnam priuilegium Cyrilli eſſet, vt* Papa *diceretur*.

Eundem hunc Nicephori lapſum perſtringit Theophilus Raynaudus in Onomaſtico V. *Papa*, ita ſcribens: *Nam de nomine* Papæ, *quis non videt, ſi tunc, & diu poſt, omnibus Epiſcopis commune fuit, non potuiſſe ex priuilegio tribui S. Cyrillo? Sed non eo vno loco oſcitanter ſcripſiſſe Nicephorum Calliſtum docebit pro Florentina Synodo ſcribens Gennadius ad cap. 2. ſect. 7.*

Commune quidem nomen erat, ſed Romano Pontifici ita affectum ob eius dignitatis amplitudinem, & excellentiam, vt nonnulli hallucinati ſint, & illam communionem minimè perſpexerint. Ex quo cùm D. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis *Papa* appellaretur, vti legitur in titulo cap. *Abſit*, Diſtinct. 50. Auctor Gloſſæ ordinariæ hunc Romanum eſſe Pontificem ratus eſt, dum ita ſcriptum reliquit: *In Chronicis non inuenitur, quod aliquis* Papa *dictus fuerit Cyprianus: tamen quod fuerit* Papa *habes infra cap.* de eo autem: *ſed fortè hic, & ibi eſt mendoſa litera.*

Ignatius Braccius in alium prolapſus eſt errorem circa hanc eandem communionem nominis. Nam non ſolùm commune illud fuiſſe omnibus Epiſcopis, ſed affirmat etiam Epiſcopis nonnullis nomen *Papæ Romani* datum eſſe cùm non eſſent. Ita obſeruat lib. 1. cap. 2. ad cap. *ſane* 24. quæſt. 2. vbi de Dioſcoro Epiſcopo (vt ait) vrbis Conſtantinopolitanæ, quæ noua Roma dicta eſt, ſic habetur: *Romanorum enim Eccleſia, ante annos paucos, Dioſcorum, qui fuit Papa eiuſdem Eccleſiæ; & poſt mortem anathematizauit.*

Hanc Braccij obſeruationem pereruditè quidem ex more ita refellit Raynaudus loco ſupra laudato: *Nam eo loco apertè agitur de Dioſcoro non Conſtantinopolitano fictitio Patriarcha, ſed Romano Pontifice, alioquin non fuiſſet eiuſdem Eccleſiæ, quæ illum anathematizauit. Fuit ergo is Dioſcorus Romanus Pontifex Schiſmaticus, qui à Bonifacio, iam defunctus, eſt percuſſus anathemate.*

Commune olim nomen, proprium ſubindè factum eſt Romani Pontificis, non decreto quidem aliquo, ſed vſu, & ob Prærogatiuam Sedis Apoſtolicæ. Nam quamuis Orientalium maior pars obedientiæ Romani Pon-

tificis excuſſit ingum, nihilominùs quà D. Petri tenet Sedem, magno cum bonore de illo loquuntur, nec debitos deneganr illi titulos. Er ſi qui contra obſtrepunt, aut obloquuntur, mores carpunt perſonæ, non throni Apoſtolici detrahunt honoribus, aut diminuunt exiſtimationem. Quamobrem venerationis ergo potius reliquerunt Orienrales hunc titulum Romano Pontifici, quàm decreto aliquo, eo prorsùs modo, quo olim Epiſcopi *Apoſtolatus*, & Presbyteri *Epiſcopatus* nomenclationem reliquerunt, *quia graue exiſtimarunt illi Apoſtolorum ſibi vindicare nuncupationem, & iſti Epiſcoporum*, ſcribit Ambroſius. Vel, *huius denominationis puduit eos, qui poſt ipſos ſunt conſtituti Sacerdotes, propter illius honorabilitatem, & idcircò à nomine Apoſtolorum abſtinuerunt*, qnemadmodum teſtantur Ioannes Darenſis, & Ioannes Maro, quorum nos teſtimonia par. 1, cap. 12. protulimus. Itaque *Papa* nomen, quod omnibus Epiſcopis commune olim erar, ob Sedis Apoſtolicæ reuerentiam, & obſeruantiam omnium conſenſu, & conſpiratione Romani Pontificis proprium deinceps factum eſt.

Sed audiamus iam quid hac de re ſcripſerunt Orientales, & quæ ipſis ſententia fuir. Georgius Homaidius Ægyprius par. 1. ſui Chronici in Nerone hæc ſcripta reliquir: .... *Et ſuffectus eſt poſt illum* (Demetrium) *Heraclas Patriarcha ſuper Alexandria; qui Heraclas plures conſtituit Ægyptios Epiſcopos ſuper prouincia Ægypti. Cæperuntque Epiſcopi Patriarcham apppellare* Apa patrem, *& Presbyteri, ac populus Epiſcopum* Apa patrem *nuncupabant; eoque adducti ſtudio pietatis, vt* Papam *appellarent Alexandrinum Patriarcham dicentes: Hic pater eſt pater patrum, & innotuit id nomen ab eo tempore; ſubinde tranſlatum eſt ex Alexandrina Sede ad Romanam Sedem, quia eſt Sedes Petri Apoſtoli, maximi Diſcipulorum, & Principis Apoſtolorum. Fuitque Petrus Patriarcha Romæ, & illius Succeſſor vocatur* Papa *vſque nunc.*

Si autem quis percunctatus fuerit ab hoc Auctore, cur id nomen ram venerabile, graue, ſanctum, ac plenum pieratis è Sede Alexandrina ad Romanam translatum fuit? profectò reſpondiſſet, quemadmodum reſpondir: Quia eſt Sedes Petri Apoſtoli, maximi Diſcipulorum, & Principis Apoſtolorum. Quaſi verò hoc reſponſo dicat; Romano Pontifici antonomaſticè competere quoſcunque eminentiſſimos titulos, quia D. Petri eſt ſucceſſor, adeoque cæteris Eccleſiæ eminet Præſulibus, vt ſuo tempore Petrus.

Huic ſenteutiæ ſubſcribit etiam Gabriel Klahi Maronita Ledrenſis Archiepiſcopus, vir ſanctimoniæ nota, & doctrinæ, ac eruditionis nomine inter Orientales celeberrimus; atque Operum omnis argumenti, & generis tam ſoluta, quàm ligata oratione, quæ conſcripſit, copia, notiſſimus in libro de Sacerdotio cap. 3. de ſacris Ordinibus, & Eccleſiaſticis Dignitatibus, in hæc verba........ *At verò*, Papa, *eſt nomen deriuatum à lingua Syriaca, & eſt compoſitum ex biſce duabus dictionibus* Ab Aba, *& ſignificat* Patrem Patris, *hoc eſt* Auum. *Olim autem commune erat omnibus Epiſcopis, poſteà verò ad Romanum translatum Pontificem, & illi proprium factum eſt; quia ipſe eſt Succeſſor Petri, & Pater omnium* Patrum.

Hic nullus dubito, hanc ſententiam omnium eſſe Orientalium, quamuis hos tantummodo duos Scriptores in medium nunc protulimus, quia hos tantum impræſens ad manus habemus, primum Ægyptium Dioſcorianæ Sectæ, & profeſſionis; alrerũ Syrum Catholicum Romanũ. Id enim facit librorũ Orientalium penuria, & paucitas.

Sed vero ea eſt hæc ſententia, ac tam diuulgara inter Orientales omnes, vt nec ipſos lateat Mahometi ſectarores, ex quo Abubacrus Habbaſides par. 2. Apologiæ contra Chriſtianos rem ſic referr ex Chriſtianorum proculdubio ſcitis, & monumentis. *Presbyteri autem, & vulgus audientes Epiſcopos appellare Patriarcham* Aba (Patrem) *dixerunt apud ſe: ſi nos appellemus Epiſcopum* Aba (patrem) *& Epiſcopus appellat Patriarcham* Aba (patrem) *par quidem erit, vt nos Patriarcham appellamus* Papam, *ideſt* Auum, *quia eſt patris noſtri pater. Tum verò audientes Epiſcopi Patriarchas Romanum Antiſtitem appellare* Aba (patrem) *apud ſe dixerunt. Si nos appellamus Patriarcham* Aba (patrem) *par ſanè nobis erit, vt Romanum Antiſtitem appellemus* Papam. *Atque exinde agnitus eſt Romanus hoc nomine præ cæteris alijs apud omnes Chriſtianæ Religionis cultores.*

Quo autem tempore eiuſmodi tranſlatio ad Romanum Pontificem facta ſit, ſeu potiùs deſitum, nomen *Papæ*, ab Epiſcopis, alijſque Præſulibus vſurpari, Scriptoribus Eccleſiaſticis integrum non eſt. Cardinalis Baronius, eum vſum, & morem decorandi Epiſcopos nomine, & titulo *Papa*, ad annum vſque 900. à Chriſto domino duraſſe, obſeruat ad Martyrol. Rom. 10. Ianuar.

Alij exiſtimant id nomen commune fuiſſe vſque ad annum 1073. quo tempore Gregorius VII. decreto ſanxit in Synodo Romana contra Schiſmaticos, ne vllus præter Romanum Pontificem ſe eo nomine inſignire auderet. Res ſic à Baronio, & Axorio narratur apud Braceium libro de etymologia nominis Papæ *cap.* 2.
, Cùm obtinuiſſet communis vſus,
, vt *Papa* nomen tantummodò Romano tri-
, bueretur Pontifici; & Schiſmatici illud ſibi in
, odium eiuſdem Romani Præſulis faſtu ſuper-
, bo vindicarent, aliaque non conceſſa præ-
, ſumerent: Gregorius VII, Papa anno à Chri-
, ſto Domino 1074. ſui verò Pontificatus anno
, III. IV. Kalen. Martij, indictione XIII. habuit
, Romæ Synodum aduerſus Schiſmaticos, vbi
, ſtatuit inter alia plura, vt *Papa* nomen vni-
, cum eſſet in vniuerſo Orbe Chriſtiano; nec
, liceret alicui ſe ipſum, vel alium eo nomine
, appellare. Hæc in regiſtro Epiſtolarum
, Gregorij VII. quod aſſeruatur in Bibliotheca
, Vaticana, vbi Canones, eius Synodi ſcripti
, habentur. Seruanr id ipſum Græci, vt no-
, mine Papæ Romanorum Pontificem intelli-
, gant; vt ex Nicetæ Choniatæ Scriptis appa-
, ret. Referunt nonnulli ex Paulo Diacono in
, hiſt. Longobardorum lib. 4. cap. 36. tempore
, Caroli Magni Conſtantinum Imperatorem,
, & Patriarcham eiuſdem vrbis inter ſe con-
, ſtituiſſe, vt Romanus Pontifex *Papa* dicere-
, tur, & Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Oe-
, cumenicus Patriarcha.

P. Ruynaudus loco ſupra laudato, poſtquàm

quàm refellit Nicephori ſententiam, ſtatim ſubdit in hanc rem: *Nihilominùs poſtea (fortè primùm ab Ennodio, vt ad eius Epiſtolam 1. lib. 3. notat Sirmondus; vel vt cenſet Remundus Ruffus ad cap. 17. Molinæi à Iuſtiniano) vſu receptum eſt, & Decreto Gregorij VII. anno 1073. in Synodo contra Schiſmaticos firmatum, vt ſolus Romanus Pontifex*, Papa *diceretur. Id quod apud Græcos quoque inualuiſſe, non quidem iam ab æuo Iuſtiniani, vt ſcripſit poſt Ruffum Pamelius ad Epiſtolam 3. S. Cypriani, ſed longè ſeriùs, docemus ex Nicetæ Choniatæ, & aliorum ſcriptis.*

Quo autem tempore id nomen vſurpari deſitum eſt apud Orientales, aliaſque nationes, impræſens mihi integrum non eſt; coniſcere tamen licet, hoc à longiſſimo, & immemorabili tempore factum eſſe; cùm nullus à multis ſæculis eo inſignitus nobis occurrat. Si quis autem hęc impugnat; aut exemplo aliquo probat, id Orientales ſeriùs, & proximioribus nobis ſeculis præſtitiſſe, manus quidem libenter, quia is argumento noſtro robur addet firmiſſimum. Nam quò ſeriùs, eò res admiratione ſuſpicienda eſt, & miraculi vis illi tribuenda. Qui enim aliter fieri hoc potuit ab ijs Orientalibus nationibus, quæ diſciſſæ, iam pænitùs, atque diſiunctæ ab Eccleſia Romana alias ſibi ſedes, & diuerſa domicilia extra diuinam hanc Arcam condiderunt? velut affirmat D. Cyprianus lib. de vnit. Eccleſ. Quis amabo te huius conſenſus, huius conſpirationis tot gentium inter ſe diſſentientiũ, & ipſius Eccleſiæ Romanæ hoſtium infeſtiſſimorum, auctor eſſe potuit, niſi diuina illa virtus, quæ Summo iſti Pontifici noſtro aptauit rationale, in quo eſt doctrina, & veritas? doctrina: *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt* Veritas: *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius*, quemadmodùm de ſupremo Eccleſiæ Pontifice cecininit olim Malachias. Nec ipſe ſumpſit ſibi honorem: aut ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: *Paſce oues meas*; nec non: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claues regni Cælorum*. In Succeſſoribus enim ſuis adhuc viuit, adhuc præſidet ille, ſuper quem Eccleſia ædificata eſt, & cui datæ ſunt claues regni Cęlorum. In quam tem præclarè D. Petrus Chryſologus ſcribens ad Eutychetem: *In omnibus hortamur te frater honorabilis; vt his quæ à Reuerendiſſimo Papa Romanæ ciuitatis ſcripta ſunt; obedienter attendas. Quoniam B. Petrus, qui in propria Sede, & viuit, & præſtat quærentibus fidei veritatem.*

Peregregiè igitur tranſlationis nominis *Papæ*, ex Eccleſia Alexandrina ad Romanum thronum rationem reddit Gregorius Homaidius, dum ſcribit: *Quia eſt Sedes Petri Apoſtoli, Maximi Diſcipulorum, & Principis Apoſtolorum*. Nec minùs Gabriel Klahi: *Olim autem commune erat omnibus Epiſcopis poſteà verò ad Romanum tranſlatum Pontificem, & illi proprium factum eſt, quia ipſe eſt Succeſſor Petri, & Pater omnium Patrum.*

CAPVT XIV.

In quo confirmatur ea nominis Papæ *notio, eiuſque proprietas in Romano Pontifice: adeoque de illius Primatu ex Canone 44. Concilij Nicæni.*

Qvatuor prima Concilia generalia tamquàm quatuor Sancti Euangelij libros ſuſcipit, ac veneratur D. Gregorius Magnus libro 1. Epiſt. 24. ſic ſcribens: *Sicut Sancti Euangelij quatuor libros ſic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor, Nicænum ſcilicet, in quo peruerſum Arij dogma deſtruitur: Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur: Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impietas indicatur: Chalcedonenſe verò, in quo Eutychetis, Dioſcorique prauitas reprobatur; tota deuotione complector, integerrima approbatione cuſtodio, quia in his veluti in quadrato lapide ſancta Fidei ſtructura conſurgit.*

Ex his porrò quatuor Concilijs priora duo, præſertim verò Nicænum, eadem prorſus, qua D. Gregorius omnia quatuor, ſuſcipiunt, & venerantur omnes, quotquot ſuperſunt in toto Oriente Nationes, & ſectæ, quæ Chriſti nomen profitentur: at poſteriora duo non omnes. Quandoquidem Neſtoriani Epheſinum reijciunt, & improbant, eò quòd in illo Concilio meritam damnationis retulerit ſententiam Neſtorius, vna cum omnibus ijs, qui in ipſis iurarunt verba, & hæreſim, horrendaſque ſecuti blaſphemias. Quartum verò Concilium Chalcedonenſe reprobant Monophyſitæ, quocunque dignoſcuntur nomine, ſiue Dioſcoriani, ſiue Iacobitæ, ſiue Cophtitæ, ſiue Æthiopes, ſiue tandem Armeni.

Cæterùm, Nicænum Concilium quod attinet, omnes Orientis Chriſtiani, cuiuſque ſectæ ſint, aut profeſſionis ſanctiſſime, atque religioſiſſimè illud colunt, & venerantur, ac tamquàm ſacroſanctum Euangeliũ ſuſcipiunt, & amplectuntur, vt paulò ſuperiùs innuimus. Proinde interrogatus Elias Niſibenſis Epiſcopus ab Aluaziro Abulcaſemo viro Mahometano, (quemadmodùm legitur ſeſſ. 1. Diſputationum eiuſdem Eliæ) quid ſentiant de Concilio Nicæno Chriſtiani, hiſce verbis .... *Suſcipitis Fidem, quam ſtabilierunt Trecenti octodecim?* Reſpondit nomine omnium Chriſtianorum ...., *Suſcipimus illam, quemadmodum ſuſcipimus Euangelium; & veneramur illam, ſicuti veneramur illud*; quo animaduerſo.

Sciendũ eſt, Concilij huius Nicæni, præter 20. illos Canones; qui Græcè, & Latinè circumferuntur, alios extare numero 84. apud gentes illas Orientales ipſarum conſcriptos characteribus, & linguis. Quos quidem eſſe veros, authenticos, & legitimos illius Concilij ipſorum dubitat nemo, ſi horum Canonum paucos quoſdam excipias de quibus infra ſuo loco.

Inter hos autem 48. Canones extat Canon 44. de quo inter omnes conuenit, eſſe verum, authenticum, ac legitimum Nicæni Canonem, nemine pænitùs diſcrepante. Id autem

ex eo probatur, quòd in omnibus legatur Editionibus, ab omnibus pro Nicæno laudatur, omnes Nicænnm eſſe fatentur vt ſuo loco inſta demonſtrabimus. Is verò Canon propoſitum noſtrum argumentum egregiè atque præclarè ſirmat. Quidnam autem iudicium Aduerſarij ſint interpoſituri, aut laturi ſententiam tam de hoc, quam de alijs canonibus, nune non attendo; quia hic contra eos arguo ex eorum auctoritate, ad quos prouocarunt, & quidem ex fortiori. Nam ſi ex vnius Eutychij priuati hominis loco pauliſper obſcuro, & male intellecto, falſiſque adhuc, & adulterinis interpretationibus, interpolato inaniſſimum agunt Aduerſarij hactenùs impunè ferè in proteſtantico Capitolio triumphum; quam amplum, quam certum, quam iuſtum, imò ampliſſimum, certiſſimum, & iuſtiſsimum, nos agere debemus; & quidem non ex vnius priuati hominis auctoritate; ſed ex omnium Orientalium gentium vnanimi, & incredibili conſenſn, ac publica auctoritate. Non ex obſcuris, aut ambiguis aliquibus verbis; ſed apertiſſimis luculentiſſimis, ac ipſa luce meridiana clarioribus vt nulla fraus, nullus dolus, nullus fucus cubare poſſit, aut veritatem ex veritatis verè indagantium oculis ſubducere. Non venamur Noctuas apud Scotos, aut Anguillas apud Anglos, ſed ad orientem Solem nudam veritatem proſequimur, & ad ipſius rationem omnia reuocare conamur. Sed proferamus iam Canonem Arabica lingua, Romane porrò verſum candidè ſcilicèt ſyncerè, & ingenuè, verba verbis reddentes, atque ſingulis dictionibus ſuos obſeruantes numeros, analogiam, originem formam, pathetica puncta, ſeu notas, & eiuſmodi alia, quæ Seldenus aut oſcitanter neglexit, aut malitioſè, & ſubdolè omiſit, & commiſit in ea Eutychij Periocha vertenda ad veritatem peruertendam.

Canon 44.

Patriarcha igitur inſpiciat quodcunque negotium fecerit aliquis ſuorum Metropolitarum, ſiue Epiſcoporum in eorum prouincijs, quibus præſunt. Si autem inuenerit ex illis quicquam, quod non decet, permutet illud, ac de illo conſtituat, prout ipſi videtur etenim omnium ipſorum pater eſt, & illi filij ipſius ſunt. Metropolitæ autem principatum ſupra ſe agnoſcere; eumque venerari debent inſtar fratris maioris, quem ſibi fratres anteponunt, illique parere ducunt ob eius optimum regimen, & maioritatem. Patriarcha porrò inſtar Patris eſt in ſua iuriſdictione ſuper filios ſuos. Et quem admodùm Patriarcha poteſtatem habet ſuper ſubditos ſuos; ita quoque poteſtatem habet Romanus Pontifex ſuper vniuerſos Patriarchas, quemadmodum habebat Petrus ſuper vniuerſos Chriſtianitatis Principes, & Concilia ipſorum: quoniam Chriſti Vicarius eſt ſuper redemptionem, Eccleſias, & cunctos populos eius. Quicunque autem Sanctioni huic contradixerit, Patres Synodi anathemate illum percellunt.

Plura in hoc Canone notanda veniunt, & primo circa Editiones. Quamobrem ſciendum eſt, nobis hic Romę ſex Editiones extare varias huius Concilij. Prima Arabicis exarata characteribus, & eſt Melchitarum, ſeu Græcorum, qui Arabica vtuntur Lingua, ſuntque per totam Syriam, Chaldæam, & Ægyptum diffuſi. Exemplaria huius editionis extant duo, vnum in Varicana Bibliotheca; alterum in Bibliotheca Collegij Maronitarum de Vrbe; vtrumque Græcis notatum numericis literis, & alicubi Græcis interpolatum dictionibus.

Secunda Editio eſt Maronitarum, quæ duplex adhuc eſt, vna Arabicis conſcripta characteribus, & lingua, & eſt Bibliothecæ Collegij Maronitarum item de Vrbe: Altera Syriaca huius tantummodo Canonis, qui refertur à D. Ioanne Marone libro de Sacerdotio cap. poſtremo, eſtque noſtri iuris.

Tertia eſt Copticarum, ſeu Ægyptiorum Chriſtianorum, qui Dioſcori ſequuntur dogmata, & eſt Arabicè conſcripta, & Cophtitis, ſeu Ægyptiacis notata numeris, quibuſdam etiam inſertis, & notatis Ægyptiacis vocabulis ijſdem characteribus. Exemplaria extant duo vnum Bibliothecæ Vaticanæ, alterum Collegij Maronitarum.

Quarta eſt Iacobitarum Arabicè conſcripta, Syriacis alicubi interpolata vocabulis, & ijſdem ſcripta characteribus. Hæc noſtri iuris eſt.

Quinta eſt Æthiopum, characteribus, & lingua illius gentis conſcripta. Codex proſtat in Vaticana Bibliotheca duplex,

Sexta eſt Neſtorianorum, Chaldaicis exarata characteribus, & lingua, relata a Hebedieſu in Collectione Canonum Conciliorum. Codex eſt Bibliothecæ Varicanæ.

Notandum ſecundò. Ea verba, quæ nos ita vertimus: *Patriarcha porrò inſtar patris eſt in ſua iuriſdictione ſuper filios ſuos*, ita ſe habent in quibuſdam Editionibus: *Patriarcha porrò inſtar patris eſt in ſua iuriſdictione ſuper domum ſuam*. Hoc punctorum accidit abſque dubio ſummutatione, vti linguæ Arabicæ periti facilè conijcere poſſunt, ſed nullum id faceſſit ſenſui negotium, neque rei mutat faciem, aut ſubſtantiam, quia iuriſdictio in filios patris eſt; in domum verò patrisfamilias metonymicè. Syriaca Editio hanc poſtremam approbat lectionem; habet enim .... *ſuper domum ſuam*.

Notandum eſt tertiò. Canon iſte, prout refertur à Hebedieſu *in Collectione Canonum cap. de poteſtate, & iuriſdictione Patriarcharum*, ex Neſtorianorum Editione, videtur paraphraſticè potiùs excerptus, ſenſu tamen integro, quàm totidem verbis ex Autographo exſcriptus. Quamobrem illum eo modo excerptum hic referre lubuit, vt inde diligentiores veritatis indagatores, ac veri amatores comprehendere poſſint, quàm mirus earum gentium ſit in re conſenſus, etſi non eadem verba. Canon ſic inſcribitur.

De Poteſtate Patriarcharum.

Fuit voluntas Synodi Generalis, vt de omnibus operibus, quæ indebitè geruntur, ſiue manu Metropolitarum, ſiue ſub manu Epiſcopo-

, ſcoporum, poteſtatem habeat Patriarcha, & , poteſtatiue de illis conſtituat; quoniam Patriarcha pater communis eſt, omneſque Metropolitæ, & Epiſcopi filij ſunt hæreditatis, , ſiue ſortis ipſius. Patriarchæ autem honor , inſtar Patris eſt habẽtis poteſtatem in filios; , Et quemadmodùm Patriarcha habet poteſtatem faciendi quicquid vult iuxta debitum , erga eos, qui ſub eius ſunt poteſtate; ita poteſtatem habet Patriarcha Romæ ſuper Patriarchas vniuerſos, ſicuti B. Petrus ſuper , vniuerſam Communitatem; quoniam locum , ſeruat Petri in tota Eccleſia ipſe Romanus. , Quicunque autem hæc tranſgreditur, Synodus Generalis illum anathemati ſubijcit.

Notandum eſt quartò. Nomen *Papa*, quà ſignificant *Pater Patrum*, in eo Concilio tributum fuiſſe Romano Pontifici, facilè ex hoc Canone infertur. Nam ſi *Patriarcha inſtar patris eſt in ſua iuriſdictione ſuper filios ſuos*, vt habet Editio Melchitarum, & Maronitarum Arabica, ſeu *ſuper domum ſuam*, vt legit Alexandrina, & Syriaca relata à D. Marone, ſeu *pater communis*, velut habet Neſtoriana, & cuius *honor inſtar Patris eſt habentis poteſtatem in filios*, profectò neceſsaria conſecutione infertur indè, Romanum Pontificem eſse patrẽ ſupremum omnium Patrum; cùm eandem habeat Romanus poteſtatem, & iuriſdictionem in Patriarchas, quam Patriarchæ in ſubditos. Ergo eſt Pater Patriarcharum, adeoque ſupremus Pater, & antonomaſticè, ergo Papa eſt ſuus.

Aliquid huius rei ſuboluiſse videtur Thomas Illyricus *Tract. de poteſtate Papæ* §. *non igitur, qui præmiſſa*, vt notat P. Raynaudus, *confirmatione multiplici, quòd omnes Sacerdotes dicantur patres fidelium, addit, vt pateat Romanum Pontificem eſſe patrem cæterorum patrum, inditum illi eſſe nomen* Papæ, *idque decreto Synodi Nicænæ, quam referente Euſebio edixiſſe ait, vt ſicut Rex Romanorum antonomaſticè dicitur* Auguſtus, *ita, & Romanæ vrbis Antiſtites dicatur* Papa.

Hæc autem ita improbat mox laudatus P. Raynaudus. *Verùm hoc totum eſt commentitium. Nihil enim tale habet Euſebius, neque Acta Nicænæ Sydodi, contra cuius decreta SS. Auguſtinus, & Hieronymus, & longè poſt alij, nunquàm vocaſſent Papa nomine inferiores Epiſcopos vt ſæpè faciunt.*

Sed pace tanti viri. Si Thomas Illyricus pro decreto Concilij Nicæni innuere velit vel hunc, vel aliquem alium Canonem ex ijs, qui extant apud Orientales, neſcio an id abſolutè commentitium ſit appellandum; quia res factu difficilis omninò eſse videtur, quòd tot nationes inter ſe diffidentes, & Romano Pontifici infenſiſſimi hoſtes, vt ſuo loco oſtendetur, ſimul conuenire poſſint ad aliquid comminiſcendum quod ſui hoſtis accerrimi ſtatuat Primatum. Quod verò nihil tale habeat hodiernus Euſebius, aut Acta Nicænæ Synodi, mirum non eſt, multa enim nomine huius Cõcilij citantur à Patribus, & ipſis Concilijs, quę hodie nuſquàm Latinè, aut Græcè extant.

Ratio autem, qua id improbatur, parui momenti eſse videtur; quia antonomiſtica nuncupatio, non impedit, quin eadem alteri tribuatur cum addito. Idpſum nomen, *Deus*, quo nihil auguſtius, aut magis antonomiſtice dici poteſt de puriſſimo illo ente, quod omnia procreauit, nonne cum addito alijs etiam tribuitur, vnde illud Gen. 7. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*! Etiam Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus ab Vrbano II. Romano Põtifice, cùm ab illo pallium reciperet, *Papa alterius Orbis*, vocatus poſt Gregorij VII. decretum. Antonomaſia igitur hic attendenda eſt, de qua ille.

Quòd autem SS. Auguſtinus, & Hieronymus nunquam vocaſsent nomine *Papæ* inferiores Epiſcopos contra Nicænæ Synodi decreta, vltrò concedendum eſt, ſi eorum Decretorum notitiam habuiſsent. Sed poterãt ignorare, quemadmodum in ſimili facto ſe ignorauiſſe ingenue faſſus eſt Auguſtinus Ep. 110. ita ſcribens: *Adhuc in corpore poſito beatę memoriæ patre, & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo: quod Concilio Nicano prohibitum fuiſſe neſciebam*. Hæc autem, quia Ariani Nicæni Acta flammis tradiderant, & quæ ſuperfuerant flammis apud paucos latebant.

Multa tandem in hoc Canone doctis viris ruminanda relinquuntur, & eruditis notanda obſeruationibus; duo tamen ſilentio prætereunda non ſunt. Primùm hic planiſſime patet, quam futilis, ac vana ſit illa Nili ſententia, & opinio, qui Romani Pontificis Primatum ad ſolam ſeſſionem, cathedram, & ſedium ordinem ſeuocare conatur. Etenim ea poteſtas, & ſuperioritas, quam tribuit Concilium Patriarchæ in ſubditos, nequaquam ordinis Sedium, Cathedræ, aut ſeſſionis eſt, ſed iuriſdictionis; atqui ex eodem Canone eandem Romanus ſuperioritatem in Patriarchas habet, quam Patriarchæ in ſubditos; ergo ea non eſt ſeſſionis, Cathedra, aut ordinis Sedium, ſed ſupremæ iuriſdictionis.

Secundum dirimitur ex iſto Canone quæſtio illa, quæ à Catholicis etiam quibuſdam exagitatur viris; nimirum, *Vtrum Papa ſit ſupra Concilium, nec ne*? Proferantur iterum Canonis verba, quæ id aſserunt. *Ita quoque poteſtatem habet Pontifex Romanus ſuper vniuerſos Patriarchas, quemadmodum habebat Petrus ſuper vniuerſos Chriſtianitatis Principes, &* CONCILIA *ipſorũ, quoniam Chriſti Vicarius eſt.*

CAPVT XV.

Idem aſſertiur Primatus Romani Pontificis, ex Canone 37. eiuſdem Concilij Nicæni.

PRimatus Romani Pontificis non minus aſſeritur Canone illo 44. de quo ſuperiori capite, quàm Can. 37. ex num. illorum 84. in quo agitur de quatuor Patriarchalibus Sedibus. Vno verbo nuſquam ferè aut hic, aut alibi apud Orientales fit mentio Romani Põtificis, quin tribuatur illi Primatus. Sed ad ipſum Canonem veniamus.

....

Canon 37.

....

, Et ſint Patriarchæ in vniuerſo Mundo quatuor tantùm, quemadmodum ſunt Scriptores

, tes Euangelij quatuor, & flumina quatuor,
, & elementa Mundi quatuor, & anguli qua-
, tuor, & venti quatuor, & compoſitio hominis
, quatuor; quoniam hiſce quatuor vniuerſus
, conſtituitur Orbis, & ſit Princeps, ac Præ-
, poſitus ipſis Dominus Sedis D. Petri Romæ,
, ſicut præceperunt Apoſtoli.

Hic verba Canonis huius conſiderate attendenda ſunt, momentoque ſuo ponderanda. Nam Romano Pontifici non vtcunque ſtatuitur Primatus Concilij auctoritate, ſed Apoſtolorum præcepto à Concilio declaratur. Apoſtolorum autem ſtatuta, & mandata ipſius eſſe Chriſti, agnoſcunt Patres, fatentur Aduerſarij. Ex Patribus audiatur nunc vnus Cyprianus Serm. de ablut. pedum: *Sicut par eſt Spiritui Sancto, & Chriſto diuinitas, ita in ſuis inſtitutis æqua eſt auctoritas, & poteſtas, nec minus ratum eſt, quod dictante Spiritu ſancto Apoſtoli tradiderunt, quam quod ipſe tradidit.* Ex quo Cypriani loco ſic infert Iulius Rugerius *Opuſc. de verbo Dei tradito cap. 3. Apoſtolorum itaque verba Deo erunt tribuenda.*

In hanc eandem rem inſigne, ac præclariſſimum extat nobis teſtimonium D. Petri fratris Maioris SS. Baſilij, & Gregorij Niſſeni in libro Arabice inſcripto .... *Demonſtrationis*, cap. *de Ieiunio*, verba ipſa ſunt .... *Quicquid præceperunt ſancti Apoſtoli fidelibus, eſt einſdem Chriſti præceptum; & quicquid decreuerunt ipſis, eſt eius decretum, & quacunque ſanxerunt, & poſuerunt, ſunt ipſius Sanctiones, & Præcepta.*

Accedit ex Proteſtantium Anteſignanis ipſe Caluinus in cap. 2. Act. de impoſitione manuum: *Non credibile eſſe*, inquit, *niſi Chriſti mandato manuum impoſitione vos fuiſſe Apoſtolos.*

Succinit ex eodem grege Vrſinus de Doct. Chriſt. agens de ſanctificatione diei Dominicæ: *Hanc*, inquit, *eſſe Apoſtolicam traditionem credimus; ipſos autem ſine Chriſti mandato id feciſſe, non eſt credibile.*

Contra forte occurret Aduerſariorum nonnemo, dicetque: Verba hæc Canonis 37. *Et ſint Patriarchæ quatuor tantum*, ſunt verba conſtituriua, adeoque Romani Pontificis Primatus hic, & prærogatiua habetur ex Concilij conſtitutione, & decreto, non autem à Chriſto, aut Apoſtolis ex eius mandato.

Ad hæc dicimus: verba illa non eſſe conſtituitiua, ſed prohibitiua. Is enim prohibuerunt Patres, ne ſint plures Patriarchæ, quam quatuor iuxta Apoſtolica mandata. Quemadmodum ſi præſens Romanus Pontifex Diploma conderet, quo prohiberet, ne plures ſint Cardinales, quam ſeptuaginta, ſic incipiens: *Et ſint Cardinales ſeptuaginta tantum*, quis tam ſtolidus, & bardus eſſet, vt inde inferret, hoc Diplomate Cardinalitiam dignitatem inſtitutam fuiſſe? Et quis tam cæcus, vt non diſpiciat, verba illa eſſe prohibitiua? Ego ſane puto, eam prohibitionem factam ideò fuiſſe à Patribus Nicænis, vt quorundam Præſulum occurreretur ambitioni, qui ſuarũ vrbium freti amplitudine, & Maieſtate Patriarchatus titulos, & dignitatem vehementer expetebant. Et ſane euentus deinceps hoc nos docuit.

Quamobrem hic deridendus eſt, & exſibilandus cum Symmyſtis Sibrandus, qui lib. 3. cap. 3. *De Papa Romano*, probare conatur, Primatus prærogatiuam Romano Pontifici Nicœnos tribuiſſe Patres Vrbis totius Orbis Principis gratia. Sed audiant iſti Hieronymum in Epiſt. 85. ad Euagrium: *Vbicunque fuerit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, ſiue Tarſis, eiuſdem meriti; eiuſdem eſt, & Sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.*

Ex Orientalibus autem audiatur Hebediesu in Collectione Canonum capite poſtremo, in quo poſtquàm recenſuit Sedes Patriarchales ab Apoſtolis conſtitutas in toto Orbe terrarum hæc ſubdit: ....

, Et ſanè ſingulis hiſce locis non propter prin-
, cipalitatem, & primatum ipſorum tantùm,
, ac ſolùm conceſſa eſt dignitas Patriarchalis,
, verùm etiam propter Apoſtolum, qui eos in-
, ſtituit, & Regem, qui in eis eſt. Romæ ma-
, gnæ data eſt propter duas Columnas in ea
, poſitas, Petrum inquam, Principem Apo-
, ſtolorum, & Paulum Doctorem gentium. Et
, ipſa eſt Sedes prima, & caput Patriarcha-
, tuum.

Aduertendum hic eſt, Paulum adiungi paſſim Petro apud Orientales tamquàm ſocium laborum; Doctorem, Eccleſiæ Architectum, Coadiutorem, & eiuſmodi, at nuſquàm, vt participem eiuſdem dignitatis Pontificiæ. Hinc Romanum Pontificem D. Petri ſucceſſorem ſemper nuncupant, Pauli verò, vel amborum Apoſtolorum nunquàm. Id planè liquet ex eodem auctore Hebedieſu, qui in Paraphraſi Canonis 44. Concilij Nicæni, aſſerit Romanum Pontificem locum ſeruare, ſeu tenere Petri in tota Eccleſia, nulla facta Pauli mentione, quemadmodùm, & nullibi, niſi in notato ſenſu.

CAPVT XVI.

Rursùs idem aſſeritur Primatus ex Can. 70. eiuſdem Concilij Nicæni, qui eſt de appellationibus Epiſcoporum ad Romanum Pontificem.

EA eſt ſumma, ac ſuprema poteſtas in vnaquaque Republica benè compoſita, & conſtituta, ac optimis adminiſtrata legibus, ad quàm cæteræ omnes appellant, eiuſque ita ſubeunt Iudicium, vt nemini licitum, aut integrum ſit ab eo recedere, aut reclamare. Alioquin nec benè eſſet compoſita Reſpublica illa, neque conſtituta, aut bonis adminiſtrata legibus; cùm nullus in ea eſſet inferiorum ad ſuperiores ordo, nullus litigiorum finis, ſed omnia ſuſque deque confuſa, & perturbata.

Ex quo in veteri Hebræorum Synagoga, ſiue Eccleſia ad eiuſmodi euitanda incommoda, rerumque omnium perturbationes, ita per Moyſen Deuteron. 17. ſancitum fuit:
, Si difficile, & ambiguum apud te iudicium
, eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſangui-
nem,

,nem, cauſam, & cauſam. leptam, & lepram,
,& Iudicium intra portas tuas videris verba
,variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem
,elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad
,Sacerdotes Leuitici generis;& ad Iudicem,
,qui fuerit illo tempore: quæteſque ab eis, qui
,iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies
,quodcunque dixerint qui præſunt loco, quem
,elegerit Dominus, & docuerint te iuxta le-
,gem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, nec
,declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.
,Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacer-
,dotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Do-
,mino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur
,homo ille, & auferes malum de Iſrael: cun-
,ctuſque populus audiens timebit, vt nullus
,deinceps intumeſcat ſuperbia.

Quod ſanè cùm ita ſit, quis prudens, & cordatus, ac rationis vſu vel parumper vtens credet, aut ſibi perſuadebit, Chriſtianam Rempublicam non à Moyſe, aut Prophetarum aliquo, ſed ab ipſo Dei Verbo, ſiue Sapientia ſic inſtitutam eſſe, vt nullus in ea eſſet ordo, nulla ſuprema poteſtas, quæ ſumma, ampliſſimaque auctoritate lites, & controuerſias inter litigantes componere, dirimere, ac decidere ita poſſit, vt ab eius ſententia, & iudicio nec reclamare, nec recedere licitum ſit vlli mortalium? Quinimò eò perfectior eſſe oportet Chriſtiana hęc Reſpublica veteri illa Moſaica, quò eius auctor Chriſtus Moyſe auctore Veteris præſtantior eſt.

Et profectò id incommodi experti iamdudùm ſunt Aduerſarij, & vſu tractando ita cognouerunt, & nequiuerint ſibi temperare, quin publicis editis ſcriptis hac de re grauiter conqueſti ſint, miſeram deplorantes vicem. Vnus nunc audiatur Eduuinus Sandes in relat. Stat. Relig. ſ. 45. & 82. Romani pro com-
,muni parente, admonitore, & duce habent
,Pontificem ad lites dirimendas; ad contro-
,uerſias ſopiendas, ad Religionem ſuam Con-
,ciliorum conſenſu vniformiter temperãdam
,&c. E contrà verò Proteſtantes ſunt veluti
,factiones diſperſæ, & palantes greges trahen-
,tes ſinguli animos diuerſos ſine omni, ad iur-
,gia componenda, ad repugnantias tollendas,
,ad animos conciliandos, præſidio. Nullus
,eſt Princeps ſupra reliquos iuriſdictionis præ-
,rogatiua præeminens: Nullus Patriarcha, ne
,vnus quidem cum ſuperioris poteſtate, ac
,cura ad Eccleſiarum diſiunctarum conſen-
,ſionem conciliandam: Nulla ad Synodos in-
,dicendas, quæ vnica ſpes concordiæ ineun-
,dæ, & quas optimi quique obnixè ſuſpirant,
,ratio ſupereſt.

Sed verò ſi pertinaciter contendent adhuc Aduerſarij, aſſerentque appellationes ſpectare ad Concilium, his ita reponit vnus ex eorum grege Schluſelburgius in Catalogo Hæ-
,reticorum lib. 13. Quis enim noſtrum ſibi ar-
,rogabit, vt locum habendo Concilio conſti-
,tuat, diem dicat, variarum nationum Theo-
,logos euocet? Et quis in ipſa Synodo præſi-
,debit? Porrò quis iudex erit inter litigantes?

Ad noſtram redeunt ergo Aduerſarij ſententiam, dum vltrò fatentur, opus eſſe parente aliquo communi, admonitore, & duce cum ſuprema auctoritate ad lites dirimendas, & controuerſias ſopiendas, & qui locum, habendo Concilio, conſtituat, diem dicat, Theologos variarum Nationum euocet, Synodo præſideat, & qui iudex ſit cum ſuperioris poteſtate, & iuriſdictionis prærogatiua inter litigantes.

Quod cùm ita ſit, & aliter eſſe nequeat, ſiue diuinæ, ſiue humanæ ſpectentur rationes, & leges, iudex iſte cum ſuprema poteſtate, & iuriſdictionis prærogatiua ſuper cæteros nullus eſſe poteſt, quam Romanus Pontifex. Nam hæc poteſtas non poteſt reſidere penes Concilium ſecundùm eoſdem etiam Aduerſarios, quoniam in ipſo Concilio requiritur qui præſideat, qui iudex ſit inter litigantes, qui controuerſias dirimat cum ſuprema iuriſdictionis poteſtate. Ergo agnoſcunt, atq; fatentur vel inuiti, aliquem eſſe ſupra Concilium, quod & conſtat ex Can. 44. Concilij Nicæni ſupra à nobis allato. Neq; etiam penes Patriarchas, quod vnum teſtat, poteſt reſidere illa poteſtas, & præeminens prærogatiua, quia in Patriarchas eandem poteſtatem, & iuriſdictionem habet Romanus, quam Patriarchæ habent in ſubditos Epiſcopos ex Canone 44. Concilij Nicæni, quæm ſupra attulimus. Supereſt ergo, vt dicamus, hanc poteſtatem, & ſupremam iuriſdictionem iudicis Controuerſiarũ, & appellationum ex omnium cõſenſu, & confeſſione reſidere penes Romanum, itaut ab eius ſententia, & iudicio recedere, aut reclamare fas vlli mortalium ſit, vel ad Concilium, vel quempiam alium cuiuſcunque ſit dignitatis, & gradus, ſi Chriſtianus is haberi vult. Sed videamus iam quid hac de re ſanxit olim Nicænus Canon, qui adhuc supereſt Orientalibus.

••••••••••••••

Canon. 71.

••••••••••••••••••

,Si quis Epiſcoporum delatus fuerit ali-
,qua in re, propterea conuenientes Epiſcopi
,illius Sedis, & exſoluerint illum ſuo ordine,
,& miniſterio interdixerint: volueritque ille
,appellare, & querimoniam deferre ad Beatiſ-
,ſimum Epiſcopum Eccleſiæ Romanæ, nem-
,pè *Papam*, placueritque ei (*Papæ*) audire
,querimoniam illius, atque iuſtum ipſi viſum
,fuerit, iterùm perſcrutari negotium eius, &
,rogauerit illum (*Epiſcopus delatus*) vt pro ſe
,ſcriberet ad vniuerſam illius prouinciam, &
,ad Epiſcopos contiguarum prouinciarum, vt
,perdiligenter exquirerent de ſuo negotio, &
,peruestigantes iudicium de illo ferrent iuxta
,iuſtitiæ æquitatem. Si verò rogauerit ille E-
,piſcopum Romæ, & commouerit eum, vt
,ſuam confeſtim audiret cauſam, ſiue obti-
,nuerit ab eo, vt mitteret à ſuo latere duos
,Presbyteros Eccleſiaſticarum cauſarum peri-
,tos, vt exquirerent, & inueſtigarent aucto-
,ritate, ſeu poteſtate illius, quid agendum ſit
,de ipſius cauſa, & ſub anathemate obſtringat
,Legatos, quos mittet, vt iudicent cum Epi-
,ſcopis, at principatum habeant legati. Et
,profectò obediendum ei hoc eſt, ſtatimque
,acquieſcendum in cauſa illius Epiſcopi, atq;
,iudicio de ipſo lato, quà conſeruanenm, re-
,ctumque viſum fuerit Epiſcopo Romano Pa-
,pæ. Quicunque autem Sanctioni huic aduer-
,ſarus fuerit, Synodus anathemate illum per-
,cellit.

Canonis huius mentionem facit inter alios Zoſimus Papa in ſua Decretali Epiſtola, & Monitorio ad Patres VI. Concilij Carthaginenſis;& cùm non extaret illis Patribus Canon iſte, in controuerſiam illum vocarunt; proindeque multùm, & acriter hinc indè diſceptatum eſt. At mirum non eſt, Canonem illum, quemadmodùm, & multa alia eiuſdem Concilij apud Patres Carthaginenſes tunc nō extitiſſe, quia Nicænum Concilium in tota Græcia, & Ægypto combuſtum fuiſſe ab Arianis, immaniter tunc vbique ſæuientibus, ex Scriptoribus Eccleſiaſticis benè ſciunt omnes, qui eas hiſtorias euoluerunt.

Ex ea Patrum Concilij Carthaginenſis dubitatione anſam arripuerunt Centuriatores, & alij; qui bellum Eccleſiæ Romanæ indixerunt nefarium, inſimulandi falſitatis Zoſimum, Bonifacium, ac Cæleſtiunm ſummos Pontifices, qui hunc Canonem tanquàm Nicænum laudarunt, & Carthaginenſibus Patribus tunc ſubdubitantibus oppoſuerunt. Sed profectò Canonem de appellationibus ad Romanum Pontificem in Concilio Nicæno ſancitum fuiſſe aliquem, nemo dubitat, niſi qui impudenti fronte, & ore omnia, vel ſint euidentiſſima, negare ſit paratus. Qua enim ratione appellaſſet S.Athanaſius à Concilio Antiocheno vi Nicæni decretorum ad Iulium I. qui eum, ſocioſque abſoluit, & in ſuas Sedes, à quibus deiecti erant in Concilio Antiocheno, reſtituit? Forſan ignorare poterat Athanaſius, quid in Concilio illo ſtatutum fuerat? An illius magna pars non fuit Athanaſius? Aut Iulius præter Eccleſiæ Canonem Athanaſij admiſit appellationem? Minimè verò teſte Theodoreto lib. 2. Hiſt. cap. 4. hiſce verbis: *Iulius Eccleſiæ Canonem ſecutus eos iuſſit Romam venire, & D. Athanaſium, quò pro ſe in iudicio reſponderet vocauit.*

Appellauit etiam eodem tēpore ad eundem Iulium Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, quemadmodùm inter cæteros perhibet Martyrologium Ægyptium ſub die V. menſis Babe: ....

„Hac die requieuit S. Pater D. Paulus
„Patriarcha vrbis Conſtantinopoleos. Erat
„autem Pater iſte diſcipulus patris Alexandri
„Patriarchæ Conſtantinopoleos, quo requiem
„adepto, hic Pater loco eius ſucceſſit; ſtatim
„autem atque Patriarchalem obtinuit Sedem,
„Arij expulit Sectatores. eoſque ex Conſtan-
„tinopoli, eiuſque prouincijs eiecit. Mortuo
„autem Conſtantino Imperatore. regnauit
„Conſtantinopoli filius eius Conſtantius, fra-
„ter verò eius Romæ: Conſtantius autem iſte
„Arij ſequebatur opinionem, eiuſque impiam
„profitebatur religionem, proindè ægrè tulit
„ea, quæ fecerat pater Paulus aduersùs homi-
„nes ſuæ ſectæ. Quare rogauit eum, vt abſti-
„neret, ne amplius in eos anathematiſmos,
„& maledicta conferret, qui renuit. Quamo-
„brem ira percitus Conſtantinopoli expulit
„illum, & iamdudùm Alexandria expulerat
„Athanaſium. Conuenerunt itaque ambo in
„Vrbe Roma apud S. Iulium Papam, qui co-
„miter excepit illos, ſcripſitque Epiſtolas Im-
„peratori pro eis, in quibus ipſorum recenſe-
„bat ei virtutes, & religionem, illiſque præſcri-
„bebat, vt eos ſuſciperet. Quos autem Con-
„ſtantinopolim peruenientes, lectis Papæ li-
„teris, ſuſcepit Imperator ob Papæ reueren-
„tiam, illoſque aliquantulùm tolerauit, tum
„etiam exilio mulctauit. Qui iterùm reuerſi
„ſunt Romam ad Papam, introduxitque illos
„Papa ad Conſtantem Imperatorem, & eorum
„expoſuit illi ſtatum: ſcripſitque Conſtans pro
„eis fratri, ipſi mandans, vt illos ſuſciperet,
„inſuper minitatus eſt ei, ni ſuſciperet eos, ſe
„pacem fracturum, & indicturum ipſi bellum.
„Scripſit alias etiam Papa literas pro eis. Su-
„ſceptis itaque Imperator literis fratris, nec
„non literis Papæ, Sedibus ſuis reſtituit eos.

Hæc proſequitur etiam Theodoretus lib. 2. Hiſt. cap. 4. & 5. Sozomenus lib. 3. cap. 8. Socrat. lib. 2. cap. 16. Iulius ipſe, vt refert Athanaſius Apolog. 2. obiurgauit Orientales, quòd ſe non præmonito, iudicium de Marcello, & Athanaſio Epiſcopis feciſſent. *An ignari eſtis*, inquit, *hanc conſuetudinem eſſe, vt primùm nobis ſcribatur, vt hinc quod iuſtum eſt. definiri poſſit.*

Chryſoſtomus Canonis huius vi, ſeu Concilij Niceni decreto appellauit ad Innocentiū Papam: cui ſic ſcribit Epiſt. 1. *Obſecro, vt ſcribas, quòd hæc tam iniquè facta non habeant robur, illi verò qui iniquè egerunt, pœna Eccleſiaſticarum legum ſubiaceant.* Ex quo idem Innocentius in eadem cauſa Chriſoſtomi apud Sozom. lib. 8. cap. 26. probat, omnes Epiſcoporum cauſas ad ſe pertinere.

Item Flauianus Conſtantinopolitanus Patriarcha quo iure, & auctoritate à ſecundo Concilio Epheſino appellauit ad Leonem I. niſi vigore huius decreti, ſeu Canonis, veluti Epiſt. 25. ſcribit ipſe Leo? quemadmodùm eodem tempore ad eundem Leonem appellauit, & Theodoretus Epiſcopus Cyri, auctore Liberato in ſuo Breuiario cap. 12.

Licet autem audire ex Gelaſio Papa Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ, qua auctoritate abſoluti ſunt à Synodorum Orientalium ſententia, & damnatione priores tres Præſules, nempè Athanaſius Alexandrinus, Io: Chryſoſtomus, ac Flauianus Conſtantinopolitanus.

„Apoſtolica Sedes, *inquit Gelaſius*, frequen-
„ter vt dictum eſt, more maiorum etiam ſine
„vlla Synodo præcedente, & ſoluendi quos
„Synodus iniquè damnauerat, & damnandi
„nulla exiſtente Synodo, quos oportuit, ha-
„buit poteſtatem. Sanctæ quippe memoriæ
„Athanaſium Synodus Orientalis addixerat,
„quem tamen exceptum Sedes Apoſtolica,
„quia damnationi Græcorum non conſenſit,
„abſoluit. Sanctæ memoriæ nihilominùs Io-
„annem Conſtantinopolitanum Synodus etiā
„Catholicorum Præſulum certè damnauerat,
„quem ſimili modo Sedes Apoſtolica etiam
„ſola, quia non conſenſit, abſoluit. Itemque
„S.Flauianum Pontificem Græcorum Congre-
„gatione damnatum, pari tenore, quoniam
„ſola Sedes Apoſtolica non cenſuit, abſoluit;
„potiuſquàm qui illic receptus fuerat, Dioſco-
„rum ſecundæ Sedis, Præſulem ſua auctorita-
„te damnauit, & impiam Synodum non con-
„ſentiendo ſubmouit, & ſua auctoritate, vt
„Synodus Chalcedonenſis fieret, ſola decreuit.

Ex hactenus itaque dictis planiſſimè conſtat, & euidentiſſimè, non ſimplices tantùm Epiſcopos, verùm etiam Chriſtianæ Reipublicæ Summos Antiſtites, nimirum Patriarchas ipſos à Conciliorum quoque iudicio, &

decre-

decretis ab ineunte Chriſtianæ Religionis memoria, & nomine, Romanum appellaſſe Pontificem,& inde abſolutionem eſſe conſecutos.

Conſtat præterea, Romanum Pontificem ad neminem appellaſſe vnquam, quod ſupremæ profectò iuriſdictionis, & poteſtatis eſt, quæ nullam agnoſcit ſuperiorem in terris. Hinc Ennodius Diaconus in ſuo libro id ſcriptum reliquit: *Aliarum hominum cauſas voluit Deus per homines terminari Sèdis verò ipſius Præſulem ſuo ſine quæſtione ſeruauit arbitrio, voluitque Petri Apoſtoli Succeſſores Cælo tantùm debere innocentiam.*

Sed quis proinde neſcit, Dioſcorum ſecundæ Sedis Præſulem non tam ob Hæreſim, vt ſcribit Nicolaus I. in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem, quàm ob horrendam præſumptionem, qua in Concilio Epheſino ſecundo auſus fuerat,dictare ſententiam aduersùs Leonem Romanum Pontificem? Sed nec ſolùm damnatus fuit Dioſcorus,verùm & Concilium illud irritum habitum eſt, quod fuerit celebratum ſine Romani Pontificis conſenſu, & repugnantibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, vt ex Act. 16. Concilij Chalcedonenſis clarè liquet.

Vndique igitur liquet tam Orientalium authoritate, & teſtimonio, quàm Occidentalium, Romanum Pontificem eſſe ſupremum illum controuerſiarum Iudicem, Conciliorum arbitrum, vniuerſæ Chriſtianæ Religionis Caput, Petri ſucceſſorem, Chriſti in terris Vicarium,

CAPVT XVII.

In quo ſtudiosè inquiritur, vtrum Concilium Nicænum alios ediderit Canones præter illos 20. qui Græcè, & Latinè circumferuntur.

CElеberrimum illud Nicænum Concilium Patrum 318. perplures edidiſſe Canones præter 20. illos, qui Græcè, & Latinè in Tomis Conciliorum leguntur, Orientalium addubitat nemo. Quin id ipſa præfatio, quæ Concilio præmittitur, luculentiſſimis hiſce teſtatur verbis..........

, Deinde diſceptare cœperunt cum Hæreticis,
, & Hypocritis, perdurauitque huiuſmodi
, congreſſus trium annorum ſpatio donec iſti
, coacti ſunt ore veritatem fateri, quæ verò
, corde, & animo fouebant, ſolus nouerat De-
, us. Deſcriptum autem quicquid cum Hæ-
, reticis, & Fidei impugnatoribus diſputa-
, tum eſt; & quicquid Patres inter ſe collo-
, cuti ſunt, atque diſcuſſerunt, quadraginta
, libris. Singulorum verò Sanctorum Patrum
, ſententiæ, & Fidei profeſſiones, quas edide-
, runt, alijs libris quindecim, qui nomine A-
, poſtolicarum dignoſcuntur, conſeruanturq;
, in Eccleſiarum Bibliothecis, ſiquidem hæc
, deſcripta ſunt, & per vniuerſas Orbis terra-
, rum prouincias promulgata, præter Cano-
, nes, & Conſtitutiones, qui alijs libris tribus
, congeſti ſunt.

Poſt pauca autem verba ſubdit eadem Præfatio:........

, Conſtitutiones autem,quas poſuerunt,quam-
, plurimæ quidem ſunt. Etenim ſancitæ ſunt
, Regibus, Sacerdotibus, Principibus, Iudi-
, cibus, Rectoribus, & Prouinciarum Incolis,
, vt ſingulis expedit regionibus. Item Mona-
, ſterijs, eorumque habitatoribus, Abbatibus,
, & ſingulis ipſorum ordinibus tam virorum,
, quàm mulierum, necnon Eccleſiaſticæ Hie-
, rarchiæ. Præterea, Ducibus, militibus, mer-
, catoribus, ciuibus, nautis, nummularijs
, quoque, artificibus, fornicarijs, adulteris,
, concubinarijs, & polygamis. Nec quic-
, quam paruum, vel magnum prætermiſerunt,
, cuius non fecerunt mentionem, & cui non
, ſtatuerunt legem.

Ratio autem, cur tot ſtatuta, & leges ſancitæ ſunt in eo conſenſu, ibidem ſtatim redditur........

, Id autem propterea, quia Imperator, & Ma-
, gnates, Duces, Milites, Patritij, & ipſius
, Curiæ ordines, necnon familiares, & Impe-
, rij ipſius incolæ Chriſtiani erant, adeoque
, Canonibus indigebant, & Conſtitutionibus
, ad ſuam ſtabiliendam Religionem.

Quaſi verò dixiſſet: Cùm Imperator recens ad Chriſti fidem conuerſus eſſet vnà cum ſuis, & eò vſque nullæ Generalium Synodorum factæ eſſent Conſtitutiones, quibus regerentur Neophyti, magnum hoc, & primum Generale Concilium omnia ea, quæ ad Chriſtianam Religionem ſtatuendam, firmandamque ac ad recentis,creſcentiſque Eccleſiæ regimen, neceſſaria erant, ſanciendo proſpexit.

Cui Orientalium aſſertioni mirum in modum fauet Gelaſius Cyzicenus in præludijs Commentariorum Act. Concilij Nicæni perſcribens: Omnia quæ in præclara illa, &
, ſancta Synodo dicta, facta, & conſtituta fue-
, rant, iampridem cùm adhuc in paterna
, domo vitam degerem, legi, cùm illa inue-
, niſſem in antiquiſſimo libro in membranis
, planè integris deſcripta: qui fuit diuini, &
, celebris Dalmatij in illuſtri Cyzicenorum
, Metropoli ſanctæ Catholicę Eccleſiæ Archie-
, piſcopi: quique tandem ad familiæ noſtræ
, dominum deuenit, patrem dico meum ſe-
, cundum carnem dignum habitum, qui in
, ordinem Presbyterorum eiuſdem Eccleſiæ
, cooptaretur. In quem ſacrum librum cùm in-
, cidiſſem, multumque in eo poſuiſſem ſtudij,
, nec potuiſſem memoria omnia retinere (ne-
, mo enim hominum immenſum illud mare,
, omnium, quæ in eo recondebantur memori-
, ter in ore habere poterit) plurima annotaui
, Sanctorum noſtrorum Patrum.

Photius verò Conſtantinopolitanus in ſumma librorum à ſe lectorum, meminit ſe legiſſe librum hiſtoriam præſeferentem Actorum in Concilio Nicæno, qui diuiſus erat in tres partes. Teſtatur præterea, ſe inueniſſe alium Codicem hæc eadem continentem Acta ſub nomine Gelaſij Epiſcopi Cæſareæ Paleſtinæ.

Adſtipulatur quoque Iſidorus in prologo Collectionis Canonum, qui ſe audiſſe, affirmat, quoſdam Orientales Epiſcopos aſſeuerantes, ſe vidiſſe ingens volumen Actorum Synodi Nicænæ, in quibus aiebant, iudicia querimoniarum, & definitiones, ac Conſtitutiones contineri.

Nec mirandum eſt, ſi tempus attendamus, quo durauit Concilium illud, & Patrum

in eo congregatorum numerum. Nam tempus triennij fuit, vt præter præfationem ſupra allatam teſtantur inter alios Nicephorus lib. 8. cap. 14. & 26. vbi ſcribit, *Concilium Nicænum, annis tribus paulò amplius celebratum fuiſſe*, quicquid contra dicat Poſſeuinus in ſuo Apparatu verbo *Nicephorus*. Et Gelaſius Cyzicenus in Comment. Concilij Nicæni par. 2. poſt Epiſtolam Conſtantini Imperatoris datam ad Epiſſiopps, qui ſancto, & magno Concilio non interfuerant, ita de illius erga Patres pietate, cura, ac ſollicitudine in eo Concilio celebrando diſſerens. *Sexto quidem decimo anno, & ſexto menſe regni ſui iuxta veteres hiſtorias, vt ſupra diximus* (ſcilicet cap. 5.) *ſanctum Epiſcoporum Concilium congregauit: anno verò viceſimo cùm Synodi conuentum diſſoluiſſent, in ſuas Paræcias, vt dictum eſt, vnumquemque dimiſit.*

Quamobrem æquum, ac par eſt credere, ſanctiſſimos, ſapientiſſimoſque Patres illos 318. triennij interuallo plura alia ſanxiſſe Eccleſiæ tunc quaſi naſcentis regimini neceſſaria, & opportuna, quam 20. eos Canones; nec otioſos tantùm temporis conterentes ibi conſediſſe.

Imò qui aliter ſibi perſuaſerit, & Summis Pontificibus, & ſacris Concilijs, & Sanctis Patribus, & Eccleſiaſticis Scriptoribus maximè iniurius eſſe videtur. Hi enim omnes pleno teſtantur ore; Nicænum Concilium plura ſanxiſſe decreta, Conſtitutiones, & Canones, quàm illos 20.

Ex Summis Pontificibus S. Leo primus multa affert Epiſt. 53. 54. 55. ex Nicæna Synodo aduersùs Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ius ſibi ſuper Alexandrinam, & Antiochenam Eccleſias vſurpantem.

Iulius 1. Epiſt. 1. & in Reſcripto ad Orientales Epiſcopos, plura de Eccleſiæ Romanæ prærogatiuis in Synodo Nicæna ſancita refert, quorum vi & authoritate eos obiurgauit, quòd ſe non præmonito iudicium de Marcello, & Athanaſio Epiſcopis feciſſent, vti teſtis eſt ipſe Athanaſius Apolog. 2. Item horum vigore ipſum Athanaſium ad ſe appellantem ſuæ reſtituit Eccleſiæ.

Innocentius Papa Epiſt. 6. ad Agapitum Macedonium ex Nicæna Synodo multa refert de generibus non ordinandorum, & de pœnitentibus, alijſque in Epiſt. 24. ad Synodum Toletanam.

Zoſimus in ſua Decretali, & Monitorio ad IV. Concilium Carthaginenſe tres profert Canones ex Nicæna Synodo; primum de appellationibus Epiſcoporum ad Romanam Sedem; alterum de appellationibus Presbyterorum, & minorum Clericorum ad Epiſcopos vicinos: tertium de non eundo ad Comitatum. De primo quanta olim fuit altercatio ſub eodem Zoſimo, Bonifacio, & Cæleſtino ſummis Pontificibus, præſertim cum Africanis, doctis viris ſatis notum eſt.

S. Marcus Papa in Epiſtola ad S. Athanaſium, & Epiſcopos Ægypti petentes ſibi mitti decreta Concilij Nicæni, reſpondet: ſe in Sedis Apoſtolicæ Archiuis inueniſſe Capitula Nicæna, quæ S. Silueſtro fuerant miſſa, integra, *Quæ*, inquit, *propter auctoritatem, & ſubſcriptionem tantorum Patrum, & eius magni Concilij minimè miſimus, ſed pro eiſdem coram Apocriſarijs veſtris alia ſimilia, eundem numerum, eadem verba, & ipſam ſubſcriptionem continentia vobis reſcribere, & ſub certa ſtipulatione, & confirmatione mittere curauimus.*

Concilia autem quod attinet, in Epheſino Act. 7. citatur priuilegium à Patribus Nicænis Cypri Eccleſiæ collatum, quod eſt Canon 43. ex 84. qui nomine Concilij Nicæni inter Orientales circumferuntur.

In calce Concilij Chalcedonenſis, vt notat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 25. refert Atticus, in Concilio Nicæno determinatam fuiſſe rationem ſcribendarum formatarum, de quibus loquitur etiam Optatus libro 2. contra Parmenianum.

Concilium Antiochenum Can. 1. aſſerit, non licere Paſcha diuerſo tempore facere, nec cum Iudæis celebrare, ſicut in Concilio Nicæno ſtatutum eſt. Quem Canonem integrum refert ex Orientalium Editionibus Marcus Patriarcha Alexandrinus in Epiſtola ad Michaelem, & Baſilium Epiſcopos, agens de Paſchatis celebratione. Canon is eſt apud laudatum „ Marcum: Et facta eſt inter nos maxima con„tentio de inſtantis ſancti Paſchatis celebra„tione. Comperimus enim tria præcipua „ Orbis Climata, vnà cum vniuerſo reliquo „ ſub Sole Orbe concorditer celebrantia Paſ„chatis diem; Aſiam verò ſolam, & ſubiectas „ ei regiones, quæ minima reſpectu cæterarum „ pars eſt, in hoc diſſidentem. Quamobrem „ benè nobis viſum eſt, vt Aſiatici, & qui ad „ eos referuntur, Romanorum, Alexandrino„rum, ac reliquorum ſequentes exemplum „ cæteris conformentur Orbis habitatoribus, „ & concorditer Paſcha celebrent vna eadem„que die, qua Dominus reſurrexit à mortuis, „ quæ quartam decimam Lunam primi menſis „ ſubſequitur; vt in hoc etiam opere ſimus con„cordes, ac vnum idemque verbum profera„mus vbique de Morte, & Reſurrectione Do„mini Noſtri Ieſu Chriſti; vtque inconcuſſi in „ eadem maneamus fide, & ſanctum noſtrum „ glorificetur fundamentum, & ex hoc vno „ opere dignoſcatur omnium noſtrum vnam eſſe fidem. Pòſt hoc Niceni decretum factam fuiſſe concordiam, & conſonantiam ſanctiſſimi Paſchatis, patet ex literis ipſius Nicænæ Synodi ad Alexandrinos, & Ægyptios, velut ſcribit Theodoretus lib. 2. cap. 12.

Balſamon explanans primum illum Canonem Concilij Antiocheni in eos, qui Canonem Concilij Nicæni de celebratione Paſchæ non ſeruant, aſſerit, eum non inueniri inter Nicænos, ſed in Actis primæ Synodi, *Hoc*, inquit, *in Canonibus Nicæni Concilij non eſt inuentum, ſed in Actis primæ Synodi inuenitur.*

Quid autem velit nomine primæ Synodi Balſamon, non ſatis conſtat, niſi intelligat primum volumen, de quo Orientales, vbi de celebratione Paſchatis actum fuiſſe ferunt. Aut etiam intelligit Synodum Romanam ſub Victore Papa celebratam, in qua primùm de Paſchatis celebratione actum eſt, cuius fortè Nicæna deindè ſecuta eſt decreta. Nam eodem tempore Demetrius Patriarcha Alexandrinus Epactæ auctor fuit, qua ratio ſubducitur Paſchatis, libellumque edidit, cuius exemplar miſit Victori Papæ, qui in ea Synodo Romana decreuit contra Aſiaticos, qua die Paſcha celebrandum ſit. Huius Romanæ

Syno-

Synodi ſit commemoratio in Martyrologio Ægyptio ſub die 10. menſis Ægyptiorum Hatur, hiſce verbis ....

„Hac autem die congregatum fuit Romę ſanctum Concilium ſub Victore Papa. Cauſa verò congregationis huius Cōcilij fuit, quòd Chriſtiani hactenùs celebrabant ſolemnitatē Epiphaniæ, & Ieiunij initiū faciebant mane diei duodecemi menſis Tube, & comedebant Paſcha Ieiunij die 21. Amſcir; deinde agebant ſolemnitatem Paſſionis aliquos dies poſt fractionem Ieiunij. Cùm autem initiatus fuiſſet S. Demetrius, qui vir erat ruſticus, ſcripturæ, & librorum ignarus, eius intellectum dinina gratia illuminauit Deus, didicitque Eccleſiaſticas Scripturas vniuerſas eaſque memoriæ tradidit, ac earum maiorem partem expoſuit. Prætera Epactæ ſupputationem inuenit, qua Ieiunij, & Reſurrectionis ſubducitur ratio, eamque Copticè, & Latinè conſcripſit, & illius miſit Exemplar ad Patrem Victorem Papam Romæ.

Concilium Arelatenſe ſecundum Can. 24. Conſtitntionem ex Concilio Nicæno: *De Accuſatoribus fratrum*, ita profert: *Eos qui falſa fratribus capitula obieciſſe conuicti fuerint, placuit vſque ad exitum non communicare, ſicut magna Synodus ante conſtituit, niſi digna ſatisfactione pænituerit.* Ad hæc ita Summæ Auctor: *Hic eſt vnus Canon præter illos 20. ex Concilio Nicæno, quos ſupra recenſuimus.* In cap. *peruenit* quæſt. 7. citatur etiam ſtatutum Concilij Nicæni contra Simoniacos.

Patres antiquos plurium Concilij Nicæni Canonum mentionem feciſſe, nemine in eorum operibus euoluendis verſato planè nō conſtat. Sed vt omnibus id clariùs pateſcat, aliquorum in medium teſtimonia, & auctoritates proferamus.

S. Baſilius Magnus Epiſt. 78. perſcribit, in Concilio Nicæno alia conſtituta eſſe ad correctionem noxiorum, alia ad præmonitionem eorum, quæ in futurum ſuboriri poſſunt.

D. Hieronymus in præfatione libri Iudith teſtatur, Nicænam Synodum eum librum catalogo Sacrarum Scripturarum adſcripſiſſe. *Sed quia*, inquit, *hunc librum Synodus Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum legitur computaſſe, acquieui poſtulationi veſtræ, immò exactioni.*

S. Ambroſius in Epiſtola ad Eccleſiam Vercellenſem, quæ eſt 82. affirmat, in Synodo Nicæna prohibitos bigamos ordinari.

S. Auguſtinus Epiſt. 110. ſcribit in Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe, ne duo Epiſcopi ſimul ſedeant in eadem Eccleſia, quamobrem ita de ſe teſtatur: *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre, & Epiſcopo Valerio Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo: quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam.*

D. Athanaſius, qui interfuit Concilio, in Epiſt. ad Marcum Papam teſtatur, Nicænos Canones fuiſſe num. 80. qui poſtea ab iiſdem Concilij Patribus in 70. ſententias redacti fuerunt; quod & Genebrardus lib. 3. Chronographiæ ſeculo 4. ita confirmat: *Miſit* (*Marcus Papa*) *ad Athanaſium, & Epiſcop. Ægypti 70. Nicænī Concilij Canones, fideliter deſcriptos ex exemplaribus, quæ Silueſter Romæ reliquerat, è quibus 20. duntaxat hodie extant, Arrianis igne in eos ſæuientibus, niſi quod in Arelatenſi ſecundo inſunt.* Totidem ferè verbis hoc idem affirmat F. Bartholomæus Carranza in ſua ſumma Conciliorum agens de Marci decretis: *Hic miſit*, inquit, *ad Athanaſium, & Epiſcopos Ægypti 70. Canones Nicæni Concilij fideliter tranſcriptos ex exemplaribus, quæ Silueſter Papa reliquerat Romæ.* Idem S. Athanaſius, cùm appellaſſet ex Concil. Antiocheno, in quo damnatus fuerat, ad Romanum Pontificem, quod Hæretici id iure fieri poſſe, cùm negarent, Decretis Concilij Nicæni ſe defendit.

Præter Summorum autem Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Sanctorum Patrum, quæ mox attulimus teſtimonia, hoc idem noſtrum confirmantia argumentum, alia quoque aliorum Scriptorum ferè innumera occurrunt tam apud Orientales, quàm Occidentales in hanc eandem rem, quæ miſſa nunc facimus, ne longior, quàm par eſt, noſtra protrahatur inutiliter oratio, & tædium lectoribus creemus, præſertim verò cùm & Centuriatores, & ipſorum Aduerſariorum Coriphęi Lutherus, & Caluinus id vltrò fateantur teſte Bellarmino lib. 2. de Romano Pontifice cap. 25. nec non fratre Paulo Fabulotto Diſputat. Theolog. de Poteſtate Papæ ſupra Concilium cap. 5. pag. 15.

CAPVT XVIII.

In quo recenſentur Tituli Canonum, Conſtitutionum, & Decretorum Concilij Niceni, quæ extant nobis ex Orientalium Editionibus.

CApite ſuperiori diligenter animaduerſum eſt, non ex Orientalium duntaxat monumentis, verùmetiam ex Photio Conſtantinopolitano in Summa librorum à ſe lectorum, ex Iſidoro in prologo Collectionis Canonum, ex Gelaſio in Præludijs Commentariorum Act. Concilij Nicæni, ex Patribus, ex Concilijs, ex Summis Pontificibus, plura præter eos 20. Canones in magno, & celebri illo Concilio edita fuiſſe. Eorum quæ nobis ad manus extant, aliàs de anno 1645. edidimus titulos, & argumenta Lutetię Pariſiorum, quæ autem nunc iterùm noſtris proferre, & exhibere Lectoribus abs re non eſſe duximus; imò id ſatis probè ad rem præſentem. Vt verò & confuſionem euitemus, & orationis longitudinem, in varias totam rem redigimus claſſes, & alicubi propter materiæ ſimilitudinem nonnihil deflexinus ab Orientalium ordine, ea, quæ ſunt eiuſdem argumenti ſub vna claſſe reuocantes.

CLASSIS PRIMA.

Continet Canones 20.

Can. I. De caſtratis, & abſciſſis.

II. De Neophytis, ne ſtatim ad Clerum promoueantur.

III. Ne mulieribus Clerici cohabitent.

IV. De conſecratione Epiſcoporum.

V. De interdictis ab ingreſſu Eccleſiæ, Sacerdotes illi ſint, vel Laici.

VI. De

VI. De ordine Ciuitatum, earumque præcedentia.
VII. De honore Hieroſolymorum Epiſcopo deferendo.
VIII. De Nouatianis, qui non recipiunt pœnitentes.
IX. De Presbytero, qui ordinatur ſine examine.
X. De Clerico, qui fidem abnegauit ob timorem infidelium, & reſipiſcens ad ſuum ordinem redire vellet.
XI. De laicis, qui fidem abnegarunt.
XII. De eo, qui Mundo abrenunciauit, tum ad illum reuertitur.
XIII. De excommunicatis, qui inſtante morte communionem petunt.
XIV. De Catechumenis Fidem abnegantibus.
XV. Clericus de vna ad aliam Eccleſiam ne tranſeat.
XVI. De ordinatis titulo alicuius Eccleſię, tum ad aliam tranſire curant.
XVII. De Clericis vſuræ deditis.
XVIII. Presbyter reliquos Clericos præcedat.
XIX. De ijs, qui ad noſtram Fidem veniunt ex Pauli Samoſateni ſecta.
XX. Ne genua flectant fideles die Dominico, aut diebus Pentecoſtes.

CLASSIS SECVNDA,

Continet Canones 84.

Can. I. Nullus energumenus ad Clerum promoueatur.
II. De Seruis, quos inuitos Domini caſtrauerunt, vel circumciderunt.
III. De Catechumenis.
IV. Ne mulieribus cohabitent Epiſcopi, aut Presbyteri.
V. Nemo conſtituatur Epiſcopus, niſi prævio examine, & conſcientia Epiſcoporum prouinciæ.
VI. Nullus excommunicatus ab alio ſuſcipiatur.
VII. Bis in anno Epiſcopi ad ſuum Metropolitam congregentur.
VIII. Patriarcha magnæ Alexandrię poteſtatem habeat in totam Ægyptum, eiuſque Prouincias.
IX. De electione Epiſcopi.
X. De honore præſtando Epiſcopo Hieroſolymitano.
XI. Presbyteri poſt electionem examinentur, deinde ordinentur.
XII. Nullus Catechumenus ad Clerum promoueatur.
XIII. Nullus Presbyter de vna in aliam tranſeat Ciuitatem.
XIV. Presbyteri, qui de vna in aliam tranſierunt Eccleſiam, reuerti ad priorem cogendi ſunt.
XV. Nullus Monachus de ſuo ad aliud tranſeat Monaſterium.
XVI. Nullus vſuræ deditus ad Clerum admittatur.
XVII. Diaconus ſacram Synaxim ante Presbyterum ne ſumat.
XVIII. Pauli Samoſateni ſectatores iterum baptizandi.
XIX. Moniales eiuſdem ſectæ iterùm baptizandæ, & benedicendæ.
XX. De Catharis, ſeu Nouatianis.
XXI. Qui ab infidelitate ad Fidem conuertuntur, ſuſcipiantur.
XXII. Nemo fidelium cum Magis,& Incantatoribus commercium habeat.
XXIII. De matrimonio fidelium cum ſuſcipientibus è ſacro Baptiſmatis fonte.
XXIV. Mares è ſacro fonte ne ſuſcipiant fœminas, nec fœminæ mares.
XXV. Nemo contrahat cum puella, quam eius vxor è ſacro ſuſcepit fonte.
XXVI. Nemo fidelium cum duabus contrahat.
XXVII. Presbyter neminem à communione arceat ob iram.
XXVIII. Clerici neque fideiubeant, neque negotia in Curia promoueant.
XXIX. Quæ menſtruis laborat, Eccleſiam ne ingrediatur.
XXX. Excommunicatorum oblationes ne ſuſcipiantur.
XXXI. Clericus ne ſit iracundus.
XXXII. In ſolemnioribus Domini feſtiuitatibus ne genuflectatur.
XXXIII. Fidelibus ne infidelium imponantur nomina.
XXXIV. De Artanis, qui ad Fidem conuertuntur.
XXXV. Quomodo ſuſcipiendi ſunt homines aliarum Sectarum.
XXXVI. Quomodo agendum eſt cum ijs Hæreticis, qui ſacras ſcripturas integras retinent.
XXXVII. De numero Patriarcharum.
XXXVIII. De translatione Patriarchatus Epheſi Conſtantinopolim.
XXXIX. De honore Primati Babylonico deferendo.
XL. In Perſidis regione Concilium ne congregetur.
XLI. De ordine Patriarcharum, & quòd Alexandrinus conſtituatur tertius.
XLII. Æthiopiæ regionem ſubiectam eſſe Alexandrino Patriarchæ.
XLIII. De Cypri Metropolita, ac priuilegio eius Eccleſiæ.
XLIV. Vnuſquiſque Patriarcha ſubiectos inuiſet Metropolitas, & Epiſcopos deque Romani Pontificis Primatu ſuper vniuerſos Patriarchas.
XLV. Ad Metropolitam bis in anno conueniant Epiſcopi.
XLVI. Ad Patriarcham ſemel in anno Metropolitæ congregentur.
XLVII. De appellationibus Clericorum ad vicinos Epiſcopos.
XLVIII. Epiſcoporum iudicia, & damnatio ad Patriarchas ſpectat.
XLIX. Metropolita ſine Patriarchæ conſcientia Epiſcopum neque iudicet, neque damnet.
L. Quomodo audire debet cauſas Metropolitarum Patriarcha.
LI. Epiſcopus, quem alius excommunicauit, communioni ne admittat.
LII. Epiſcopus ſibi ſucceſſorē ne deſignet.
LIII. Clericus Simoniacè ne promoueatur.
LIV. Ne vni Ciuitati duo conſtituantur Epiſcopi.

LV. De

LV. De diuortio, eiuſque conditionibus.
LVI. Clericus negotiationes, & vſuras ne exerceat.
LVII. Chriſtiani ex omnibus Sectis vxores ducant, eaſque ad Fidem reducere curent.
LVIII. De electione Chorepiſcopi.
LIX. De officio Chorepiſcopi.
LX. Chorepiſcopus bis in anno cum ſuis Presbyteris Epiſcopum ſalutatum adeat.
LXI. Abbas quoties, & quomodo adire debeat Epiſcopum.
LXII. De loco Epiſcopi in Eccleſia.
LXIII. Nullus præcedat Archidiaconum, & Chorepiſcopum in Eccleſia.
LXIV. De regiſtro ordinum, & graduum Clericorum.
LXV. De electione Archidiaconi, & Chorepiſcopi.
LXVI. De numero Clericorum in ſingulis Eccleſijs.
LXVII. Diſcincti pſallent Clerici.
LXVIII. De Oeconomis Eccleſiæ, eiuſque Procuratoribus.
LXIX. Epiſcopi commemoratio fiat in Diuinis Officijs.
LXX. Quo ordine Diaconus, & Chorepiſcopus procedere debent in funere Epiſcopi.
LXXI. De appellationibus Epiſcoporum ad Romanum Pontificem.
In aliquibus Codicibus loco huius Canonis alius habetur Canon, cuius titulus eſt. De Presbytero, & Diacono ſuas repudiantibus vxores.
LXXII. De Bigamis.
LXXIII. Nemo filiam, aut ſororem inuitas in matrimonium tradat.
LXXIV. Ne fidelis maritus infidelem vxorem ſequatur, & contra.
LXXV. De Xenodochijs ad ægrotos, & hoſpites excipiendos.
LXXVI. De Conſecratione Epiſcoporum.
LXXVII. De translatione Epiſcoporum.
LXXVIII. De electione Epiſcoporum.
LXXIX. De Diaconiſſis.
LXXX. De ijs, qui eſſe recuſant vel Sacerdotes, vel Procuratores Hoſpitalium.
LXXXI. De habitu Clericorum, & Monachorum.
LXXXII. De Epiſcoporum delictis.
LXXXIII. De Clericorum adulterijs, & fornicationibus.
LXXXIV. De Oeconomo, ſeu Procuratore Pauperum.

CLASSIS TERTIA.

De Monachis, & Anachoretis.

I. De Abbate Monaſterij, & quomodo eligendus eſt.
II. De Abbatiſſa.
III. De Abbatis, & Abbatiſſæ officio erga Epiſcopum.
IV. De ianitore Monaſterij.
V. De Oeconomo, ſeu Procuratore.
VI. De Nonitijs.
VII. De officio religioſi hominis.
VIII. De oratione, ſiue diuinis officijs.
IX. De potu.
X. De ijs, qui Monaſticam vitam amplecti volunt.
XI. De legibus, & conſtitutionibus Monaſtici inſtituti, ac de Sororum receptione.
XII. De Monachorum delictis, & pœna.

CLASSIS QVARTA.

Varias continet Eccleſiaſticas Conſtitutiones.

I. De conſecratione templorum.
II. De lege Martyrum.
III. De Ordinibus, & Dignitatibus Clericorum, & Monachorum.
IV. De Oeconomis frugum.
V. De Magis, & Incantatoribus.
VI. De Sacrificio Miſſæ.
VII. De correptione, & diſciplina.
VIII. De priuilegijs vrbium Matricum.
IX. De collationibus Epiſcoporum.
X. De Chorepiſcopis.
XI De licentia, ſeu formatis.
XII. De ingreſſu ad Regem, ſeu de non eundo ad comitatum.
XIII. De abſentia Epiſcoporum à ſuis Sedibus.
XIV. De excommunicationibus.
XV. De adoratione.
XVI. De oblationibus.
XVII. De miniſterio, & officio Diaconi.
XVIII. De Euchariſtia, & quomodo reſeruanda, & conſumenda.

CLASSIS QVINTA.

Varias continet Sanctiones, & Decreta, ex quatuor Regum ad Conſtantinum libris decerpta.

I. Canones, ſiue iura Deo debita à viris, & mulieribus Præſules non habentibus, qui eos auertant à malis vijs, neque Sacerdotes, neque Monachos, qui eos regant, ſed ſui ſunt ipſimet iuris.
II. Cognitio graduum prohibitorum, in quibus contrahendum non eſt.
III. Nemo contrahat niſi matrimoniali iure, alioquin ſeparentur.
IV. Nulli Chriſtiano contrahendum eſt cum duabus, tribus, aut pluribus.
V. Lex iuſtitię Deo debita ab omnibus Chriſtianis contrahentibus.
VI. De benedictionibus nuptiarum, & quatione ſunt faciendæ.
VII. Conſtitutio de matrimonio viduarum.
VIII. De purificatione à ſanguine menſtruo, & ſanguine partus.
IX. De retentione à ſanguine licito.
X. Terminus ingreſſus puerorum ad Eccleſiam: & Baptiſmum.

CLASSIS SEXTA.

Miſcellanea.

I. Definitiones Monachorum, & Monialium.
II. Statuta Sacerdotum, & quid ipſi debent, & quid ipſis debentur.
III. Quid Deo debetur pro defunctis.

IV. De primogenitis.
V. De otationibus, earumque cognitione, & ad quas tenentut fideles.
VI. De Otationis præſtautia.
VII. De ieiunio, eiuſque excellentia.
VIII. De ijs, quæ tempore ieiunij interdicuntur.
IX. De titu Sacrorum Altarium, eorumque conſecratione.
V. Condiriones diuortij, & ſeparationis ab inuicem.
XI. De etymologia diuortij.
XII. De cognitione Fidei, eiuſque cuſtodia, & obſeruantia.
XIII. De delatoribus, & Hæreticis.
XIV. Conſtitutiones Altarium.
XV. De Excommunicationibus, deque earum qualitatibus.

CLASSIS SEPTIMA,

Continens multas admonitiones, & adhortationes ſub vnico hoc titulo.

I. Definitiones Canonum eorundem 318. Patrum, per modum exhortationis, & comminationis.

Ptætet hæc extant etiam in Codice Vaticano Æthiopicæ editionis Conſtitutiones illæ eiuſdem Nicæni Concilij, quæ Apoſtolicæ nuncupantur. earumque mentio fit in præfatione ad ipſum Concilium, vt ſupra notauimus.

Hęc omnia hactenus recenſita extant nobis hic Romæ ex Bibliotheca Vaticana, Collegij Maronitarum de Vrbe, alijſque; ac nullus dubito, quin reliqua alia omnia extent apud Orientales. Quod & clarè indicat illorum Canonum Collector in ſua præfatione, qui poſtquam recenſuit numerum librorum in eo editorum Concilio, ſtatim hæc ſubdit: .... *& translata ſunt ex illis* (libris à Nicæno Concilio editis) *ea, quibus indigent Chriſtiani Orientis, & eſt hic liber*. Imò luculentiſſimis verbis teſtatur eos Nicæni libros in Eccleſiarum Orientis ſeruatos eſſe Bibliothecis ibidem ſubdens: .... *Et hi in Eccleſiarum ſeruantur Bibliothecis*. Sed nunc ad obiectiones, quæ contra ſupra recenſita ex Nicæno Concilio opponi poſſunt.

CAPVT XIX.

In quo reſpondetur Obiectionibus, quæ contra mox recenſita Capite ſuperiori ex Concilio Nicæno, opponi poſſunt:

Contra hactenus recenſita Capite ſuperiori obiectabit fortè aliquis, ac dicet: Fac, Patres Nicænos multos edidiſſe libros, vt habet illa præfatio: Fac, multos condidiſſe Canones, & Conſtitutiones, velut oſtenſum eſt ex Summis Pontificibus, ex Concilijs, ex Patribus, ex Eccleſiaſticis Hiſtoricis: at non ſequitur proindè, hos Canones, & has Conſtitutiones eſſe Nicæni Concilij. Quandoquidem hæc omnia iamdudum perijſſe in ea igne ſæuientibus Arianis, vt nemo, qui Eccleſiaſticas euoluit hiſtorias, ignorat. Vndè ergo nobis hæc ampliſſima Nicæni ſupellex?

Reſpondetur: Nemo ſanè neſcit, Arianos igne, ſed magis inuſitata rabie in Acta Nicæna ſæuiſſe, ſed nemo etiam ſibi perſuadebit facilè, Arianam ſæuitiam, & crudelitatem cunctas terrarum Orbis peruaſiſſe prouincias; in omnium gentium tam publicas, quàm priuatas irruiſſe Bibliothecas; omnium Nationum intellexiſſe linguas, itaut nihil intactum, nihil incolume, nihil inuiolatum abiecerit, exceſſerit, euaſerit, eruperit. Quamobrem coniectura probabile eſt, imò pro certo deputandum, apud Nationes aliquas, præſertim eas, quarum linguæ barbaræ habebantur, Acta Nicæna, & Canones inuiolatos ſeruatos fuiſſe, & ex Arianorum impetu ore, & faucibus ereptos. Non enim ad magnum illud, & primum Generale Concilium confluxerant Græci, & Latini tantùm, ſed. *Vna etiam ædes ſacra*, inquit Gelaſius Cyzicenus cap. 5. Comment. Concilij Nicæni ex Euſebij Pamphili lib. 3. Hiſt. *velut Dei nutu adaucta intra parietes ſuos Syros pariter, & Cilices, Phœnices, & Arabes, & Palæſtinos, Ægyptios porrò, Thebæos, Afros, alioſque ex Meſopotamia profectos recepit. Aderat etiam vnus in Concilio Perſidis Epiſcopus, nec ab hoc Choro Scyta abfuit. Pontus item & Aſia* (Euſebius hic habet Galatiam, & Cappadociam) *Phrygiaque, & Pamphilia viros apud ſe lectiſſimos ſuppeditarunt. Quin etiam Thraces, Macedones, Achæi, & Epirotæ, & quorum domicilia multo longiore locorum interuallo diſtabant, eò aduenerunt.*

Et quis credet hos Patres omnes ad ſuas remanentes Eccleſias Concilij Acta, & decreta omnia in ſuas verſa linguas haud ſecum attuliſſe? nemo ſanè ſanæ mentis id credet, aut ſibi perſuadebit. Nam ſi ea ipſorum Patrum, qui Concilio aderant, fuerit ſolicitudo, vt omnibus Eccleſijs, quæ ſub cœlo ſunt, quorum Antiſtites Concilio non aderant, Decreta ſanctæ, & magnæ, generalis Synodi tranſmiſerint, teſte eodem Gelaſio ibidem cap. 18. poſt Patrum ſubſcriptiones in hæc verba: *Hi omnes Sancti, & Apoſtolici viri omnibus ſub Cœlo Sanctis Dei Eccleſijs, quæ in Nicæna ſancta, magna, generali, Synodo decreta ſunt tranſmittentes, vbique tradiderunt.* quanta maiori cura, & ſolicitudine ſuis Eccleſijs proſpexiſſe, credendum nobis eſt, ipſorum Canonum, & Decretorum Auctores?

Sed forſitan id mirum eſt? An neſcimus, tres è poſterioribus Apollonij Pergæi quatuor libris de Sectionibus Conicis iamdudùm apud ſuos Græcos fuiſſe deſideratos, & à literatis viris aliquot iam per ſæcula deploratos, apud Arabes tandem eſſe repertos, & à Magnis Hetruriæ Ducibus magno redemptos pretio, ac poſtliminio reſtitutos? Et quis ignorat, plures Ariſtotelis libros iam ſuis perijſſe Græcis, & apud Arabes tandem eſſe inuentos? Et quot ſodes, Titi Liuij deſiderantur Latinis Decades, quas integras extare apud Arabes ferunt? Cur ergo mirum cenſendum eſt, ſi Nicæni Acta, & Decreta ſeruata dicantur apud aliquas Orientales gentes?

Porrò obiectabit rurſùs aliquis, ac dicet: ea omnia, quæ nomine Concilij Nicæni circumferuntur præter 20. eos Canones, ab Orien-

Orientalibus confiꝺta fuiſſe, par eſt, vt credamus. Quandoquidem hoc haud inuſitatum eſt, cùm & euangelia conficta ſint nomine aliquorum Apoſtolorum, ac multa alia nomine meliorum Scriptorum, quemadmodum peritis notum eſt viris.

Scimus profectò, euangelia conficta fuiſſe nomine Bartholomæi, & aliorum Apoſtolorum, ac multa opera nomine meliorum Scriptorum: Sed ſcimus etiam ea ſtatim, vt adulterina notata, & reiecta fuiſſe. Præterea in hiſce non eſt par ratio. Quia hæc vel conficta ſunt ab omnibus illis ſimul, & coniuncta opera, vel ab vna earum duntaxat: atqui neutrum dici poteſt abſolutè; ergo abſolutè non ſunt conficta.

Primum quod attinet, non ſolùm arduũ, ac per difficile, ſed creditu impoſſibile omninò eſt, has omnes nationes inter ſe tam longiſſimis terrarum ſpatijs diſtantes, diuerſis vtentes linguis, ac diſſimilis penitùs perſuaſionis, conuenire potuiſſe ad aliquid effingendum; & coniuncta opera comminiſcendum, præſertim ea, quæ ipſorum recta impugnant dogmata, fundamenta deſtruunt, & euertunt, eoſque agunt anathematis reos, vt ex Canonis 44. ſuperiùs allati verbis videre eſt. *Nemo enim*, vt ait Tertullianus in Præſcript. *mentitur in ſuum dedecus, ſed in honorem*. Quamobrem etiam atque etiam demirandum eſt, quod potius Canonem illum, quotquot ſunt, è ſuis non abraſerint editionibus, cùm eorum Patriarchas ita Romani Pontificis ſubijciat poteſtati, & iuriſdictioni, vt anathemate percellantur, niſi abſolutè, & ſine vlla conditione illius obediant imperio. Quod autem id non præſtiterint, in cauſa profectò fuit maxima illa veneratio, & reuerentia, quam Concilio illi, quod tamquam ſacroſanctum habent euangelium, teſte Elia Niſibenſi Epiſcopo ſeſſ. 1. ſuarum diſputationum, deferunt.

Præterea Nationes iſtæ ita inter ſeſe diſſident in dogmatibus, & cum Eccleſia Romana (ſi vnam Maronitarum excipias Nationem) exercent inimicitias ob condemnatas ab ea illarum Hæreſes, & peruerſa Dogmata, vt potiùs quàm inter ſe conueniant, niſi reſipuerint.

Deſinit eſſe priùs contrarius ignibus humor,
Iunctaque tum Luna lumina Solis erunt,
Parſq; eadem Cœli Zephiros emittet, & Euros,
Et tepidus gelido ſtabit ab axe notus.
Et ver Autumno, Brumæ miſcebitur Æſtas;
Atque eadem regio veſpee, & ortus erit.

Ergo nequaquam iure, aut ratione dici poteſt, ea omnia Concilij Nicæni nomine ab Orientalibus hiſce nationibus ſimul, & coniuncta opera conficta fuiſſe, cùm earum hanc in rem concurſus, & congreſſus fieri omninò nequeat ob dictas iam rationes, & cauſas.

Minùs etiam confingi poterant ab vna harum nationum, quia ab alijs minimè reciperentur, imò acerrimè impugnarentur, vt res ipſa nos docet in ijs Canonibus, quos ſingulæ nationes ad ſua quædam comprobanda dogmata his Canonibus inſerunt, atque intrudunt. Ex quo ſecundæ Claſſis Canonum non eſt par omnibus numerus, nec omnes 84. vt Niceni ab omnibus agnoſcuntur, imò plures hinc indè improbantur, & reijciuntur. Proindè illi ſoli veri, & legitimi Nicæni Canones habentur ab omnibus, in quibus omnes conueniunt, & in omnium leguntur editionibus, quique propterea ab omnibus vocantur .... *Canones in quibus conuenitur*. Ex horum autem numero ſunt Canones 37. & 44. de Primatu Papæ, qui in omnium leguntur editionibus.

Eiuſmodi additionis ad Nicænos Canones crimine Melchitas arguit Abnalhaſſalus in Præfatione collectionis Canonum, & Conſtitutionum Eccleſię Alexandrinę ita ſcribens. .... *Et poſuerunt* (Nicæni Patres) *de iudicijs Canones complures, ex quibus duæ in hoc libro ſunt partes; quarum vna viginti continet Canones, quam ſtatuta tùm ſequuntur innumera, in quibus conuenitur, quorum nota eſt* Nic. *Altera verò multiplicis vtilitatis eſt, eiuſque verſionem procurarunt Melchitæ, & Neſtoriani, & rata habetur apud Iacobitas Syros, & illius Canonum numerus in Melchitarum Editionibus eſt 84. quos complura ſubſequuntur etiam ſtatuta. In Editione autem Melchitarum ſunt additamenta quædam ad eos pertinentia*. Atque ſic ſingulæ nationes perdiligenter ea nolant, quæ aliæ Nicænis ad ſua ſtatuenda addunt ſtatutis. Ex quo colligere eſt, ea Nicæna eſſe legitima decreta, quæ omnes amplectuntur, & à nemine impugnantur, quæ verò non item, adulterina.

Alia præterea ex parte facilè deprehendi poteſt, quænam ſint ſingula gentium additamenta, nimirùm ſi ea non conueniant cum ſubſequentium Conciliorum definitionibus, ſed illis aduerſantur, & contra pugnant potius. Quandoquidem ſacris Concilijs is mos eſt, vt ſubſequens indè ferè ſumat exordium, vbi finem præcedens fecit. Hinc Conſtantinopolitana Synodus, quæ inſecuta eſt Nicænam, à conſeruandis Nicænis ſtatutis, & decretis initium ſuis fecit Canonibus: *Fidem non violandam Patrum* 318. *qui apud Nicæam Bithyniæ conuenerunt; ſed manere eam firmam, & ſtabilem*. Et Epheſina, quæ Conſtantinopolitanam conſequitur ordine, tota eſt, præſertim pat. 2. Act. 1. in examinandis Neſtorij dogmatibus ad Nicænæ trutinam, lydiumque lapidem. Nihilominus Neſtoriani cum Neſtorio hæc in ipſo Fidei Nicænæ Symbolo addunt ad ſuum ſtabiliendum dogma: ..... *Conſtituitque illum* (Chriſtum) *viſibile ſimulachrum ſuæ Maieſtatis, & ſuæ indicatiuum occultationis omnibus rationibus. Et eſt præditus duabus naturis, ac duabus perſonis*. O benè additum! Si enim Nicæna Synodus definiuit Chriſtum duabus præditum eſſe perſonis; Epheſina qua fronte decreuit, Chriſtum vnica conſtare perſona, & id ex Nicænæ Synodi ſtatutis, & decretis.

Item Chalcedonenſes Patres, cùm ad Fidei expoſitionem ventum eſt, ita proclamarunt ſeſe adhortantes: *Feſtinate ſine vllo timore, & gratia, atque inimicitia, Fidem puram exponere, itaut & qui videntur non eadem cum omnibus ſapere per veritatis agnitionem ad concordiam reuocentur. Scire enim vos volumus, quia tam diuiniſſimus, & piiſſimus Orbis terræ Dominus, quàm nos Catholicam Fidem à Sanctis 318. & Sanctis 150. necnon etiam, & à cæteris ſan-*

ctiſſimis, & glorioſiſſimis Patribus traditam cuſtodimus, & ſecundùm ipſam credimus. His nihilominus non obſtantibus, volunt Monophyſitæ in Synodo Nicæn. definitum fuiſſe, Chriſtum vnica præditum eſſe natura, voluntate, & operatione, & demum hoc Nicænis addunt ſtatutis. Ea eſt ænea Hæreticorum frons. Itaque poſteriorum Conciliorum adhibito cribro, & omnium populorum conſenſu Nicæna ſecernenda ſunt decreta. Vndè concludendum eſt, ea, quæ poſteriorum conſentanea ſunt Conciliorum dogmatibus; quæ Patrum habent teſtimonia; quæ populorum comprobantur conſenſu, Nicæni vera, & legitima eſſe ſtatuta; quæ verò non item, adulterina, & ſuppoſititia.

CAPVT XX.

In quo diluitur obiectio, quæ ex Can. 6. Concilij Nicæni adſtruitur contra Canones 37. & 44. ſupra à nobis allatos ex Orientalium Editionibus, quibus Romani Pontifices mirè aſſeritur Primatus.

CAnon iſte ſextus ex illorum 20. numero, & ſeriè, quos omnes vtriuſque Orbis Eccleſiæ tamquàm veros legitimos, & authenticos Nicæni Concilij Canones amplectuntur, nemine penitùs diſcrepante, ſic in vulgatis legitur Editionibus: *Mos antiquus perdurat*, (vel *perduret*, vt in quibuſdam legitur Editionibus) *in Aegypto, Libya, & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam quidem & Epiſcopo Romano parilis mos eſt*.

Ex quibus Canonis huius poſtremis verbis, nimirum, *quoniam quidem & Epiſcopo Romano parilis mos eſt*, ſibi conſtituerunt Mercurium illi, qui cum Ieroboam receſſerunt à Domo Dauid, & nefarium Romano Pontifici indixerunt bellum, omnibuſque eniſi ſunt viribus, vt eum Canonis huius authoritate in ordinem cogerent, intercluderentque illius iuriſdictionem, vel intra ſuburbanarum regionum limites, vel intra centeſimum lapidem, vel tandem intra Occidentalis Diœceſeos terminos. Ita Nilus Græcus tract. contra Primatum Papæ, ita Lutherus lib. de poteſtate Papæ, ita Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 7. §. 1 Illyricus libro contra Primatum, Carolus Molinæus apud Marcum Antonium Cappellum, Diſput. poſter. cap. 3. Anonymus Apoſtata apud eundem in libro inſcripto *De ſuburbicarijs regionibus, & Eccleſijs*, ita tandem omnes, quotquot in Romanum Pontificem ſtrinxerunt calamum. Iure igitur, ac probabiliter credendum nobis eſt, hunc eundem Canonem eorum aſſeclas nobis obiecturos contra Canones illos 37. & 44. quibus Romani Pontificis aſſeritur Primatus, & iuriſdictio ſuper vniuerſos Patriarchas, ea planè ratione, qua Patriarchæ iuriſdictionem habent in ſubditos Epiſcopos. Sic forte nobis reponent: Is Canon ſextus ex ſerie illorum 20. verus, legitimus, & authenticus habetur ab omnibus vtriuſque Orbis Eccleſijs, nemine penitùs diſcrepante: Sed hic idem paritatem, & æqualitatem decernit inter Romanum, & Alexandrinum, Canones verò illi 37. & 44. non item, ſed Patriarchas Romani ſubijciunt authoritati, & iuriſdictioni; ergo ex data regula haud legitimi habendi ſunt iſti Canones, quia ſexto Canoni opponuntur.

Vnica obiectio ſed multiplex reſponſio. Dicimus itaque primo loco (quicquid modò ſit de Canonis huius ſexti germano, ac proprio) nobis hic controuerſiam eſſe cum Seldeno, qui ex Orientalibus vnius Eutychij priuati Scriptoris authoritatem malè intellectam, peſſima interpretatione exceptam, & impudentiſsimè adulteratam in nos intorquet, velut ex ſuperioribus videre eſt. Contra quem nos non vnius priuati Scriptoris oppoſuimus authoritatem, ſed Conciliorum Canones, Eccleſiarum Decreta, & Conſtitutiones, quamplurium Scriptorum teſtimonia, tandemque omnium Orientalium conſenſum, nimirum eos duos Canones 37. & 44. in quibus omnes mirè conueniunt. Igitur noſtri, quod ex his adſtruimus Canonibus ad hominem argumenti concluſio, & ratio validiſsima, atque firmiſsima cenſenda, & habenda eſt.

Præterea Canon iſte ſextus nequaquam iuxta Orientalium mentem habet eum, quem tribuunt illi Aduerſarij, ſenſum; & euidentiſſimè ex eo patet, quia non ſolùm eſt ſextus in ſerie 20. ſed etiam octauus legitur inter 84. ex quo manifeſtè colligitur, alium ineſſe ipſi ſenſum ex Orientalium ſententia, & mente: alioquin idem eſſet per illos par, & non par, ſeu ſuperior, & inferior ſecundùm eandem rationem, quod contradictionem inuoluit.

Rursùs Canonis huius, 6. in ſerie 20. vel 8. in ſerie 84. ſenſus ſubdubius eſt, & controuerſus, illorum verò duorum Canonum nempe 37. & 44. non item, ſed apertiſsimus, & luculentiſsimus, ergo ex his erit declarandus iuxta Regulam identidem in Sacris Literis obſeruatam à Patribus, & Commentatoribus, qua loca obſcuriora à clarioribus elucidanda ſunt. Hæc igitur obiectio ex Orientalium Editionibus, & mente nequaquam adſtrui poteſt.

Quòd verò ea verba Canonis, neque ex Occidentalium, neque ex Orientalium tam Catholicorum, quàm Hæreticorum, & Schiſmaticorum ſententia de paritate ſint intelligenda, ex eorum principijs planè deducitur. Nam omnes fatentur, nemine ferè diſcrepante, Romanam Sedem primam eſſe quoad Cathedram, ordinem ſedium, ſeſſionem, & enumerationem. Ergo, cùm primo loco ponatur in hoc Canone Alexandrinus, neceſſum eſt, vt concedant, hic non agi de comparatione Alexandrini cum Romano: adeoque alium hunc Canonem habere ſenſum, quàm illum, quem ei tribuunt Aduerſarij, & alio collimare. Quod, vt ex ipſa eruatur Origine.

Sciendum eſt: ante Nicænum Concilium, & Conſtantini Magni ad Fidem cõuerſionem, ſæuientibus in Chriſti Sacerdotes perſecutionum procellis, multos in Eccleſiaſticam politiam irrepſiſſe abuſus, & corruptelas, ac præſertim circa ordinationes, & ſingulorum Epiſcoporum, & Metropolitarum, ac ipſorum

etiam

etiam Patriarcharum iura. Quandoquidem non ſolùm Epiſcopi, & Metropolitæ in ſe inuicem, ac ipſum Dioeceſeos Patriarcham iniurij erant, ſed & ipſi Chorepiſcopi ſui obliti muneris, & officij iura vſurpauerunt ſuorum Epiſcoporum; teſque eò audaciæ progreſſa erat, vt Meletius Chorepiſcopus Petri Alexandriui ordinatis vel ipſis Epiſcopis in Ægypto, Thebaide, Lybia, & Pentapoli pleraſque illius Patriarchatus Eccleſias bicipites reddiderat, teſtibus Epiphanio Hæreſ.68. Sozom. lib. 1. cap. 3. Theodoret. lib. 1. cap. 9. Nicephot. lib. 1. cap. 19. ordinatorumque nomina & numerum refert Athanaſius Apolog. 2. ex libello, quem Meletius ipſe dedit Petro Alexandrino.

Plures adhuc Epiſcopi excommunicatos ab alijs non ſine magno fidelium ſcandalo, & ordinis hierarchici perturbatione, atque confuſione in communionem recipiebant. Qui abuſus, & corruptelæ cauſam ſuppeditarunt Patribus Nicænis quartum, & quintum decernendi Canones. In quarto decretum eſt, vt Epiſcopus ordinari debeat ab omnibus, qui ſunt in prouincia Epiſcopis, inſtante verò neceſſitate aliqua, præſentia ſaltem trium, cæteris per ſcripta conſentientibus, ordinatio celebretur. Ita tamen vt firmitas eorum, quæ per vnamquamque prouinciam geruntur, Metropolitano deferatur Epiſcopo; quo Chorepiſcoporum inſolentiæ, & licentiæ intollerandæ conſultum eſt. In altero Canone ſancitum fuit, ne excommunicati ab alijs in communionem reciperentur, & vt ad quæſtiones huiuſmodi, & cauſas cognoſcendas, dirimendaſque bis in anno Concilia prouincialia cogerentur. Quo etiam eiuſmodi abuſibus, & corruptelis ſatis cautum eſt.

Hunc autem eſſe Canonis illius ſenſum, ſatis nobis declarat octaua Synodus Conſtan-
,tinopolit. Can. 17. hiſce verbis: Sancta, &
,vniuerſalis prior Synodus Nicæna antiqua
,conſuetudine iubet ſeruari per Aegyptum, &
,prouincias, quæ ſub ipſa ſunt, itaut horum
,omnium Alexandrinus Epiſcopus habeat po-
,teſtatem, quia in Romanorum ciuitate hu-
,iuſmodi mos præualuit, qua pro cauſa, & hæc
,Sancta, magna Synodus, tam in ſeniori, &
,noua Roma, quàm in Sede Alexandriæ, An-
,tiochiæ, & Hieroſolymorum priſcam con-
,ſuetudinem decernit in omnibus conſeruari,
,itaut horum Præſules vniuerſorum Metro-
,politanorum, qui ſub ipſis promouentur &c.
,habeant poteſtatem ad conuocandum eos
,vrgente neceſſitate ad Synodalem conuen-
,tum, vel etiam ad coercendum illos, & cor-
,rigendos.

Vide quomodo ſextum hunc Nicænæ Synodi Canonem iungunt PP. Conſtantinopolitani cum antecedentibus, illumque intelligunt de actuali, ſeu ſpeciali ſingulorum Eccleſiaſtica adminiſtratione, nimirùm tam Metropolitarum, quàm Patriarcharum, imò & ipſorum minorum Epiſcoporum. Quam autem iuriſdictionem ſingulorum certiſsimè ſemper conſeruarunt Romani Pontifices, nè ordo Eccleſiaſticus confunderetur. Hinc Gregorius Magnus ad Romanum Defenſorem Siciliæ, & habetur 11. quæſt. 1. cap. peruenit, §. Nam ſi in hæc verba: *Nam ſi vnicuique Epiſcopo iuriſdictio non ſeruatur, quid aliud agitur, niſi vt per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri ordo debuit, confundatur?*

Quoniam verò eiuſmodi abuſus in Alexandrinam Eccleſiam plus nimiò irrepſerant, quàm in Eccleſias, ab ea exordium reformationis ſumit Canon; Romanus verò Pontifex proponitur ibi tamquàm exemplar imitandum in politia Eccleſiaſtica adminiſtranda, vel qua Metropolitani gerit perſonam; vel quà Occidentis Patriarcha eſt. Romanus enim Pontifex quadruplici ratione conſideratur; nempè, vel vt eſt ſpecialis vrbis Romæ Epiſcopus; vel vt Romanæ Prouinciæ Metropolita; vel vt totius Occidentis Patriarcha; vel tandem, vt vniuerſalis Eccleſiæ Summus Pontifex, vnde *Caput Eccleſiæ* dictus eſt in Concilij Chalcedonenſis Epiſt. 2. ad S. Leonem; & *Epiſcopus Vniuerſalis* in tribus Epiſtolis, quæ habentur eiuſdem Concilij Acta 2. Item Patriarcha iuxta triplicem dignitatem tripliciter conſideratur; vel enim reſpectu Vrbis, cui immediatè præeſt, ac tunc Epiſcopus dicitur. Vnde Caput quartum Conſtitutionum Eccleſiæ Alexandrinæ, quod eſt de Patriarchis, ita concluditur........
,Reliqua porrò verba de Patriarcha, tam de
,conditionibus illius Conſtitutionis, quam
,eiuſmodi alijs, referuntur in Canonibus ſub
,nomine Epiſcopi, quoniam Epiſcopus ille
,eſt Ciuitatis ſuæ Sedis, quapropter Patriar-
,cha Sedis Alexandrinæ non conſtituit Epiſ-
,copum ſuper Alexandria. Vel conſideratur immediatæ prouinciæ, & ita eſt Metropolita vel totius Diœceſis, & ſic eſt Patriarcha.

Iuxta has dignitatum diuerſas rationes, diuerſæ occurrunt in Eccleſiaſtica Politia, & adminiſtratione comparationes. Et ſic ſinguli Epiſcopi comparari poſſunt Romano, quà vrbis Romæ ſpecialis Epiſcopus eſt, & illis tamquam exemplar proponendus, quemadmodum & Metropolitæ, & Patriarchæ. Siquidem multa exercet per ſe Romanus Epiſcopus in Vrbe Roma, quæ non exercet per Romanam prouinciam; & multa in Romana prouincia, quæ non facit per Diœceſem; ſed ea per Metropolitanos, & Epiſcopos gerit. Idem de Patriarchis dicendum, & ratiocinandum eſt iuxta triplicem dignitatum ſuarum conſiderationem.

Ponamus modò, in aliquo Concilio generali ſanciri Canonem, qui dicat: *Mos antiquus perduret, vel perdurat in Berenice, Arſinoe, Ptolemaide, & Appollonia, vt Cyrenenſis Epiſcopus harum omnium habeat poteſtatem, quoniam quidem, & Epiſcopo Alexandrino parilis mos eſt.* Sequeretur ne hinc Cyrenenſem, ſeu Pentapolitanum Metropolitam paria habere priuilegia cum Alexandrino? nequaquam arbitror. Pari ratione ſi hiſce Canonis 2. Synodi Conſtantinopolitanæ; *Sed & Aſianæ Diœceſis Epiſcopi ea quæ ſunt in Aſia, & quæ ad Aſianam tantummodo Diœceſim pertinent, gubernent. Ponti autem Epiſcopi Ponticæ tantùm Diœceſis habeant curam. Thracia verò ipſius tantummodò Thraciæ*, addatur, *quoniam quidem & Conſtantinopolitano Epiſcopo parilis mos eſt*; ſequerentur nè eiuſmodi paritas? minimè verò; quia hoc dicendi modo proponuntur Eccleſiæ inſigniores tamquàm exemplar imitandum reſpectu ſuórum inferiorum [illegible] id patet ex priuilegio Eccleſiæ Antiochenæ in

eodem Conſtantinopolitanæ Synodi 2. Canone contento hiſce verbis: *Alexandriæ quidèm Epiſcopi ſolius Orientis curam gerant. ſeruatis honoribus Primatus Eccleſiæ Antiochenę, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur*. Vbi, Sodes, honores Primatus ſanciti ſunt Antiocheno in regulis Synodi Nicænæ? nonne eodem Canone ſexto vbi agitur etiam de Alexandrino? ita planè. Ergo ſi ex ijs verbis, *Quoniam quidèm, & Epiſcopo Romano parilis mos eſt*, infertur Alexandrino paritas iuriſdictionis cum Romano; ex iſtis, *Seruatis honoribus Primatus Eccleſiæ Antiochenæ*, inferretur Antiocheno Epiſcopo Primatus ſupra Romanum, & reliquos Patriarchas. Sed hæc quis audiuit; aut quis dixit vnquam? An ſi is Canonis verborum eſſet ſenſus, ſibi defuiſſent Antiocheni Præſules, & iura Primatus ſuper reliquos Patriarchas aſciſcere ſibi conati non fuiſſent? minimè profectò, quia non minus ambitioſos habuit ea Sedes Præſules, quàm aut Conſtantinopolitana, aut Alexadrina. Ergo alius eſt ſenſus vtriuſque Canonis, nec ille intelligendus eſt de Paritate Alexandrini cum Romano, neque iſte de Primatu Antiocheni ſuper alios Patriarchas, ſed vtroque abuſibus, qui irrepſerant, conſulitur, & Chorepiſcopi, Epiſcopi, & Metropolitæ in ordinem rediguntur, & vnuſquiſque ſui Præſulis ſubijcitur poteſtati. Ergo nihil minus infertur inde, quàm id, quod ſibi propoſuerant Aduerſarij, vt ipſa luce meridiana clariùs pateſcit.

Sed ſcrupulum hunc quis eximere meliùs poterit Aduerſarijs, aut euellere commodiùs ex eorum animis, quàm vnum aliquod ex vniuerſalibus quatuor Concilijs, quæ ſua vocant? quare ex Proteſtantibus audiamus quid de quatuor prioribus vniuerſalibus Concilis ſcriptum reliquit Philippus Mornæus vnus ex Caluini Caula ventoſiſſimus iactator in præfatione Myſterij ſuæ iniquitatis ad Regem Angliæ. *Noſtra*, inquit, *Concilia illa vniuerſalia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe, alia*. De Græcis autem, non eſt, vt dicam, quanta in veneratione habeant Concilia, præcipuè priora quatuor; quamquam ac quibuſdam eorum id veriſſimè etiamnum dici poſſunt, quod olim de omnibus affirmauit Tullius, cùm dixit: *Græci contentionis cupidiores, quàm veritatis*. Eia ergo ad horum concedamus Concilia, quæ & nos cum Magno Gregorio, & ſucceſſoribus tamquàm quatuor Sacroſancta Euangelia veneramur; videamuſque quem ſenſum ſexto illi Nicænæ Synodi Canoni tribuerunt.

In Concilio Chalcedonenſi Act. XVI. acriter altercatum fuit inter Sedis Apoſtolicæ Vicarios, ac eos Epiſcopos, qui à Conſtantinopolitani Præſulis ſtabant partibus, de priuilegijs, quæ nouæ Romæ Epiſcopo ſancita fuerant, abſentibus Sedis Apoſtolicæ Vicarijs. Tandem poſt multa res ad Concilij Iudices delata eſt; qui dixerunt: *Vtraque pars Canones proponat*. Quos autem Canones pro Romani Primatu propoſuerunt eius Vicarij? quos? ex eodem Concilio, & Actione audire iuuat. *Paſchaſinus Vicarius Sedis Apoſtolicæ recitauit Canonem ſextum Concilij Nicæni, & ſecundum Canones Conſtantinopolitani Concilij, & alios recitauerunt Canones Vicarij Sedis Apoſtolicæ*, Quibus recitatis Canonibus ab Sedis Apoſtolicæ Vicarijs, quam tulerunt, iterum, atque iterum quæſò te, ſententiam Iudices? quam? audi quam. *Ex his quę geſta ſunt, vel ab vnoquoque depoſita perpendimus, omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum* ſecundum CANONES *antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari*. Ergo ex mente, ex interpretatione, & explicatione Concilij Chalcedonenſis, quod ſibi vendicant Aduerſarij, vt ſuum, Canon ille ſextus Nicænus tantùm abeſt, vt paritatem, & æqualitatem tribuat Alexandrino Epiſcopo cum Romano, vt nihil abſit tam longiùs. Contra Romano ex eodem Canone Primatum defert; & quidem omnem, nec non honorem præcipuum. In eodem etiam Concilio Leo Pontifex Romanus *Vniuerſalis Archiepiſcopus, Vniuerſalis Eccleſiæ Papa, Vniuerſę Eccleſię Epiſcopus* appellatur, quemadmodum & Eccleſia Romana *Caput omnium Eccleſiarum*. Hic benè quidem quadrat Aduerſarijs id, quod olim ſcripſit Cyprianus de Nouatiano ad Iubaianum Epiſt. 70. *Nouatianus Simiarum more, quę cum homines non ſint, homines tamen imitantur, vult Eccleſię Catholicæ authoritatem vendicare, quando ipſe in Eccleſia non ſit, imò adhuc inſuper contra Eccleſiam rebellis, & hoſtis extiterit*.

Præterea illatione docemur, non eum habere ſenſum Canonem illum ſextum, quem impingunt illi Aduerſarij. Nam ſi eum haberet ſenſum, cur Conſtantinopolitanus, qui Alexandrino prælatus iam fuerat, tantis circumuentionibus, & clam Sedis Apoſtolicæ Vicarios, ſibi æqua priuilegia cum Romano vindicare niſus eſt? Nonne canonem iſtum pro ſuis priuilegijs, & prærogatiuis protuliſſet, & ſua defendiſſet publicè coram Patribus iam ſtabilita iura? ita profectò, nec tanta contentione, poſt rem à Sedis Apoſtolicæ Vicarijs detectam, vllum opus erat. Ex quo planè igitur infertur, non eum eſſe Canonis illius, quem impingunt ei Aduerſarij per iniuriam, ſenſum.

Ad hæc, ſi Alexandrinæ Eccleſiæ parem ſancitam fuiſſet auctoritatem eo Canone cum Romana dicerent, nonne extuliſſet aliquando in Romanam caput, & Canonem hunc identidem obiecíſſet, cùm & ipſa non minùs, quàm Conſtantinopolitana ambitioſos habuiſſet Præſules, imò & ambitioſiſſimos? Tantum tamen abeſt, vt quicquam eiuſmodi præſtiterit, vt potius eius Epiſcopi ad Romanos confugerint, & vt minores ad maiores appellauerint; res adeò nota eſt, vt probatione non egeat. Nam Dionyſius Præſul Alexandrinus cauſam dixit apud Dionyſium Papam, & edidit ad illum Apologiam, & ſibi falsò obiectos errores apud illum purgauit, teſte Athanaſio Epiſt. ad Arianos, & in Synodo Arimin. Niceph. ex Baſilio lib. 3. cap. 25. Idem præſtitit Athanaſius, idem Paulus Conſtantinopolitanus, & alij de quibus ſupra cap. de appellationibus. Antiochena Eccleſia olim per Romanum Epiſcopum regebatur, vt auctor eſt Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus in Cõcilio Epheſino, & quidem Apoſtolica ordinatione, & antiqua traditione, verba ipſa hæc ſunt: *Apoſtolica ordinatione, & antiqua traditione in conſuetudinem abijſſe, vt Sedes Antiochena perpetuò per Romanam dirigatur, ac iudicetur*. Hinc pallium Antiocheno dat S. Gre-

gori-

gorius Magnus, vt conſtat ex libro 1. Epiſt. 27. Ita Concilia illa de Romano loquuntur Pontifice. Iſtæ ſunt, quas de illo ferunt, ſententiæ. Tamen impudentiſſimus ille Morneus, poſtquàm aſſeruit, illa quatuor vniuerſalia Concilia ſua eſſe, ſtatim meretricia fronte prorsùs ſubdit in citata præfatione: *Cedo rurſùm numquid idem audeas? & ſi præ pudore audere videri vis, an non Papam tuum in ordinem cogendum vides?*

Perpendant Aduerſarij modò Conciliorum decreta, & ſententias de Romano Pontifice cum ſuorum de eodem ſententia, ſed æqua lance, iudiciumque ferant æquum, niſi Simiæ haberi velint, & non homines rationales, vt ait Cyprianus de Nouato, & Nouatianis.

CAPVT XXI.

In quo variæ referuntur huius Canonis 6. Nicæni Editiones.

QVoniam tam ſacrarum Literarum, quàm Canonum, aliorumque cuiuſque generis monumentorum lectiones variæ non parum luminis porrigere ſolent doctis, atque eruditis viris ad loca paulò obſcuriora elucidanda, difficultateſque enodandas, hinc operæ pretium viſum nobis eſt, varias huius ſexti Canonis Nicæni hic referre Editiones, quæ apud Orientalium circumferuntur gentes, vt indè ex huius lectionis varietate id commodi, & emolumenti noſtri referant; Aduerſarijſque verò adulterandi ex more omnis ſpes præcidatur.

Alexandrina Editio.

....

, *Id eſt*: Antiqua conſuetudo, quam , commemorauimus, obſtringat omnes, qui , ſunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli, nem- , pè Barca, vt obtemperent Epiſcopo Alexan- , driæ, & vt eorum omnium poteſtatem ille , habeat, quoniam iudex eſt congregationis; , eò quod Epiſcopus Romanus hanc quoque , tenet conſuetudinem, & oportet, vt poteſta- , tem habeat ſuper regiones, & prouincias ſuas , & eas, quæ illis ſubiectæ ſunt; & vt illi ſit , principatus ſupra Concilium, & ſeſſio, atq; , auctoritas ſupra vniuerſos Principes.

Notandum primò eſt, dictionem ...... *Algiamahato* aliquandò ſignificare *turbam, multitudinem, Cœtum, Synagogam*, & eiuſmodi; aliquandò *Congregationem, Synodum*. Alexandrinus autem Epiſcopus Ægyptijs iudex Cõgregationis, ſiue Concilij appellatur, quia Cæleſtinus Romanus Pontifex vices ſuas in Concilio Epheſino delegans Cyrillo illius Eccleſiæ Antiſtiti, iudicem Concilij eum conſtituit, teſte Nicephoro lib. 14. cap. 34. & alijs. Hinc ſententiam contra Neſtorium dictaturus Cyrillus ad eam eam ferendam tùm neceſſitate Canonum, tum Cæleſtini literis coactum ſe profitetur.

Notandum ſecundò eſt; Dictionem .... *Alcalamo*, quæ propriè eſt *ſermo, verbum, oratio*, identidem Arabibus translatè ſignificare *auctoritatem*, quia is ſuper cæteros auctoritate pollet, cuius eſt, ſententiam ferre, ac dicere. Hinc illud Arabum, ... *Ipſe eſt dominus ſermonis ſiue orationis*, ſcilicet ipſius eſt loqui, dicere, ſeu ferre ſententiam; ſeu in ipſo tota auctoritas ſita eſt. Quæ loquendi formula in hoc obſeruanda eſt Canone Alexandrinæ editionis.

Notandum tertiò; hiſce verbis: *Eò quod Epiſcopus Romanus hanc quoque tenet conſuetudinem, & oportet, vt poteſtatem habeat ſuper regiones, & prouincias ſuas, & eas, quæ illis ſubiectæ ſunt*: Romanus deſignatur, quà Patriarcha Occidentis eſt. Iſtis verò alijs, quæ ſequuntur: *Et vt illi ſit principatus ſupra Concilium, & ſeſſio, atque auctoritas ſupra vniuerſos Principes*, deſignatur vt ſummus Pontifex, & Eccleſiæ vniuerſalis caput, quemadmodùm illum appellat Calcedonenſe Concilium Act. 3. & in acclamationibus ad S. Leonem. Alioquin idem ſecundùm eandem rationem, & reſpectum eſſet æqualis, & inæqualis, ſeu par, & non par, quod contradictionem innoluit, quemadmodùm, & capite ſuperiori notatum eſt. Et hæc eſt mens Canonis, & germanus ſenſus.

Editio Melchitarum.

....

, Poteſtatem autem habeat Epiſcopus Æ- , gypti, nempè Patriarcha magnæ Alexandriæ , ſuper totam Ægyptum, omneſque eius Pro- , uincias, & adiacentes eis Ciuitates, quæ ad , illas pertinent, quoniam ita decet Romæ E- , piſcopum, nempè Patriarcham Petri Succeſ- , ſorem. vt poteſtatem quoque habeat ſuper , regiones, & prouincias illius.

Ex hac quoque editione colligitur, comparationem eſſe de iure Patriarchali. Nam poſt hæc verba: *Quoniam ita decet Romæ Epiſcopum, ſeu Romano Epiſcopo conſentaneum eſt*, ſtatim ſubiungitur, de quo iure ſermo eſt: nempè Patriarcham Petri Succeſſorem; ſcilicet quà Patriarcha eſt.

Editio Maronitica.

....

, Antiquas conſuetudines teneant illi, qui , ſunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli, itaut , Alexandrinus horum omnium habeat pote- , ſtatem, quoniam, & Epiſcopo Romæ hæc , conſuetudo eſt.

Alia Maronitarum refertur editio Arabica in libro Conſtitutionum Eccleſiaſticarum hiſce concepta verbis: .... , Antiquæ adhæreant conſuetudini quicunq; , ſunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli, vt Ale- , xandrino obediant Epiſcopo, & vt horum , omnium habeat ipſe poteſtatem, eò quòd E- , piſcopus Romanus huic adhæreat conſue- , tudini.

Editio Iacobitarum.

....

, Poteſtatem habeat Epiſcopus Ægypti,

nem-

, nempè Patriarcha Alexandriæ magnæ ſuper
, totam Ægyptum, vniuerſaſq; illius prouin-
, cias, & eis ſubiectas Ciuitates, quia ita de-
, cet, ſeu conſentaneum eſt Epiſcopo Romæ
, Succeſſori D. Petri, cùm & ipſe quoque po-
, teſtatem habeat ſuper vniuerſas eius pro-
, uincias, & regiones, & quæcunque ad illam
, pertinent.

Neſtoriana Editio.

....

, Antiquas conſuetudines teneant illi,
, qui ſunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli,
, itaut Alexandrinus horum omnium habeat
, poteſtatem, quoniam Epiſcopo quoque hæc
, conſuetudo eſt.

Eiuſmodi verba: *Quoniam Epiſcopo quoq; hæc conſuetudo eſt*, habentur etiam in quibuſdam Melchitatum, & Ægyptiorum exemplaribus, nulla facta Romani mentione. Occurrit præterea eiuſmodi lectio in Latinis nonnullis exemplaribus antiquiſſimis, vt ad eundem Canonem ſextum notat F. Bartholomæus
, Carranza in hæc verba: Conſului varias edi-
, tiones tam Græcas, quàm Latinas in illis ſi
, inſcriberetur hic Canon ad hunc modum, &
, in editione quadam Latina antiquiſſima,
, quam exhibuit mihi Reuerend. Marcel. Card.
, Sanctæ Crucis ampliſſimus, & vnus ex tribus
, Vicarijs Apoſtul. Sedis in Synodo Tridenti-
, na inuentus digniſſimus, ſic debet ſextus hic
, Canon: Mos antiquus perdurat in Ægypto,
, vel Libya, & Pentapoli, vt Alexandrinus E-
, piſcopus horum omnium habeat poteſtatem:
, quoniam quidem Metropolitano Epiſcopo
, hoc idem moris eſt.

Editio Aethiopica.

, Omnes, qui ſunt in Ægypto, Libya,
, Noba, & Æthiopia, Alexandrino obediant
, Patriarchæ; & ſit illi poteſtas in omnes, qui
, eius ſubſunt iuriſdictioni; quoniam Roma-
, nus Patriarcha ſic talia iubet.

CAPVT XXII.

De Primatu eiuſdem D. Petri.

NOnarum rerum ſtudio tumidus Lutherus, & conceptæ reformationis (deformationis veriùs diceres) percitus œſtro, tantra in Romanum Pontificem (qui vnus furentis hominis conatus retundere poterat) exarſit ira, & rabie inuſitata in illum ſucceuſus, vt nullum armorum genus, aut machinas non intentauerit ad arcem Romanæ Eccleſiæ primatus expugnandam. Nec ſanè in hoc rabido abſimilis ſuit Cani, qui, vt ferunt, iactos in ſe lapides non minori rabie, & ira mordet, quàm ipſos iacientes. Quo circa Sacrorum Conciliorum Statuta, & Canones Sanctorum Patrum auctoritates, venerandæ antiquitatis Traditiones, & quicquid eiuſmodi opponebatur furentis Lutheri ſtudijs ad Eccleſiæ Romanæ defendendum Primatum, & inimiam propulſandam canino dente momordit rabidus Lutherus, non ſecùs ac rabidus canis in ſe iactos lapides. Cùm verò demùm animaduertiſſet vnà cum ſuis, ſe fruſtrà in Lunam latrare; & Arcem hanc fortiſſimis munitam præſidijs expugnare ſe poſſe, aut Patres ex propugnaculorum defenſione deijcere, aut Conciliorum firmiſſima mœnia machinis ſuis diruere, & conuellere oppidò deſperaſſet, cuniculos agere aggreſſus eſt, ad ipſas vſque Inferorum portas ſuffodiens, tartarea implorans ſubſidia. Ex quo omni abiecto Chriſtiano pudore, & rubore locum illum Matthæi 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Ecclecabo Eccleſiam meam*, quem de Petri Primatu tota intellexit antiquitas, ita commentatus eſt in idem caput: *ſuper hanc, id eſt ſuper me non ſuper te*, & paulò poſt: *Ædificare non poteſt intelligi ſuper Petrum*, & Poſtilla in feſto SS. Petri, & Pauli: *Hæc ſententia de nullo alio intelligi poteſt, quàm de Chriſto.*

Hunc Ducem reliqua ſequitur Proteſtantium turba, Hæreticorum nequiſſima ſoboles, & Apoſtatarum colluuies ijſdem inſtructa armis, & argumentis. Arbitrantur quippè ſic euerſo fundamento, ipſius ſcilicet D. Petri Primatu, ſupra quem tota Romanæ Eccleſiæ ſuſtinetur moles, neceſſe eſſe, vt reliquum euertatur ædificium. Sed profectò qui Petrum negat eſſe Petram, ſupra quam Eccleſia Chriſti ædificata eſt, negat etiam Petrum eſſe Petrum, ac Petram eſſe Petram, cùm idem prorſùs identicè ſit ex Chriſti Domini diuino oraculo Petrus, ac Cephas, & Cephas, ac Petra.

Quòd autem idem ſit Petrus, ac Cephas, & Cephas, ac Petra, ex Syriaco planiſſimè conſtat contextu, vbi Chriſtus Dominus Syriacè loquens, vel ex ipſorum Aduerſariorum ſententia, Petro dicebat: ....
Tu es Cephas, & ſuper hanc Cepham ædificabo Eccleſiam meam, quod idem penitùs eſt ac, *Tu es Petra, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Vtrobique vox eadem, nempè *Cephas*, vbique terminatio eadem. Quid autem ſignificet .... *Cepha*, ſeu *Cephas* Syris, nihil ſanè aliud, quàm Petram. Ergo qui negat Petrum eſſe Petram, negat Cepham eſſe Cepham ſeu Petram eſſe Petram, & conſequenter Petrum eſſe Petrum.

Theodorus Beza in idem Matthæi cap. 16 exiſtimat ſiue Matthæum, ſiue eius interpretem varia illa terminatione intendiſſe diſcrimen inter Petrum, & Petram, ſic ibi ſcribens: *Sed videtur Matthæus aut ſi quis fuit eius interpres, hoc terminationis diſcrimine voluiſſe Petrum ab ipſa Petra, cui innititur ædificium, diſtinguere.*

Ego tamen arbitror, imò pro certo habeo, neque Matthæum, neque illius interpretem illo terminationis diſcrimine voluiſſe diſtinguere Petrum à Petra, ſed tantùm, vt terminationem nomini maris maſculinorum more tribueret eadem retenta ſignificatione, ac ſi retenta fuiſſet primitiua forma. Etenim terminationis diſcrimen in proprijs nominibus, quæ accommodantur ad vſum linguæ alienæ, ad quam transferuntur, non importat diſcrimen ſignificationis. Hinc nomen *Adam*, quod *terrenum*, ſeu *rufum* denotat, nequaquàm aliam acquirit ſignificationem, cùm tribuitur illi terminatio Latina, ſcribiturque *Adamus*. Sic *Abram*, nempè *Pater excelſus*, cùm ſcribitur

Abra-

Abramus, vel *Iſaac* cùm *Iſaacus*, aut *Iacob*, cùm *Iacobus*, aut *Ioſeph*, cùm *Ioſephus*, & eiuſmodi alia infinita.

Itaq; interpres ille Græcus duo reſpexiſſe videtur, ſignificationẽ ſcilicet nominis Κηφᾶς, ac terminationem nominis *Petri* more maſculinorum nominum, ita ut nomen *Petrus* hac ratione terminatum, eandem retineret ſignificationem, ac ſi primitiuam retinuiſſet formam. Imò hoc idem obſeruandum venit in ipſo nomine ..... *Chipha*, quod Græci ſcribunt Κηφᾶς addita litera, *S*, in fine, vt illi ac commodent Græcam terminationem, quam etiam retinentes Latini mutant adhuc, *η*, Græcum in, e, Latinum ſcribuntque *Cephas*, quod longiùs à Syriaca recedit orthographia, & pronunciatione, non propterea tamen aliam, & aliam acquirit ſignificationem, ob aliam, & aliam terminationem.

Qui Arabicam Editionem ex Græco interpretatus eſt, nullum agnouit diſcrimen in vtroque vocabulo, ſed vtrumque vertit ..... *Alſachra*, ideſt *Petram* .... *Tu es Petra, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Alia Arabica editio idem habet, ſed pro .... *Alſachra*, vſurpauit vocabulum .... *Alſapha*, quod *Petram* item denotat. Ex quo patet liquidò his interpretibus idẽ omninò eſſe Πέτρος, & Πέτρα, notionem quod ſpectat.

His adſtipulatur planè ille, qui ex Ægyptiaca, ſeu Cophtica lingua ſuam confecit Arabicam verſionem interlinearem, vbi teſtatur in præfatione, ſe fideliter, ac verba verbis reddidiſſe; tamen vtrobique, nempè pro Πέτρος, & Πέτρα, vertit ..... *Alſachra*, hoc eſt *Petram*: *Tu es Petra, & ſuper hanc Petram*, &c. Hinc palam relinquitur, Πέτρος, & Πέτρα, eſſe Synonyma, & hunc iuxta omnium gentium mentem eſſe illorum verborum ſenſum, vſque ad Magiſtri Proteſtantium Lutheri tempora, qui à Diabolo edoctus, vt ipſe fatetur, alium ſenſum in Eccleſiam Dei inuehere conatus eſt cum Aſſeclis.

Aduertendum adhuc perdiligenter eſt, in omnibus hiſce tribus Arabicis editionibus vocem illam, quæ *Petram* deſignat, ſcriptam eſſe cum articulo ... *Al*, cuius officium, & munus eſt, rem alioquin vagam, & indeterminatam, terminare, ac notam facere, eamq; ad aliquid antecedenter de illa dictum referre, vndè articulum eiuſmodi Grammatici Arabum vocant .... *Altaaripho*, hoc eſt *notificationem*, quia rem notam facit. Hoc eodem fungitur munere apud Hebræos litera .... nominibus præmiſſa; apud Græcos ὁ, ἡ, τό, apud Italos *Il La*, *Lo*; apud Latinos, licet minus commodè, *Hic*, *Hæc*, *Hoc*. Aliud propterea eſt Arabibus dicere .... *Da mihi librum* ſine articulo, aliud ..... *Da mihi hunc librum*, ſeu *illum librum*, quod Itali magis expreſſinè dicent ſine articulo; *Dammi vn libro*, & cum articulo *Dammi vn libro* Primo modo, & ſine articulo ſignificat *Da mihi librum*, vnicunque ille ſit; Secundo, *Da mihi librum illum tibi notum, ſeu de quo ſermo inter nos fuit, ſeu librum illum per antonomaſiam omnibus cognitum*. Igitur cùm dicitur apud Matthæum 16......... *Tu es illa Petra*, vel *Tu ſei la Pietra*, neceſſe eſt, ea verba relationem habere ex vi articuli ... *Al*, ad aliquid antecedens notum, & de quo ſermo factus iam aliquandò fuit, ſcilicet ad illa Ioan. 1. 42. *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas*: vbi non dixit Dominus: *Vocaris Cephas*, ſed *vocaberis* in futuro, vndè præclarè D. Cyrillus lib. 2. cap. 2. in Ioan. *Prædicit*, inquit, *vocabulo ipſo commodè ſignificans, quod in eo tamquàm in Petra lapideque firmiſſimo ſuam fundaturus eſſet Eccleſiam*. Itaque præmiſſo articulo illorum verborum ſenſus erit apud Matthęum. *Tu es illa Petra, quàm aliquandò deſignaui dicens tibi: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas*. Sed cur *Cephas*, nempè *Petra* vocabitur? *Quia ſecundùm metaphoram Petræ*, inquit, D. Hieronymus in cap. 16. D. Matthæi, *rectè dicitur ei: ædificabo Eccleſiam meam ſuper te*.

Ex quarum Editionum lectionibus colligitur, hunc Petrum, de quo Matthæus cap. 16. eundem eſſe, ac illum, de quo Ioannes cap. 1. Sed apud Ioannem dicitur, & vocatur *Cephas*, iuxta Syriacum textum nulla addita interpretatione, nam ſi adderetur, eſſet turpiſſima battologia, diceretur que: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Cephas*, vnde clarè patet, illa verba: *quod interpretatur Petrus*, non eſſe ipſius Domini Syriacè loquentis, ſed interpretis, qui nihil aliud ſua illa interpretatione intelligere poteſt, aut debuit, quàm illud, quod vocabulum *Cephas* à Domino Simoni filio Ionæ impoſitum ſignificat; Sed omnes ſciunt, & nemo ignorat, idem eſſe Syris *Cepham*, ac Græcis Πέτραν, & Latinis *Petram*, ergo idem eſt eo loci apud Matthæum *Petrus*, ac *Petra*; ergo qui negat, *Petrum* eſſe idem ac *Petram*, negat item *Petrum* & *Petram* eſſe *Petram*. Ergo ij Proteſtantes, qui negant *Petrum* eſſe *Petram*, negant idem eſſe idem.

Eraſmus Roterodamus locum illum Ioannis ſic ex Græco interpretatus eſt: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas; quod ſonat, ſi interpreteris, lapis*. Vbi vt vides, homo ille Græcæ, & Latinæ linguæ eruditiſſimus nullus dubitat, Πέτρος interpretari *Lapidem*. Ergo ex huius ſententia, & interpretatione idem eſt *Petrus*, ac *Petra*, ſequitur igitur ex eiuſdem mente, quod, qui negat *Petrum* eſſe *Petram*, negeretiam *Petrum* eſſe *Petrum*, & *Petram* eſſe *Petram*. Ea autem, quæ ibi, commentando eſſutiuit idem Eraſmus, *tam ſunt*, inquit P. Raynaudus, *ſupina, vt confutatione vix egeant*. Addo, ea eſſe contra ipſius interpretationem.

Textus Chaldaicus Bibliothecę Eminentiſſimi Cardinalis Barberini vetuſtiſſimis, & iam à multis ſæculis obſoletis exaratus characteribus, qui Eſtrangheli dicuntur, in Meſopotamia anno poſt Aſcenſionem Domini 330. vt ad eius notatur calcem, hanc aliam nobis exhibet lectionem .... *Ego quoque dico tibi, quia tu es lapis, & ſuper hunc lapidem ædificabo Eccleſiam meam*. Aduertendum hic eſt huius editionis interpretem minimè vſum fuiſſe vocabulo *Cephas*, ſed pro eo poſuit *Sciuha*, quod ſignificat lapidem, non quemcunque tamen, verùm prægrandem, & qui humo ita infixus hæret, vt indè auelli nequeat, ſiue immobilem, quem vulgò lapidem, ſeu Petram viuam nuncupamus. Quo interpres ille vetuſtiſſimus intelligere videtur prærogatiuam Simoni filio Ionæ collatam, & non ipſam agnominationem. Satis enim commodè ratus eſt, prærogatiuam illam Synonyma aliqua, & æquipollenti exprimere voce. Eam ſanè ob rationem

tionem *Petra Eccleſiæ* dictus fuit S. Petrus à D. Auguſtino 2. Retract. cap. 21. D. Ambroſij approbante Hymnum; & ſerm. 16. de Sanctis: *Saxum immobile*.

Ex omnibus itaque Orientalium Editionibus, ac præſertim Syriaca, quæ Chriſti Domini vernacula conſcripta eſt lingua, plane omnino patet, *Petrum*, & *Petram*, apud Matthæum eo loci cap. 16. minime inter ſe differre, aut vllum inter vtrumque vocabulum ſignificationis eſſe diſcrimen: aut de diuerſis intelligi poſſe. Quamobrem impudens ille, ac perfrictæ frontis eſſe oportet, qui tot, tantiſque vetuſtiſſimis Editionibus refragari audebit.

Nunc videamus, quibus Aduerſarij ſuum firmare conantur errorem Scripturarum auctoritatibus, vel Patrum teſtimonijs. De Scripturis audiamus Lutheri Proteſtantium impij, & Pſeudoeuangeliſtæ iudicium Com. in cap. 3. Epiſt. ad Galat. dum earum vrgetur auctoritatibus. *Ego*, inquit, *nihil curo dicta Scripturæ, ſi etiam ijs adhuc plura afferentur. Tu quidem Papiſta valde faſtidis, & ferocem te facis cum Scriptura*. Cum Luthero igitur, & ijs, qui in eius iurant verba, nulla ſupereſt nobis diſputatio, quia nihil curare omnia dicta Scripturæ, perinde eſt, ac Scripturam penitus negare; ſed Scripturam negare, eſt negare ipſa prima religionis principia; contra negantes autem principia non eſt diſputandum. Verum rectiſſimè ex eo aſſerto concluditur, Lutherum, & qui eius admittnnt hanc doctrinam, neque Iudæos eſſe, neque Chriſtianos, quia illi religioſiſſimè vetus obſeruant, & colunt Inſtrumentum, iſti verò vtrumque, Vetus videlicet, & Nouum. Præclare profectò contra Lutherum inſane effutientem facit illud D. Auguſt. lib. 11. cap. 2. contra Fauſtum: *Tu es ergo regula veritatis: quicquid contra te fuerit, non eſt verum*. Nec minus ſane illud eiuſdem contra Parmenianum: *Ipſe ſine documentis loquitur, & vidit nihil probans credi ſibi*. Satis eſt igitur Luthero dicere: *Super hanc, id eſt ſuper me, non ſuper te*. Si petis qua auctoritate? Reſpondet idem tom. 4. Germ. Wit. ann. 1551. fol. 475. *Doctor Martinus Luther vult ſic habere, & dicit Papiſtam, & Aſinum eſſe rem vnam*. Et ſi quæris adhuc, quo argumento, & ratione? ſtatim ſubdit hic Euangeliſta Proteſtanticus: *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas*. Ego ſane, ſi ipſo Luthero genitore prognatus eſſem, ſtatim atque hæc apud ipſum legiſſem, tam impuro, ac improbo renunciaſſem parenti. Longe modeſtius profectò Pſeudopropheta Mohâmetus loquebatur; nam omnia ſibi à Deo aut imperata, aut cælitus demiſſa fingebat. Lutherus: *Sic volo, ſic iubeo*. Faceſſat ergo hinc inſanus Lutherus. *Quid refert* (inquit Henricus VIII. Rex Magnæ Britanniæ, dum ſanæ mentis erat, in Lutherum Aſſert. 7. Sacram.) *Quid in hoc ſentiat Lutherus, qui præ ira, atque inuidia non ſentit ipſe, quid ſentiat*?

Accedat modo Sacramentariorum nuperus reſtaurator Zuinglius, & hac de re ſuam indicat ſententiam. *Ego* (inquit Zuinglius de vera, & falſa Religione cap. de clauibus) *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, non ſuper te, nam tu Petra non es*. Item: *Solus Chriſtus, non Petrus, Petra eſt, ſupra quam Eccleſia ædificata perſtat*. Et in explanat. art. 50. *Pontificij ſuper Petrum ædificatam eſſe Eccleſiam* (*quæ vera eſt idololatria*) *contendunt*. Hæc Zuinglius.

Porrò hic error tam euidenter cum Scripturæ pugnat verbis, vt non niſi ab homine, qui omnem Chriſtianum depoſuit pudorem, & in effrenatum quendam conuerſus furorem, proferri potuiſſet. Vbi quæſo, Chriſtus dixit vnquam: *Tu non es Petra*? In Euangelio? ſplendidè mentitur Sacramentarius, cùm in Euangelio Chriſtus Dominus dixerit: *Tu vocaberis Cephas*; quid autem ſit *Cephas*, ſciunt, & ipſi pueri eſſe *Petram*. Ergo cum dixit Chriſtus Dominus: *Tu vocaberis Cephas*, dixit, *tu es Petra*, ait: *tu non es Petra* nuſquam legitur in ſacris Literis. Ergo peruerſè peruertit Zuinglius Chriſti Domini verba, & contradictorie opponitur illis. Ipſe igitur idololatra, & Antichriſtus habendus eſt, non Pontificij, qui Chriſti verbis inhærent, nec à propria eorum recedunt ſignificatione ſequentes illud D. Auguſt. de Doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 16. *Nunquam eſſe recedendum à propria ſignificatione verborum ſacræ Scripturæ, niſi cogamur ab ea recedere authoritate alicuius euidentioris dogmatis Fidei, cui propria verborum ſignificatio manifeſtè repugnat*.

Sed regeret hic forte aliquis pro Zuinglio: *Petra* nomine in ſacris Scripturis intelligitur ipſe Chriſtus iuxta illud Apoſtoli 1. Corint. 10. *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos Petra, Petra autem erat Chriſtus*. Et Act. 4. 11. *Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli*. Ergo nomine *Petra* eo loci Matthei 16. ipſe Chriſtus Dominus intelligendus eſt, non quidem Petrus. Hæc obiectio paſſim obtruditur ab Aduerſarijs, quemadmodum multa alia huius generis.

Huic toties repetitæ ab Aduerſarijs ad ſtomachum vſque cantilenæ ſexcenties à Catholicis Scriptoribus reſponſum fuit, nempe Chriſtum primario, ac per ſe, & ex ſe ipſo eſſe *Petram*; Petrum vero ſecundariò, ac dependenter à Chriſto, & vt ita dicam, vicariam *Petram*, & in ſenſu participato, ſeu analogice. Vnde Leo IX. Epiſt. 1. quæ eſt ad Michaelem, & Leonem: Sancta, *inquit*, Eccleſia ſuper Petram, id eſt, Chriſtum, & ſuper Petram, vel Cepham filium Ioannis, qui prius Simon dicebatur, ædificata eſt. *S. vero Leo Magnus idem peregregie tradit ſerm 3. de aſſumptione ſui ad Pontif.* Sicut meus Pater, *inquit*, manifeſtauit tibi diuinitatem meam; ita ego notam facio excellentiam tuam: quia tu es Petrus, id eſt, cum ego ſim inuiolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamẽtum præter quod nemo poteſt aliud ponere, tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. *Præclariſſime adhuc D. Baſilius Serm. de pœnitentia de ſenſu hoc agit participato*: Viciſſim, *inquit*, audierat Petrus ſe eſſe Petram, ita laudatus à Domino. Licet enim Papa eſſet; non tamen Petra erat, vt Chriſtus: vt Petrus Petra erat. Nam Chriſtus vere eſt immobilis Petra: Petrus verò propter Petram. Axiomata namque ſua Ieſus largitur alijs. Largitur autem ea non euacuatus, ſed nihilominus habens. Lux eſt: vos eſtis lux Mundi, inquit; Sacerdos eſt; & facit Sacerdotes. Petra eſt, & Petram facit. Quæ ſua ſunt largitur ſeruis ſuis.

Eiuſ-

Eiuſmodi tropis ſacræ Paginæ confertiſſimæ ſunt, tam in affirmatiuis, quam in negatiuis enunciatis. In affirmatiuis non ſequitur, quod cum aliqnid ſit tale, aliud etiam non poſſit eſſe, vnde ex hac propoſitione *Chriſtus eſt homo,* non ſequitur *ergo alij non ſunt, nec poſſunt eſſe homines*. Ita in ſimili: *Chriſtus eſt Petra*: non ſequitur: *ergo alij non ſunt, neque dici poſſunt Petra*. In negatiuis vero vniuocis contrarium prorſus accidit. Ex hac quippe propoſitione: *Nullus homo eſt lapis,* non ſequitur: *ergo aliquis lapis eſt homo*. Item ex hac alia: *Solus homo eſt rationalis*, non ſequitur, *quod lapis, non homo poſſit eſſe rationalis*, ſed quicquid non eſt homo, hoc enunciato excluditur à rationalitate. Secus vero accidit in Analogis, quæ ſemper plura admittunt participantia ſecundum plus, & minus. Quamobrem ex hoc Iſaiæ cap. 45. *Ego Deus, & non eſt alius*, non ſequitur, quod alij non ſint, & poſſint appellari Dij in ſenſu participaro, & analogico. Etenim ipſemet Deus, qui ſtricte id vetuit, Moyſi, dixit: *Ecce conſtituo te Deum Pharaonis*. Concluditur igitur, Chriſtum eſſe Pettam primariam, & Petrum ſecundariam, & in ſenſu participato, ac minns principali.

Præterea ipſa verba contextus nullum alium admittere poſſunt ſenſum, qnam hunc analogicum, & participatum, proinde Zuingliom, & Symmyſtas inconſideratiſſimæ, ac dementiſſimæ conuincnnt temeritatis. Nam ea verba Chriſti: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, quis non videt eſſe compenſatiua, & ac ſi dixiſſet: *Qnia tu confeſſus es, me eſſe filium Dei, ego quoque*, (vt habent Syriacæ editiones) *viciſſim* (vt vertit Eraſmus) *dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*? Quæ antem compenſatio in eo conſiſtit, quod in Petro tamquam in Petrà ſuam Dominus ædificaturus Eccleſiam. Ad hæc particula, *Quia* cauſalis, vel eſt cauſalis reſpectu huius nominis, *Petrus*, qua importat prærogatiuam aliquam à Chriſto Domino ijs verbis ipſi collatam, vel qua denotat perſonam duntaxat hominis, qui *Petrus*, appellatur. Si primum, nulla ſanè eſſe poteſt prærogatiua illa, niſi ea, quæ importatur ab ipſa ſignificatione nominis, *Petrus*, quod nihil aliud ſignificat, aut ſignificare poteſt, quam *Petram*, quemadmodum ſupra pluribus probatum eſt, & Aduerſariorum plures veritatis vi conuicti fatentur. Vnde Witakerus, qui contr. 4. quæſt. 2. cap. 2. ſcripſerat: *Petrus non eſt Petra, quia Chriſtus non ædificat Eccleſiam ſuam ſuper Petrum*, tandem lib. 5. contra Duræum ſect. 4. ſic ſcriptum reliquit: *Quis Petrum non fatetur eſſe Petram, & Eccleſiæ fundamentum*? Idem fatetur Marcus Antonius de Dominis lib. 1. de Republica cap. 6. num. 23. Lohetus in Reſponſ. ad Marium cap. 3. Caſaubonus in exercit. 15. contra Baronium, & alij. Itaque neceſſe eſt, eam prætogatinam haberi ex ſignificatione nominis huins, *Petrus* qnid idem eſt, ac *Petra*. Alioquin qnem ſenſum haberent ea Domini verba, ſi cauſalis illa non reſpiceret prærogatiuam, & compenſationem aliquam confeſſionis Petri? & quæ verborum totius illius commatis eſſet connexio? aut quam propoſitionem, vel præpoſitionis partem inibi ſuppleret nomen *Petrus*? Si antem ſecundum, nempe quod particula hæc, *Quia*, ſit cauſalis reſpectu huins nominis *Petrus*, qua deſignat perſonam hominis eo nomine ſic appellari, profectò inſulſiſſima eſſet ea Chriſti Domini oratio, quod vel mente concipere execrandi facinoris eſt. Nam ſi perſonam reſpicere cauſalis illa, æque bene diceretur: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædicabo Eccleſiam meam*; ac, *Ego dico tibi, quia tu es Simon, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Sed hæc quis æquo ferret animo? nonne inſulſiſſima ſunt, & perridicula?

At expendamus modò parumper, qnæſo te, hunc Aduerſariorum errorem, ſeu ineptam paraphraſim: *Quia tu es Petrus, non ſuper te, ſed ſuper me ædificabo Eccleſiam meam*, videbimuſque, quam ridicula, quam inſulſa, quam inepta, & quam abſurda ſit. Hæc paraphraſis Aduerſariorum ex verbis Chriſti ita concinnata ſic ex ipſa orationis vi reſolui poteſt: *Ideò non ædificabo Eccleſiam meam ſuper te, quia tu es Petrus, at ſi non eſſes Petrus, vtique illam ſuper te ædificarem, ſed quia es Petrus, ſuper me illam ædificabo, non ſuper te, quia es Petrus*. Certe hæc genuino, ac germana illorum verborum eſſet reſolutio, & ſenſus. Sed cur id? forte contendebat Petrus cum ipſo Chriſto de fundatione Eccleſiæ, quemadmodum contendebant Apoſtoli de maioritate, ita vt verbis illis retundere voluiſſet Dominus Petri præſumptionem, ac propterea dixit illi: *Quia tu es Petrus non ſuper te, ſed ſuper me ædificabo Eccleſiam meam*? Proinde apage hinc Petre, ergo cauſa non ædificandi Eccleſiam ſuper Petrum eſt, quia erat Petrus, & ſi non fuiſſet Petrus, vtique ædificaſſet, ſuper illum, Abſurdum magis, & inſulſum dici nequicquam poteſt? tamen id ab Aduerſarijs illatione dicitur. Multa huius generis miſſa nunc facimus, ne tam fœtidam moueamus cloacam. Nunc ad Sibrandum concedamns, qui aliud admouet noſtris muris machinæ genus; videamus, an felicius.

Sibrandus de Papa Romano lib. 2. cap. 1. probare adnititur verba illa: *Super hanc Petram*, intelligi non poſſe de Petro alioquin Chriſtns Dominus dixiſſet: *Et ſuper te Petram* &c. addito pronomine, *te*, quemadmodum paulo poſt dixit: *Tibi dabo claues regni Cælorum*. His adſtipulatur magna Proteſtantium turba.

Sed vero hæc aſſerens Sibrandus minime veritatis ingenue inquirendi Sodales ratiocinatur, licet per totum ſe Dialecticum oſtentare amet. Ecqua fronte bonis is logicaſter hunc inde deducit ſenſum? Si enim inibi Chriſtus Dominus non dixit; *Super te*, vt exigit à nobis, oſtendat ipſe, vbi dixit Dominus: *Super me*; Et profectò id dicere perquam neceſſarium erat, ſi hunc intendebat Chriſtus ſenſum. Quia cum ipſemet loqueretur, & quidem de alia perſona, nempe Petri, de illo ſermo ſemper intelligendus venit, niſi aliquid aliud interponeretur, quod non amplius de illa perſona ſermo ſit, demonſtret. Alioquin pro libitu, & animi libidine liceret vnicuique eum elicere ſenſum. quem magis ſibi arridet. Poteſt enim aliquis verba illa, ſi fas eſſet, ſic vincula ſoluere orationis, & quò quis vult vagari, ita exponere, & hunc aptare illis ſenſum: *Tu es Petrus*, ac dicere, quod

Chriſtus oſtendit tunc Petram aliquam materialem, & dixerit: *Et ſuper hanc Ptram ædificabo Eccleſiam meam*. Et ſane non minus inſulſa, & abſurda eſt illa Sibrandi expoſitio, quam iſta.

Sed an hoc dicere, *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper te Petram* &c. non eſſet manifeſta, ac turpiſſima tautologia, & battologia? Præterea cum dixerit Chriſtus Dominus: *Ego dico* TIBI, *quia* TV *es Petrus*, & palo poſt ſubdit in eodem commate, & ad eandem loquens continuata oratione perſonam, *&* TIBI *dabo claues*, nullo interpoſito alterius perſonæ pronomine, aut notione inter TIBI, TV, TIBI, quæ de ſolo Petro enunciantur: qui fieri poteſt, vt ibi ſermo ſit de alia perſona? Itaque nos habemus tria Petri pronomina in eodem commate repetita, proferant vel vnum Chriſti pronomen Aduerſarij.

Porro quis mentis ſanæ non videt, hæc, *quia tu es Petrus* cum hac Sibrandi paraphaſi, *Et ſuper me*, non magis, aut commodius inter ſe connecti, quam iſta: *Quia tu es Petrus*, Paulus eſt Apoſtolus gentium, vel Moyſes eſt Propheta; vel, *quia tu es Petrus*, Sibrandus improbe mentitur. Certe non magis inter ſe connectuntur iſta, quam illa, neque ex illa cauſali deducuntur illa, quam iſta.

Sunt etiam, qui dicunt, nomine *Petra* neque ipſum Chriſtum, neque Petrum eſſe intelligendum, ſed ipſam Eccleſiam, cuius perſonam, ac typum gerit Petrus. Quæ ſententia inſulſiſſima quidem eſt, atque abſurdiſſima nec propterea reſponſione dignanda. Nam ſi propoſitio iſta, *Tu es Petrus*, &c. reſolueretur iuxtà tributum per huius ſententiæ Auctores ipſi ſenſum, ſic ſe haberet; *Tu es Eccleſia, & ſuper hanc Eccleſiam ædificabo Eccleſiam meam*. Et ſic vel eadem Eccleſia ædificaretur ſupra ſe, quod eſt abſurdum; vel vna Eccleſia ædificaretur ſuper aliam Eccleſiam, quod eſt ridiculum, & ineptum. Hi ſunt coniculi, hi ſunt arietes, quibus Eccleſię Romanæ Arcem euertere Portæ inferi ſatagunt, & viribus enituntur omnibus; ſed fruſtra ac improbo labore.

CAPVT XXIII.

Idem comprobatur D. Petri Primatus Orientalium Scriptorum teſtimonijs.

SAtis ſuperque capite ſuperiori oſtenſum à nobis eſt, *Petrum eſſe Petram*, ſupra quam ſuam Chriſtus Dominus ædificauit Eccleſiam, & Aduerſariorum pro virili refutauimus errores, diluimuſque obiectiones. Ne vero illud nobis obijciant Tertulliani de Præſcriptionibus dicentis: *Nobis de noſtro arbitrio nihil indulgere licet, ſed nec eligere quod aliquis de ſuo arbitrio induxerit*. Quamobrem Orientalium Scriptorum audienda quoque ſunt nobis de hoc agumento placita, & opiniones. *At non omnium de hac re ſententias*, (vt in ſimili cauſa ratiocinatur D. Auguſtinus lib. 1. cap. 2. contra Iul.) *nec omnes eorum, quos commemorabo, congregaturum polliceor, quia nimis longum eſt, & neceſſe eſſe non arbitror, ſed ponam pauca paucorum, quibus tamen noſtri contradictores cogantur erubeſcere, & cedere, ſi vllus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor reliquus eſt*. Græcos, & Latinos Patres nullos hic cito, aut laudo, ſatis enim à multis, & magnis viris pro hac controuerſia laudati ſunt; Orientalibus, & quidem paucis contentus ero.

Georgius Patriarcha Antiochenus Syrus Scriptor perantiquus in Commentarijs Euangeliorum, ea verba Domini cap. 16. Matth. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſic commentatur.

. . . .

. . . .

, Dicit illis: Vos autem quem me eſſe dicitis?
, nempe vos, qui ſemper eſtis mecum, & vidiſtis,
, quæ ego facio, miracula, & vos quoque
, multas feciſtis in nomine meo virtutes. Re-
, ſpondit Simon Cephas, ille os, & caput Apo-
, ſtolorum. (Cum omnes interrogarentur,
, ipſe reſponſum reddit.) cum autem interro-
, gat de ſenſu mentis turbarum, omnes re-
, ſponderunt ad interrogata; cum vero de eo-
, rum ſenſu, præceſſit, ac poſilit Petrus ante
, omnes, & dixit: *Tu es Chriſtus Fius Dei*.
, Reſpondit Ieſus, & dixit ei: *Beatus es Simon*
, *filius Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit*
, *tibi, ſed pater meus, qui in Cælis eſt*. Et ſane
, ſi eum vere confeſſus non fuiſſet, & quod à
, Patre non eſſet genitus, id non fuiſſet opus
, reuelationis; & ſi vnum de pluribus eum eſſe
, exiſtimauiſſet, nequaquam beatitudine di-
, gnum eſſet quod dixerat. Nam & illi etiam,
, qui in nauicula erant, poſtquam ceſſauit flu-
, ctuatio maris, dixerunt: *Verè Filius Dei tu*
, *es*, nón tamen data eſt illis beatitudo, quam-
, uis id valde vere dixerint. Etenim non ſimi-
, lem huic confeſſi ſunt filiationem, ſcilicet vt
, hanc Petri: ſed vnum ex multis filijs puta-
, bant eum eſſe, ſiue excellentiorem multis,
, non autem conſubſtantialem: Nathanael
, quoque dixerat: *Rabbi tu es Filius Dei, Tu*
, *es Rex Iſrael*. Nec ſolum beatitudo data ei
, non fuit, verum, vt qui multo minus verita-
, te dixerat, reprehendebatur. Petrum autem
, data eſt beatitudo, quia vere confeſſus eſt,
, eum eſſe Filium Dei. Iccirco illum etiam,
, qui reuelauit ei, demonſtrat, ne multi puta-
, rent, quod cum eſſet amicus Chriſti, amici-
, tiæ, & perturbati animi eſſe illa verba, &
, quod amor, qui gratiam ipſi conciliat, in
, medium attuliſſet, quod ille exclamauit; vt
, ediſcas, Petrum protuliſſe, Patrem vero ve-
, to ſanxiſſe. Ei ne modo laudem humanam,
, ſed dogmata diuina hæc eſſe credas. Cur ip-
, ſe non pronunciauit, & dixit: *Ego ſum Chri-*
, *ſtus*? Primo quia id ipſum decebat; deinde
, multo magis hoc eos trahebat ad Fidem. Vi-
, diſti quomodo reuelault Pater Filium, & Fi-
, lius Patrem? *Nemo*. dicit, *ſcit Patrem, niſi*
, *Filius, & cui voluerit Filius rauelare*. Non eſt
, itaque Filius ab alio noſcendus, niſi à Patre;
, neque ab alio Pater, niſi à Filio, vt inde etiam
, conglorificatio, & conſubſtantiatio digno-
, ſcatur. Quid itaque Chriſtus? *Ego quoque di-*
, *co tibi, quia tu es Cephas, & ſuper hanc Ce-*
, *pham ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ Infe-*
, *ri non præualebunt aduerſus eam*. Quoniam
, enim, ait, prædicauiſti Patrem meum, ego
, quoque tibi nomino tuum genitorem. Quaſi

vero

, vero dixiſſet: quemadmodum tu filius Iona
, es, ita ego Patris mei. Non ſatis enim erat
, dicere: ru es filius eius: ſed ideo dixir: tu es
, Filius Dei, vt oſtenderer, ita ſe eſſe Filium
, Dei, quemadmodum ille erat filius Iona, &
, ex ipſiſſima ſubſtantia genitoris. Iccirco ad-
, didit: *Et ego quoque dico tibi, quia tu es Cephas,*
, *& ſuper hanc Cepham* (nempe Fidem, & Con-
, feſſionem) *ædificabo Eccleſiam meam*. Oſten-
, dit exinde multos credituros fore, ſuamque
, confirmat ſenrentiam, & facit illi fiduciam:
, *Et Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*;
, & ſi aduerſus eam non præualebuur, multo
, minus aduerſus me. Ne itaque conturberis,
, cum auditurus ſis, me tradirum, & Cruci affi-
, xum iri. Præteta alium tibi dico honotem:
, *Tibi dabo claues regni Cælorum*. Non dixir,
, rogabo Patrem, ſed dixit: Ego dabo tibi:
, *& quodcunque ligaueris ſuper terram, erit liga-*
, *tum, & in Cælis: & quodcunque ſolueris ſuper*
, *terram, erit ſolutum, & in Cælis*. Quomodo
, igitur ſedere ad dexteram, & ſiniſtram non
, eſt illius, qui dixir: Ego dabo tibi? Vidiſti
, quemadmodum, & ipſe Petrum eleuat ad al-
, tiſſimam ſui intelligentiam, quia oſtendit,
, eum eſſe Flium Dei. Per has aurem duas pro-
, miſſiones, quę ſolius Dei ſunt, peccata ſcili-
, cet remittere, & Eccleſiam immobilem red-
, dere aduerſus falſas eiuſmodi pugnas; atque
, hominem piſcatorem omni rupe fortiorem
, oſtendere, toto cum illo concertante terra-
, rum Orbe habitabili Hæc promittit ſe illi
, daturum; quemadmodum Pater Ieremiæ,
, quem poſuit tamquam columnam æneam, &
, tamquam murum fortiſſimum; ſed illum vni
, tantum populo, iſtum vero omni loco Orbis
, terrarum habitabilis. Ita tu igitur inrerro-
, ga eos, qui volunt diminuere honorem Filij:
, quodnam donum maius? ea, quæ dedit Pa-
, ter Petro, vel, quæ dedit Filius? Ille quippe
, reuelarionem Filij conceſſit Petro; Filius
, vero, quæ ſunt Patris, & quæ ſua per rorum
, habitabilem diſſeminauit terrarum Orbem,
, & mortali homini cæleſtem tradidit poteſta-
, tem dans illi claues, & Eccleſiam vbique ex-
, tendens terrarum, & quod ſit fortior qua-
, cunque rupe, & petra, eam demonſtrauit.
, Cęli enim, & terra tranſibunt, verba vero
, mea non tranſibunt. Qui ergo minor eſt, qui
, ſimilia dedit? qui eiuſmodi diſpenſauit? Hęc
, autem dico non ſeparans opera Patris, &
, Filij, omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſi-
, ne ipſo nec vnum quidem; ſed refrenans im-
, pudentem eorum linguam, quæ eiuſmodi au-
, dent. Attende, quæſo, per omnia eius po-
, teſtatem; *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, tu*
, *ædificabis Eccleſiam meam: tibi dabo claues Cę-*
, *lorum*. Hæc ille.

Animaduertendum hic eſt; cum auctor iſte dicit: *Quia tu es Cephas, & ſuper hanc Cepham, nempè Fidem, & Confeſſionem ædificabo Eccleſiam meam*, non intelligit Fidem, & Confeſſionem in abſtracto, ſed in concreto, & cum relatione ad Petrum, cuius Fides, & Confeſſio illa eſt. Quia Petro data eſt ea Fidei ſoliditas à Chriſto nunquam defectura; *Rogaui pro te Petre, ne deficiat Fides tua*, ideò in Fide Petri meritò fundatur Eccleſia. Quam enim Fidem docet Petrus, ea veriſſima Fides eſt, & eius prædicatione ædificatur Eccleſia: per Fidem namque hæc ædificatio perficitur. Porro hoc modo ædificari in Petro ratione Fidei. *Hoc verò ſenſu*, inquit Martinus Smiglecius lib. 2. de notis Miniſtrorum cap. 11. *& SS. Patres, & nos cum ipſis dicimus ædificari Eccleſiam in Fide Petri. Verum hoc idem eſt, quod ædificari in Petro*. Liquet id clariſſime per totum, ſed præſentem ex hiſce eiuſdem auctoris verbis: *Atque hominem piſcatorem omni rupe fortiorem oſtendere, toto cum illo concertante terrarum Orbe habitabili*. Vbi eandem fortitudinem, quæ Fidei indeficienti tribuitur, & Eccleſiæ, tribuitur, & piſcatori Petro. Vnde & D. Ambroſius in Lucam lib. 6. cap. 9. *Fidem eſſe Eccleſiæ fundamentum*, dixit.

Abnalhaſſalus libro de Eccleſiaſticis quæſtionibus quæſt. 23. de illis Chriſti verbis: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis*, hæc habet de D. Petri Primatu, & ſuprema poteſtate ſuper reliquos omnes: ....
, Dixit in Matthæo: & reſpondit Ieſus, & di-
, xit ei: Beatus es Simon filius Iona &c. Et di-
, xit ibidem quoque: Amen dico tibi: quod-
, cumque ligaueris &c. *Expoſitio authoris*. Sol-
, uere, & ligare dupliciter diſtinguitur. Pri-
, mùm, eſt expendere peccata. Et cùm tri-
, buiſſet Dominus noſter Chriſtus Diſcipulis
, ſuis, vt vnum eſſent ſecum voluntate, men-
, te, & opere, quemadmodum ſupra demon-
, ſtrauimus, factum eſt, vt idem eſſet eorum,
, ac ipſius opus, voluntas, & mens, ideoque
, dixit Petro Principi Apoſtolorum: Paſce A-
, rietes meos, paſce Agnos meos, paſce oues
, meas. Cùm verò peccata infinita ſint ob di-
, uerſitatem iuſtitiæ Fidei, & iuſtitiæ operum,
, dedit Diſcipulis poteſtatem, & dixit eis:
, Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis:
, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Hanc
, autem poteſtatem tradidit illis, & eorum
, Succeſſibus poſt illos, iuſte vtendam. Alte-
, rum, ſunt præcepta Dominica, & Apoſtoli-
, ca, de quibus derogare quicquam, nemini
, licet, aut quicquam mutare. Huius autem
, demonſtrationis plures ſunt demonſtratio-
, nes. Prima eſt: quodcumque ligauit Chri-
, ſtus Dominus noſter, nemini ſoluere licet,
, cum ipſe ſit rex & poſſeſſor omnium, ipſi ve-
, rò eius ſerui; ſeruis autem haud fas eſt, ſol-
, uere quod eorum ligauit Dominus, nec quic-
, quam illius mutare. Secunda, quodcumque
, ligauit Petrus Princeps Apoſtolorum, haud
, integrum eſt reliquis Apoſtolis illud ſoluere,
, eo quod Chriſtus Dominus noſter illum prę-
, fecerit eis, atque præceperit hæc ipſi ſingu-
, lariter, ac ſeorsùm. Tertia, quodcumque
, ligarunt Apoſtoli cum Petro, nemini Succeſ-
, ſorum illorum ſoluere licet, cùm id conceſ-
, ſerit ipſis donum, & ampliſſimo quidem mo-
do. His neſcio, an quid clariùs afferri poſſit, quo Petri conſtet in Apoſtolos ipſos Primatus.

Hebedieſu Metropolita Sobæ, & Armeniæ in Collectione Canonum cap. poſtremo, de Ordinibus, & dignitatibus Eccleſiaſticis, ac talentorum diſtributione, de Petri Primatu ſic ſcribit........
, Patriarcharum autem, qui idem eſt, ac Prin-
, cipatus Principatuum in Eccleſia, conſtituit
, dando claues Regni Cælorum Simoni, cùm
, illum Principem Apoſtolorum ipſe Seruator
, ordinauit, & præfecturam ſuper illorum com-
, munitatem ei dedit his quoque: Tu aliquan-
, dò conuerſus confirma fratres tuos: & pote-

, ſtatem ſuper vniuerſam communitatem Ca-
, techumenorum conceſſit illi paſtione Agno-
, rum, Arietum, & ouium. *Idem in libro Mar-*
, *garitarom Tract. 4. cap. 2. de Sacerdotio* . . . . .
, Fundamentum itaque Eccleſiaſtici Sacerdo-
, tij ſunt ea, quæ ad Petrum in regione Cæſa-
, reæ Philippi ab Authore Sacerdotij dicta
, ſunt: Tibi dabo claues Regni Cælorum, &
, quodcumque ligaueris in terra, erit liga-
, tum in Cælis: & quodcumque ſolueris in
, terra, erit ſolutum in Cælis. Aedificium ve-
, rò illius (*Sacerdotij*) hiſce: Paſce mihi Arie-
, tes meos, paſce mihi Agnos meos, paſce
, mihi Oues meas.

Notandum hic eſt, Syriacus Textus hoc loco Ioannis 21. vbi Latinus legit bis *agnos meos*, habet *Arietes meos, & Agnos meos*, quam lectionem ſequuntur Arabes, alijque Orientales penè omnes quibus verbis volunt, comprehendi ſupremos, medios, & infimos, ita ut nemo excipiatur, aut eximatur à Iuriſdictione Petri. Vnde Abulpharagius Benattibus in ſua parua paraphraſi in hunc locum. . . . .

, Dicendo paſce mihi, ſeu pro me, eiuſdem
, ſignificationis eſt, ac eſto mihi, ſeu pro me
, Vicarius, dicendo autem Arietes meos, A-
, gnos meos, & Oues meas, indicat vniuerſos
, fideles tam mares, quàm fœminas, ſupre-
, mos, medios, & infimos. Hæc breuiter Benattibus.

Hiſtoria, ſeu potiùs præfatio Arabicorum Conciliorum omnibus præmiſſa Orientalium editionibus poſtquam enarrauit, quòd per dies decem continuos orauerint, ieiunauerint, & multa diſcuſſerint de prædicando per vniuerſum Orbem Euangelio iuxta Domini mandatum, nec facilè decernere potuerint, quid ipſis agendum erat propter variarum gentium varias linguas illis ignotas, tandem ſubdit . . . .

, Dixit autem eis Petrus, (qui Caput, ſeu
, Princeps conſtiturus erat à Chriſto ſuper
, vniuerſos Diſcipulos, quem vocauit Simo-
, nem Petram): Noſtrum non eſt hoc nego-
, tium, at Dominus noſter pollicitus eſt mit-
, tere nobis Paraclitum.

In lib. Conſtit. Syriacarum Eccleſiæ Maronitarum à Dauide Archiepiſcopo ante annos 600. Arabici iuris factarum, nempè an. ab Alexandro 1370. c. 1. *De Fide*, hæc habentur de eodem D. Petri Primatu . . . . . .

, Congregatis autem Sanctis Diſcipulis in
, Cœnaculo Sion poſtquam deſcendit Paracli-
, tus ſuper illos, & antequam diuiderentur
, per regiones, dixit eis Petrus, qui Princeps
, erat conſtitutus ſuper eos à Chriſto Domino.

Cyrilius Hieroſolymitanus Homilia de ingreſſu intemeratæ Virginis in templum, tertium agentis annum ætatis, inducit Chri-
, ſtum Dominum ita Petrum alloquentem . . :
, Audi Petre: da iudicium filijs tuis, quo-
, niam tu eris mihi ſucceſſor, & Vicarius ſu-
, per fratres tuos, quibus ſuas dabis mercedes.

D. Baſilius in Hom. Commemorationis B. Mariæ Virginis de D. Petri initiatione, Primatu, ac cæteris prærogatiuis hæc habet. . . . .

, Chriſtus vtique Dominus, cui gloria, aſ-
, ſumptum Petrum Principem Apoſtolorum,
, & impoſita ei Diuina manu ordinauit Sum-
, mum Sacerdotem ſuper vniuerſum habitabi-
, lem Orbem, & omnes Diſcipulos, ac gentes
, cunctas, quæ Ieſum Chriſtum confitentur.
, Cumque manum capiti eius impoſuiſſet Do-
, minus: Ecce voces magno ab alto exclaman-
, tes, ac dicentes: Dignus, Dignus, Dignus,
, eſt Princeps Epiſcoporum ſecundum ordi-
, nem Melchiſedech. Ordinauitque Presbyte-
, ros, Epiſcopos, Diaconos, Lectores, Hy-
, podiaconos, Pſaltes, & ſeptem inſtituit Or-
, dines in Domo Dei.

Arabici Codicis, vbi hæc legitur Homilia D. Baſilij, exemplar in Inſula Rhodo exſcriptum, extat Pariſijs in celeberrima Bibliotheca linguarum Orientalium clariſſimi viri Gilberti Gaulminij Chriſtianiſſimi Regis libellorum ſupplicum Præfecti.

Pontificale, ſeu Rituale Iacobitarum in ordine proœmij ordinationis Presbyteri: . . .

, Propter miſericordias ſuas multas, quæ ipſi
, naturaliter inſunt, complacuit ei, laudibus
, ſpiritualibus, & cæleſtibus delectare huma-
, nam naturam. Ea propter per ſuos Sanctos
, Apoſtolos cæleſtes ordines tradidit terrenis;
, & figurarum illarum, quas per Moyſen Prin-
, cipem Prophetarum præſignauit, nunc per
, filium ſuum dilectum tradidit veritatem Si-
, moni Principi Apoſtolorum, & per eum vni-
, uerſæ Eccleſiæ ſanctæ vſque ad conſumatio-
, nem Mundi.

Idem Iacobitarum Rituale in conſecratione Chriſmatis in explicatione huius Sacramenti pag. 25. . . . .

, Tunc in Monte oſtendit ipſe Chriſtus glo-
, riam ſuam Diſcipulis ſuis, & iuſſit Moyſen,
, & Eliam intrare in nubem, & antiqui tradi-
, derunt Nouis Præfecturam Domus, & tra-
, didit Moyſes claues Simoni.

Nota, id non ſemel dictum eſt apud Orientales, nempè Moyſen veteris Sinagogæ, ſeu Eccleſiæ claues conſignaſſe in Monte Thabor D. Petro, & D. Petrum in Eccleſia Chriſti, eum tenere locum, quem Moyſes in veteri tenebat; ſed multò ſublimiori, & excellentiori authoritate, & ea proportione, qua Noua excellit Veterem Eccleſiam. Locum legi aliquandò apud D. Ephrem Syrum elegangantiſſimè ex more, & doctiſſimè explicatam, vbi dicit: Moyſen renunciaſſe claues Eccleſiæ Petro, & Ioanni claues ſacræ Scripturæ. Quia quemadmodum Moyſes leges & ſtatuta præſcripſerat nomine Dei Synagogæ; ita Petrus Eccleſiæ Chriſti, cuius illum caput, fundamentum, & Paſtorem ſupremum conſtituerat. Et quemadmodum Moyſes generationem Cæli, & terræ deſcripſerat hiſce verbis: *In principio creauit Deus Cælum, & terram*: ita Ioannes ijſdem exorditur verbis: *In principio erat Verbum*. Sed eo excellentiùs, quo excellentior eſt generatio Verbi æterni earum rerum generatione, quæ tempori, & interitui obnoxiæ ſunt. Diſplicet locum hunc D. Ephrem non eſſe nunc ad manum.

In Liturgia Apoſtolorum iuxta ritum Eccleſiæ Maronitarum: . . . .

, Simon Petra fundamentum eſt Eccleſiæ San-
, ctæ, & Paulus admirabilis Architectus exor-
, nauit, & excitauit eius ædificium. Item in Liturgia communi: . . . .

Benedictus eſt Chriſtus, qui ſuam ædificauit Eccleſiam ſuper Simonem. Vide, quomodo fun-

da-

datio, & ædificium reſpicinnt Petri perſonam. Eiuſmodi infinita occurrunt legenti Oorientalium libtos.

Conſtat itaque tam ex variatum editionnm lectionibus, & ipſa orationis, & contextus neceſſaria connexioue, quam ex allatis Orientalium teſtimonijs, Petrum idem eſſe, ac Petram, ſupra quam ſuam Chriſtus ædificauit Eccleſiam; itaur, qui negat Petrum eſſe Petram, negauerit etiam Petrum eſſe Petrum, & Petram eſſe Petram. Conſtat prætetaa ex iiſdem Orientalium teſtimonijs ſuperiùs adductis, & quibus innnmera alia addi poterant, Petrum idem eſſe ac Petram, atque inſuper eſſe Eccleſiæ caput, & Chriſti Domini per vniuerſum terrarum habitabilem Otbem Vicarium, eiuſque ouium paſtorem.

Garriunt ita Proteſtantes, ac in ipſas ſacras Paginas, antiquos Patres, & Scriptores omniumque Nationum, & Chriſtianarum gentium ex tota antiquitate vnanimem conſenſum iniurij ſunt, & iniqui; vt qui heri, aut nudiuſtertius ex contaminatiſſimorum hæreticorum enati putredine ſuas ineptias, & nugas orbi Chriſtiano protrudere conantur. Hinc lepidè ſanè, & vrbanè, ſed veriſſimè hos terræ filios notault noultatis D. Pompeus de Ribemont nobilis Gallus in ſuo libello, quem Gallicè inſcripſit: *Le Myſtere d' Infidelitè*, id eſt, *Myſterium Infidelitatis*, vbi aſſerit ſe domi habere coriaceum thoracem ipſa Caluini religione biennio, ſi bene memini, aut triennio vetuſtiorem. Scripturas non curant cum Luthero, vt ſupra vidimus; Patrum non admittunt interpretationes, vti proteſtatur Zanchius Miſcell. tomo altero cap. 9. hiſce verbis: *Non admittitur interpretatio Patrum in hoc loco: ſuper hanc Petram, id eſt etrum.* Quid ergo agendum eſt cum eiuſmodi hominum genere, qui ita corrupto ſunt ſtomacho, vt nullum Chriſtianæ Religionis verum habeant guſtum? Ex quo peregregie quadrare illis viderur illud Ioanuis Meſſue: *Mohammedanam igitur amplectere Religionem, quia hæc plurimum congruit ſtomachi morbis.* Quo innuebat vir ille acutiſſimus, morbum illum ſtomachi contractum fuiſſe ex frequentibus Chriſtianorum Orientis ieiunijs, ciborum delectu, & abſtinentia, ac eiuſmodi, quarum rerum vſus nullus fere eſt inter Mohammedanos. Nam horum ieiunium nihil aliud eſt, quàm tempora ſummutare, nempe interdiù dormire, & ſic ieiunare, noctu verò commeſſationibus, & gulæ indulgere, douec nigrum filum ab albo diſtingui poſſit. Ita Mohammediſmus, ſeu potiùs Atheiſmus iis competere videtur, qui eiuſmodi ſtomachi laborant morbo, ſcilicet Scripturas non curant, Patres reprobant, vnanimi omnium gentium conſenſione non mouentur. Nam qui legibus natnræ non ducitur, neque etiam Diuinis. Conſenſio enim omnium gentinm naturæ lex, & vox eſt; vnde Tullius 1. Tuſc. *Omni in re conſenſionem omnium gentium lex naturæ putanda eſt.* Ibidem etiam: *Omnium conſenſus vox naturæ eſt.*

Pertinent igitur ad Mohammediſmum, ſeu potiùs Atheiſmum qui Scripturas non curant ſacras, cùm eos non admittat Iudaiſmus, multò minùs Chriſtianiſmus, cum & Sanctos etiam reprobent Patres. Quò ergo delegandi ſunt, qui omnium gentium non ducuntur conſenſione, & conſenſu? Extra naturæ fines. Eò ergo iubeantur.

CAPVT XXIV.

In quo D. Petrum Romæ fuiſſe, ac ibi Pontificiam exercuiſſe dignitatem ex veſtigijs, & monumentis demonſtratur.

CVm perduellium nonnulli, & Eccleſiæ Romanæ infenſiſſimi hoſtes ſe nihil proficere viderent D. Petri negando Primatus prærogatiuas contra apertiſſimas Scripturarum Sacrarnm authoritates, licet nullum non intentauerint armorum genus, nullo dolo malo non egerint, nullum non mouerint lapidem; alios non minùs execrandos ſuffodere aggreſſi ſunt cuniculos, alium excogitarunt expugnandi modum, aliud machinarum genus Arcis huius munitiſſimæ admouendum mœnibus. Siquidem totis demouſtrare viribus adnituntur, D. Petrum neque Romam profectum eſſe vnquam, neque Pontificiam ibi exercuiſſe dignitatem, neque Sedem vllam fundaſſe. Ex quo neceſſaria conſequentia inferunt; Ergo Romani Pontifices neque ſunt D. Petri ſucceſſores, neque eius priuilegijs, & prærogatiuis iure ipſis fruendum eſt. Qui ſane vnus eſt in hac controuerſia Eccleſiæ Romanæ Aduerſariorum ſcopus, finis propoſitus.

Primus Equi huius Troiani machinator, & architectus fuit Guillelmus quidam Ioannis Vvicleſi præceptor, vti refert Bellarminus lib. 2. *De Summo Pontifice*, cap. 1. ex Thoma waldenſi lib. 2. Doct. Fidei art. 1. cap. 7. quem ſecutus deinde eſt Vldaricus Velenus Lutheranus in libello 18. *perſuaſionum*, quas peregregiè quatuor refellit libris Ioannes Cochlæus; idemque doctiſſimè quoque præſtitit Gregorius Cardinalis Corteſius Tract. *Aduersùs negantem Petrum Apoſtolum Romæ fuiſſe.* Guilielmum, & Velenum ſecutum eſt Proteſtantiũ examen, vt Illyricus lib. contra Primatum Papæ, Sibrandus toto lib. 4. de Papa Romano, & alij, quos hic recenſere ſuperfluum eſt.

Sed verò hos futilitatis, ſummæque leuitatis arguunt infinita propemodùm, quæ per Italiam, Hiſpanias, Gallias, aliaſque Prouincias, ac præſertim Romæ conſpiciuntur monumenta atteſtantia, D. Petrum ibi fuiſse, ibique Chriſtum prædicaſse. Quæ ſane ſolidiſſimi argumenti inſtar eſse deberent Aduerſarijs ad conuincendum, D. Petrum ad eas profectum fuiſse prouincias. *Nam ſuperfluum eſt*, inquit Euſebius lib. 2. Hiſtor. cap. 25. *extrinſecus de his teſtimonium quærere, cum rem geſtam inſignia, & ſplendidiſſima eorum monumenta vſque in hodiernum diem teſtentur.*

Huius argumenti genere ex monumentis deducti vſus olim eſt D. Petrus SS. Baſilij, & Gregorij frater maior, & Epiſcopus Sebaſtes in Opere Arabice tranſlato, & inſcripto . . . . *Liber Demonſtrationis*, eius parte altera, ad reprimendam eorum peruicaciam, & impudentiam, qui Chriſti Domini aduentum in carne negabant. Eius verba hic referre non pigebit, ad authoritatem noſtro argumento con-

concillandam, roburque inde mutuandum,

. . . .

Teſtatur Eccleſia Nazareth Galileæ Iordanis, Gabrielem Archangelum Virgini annunciaſſe Chriſti conceptionem.

Teſtatur Eccleſia Zachariæ prouinciæ Æliæ profectionem Mariæ ad cognatam ſuam Eliſabeth.

Teſtatur Eccleſia Bethlehem, Chriſtum natum ex Maria Virgine in illius ſpelunca.

Teſtatur Eccleſia Paſtorum propè Bethlehem, Angeli annunciationem, quam annunciauit Paſtoribus.

Teſtatur Eccleſia fluuij Iordanis, in eo fluuio Chriſtum baptizatum fuiſſe.

Teſtatur Eccleſia Magdali propè Tiberiadem, ibi Chriſtum eieciſſe, ſeptem Dæmonia ex Maria Magdalena.

Teſtatur Eccleſia Genaſar, Chriſtum benedixiſſe ibi quinque panes, & piſces duos, quibus quinq; hominum ſatiauit millia.

Teſtatur Eccleſia Capharnaum ad mare Tiberiadis, Chriſtum ibi ſanaſſe hominem aridam habentem manum.

Teſtatur Eccleſia Banaias la Caula, mulierem à quindecim annis menſtrua patientem ſanatam fuiſſe.

Teſtatur Eccleſia Throni in mari Tiberiadis, ibi Chriſtum liberaſſe energumenum, qui Legio vocatur.

Teſtatur præterea Eccleſia Nain Falgia, Chriſtum reſuſcitaſſe ibi mortuum vnicum mulieris viduæ.

Teſtatur Eccleſia montis Thabor, Chriſtum ad hunc aſcendiſſe montem, ſecum habentem tres ex diſcipulis ſuis, nempè Petrum Principem Apoſtolorum, Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, & ibi coram eis traſfiguratum fuiſſe.

Teſtatur Eccleſia, quæ locus ouium dicitur, ſeu Probatica in Ælia, Chriſtum ingreſſum eſſe illum locum, in quo multi erant ægroti. inter quos Paralyticus quidam à triginta octo annis, eumque ſanaſſe.

Teſtatur Eccleſia Reſurrectionis Æliæ, itemque lacus ſancta illius Golgotha, Chriſtum redemiſſe progeniem Adæ Crucem ſufferendo.

Teſtatur quoque ſanctum Sionis Cœnaculum, Chriſtum eò ingreſſum ad Diſcipulos ſuos, dum ibi eſſent poſt Reſurrectionem, clauſis ianuis.

Teſtatur item Eccleſia ſancti Montis Sionis, Chriſtum comediſſe in ipſius Cœnaculo Paſcha legale die Paſchatis Iudæorum.

Pari itaque argumento, & inductione ex veſtigijs, & antiquiſſimis, ac certiſsimis monumentis, quæ Romæ paſsim conſpiciuntur, deductis, facile demonſtrari poteſt, &ſi omnia alia deeſsent nobis argumenta, Petrum Romæ fuiſse, ibique Pontificiam exercuiſse dignitatem. Ex eiuſmodi ergo monumentis inductio nobis proſequenda eſt.

Teſtatur in primis Eccleſia S. Pudentianæ, quæ antea Domus Pudentis patris erat in vico patricio poſita, vbi primò exceptus hoſpitio D. Petrus fuit.

Teſtatur Cœmeterium Oſtrianum in via Salaria ad tertium lapidem ab Vrbe poſitum, vbi B. Petrus Apoſtolus baptizabat.

Teſtatur Cœmeterium Vaticanum, vbi multas populorum turmas docebat, & baptizabat D. Petrus, eum Romæ fuiſse.

Teſtatur Cœmeterium ad Nymphas in prædio Seueræ in via Nomentana lapide ab Vrbe inter inter ſeptimum, & octauum, vbi D. Petrus habitabat aliquando, & baptizabat,

Teſtatur Eccleſia S. Priſcæ, D. Petrum ibi habitaſſe, Priſcam Martyrem, alioſque docuiſſe, & baptizaſſe, ac Altare inter alia Deo in ea Eccleſia ſacraſſe.

Teſtatur Tyberis, D. Petrum Romæ fuiſſe, atque in eo plures ad Fidem conuerſos baptizaſſe, quemadmodum ſcribit Tertullianus lib. de baptiſmo, vbi, *Nec quidquam*, inquit, *refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & Petrus in Tyberi tinxit.*

Teſtatur Sacellum non procul à porta Capena, hodie S. Sebaſtiani in via Appia, vulgò appellatum, *Domine quò vadis?* de quo ſic contra Maxentium ſcribit D. Ambroſius: *Petrus victo Simone, noctu muro egredi cœpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, Vrbemque ingredi, ait: Domine quò vadis.*

Teſtatur Altare ligneum, quo Petrus Apoſtolus Romæ ad Sacra peragenda vſus eſt, quodque etiamnum in Sacroſancta Baſilica Lateranenſi ſub Altari maiori maxima veneratione conſeruatur.

Teſtatur carcer Mamertinus à Mamertino Vrbis Præfecto ita dictus: poſtea verò carcer S. Petri, ad radices Capitolij poſitus, vbi diù Apoſtolorum Principes detenti ſunt, & Proceſſum, ac Martinianum ad Fidem conuerterunt Chriſti cum alijs 40. ſiue vt alij 47. quos aqua fontis repentè è ſaxo erumpentis baptizarunt. Carceres in Eccleſiam conuertit S. Syluester Papa, eamque dedicauit in honorem Principum Apoſtolorum, quò ſtatis temporibus magnus confluit fidelium numerus. Nam ibi hactenus conſpicitur fons ille, qui diuina virtute è duriſſimo eruperat ſaxo ad baptizandos Proceſſum, Martinianum, & ſocios. Extat præterea ipſius D. Petri capitis effigies in marmore impreſſa ex illiſione ab impio cuſtode facta.

Teſtatur, Petrum Romæ fuiſſe, Columna illa, quæ in Eccleſia S. Mariæ trans Pontem aſſeruatur, magnoque habetur in honore, quòd illi Apoſtolorum Princeps alligatus, & virgis cæſus fuit, vt antiqua fertur traditione.

Teſtatur Eccleſia illa, quæ omnium prima Romæ, imò in tota Europa extructa eſt à D. Petro in honorem omnipotentis Dei, & conſecrata; deinde verò S. Petrus ad vincula dicta, eò quòd Catenæ, quibus vinctus fuit Apoſtolorum Princeps tam Hieroſolymis ab Herode, quàm Romæ in carcere Mamertino à Nerone, in ea reconditæ fuerunt,

Teſtatur Aedicula, ſiue Sacellum inter Vrbem, & D. Pauli Templum ad ſiniſtram ſita in via Oſtienſi, vbi, *Cùm à Petro*, inquit Baronius ad an. 69. *Paulus mutua prius ſalutatione impartita more Chriſtiano in oſculo Sancto, in hunc modum diuiſus eſſet, ad præſcriptum ſupplicij locum recta perducitur.* Paulus ita Petrum ſalutaſſe fertur ex Epiſtola Dionyſij Areopagitæ ad Timotheum: *Pax tibi fundamentum Eccleſiarum, & Paſtor Agnorum, & ouium Chriſti*, cui Petrus: *Vade in pace prædicator bonorum, Mediator, & Dux ſalutis Iuſtorum.*

Teſtatur Sacellum, ſiue Templum illud exiguum, ac rotundum Montis Aurei, quod eſt in area inter Eccleſiam, & Monaſterium

in

in eodem ex tructum loco, vbi S. Petrus capite inuerſo Cruci affixus eſt.

Teſtatur Cœmeterium Chriſti Martyris Sebaſtiani in via Appia, quod dicitur ad Catacumbas, vbi diù SS. Petri, & Pauli Principum Apoſtolorum ſacra iacuerunt Corpora.

Teſtatur Vaticana ſacra Moles, ac præcipuè ea pars, quæ S. Petri Confeſſio dicitur, eſtque ille locus Principis Apoſtolorum ſepulchro conſecratus, qui ſumma religione, & pietate à fidelibus vndique eò confluentibus colitur, ac in veneratione habetur.

Teſtatur & Lateranenſis ſacra Baſilica, vbi etiamnùm Principum Apoſtolorum Petri & Pauli veneranda ſeruantur Capita.

Teſtantur variarum Eccleſiarum Epiſcopi Romæ à D. Petro ſacris initiati Ordinibus quemadmodùm Eccleſiarum Acta, & Monumenta fidem faciunt nobis.

Teſtantur itaque id planiſſimè SS. Rufus Epiſcopus Capuanus; Euprepius Veronenſis, Clemens Metenſis, Vrſinus Biterricenſis, Sauinianus Senonenſis in Gallijs, & alij permulti.

Erga ſuperfluum eſt, vt inquit Euſebius, *extrinſecus de his teſtimonium quærere, cùm rem geſtam, inſignia, & ſplendidiſſima eorum monumenta vſque in hodiernum diem teſtentur*,

CAP. XXV.

Idem argumentum de profectione D. Petri Romam Orientalium probatur teſtimonijs.

Allatis veſtigijs, & monumentis ſuperiori capite, quæ ſatis ſuperque eſſe deberent ad hoc argumentum comprobandum, ſtabiliendumque, accedunt Orientalium teſtimonia hoc idem atteſtantia. Hi enim omnes adeo fixam, firmamque hanc habent opinionem, vt contraria inaudita illis eſſet, portentoſa, ementita, & recens ex Auerno in hominum lucem exorta, imò eruta hominum quorumdam vſirata malitia; & ab ipſo Sathana mutuata. Quamobrem noſtro inhærentes inſtituto, quæ Orientalium omnium de hac re ſit ſententia, & opinio, ipſorum teſtimonijs, & verbis oſtendamus; ne vllus cauillandi, aut euadendi relinquatur Aeuerſarijs locus; & vt omnibus pateſcat, hos aduerſari omnium gentium conſenſioni, nimirùm naturæ legi, & voci, adeoque niſi reſipiſcant, extra naturæ fines eſſe abigendos, vt ſupra etiam innuimus.

Hiſtoria Generalis Arabicorum Conciliorum, quæ omnibus præfigitur Orientalium Editionibus, loquens de Apoſtolorum per varias Orbis terrarum Prouincias diuiſione, & in eis prædicatione, hæc de B. Petri prædicatione habet........

In Cœleſyria autem, Antiochia, & Melitene ad Pontum etiam vſque (prædicauit) *Simon Petra, qui eſt Petrus, nec deſtitit, donec ad illum perlatus eſt Simonis Magi nuncius. Is enim in vrbe Roma morabatur, eius Ciues ſuis Magicis artibus ſeducens, atque eludens. Quamobrem eò profectus eſt, & crediderunt Ciues illius omnes per manus eius, & Chriſto nomen dederunt. Item ad incolas* (profectus) *Antiochia, Hiſpaniarum, & circumvicinas Romanorum regiones omnes. Et deperdidit Deus Simonem Magum precibus eius, ac puris orationibus. Atque euangelgata eſt Fides per vniuerſam terram illam mediante ipſius ſanctitate, puritate, & benignitate.*

Notandum eſt, ea verba: *Et crediderunt Ciues illius omnes per manus eius, & Chriſto nomen dederunt*, non eſſe intelligenda de conuerſione omnimoda, & actuali, ſed cauſali, quia ipſe fuit cauſa iaciendo fundamenta Fidei, & ſeminando bonum ſemen, vt omnes ſucceſſu temporis conuerterentur. Hoc liquidò indicant verba hæc: *per manus eius*, id eſt mediante ipſo, ſeu illo cauſa conuerſionis omnium.

Hiſtoria, ſeu præfatio Concilij Nicæni, quæ præfixa legitur omnibus Orientalium Editionibus, in recenſione Hæreticorum hiſce exorditur verbis:.......

Hæc eſt recenſio omnium hæreticorum veritati aduerſantium, Primus illorum eſt Simon Magus, qui Romæ fuit tempore Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Eutychius Alexandrinus in Chronico ſuo, ſub Caio Cæſare hæc de Petri Romana profectione ſcribit:........

Et profectus eſt Petrus Romam anno ſecundo Imperij Caij Cæſaris. Et in Nerone:..... *Tempore autem Neronis Cæſaris ſcripſit Petrus Princeps Apoſtolorum Euangelium Marci per Marcũ Romanè in vrbe Roma, & tribuit illud Marco.* Rursùs infra:........ *Et ſuffectus eſt poſt Petrum Linus Patriarcha Romæ.*

Martyrologium Ægyptium ſub die 29. Menſis Hatur, qua die Martyrio coronatus eſt D. Clemens Romanus Pontifex, clariſſimis teſtatur verbis, D. Petrum Romæ fuiſſe, & Chriſtianam ibi prædicaſſe Fidem.......

Hac die Martyrium conſecutus eſt magnus S. Clemens Papa Romæ. Sanctus iſte erat Romanus ex regali proſapia, quem erudierunt parentes, & omnem Græcorum docuerunt illum ſapientiam. Annunciantis autem Petri Romæ cùm audiſſet hic Sanctus famam, & magnitudinem ſignorum, quæ faciebat, ad ſuum accerſiuit eum Conciſtorium, & ſatis copioſam cum illo iniuit diſputationem, in qua demonſtrauit ipſi Apoſtolus vanitatem cultus Idolorum.

In quadam Homilia de Commemoratione B. Virginis ſub nomine D. Baſilij, quam ſupra citauimus, aſſeritur D. Petrum Roma ad Corinthios translatum eſſe per nubem ad litem decidendam, quæ inter fideles exorta erat de extruendis, dicandiſque Virgini Deiparæ Templis. Verba ipſa ſunt:..... *Erant autem congregati in domo Ariſtarchi orantes eo in loco, & ecce nubes adduxit Petrum Roma, & in medio eorum poſuit.*

D. Cyrillus Hieroſolymitanus aliquid ſimile habet in Homilia de obitu Virginis. Aſſerit quippè Virginem Matrem iamiam ex hoc mortalium ergaſtulo migraturam ſummo flagraſſe deſiderio SS. Apoſtolos ante diſceſſum videndi. Quamobrem Chriſtum filium enixè deprecatam fuiſſe, vt eos ſibi ex hac vita diſcedenti adeſſe iuberet. Idcirco nubes....

Adduxit Petrum Roma, Paulum ex Cicilia, & Thomam ex Indijs.

Mashudus Mohammedanus Hiſtoricus, in ea Hiſtoria, quam inſcripſit..... *Prata aurea*, Petrum, & Paulum Romæ occiſos eſſe ſcribit:............ *Et occiſi ſunt Petrus, & Pau-*

lus in Vrbe Roma. Et paulò poſt : ....

Tum regnauit Romæ Claudius 14. annos; & is primus fuit Romanorum Imperator, qui promulgata lege Chriſtianos, & Chriſti ſequaces, (quibus pax) occidi iuſſit. Quidam eius diebus Petrum, & Paulum interfectos fuiſſe ferunt, Cruci affixos capite inuerſo. Iſti autem ſunt, qui Antiochiam venerunt, quemadmodùm de illis retulit Deus cap. .... (in Alcorano capite notato ijs literis, de quibus multa Mohammedani in Commentarijs Alcorani garriunt) *Deindè excitatum eſt illis maximum ædificium, & id poſt promulgationem Chriſtianæ Religionis Romæ, & reconditi ſunt in Cryſtallino monumento, in quo ſtatu permanent in Vrbe Roma quadam in Eccleſia ad hęc vſque tempora. Verumtamen qui maiorem impenderunt curam in concinnandis Mundi hiſtorijs, &* (Romanorum) *Imperatorum deſcribendis geſtis, & Annalibus, in eam abeunt opinionem, quòd Romæ occiſi ſint in quinta occiſione.*

Idem ruſsùs paulò poſt : ....

Tùm regnauit Romanis Nero, & fertur, ſub eius imperio occiſos fuiſſe Romæ Petrum, & Paulum, creuitq; Romæ Chriſtiana Religio, & eſt Sedes totius Chriſtianitatis, & ad illam omnia Religionis eorum reducuntur negotia. Item in Tract. inſcripto : .... *De notitia Menſium Gentium :* .... *Supra autem retulimus res geſtas Petri, & Pauli, & quæ illis Romæ euenerunt.*

Salomon Metropolita Euphratis Miſanis Neſtorianus in compendio vitarum duodecim Apoſtolorum, & 72. Diſcipulorum, de B.Pe-
, tro ſic ſcribit : .... Simon fuit de Beth-
, ſaida, ex tribu Nephtali. Hic prædicauit
, priùs Antiochiæ, & ædificauit in ea Eccle-
, ſiam omnium Eccleſiarum primam, in do-
, mo Canſinæ, cuius reſuſcitauerat filium, &
, manſit in ea annum vnum; & ibi Diſcipuli
, Chriſtiani vocati ſunt. Indè Romam aſcen-
, dit, vbi fuit per annos 27. & Cruci affixit il-
, lum Nero capite inuerſo.

In officio S. Petri, & Pauli, quo vtitur Neſtorianorum Eccleſia, hæc leguntur, ... reſponſoria ....

Inſtar Leonis rugijt Nero, vt eos terreret;
Quem Petrus, & Paulus vt culicem habuerunt per aera tinnientem.
Præcepit audax Nero maledictus, & interfecit eos;
Duos fratres, filios deliciarum Petrum, & Paulum.
Hic eſt Simon, cui ter Dominus dixit.
Paſce mihi Agnos meos, paſce mihi oues meas ſimplices.
Hic eſt Paulus, qui blaſphemabat nomen Ieſu.
Nunc verò prædicat, & edocet gentes, vt in eum credant.
Simon prædicauit inter Romanos nouum hoc Euangelium.
Diuinitas corpore induta eſt, vt omnes viuificaret.

Item rurſùs hæc alia.

....

Cùm ingreſſus eſt Simon ſanctus Romam.
Inuenit Simonem Magum abominabilem, & reprobum.
Seducentem homines verbis ſuis odibilibus,
Omneſque dementabat Hebreos,
Dicens illis : Ego ſum filius Altiſſimi.
Repentè venit currus eo momento,
Rapuit Simonem Magum, & extulit per nubem.
Inſurrexerunt Romani in Petrum cum ira, & zelo,
Lapides in manibus habentes, oribus fulminantibus,
Dicentes omnes : Hic certè filius eſt Dei :
Extulit Sanctus ſurſùm manum in Cælum,
Et obſignauit ſigno Crucifixi adorandi viui,
Fugerunt Dæmones omnes,
Et reliquerunt maledictum Simonem in interitum.

Hebedieſu Metropolita Sobæ, & Armeniæ in præfatione Collectionis Canonum hæc de profectione D. Petri Romam habet : ....
, Suſcepit Apoſtolicam impoſitionem manus
, Sacerdotij Antiochia, tota Syria, Cilicia, &
, Galatia vſque ad Pontum à Simone Petra,
, ipſe enim poſuit fundamentum illius Eccle-
, ſiæ, & Sacerdotes inſtituit, (ſiue Sacerdotali
, functus eſt munere, & miniſtrauit ibi vſque
, ad tempus, quo aſcendit Romam propter
, Simonem Magum, qui ſuis Magicis artibus
, Romanos decipiebat. *Eiuſmodi autem multa*
, *occurrunt apud eundem Auctorem.*

In tertio officio Pentecoſtes Eccleſiæ Iacobitarum hæc leguntur verba : ....
, Factum eſt Cœnaculum inſtar Eccleſiæ, &
, Spiritus ſanctus magiſter, & linguas regio-
, num didicerunt omnes. Didicit Simon lin-
, guam Romanam, didicit Thomas linguam
, Indiarum. *Et paulò poſt :* ....
, Duodecim Piſcatores benedicti ex Cœnacu-
, lo egreſſi ſunt & ab extremitatibus terræ vſq;
, ad extremitates rete ſuum extenderunt; ex-
, tendit illud Simon Petra a Roma, & Thomas
, Apoſtolus à terra Indiarum, extendit illud
, Ioannes electus ab Epheſo.

Sanctus Ephrem Syrus in nocturno Officij de obitu B. Virginis, quo Maronitarum vtitur Eccleſia, in tono, *Surge Paule*, ſic ca-
, nebat : .... Dic mihi Simon : quis te
, adduxit Roma vſque Ieruſalem? quis te in-
, uitauit, vt venires ſepelire Virginem pudi-
, carum pudiciſſimam? Spiritus Sanctus me
, inuitauit, & dixit mihi: Ecce mater Domini
, tui moritur, & mandatur ſepulturæ, & inſtar
, fulguris repentè orientis me adduxit etiam
, ad Gethſemani. *Ibidem in proœmio Comple-*
, *torij :* .... Beata es, quoniam Ecce Vigiles
, ſublimes optant te videre; & ianuæ Cælorum
, patent ad ſuſcipiendum te : & ex omni loco,
, & finibus Apoſtoli veniunt ad obitum tuum;
, Simon Roma, Ioannes Epheſo, Thomas ex
, Indijs. *Eiuſmodi paſſim in eodem Officio repe-*
, *tuntur.*

Chriſtianorum Orientalium, & Mohammedanorum teſtimonijs Samaritarum accedit quoque teſtimonium, quorum Auctor Chronologiæ, (quæ Arabicè Mns. in celeberrima toto Orbe Eminentiſſimi Cardinalis Mazzarini Bibliotheca adſeruatur) refert diſputationem, quam Romæ cum Simone Mago Samarita D. Petrus habuit. Verba ipſa modò non proferimus, quia nobis non extant. Ea enim, neſcio quo infortunio ex noſtris exciderunt Aduerſarijs, ideò Aduerſarios, qui minus fidem nobis habent, eò remittimus. Ioannes Henricus Hottingerus Tigurinus ad calcem exercitationum ſuarum Antimoriniarum

narum

narum in Pentateuchum Samaritanum, huius Chronologiæ compendium adnectit ex Codice Ioſephi Scaligeri, ſed locum illum ex more præterit ſub ſilentio, quia Malignantium grauiter ferit Synagogam, in qua & ipſe Archiſynagogus eſt.

His omnibus conſonant Patres omnes tam Græci, quàm Latini. Ex quibus audiamus modò vnum Euſebium in Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 14. *Continuò*, inquit, *in ipſis Claudij temporibus clementia diuina prouidentia probatiſſimum omnium Apoſtolorum, & maximum Fidei magnificentia, & virtutis merito, primorum Principem Petrum, ad vrbem Romam velut aduersùs generis humani communem perniciem repugnaturum deduxit. Ducem quendam, & Magiſtrum militiæ ſuæ, ſcientem diuina prælia gerere, & virtutum caſtra ductare. Iſte adueniens ex Orientis partibus, ſalutaris prædicationis verbo, primus in Vrbe Roma, Euangelij ſui clauibus ianuam regni cæleſtis aperuit.*

Egeſippus hiſtoricus antiquiſſimus hoc idem affirmat lib. 3. cap. 2. dicens: *Erant tunc temporis Romæ Petrus, & Paulus Doctores Chriſtianorum, ſublimes operibus, clari magiſterio, qui virtute ſuorum operum Neronem aduerſum fecerant, captum Magi Simonis delinimentis, qui ſibi animum eius conciliauerat.*

S. Irenæus lib. 3. aduersùs Hæreſes, (vt refert Euſebius in Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 6.) ſcribit: *Matthæus quidem Hebræis propria eorum lingua conſcriptum edidit Euangelium; cùm Paulus, & Petrus in Vrbe Roma euangelizarent.*

Origenes item apud Euſebium lib. 3. cap. 1. Explanationum Geneſis ita loquitur: *Sancti Apoſtoli Domini, & Saluatoris noſtri, cæterique diſcipuli ad prædicandum Verbum Dei per ſingulas quaſque orbis terræ prouincias dimittuntur. Thomas (ſicut nobis traditum eſt) ſortitus eſt Parthos, Matthæus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam citeriorem, Andreas Scythiam, Ioannes Aſiam. Vnde & apud Epheſum, & commoratus eſt, & defunctus, Petrus Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, cæteraſque confines prouincias, Iudæis duntaxat prædicans circuiſſe deprehenditur, & ad vltimum in Vrbe Roma commoratus, vbi crucifixus eſt deorsùm capite deuerſo, quod ipſe ita fieri deprecatus eſt, ne exequari Domino videretur.*

Hoc idem tradit Tertullianus ille Afer in libro *De Præſcriptionibus Hæreticorum*, Ignatius Tertulliano maior in Epiſtola, quam Smyrna dedit ad Romanos, Cyprianus in Epiſtola ad Cornelium Papam. Lactantius Firmianus lib. 4. Diuinarum Inſtitutionum c. 21. Aurelius Prudentius in Carminibus de paſſione Petri, & Pauli, ac alij permulti Patres, & Scriptores, quos conſulere poteris apud Ioannem Cochlæum Tract. aduersùs Velenum. Vide doctiſſimi Cardinalis Gregorij Corteſij Tractatum aduersùs negantem Petrũ Apoſtolum Romæ fuiſſe. Vide Baronium, vide Sirletum, vide alios ſi lubet, ſi vacat.

Aduersùs hanc itaque Aduerſariorum ſententiam, ne dicam impudentiam, Chriſtianus vterq; clamat Orbis, ſuffragantur Mohammedani, accurrunt Samaritani, voces edunt quoque ſuas vel ipſa ſaxa, lapides, marmora, cœmeteria, flumina, carceres, vincula, fontes, ſacella, monumenta, Baſilicæ, ac infinita propemodùm alia eiuſmodi veſtigia.

Damnandi ergo ſunt, qui negant D. Petrum Romæ fuiſſe, naturæ legis decreto, & voce terrendi, & ambigendi, cùm omnium gentium conſenſio in quacunque re lex, & vox naturæ ſit putanda, vt rectè ait M. Tullius, niſi tamen ita obduruerint Aduerſarij, vt naturam omnem exuerint.

Suntne hæc Paparum, ex quorum commentitijs libris omnes probant Papiſtæ diſputationes, quemadmodùm effutit Sibrandus lib. 8. de Papa Romano cum Symmyſtis? Dicant audacter, ſententiam proferant. Vnius tantùm ex Orientalibus Scriptoris, vt de alijs taceam, producant hac de re vel vnum teſtem, Chriſtianus ille ſit, vel alterius ſectæ. Sed ſanè cùm nequeant, ac ſe ſua excidiſſe cauſa videant, deſerunt Orientales, ad quos profugerant, & appellauerant, & ad Logicæ confugiunt ſyllogiſmos, ſeu potiùs paralogiſmos, & fallacias, ſibi præſidium indè quærentes in re, quæ nullis Dialecticæ ſubiacet legibus, & regulis, quia eſt facti.

Porrò audiamus ex horum agmine Goliat, nimirùm Sibrandum (grande, ac reſonans nomen!) qui eiuſmodi inſtructus armis, & exprobrans agminibus Iſrael, putat iam ſuis paralogiſmis rem eſſe confectam, pàrtamque victoriam, nihilque illi ſupereſſe, quàm de Eccleſia Romana agere triumphum, cùm adhuc expectanda ipſi ſit funda, & lapis.

Argumentum, ſeu Syllogiſmus, quo omnes Scriptores, & Hiſtoricos, qui Petrum Romam profectum fuiſſe teſtantur, tamquàm vnico ictu profligare putat; eſt eiuſmodi: *Non conueniunt Scriptores, quo tempore Petrus Romam profectus eſt; Ergo non eſt profectus Romam.*

Vide quæſo, quàm acutùm ex illo antecedente ſuam infert hanc concluſionem, quam nonniſi Hypſæa cæcior videt, vndè proſiliat. Et miror quidem, ni ferula illum excepiſſet Petrus Molinæus, & ad ſuæ Dialecticæ abegiſſet introductionem, quam magni faciunt Proteſtantes. At bonum Molinæum valdè ſibi cauiſſe, traditur, quia experientia didicit, hanc aleam periculo plenam eſſe, vt in Synodo Nationali à Miniſtris Galliæ reformatis, (vt dici amant) in Briuas celebrata an. 1612. exponit ipſemet. Seriò quippè diſcutiebatur à grauibus Patribus illis ea in celebri Synodo, num liceret Profeſſoribus Logices, diſcipulos, ſi quandò deliquiſſent, virginis excipere? Molinæus ſecundum Synodi à Chamerio tunc caput, grauibus verbis dixit: Se Lugduni Batauorum Logicam olim profeſſum, ſed nunquàm virga in quemquam animaduertiſſe, ac ne cogitaſſe quidem; ſi quid enim huiuſmodi tentaſſet, ſe non impunè habiturum fuiſſe apud diſcipulos. Si itaque Molinæus in diſcipulos Logices animaduertere ſibi cauit, multò magis in Sibrandum iam grauem Doctorem, & Theologum, & Logicæ Profeſſorem. Sed profectò haud incaſtigatus dimittendus omninò eſt, ne in tam turpes inducat alios errores; at non docti magiſtri alicuius ferula, verùm rudis, & imperiti Orientalis animaduerſione, vndè clariùs pateſcat, quàm miſerabilis eum teneat *ignoratio veri*.

Quamobrem ſcias Dialecticæ profeſſor Sibrande vnà cum tuo Veleno, à fortè hanc didiciſti ſyllogizandi formulam, ex puris negatiuis, quemadmodùm etiam ex puris affir-

matiuis nihil ſequi, vt ipſa nos docent Logicæ rudimenta. Proindè ſi quis ita argueret ex affirmatiuis: *Aſinus eſt Animal, Sibrandus eſt animal, ergo Sibrandus eſt Aſinus*, nihil omninò concluderet, & falſa eſſet illius conſequentia. Item in negatiuis: *Aſinus non eſt rationalis, Sibrandus non eſt Aſinus ergo Sibrandus non eſt rationalis*. Admittis ne Sibrande Syllogiſmi huius conſeqoentiam? certè non, ni tamen fallor. Prætereà oon benè arguitur à parte ad totum, vt: *Non venit Petrus Romam ſecundo Claudij anno, ergo nunquàm*. Diſce ergo de alijs meliùs loqui, & ne logicaſtrum agere pergas, & Chriſto Domini detrahere.

Adhuc quis vel tyro non videt, medium terminom in hoc tuo argumento non diſtriboere eodem modo in antecedente, ac in conſequente, adeoque vitioſam eſſe hanc tuam argumentationem, & quod indè ſequitur? Et enim dioerſitas, quæ ioter Scriptores eſt, non verſatur circa profectionem Petri Romam, ſed circa tempus profectionis. Proinde verò ex hac ſyllogizandi formula, ſi admittatur, infinita propemodùm ſeqnerentur in ipſis Fidei fundamentis abſurda, Controuertitur imprimis inter Scriptores, quoto Octauiani anno Chriſtus Dominus natus ſit; ſequitur ne indè: ergo Chriſtus natus noo eſt? Ambigunt ijdem Scriptores, quoto Tiberij anoo Chriſtus Cruci affixus mortuus eſt; Inferre ne licebit per illam tuam ſyllogizandi formulam: Chriſtus ergo neque Cruci affixus fuit, neque mortuus? Plurimùm ſanè hæc Proteſtantica Logica, & argumentatio arrideret Baſilidi, & Pſeudoprophetæ Mohammedi, Baſilidi quia egregiè ex hac Scriptorum diuerſitate per Sibrandi Logicam ſuam roboraſſet ſententiam, qui affirmabat, Chriſtum minimè mortem in Cruce perpeſſum fuiſſe, auctoribus D. Iren. lib. 1. cap. 20. Epiphan. Hær. 24. Mohammedi, quia ita in ſuo aſſerebat Alcorano io ...... capite *De Mulieribus*:

....

Dicunt autem (Iudæi) *nos vtique occidimus Chriſtum Ieſum filium Mariæ, Dei Apoſtolum; ſed verò neque occiderunt eum, neque crucifixerunt, verùm aſſimilatus eſt eis. Qui autem de illo diſſentiunt, ac dubitant, nullam aliam de ipſo habent ſcientiam, quam ſequendo opinionem. Renera autem eum non interfecerunt; ſed ſuſtulit illum ad ſe Deus*. Aſſimilatus eſt eis, hoc eſt Iudæis. Fabulantur quippè Mohammedani, Deum cuidam homini Chriſti domini ſimilitudinem, & ſpeciem indidiſſe, quem Iudæi apprehendentes Cruci loco Chriſti affixerunt, Chriſtum verò in Cælum ſublatum à Deo fuiſſe. Quis autem fuit ille, qui loco Chriſti Ctuci affixus fuit non conueniunt inter ſe Mohammedanorum Scriptores. Quidam enim arbitrantur, hunc quemdam fuiſſe Diſcipulorum, qui ſpontè ſe obtulit ad mortem obeundã pro Chriſto Domino ſic ſcribit .... *Alcaſciaf* In Alcoranum, Chriſtum ita Diſcipulos alloquentem inducens.

....

Cui veſtrum placet, vt indatur ei ſimilitudo mea, & occidatur, ac crucifigatur, & ingrediatur Paradiſum? & ait quidam eorum: Ego, & indidit ei Deus ſimilitudinem eius, & occiſus eſt, atq; crucifixus: proiodè ſubdit idem Auctor: ....

Ipſi autem (Iudæi) *putant eſſe Ieſum*. Alij arbitrantur, Deum indidiſſe Chriſti ſimilitudinem, & ſpeciem ei, qui illum tradidit, de qua re ſic Iſmael Sciahinſciah in Hiſtoria gentium cap. de Chriſto, & Maria: .... *Deinde dixit eis: Amen dico vobis, quia vnus veſtrum negaturus eſt me antequam cantet Gallus, & alter veſtrum venditurus eſt me paucis denarijs, & comedet pretium meum. Iudæi autem ſtudioſè illum perquirebant, & venit quidam Apoſtolorum ad Herodem Præſidem Iudæorum, & ad Iudæorum aliquos, & dixit: quid conſtituetis mihi, ſi oſtendero vobis, vbi eſt Chriſtus? qui conſtituerunt illi triginta drachma, quas accipiens oſtendit eis, vbi erat. Et ſuſtulit Deus excelſus ad ſe Chriſtum, & indidit illius ſimilitudinem ei, qui oſtendit illum eis*. Multa alia eiuſmodi, riſu potius digna, quam narratione, fabulantur, quæ oonniſi Sibrandi Logica, & argumentatione comprobari poſſunt.

Ambigitur tandem, & inter Scriptores non conuenit, quota noctis hora Chriſtus Dominus reſurrexit: inferret ergo Sibrandus cum Symmyſtis: Chriſtum minimè reſurrexiſſe, dicentque cum Iudæorum Satellitibus: *Diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus*? Viden' Sibrande, omnia tua argumenta meram eſſe fallaciam, & paralogiſmos, quæ recta in Mohammediſmum, & Iudaiſmum te deducent, niſi tamen ſpontè, & cooſulto eo contendis?

Multo ſane rectius, meo iudicio, & ſine vlla fallacia eiuſmodi proponi poteſt ex certiſſimis Logicæ principijs argumentum. *Proteſtantes non conueniunt inter ſe in Fidei articulis: Ergo Proteſtantes ſunt infideles*: Deiode aſſumo: *Sed Sibrandus eſt Proteſtanticus: ergo Sibrandus eſt infidelis*. Antecedens ſi probetur, cætera inde ex Sibrandi Logica rectè ſequentur. Sed antecedens eſt omnium fere Proteſtantium: ergo. Vt autem cæteros omittam, breuitati conſulens, vnius Bezæ, cui plurimum deferunt Aduerſarij, teſtimonio contentus ero. Is autem de Proteſtantium ſuorum diſcordia in omnibus quæ religionem ſpectant, ita ſcriptum reliquit io Epiſt. 1. ad Andream Dudithium: *In quo tandem religionis capite congruunt inter ſe Eccleſiæ, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? à capite ad calcem ſi percurras omnia, nihil propemodum reperias ab vno affirmari, quod alter ſtatim non impium eſſe clamitet*. Concluſionem hic inferat Sibrandus. Diſſidia hęc Proteſtantium oon verſantur circa rerum accidentia, vti ſunt illa Scriptorum circa D. Petri Romanam profectionem; ſed circa res ipſas, earumque ſubſtantiam, adeoque recte procedit ooſtra argumentatio. Quamobrem iure merito ſuum inſcripſit libellum D. Pompeius de Ribemont nobilis Gallus, *Le Myſtere d' Infidelité*, in quo Aduerſarios planè infidelitatis conuincit. Eius momenti ſunt Aduerſariorum argumenta, nempe pure negatiua, poſitiui nihil: Auctores noo conueniunt, quo tempore: Paulus non ſalutat Petrum, & huius generis alia. Sed ad concluſionem huius operis accedamus, & euincamus iterum hûc Primatum tam ex Orientalium teſtimonijs, & principijs, quam ex ipſorum Aduerſariorum confeſſione.

CAP.

CAPVT XXVI.

In quo iterum Romani Pontiſicis euincitur Primatus alijs Orientalium teſtimonijs.

HActenus demonſtratum eſt Orientalium teſtimonijs, D. Petrum à Chriſto Domino conſtitutum eſſe totius Eccleſiæ Caput, Principem, ac vniuerſalem ouium Paſtorem, eundemque eſſe Petram illam ſupra quam ſuam fundauit Dominus Eccleſiam. Itemque plene demonſtratum fuit, Romanum Pontiſicem D. Petro in eodem officio, munere, ac principatu ſucceſſiſſe; adeoque eandem habere nunc poteſtatem, ac iuriſdictionem in totam Eccleſiam, vt ſuo tempore ipſe Petrus habebat. Quandoquidem cum æternum duratura ſit Eccleſia, ſine capite eſſe certe nequit, proinde Petro debet aliquis ſuccedere, & ſic deinceps vſque ad conſummationem ſęculi. Quod & ipſe Dominus clare hiſce nobis: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſęculi.* Quæ Domini verba ſic in hanc rem explicat Abnallaſſalus in Præſatione Collectionis Canonum .... *Principium autem in quo conſiſtit huius ſenſus ſumma, eſt id Domini noſtri aſſertum ad ſuos Apoſtolos*: Ite & docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & docete eos quæcunque mandaui vobis; & ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. *Notum autem eſt, illos minime manſiſſe in Mundo ſemper Planum ſit igitur, eum hiſce verbis innuiſſe illorum Succeſſores, qui funguntur ei munere Apoſtolatus loco ipſorum.*

Ex his igitur conſequens erit, eum totius Eccleſiæ Caput, principem, & vniuerſalem eſſe Paſtorem, qui loco Petri ſuccedit, & ei (nempe Chriſto Domino) pro Petro munere, & officio fungitur Apoſtolatus in tota Eccleſia vſque ad conſummationem ſęculi duratura. Ex quo ſanctiones, & decreta ab vniuerſa Eccleſia in generalibus conſtituta, & ſancita Concilijs Romano attribuuntur, ac ſi ſolus ea ſanxiſſet. Quod ſane non recte aſſereretur, niſi ratio haberetur, Capitis, & Paſtoris, ac moderatoris vniuerſalis. Qua de re audiatur Martyrologium Alexandrinum ſub die 7. menſis Tube, in quo feſtum S. Silueſtri Romani Pontificis celebratur...........

, Hac die requieuit Pater Sanctus Silueſter
, Papa Romæ. Hic Pater ob eximias eius
, virtutes, religionem, ac multiplicem do-
, ctrinam in Patriarcham Romanum ſuffe-
, ctus fuit poſt obitum Melchiadis ad Chri-
, ſtum. Quod autem factum eſt anno vndeci-
, mo Imperij Conſtantini; & cum ſediſſet ſu-
, per Sedem Petrinam baptizauit Conſtanti-
, num. *Et paulo poſt*. Et anno ſeptimo eius
, Principatus fuit cõgregatio ſanctorum Pa-
, trum 318. Nicææ, & maledixit Arrium, at-
, que anathematizauit vna cum omnibus in
, eius concedentibus ſententiam.

Iuxta eundem hunc ſenſum atque mentem intelligenda quoque veniunt ea D. Ioannis Maronis verba, quibus poſt eruditiſſimam præfationem ſic ſuam Controuerſiam aduerſus Monophyſitas ex Patrum auctoritatibus, ac teſtimonijs contextam exorditur .... *Accedat primus S. Silueſter Epiſcopus Romæ, qui habetur Caput, ſeu Princeps Synodi Nicænæ.*

Item Martyrologium Alexandrinum ſub die 15. menſis Chihac, vbi poſtquam multis egit de laboribus, quos perpeſſus eſt S. Gregorius Armenorum Epiſcopus pro Chriſtiana Religione, necnon de miraculis ab eo perpetratis, hæc ſubdit: ....

, Hæc autem cauſa fuit conuerſionis Armeno-
, rum ad Fidem. Quamobrem ab eo (*Gregorio*)
, petierunt, vt illos baptizaret; qui ait illis:
, mihi non licet, cum non ſim Sacerdos. Id-
, circò miſerunt Nuncios ad regionem Luniæ
, cum literis ad Imperatorem ſignificantes ei
, ſe reuerſos eſſe ad Dominum; & rogaue-
, runt illum, vt Gregorium ipſis in Patriar-
, cham initiaret. Erat autem Patriarcha eo
, tempore Silueſter Papa Romæ; miſeruntque
, cum Nuncijs multa munera vna cum S. Gre-
, gorio. cum autem eo veniſſent, & literas le-
, giſſet Imperator, & Patriarcha, gauiſi ſunt
, ob Armenorum cõuerſionem ad Dominum,
, & conſtituit eis Gregorium in Patriarcham.

Nota in hiſce teſtimonijs. Quomodo Sedes Romana dicitur Petrina, ſiue Petri; vnde Pontifices Romani Petri ſunt Succeſſores, Quomodo condemnatio, & anathematizatio Arrij ad ipſum Romanum refertur Pontificem licet abſentem, non autem ad Concilium, quemadmodũ parta victoria Duci adſcribitur, & Imperatori. Quomodo Silueſter caput habetur, & Princeps Nicænæ Synodi, licet abſens, quod auctoritatiue neceſſario intelligendum oportet. Quomodo Romanus Pontifex abſolute, & per antonomaſiam Patriarcha dicitur. Quomodo ad Romanum Pontificem deſtinata fuit legatio, ab eoque poſtulatum fuit, Gregorium ſacris initiaret ordinibus, quod potius (ſi Patriarcharum iurium ratio habenda ſit) ad Antiochenum ſpectabat, cuius Diœceſis Armeniam complectitur cum reliquis Orientis prouincijs, Tota res tamen ad Romanum delata fuit Pontificem, vt vniuerſalem Eccleſiæ Caput, & Paſtorem.

Ex Mohammedanis accedat nunc vnus Mashudus in hiſtoria inſcripta .... *Prata aurea*, capite......... *De cognitione, ſeu notitia menſium Gentium*: ....

, Patriarchæ autem apud Chriſtianos qua-
, tuor ſunt. Primus illorum eſt Dominus Ro-
, mæ. Secundus verò Dominus Conſtantino-
, poleòs, quæ eſt Epheſus, cuius antiquum
, nomen Byzantium. Romæi autem hac no-
, ſtra, qua ſcribimus, ætate, illam per anto-
, nomaſiam appellant Regiam. Tertius eſt
, Dominus Alexandriæ terræ Aegypti. Quar-
, tus demum Dominus Antiochiæ, quæ eſt
, Petri. Exordium autem ceperunt ab Roma,
, quia eſt Petri, & finem impoſuerunt Antio-
, chia, quia eſt Petri.

Nota. Hic Auctor confundit Byzantiũ poſtea Conſtantinopolim cum Epheſo, cum hæc ſit Ciuitas Ioniæ illa vero Thraciæ. Niſi tamen illis verbis innuere velit Patriarchatum, non ipſas vrbes, ex Canonibus 38. & 41. Arabicis Concilij Nicæni, quorum primi hęc ſunt verba: .... *Transferatur Patriarchatus*

Epheſi ad Vrbem Imperialem, vt habeat Imperij, & Sacerdotij ſimul honorem. Alterius verò hęc: ....*Poſt hanc autem ſeſſionem factus eſt Patriarchatus Domini Epheſi Domino Conſtantinopoleos, & factus gradu ſecundus, & Dominus Alexandia tertius*. Cuius autem momenti, & auctoritatis ſint hi duo Canones, non diſputo, nec ad noſtrum ſpectat id præſens argumentum; ſed refero, vt inde facile deprehendatur, vnde originem habere potuit Mohammedani huius Scriptoris error, & lapſus.

Auctor Geographiæ Nubienſis par. 2. Clim. 5. agens de Vrbe Roma hęc de Romano Pontifice ſcriptum reliquit: .... *Vrbs Roma eſt baſis è baſibus Nazaræorum*, (id eſt Chriſtianorum) *eſt enim Sedes maior quatuor Sedibus, & Antiochia eſt Sedes, & Alexandria quoque Sedes, & in Domo Sancta* (Hieroſolymis) *Sedes*.

Hæc referens Conſtantinus l'Empereur in Notis ad Itinerarium Beniamini Iudæi Romanum Pontificem appellantis, *Caput, & maximum Principem totius Religionis Chriſtianorum*, ſic cum Nubienſi Geographo hanc obſeruat Eccleſiaſticam Politiam. *Nubienſis*, inquit l'Emporeur, *Eccleſiaſticam Politiam conſiderans, Romam non omnium Chriſtianorum caput; ſed vnam è columnis Chriſtianorum eſſe, dicit*: .... id eſt *Columna eſt*, inquit, *è columnis Nazaræorum, id eſt Chriſtianorum. Qui paragraphus obſeruatione dignus: quandoquidem conditionem Eccleſiæ nobis exprimit; dum alias etiam tres Eccleſias ipſi aſſociat, vt officio, & poteſtate conſortes, licet Romanam Sedem magnitudine præcellere dicat, verba ſubijcere non grauabor, quo res fiat liquidior*. .... Id eſt, *Ipſa eſt Sedes maxima inter Sedes quatuor, & Antiochia Sedes eſt, & Alexandria etiam Sedes, & in Domo ſancta* (id eſt Hieroſolymis) *Sedes*. Hæc ille.

Hic multiplicis criminis, & malitiæ reus agitur Conſtantinus iſte. Nam cur magis illi obſeruatione dignus eſt Paragraphus ille Nubienſis Geographi, quo Romam vnam è Columnis Chriſtianorum dicit, & non omnium Chriſtianorum Caput, quam illum ſui Auctoris, Beniamini, quo eundem Romanum Pontificem *maximum Principum totius Religionis Chriſtianorum*, appellat? Verba, & ego ipſa ſubijcere non grauabor: .... Id eſt ex eiuſdem Conſtantini interpretatione: *Hinc* (ab vrbe Luca) *ſex dierum itinere abeſt vrbs illa maxima Roma caput regni Idumæorum.* (*id eſt Chriſtianorum*) *Hic ducenti fermè Iudæi viri honorati, nemini tributum pendentes, inter quos ſuos habet miniſtros Papa Alexander, qui maximus eſt Princeps totius Idumæorum Religionis Præfectus*. Idem infra agens de Bagdado, ſiue Babylone, & Mohammedanorum Calipha hæc ſubijcit: .... &c quæ ſic idem Conſtantinus: *Hic* (*id eſt Calipha*) *Mohammedanorum Religionis Antiſtes eſt, ipſique omnes Mohammedani reges faſces ſubmittunt: Iis enim eodem modo præeſt, quo Papa Chriſtianis*.

Cur ergo hunc ſuum, quem præ manibus habebat Conſtantinus iſte illuſtrandum notis auctorem, deſeruit, & ad Nubienſem profugit Geographum? forſan quia iſte conditionem Eccleſiæ Conſtantino exprimit, dum alias etiam tres Eccleſias Romanæ aſſociat, vt officio, & poteſtate conſortes? bene quidem. Sed cui harum quatuor Eccleſiarum eſt addictus Conſtantinus l'Empereur? forſan omnibus quatuor ita ſimul ſibi aſſociatis? Sane mendaciſſimus circulator comperietur garrulus iſte Caluiniſta, quicquid dicat, quia omnes iſtæ quatuor Eccleſiæ, vel ſic aſſociatæ, vel ſeorſim acceptæ toto Cælo diſſident, & abhorrent à Proteſtantium omnium dogmatibus, ac nouitatibus, nec in vno quidem conueniunt cum illis ex eis Religionis articulis, quos in diſputationem nuper reuocarunt. Vel in hoc ſpectandum ſit Sacrificium Miſſæ, vel ſeptem Sacramentorum numerus, vel Eccleſiaſtica Hierarchia, vel Sanctorum inuocationes, honores, imagines, vel Purgatorium, vel ſuffragia pro defunctorum animabus, & huiuſmodi alia. Hæc non teſtimonio Orientalium alicuius confirmanda nobis sūt; ſed vnius Dauidis. Chitræi ex Proteſtantium grege, & numero ſcriptoris, qui in Oratione inſcripta: *De ſtatu Eccleſiarum hoc tempore in Græcia, Aſia, Africa, Aethiopia, Armenia* &c. Francofurti an. 1580. impreſſa ſic loquitur, ſic teſtatur: *Apud omnes eas gentes cuncta eſſe Miſſarum plena, Sacramenta ſeptem diſpenſari, Eccleſiam per Hierarchiam à Patriarchis in Archiepiſcopos, Epiſcopos &c deſcendentem adminiſtrari. Sanctis inuocationes, honores, imagines, ſaltem pictas adhiberi. Tria loca morientium diſcerni, vt tertius media conditione inter beatos, & damnatos collocetur. Applicari Sacrificium Miſſæ pro viuis, & mortuis, honorarium pro Miſſis dari, pro Baſilij quidem Miſſa duos aureos, Chryſoſtomi vero paucos denarios. Maritos Sacrificio fungi, ſed monogamos duntaxat. Coniugium intra ſeptimum conſanguinitatis, & affinitatis gradum, & in ſecundo affinitatis genere intra quartum, in tertio intra ſecundam Conſtātinopoli. 20. eſſe Chriſtianorum Templa, vigere, & illic Senatum, ſiue Collegium duodecim Sacerdotum, cum quo Patriarcha communitatis ſententijs per inferiorum graduum Paſtores, res Eccleſiaſticas gubernet*.

Hæc omnia earumquatuor Eccleſiarum dogmata ita reijciunt Proteſtantes, è quorum numero eſt Conſtantinus iſte, vt nec veſtigij ſane quicquam ſit diſcernere apud eos. Quid ergo Conſtantino iſti commune eſt cum harum Eccleſiarum Politia, vel Romanæ ſint conſortes, & aſſociatæ, vel diſiunctæ, vel ſubiectæ? Et quid opus ipſi eſt obſeruatione Paragraphi, aut paragraphorum illius Eccleſiæ conditionis, quam non obſeruat, niſi vt eam impugnet? non laudat, niſi vt de illius dignitate, & auctoritate detrahat, non nominat, niſi vt crimen aliquid ex ſuorum inſtituto ipſi obijciat.

Sed videamus adhuc, qua fide, & religione conditionem illam Eccleſiæ ex Geographi obſeruat verbis. Dic ergo Conſtantine, vnde habes verba hæc Geographi Nubienſis: .... *Ipſa eſt Sedes maxima inter Sedes quatuor*? Nonne vel ipſi pueri, & tyrones te docere poterunt eſſe comparatiua, adeoque vertenda .... *Maior*, & non *Maxima*. Hæc ſane notiora ſunt, quam vt grammatica diſceptatione diſcutiam. Omnes enim ſciunt, nomina comparatiua, & ſuperlatiua, apud Arabes eiuſdem eſſe formæ, diſtingui vero ratione particulæ ..... *Men*, quæ comparatiuorum nota eſt, itaut quoties hæc particula

cula

cula adiungitur nomini eius formæ, tunc nomen illud comparatiuum eſt, alias ſuperlatiuum. Imò adhibita particula illa nominibus poſitiuis, tribuit illis ſua vi, & natura comparatiuorum ſignificationem, quare dicitur: .... *Diſciplina melior eſt ignorantia*,

Quod cum ita ſit ex Grammaticorum placitis, & linguæ genio, ac analogia, cur magis arriſit Conſtantino vertere, *Sedes maxima inter Sedes quatuor*, quam *Sedes maior Sedibus quatuor*? Cur? quia minime illum latebat, ſuperlatiua dici de ijs, quæ ſunt eiuſdem ordinis, comparatiua vero non item. Quocirca bene dicitur: *Scipio fortiſſimus Romanorum*, quia eſt eiuſdem oridinis, & in Romanorum includitur numero; at non dicitur: *Scipio fortior Romanis*, ſed *fortior Annibale* vel *Carthaginenſibus*.

Sed reponet forſitan nobis Conſtantinus interpretationem clariſſimorum virorum Gabrielis Sonitæ, & Ioannis Heſronitæ Maronitarum, qui verba illa ſuperlatiuè verterunt.

Ad hæc dupliciter reſpondetur. Imprimis enim mendoſo, ac mutilo vſi ſunt Codice, nimirum illo Romæ impreſſo typis Mediceis opera Ioannis Baptiſtæ Raymundi, quem nos ſic ex Codice Mus. reſtituimus .... *Ipſa eſt Sedes maior Sedibus quatuor, Conſtantinopoli eſt Sedes, & Antiochia Sedes eſt. & Alexandria quoque Sedes, & in Domo ſancta Sedes*.

Itaque propter mendoſam illam, ac mutilam lectionem ſui Codicis coacti ſunt viri illi doctiſſimi vertere: *maxima inter Sedes quatuor*; quia ſi vertiſſent: *maior Sedibus quatuor*, maior eſſet ſe ipſa, quia vna ex quatuor eſt, iuxta eam mutilam lectionem, quod contradictionem implicaret, cũ nihil ſe ipſo vel maius, vel minus eſſe poſſit. Præterea optime conſtabat viris illis perſpicaciſſimis ex eodem capite Romani Pontificis Primatus, de quo ita: .... *In vrbe autem Roma ſunt Aedes Regis, Papæ vocati: nec eſt ſupra Papam ſuperioritas in dignitate: & Reges ſunt inferiores ipſo*. At Conſtantinus l' Empereur mala fide vertit, & peſſima hæc alia verba eiuſdem Auctoris reticuit, ex quibus qui illorum verborum ſit ſenſus, liquido pateſcit. Nihil aliud igitur quærit eius paragraphi obſeruatione Conſtãtinus, quam quod Symmyſtæ; nimirum verba inania, atque alte ſonantia ſine re, & quod peius eſt, vbique ſingulis ſub verbis cubant fraus, inſidiæ, doluſque malus, ingenui vero hominis, & probi nihil; ac vbique ſub nomine veritatis veritas eluditur, & illuditur. Et ſi quid occurrit pauliſper ambiguum, & obſcurum apud Scriptorem aliquem, id arripiunt, ac tamquam e Cælo elapſum nobis obijciunt; ſi verò aliquid ipſa luce meridiana clarius tamquam noctuæ Solis radios refugiunt, vt ex hactenus dictis, & allatis planiſſime patet.

CAPVT XXVII.

Idem Romani Pontificis aſſeritur Primatus ex Orientalium principiis, & notis, quas ad veram requirunt Eccleſiam;

ORientales Chriſtiani tres ad veræ Eccleſiæ conditionem requirunt notas; ſcilicet *Sacerdotium*, *Regnum*, & *Prophetiam*, quæ omnia ſimul habuiſſe, aſſerunt, primum generis humani parentem Adamum, cùm adhuc virgo, & incorrupta eſſet Eccleſia.

Has ſibi olim notas Melchitæ adſciuerant, imperij, vnde ſibi nomen indiderunt, freti ſceptro, & faſcibus, & vſurpatis, atque extortis à Conſtantinopolitano Oecumenici, & vniuerſalis Patriarchæ titulis. Sed horum cum Imperio corruit ratio, & argumentum.

Neſtoriani, vt has ſuæ Eccleſiæ notas coaptent, Iudaica, neſcio qua, Coſmographia, & figmento ſibi vltra Indiarum (& forte habitabilis Orbis) fines confingunt, & profe-runt Regna, & Imperia, ac ſuum Metropolitam, ſiue Primatem Catholici Patriarchæ decorant titulis.

Iacobus Zanzalus Iacobiticæ Sectæ author, & è cuius nomine nomen inditum eſt Iacobitis, hoc vno argumento cæteris inſultat Orientalibus. Nam contendit in ſua Catatheſi has notas ſolis ſuis competere Monophyſitis. Verba, quibus id aſſerit, hæc ſunt: ... *Dicam de tribus donis, quæ Deus Optimus Maximus conceſſit patri noſtro Adamo, quæ ſunt Regnum, Sacerdotium, & Prophetia, eaque extant etiamnùm penes aliqua genera filiorum eius*, (Seueri) *dico itaque Regnum palàm factum eſſe in manu Abyſſinorum; Sacerdotium verò in manu Cophtitarum, quoniam hactenùs neque incantationem ſcribunt, neque Magiam; at Prophetia ſemper apud Syros* (Iacobitas) *fuit*.

Quas autem notas, ac teſſeras veræ Eccleſiæ comprobant ex hiſce Pſalmi 109. verbis. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, ſcilicet, vt aſſerunt, *Sacerdos*, *Rex*, & *Propheta*, talem fuiſſe Melchiſedech, affirmant.

Tanti autem ponderis, & momenti ſunt apud haſce Nationes Orientales iſtæ tres notæ, vt ijs deſtituti pro Hæreticis habeantur. Vnde factum eſt, vt ſinguli ad ſuam tuendam, ſtabiliendamque cauſam, Regna ſibi, & ſceptra vel vltra Sabbaticum fluuium, vel in ipſo Lunæ concauo effinxerint.

Sed ò mortalium miſeram conditionem! ò horribilem, non oculorum tantum, verùm etiam, & mentis cæcitatem! cùm perſæpe ita hallucinamur, vt quò longiùs diſtemus à veritate, eò viciniores nos eſſe nobis perſuadeamus. Nam cui, Sodes, Orientalium Nationum iſtæ competunt notæ, quas ſingulæ ſibi vindicare conantur? Etenim ſi Græcorum, quos Melchitæ ſequuntur, celeberrimam olim, florentemque Imperio ſpectemus gentem, liceat mihi Gennadij ipſorum Patriarchæ nunc vti verbis, ita de miſera illorum conditione ſcri-

ſcribentis cap. 5. de Primatu Papæ ſect. 15. *Hi verò*, inquit, *non ſolùm gentium facti ſunt ſerui; ſed & Iudæis ipſis, qui ſunt ſerui omnium gentium.* Affectatum autem ab ipſis diù Summum Sacerdotium, per ſummam iniuriam, nunc vænale proſtat, ac ſæpè ſæpiùs biceps, ac triceps, Cerberique aliquandò capitum æquatur numero.

Neſtorianorum verò longè infelicior eſt conditio, non eorum inquam, qui vel Turcico, vel Perſico graui premuntur iugo, ſed illorum qui Indias incolunt ibique feliciter regnare, aut effinguntur, aut creduntur, vt ipſorum ſupplicationes ad Paulum V. Pontificem Maximum ſatis ſuperque nobis teſtantur, quas hic referre, ſuperfluum eſſet.

Monophyſitarum autem gentis, quæ cæteris inſultat Nationibus, quia Æthiopia fortitudo eius, cauſa quoque cecidiſſe, pluribus euincitur. Nam his tribus donis, ex eorundem ſententia, vnus Adam præditus erat, ergo ea non benè competunt Æthiopum Regibus, Cophtitarum Sacerdotibus, & Iacobitarum Prophetis, qui longè lateque diſſitis terrarum diſtant ſpatijs, ac perſæpè diſſident religione, & diſsimilibus vtuntur moribus. Etenim Æthiopum Reges quamplures Monophyſitarum abiurarunt religionem, & ſectam proſcripſerunt. Cophtitarum verò Summi Sacerdotes, & Iacobitarum Prophetæ (ſi Deo placet) non ſemel ſeſe libellis ſcriptis proſcinderunt, & inſectati ſunt ob varia in religione diſſidia. Nam (vt vnum, vel alterum afferam diſſidiorum exemplum) Iacobitæ pani Euchariſtico oleum, & ſalem ex neceſsitate materiæ addendum eſſe contendunt, quod minimè approbant Cophtitæ, quemadmodùm ex Dauidis Barphaulos Iacobitæ Catecheſi liquidò patet; quod in cauſa fuit, vt amicitiæ fœdus inter vtramque gentem proſciſſum fuerit, eodem teſte. Scripſit etiam eadem de re ex profeſſo Ioannes Barſuſan Iacobitarum Patriarcha; nec non Gregorius Barhebræus homo eiuſdem perſuaſionis in libro de fundamentis Eccleſiæ. Diſcrepant etiam in Circumciſione, qua hactenus vtuntur Cophtitæ, ac Æthiopes, non accedunt Iacobitæ. Æthiopes præterea elemento aquæ ad perfectionem Baptiſmi addunt cauterium candenti factum ferro. Eiuſmodi quamplura adduci poſſunt, quæ ſuo loco ſeruamus. Patet igitur neque iſtis competere poſſe notas illas tum ob differentias perſonarum, quæ vnica eſſe debet ex eorum principijs, tum ob diſſidia in ipſius religionis articulis.

Supereſt ergo, vt dicamus has notas, ex ipſorum Orientalium principijs, & fundamentis, nemini mortalium tam æquè competere poſſe, ac Romano Pontifici, cùm ſit Summus Sacerdos, Rex, & Propheta in ſimilitudine Adami, vt mox mox ex eorundem Orientalium oſtendemus teſtimonijs, & authoritate. Quòd autem ſit Summus Sacerdos, ipſe fatetur Iacobus Zanzalus Iacobitarum Author, & Parens ita loquens in ſua Catecheſi: .... *Ego agnoſco Dominium quatuor Sedium, quæ ſunt in Mundo, quarum primo eſt Sedes Romæ, cui eſt etiam Dominium in gladio.* Quid autem eſt habere Dominium in gladio, niſi eſſe Principem, ac Regem? imò non dicit habere Dominium in gladio, quaſi dixiſſet: cui iure debetur hoc Dominium. Huic accedit Nubienſis Geographus par. 2. Clim. 5. ita ſcribens: .... *In vrbe Roma ſunt Aedes Regis Papa vocati; nec eſt ſupra Papam ſuperioritas in dignitate, & Reges ſunt inferiores ipſo.*

Habemus itaque ex eorundem Orientalium teſtimonijs, Romanum Pontificem eſſe Summum Sacerdotem, de qua re minimè ambigendum eſt, vt conſtat ex ſuperioribus capitibus, eundemque eſſe Regem, vnde iure affirmandum eſt, de ipſo dictum fuiſſe illud *Regale Sacerdotium.*

De Prophetia autem non eſt multum laborandum nobis, quia hæc neceſſariò, imò de fide Summum conſequitur Sacerdotium. Vnde Ioannes 11. verſ. 49. ita de Caipha prophetante affirmauit, & cauſam Prophetandi ad Sacerdotium retulit: *Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat: hoc autem non à ſemetipſo dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius prophetauit: quod Ieſus moriturus erat pro gente.* Ergo Romanus, quà Summus Pontifex eſt, eſt etiam Propheta.

Nec deſunt nobis eiuſmodi Prophetiæ exempla, quoties res poſtulat, vt par eſt. Et quidem recens ſuppeditat nobis exemplum Pij V. Sanctiſſimi Pontificis Vaticinium, quod hactenùs Patrum noſtrorum tenaciter memoriæ inhæret. Is enim Spiritu ſanè prophetico Chriſtianorum Claſſem de Turcis Fidei hoſtibus inſignem reportaturam fore victoriam multò ante pronunciauerat. Et ſanè Prophetiæ veritatem ipſe comprobauit euentus; qui nec Sanctiſſimum latuit Pontificem, cùm eo temporis momento, quo noſtri profligarunt hoſtem, partam iam victoriam familiaribus lætabundus enunciauerit, ſibi oranti diuinitùs reuelatam. Vide Ioannem Antonium Gabutium cap. 6. vitæ eiuſdem Pontificis, & Hieronimum Cathenam pag. 104.

Porrò mirabili mirabilior fuit Nicolai V. Summi Pontificis in Epiſtola ad Conſtantinum Dragaſem Imperatorem Prophetia de Imperij Græcorum excidio, quam refert Staniſlaus Socolouius in notis ad Cenſuram Eccleſiæ Orientalis, & Gennadius Scholarius Conſtantinopolitanus Patriarcha cap. 5. *De Primatu Papæ*, ſect. 14. in hæc verba: *Omnes gentes*, inquit Nicolaus Papa, *decretum, quod ſancitum eſt, receperunt: Græci verò neque receperunt, neque ſpes eſt, eos vnquam eſſe recepturos. Procraſtinationes enim procraſtinationibus ab eis ſemper prætexuntur, excuſationes, & reſponſiones in ſingulis, neque verò Græci arbitrentur, Romanum Pontificem eſſe mente deſtitutum, omnemque Occidentalem Eccleſiam, vt non intelligat, quæ in ſingularis dilationibus reſpondendo nugantur. Optimè cuncta nouimus: ſed toleramus in Ieſum reſpicientes ſempiternum Sacerdotem, & Dominum, qui ſterilem illam ficum vſque ad annum tertium iuſſit aſſeruari, agricola ad excidendam arborem ſe accingente, quia nullum fructum ferebat.*

His itaque recitatis ex Nicolai Papæ Epiſtola triennij tempus præſcribentis Græcis, niſi reſipiſcent, ſtatim exclamauit Gennadius eorum Patriarcha dicens: *O magnam clamitatem!*

tem ! *Anno 1451. hanc conſcripſit Epiſtolam, anno 1453. capta eſt Conſtantinopolis. Poteſtis dicere, hac vera non eſſe ? minime gentium, cum id ſit manifeſtum, & res ipſa apertè loquatur. Tres, inquit, annos expectabimus, ſi vos forte à Schiſmate, & ſeparatione conuerteritis, & vos vere Decreto adiunxeritis ſecundum Saluatoris de ficu praceptum. Si vero non, excidemini, ne terram otioſam, & inutiles reddatis*. En mirabilis Prophtia.

Planè itaque ac plene conſtat, ea tria dona, ſcilicet *Sacerdotium*, *Regnum*, & *Prophetiam*, notas, ac teſſeras veræ, purioris, virginis, atque incorruptæ Eccleſiæ, (ex Orientalium ſententia, & principijs) nullibi repeririri gentium in ſimilitudinem Adami primi parentis, ac ſecundum ordinem Melchiſedech, niſi in vno, ac ſolo Romano Pontifice, ac ipſi ſoli, & vni competere poſſis. Ex quo neceſſario inde ſequitur, Romanam Eccleſiã eſſe veram illam ac puram, incorruptam, incontaminatam, atque infallibilem Eccleſiam, aduerſus quam Portas Inferi haud præualituras eſſe, in ſe recepit Auctor infallibilitatis Chriſtus Dominus, atque promiſit.

Quamobrem fruſtra, caſſoque opere noſtri temporis Briaræi, Enceladi, Typhæi, Ægeones, ac reliqua Inferorum monſtra, & Gigantes montes montibus imponentes ſuis ſunt.

manibus magnum reſcludere Cælum
Aggreſſi, ſuperiſque Iouem detrudere regnis.

F I N I S:

A D A-

ADAMVS TANNERVS

NATIONE GERMANVS

Patria Tyrolenſis Oenipontanus Societatis Ieſu ; Ingolſtadij primum publicè tradidit Sac. Linguæ præcepta , deinde Monachij Fidei controuerſias docuit Catholicorum plauſu , hæreticorum mærore vt eius acta quam plurima Typis mandata cum Monachij , tum Ingolſtadij , quæ videre eſt apud Natnahælem Sotoelum in Bibliotheca Societatis Ieſu , qui quoque aſſerit fuiſſe Tannerum virum ingenio acri ſerio , Sedulò , magnarum cogitationum , quas ſuis in operibus eſpreſſit , vt etiam liquet ex tractatu iſto a nobis excerpto ex ipſius commentarijs ſuper *Summam D. Thomæ tom. 3. diſp. 1. qu. 4.* quem hoc ſuo loco reponimus.

Q V Æ S T I O IV.

De Summo Pontifice, & Concilijs.

Ad S. Thomæ 2. 2. qu. 1. a. 9. & 10.

ABſoluetur hæc quæſtio octo dubitationibus. I. An publica illa auctoritas fidei magiſtra, & iudex controuerſiarum fidei, reſideat ſiue in toto cœtu fidelium; ſiue penes Magiſtratum ſæcularem ; an potius penes Eccleſiæ Præſules & Epiſcopos. II. An omnes Epiſcopi inter ſe quoad poteſtatem regendi Eccleſiam ſint pares ; an potius tum inter ipſos Apoſtolos vnus cæteris poteſtate , & auctoritate præſtiterit Petrus; tum pari ratione etiamnum in Eccleſia vnus aliquis exiſtat Petri Succeſſor , cæteris omnibus Epiſcopis ſuperior. III. An Succeſſor ille Petri ; & omnium Epiſcoporum , adeoque totius Eccleſiæ caput , & iudex controuerſiarum fidei , ſit Pontifex Romanus. IV. An Romanus Pontifex iure diuino ſit caput Eccleſiæ ; & an ſit de fide, hunc numero Pontificem eſſe vere Pontificem , & totius Eccleſiæ caput , & an ea poteſtate aliquando poſſit excidere. V. An Pontifex aliquando ab ea poteſtate excid erit, & degenerauerit in Antichriſtum. VI. An & qua ratione Pontificis defiuttio ſit infallibilis; etiam cum extra Concilium generale aliquid circa fidem definit : & vnde conſtet , cum publica auctoritate aliquid definire. VII. Vtrum Summi Pontificis auctoritas ſit etiam infallibilis in decretis morum ; ac ſpeciatim in approbatione Religionum , & canonizatione Sanctorum. VIII. Quanam ſit auctoritas Conciliorum : & vtrum Concilium generale ſit ſupra Pontificem.

DVBIVM I.

An publica illa auctoritas fidei magiſtra, & iudex controuerſiarum fidei, reſideat ſiue in toto cœtu fidelium, ſiue penes Magiſtratum ſæcularem; an potius penes Eccleſiæ Præſules & Epiſcopos.

Ad S. Thomę 2. 2. q. 1. a. 9. & 10,

PRobata . . . . . vera Chriſti Eccleſia adeo-
1 que noſtram Catholicam Eccleſiam,
quam ſolam veram eſſe Eccleſiam oſtendimus
eſſe publicum illum iudicem controuerſiarum
religionis, cuius eſt, & fidem, fideique ſym-
bolum proponere; & ſcripturam ſacram ex-
plicare; & fidei controuerſias infallibili au-
ctoritate definire; intelligendo per Eccleſiam
generatim eum, vel eos, cuius, aut quorum
eſt ſuprema auctoritate regere Eccleſiam, ab-
ſtrahendo interim, quis, aut quinam in par-
ticulari ſint illi; an videlicet ſit vniuerſus po-
pulus fidelis, ita vt Eccleſiæ regimen ſit de-
mocraticum; an vero ſint Principes politici,
ita vt Eccleſiæ regimen ſit Oligarchicum; an
potius ſint Epiſcopi, & Præſules Eccleſiæ;
idque vel ſine aliquo ſupremo capite, ita vt
Eccleſiæ regimen ſit mere Ariſtocraticum, vel
potius ſub vno aliquo ſupremo Capite viſibi-
li Eccleſiæ, & Epiſcoporum Epiſcopo; ita vt
Eccleſiæ viſibile regimen, abſolute loquendo,
ſit Monarchicum; quamuis ex Ariſtocratia
mixtum. Quod proinde hactenus declaratum
non eſt, ſupereſt, vt hac quæſtione explice-
mus; vt ita particulatim conſtet, quænam ſit
illa ſuprema auctoritas, cuius eſt fidem pro-
ponere, & controuerſias fidei iudicare at de-
finire. Et quod ad præſentem dubitationem
attinere, ſequentes aſſertiones breuiter ſtatui-
mus.

Aſſertio I. Suprema illa auctoritas regen-
2 di Eccleſiam, fidemque proponendi, & expli-
candi, ac fidei controuerſias definiendi, non
eſt immediate in ipſa tota communitate, ſeu
congregatione fidelium. Hæc aſſertio vide-
tur eſſe contra Illyricum centuria 1. lib. 2. cap.
7. & in lib. de Epiſcoporum elect. & contra
Muſculum in locis communibus, & alios pri-
mos Lutheranos, qui vt dicit Stapletonus in
relect. principiorum fidei, controu. 2. qu. 1.
iudicium in cauſa fidei, & diſciplinæ conſer-
uandæ, ad totam congregationem fidelium
ſpectare volebant. Quos ex parte ſecuti ſunt
auctores Concordiæ Lutheranæ, cui, tanquam
iudices ſcilicet cauſarum fidei, ſubſcripſerunt
non tantum paſtores & ſuperintendentes, ſed
etiam cæteri prædicantes, & miniſtri omnes,
vt & Hypodidaſcali ac Ludimoderatores. Eſt
vero aſſertio de fide certa, & apud Catholicos
indubitata.

Probatur aſſertio his argumentis. I.
3 Nuſquam in ſcriptura, aut apud SS. Patres
legitur, Chriſtum commiſiſſe hanc poteſtatem
plebi, ſeu priuatis quibuſque fidelibus; ſed
ſolum Petro & Apoſtolis, vocando ſimul hos
Paſtores, illas vero oues, & gregem. Matthæi
10. 16, & 28. Marci 3. & 16. Lucæ 6. & Ioan-
nis 20. & 21. Act. 1.

II. Inauditum eſt in Eccleſia, vt publi-
cum fidei iudicium, adeoque definitio con-
trouerſiarum religionis, vnquam vel ad ple-
bem deferretur, vel ab ea vſurparetur; vel vt
à populo Eccleſiaſticæ leges ferrentur; vel vt
ab Epiſcopis ad populum appellaretur; vel vt
à plebe Epiſcopi legitimè punirentur vel de-
ponerentur.

III. Etiam ſpectando ſolam rationem 4
naturalem, impoſſibile eſt, iuxta legem Dei
ordinariam, vt hoc iudicium immediatè ex-
erceatur ab ipſa congregatione fidelium.
Nam ſi in tota communitate fidelium ea po-
teſtas iudicandi reſidet, tunc vel ad contro-
uerſiam aliquam definiendam neceſſe erit cō-
uenire, & conſentire fideles omnes; vel certe
ſtandum erit iudicio ſiue maioris, ſiue etiam
minoris partis totius populi fidelis: ſed nihil
horum dici poteſt: Ergo &c. Non primum,
quia nec factum eſt vnquam, nec fieri vllo
modo poteſt Eccleſia nunc per vniuerſum or-
bem diffuſa, vt fideles omnes ad ſententiam
de re controuerſa fidei ferendam conueniant;
multo minus fieri poteſt, ſi ad eos iudicandi
libera poteſtas deferatur, vt iudicijs omnes
conſentiant; ſiquidem facilius planè eſt, coa-
leſcere ignem & aquam; quam in re dubia &
controuerſa, vulgi animos & ſententias.

Neque ſecundum dici poteſt. Tum quia
nihil obſtat, in re dubia, & controuerſa fidei,
alio iudice maioris authoritatis ſecluſo, ma-
iorem partem populi fidelis errare; imo id re
ipſa fieri admodum pronum & procliue eſt,
quia plures in plebe ſolent eſſe indocti, & ma-
li qui nec ſcripturam legere quidem poſſunt,
multo minus intelligere, quam docti & boni,
præſertim apud Sectarios, vt dictum quæſt.
præced. dub. 4. Tum quia ſi in rebus fidei, iu- 5
dicio plurium priuatorum ex fideli populo
ſtandum eſt, euidenter ſequitur, Lutherum,
Zuinglium, Caluinum, alioſque hæreſiarchas
olim legitimè fuiſſe condemnatos. Conſtat
enim, tempore Lutheri, Caluini &c. ante-
quam ſe iſti pertinaciter ab Eccleſia Catholi-
ca per hæreſim ſepararent, maiorem partem
Chriſtianæ Eccleſiæ doctrinam dogmatibus
Lutheri, & Caluini planè contrariam, & cor-
de amplexam, & ore profeſſam fuiſſe.

Neque tertium dici poteſt; nam ſi iudi-
cio maioris partis ex ipſo fideli populo in re-
bus fidei dubijs ſtandum non eſt, multo mi-
nus ſtandum eſt iudicio partis minoris: quia
per ſe loquendo, minus probabile & infallibi-
le eſt, quod à paucis, quam quod à multis aſ-
ſeritur.

IV. Apoſtoli, Epiſcopi, & Presbyteri, 6
qui in doctrina fidei, & morum ab initio Ec-
cleſiæ omnibus ſæculis immediatè rexerunt
Eccleſiam, non acceperunt ſuam poteſtatem
à populo; ſed illi quidem à Chriſto, vt con-
ſtat ex citatis Scripturæ locis; hi autem ab
Apoſtolis, iuxta Titi 1. v. 5. *Huius rei gratia,
reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, &
conſtituas per ciuitates Presbyteros; ſicut & ego
conſtitui tibi*. Signum eſt ergo, penes ipſam
plebem non reſidere ſupremam illam auctori-
tatem regendi Eccleſiam.

Quod denique confirmatur hoc diſcurſu. 7
Cum

Cum enim aduerſarij dicunt, totius populi fidelis eſſe, decidere controuerſias fidei, vel intelligunt per eam congregationem determinate ſuæ Eccleſiæ communitatem, vel Catholicæ Eccleſiæ, aut alterius cuiuſpiam; vel totam ſimul omnium Eccleſiarum congregationem. Non primum; non ſolum quia nulla eſt maior ratio, quare ipſorum ſynagoga potius ſit iudex, quam vetus Eccleſia Catholica, aut alia quæuis Eccleſia; ſed etiam quia prorſus iniquum eſt, eam congregationem, quæ ſeſe per diſſidium ab alia longe antiquiore, ſeiunxit, quæque cum nullo antiquitatis ſeu poſſeſſionis iure gaudeat, pars litigans eſt, in propria, eaque ipſa diſſidij cauſa, iudicandi publicam auctoritatem ſibi arrogare velle.

Neque ſecundum admittent Lutherani; quia tunc manifeſte cauſa cecidiſſent, vt dictum: neque enim Catholici, aut Caluiniſtæ contra ſe, pro ipſis, ſententiam ferent. Neque tertium, quia etiam tunc à maiori parte iudicum victi pronuntiabantur. Centuplo enim plures ſunt Catholici, quam vel Lutherani, vel Caluiniſtæ, aut Anabatiſtæ &c. quorum omnium iudicio Lutherani nunc reipſa condemnantur. Ex quo rurſum ſequitur, populum Chriſtianum in rebus fidei iudicem non eſſe, aut Sectarios iam legitimè condemnatos eſſe.

8 Quod ſi dicant, non ſemper & abſolutè iudicio maioris partis, ex tota communitate, ſtandum eſſe, ſed meliori & veriori; non minus à verò aberrant. Nam hac ratione eo iudicio nunquam finietur controuerſia. Quis enim hoc ipſum decernet, quænam videlicet ſententia partium communitatis ſit verior & melior? Anne ſatis erit, ſi hoc decernant ſolum ij, qui ſe profitentur meliorem tueri ſententiam; an id potius iudicio reliquæ maioris partis diiudicandum eſt; vel vtrum hoc potius ad aliquem vel alios paſtores, & Doctores decernendum ſpectabit? Sed primum dici
9 non poteſt; tum quia ita pars litigans, etiam nullo præſcriptionis iure fulta, erit iudex. Tum quia cum ſingulæ partes profiteantur, ſuam ſententiam eſſe veriorem ac meliorem, nulla eſt cauſa, cur vnius potius, quam alterius partis ſententiæ, & iudicio ſtandum ſit. Neque ſecundum dici poteſt; quando ipſimet aduerſarij volunt, in hoc caſu non eſſe ſtandum iudicio maioris partis. Si tertium aſſeritur, tum hoc ipſo ſequitur, populum non eſſe iudicem, ſed conſiliariorum tantùm locum tenere, quorum ſententia, ab alijs, nempe Eccleſiæ Præſulibus, diiudicanda ſit: neq; dubium eſſe poteſt, abſque ea conſultatione populi, rem totam multo facilius, & ordinatius tranſigi poſſe. Quocunque ergo ſe vertant Sectarij, non poſſunt ij vllo modo prudenter & rationabiliter res fidei iudicio communitatis deciſiuo diiudicandas committere. Secus eſt, ſi loquamur de priuato iudicio approbationis; vel in re dubia, & necdum ſatis definita, & propoſita ſeu comperta, de iudicio diſcretionis; illud enim ab omnibus neceſſario adhibendum eſt; hoc in re dubia rectè adhibetur, exemplo Beroeenſium Act. 17. v. 11.

10 Nec obſtat primo, quod Eccleſia vniuerſa in credendo errare non poteſt; ex quo ſequi videtur, nec in definiendo, ſeu publico iudicio ferendo, errare poſſe. Negatur enim conſequentia: quia vt in definiendo non erraret, neceſſe foret, maiorem partem in iudicio ferendo non errare; quandoquidem in omnium congregationum deliberationibus, ſtatur iudicio maioris partis; cum tamen ad infallibilitatem Eccleſiæ in credendo ſatis ſit, non totam ſimul Eccleſiam in credendo errare, vt ſuperius dictum.

Nec obſtat ſecundo, quod tota communitas Eccleſiæ legitur elegiſſe Matthiam Actor. 1. & 6. Primo enim ab eligendi poteſtate, ad poteſtatem iudicandi, & regendi, nulla eſt conſequentia; quando olim nonnunquã penes milite, & nunc penes Electores eſt poteſtas eligendi Imperatorem; cum tamen nec hi, nec illi, ſupremam habeant poteſtatem iudicandi in imperio. Deinde nunquam populus vel Matthiam, vel Diaconos, aut vllos Eccleſię miniſtros ita abſolute elegit vt eis ipſis conferret poteſtatem ſpiritualis miniſterij; ſed tandum nominauit illos, & vt dicitur citat. capit. 6. Act. *Statuerunt ante conſpectum Apoſtolorum*, ab ipſis poſtea ordinandos, & poteſtatem ſpiritualem accepturos. Quod etiam docet Cyprianus libro 3. epiſt. 9. *Apoſtolos*, inquit, *Dominus elegit; Diaconos Apoſtoli ſibi conſtituerunt*. 11

Nec obſtat tertio, quod Cyprianus in omnibus fere negotijs populum iudicem adhibebat, vt conſtat ex libro 3. epiſt. 14. & quod Ambroſius epiſt. 32 agens de iudicio fidei ait: *Ille populus iudicat*, Et rurſum. *Auxentius veſtrum refugit examen*. Nam Cyprianus id fecit ſponte ſua, non vllo iure obſtrictus; neq; ita populo iudicium permiſit, quin ſibi reſeruaret de ipſa populi ſententia iudicandi auctoritatem; præſertim quia alias dicendus foret, quamlibet particularem communiatem, in vnoquoque Epiſcopatu ſupremum fidei iudicem eſſe; quod eſt abſurdiſſimum, & nemini in mentem venire poteſt. Ambroſius autem loquitur de iudicio priuato & diſcretiuo; non publico, & deciſiuo; quod per ſe obligandi auctoritatem haberet. 12

Aſſertio II. Auctoritas illa fidei magiſtra, & iudex controuerſiarum religionis, non reſidet etiam penes Principes, ſeu Magiſtratum politicum. Hæc aſſertio eſt contra Brentium in prolegomenis aduerſus Petrum Sotum; qui Principes ſæculares facit rectores & iudices rerum Eccleſiaſticarum; idque ipſum etiam olim Henricus VIII. Angliæ Rex, cum à fide Catholica defeciſſet; & moderni proteſtantes Caluiniſtæ, in Anglia, mordicus tenent, & acriter propugnant: ſed eſt aſſertio de fide certa, & apud Catholicos extra controuerſiam. 13

Probatur ſequentibus argumentis. I. In ſcriptura nuſquam legitur huiuſmodi poteſtas à Deo conceſſa Principibus ſæcularibus; quales quidem initio in Eccleſia nulli erant: ſed Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus Epiſcopis, & Prælatis Eccleſiæ, vt inferius patebit. 14

II. In veteri teſtamento, quod fuit vmbra & figura noui teſtamenti, ex diuina inſtitutione ſemper cura & regimen ſpirituale eius Eccleſiæ deferebatur Sacerdotibus, & Pontificibus; non autem ſæcularibus Iudicibus vel Regibus, Deuteronomij 17. 2. Paralipomenon

non 19. & 26. vbi etiam Ozias propterea lepra percuſſus eſt, quod contra legem, & Sacerdotis inhibitionem, adolere incenſum auſus eſſet.

15 III. Idem probat vſus, & hiſtoria veteris Eccleſiæ; vbi quidem in cauſis ſpiritualibus, Epiſcopos & Eccleſiæ Prælatos de Principibus politicis, ritè iudicaſſe legimus; ſed non contra. De qua re nobis hoc loco ſufficiat, vnius optimi maximi Imperatoris Conſtantini Magni apertam profeſſionem & proteſtationem referre. Ita enim de illo ſcribit Ruffinus libro 10. hiſt. capit. 2. *Sed & in eo concilio,* (Niczno) *admirabile factum Principis non reticendum. Etenim cum ex omnibus penè locis Epiſcopi conueniſſent, & vt fieri ſolet diuerſis ex cauſis inter ſe quædam iurgia detuliſſent, interpellabatur frequenter à ſingulis: offerebantur libelli, culpa proferebantur, & magis adhæc, quam ad id, pro quo conuentum fuerat, animos dabant. At ille videns, quod per huiuſmodi iurgia cauſa ſummi negotij fruſtraretur, diem certum ſtatuit, quo vnuſquiſque Epiſcoporum, ſi quid querimoniæ habere videtur, deferret. Et cum reſediſſet ſuſcepit à ſingulis libellos; quos ſimul omnes in ſinu ſuo continens, nec in eis, quid contineretur, aperiens: ait ad Epiſcopos: Deus vos conſtituit Sacerdotes & poteſtatem vobis dedit, de nobis quoque iudicandi; & ideo nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter vos, ex-*
16 *pectate iudicium, & veſtra* (priuata) *iurgia quæcunque ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos enim nobis à Deo dati eſtis dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos; ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deus diſcernit. Et ideo his omiſſis illa quæ ad fidem Dei pertinent abſque vlla animarum contentione diſtinguite. Cum hæc dixiſſet, omnes ſimul querimoniarum libellos iuſſit exuri, ne innoteſceret vlli hominum ſimulatio Sacerdotum.* Ita Magnus Conſtantinus. Omitto alia particularia exempla apud Bellarminum controuerſ. 4. l. 1. c. 20. Plura argum. 7.

17 IV. In Synodo Matiſconenſi canone 9. Mileuitano Can. 19. & Toletano III. Can. 13. grauiſſime puniuntur Clerici, qui cauſam Eccleſiæ ad iudicem ſæcularem deferunt; quod proinde Catholici aut nunquam fecerunt, aut iure non fecerunt. Hæreticis autem hoc antiquum fuit, vt à Concilijs legitimè condemnati ad Imperatores appellarent. Ita in propria cauſa Palladius Arianus, in Concilio Aquileienſi iam ante condemnatus, ad ſæculares magiſtratus appellauit; verum ob hanc ipſam cauſam ab Ambroſio indignus Sacerdotio iudicatus fuit, apud Baronium tom. 6. circa Annum Domini 381. Ita etiam in cauſa Cæciliani appellarunt non Catholici, vt fingunt Sectarij, ſed Donatiſtæ hæretici ad Conſtantinum Imperatorem, ægre quidem, vt eſt apud Optatum lib. 1. contra Parmenianum, ſed tamen neceſſitate quadam adductum ad cauſæ cognitionem ſuſcipiendam, & vt Auguſtinus epiſt. 162. ait à Sanctis Antiſtitibus veniam poſtea petiturum.

18 Quod conſtat ex eiuſdem Conſtantini epiſtola quam refert Baronius. Anno Chriſti 313. *Meum*, inquit, *iudicium poſtulant, qui ipſe iudicium Chriſti expecto. Dico enim, vt ſe veritas habet, Sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens iudicet. Nihil enim licet his aliud ſentire: vel aliud iudicare, niſi quod Chriſti magiſterio ſunt edocti. Quid igitur ſentiunt maligni homines, officia (vt vere dixi) diaboli? Perquirunt ſæcularia, relinquentes cæleſtia. O rabida furoris audacia. Sicut in cauſis gentium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt. Equidem gentes minora interdum iudicia refugientes, vbi iuſtitia deprehendi poteſt, magis ad maiora iudicia, auctoritate interpoſita ad appellationem ſe conferre ſunt ſolita. Quid hi detractores legis, qui renuentes cæleſte iudicium, meum putauerunt poſtulandum? ſic ſenſere de Chriſto Saluatore? Ecce iam proditores, ſine vlla acriori diſquiſitione, ipſi per ſemet prodiderunt facinora ſua.* Vbi vides, quid pius Imperator de iudicio Epiſcoporũ, ac ſimul de appellatione ab ijſdem ad ſuum Tribunal ſenſerit.

V. Reges ab Epiſcopis inunguntur, do- 19
centur, ligantur, ſoluuntur, benedicuntur: *ſine contradictione autem*, inquit Apoſtolus Hebræor. 7. verſ. 7. *quod minus eſt, à meliore benedicitur.* Neque Reges contra aut Epiſcopum vel Sacerdotem, aut vllum etiam alium Laicum ſoluere, aut ligare in foro conſcientiæ; nec alia officia Sacerdotalia obire poſſunt aut ſolent, vt ex dictis patet: Ergo Reges non ſunt ſupra Epiſcopos, in cauſis Eccleſiaſticis; neque adeo etiam ſunt ſupremi Iudices in rebus fidei.

VI Apud eos cenſenda eſt eſſe auctori- 20
tas illa infallibilis magiſtra fidei, penes quos ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ fuiſſe legitur: ſed tunc non fuit penes Principes ſæculares, quales in Eccleſia primitiua necdum vlli fuerunt; ſed inprimis penes Chriſtum Dominum, qui profeſſus eſt, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo; deinde penes Apoſtolos, & Epiſcopos *quos poſuit Deus regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, Act. 20. v. 28. itemque penes Paſtores & Doctores, quos dedit Deus, *ne circumferamur omni vento doctrinæ*, Epheſ. 4. Ergo etiamnum apud iſtos, non penes Principes ſæculares ea poteſtas reſidet.

VII Idem tradunt SS. Patres; qui ob 21
eandem cauſam paſſim Epiſcopos præferunt Imperatoribus & Regibus; Ignatius epiſt. 7. ad Smyrnenſes, Nazianzenus oratione ad ciues timore perculſos, Chryſoſtomus libro 3. de ſacerdotio & homil. 4. in caput 6. Iſaiæ, & homil. 83. in Matthæum, Ambroſius lib. de dignitate Sacerdotali c. 2. Auguſtinus in pſalm. 98. Gelaſius Epiſt. ad Anaſtaſium, Gregorius l. 14. moral. & l. 4. Epiſt. 31. ad Mauritium, Nicolaus epiſt. ad Michaelem Imperatorem.

Optimè etiam Ambroſius in concione ad populum, contra Auxentium: *Quid honorificentius*, inquit, *quam vt Imperator Eccleſiæ filius eſſe dicatur? Quod cum dicitur, ſine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt. Bonus enim Imperator quærit auxilium Eccleſiæ, non refutat. Hæc vt ſimiliter dicimus, ita conſtanter exponimus. Sed incendia aliqui, gladium, & deportationem minantur. Didicimus Chriſti ſeruuli non timere. Non timentibus nunquam eſt grauis terror.* Et in libello ad Valentinianum Imperatorem: *Quando*, inquit, *audiſti, Clementiſſime Imperator, in cauſa fidei laicos de Epiſcopis iudicaſſe?* Et inferius: *Quis eſt, inquit, qui*

abnuat,

abnuat, in cauſa fidei, in cauſa inquam fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores, de Epiſcopis iudicare? Ita Ambroſius. De qua re plura Baronius Anno Chriſti 386. Atque hæc omnia hactenus argumenta ex auctoritate deſumpta ſunt. Quibus.

22 IIX. Accedit naturalis ratio. Nam ſi Reges & Principes ſunt legitimi iudices in rebus fidei, tunc vel ſinguli Reges, & Principes habent ſupremam & infallibilem auctoritatẽ in ſuis regnis, & Prouincijs; vel non. Non primum; quia euidens eſt, Reges & Principes diuerſarum Prouinciarum contrarias de rebus fidei ſententias ſectari; ex quo neceſſariò ſequitur, auctoritatem eorum iudicandi in rebus fidei non eſſe infallibilem. Si ſecundum dicitur, tum hoc ipſo fatendum eſt, penes Principes non eſſe auctoritatem illam ſupremam iudiciariam in cauſis Religionis; vtpote quam neceſſariò, non minus quam ipſam fidem, eſſe debere infallibilem dictum eſt quæſtione præcedenti dub. 1.

Et confirmatur. Nam ſi Rex aliquis infallibiliter ſuo regno veram fidei doctrinam proponere poteſt, conſequens eſt, eum hoc ipſo etiam infallibiliter & ſine errore doctrinas aliorum regnorum contrarias poſſe damnare: ſed hoc conſequens plane eſt falſum; quia in alijs regnis, vt ſupponitur, ſunt itidem proprij & legitimi Reges: qui proinde non minori auctoritate, & infallibilitate propriam de fide ſententiam ſtabilire, oppoſitamque damnare poſſunt; Aut ergo fatendum, neutros ex his Regibus infallibilem habere iudicandi auctoritatem, adeoque non eſſe veros & idoneos controuerſiarum fidei iudices; aut fatendum, duas contrarias de fide ſententias infallibili auctoritate ſancitas, adeoque veras eſſe: quod tamen euidenter eſt falſum, & contra prima principia naturalis rationis. Plura apud Bellarminum controuerſ. 1. l. 3. c. 10. & controuerſ. 3. lib. 1. cap. 20. & contro. 4. l. 1. cap. 20. Nicolaum Sanderum de claue Dauid toto libro quinto, Stapletonum de princip. fid. cont. 2. l. 5. c. 18. & in Relect. de eodem argum. contro. 2. q. 5. a. 1.

23 Cæterum contra eandem aſſertionem obijciuntur primo exempla quædam veteris teſtamenti; vt quod Moyſes, Ioſue, Dauid, Salomon, Ezechias, Ioſias, etiam in rebus ſpiritualibus ſeſe nonnunquam iudices, præſtiterint. Reſpondetur, cum de lege generali, & expreſſa conſtet, parum laborandum eſſe de exemplis quibuſdam particularibus: quæ ſi proba ſunt, aut à lege non deſciſcunt, aut peculiari diſpenſatione Dei dicuntur. Certe exemplum Moyſis ad propoſitum nihil ſpectat; vt qui non tantum Dux populi, ſed etiã Sacerdos fuit, vt conſtat ex pſalmo 68. v. 6. *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius.* Ioſue cauſas ſpirituales nunquam decidit. Dauid etſi quædam vt Propheta, ſingulari Dei inſpiratione, præter communem legem fecerit, tamen alias ad communem legem ſe obſtrictum profitetur. Reduxit ille quidem arcam Domini, ſed percuſſo Oza 1. Paralipomenon 13. ipſe poſtea c. 15. rem omnem commiſit Sacerdotibus. *Vos*, inquit, *qui eſtis Principes familiarum leuiticarum, afferte arcam Domini, &c. ne vt in principio, quia non eratis præſentes, percuſſit nos Dominus, ita & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus*: Denique nulla controuerſia fidei in veteri teſtamento regia auctoritate 24
rite fuit deciſa: in cauſis autem diſciplinam morum ſpectantibus, licet ſubinde quidam Reges iudicium ſuum interpoſuiſſe inueniantur, non eſt tamen exiſtimandum, vbi de cauſis religionis ageretur, eos ſua auctoritate ac pro imperio feciſſe, ſed potius auctoritate, & inſtinctu Sacerdotum; neque tam quid iuris eſſet pronuntiaſſe ac conſtituiſſe. quam pronuntiatam legis ac Sacerdotum ſententiam tutatos ac exequutos fuiſſe: vti pariter etiam in Eccleſia fecerunt pij Imperatores, Conſtantinus, Theodoſius, Martianus; vt patet ex lege, *Cunctos populos*, Codice de Summa Trinitate, & fide Catholica, & ex toto titulo de hæreticis. Sane Ioſaphat pijſſimus Rex aperte munia Regis à Sacerdotum poteſtate diſtinxit 2. Paralipom. 19.

Secundo obiſciuntur quædam exempla 25
etiam Chriſtianorum Imperatorum; qui leguntur nonnunquam Concilia conuocaſſe, Concilijs præſediſſe; imo ad Carolum Magnum aperte conſtat, approbationem & vltimam quaſi ſententiam in Concilio Arelatenſi Cabilonenſi, & Moguntino, ab ipſiſmet Concilij Patribus fuiſſe delatam. Denique Imperatores etiam optimi multas leges circa fidem & eccleſiaſticam diſciplinam ſanxerunt, vt apparet in Codice lib. 1. tit 17. ac ſpeciatim de Iuſtiniano conſtat ex Conſtitutionibus nouellis conſtit. 3. 5. 6. 57. 58.

Reſpondeo, quod ad Concilia attinet, 26
Imperatorum Chriſtianorum auſpicijs quidem, hortatu, & petitione Concilia vniuerſalia conuocata fuiſſe; ſed nunquam tamen abſque auctoritate Summi Pontificis, ad quem id proprie pertinebat. Teſtatur id in Concilio Chalcedonenſi actione 1. Lucentius Apoſtolicæ Sedis Vicarius: *Dioſcorus*, inquit, *ſynodum auſus eſt facere ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ; quod rite nunquam factum eſt, nec fieri licuit*. Idem teſtatur Damaſus Papa epiſt. ad Epiſcopos Illyrici, apud Theodoretum lib. 2. cap. 2. Idem confirmat Socrates lib. 2. cap. 13.

Deniq; idem teſtatur Valentinianus Imperator apud Sozomenum circa Annum Domini 364. à quo cum Epiſcopi Helleſponti, & Bithyniæ facultatem peterent, congregandi ſynodum, reſpondit, *ſibi qui vnus è laicorum numero eſſet, non licere ſe eiuſmodi negotijs interponere*; & ideo Sacerdotes ac Epiſcopi, quibus hæc curæ ſunt, ſeorſum per ſe, vbicunq; ipſis libitum fuerit, in vnum conueniant.

Eundem imitata eſt Pulcheria Imperatoris Martiani coniunx, quæ literis ad Leonem Pontificem humiliter ſcriptis (quæ extant tomo 1. Conciliorum ante Concilium Chalcedonenſe) petiuit, vt eius auctoritate Concilium conuocaretur, vt notauit Baronius Anno Domini 450.

Similia habet Anno 449. tom. 6. Anna- 27
lium de Concilio Epheſino. Et tom. 2. ex Euſebio, in vita Conſtantini lib. 5. cap. 13. munus Imperatoris Catholici in Conciliorum celebratione deſcribens ait, ipſius eſſe, quid in Concilio dicatur attente audire, ſtudere paci, fauere veritati, & fouere concordiam, tumultus reprimere, errantes ad fidei veritatem reuocare; non autem ſuffragium ferre, vel cauſam ſententia definire, vel de rebus Concilij,

cilij, inconſultis Patribus, leges ferre.

28 Tantum abeſt, vt vllus Catholicus Imperator, Princeps, aut Magiſtratus ita cum auctoritate Concilijs præſederit, vt tanquam ſupremus index vltimam ipſe ac definitiuam ſententiam, in cauſis fidei, aut diſciplinæ Eccleſiaſticæ ferret:Sed ita quidem nonnunquam Concilijs interfuerunt, vt hæreticos præſentes ſua auctoritate, quoad opus eſſet, compeſcerent, ſimulque reſtes eſſent, eos in Concilio legitimè conuictos & damnatos eſſe. Quo ſenſu etiam in ſynodo, contra Donatiſtas congregata, *cognitor* dicitur Marcellinus laicus ab Auguſtino in Breuiculo Collationis. Eadem ratione Auguſtinus diſputauit olim cum Paſcentio Ariano, arbitro Laurentio, vt patet ex epiſtola Auguſtini 174. & 178.

Illud de Carolo Magno extraordinariũ
29 fuit; neque ex iuris præſcripto, ſed ſponranea Epiſcoporum ſubmiſſione accidit; ob inſignem Caroli pietatem & meritorum copiam, cum præclara ſimul eruditione, ex Alcuini ſchola hauſta, coniunctam. Neque tamen exiſtimandum eſt, Concilia illa vltimam ſententiam definitiuam Carolo permiſiſſe, ſed approbatiuam, vel vt ſummum diſcretiuam tantum, quæ neque nouam Concilijs auctoritatem adderet, neque alios per ſe obligaret; niſi quantum ad politicas cauſas, quæ in Concilio illo Moguntino ſimul etiam tractatæ fuerunt.

Conſtitutiones Iuſtiniani, aliorumue
30 Chriſtianorum Imperatorum, de rebus Eccleſiaſticis, quatenus quidem iuſtæ ſunt & legitimæ, non ſunt leges aut ſanctiones Eccleſiaſticæ noui quidpiam ordinantes, præſcribentes, aut definientes circa fidem diſciplinamue eccleſiaſticam; ſed ſunt mere executiones Canonum, iam ante in Concilijs legitimè conſtitutorum; ſpectantes ad conſeruationem, & certiorem eorundem obſeruationem, vt colligitur ex eiuſdem Iuſtiniani verbis Conſtit. 42. & actione 1. quintæ Synodi: *Hæc decreuimus, SS. Patrum Canones ſequuti. Hæc ſententianimus ſequentes SS. Patrum dogmata.* Qualia etiam habet conſtitutio 6. & conſtitutio 133.

Dixi tamen, *quatenus iuſtæ ſunt*; quia ne-
31 gari non poteſt, Iuſtinianum nonnulla etiam liberius, præter ius faſque ſanxiſſe, vt inter alios notauit etiam Azor tom. 1. l. 5. c. 20. §. *Item leges*. In qua re quantum, & ſibiipſi, & toti Imperio nocuerit, non obſcure oſtendit Baronius Anno Chriſti 528. & Anno 549. vbi breuiter ait, eum, dum dogmatibus Eccleſiaſticis perſcrutandis, pluſquam decet Imperatorem, curioſe vacaret, vniuerſum peſſundediſſe imperium: præſertim quando ipſe omnium literarum rudis, & quod dici ſolet analphabetus, ſimul etiam Triboniani Ethnici hominis opera in ſanciendis legibus, vteretur.

Niſi quis malit credere Baronij coniecturæ, cit. Anno 528. omnes Eccleſiaſticas Iuſtiniani conſtitutiones fuiſſe Epiphanij Epiſcopi Conſtantinopolitani, eiuſdemque ſucceſſoris Mennæ: quas ipſi libentius edi voluerint nomine Imperatoris, vt validioris eſſent obſeruantiæ: quarum etiam pleræque deinceps ipſo vſu fuerint comprobatæ. Quæ enim iuſta rectaque nouit ſancita Eccleſia, etiamſi eorum non Chriſtianus Princeps, ſed Diocletianus, aut quiuis alius perſequutor Eccleſiæ fuerit promulgator, minimè reſpuere conſueuit; ſed ea ſuis legibus & decretis comprobare; niſi cùm aliquid aduerſus ſacras leges, & bonos mores ab eis præſumptum eſt, vt rectè ibidem notauit Baronius. Alias iniquis ſæcularium Principum legibus, circa perſonas, & cauſas Eccleſiaſticas ſancitis, communi iure derrogatum eſſe, patet ex cauſa 11. q. 1. & capit. *Non minus*, de immunitate Eccleſiæ,
& capit. *Quamquam* de cenſibus in 6. 32

Aſſertio III. Suprema auctoritas iudiciaria, in cauſis fidei & Religionis, & olim poſt Chriſti Aſcenſionem, fuit penes Apoſtolos: & nunc eſt penes Eccleſiæ Præpoſitos, & Epiſcopos, tanquam legitimos Apoſtolorum ſucceſſores. Ita Catholici omnes; & eſt de fide certum. Probatur primo ex ipſa Chriſti inſtitutione, qautenus ex Scriptura Sacra innoteſcit: in qua Chriſtus Apoſtolos eorumq; ſucceſſores conſtituit Eccleſiæ Rectores Lucæ 10. v. 16 *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Matthæi 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Et Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes.* Ioannis 20. v. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; cum ſimili ſcilicet, non æquali poteſtate gubernandi & regendi Eccleſiam.

Et apertiſſimè Act. 20. v. 28. ait Apoſtolus: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Et Epheſ. 2. v. 20. *Super ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.* Epheſ. 4. v. 11. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominũ, in aſtutia, ad circumuentionem erroris.* Vbi videmus, à Chriſto Paſtores & Doctores in Eccleſia vſque ad finem mundi conſtitutos, quorum doctrina & auctoritate, pulſis erroribus, fides illibata conſeruaretur. Cui ſimilis eſt locus 1. Cor. 12. verſ. 28. *Poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores &c.*

Idem ſecundo probatur ex figura veteris 33
teſtamenti, vbi itidem iudicium in cauſis ſpiritualibus ad Sacerdotes pertinebat, vt conſtat Deuteron. 17. v. 8. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram, & lepram* (omnia nimirum eo tempore ex Scripturæ Sacræ præſcripto definienda) *& Iudicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem* (tanquam vindicem ſcilicet, & defenſorem ſacerdotalis auctoritatis, & ſententiæ) *qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis qui indicabunt tibi. iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; ſequeriſque ſententiam illorum: nec declinabis ad dextram, nec ad ſiniſtram.* Vbi expreſſe iudicia-

lis

lis auctoritas ſynagogæ, in cauſis eccleſiaſticis, Sacerdotibus defertur; iudicis tamen ſeu Principis ſæcularis auctoritate tuenda, & vindicanda, vt ibidem ſubditur; vbi ſimul etiam vnius præ cæteris ſummi Sacerdotis ſumma poteſtas iudiciaria explicatur, vt dicetur dubio ſequenti.

34 Similis eſt locus 2. paralipomenon 19. v. 8. vbi dicitur: *In Hieruſalem quoque conſtituit Ioſaphat Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael* (tanquam conſultores ſcilicet, & Doctores) *vt iudicium, & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitque eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto. Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis, inter cognationem, & cognationem, vbicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus oſtendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos, & ſuper fratres veſtros: Sic ergo agentes non peccabitis.* Et mox additur: *Amaſias autem Sacerdos & Pontifex veſter, in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit.*

Idem patet ex Malachiæ c. 2. v. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam;& legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Quod etiam maiorem vim habet collatum cum præcedentibus v. 6. *Lex veritatis fuit in ore eius* (Leui ſcilicet, ſiue Leuiticæ tribus) *& iniquitas non eſt inuenta in labijs eius. In pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.*

35 Denique huc ſpectat: illud Chriſti Matthæi 23. v. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite; ſecundum opera vero eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.* De qua re pluribus diſſerui in Apologetico præfationis Colloquij Ratiſponenſis cap. 7. & in Apologetico relationis de eodem colloquio cap. 11. & 12.

36 Tertio idem probatur ex vſu & praxi totius Eccleſiæ veteris. Luculentiſſimum exemplum habemus Act. 15. vbi controuerſia de obſeruatione legalium, in generali Apoſtolorum Concilio definita ac deciſa fuit, ſublata omni aliter iudicandi poteſtate, cum dicerent verſ. 28. *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Qua ratione etiam ſemper in Concilijs generalibus præcipuę controuerſiæ deciſæ fuerunt; & hæretici aliter ſentientes damnati; vt in Concilio Nicæno I. Arius; in Concilio Conſtantinopolitano I. Macedonius; in Concilio Epheſino I. Neſtorius; in Concilio Chalcedonenſi Eutyches; in Concilio Conſtanrinopolitano II. Origeniſtæ; in Concilio Conſtantinopolitano III. Monothelitæ, in Concilio Nicæno II. Iconomachi, &c. Vt proinde dubium minime eſſe poſſit, Concilium generale Epiſcoporum legitimum eſſe ſupremum fidei Iudicem.

37 Quarto accedit ratio. Quia ſuprema poteſtas Iudiciaria vtique eſt penes Rectores, & Præpoſitos Eccleſiæ: tales autem ſunt Apoſtoli, eorumque legitimi Succeſſores Epiſcopi & Prælati Eccleſiæ; vt ex dictis liquet, & totius ſimul antiquitatis vſu, ac praxi fit conteſtatum. Quod ſi poteſtas regendi Eccleſiam, quæ olim fuit penes Apoſtolos, iam eſt penes Principes ſæculares, aut ipſam plebem, non penes Epiſcopos, velut Apoſtolorum Succeſſores, neceſſe eſt, à Chriſto mutatum fuiſſe regimen Eccleſiæ. At vbi, quomodo, & quando hoc accidit? An Chriſtus denuo de cœlis deſcendit, vt abrogato priore regimine, nouum conſtitueret, nouamque adeo Eccleſiam (quam equidem mutato regimine, & ipſam mutari neceſſe eſt) denuo conderet? Sed hæc omnis recta ratio velut abſurdiſſima commenta & deliria damnat & execratur. Plura dubio ſequenti.

DVBIVM II.

An omnes Epiſcopi inter ſe, quoad poteſtatem regendi Eccleſiam, ſint pares; an potius tum inter ipſos Apoſtolos, vnus cæteris poteſtate, & auctoritate præſtiterit Petrus; tum pari ratione, etiamnum in Eccleſia vnus aliquis exiſtat Petri Succeſſor, cæteris omnibus Epiſcopis ſuperior.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

Docuimus dubio præcedenti indefinite, ſupremam poteſtatem regendi Eccleſiam, adeoque auctoritatem illam iudiciariam cuius eſt definire controuerſias fidei, & olim fuiſſe penes Apoſtolos, & nunc eſſe penes Epiſcopos ac Præſules Eccleſiæ. Iam verò vlterius inquirendum ſequitur num & Apoſtoli, & Epiſcopi omnes quoad eam auctoritatem ſint pares; an potius tum inter ipſos Apoſtolos cæteris auctoritate præſtiterit Petrus; & nunc pariter aliquis in Eccleſia cæteris Epiſcopis Superior exiſtat, eiuſdem Petri Succeſſor? 38

Et quidem ſectarij huius temporis omnes, vt quam tutiſſimam ſibi viam parent, ad primatum Romani Pontificis oppugnandum, omnia illa diligenter amoliri conantur, quæ ei quoquo modo fauere poſſunt. Itaque cum primatus Romanæ Sedis non aliunde, quam ex primatu Petri comprobetur, negant ipſi, 39 Petrum fuiſſe caput Apoſtolorum, & Eccleſiæ aut cęteris Apoſtolis ſuperiorem. Ita docent Lutherus in lib. de poteſtate Papæ, Caluinus lib. 4 Inſtit. c. 6. & Magdeburgenſes centuria 1. lib. 2. cap. 7. alijque Sectarij, è quibus tamen nonnulli Petro concedunt aliquem inter Apoſtolos primatum, ſeu præeminentiam, tum ætatis, tum vocationis; quaſi Petrus fuerit primus ætate, primuſque ad Apoſtolatum vocatus. In eodem errore fuerunt olim Wicleffus, Huſs, & alij quidam hæretici. Catholica autem ſententia in ſequentibus aſſertionibus conſiſtit.

Aſſertio I. Fuit quidem Chriſtus ipſe, quamdiu in terris agebat, ſupremum ac viſibile totius Eccleſiæ Caput; in quo pleniſſimè omnis auctoritas & poteſtas Eccleſiaſtica reſideret: quin idem etiamnum in cœlis degens inuiſibile Eccleſiæ caput & fundamentum, eadem auctoritate, excellentia & poteſtate perpetuo præditũ perſeuerat. Ita ſentiunt Theologi omnes cum S. Thoma 3. par. q. 8. ſpeciatim 40

tim Gregorius de Valentia to. 3. diſp. 1. q. 1. pun. 7. §. 28. & tom. 4. diſp. 1. q. 8. nec diſſentiunt hodie Sectarij: niſi quod Marcus Antonius, male nuper ab Eccleſia Chriſti & vera fide deuius lib. 1. de Repub. Eccleſ. cap. 1. negauit, Chriſtum ante Aſcenſionem fuiſſe Caput Eccleſiæ, aut per ſe ipſum fundaſſe & ædificaſſe Eccleſiam; cum ea per Apoſtolos primum fuerit ædificata poſt Chriſti Aſcenſionem.

41 Probatur aſſertio apertè ex ſcriptura, quæ Chriſto in terris exiſtenti plenam auctoritatem regendi Eccleſiam tribuit. Vt quando ipſe duodecim Apoſtolos ac ſeptuaginta Diſcipulos miniſtros delegit, & cum auctoritate ad prædicandum Euangelium regni cælorum dimiſit. Matth. 10. Marci 3. & Luc. 6. 9. & 10. Item quando inſtituit noua Sacramenta, nouumque Sacerdotium & Sacrificium, quando noua præcepta & Conſilia Euangelica condidit & promulgauit.

Quo ſpeciatim etiam pertinent illa Matthæi 28. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes &c. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Ioannis 20. v. 21. *Sicut miſit mè Pater, & ego mitto vos, &c. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis, &c.* 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Epheſ. 1. v. 22. *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius: & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet.* Epheſ.
42 2. v. 20. *Super ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* 1. Petri 2. v. 6. & Iſaiæ 28. v. 16. *Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum pretioſum: & qui crediderit in eum non confundetur.* Quæ quidem ad Chriſtũ etiamnum mortalem vitam agentem ſpectare, patet ex verbis ſubſequentibus: *Lapis quem reprobauerunt ædificantes*, nempe Iudæi Chriſtum crucifigentes. Hinc etiam Chriſtus peculiari modo vocatur in ſcriptura Doctor, Præceptor, Legiſlator, Iudex, Medicus, Paſtor, & Pontifex, vt pluribus videre eſt apud Valentiam loc. cit.

Ratio eſt manifeſta. Nam cum Chriſtus eſſet Deus & homo, in quo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi erant, quique ideo etiam miſſus fuit à patre in mundum, vt nouam ſibi Eccleſiam congregaret, negari non poteſt, eum etiam ſecundum humanitatem quoddam abſolutum in Eccleſia ius, & ab omni creatura independens dominium habuiſſe: præſertim quando non ſolum rexit ipſe Eccleſiam, quamdiu præſens erat, ſed ipſum quoque Eccleſiaſticum regimen primus ſua auctoritate inſtituit; quod eſt apertum ſignum poteſtatis in vniuerſa Eccleſia, vt dictum.

43 Aſſertio II. Chriſtus neque tradidit, neq; tradere potuit plenitudinem illam & perfectionem ſuæ poteſtatis & auctoritatis alteri; qui proinde in ſuo regimine nullum habet ſucceſſorem. Hanc aſſertionem bene declarant, & proſequuntur Turrecremata de Eccleſia lib. 1. cap. 52. & Gregorius de Valentia tom. 4. d. 1. q. 9. pun. 4. & d. 3. q. 5. pun. 3. Probatur & declaratur. Quemadmodum enim caput hominis duo potiſſimum munia ſibi vindicat; nimirum quod per ſenſus & intelligentiam cæterorum membrorum functiones dirigit, & imperat, & quod ſimul in membra cætera vim quandam internam vitæ motuſque vitalis influit: ita Chriſtus non modo Eccleſiæ caput eſt, quod extrinſeca directione, & gubernatione, docendo, & præcipiendo, corpus Eccleſiæ dirigit, ſed ſimul etiam, quod internum vigorem, gratiam ſcilicet, & omnis generis virtutes, eidem ſuggerit ac ſubminiſtrat, iuxta illud Ioannis 1. v. 17. *De plenitudine eius nos omnes accepimus & gratiam pro gratia: quia lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.*

Deinde Chriſtus ſupremam habuit poteſtatem leges ferendi, abrogandi, noua Sacra- 44
menta inſtituendi, vetera abrogandi, totumque Eccleſiæ regimen ſuo arbitratu conſtituẽdi; quod nulli hominum competit. Denique Chriſtus caput eſt vniuerſale totius Eccleſiæ, non ſolum militantis in terris, ſed etiam triumphantis in cœlis, omniumque fidelium, qui vnquam ſunt, fuerunt, aut erunt: quod itidem nulli hominum conuenit.

Quæ etiam cauſa eſt cur Chriſtus in Eccleſia nullum habeat ſucceſſorem; ſed ſolummodo vicarium vt dicemus. Quia ſucceſſor cum anteceſſore parem poteſtatem habet; ac ſimul eundem anteceſſorem poteſtatem ſuam amiſiſſe ſupponit: quod de Chriſto dici non poteſt.

Aſſertio III. Contulit tamen Chriſtus ali
quam in Apoſtolos poteſtatem, & auctorita- 45
tem regendi, & gubernandi Eccleſiam: atque ita quidem, vt Apoſtoli omnes, quoad communem Apoſtolatus dignitatem, & prærogatiuam, pares eſſent. Prior pars conſtat ex dictis dub. præced. Secundam partem tradunt Caietanus tractat de comparatione Papæ, & Concilij c. 3. vbi dicit, *Apoſtolos reliquos, quatenus Apoſtolos, fuiſſe D. Petro pares; quatenus autem erant oues Chriſti, fuiſſe Petro ſubiectos.* Idem ex communi docet Gregorius de Valen. hic q. 1. p. 7. §. 28.

Probatur, & declaratur aſſertio. Nam ad Apoſtolatus prærogatiua duo pertinebat; primum quod ipſi immediatè à Chriſto Eccleſiaſtici miniſterij auctoritatem acceperunt: alterum quod eandem auctoritatem à Chriſto accéperunt, ſine vlla determinatione ad certa loca; ita nimirum vt ipſi tanquam Epiſcopi, Doctores, & Paſtores animarum, poſſent vbique in toto terrarum orbe munia Eccleſiaſtica rite obire, iuxta illud Matthæi 28. verſ. 19. *Euntes docete omnes gentes*; & Marci 16. verſ. 15. *Euntes in mundum vniuerſum; prædicate Euangelium omni creaturæ.* In hac ergo vtraque Apoſtolatus prærogatiua, omnes Apoſtoli pares fuerunt. Quod ipſum etiam SS. Patres nonnunquam docuerunt, ſpeciatim Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ vbi ait: *Hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quod & Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis.*

Aſſertio IV. Petrus nihilominus caput 46
fuit Apoſtolorum, & Vicarius Chriſti; adeoque poſt Chriſtum, & ſub Chriſto, viſibile in terris totius Eccleſiæ caput. Hæc aſſertio contra Sectarios huius temporis probatur fuſe à Controuerſiarum tractatoribus; ſed ego ſcripturæ ſolum potiſſima loca paulò accuratius expendam.

Pri-

Prima igitur ac potiſſima probatio ſumitur ex apertis noui teſtamenti teſtimonijs, quibus eam poteſtatem,& auctoritatem Chriſtus Apoſtolo Petro, partim promiſit, partim confirmauit, ac denique re ipſa tradidit.

Primus locus eſt Matthæi 16. verſ.18.vbi Chriſtus ad Petrum ait: *Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & ſanguinis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cęlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cęlis*: Ex quo loco duplex argumentatio ad propoſitum deſumitur. Primum ex verbis illis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

47 Ex quibus ita argumentamur: Si Chriſtus ſuper Petrum, veluti petram, ac ſecundarium poſt ſe fundamentum ædificauit Eccleſiam ſuam vniuerſam, & ad finem vſque mundi durationem, conſequens eſt, Petrum fuiſſe poſt Chriſtum, eiuſque aſcenſionem, viſibile caput & Primatem totius Eccleſiæ Chriſti, & cæterorum Apoſtolorum: ſed verum eſt antecedens, ex aperta illa Chriſti promiſſione, quam ſaltem poſt Chriſti aſcenſionem fuiſſe impletam dubitari non poteſt. Ergo & cõſequens. Maior patet; quia idem eſt in ædificio ſpirituali, eſſe petram, ſeu primarium ac immobile quoddam fundamentum totius ædificij, & eſſe caput eiuſdem ædificij; atque hoc ipſo, quod Chriſtus vniuerſam Eccleſiam ſuam ſupra Petrum ſe ædificaturum promiſit, ſimul etiam ſtatuit, vt vniuerſa Eccleſia, adeoque etiam cæteri Apoſtoli, Petri auctoritate, & robore niterentur; quando vtique in Eccleſia Chriſti vniuerſa, etiam Apoſtoli comprehenduntur.

48 Minor propoſitio, nimirum in verbis illis Chriſti, per petram deſignatum fuiſſe Petrum, de quo tota eſt difficultas, probatur primo ex ipſo verborum contextu, prout etiã in Biblijs latinis recitatur. Nam in ſimilibus lòquendi modis, vbi facta certæ perſonę compellatione, *Tu es hic vel ille*; ſubiungitur particula demonſtratiua, relata vel ad idem nomen denuo repetitum, vel ad ſimile habens alluſionem ad priorem perſonæ appellationem, v. g. *Et cum hoc, vel illo faciam, aut fiet iſtud &c.* ſemper vocula demonſtratiua demõſtrat perſonam de qua antea immediate ſermo erat, vt ſi dicam: *Tu es Rex, & in hoc Rege fiduciam meam colloco. Tu es Conſul, & ab hoc Conſule conſilium expecto. Tu es mercator, & ab hoc mercatore merces expoſco. Tu es ciuis, & cum hoc ciue amicitiam iungam. Tu es Dux, & hunc Ducem miles ſequar &c.* Idem etiam fit in nominibus proprijs; etiamſi nonnulla ſubinde in ijs fiat ipſarum terminationum ac generum per alluſionem mutatio, vt ſi dicam: *Tu es Ignatius, & hoc igne mundus inardeſcet. Tu es Columna, & hæc columna ſuſtinebit Eccleſiam. Tu es Victoria, & hæc victoria exhilarabit orbem. Tu es Aquila, & hæc aquila ſuper aſtra euolabit.* Et ſimilia huius generis adduci poſſunt innumera; in quibus omnibus, & ſingulis exemplis, ſi vel exactiſſima, & pleniſſima omnium fiat inductio, quis niſi mente captus negauerit, demonſtratiuum pronomen *Hic* cum ſuo appellatiuo ſemper reſpicere perſonam, quæ immediatè antea pronomine illo primitiuo *Tu* ſignificabatur? Cum ergo & oratio illa. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſit ijs, de quibus diximus vndequaque, & per omnia ſimilis, certe apertiſſima contumacia, & voluntaria inſania imo aperta cognitæ veritatis impugnatio eſt, ſolo nouandi ſtudio negare, verba illa *Super hanc petram* reſpicere, & deſignare Petrum.

49 Secundo confirmatur idem ex textu græco. Etenim quia vocabulum *Petrus*, græcum eſt, hinc fit, vt in latino ſermone, non ita clara ſit vis & emphaſis alluſionis, ipſaque adeo connexio inter Petrum & petram: quæ multo minus etiã eluceſcit in vernaculo idiomate, vbi nec vocum quidem eſt illa annominatio, & ſimilitudo, cum dicitur: ....
....
Qua ratione fit etiam, vt apud homines ſimplices, Sectarij noſtri cauſam vtcunque tolerabilem tueri videantur, cum dicunt, *Petrus*, ... nihil inter ſe commune habere, cum tamen ſi textum latinum, & multo magis ſi Græcum, aut Syriacum legere, & intelligere poſſent, perſpicuam rei veritatem vtique facile perſpecturi eſſent.

50 Itaque vt de græco textu prius dicam. in eo verba, de quibus agimus, ita leguntur: *σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*. In quibus verbis, vtrumque nomen illud *Πέτρος*, & *πέτρα*, quibus apud latinos reſpondent *Petrus, & petra*, tametſi genere & terminatione differant, quod vnum maſculinum eſt, alterum fæmininum, vnam tamen prorſus ac eandem ſignificationem habent, ita vt æque vtrumque petram, rupem, aut cautem, ſeu immobile ſaxum ſignificet. Quo fit, vt ſi ſpectemus verborum ſignificationem, perinde ſit, ac ſi dixiſſet Chriſtus: *Tu es Petra, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiã meam.* Quod ſi factum fuiſſet, quis quæſo negare auderet, voculam petram ſecundo loco poſitam deſignare Petrum? Et quamuis S. Matthæus, aut eius interpres æque potuiſſet vtrobique vti vocabulo *Πέτρος* dicendo: *σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*. Quaſi dicas, *Tu es Petrus, & ſuper hunc Petrum ædificabo Eccleſiam meam*: attamen ad omnem æquiuocationem tollendam, ne vocabulum *Πέτρος*, etiam altero loco ſolum velut proprium Petri nomen, non autem ſecundum genuinam vim ac ſignificationem vſurpatum videretur, atque adeo vt emphaſis & vis indubitata nominis appellatiui petram ſignificantis, à Chriſto loquente ſpectata, liquido repræſentaretur, maluit is ſecundo loco, vti vocabulo *petra Petrus*.

51 Perinde ac ſi quis eum, qui latinè vocaretur Scintilla, aut Stella, ita alloqueretur: *Tu es Scintilla, & hæc ſcintilla magnum excitabit incendium. Vel tu es Stella, & hac Stella illuminabitur orbis.* Vbi ſimiliter ex genere maſculino tranſitur ad fœmininum; eo ſolum vt vis ſua, & ſignificatio nomini Scintillæ ac ſtellæ ſecundo loco vſurpato conſtet. Et ſicut in hoc caſu, ob mutationem generis, nemo dubitaret, nomen ſcintillæ, ac ſtellæ vtroque loco vnum & eundem hominem deſignare, etſi priore loco maſculine, poſteriori loco fœminine, ac per modum appellatiui vſurpatum

eſſet ; ita etiam dubitari nullo modo poteſt, vtrumque vocabulum Πέτρος, & Πέτρα, etſi genere diuerſum, vnum tamen ac eundem Petrum deſignare ac ſignificare. Vt proinde puerilis aduerſus Grammaticam ſit error Iacobi Heilbrunneri, Prædicantis quondam Neoburgenſis, in ſuo acatholic. art. 4. cap. 2. pag. 285. quando ex illa mutatione & diuerſitate generis, colligit, petram ad Petrum ſpectare non poſſe : *quia relatiuum*, inquit, *cum ſuo antecedente genere & numero conuenire debet.* Quaſi vero petra aut ſcintilla vel ſtella, &c. in his exemplis ſint relatiua, & non potius nomina appoſita, quæ ſæpè genere à ſuo antecedente differunt.

52 Tertio idem clarius pateſcit ex textu Syriaco. Vbi ſine vlla prorſus nominum variatione, pro verbis illis *Petrus*, & *petra*, vnum ac idem vocabulum *Cepha*, ſiue *Cipha*, vtrobique legitur, ad hunc ſcilicet modum : *Danthù Ciphà, veal hada Ciphà ebncha lebidthi*: hoc eſt: *Tu es Cipha, & ſuper hanc Cipha ædificabo Eccleſiam meam.* Quod aliud non eſt, quam ſi græce dictum fuiſſet: σὺ εἶ πέτρα, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. aut latinè ; *Tu es Petra, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* ; vel etiam germanicè ; .... Quæ ſi ita in lingua Græca, Latina, vel Germanica dicta fuiſſent à Chriſto, quis vel impudentiſſimus negare auderet, nomen *petram* ſignificans ſecundo loco cum pronomine demonſtratiuo poſitum, Petrum deſinare ?

Cum igitur Chriſtus Dominus ita prorſus, non quidem græce, nec latine, aut lingua noſtra quadam vernacula, Petrum allocutus ſit, ſed Syriacè, prout in ipſo etiam Syriaco Euangelij textu refertur, quis dubitet ijs verbis, *Super hanc petram*. in quamcunque tandem linguam tranſponantur, ſeu quocunque vocis ſono enuntieutur, Petrum deſignari, ac velut digito demonſtrari ? præſertim quando in Syriaco & in Hebraico idiomate, nec potuit quidem talis vocum quoad terminationem mutatio, qualis in lingua græca & latina cernitur, locum habere, cum nomen *Cepha* apud Syros, & nomen *Ceph* apud Hebræos, ſiue de perſona dicatur, ſiue de re ſcilicet *petra*, eundem ſonum, eandemque terminationem conſtanter retineat.

53 Quarto probatur eadem veritas ex circumſtantijs loci ; quæ in eundem ſenſum optimè quadrant. Nam nec Chriſto aliud quicquam magis conueniebat, quam ædificare, & fundare Eccleſiã ſuam; nec Petro aptius quidquam, quam eſſe petram ; præſertim cum ob eam ipſam cauſam nomen id Petro fuerit à Chriſto recens impoſitum ; nec petræ aliud accommodatum magis, quam eſſe fundamentum Eccleſiæ ; nec fundamento huic affinius quidpiam, quam inexpugnabile ædificium ; nec huius ædificij promulgandi tempus, & locus opportunior, quam conuentus Apoſtolorum.

54 Quintò eadem veritas probatur conſentiente auctoritate Patrum, tam latinorum, quam græcorum, qui ex iiſdem verbis Chriſti, Petrum fuiſſe petram ac fundamentum Eccleſiæ conſtitutum, conſtantiſſimè tradiderunt ; ſpeciatim ex latinis Clemens Romanus epiſtola 1. ad Iacobum, Tertullianus lib. præſcript. cont. hæret. cap. 22. & in lib. de monogamia cap. 6. & lib. de pudicitia cap. 21. Cyprianus epiſt. 40. & epiſt. 55. & epiſt. 69. 70. 71. 73. & lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 3. Zeno Veronenſis ſerm. de Circumſione, Marcellus I. epiſt. 1. Hilarius Pictauienſis in pſalm. 131. & in Matthæum can. 16. & lib. 6. de Trinitate, Ambroſius ſerm. 47. & 64. & in hymno eccleſiaſtico, qui nunc etiam ad Laudes Dominicæ decantari ſolet, Hieronymus in caput 16. Matthæi & lib. 1. dialogorum aduerſus Pelagianos cap. 4. & Epiſt. 54. ad Marcellam, Auguſtinus ſerm. 2. & 5. in feſto SS. Petri, & Pauli & ſerm. 15. de Sanctis, & in pſalmo contra partem Donati iam olim etiam in Eccleſia decantari ſolito, Leo Magnus ſerm. 3. de anniuerſario ſuæ aſſumptionis, & homil. de Transfiguratione Domini cap. 1. & epiſt. 89. cap. 1. Proſper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 28. Gregorius Magnus lib. 6. epiſt. 37. & lib. 4. epiſt. 82. Iſidorus lib. 2. de offic. eccleſ. cap. 5. Bernardus lib. 2. de conſiderat. ad Eugenium.

Ex Græcis idem teſtantur Hippolytus orat. de conſumatione mundi, Origenes homil. 5. in Exodum & in cap. 6. epiſt. ad Romanos, Euſebius Alexandrinus homil. de reſurrectione, Athanaſius epiſt. ad Felicem, Baſilius in caput 2. Iſaiæ, & lib. 2. contra Eunomium, Gregorius Nazianzenus orat. 26. de moderatione in diſput. Epiphanius in Anchorato, Chryſoſtomus orat. in Petrum, & Paulum, & orat. in Petrum & Eliam Prophetam & homil. 83, in Matthæum, & in pſalm. 50. & homil. 80. ad populum Antiochenum de pœnit. & hom. 87 in Ioannem, Cyrillum Alexandrinus lib. 2. in Ioannem cap. 12. & Concilium Chalcedonenſe act 3. Euagrius lib. 2. cap. 4. Germanus Conſtantinopolitanus in theoria rerum eccleſiaſt. Damaſcenus in hiſt. Barlaam cap. 11. Theodorus Studites epiſt. ad Paſchalem Pontificem, Ignatius Conſtantinop. epiſt. ad Adrianum II. Theophylactus in cap. 16. Matthæi & 22. Lucæ, Euthymius in cap. 16. Matthæi, Theodorus Balſamon ad canonem 16. ſynodi Carthagin. Quin & Ieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, in ſuo ad wittenbergenſium ſcriptum reſponſo 2. cap. de iuſtit. fidei & bonis operibus, Petrum *Apoſtolorum Coryphæum* vocat: vt videas etiam Schiſmaticos græcos ab hac veritate, quamtumuis adeo Romanæ Cathedræ inſenſos non, deſciuiſſe. Quorum omnium Patrum expreſſa verba & teſtimonia ſigillatim retuli part. 2. confeſſ. Auguſt. demonſt. 3. §. 2. Certe negare hanc veritatem tam apertè in ſcriptura traditam, tantaque, & tam conſentiente Patrum teſtificatione roboratam, non niſi perfrictæ frontis eſſe poteſt. 55

Nec obſtat, quod Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 21. eam explicationem viſus eſt retractare, cum ait: In libro contra epiſtolam Donati dixi in quodam loco, de Apoſtolo Petro, quod in illo tamquam in petra fundata ſit Eccleſia : qui ſenſu etiam cantatur ore multorum in verſibus Beatiſſimi Ambroſij, vbi de gallo gallinaceo ait: Hoc, ipſa petra Eccleſiæ, canente, culpam diluit. Sed ſcio, me poſtea ſæpiſſimè expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt : Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam ; vt 56

ſuper

, ſuper hunc intelligeretur, quem confeſſus eſt , Petrus dicans: Tu es Chriſtus filius Dei viui: , ac ſi Petrus ab hac petra appellatus perſo, nam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc pe, tram ædificatur, & accepit claues regni cœ, lorum. Non enim dictum eſt illi, Tu es pe, tra, ſed Tu es Petrus: petra autem erat Chri, ſtus, quem confeſſus Simon, ſicut eum tota , Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum , autem duarum ſententiarum, quæ probabilior , ſit, eligat lector. *Ita Auguſtinus.*

57 Sed quæ reuera Catholicæ veritati nihil obſtare, ex his fit manifeſtum 1. quia Auguſtinus priorem illam ſuam explicationem, quã fatetur etiam Ambroſij verſibus iam olim palàm in Eccleſia fuiſse decantatam, nullo modo reijcit, aut retractat; ſed cùm aliam quidem ſimul explicationem adferat, tamen priori non anteponit, ſed vtramque iudicio Lectoris permittit. 2. Quia cur Auguſtinus priorem explicationem in dubium poſse vocari exiſtimarit, non ea fuit cauſa, quod de re ipſa vllo modo dubitaret, fuerit ne S. Petrus caput Eccleſiæ, & princeps Apoſtolorum; cùm primatum Petri, eiuſque ſummam in vniuerſum Eccleſiam auctoritatem etiam alijs locis conſtantiſſimè vbique profeſsus ſit Auguſtinus vt tract. 56. in Ioannem, & lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 1. ita vt quamuis de illius loci explicatione dubitaret Auguſtinus, de veritate tamen ſignificata eſset certiſſimus.

58 3. Cauſa, qua ad eam dubitationem motus fuit Auguſtinus, ex dictis apertè, & euidenter nulla eſse conuincitur. Nititur enim illa variatione terminationis, quæ in voculis *Petrus & petra*, iuxta græcum, & latinum textum, cernitur; quaſi idcircò illa quidem ad Petrum, hæc verò ad Chriſtum potiùs ſpectet; cùm tamen ea vocum differentia nec communi explicationi quidquam obſtet, vt demonſtrauimus; nec in lingua Syriaca, qua Chriſtus vſus eſt, vllo modo reperiatur. Ex quibus facilè colliget lector, an hæc Auguſtini qualis qualis dubitatio, nullo ſanè fundamento nixa, eiuſmet toties repetitæ, & communi omnium cæterorum Patrum, tam qui ipſum anteceſserunt, quàm qui ſubſequuti ſunt explicationi in Eccleſia tanto iam tempore palàm decantatæ, & ab ipſo CHRISTO tam clarè, & perſpicuè traditæ, præiudicare quidpiam debeat: præſertim cùm ipſe quoque Auguſtinus rem hanc omnem denique lectoris arbitrio permittat.

59 Alterum argumentum ſumitur ex verbis poſterioribus eiuſdem loci Matth 16. *Et tibi dabo claues regni cœlorum: Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Vbi per *Claues* intelligi ſummam poteſtatem regendi, & gubernandi Eccleſiam, patet tum ex quotidiano vſu, ac praxi etiam ſæcularis Reipublicæ; tum ex analogia ipſius ſcripturæ: ſiquidem etiam Iſaiæ 22. v. 22. & Apocal. 3. verſ. 7. eodem modo per *clauem Domus Dauid* ſumma poteſtas in Eccleſia gubernatiua deſignatur.

60 Has igitur claues Eccleſiæ cum Chriſtus, in præſentia quidem Apoſtolorum, ſed inter Apoſtolos ſoli Petro tradiderit; manifeſtum eſt ſummam poteſtatem regẽdi Eccleſiam ſoli Petro traditam fuiſſe. Neque omnia vſpiam legimus, ipſas quoque claues Regni Cœlorum cæteris Apoſtolis fuiſſe traditas; ſed vſum dumtaxat clauium, ſub Petro ſummo clauigero, iiſdem fuiſſe attributum, Matthæi 18. verſ. 18. & Ioannis 20. verſ. 23. vt ſcilicet intelligeremus, Apoſtolos aliquam ſanè in Eccleſia poteſtatem ligandi, & ſoluendi habuiſſe; eo quod in vſu clauium Petri directioni ſubiacerent. Et verò parùm intereſt, ſiue dicamus claues Petro datas fuiſſe, vt ſupremo capiti Eccleſiæ; ſiue quis dicat, claues datas fuiſſe Petro, vt Eccleſiæ perſonam ſuſtinenti. Hoc ipſo enim rectè Eccleſiæ perſonam ſuſtinebat Petrus, quod eius ipſe ſupremum eſſe caput: ſiquidem priuatus quiſque Reipublicæ perſonam ſuſtinere non ſolet, ſed Conſul; ſicut etiam Imperij Imperator.

Secundus locus noui teſtamenti, quo eadem poteſtas Petro denuò fuit à Chriſto confirmata, habetur Lucæ 22. à verſ. 24. vbi hæc leguntur: *Facta eſt autem & contentio inter eos, qui eorum videretur eſſe maior. Dixit autem eis; Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur. Vos autem non ſic: Sed qui maior eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat: vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedentis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Ait autem Dominus: Simon, Simon. Ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret, ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* 61

Ex quibus verbis, ad probandum Petri primatum, ita argumentamur. Quando in aliqua familia, præſente hero, oritur inter domeſticos contentio de primatu, ſeu de præcedentia; & herus ipſe peregrè abiturus, conſcius litis, eam vt componat, ac definiat, omnium quidem animos egregijs donis, ac pollicitationibus lenit, ac mitigat; attamen minimè interim negat, aut diſſimulat, aliquem inter eos eſſe, aut fere ſuperiorem; Sed hoc ipſum potiùs apertè aſſerit, præſcribendi modum regendi Superiori; quem ipſe etiam mox poſtea quaſi digito demonſtrando, ſigillatim alloquens, non ſolùm ſuam illi peculiarem gratiam, & beneuolentiam addicat, ſed inſuper etiam ei hoc officium, ac mandatum iniungat, vt cæteros domeſticos, aliquando forſitan nutantes, quoad opus fuerit, confirmet, ac roboret; tum certè dubium minimè eſt, & aliquem in familiæ gubernatione, & hunc ipſum ab hero cæteris eſſe prælatum, aliorumque Caput deſignatum. 62

Sed ita res ſe habet in propoſito. Orta enim erat contentio inter Apoſtolos, velut domeſticos ipſius heri, ac Patrisfamilias Chriſti, de primatu, & præcedentia; idque in præſentia ipſius Chriſti, paulò poſt ex hac vita diſceſſuri, eoque conſcio, vt ex Euangelica relatione patet. Eam litem vt componat, ac definiat Chriſtus, omnium quidem Apoſtolorum animos vniuerſim egregijs donis, ac pollicitationibus tenet, ac mitigat, dicendo; *Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, &c. vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo,* 63

& ſedeatis ſuper throno:, iudicantes duodecim
tribus Iſrael: At nunquam interim negat, nec
etiam diſſimulat, aliquem inter eos eſſe, aut
fore ſuperiorem, ſed hoc ipſum potiùs apertè
aſſerit, præſcribens modum regiminis Supe-
riori, his verbis; *Qui maior eſt in vobis, fiat*
ſicut minor, (ſtudio ſeruiendi, & commodan-
di;) *& qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*: quod
ipſum ſuo ſimul exemplo confirmat; *Ego au-*
64 *tem, &c.* Et mox poſtea quaſi digito demon-
ſtrans Superiorem, Petrum vnum ex omnibus
ſigillarim alloquitur, ſuamque illi coram om-
nibus peculiarem gratiam, & beneuolentiam
addicit: *Simon, Simon, &c.* Ego autem rogaui
pro te &c. atque inſuper & hoc ipſum etiam
officium imponit, vt olim ipſe conuerſus *con-*
firmet fratres ſuos, cæteros nempè Apoſtolos,
eorumuè ſucceſſores; quoties hac eis confir-
matione opus eſſet. Quis ergo dubitet, à
Chriſto vnum aliquem, & quidem hunc ipſum
Petrum, in quem iam antea tam euidens pri-
matus promiſſio, aliaque eius indicia con-
gruebant, confirmata promiſſione antea facta
Matthæi 16. vt dictum, cæteris prætuliſſe,
adeoque omnium Apoſtolorum caput deſi-
gnaſſe?

Tertius locus, quo idem primatus *Apo-*
65 *ſtola* Petro iam antea quidem Matthæi 16.
promiſſus, & Lucæ 22. confirmatus, re ipſa
poſtea à Chriſto traditus, ac conſignatus fuit,
habetur Ioannis 21. à v. 14. vbi hæc verba le-
guntur: *Hoc iam tertio manifeſtatus eſt Ieſus di-*
ſcipulis ſuis, cùm reſurrexiſſet à mortuis. Cùm
ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro IESVS: Si-
mon Ioannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam
Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Paſce
agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis dili-
gis me? ait illi: Etiam Domine, tu ſcis quia amo
te. Dicit ei: paſce agnos meos. Dicit ei tertio.
Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus,
quia dixit ei tertio, amas me; & dixit ei: Do-
mine tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te: Dixit ei:
paſce oues meas.

Ex quibus verbis Petrum à Chriſto acce-
66. piſſe poteſtatem ſupremam paſcendi, adeoque
regendi omnes omninò agnos, & oues Chriſti,
quæ ad eius ouile vnquam pertinerent, adeo-
que eam ipſam poteſtatem, & auctoritatem,
quæ ei promiſſa erat Matthæi 16. & denuò
confirmata Lucæ 22. apertè patet ex verbis, &
circumſtantijs huius loci. Aderat ſiquidem
iam tempus, quo Chriſtus poſt Reſurrectio-
nem ſuam ex decreti Æterni Patris, terras in
ſpecie quidem viſibili relicturus, Cœloſque
conſcenſurus erat: hic iam res ipſa poſtula-
bat, vt Eccleſiæ ſuæ, ac Ouili benigniſſimus
Paſtor de Vicario ſtabili prouideret, qui ſuo
ipſius Chriſti loco vniuerſas oues præſentes,
67 ſeù aliquando futuras regeret, & paſceret. Non
exciderat ipſi interim è memoria, quemdam
ex Apoſtolis iamdudum ante mortem, dupli-
cata promiſſione, ad hoc munus deſtinaſſet,
nempè quod Petrum deſignaſſet *petram*, ſuper
quam ipſe vniuerſam Eccleſiam ſuam ita eſſet
ædificaturus, vt nec portæ inferi quidem con-
tra eam eſſent præualituræ, quodque illi ſimul
claues Regni Cœlorum promiſiſſet, Matthæi
16. & denique quod paulò ante mortem, ei-
dem Petro veluti Maiori demus officium ipſos
etiam Apoſtolos olim in fide commendaſſet
Lucæ 22.

Itaque, vt hoc negotium penitùs abſol-
ueret, atque poteſtatem Petro iterato iam pro-
miſſam, re ipſa tandem traderet, coram ſex
alijs diſcipulis velut teſtibus, è quibus etiam
Iacobus, & Ioannes rerum quarumque maxi-
marum alias, etiam vna cum Petro inſpecto-
res, ac teſtes fuerant, ſolemni quaſi ſtipula-
tionis formula. ter repetita vſus, Petroque de
amoris affectu, quem in Paſtore ſciret, vel ma-
ximè eſſe neceſſarium, ter rogato, terque te-
ſtato, ter ipſe vna eademque ſtata verborum
formula Paſtoris vniuerſalis ſuper vniuerſum
ouile ſuum auctoritatem tradit, dicendo:
Paſce agnos meos, paſce oues meas. Vbi cùm
Chriſtus nullam penitus ouem ex ſuis ab au-
ctoritate, & iuriſdictione Petri, velut conſti-
tuti Paſtoris, exceperit, temerarius ſit, quiſ-
quis vnicam exceperit. Ex quibus proinde
conſtat. S. Petro ſummam poſt Chriſtum po-
teſtatem, ac auctoritatem regendi, ac pa-
ſcendi vniuerſum ouile Donunicum, omnem-
que adeò in terris Chriſti Eccleſiam ad finem
vſque mundi futuram, fuiſſe commeudatam.

Et confirmatur hæc explicatio, quia vo- 68
cabulum *Paſcere*, vti & apud Græcos verbum
ποιμαίνω, & apud Hebræos Rahah, tum apud
prophanos Scriptores, tum in ipſa etiam ſcri-
ptura non ſolùm paſcere, ſed etiam *regere* ſi-
gnificat; ſpeciatim 2. Reg. 5. v. 2. & Ezechie-
lis 34. v. 23. vbi de Chriſto dicitur: *Et ſuſci-*
tabo ſuper eas Paſtorem vnum, qui paſcat eas,
ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet eas, & ipſe erit
eis in Paſtorem. Et Iſaiæ 44. v. 28. Regi Cyro
dicitur: *Rhoi, paſtor meus es.* Et Homerus
l. 2. Iliados, Regem Agamemnonem ſæpè vo-
cat ποιμένα λαῶν, *paſtorem populorum*.

Atque ex eodem loco Petri primatum 69
aſſeruerunt etiam Origenes in cap. 6. ad Ro-
manos, Chryſoſtomus homil. vlt. in Ioannem,
& libro 2. de Sacerdotio in principio, & ho-
mil. 1. de pœnitentia. Ambroſius lib. 10. in
Lucam cap. 24. Gregorius lib. 4. regiſtri ep. 32.
& Theophylactus in eundem locum Ioann. 21.
Optimè Cyprianus lib. de Vnitate Eccleſiæ
cap. 3. vtrumque locum, primum, & tertium
coniungens, ait: *Loquitur Dominus ad Petrum:*
Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper
illam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ
inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues
regni Cœlorum, & quæ ligaueris ſuper terram,
erunt ligata & in Cœlis &c. Et iterùm eidem
poſt Reſurrectionem dicit: Paſce oues meas. Su-
per illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi
paſcendas mandat oues ſuas &c. Ex quibus pro-
inde etiam eadem aſſertio comprobatur, con-
ſentiente Patrum auctoritate, quos circa pri-
mum, & tertium locum retulimus.

Secundò, probatur eadem aſſertio, ex fi- 70
gura veteris teſtamenti; in quo itidem ſupre-
ma iudicandi, & regendi Eccleſiam auctori-
tas, ad vnum aliquem ſummum Sacerdotem
pertinebat, vt patet Deuteronomij 17. v. 12.
poſt conſtitutum in genere Sacerdotum Tri-
bunal, ſpeciatim de ſummo Sacerdote ſub-
iungitur; *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire*
Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Do-
mino Deo tuo ex decreto Iudicis morietur homo
ille, & auferes malum de Iſrael; cunctuſque po-
pulus audiens timebit, vt nullus deinceps intu-
meſcat ſuperbia. Et 2. Paralipomenon 19. poſt
commendatum itidem generale Tribunal Sa-

cer-

cerdotum; mox ſubiungitur v. 11. *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit.* Vbi itidem ſuprema auctoritas iudicandi ad ſummum Sacerdotem reuocatur. Et denique illud Malachiæ cap. 2. verſ. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam; & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*; ad ſummum itidem Sacerdotem ſpeciatim pertinet. Cùm igitur figuratum figuræ reſpondere debeat, neceſſe eſt, vt etiam in Eccleſia Chriſti, poſt eius in Cœlos aſcenſum, inter ipſos Apoſtolos vnus aliquis cæteris emineat, qui tam Apoſtolorum, quàm ipſis Eccleſiæ viſibile caput extiterit; neque verò id alij quàm Petro vel per ſomnium tribui poteſt.

Tertiò, idem probatur ex alijs pluribus
71 prærogatiuis, quibus idem Apoſtolus Petrus ſæpe alias in ſcriptura cæteris Apoſtolis præfertur. Ita enim I. Matthæi 10. v. 2. Vbi numerus Apoſtolorum initur, eorumque catalogus refertur, non ſolùm in actu quaſi exercito primo loco refertur Petrus, quod alibi ſæpius factum; Sed etiam expreſsè, & in actu ſignato, *primus* dicitur; idque non ordine vocationis, quia Andreas prior vocatus erat Ioannis 1. Neque ratione ætatis; non ſolùm quia in Eccleſiaſtica congregatione, vbi de perſonarum gradibus, & ordine agitur, ſolius ætatis nulla habetur ratio; Sed etiam quia multi veriùs putant, Andream fuiſſe ſeniorem, vt poſt Epiphanium hæreſ. 51. docent Baronius tom. 1. Annalium Anno Chriſti 31. num. 23. Lorinus in cap. 1. Actorum v. 13. Serratius in tract. de Apoſtolis, & alij tametſi oppoſitum docuerint Chryſoſtomus apud eoſdem, & Caſſianus lib. 3. de Incarnatione c. 12. ſed ordine vtiq; dignitatis, & præeminentiæ.

II. Vnus omnium nomine Petrus Matth. 16. in re omnium grauiſſima, Chriſto reſpondet,
72 vniuerſim Apoſtolos interroganti: *Vos autem quem eſſe dicitis?* III. Chriſtus pro ſe tantùm, & Petro, tributum ſoluit, Matthæi 17. v. 26. IV. Secretiſſimis quibuſque myſterijs à Chriſto teſtis cum paucis adhibetur, vt in domo Archiſynagogi, in Monte Thabor, & Oliueti: Simulque primus vbique inter ſocios refertur, Marci 5. Matthæi 17. & 26. V. Peculiariter Chriſtus pro Petro orat, nè fides eius deficiat Lucæ 22. verſ. 32. VI. Primò inter Apoſtolos Petro à Chriſto pedes lauantur Io: 13. v. 6. Primus inter Apoſt. Petro Chriſtus reſurgens apparet Lucæ 24. v. 34. & 1. Cor. 15. v. 5. VIII. Primus Apoſtolorũ cętu poſt Chriſti Aſcenſionem colligit, ac reſtaurandum docet, Actor. 1. v. 16. IX. Primus poſt acceptum Spiritum Sanctum, in Conuentu Apoſtolorum, Euangelium palàm promulgat Act. 2. v. 14.

X. Primus inter Apoſtolos publico miracu-
73 lo fidem confirmat. Act. 3. v. 6. XI. Primus iudiciariam poteſtatem in Eccleſia poſt Chriſtum palàm exercuit, damnando Ananiam, & Saphiram, Actorum 5. v. 1. XII. Primus diuinitus edocetur de Euangelio etiam Gentibus prædicando; iiſque in Eccleſiam admittendis, Act. 10. v. 13. XIII. In primo generali Concilio Apoſtolorum primus Petrus ſententiam tulit, cui omnes Apoſtoli acquieuerunt, Act. 15. v. 7.

Denique quoad rem vel maximè pertinet, ſolus inter Apoſtolos Petri nomen Chriſtus ipſe mutauit, atque ita quidem, vt pro *Simone* eum vocandum ſtatueret *Cepham*, ſiue Petrum Ioannis 1. v. 42. Cur? niſi vt officio, ac muneri ſuo futuro, ab initio ſtatim conueniens nomen obtineret, ac ex Simone, ſeu *audiente*, & communi diſcipulo Chriſti reipſa quandoque ſuo tempore fieret *petra* Eccleſiæ, & caput Apoſtolorum.

Ex quibus etiam colligitur, falſum eſſe, 74
quod Sectarij dicunt, Petrum ſuum illam poteſtatem nunquam exercuiſſe. Quod autem minus frequenter aduerſus Apoſtolos eam poteſtatem exercuerit, ratio eſt; quia eorum ſinguli Spiritu Sancto repleti, pro ſua quidem perſona, externi moderatoris ope in actu ſecundo non admodum indigebant.

Quare etiam Chryſoſtomus homil. 21. in Acta: *Vbique*, inquit, *Petrus primus inuenitur. Quando eligendus Apoſtolus, hic primus; quando loquendũ Iudæis, non eſſe Apoſtolos ebrios: Quando curandus claudus; quando concionandum: quando agendum contra Principes; quando contra Ananiam; quando ab vmbra ſanationes fiebant, hic erat. Et vbi quidem erat periculum hic, & vbi moderatio. Vbi autem tranquillitate res erant plenæ, communiter omnes. Sic non exigit honorem maiorem.* Quod etiam de Romano Pontifice habet Gregorius magnus lib. 7. epiſt. 64. cùm ait: *Si qua culpa in Epiſcopis inuenitur, neſcio quis Epiſcopus Sedi Apoſtolicæ ſubiectus non ſit. Cùm verò culpa non exigit, omnes ſecundùm rationem humanitatis æquales ſunt.*

Quintò, probatur aſſertio ratione. Si
enim poſt Chriſti aſcenſum nullus inter Apo- 75
ſtolos Chriſti Vicarius, qui viſibile totius Eccleſiæ caput eſſet, relictus eſt, neceſſe eſt, Eccleſiæ regimen eſſe mutatum; itaut ex Monarchia tranſiret in Ariſtocraticam: conſequens autem eſt falſum, & abſurdum: Ergo, &c. Maior probatur: quia regimen cuiuſque communitatis deſumitur ex eiuſdem magiſtratu viſibili; & quidem ſi Monarchicum regimen ſit, à ſupremo capite viſibili. Cùm ergo conſtet, Chriſtum cùm in terris ageret, fuiſſet caput viſibile totius Eccleſiæ, ipſumque adeò Eccleſiæ regimen fuiſſe Monarchicum, ſanè fatendum eſt, regimen illud fuiſſe mutatum, ſi Chriſtus nullum ſupremum Caput viſibile in terris, ſecundarium quidem, ſibique ſubordinatum poſt ſe reliquerit. Minor itidem probatur, quia ſi Eccleſiæ regimen ex Monarchia fuiſſet mutatum in Ariſtocratiam, ſequeretur ipſam quoque totam Eccleſiam fuiſſe mutatam; ac proindè nec eandem nunc eſſe Eccleſiam, quæ fuit viuente Chriſto in terris: quia vnitas politici corporis maximè deſumitur à ratione, & modo politiæ, ac gubernationis, ſiue regiminis.

Ex quibus denique rectè cum S. Leone 76
epiſt. 89. ad Epiſcopos Viennenſis Prouinciæ concludimus: *Quiſquis Petro principatum æſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt diminuere dignitatem; ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ ſemetipſum in inferna demergit.*

ASSERTIO V. Eſt & ſemper in Eccleſia 77
fuit vnus aliquis, qui Apoſtolo Petro defuncto in eadem ſuprema (Chriſto tamen ſubordinata) Eccleſiam gubernandi, & regendi auctoritate, & poteſtate, ſummique, ac ordinarij Paſtoris munere, diuino iure ſuccederet. Hanc Catholicam aſſertionem benè tuentur

tur, & explicant Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 17. Caieranus de auctorirate Papæ, & Concilij cap 4. Canus lib. 6. locorum cap. 3. Stapletonus in relect. controuerſ. 3. quæſt. 2. art. 1. Gregorius de Valentia hic qu. 1. punct. 7. §. 15. & Bellarmiuus lib. 1. de Romano Pontifice.

Definitur eadem aſſertio in Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 15. in qua hi Wicleffi errores damnantur: nimirum 7. *Tetrus non fuit, nec eſt manifeſtus, & verus ſucceſſor Petri*. Et 27. *Non eſt ſcintilla apparentia, quod oporteat eſſe vnum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante Eccleſia conuerſetur, & conſeruetur.* Quos Wicleffi errores etiam Lutherus, Caluinus, & alij huius temporis ſectarij ſunt ſequuti.

Probatur autem aſſertio Catholica pri-
78 mo, ijſdem tribus ſcripturæ locis, quibus antea probaalmus, primatum Eccleſiæ fuiſſe penès S. Petrum; quoſque non modò hactenùs ad eum ſenſum interpratati ſunt Patres, & Concilia; ſed qui ipſo etiam verborum ſono, & contextu eundem ſenſum apertè præſeferunt. Nam cùm abſolutè dixerit Chriſtus ad Petrum, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; Paſce oues meas*, neceſsariò intelligendum id eſt, tum de vniuerſa Chriſti in terris Eccleſia, vſque ad finem Mundi exiſtente, tum generatim de omnibus Chriſti ouibus, quouis tempore exiſtentibus; idque etiam ob eam cauſam, nè dicendum ſit, Eccleſiam ſucceſsu temporis, ſuo illo fundamento fuiſse deſtitutam, ſuper quod ab ipſo Chriſto antea fuerat ædificata, aut ouile Chriſti, officio ſupremi Paſtoris à Chriſto conſtituti fuiſse poſtea ſpoliatum: atqui fieri non poteſt, vt vel Petrus in propria perſona fundamentum ſit totius Eccleſiæ ad finem vſque ad Mundi futuræ; quando iam in cœlis exiſtens, nullam in Eccleſiam auctoritatem, ſeu poteſtatem exercet; aut vt is in propria perſona paſcat oues omnes Chriſti, veram ijs fidei doctrinam proponendo, & quæ circa illa controuerſa ſunt definiendo: ergo neceſsariò illa ad Petrum pertinere exiſtimando ſunt non ſolùm ſecundùm propriam eius perſonam. ſed etiam quantum ad eiuſdem Succeſsores, continua ſucceſſione in Eccleſia permanſuros. Quod ipſmu etiam nomen, & officium tam fundamenti, quàm Paſtoris indicat. Nam & illud ſua natura perpetuum eſt, quamdiù ædificium durat: & officium paſtoris inſtitutum, non minus durabile eſſe debet, quam ipſum ouile.

Quæ etiam argumentatio hoc ſyllogiſ-
79 mo clariùs explicatur. Nam poteſtas illa, & auctoritas, quæ iuxtà Chriſti promiſſionem, Eccleſiam perpetuò ſuſtinere, paſcere, & aduerſus quoſuis aduerſariorum impetus immotam tueri debet, neceſſariò eſſe debet poteſtas, ſeu auctoritas ordinaria, ac in Eccleſia permanens; ac proinde non in ſolo Petro, ſed & in eius ſucceſſoribus duratura: Poteſtas, & auctoritas Petri, iuxta Chriſti promiſſionem, vniuerſam Chriſti Eccleſiam perpetuò ſuſtinere, paſcere, & aduerſus quoſuis aduerſariorum impetus immotam tueri debet: Ergo Poteſtas, & auctoritas Perri neceſſariò eſſe debet ordinaria, & in Eccleſia permanens; ac proindè non in ſolo Petro, ſed in eius ſucceſſoribus perpetuò duratura.

Secundò, probatur eadem aſſertio ex fi- 80
gura veteris teſtamenti, ducto argumento à minori ad maius. Nam vt ſuperius dictum, in Synagoga, ſemper, ac perpetua ſucceſſione, vnus aliquis erat Summus Pontifex, qui ſuprema poteſtate in ſpiritualibus Synagogæ præceſſet, eamque gubernaret: Ergo id multò magis tribuendum eſt Eccleſiæ. Conſequentia probatur. Nam præterquam quod *omnia in figura illis contingebant*, 1. Corinth. 10. negari certè non poteſt, Deum non minùs prouidè, & ſapienter proſpexiſſe Eccleſiæ Chriſtianæ, quàm Synagogæ; ad perfectionem autem prouidentiæ pertinet, vnum caput viſibile tantæ communitati præficere.

Tertiò probatur continua praxi, & ſenſu ipſius Eccleſiæ, vt docetur dubio ſequenti: cui quantum ſit deferendum, patet ex illo Apoſtoli 1. Tim. 3. v. 15. vocantis Eccleſiam columnam. & firmamentum veritatis.

Qartò, probatur aſſertio rationibus. I. 81
Neceſſarium eſt ad bonum regimen Eccleſiæ, & vnitatem in ea conſeruandam, præter Congregationem, & Concilium generale Epiſcoporum, vnum aliquem inter ipſos Epiſcopos eſſe ſupremum caput, & moderatorem totius Eccleſiæ, qui ea, quæ ad bonos mores, & doctrinam Eccleſiæ pertinent, ſuprema auctoritate definire, ac præſcribere poſſit: Ergo reipſa extat in Eccleſia vnum aliquod eiuſmodi ſupremum caput, continua ſucceſſione permanens. Antecedens patet, tum quia controuerſiæ de fide, quas propter ſummam varietatem nationum, ſtatuum, ordinum, ac ingeniorum, neceſsè eſt in Eccleſia frequenter oriri, nequeunt ſufficienter determinari per Epiſcopos, ſi inter eos non ſit aliquod ſupremum Eccleſiæ caput; non ſolùm quia tunc nullus erit, qui cum auctoritate, quoties opus ſit, poſſit Epiſcoporum Concilium cogere; ſed etiam quia moraliter impoſſibile eſt, pro qualibet controuerſia definienda generale Epiſcoporum Concilium conuocare: particularia autem Epiſcoporum iudicia, nec infallibilia ſunt, nec ad fidei vnitatem in Eccleſia ſeruandam ſufficiunt, vt patet, & dictum eſt quæſt. præced.

II Petrus iam in Cęlo exiſtens, vel adhuc 82
manet Eccleſiæ caput, fundamentum, & petra; vel non. Non primum, quia ſic duo eſſent inuiſibilia capita Eccleſiæ; nimirum Chriſtus, & Petrus: cùm tamen præter Chriſtum, inuiſibile caput Eccleſiæ, omnium ſententia, nullo alio inuiſibili capite opus ſit. Si ſecundùm dicitur, neceſsè eſt, & fundamento Eccleſiæ fuiſſe ſubſtitutum; nè fatendum ſit, Eccleſiæ corpus, & ædificium perijſſe. III. Si Petro in Eccleſiæ gubernatione nullus ſucceſſit, neceſsè eſt eccleſiaſtici regiminis formam fuiſſe mutuatam; itaut Monarchia tranſiret in Ariſtocratiam, aut oligarchiam, ſeù democratiam: conſequens autem eſt planè abſurdum; quia ſic ipſum etiam corpus Eccleſiæ mutuatum fuiſſet, vt ſuperiùs in ſimili dictum: ergo, &c.

ASSERTIO VI. Alia eſt ratio cæterorum 83
Apoſtolorum, quibus etſi quidam in Eccleſia Paſtores, ſcilicet Epiſcopi; non tamen impari, & æquali omninò poteſtate ſucceſſerunt. Explicatur, & probatur aſſertio. Apoſtoli enim in Eccleſia duplex ſuſtinebant officium, ſaltem

ratio-

ratione diſtinctum, vnum extraotdinarium, legationis à Chriſto immediatè demandatæ, quatenùs videlicèt erant Apoſtoli, ſeu legati à Chriſto miſſi ad prædicandum,& plantandum Euangelium in toto Mundo. De quo S. Paulus 2. Corinth.5. v. 20. *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. Et Epheſ.6. v. 20. *Pro quo legatione fungor in catena; ita vt in ipſo audeam, prout oportet me loqui.* Alterum ordinarium ſecundùm quod, & ipſi, tanquam Paſtores, & Rectores Eccleſiæ, ac Epiſcopi animarum, poteſtate quidem ordinis ipſi Petro pares, poteſtate autem iuriſdictionis eodem inferiores, alijs verò Sacerdotibus vtroque modo ſuperiores, poterant munia Epiſcopalis poteſtatis in deſignato cuique territorio exercere.

84 Nunc ergo in illo extraordinario officio, atque adeò in illa duplici prærogatiua Apoſtolatus, quam ſuperiùs Aſſertione 3. explicaui, nemo Apoſtolis ſucceſſit: erat enim hoc munus legationis extraotdinarium. In illo autem otdinario Paſtotali munere Epiſcopi in Apoſtolorum locum ſubuecti ſunt, vt docet etiam Concil. Tridentinum ſeſſ.23. cap.4. Epiſcopi enim poteſtatem ordinis eandem omninò habent cum Apoſtolis; iuriſdictionis autem poteſtatem, qua & Pontifice Romano Petri ſucceſſore inferiores ſunt, & Sacerdotibus alijs ſuperiores, tantam omninò habent in ſua Diœceſi, quanta particularium Eccleſiarum paſtoribus neceſſaria eſt. Quam rem pluribus proſequuntur Caietanus de auctoritate Concilij, & Papæ cap. 4. Stapletonus in relect. controu.2. quæſt.3. art.3. Gregorius de Valentia hic quæſt.1. punct.7. §. 24. & Bellarminus lib.2. de Pontif. cap.17.& lib.4. cap.24.

85 Ex quibus omnibus colligitur, duabus præcipuè rebus S. Petrum,tanquam Paſtorem, & caput totius Eccleſiæ Apoſtolos anteceſſiſſe. Vna eſt, quod ipſe non modò poteſtatem à Chriſto accepit, in vniuerſo Mundo, paſtorale ſuum munus obeundi; ſed quod etiam poteſtatem quandam accepit in ipſos Apoſtolos, tanquam eorum videlicet, & omnium Eccleſiæ membrorum viſibile caput, vt Aſſertione 4. probatum eſt. Altera, quod ipſe à Chriſto auctoritate in toto Mundo accepir ordinariam, & perpetuò duraturam, atque adeò ad poſteros tranſmittendam; Apoſtoli verò tanquam extraordinarij legati; quorum proinde poteſtas illa in toto Mundo cum ipſis Apoſtolis expirauit.

86 Addunt aliqui Apoſtolos ipſam poteſtatem ſui Apoſtolici muneris accepiſſe, non immediatè ab ipſo Chriſto, ſicut Petrus eam accepit, ſed à Petro. Ita Turrecramata lib.2. de Eccleſia cap.17. & quidam apud Caietanum loco cit. qui volunt tam poteſtatem ordinis epiſcopalis, quàm iuriſdictionis, Apoſtolis à Petro collatam fuiſſe. Sed hæc ſententia neque neceſſaria eſt ad primatum Petri aſſerendum; & per ſe etiam minus communis, & probabilis eſt, vt rectè notauit Gregorius de Valentia loc. cit. licèt enim ſecundùm ordinarium proceſſum, & ſpectata Petri poteſtate, ita fieri potuiſſet, tamen communiter exiſtimatur, gratuita, & extraordinaria præuentione diuina eam Petri poteſtatem in Apoſtolis ordinandis, & inſtituendis præuentam fuiſſe. Nam quod ad poteſtatem quidem ordinis Sacerdotalis attinet, certum eſt,vt etiam Caietanus notat, Apoſtolis eam collatam fuiſſe in vltima Cœna; ſiue totam, & adæquatè, tam quoad poteſtatem ſcilicet conſecrandi Euchariſtiam, quàm abſoluendi; ſiue inadæquatè, quoad poteſtatem conſecrandi tantùm.

87 Quod poteſtatem verò ordinis Epiſcopalis attinet, etſi non improbabile eſt, quod Bellarminus lib.1.de Pontifice cap.23.ex Turrecremata docet, ſolùm Petrum à Chriſto, reliquos verò Apoſtolos omnes ab ipſo Petro ordinatos fuiſſe Epiſcopos: non minus tamen probabile videtur,etiam cæteros Apoſtolos ab ipſo Chriſto ordinatos fuiſſe Epiſcopos: cùm ſatis certum ſit, eos auctoritatem Apoſtolicam in qua haud dubiè etiam includitur ordinis poteſtas, ab ipſo Chriſto immediatè, accepiſſe; iuxtà illud Ioannis 20. v. 21. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto &c. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*. In quibus prima illa verba generalia ſunt;& non malè etiam ad Epiſcopalem gradum referuntur; ſicut & illa Matth.28. & Marci 16. *Euntes docet prædicate, &c.*

88 Neque in contrarium obſtat illud Anacleti diſtinct. 66. Canone *porrò*, vbi dicitur, vbi dicitur, beatum Iacobum fratrem Domini à Petro, Iacobo, & Ioanne, Apoſtolis ordinatum fuiſſe primum Hieroſolymitarum Archiepiſcopum. Nam intelligi id poteſt, de quadam loci deſignatione; non ipſius Epiſcopalis ordinis collatione, vt benè etiam dicit Gregorius de Valentia loc. cit.

89 Similiter illud Actorum 13. de impoſitione manuum Paulo, & Barnabæ facta commodè etiam intelligi poteſt, de quadam declaratione, ſiue appellatione poteſtatis, iam antea diuinitùs illis collatæ, ad cæterum illud miniſterium. Cuius rei etiam hoc indicium eſt; tum quod ibidem v. 2. dicitur, *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos*; non ordinatè: tum quod Paulus Galat. 1. v. 1. expreſsè de ſe ſcribit: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem*: ad rationem autem Apoſtolatus etiam ſpectare poteſtatem ordinis. & iam antea dictum, & rectè etiam obſeruauit Caietanus de auctoritate Papæ, & Concilij cap.3. Denique idem Apoſtolus Galat. 2. v. 6. ait: *mihi enim qui videbantur eſſe aliquid* (nimirum Petrus, & Iacobus, & Ioannes) *nihil contuleretur*.

90 Neque verò ſemper in ſcriptura per manus impoſitionem ordinario deſignatur. Nam Actorum 9. verſ.17. Ananias Saulo manus impoſuit, vt viſum reciperet; quo tamen ipſo nemo dixerit, Saulo ordines ab Anania fuiſſe collatos; cùm nec Saulus baptizatus; nec Ananias fuit Epiſcopus. Quamuis interim reuera non ſatis conſtet, quandonam Chriſtus Apoſtolis Paulo, Matthiæ, & Bernabæ poteſtatem Apoſtolicam contulerit; etſi credibile eſt illo ipſo tempore contuliſſet, quo in Apoſtolos electi ſunt, vt benè dicit Gregorius de Valentia tom.4. diſp.7. qu.16. punct.3.

91 Poteſtatem denique iuriſdictionis Apoſtolis ab ipſo Chriſto immediatè collatam fuiſſe cit. Ioannis 20. *Sicut miſit me Pater, &c.*

excom-

ex communi ſententia ducet Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice, & fuſiùs lib. 4. cap. 23.

92 Cæterùm contra hanc doctrinam, præſertim aſſertione 4. de Primatu Petri traditâ, obijciunt Sectarij primò nonnulla, quæ ſcripturæ explicationem ſuperiùs communi Eccleſiæ conſenſu probatam, concernunt, & impugnant; vt quod per petram non deſignetur Petrus, ſed vel Chriſtus, vel confeſſio Petri abſolutè ſpectata; item quod per *claues* non ſuprema gubernandi auctoritas, & poteſtas in Eccleſia; per poteſtatem ligandi, & ſoluendi non ius cum auctoritate præcipiendi, puniendi, diſperandi, ſed ſolùm poteſtas, & abſoluendi ſignificetur. Item quod *paſcere* ſolùm ſignificat pabulum verbi diuini præbere, non ducere, non regere, non punire; per oues non omnes, ſed tantùm quaſdam ſignificari. Sed hæc omnia ſuperiùs tum ex apertis ſcripturæ verbis, tum ex communi Patrum, & Eccleſiæ interpretatione ſatis refutata manent.

93 Deinde verò directè aduerſus ipſam concluſionem, & contra primatum Petri obijciunt Sectarij primo. Chriſtus eſt, & manet caput, & fundamentum Eccleſiæ; neque *fundamentum aliud poni poteſt, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS.* 1. Cor. 3. verſ. 11. & per ſe abſurdum eſt, duo eſſe fundamenta, & capita vnius domus, & corporis: ergo Petrus non eſt fundamentum, aut caput Eccleſiæ.

94 Reſpondeo: Chriſtum ſolùm eſſe præcipuum vndequaque, ac primum fundamentum, & ſupremum caput; præter quod nullum aliud eiuſdem ordinis, & dignitatis, & conſtituti à quoquam poteſt; poſt Chriſtum autem, & ſub Chriſto aliud agnoſci fundamentum, & aliud caput viſibile Eccleſiæ, nihil probet; cùm ipſimet Aduerſarij vltrò fateantur, cæteros quoque omnes Apoſtolos eſſe quædam Eccleſiæ fundamenta, vt manifeſtè patet Epheſ. 2. v. 20. & Apocalypſis 21. v. 14. Neque magis monſtruoſum fit Eccleſiæ corpus, quod plura capita metaphoricè dicta, ac inter ſe ſubordinata habeat; quam quod vnius, ac eiuſdem Regni terreſtris duo quædam præcipua ſolent eſſe capita; Rex nimirum, & in abſentia Regis, Prorex; ac ſub his alia inferiora capita longè plura.

95 Secundò obijciunt. Nihil eſt Petro, promiſſum, aut commiſſum, quod non etiam cæteris Apoſtolis communicatum ſit. Sit Petrus petra, Apoſtoli autem ſunt Eccleſiæ fundamenta Epheſ. 2. Petro claues ſoluendi, & ligandi traditæ ſunt Matth. 16. Apoſtolis itidem; *Quæcumque ligaueritis &c.* Matth. 18. *Et quorum remiſeritis peccata &c.* Ioannis 20. Petro dictum eſt. *Paſce oues meas*, reliquis verò ab ipſo Petro dicitur: *Paſcite, qui in vobis eſt gregem*. Accedit, quod expreſsè nonnunquam Patres Apoſtolos reliquos faciunt.

96 Reſpondetur, omnia ea, quæ diximus, ſingularia Petri eſſe. Nam Apoſtoli ſunt quidem fundamenta quædam ſecundaria, ſuper ædificata ſuo quodam modo ſuper ipſum Petrum, ſicut & Petrus nititur ſummo illo *lapide angulari Chriſto*; Attamen petram eſſe; ac poſt Chriſtum primarium totius Eccleſiæ fundamentum, ſoli Petro tribuitur. Item Petro ſoli nominatim claues traditæ ſunt, tanquam ſupremo patrifamilias, & gubernatori Eccleſiæ; teliquis vſus potiùs clarium, quam abſoluta poteſtas, ac poſſeſſio clauium tradita eſt.

Sicut enim claues Regni v. g. hoc eſt poteſtas regia pleniſſimè, ac independenter quidem reſidet penes Regem, in abſentia verò Regis apud Proregem, poſt Proregem ſuo quodam modo etiam inferioribus Regni Officialibus, quoad cætera quædam munia, committitur: ita claues poteſtatis eccleſiaſticæ pleniſſimè ſunt in Chriſto; poſt Chriſti ex hac vita diſceſſum, in Petro; poſt Petrum, & ſub Petro, in Apoſtolis.

Denique ſoli Petro omnes Chriſti oues vniuerſim, ac ſine vlla exceptione commiſſæ ſunt: ad cæteros Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, cum reſtrictione dicitur, & quidam ab ipſo Petro, *paſcite qui in vobis eſt gregem*, hoc eſt, gregem vobis commiſsum. Dictum verò illud SS. Patrum quam vim habeat, diximus aſsert. 3.

Tertiò, Petrus poſt promiſſionem illam à Chriſto factam Matth. 16. varijs modis grauiſſimè lapſus eſt. Vt quando mox ibidem incredulus fuit Chriſto ſuam paſſionem denuntianti; à quo etiam idcircò audiuit; *Vade poſt me Satana*, Matth. 16. item cùm in ipſa paſſione Chriſti, eum tertio turpiſſimè abnegauit Matth. 26. ergo iure exiſtimari non poteſt, Petrum eſſe petram illam, ſuper quam ædificata ſit Eccleſia. Reſpondetur, Petrum tunc temporis, cum ita lapſus eſt, actualiter, & re ipſa Eccleſiæ petram, & fundamentum nondum fuiſſe; ſed ex promiſſione Chriſti, poſt Reſurrectionem eiuſdem, primum implenda, futurum fuiſſe, vti ſuperiùs dictum, & ſignificatur etiam ijs verbis CHRISTI: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*: & proinde neuter lapſus Eccleſiæ firmitati, quicquam obſtet; præſertim quando neuter ille error conuincit, Petrum infidelitate peccaſſe; nam Primus ille ignorantiæ, & hebetudinis defectum arguit; Secundus in externa ſolùm fidei confeſſione Petrum demonſtrat lapſum, non in interno fidei aſſenſu. Denique particularis lapſus, nihil obſtat publicæ poteſtatis infallibilitati, iuxtà illud Matth. 23. *Quæcumque dixerit vobis ſeruate, & facite; ſecundùm opera verò eorum nolite facere*. 97

Quartò. Galat. 2. verſ. 7. & 8. ſignificatur, diuiſam fuiſſe iuriſdictionem inter Petrum, & Paulum, ita vt illi Iudæorum, hic Gentilium cura, & conuerſio eſſet demandata, cùm Apoſtolus dicat, ſibi *creditum fuiſſe Euangelium præputij, ſicut Petro circumciſionis*. 98

Reſpondetur; diuiſionem hanc non iuriſdictionis, ſed Prouinciarum fuiſſe; ad commodius propagandum Euangelium: quemadmodum etiam alij Apoſtoli inter ſe Prouincias diuiſerunt; cùm tamen alioqui omnes generalem à CHRISTO poteſtatem accepiſſent, *docendi omnes Gentes*, Matthæi vltimo, *& prædicandi Euangelium omni Creaturæ*, Marci vlt. Qua de cauſa ipſe etiam Petrus Actor. 15. v. 7. de ſe ipſo ait. *Vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus DEVS in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere*. Et è conuerſo Paulus 1. Corinth. 9. verſ. 20. ait: *Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, & Iudæos lucrarer*, qui etiam ipſe epiſtolam ad Hebræos ſcripſit. Diuiſio igitur illa inter Petrum, & Pau- 99

Paulum facta eſt, vt Petrus in Iudæorum, Paulus in Gentilium conuerſionem præcipuè incumberet; cùm tamen interim vterque ius haberet, tàm Gentibus, quàm Iudæis liberè prædicandi, idque pro re nata gnauiter vterque præſtaret.

100 Quintò obijcitur, quod Actorum 10. dubitat Petrus, vtrum Gentilibus ſit prædicandum, & ob prædicationem Gentilibus ſactam, reprehenditur ab alijs diſcipulis Actorum 11. Ad hoc quidam reſpondent, Petrum tunc reuera ignoraſse, an eſset prædicandum Gentibus; inter quos videtur feciſse Epiphanius hæreſi 28. Quidam reſpondent dubitaſse Petrum, non vtrum Gentibus prædicandum, ſed vtrum Gentiles ante baptiſmum eſsent circumcidendi: an potius incircumciſi ad baptiſmum admittendi: quæ poſtea quæſtio agitata fuit in Concilio Apoſtolorum Hieroſolymis Actorum 15. Ita Sanderus lib. 2. de claue Dauid cap.5. qui tamen addit, ex hoc ipſo colligi primatum Petri, quod ei primum hæc veritas diuinitus reuelata, & per ipſum deinde alijs propoſita fuerit.

Sed magis probatur reſponſio Bellarmini
101 lib.1.de Pontifice cap.16. Petrum nihil horum ignoraſse; ſed reuelationem illam de linteo, ideò Petro factam fuiſse, tum vt ipſe Petrus ſciret, iam tum tempus aduenisſe prædicandi Gentilibus Euangelium, quibus alioquin iam ante ex CHRISTI mandato ſciebat aliquando eſse prædicandum; tum vt alijs præſertim ex Iudaiſmo conuerſis, eo faciliùs, & efficaciùs poſset reſpondere, & ſatisfacere, ſi quando illum ideircò reprehenſuri eſsent; vt factum eſt poſtea Actor. 11. Cuius quidem reprehenſionis auctorem fuiſse Carinthum, priuſquam apertè in hæreſin incideret, notauit Epiphanius loco cit. Tantùm abeſt, vt exiſtimandum ſit, Petrum ab ipſis Apoſtolis idcircò fuiſse reprehenſum.

102 Sextò. Petrus Eccleſiæ præcipua negotia ſolus abſque communi aliorum Apoſtolorum auxilio, non fuit executus, vt patet in electione Matthiæ Actorum 1. ſeptem Diaconorum Actor.6. & in definienda controuerſia de Religione Actorum 15. Ergo ſignum eſt, penès eum non fuiſse ſupremam auctoritatem.

Reſpondetur, negando conſequentiam; quia id non fiebat ex defectu poteſtatis, ſed maioris commodi cauſa, vt nempè ſuauiùs, & efficacius res tranſigeretur. Nam ad communem Eccleſiæ pacem, & auctoritatem Apoſtolorum conſeruandam, & ad maius exiſtimationis pondus ipſis rebus apud plebem conciliandum, conuenientiùs plurium ſuffragijs, & iudicijs eiuſmodi communia Eccleſiæ negotia fuerunt tranſacta; licet alioqui à ſolo Petro tranſigi poſsent; quemadmodum nunc etiam non à ſolo Papa, ſed in generalibus quoque Concilijs eiuſmodi grauiores cauſæ ſolent dijudicari. Atque ita ſpeciatim de electionibus illis docuit etiam Chryſoſtomus homil.3. in Acta. *Quid*, inquit, *an non licebat ipſi Petro eligere? ei quidem maximè. Verum id non fecit, ne cui videretur gratificari.*

Septimò. Apoſtoli mittunt Petrum in
103 Samariam Actorum 8. Ergo potiùs inferior fuit, quàm ſuperior. Reſpondetur, miſsum eſse, non per imperium; ſed per conſilium, & ſuaſionem; quod etiam in pares, aut ſuperiores quadrare poteſt: ſicut ab Herode miſſi dicuntur Hieroſolymam Magi, Matthiæ 2. & ſicut Phinees Sacerdos miſsus eſt à populo Iſraelitico ad filios Ruben, & Gad. Ad quem modum etiam Dauid per ſeruos ſuos à prælio abſtinere deſuaſus fuit lib. 2. Regum cap. 18. verſ. 3. & cap.21. verſ.7.

Octauò. Paulus ad Galat. 2. ait: *Mihi autem*, inquit; *qui videbantur eſſe aliquid* (loquitur de Petro, Iacobo, & Ioanne) *nihil contulerunt &c. & dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis*. Et itidem ait, *ſe in faciem Petro reſtitiſſe, quia reprehenſibilis erat*: Ergo Paulus ſuperior fuit Petro:

Reſpondetur ad ſingula, nimirum primo Paulum tantùm dicere, ſe, vti & alios Apoſtolos, ſuam auctoritatem, ſcientiam, & poteſtatem Apoſtolicam non à Petro, aut ab homine accepiſse, ſed à Deo, ſicut initio eius epiſtolæ ipſe ſignificauit, quod etiam nos ſuperiùs docuimus.

Dextram paritatem auctoritatis Apoſto- 104
licæ ſignificare; cum qua rectè nihilominus conſiſtere primatum Petri ſuperius dictum eſt, eumque hoc ipſo loco agnouiſse Paulum, ſatis ipſe indicat Galat. 1. verſ.18. cùm ait: *Se veniſſe Hieroſolymam videre Petrum*: nempe quia *os Apoſtolorum Petrus erat, Princeps, & vertex ipſius cœtus; propterea Paulus aſcendit eum videre præ alijs*, inquit Chryſoſtomus homil.87. in Ioannem. Quam cauſam etiam reddunt Ambroſius, Hieronymus, Theodoretus in eundem locum Galat.1. & Tertullianus lib. præſcript. circa med.

3. Quod ad reprehenſionem illam atti- 105
net, reſpondetur, aliam eſse reprehenſionem, & correctionem iuridicam, quæ ſuperioris eſt: aliam eſse fraternam, quæ cum debita moderatione, quando neceſſitas id poſtulat, adhiberi poteſt etiam Superiori. Et talis fuit illa correptio Pauli aduerſus Petrum. An autem reipſa, & qua ratione Petrus ea re peccauerit, diximus tom.2. diſput.5. quæſt.3. dub.5. Cæteras cauillationes omitto; & plura videri poſſunt apud Bellarminum, lib.1. de Pontifice cap.26. 27. & 28. & apud Gregorium de Valentia hic quæſt.1. punct.7.

DVBIVM III.

An ſucceſſor illi Petri, & omnium Epiſcoporum, adeoque totius Eccleſiæ viſibile caput, & Iudex controuerſiarum fidei ſit Pontifex Romanus.

Ad S.Thomæ 2.2. q. 1. a. 9. & 10.

PRobauimus dubio præcedenti Petrum
fuiſse caput Apoſtolorum, ac totius Ec- 106
cleſiæ, eandemque poteſtatem, & auctoritatem continua ſucceſſione in Eccleſia perſeuerare; nunc breuiter videndum eſt, an is Petri ſucceſsor ſit Pontifex Romanus, & quo iure: huc enim ſpectat omnia illa diſsertatio, quam duobus præcedentibus dubijs præmiſimus: & contra hunc maximè ſcopum Sectariorum huius temporis labor, & machinatio deſudat.

Nam primatum Romani Pontificis negant huius temporis tum Schiſmatici græci, tum Sectarij omnes: eumque ſpeciatim impugnant Lutherus in libro de poteſtate Papæ. Illyricus in lib. contra Primatum Papæ, Synodus Smalcaldica in lib. eiuſdem argumenti, Caluinus lib.4. Inſtit. cap.6. & 7. Magdeburgenſes in ſingulis centurijs ad finem cap.7. Eundem Primatum negarunt olim waldenſes, wicclefſus, Huſſius, & alij.

ASSERTIO Vnica. Romanus Pontifex legitimè Petro, tanquam vniuerſali totius Eccleſiæ paſtori, & capiti ſucceſſit; atque etiamnum continua ſerie conſtanter ſuccedit. Hæc aſſertio, qui factum concernit, efficacius probari non poteſt, quam ex teſtimonijs totius antiquitatis, qualia quidem magno numero adſerunt Bellarmiuus lib. 2. de Romano Pontifice, Gregorius de Valentia hic q.1. punct.7. §.36. & fuſiſſimè Sanderus de claue Dauid lib. 3. & 4. in opere de viſibili Monarchia lib.7. Nos pauca duntaxat delibabimus; quibus denique ſubiungemus optimam rationem in ſcriptura fundatam.

107 Probatur igitur aſſertio primo, ex teſtimonijs Conciliorum, ipſorumque antiquiſſimorum Pontificum, qui hac velut poſſeſſione conſtantes fruiti ſunt. Ex Concilijs primum eſt Concilium Nicænum; vbi initium Canonis 6. in hunc modum legendum eſſe: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum, mos autem perduret &c.* conſtat, tum ex Concilio Chalcedonenſi act.16. vbi ille Canon ita à Paſchaſino Epiſcopo citatur; tum ex Dionyſio Exiguo Abbate, à quo ante annos circiter mille, eundem Canonem ita ex græco verſum fuiſſe, conſtat ex eiuſdem verſione, quæ extat. Vnde etiam in eodem Concil. Chalcedonenſi act.16. prælecto eodem Canone 6. Concilij Niceni Iudices dixerunt: *Perpendimus, omnem primatum, & honorem præcipuum, ſecundùm Canones, antiquæ Romæ DEI* amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari.

Neque mirum, deſiderari iam illa verba Canonis: cùm & in alijs decreta Concilij Nicæni ab hæreticis ſuppreſſa, aut deprauata fuiſſe, iure quæratur Felix II. in reſcripto ad Epiſcopos Thebaidis, & Lybiæ, vt videre eſt tom.1. Conciliorum, inter decreta Felicis II. & luculenter probant Sanderus lib. 7. viſibilis Monarch. ad annum CHRISTI 336. Alphon-
108 ſus Piſanus de Concilio Nicæno, & Baronius tom.3. Annalium anno Chriſti 325. qui etiam idipſum initium Canonis 6. tanquam authenticum recitant; ſimul probant in eodem Concilio Nicæno decretum fuiſſe, vt Epiſcopis ex toto orbe appellare liceret ad Romanum Pontificem; & ne Concilia præter Romani Pontificis ſententiam celebrarentur.

Omitto Canonem 39. eiuſdem Concilij Nicæni, inter Arabicos canones, vbi dicitur: *Ille, qui tenet Sedem Romæ, caput, & Princeps eſt omnium Patriarcharum: Quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum; vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & Vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam; Et quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.* De qua re pluribus egi part.2. Anatom. confeſſ. Auguſt. demonſtr. 5. §. 13. à num.312.

Secundum eſt Concilium Chalcedonenſe, in quo action. 1. ſine vlla controuerſia Romana Eccleſia *caput omnium Eccleſiarum appellatur*; & ibidem act. 6. Leo Papa Romanus *vniuerſalis Eccleſiæ Papa* dicitur. 109

Tertium eſt Concilium Nicænum II. vbi act.2. probantur literæ Adriani, in quibus habetur, Romanam Sedem *primatum per orbem totum obtinere, & omnium Chriſti Eccleſiarum caput exiſtere.*

Quartum eſt Concilium Lateranenſe II. ex græcis pariter, & latinis congregatum, ſub Innocentio III. in cuius cap.5. dicitur: *Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpote Mater vniuerſorum Chriſtifidelium, & Magiſtra.* vt planè nihil noui in Concilio Tridentino ſeſſ.14. cap.7. de pœnitentia fuerit conſtitutum, dum idem primatus Romanæ Eccleſiæ his verbis aſſeritur: *Meritò Pontifices Maximi, pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita cauſas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare.* Plura ex praxi Conciliorum adferentur inferiùs probat.3. 110

Eodem pertinent teſtimonia antiquiſſi-
morum Pontificum, quos nec ipſi Sectarij ne- 111
gare poſſunt orthodoxos fuiſſe; puta Clementis epiſt. 1. Anacleti epiſt.3. Euariſti epiſt. 1. Alexandri epiſt. 1. Marcelli, & aliorum, qui vixerunt vſque ad annum Chriſti 300. Iulij in epiſtola ad Orientales, quæ extat in apologia 2. Athanaſij; Damaſi in epiſt. ad Epiſcopos Orientales apud Theodoretum lib. 5. hiſtoriæ cap. 10. item Syricij, Zozimi, Innocentij, de quibus, præter tomos ipſos epiſtolarum, & Conciliorum, videre licet Bellarminum lib.2. de Pontifice cap.14.

Secundò, probatur aſſertio teſtimonijs
Patrum, tam latinorum, quàm græcorum, 112
cuiuſque ætatis: è quibus tamen pauca ſolùm referemus. Tertullianus ante annos 1400. lib. præſcript. contra hæret. cap.36. *Si Italiæ adiaces, habes Romam; inde nobis quoque* (Africanis) *auctoritas præſto eſt: ſtatu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, &c.*

Cyprianus ante plus mille trecentos lib. de vnitate Eccleſię cap.4. *Hanc vnitatem qui non tenet, tenere fidem credit? qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit? qui Cathedram Petri* (Romanam tunc exiſtentem) *ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? &c. Quam vnitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoque ipſum vnum, atque indiuiſum probemus.* Et epiſtola 55. *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur.*

Et infra eadem epiſtola 55. *Poſt iſta adhuc inſuper, pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram* (Romanam) *atque ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à Schiſmaticis, & prophanis literas ferre; nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum.*

Sylueſter in Synodo Romana ante annos
ferè 1300. cap.20. *Nemo iudicabit primam Se-* 113
dem (Romanam) *quoniam omnes ſedes à prima*

ſede

ſede iuſtitia deſiderant temperari. Neque ab Angelo, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur.

114 Ambroſius ante Annos plus 1200. epiſt. 81. ad Syricium: Recognouimus literis Sanctitatis tuæ boni Paſtoris excubias, qui fideliter commiſſam tibi ianuam (*regni cælorum*) ſerues, & pia ſolicitudine Chriſti ouile cuſtodias: dignus, quem oues Domini audiāt & ſequantur.

115 Optatus Mileuitanus eodem tempore lib. 2. contra Parmenianum: igitur negare non potes, ſcire te in vrbe Roma, Petro primo cathedram Epiſcopalem eſſe locatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, inde & Cephas eſt appellatus; in qua vna cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur; ſic cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderet, vt iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus &c. Iulio ſucceſſit Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Syricius hodie qui noſter eſt ſocius: cum quo nobis totus orbis, commercio formatarum, in vna communionis ſocietate concordat.

116 Sub idem tempus Stephanus Mauritaniæ in Africa Epiſcopus epiſtol. ad Damaſum Papam: Beatiſſimo Domino, & Apoſtolico culmine ſublimato Sancto Patri Patrum Damaſo Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici: Notum veſtræ facimus beatitudini, quod quidem fratres in confinio nobis poſiti, quoſdam fratres noſtros venerabiles, videlicet Epiſcopos, vobis inconſultis, à proprio deijciunt gradu, vel deijcere moliuntur: cum veſtræ Sedi Epiſcoporum iudicia, & ſummorum finem Eccleſiaſticorum negotiorum, in honore Beatiſſimi Petri, Patrum decreta omnium, cunctam reſeruauere ſententiam.

117 Hieronymus ante annos itidem plus 1200. Epiſt. 57. ad eundem Damaſum Papam, Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini Tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Quicunque tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Similia habet epiſtol. 58. ad eundem Damaſum, vbi etiam illud notum exclamat: *Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt.*

118 Auguſtinus ante Annos 1200. in pſalmo publicè in Eccleſia cantari ſolito, contra partem Donati, ita canit: Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede. Et in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. *Et epiſt.* 162. Erat tranſmarinis vicina Regionibus, & fama celeberrima nobilis Carthago, vnde non mediocris auctoritatis habebat Epiſcopum Cæcilianum, qui poſſet non curare conſpirantem inimicorum multitudinem, cum ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe coniunctum; vbi paratus eſſet, cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.

Leo Magnus ante Annos fere 1200. ſermone 2. in Anniuerſario ſuæ aſſumptionis: 119 Manet ergo diſpoſitio veritatis; & Beatus Petrus in accepta petræ fortitudine perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non dereliquit.

Proſper ſub idem tempus de ingratis cap. 2. ita canit:

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

Bernardus ante Annos fere 500. lib. 2. de conſiderat. ad Eugenium, Age, indagemus adhuc diligentius, qui ſis, quam geras 120 videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex: Tu Princeps Epiſcoporum: Tu hæres Apoſtolorum, Tu prima, tu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedec, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem, & alij cœli ianitores & gregum paſtores; ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos; tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modo ouium, ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor.

Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini. 121 Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolute, & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut Regionis, aut certi regni? Oues inquit, meas. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil, &c. Ergo iuxta canones, alij in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus; tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cœlum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu etiam deponere, & tradere ſatanæ potes? ſtat ergo inconcuſſum priuilegium tuum, tibi tam in datis clauibus, quam in ouibus commendatis. *Ita Bernardus.*

Et epiſt. 131. Plenitudo, *inquit*, poteſtatis, ſuper vniuerſas orbis Eccleſias, ſingulari prærogatiua Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit.

Et denique epiſt. 190. ad Innocentium 122 Papam: Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum, pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Hæc omnia

,Bernardus ; quibus nil potuit præclarius
,dici.
122 Ex Patribus græcis, Irenæus ante Annos
, plus 1400. lib. 3. cap. 3. ait : Ad hanc (*Ro-
,manam*) Eccleſiam, propter potentioré prin-
,cipalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire
,Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fi-
,deles ; in qua ſemper ab his, qui ſunt vndiq;
,conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis tra-
,ditio.
Athanaſius, & vniuerſi Ægiptiorum, The-
baidis, & Libyorum Epiſcopi, ante Annos
,fere 1300. epiſt. ad Felicem Papam II. Cano-
,nibus quippe iubentibus, abſq; Romano nos
,de maioribus cauſis nihil debere decernere
,Pontifice. Ideoque ad propoſitum recurren-
,tes, & ad brauium properantes, veſtræ Apo-
,ſtolicæ Sedis imploramus auxilium.
123 Baſilius ante Annos plus 1200. epiſtola
data Sabino Diacono ad Pontificem Romanũ:
,Reuera dignum eſt illa excellentiſſima voce,
,quæ te (*in Petro*) Beatum prædicauit, quod
,pietati tuæ donatum à Domino eſt, ſcilicet,
,vt quod adulterinum eſt à legitimo ac puro
,diſcernas, ac fidem Patrum ſine ſubtractione
,vlla prædices.
124 Cyrillus Alexandrinus ante Annos fere
,1200. epiſt. ad Cæleſtinum Papam: Quoniam
,verò Deus hiſce in rebus prudentiam à nobis
,exigit, longaq; Eccleſiarum conſuetudo ſua-
,det, vt illiuſmodi Sanctitati tuæ communi-
,centur, non poſſum equidem id, quod aper-
,tum eſt, ad pietatem tuam non perſcribere
,&c. *Et infra* : Quamuis hæc ita ſe habeant,
,non prius tamen Neſtorij communionem
,confidenter deſerere auſi fuimus, quam hæc
,ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris pro-
,inde quid hic ſentias declarare ; quo liquido
,nobis conſtet communicare nos cum Neſto-
,rio oporteat, an vero libere eidem denuntia-
,re, neminem cum eo communicare, qui eiuſ-
,modi erroneam doctrinam fouet ac prædi-
,cat. Porro Tuæ integritatis mens ac ſuper
,ac re ſententia, non modo pijſſimis Macedo-
,niæ Epiſcopis, ſed totius quoque Orientis
,Antiſtitibus perſpicué per litteras exponi
,debet.
Maximianus Conſtantinopolitanus Epi-
ſcopus, eodem tempore, epiſtola ad Orienta-
125 ,les : Omnes fines terræ, quæ Dominum ſin-
,cere receperunt, & vbique terrarum Catholi-
,ci veram fidem confitentes, in poteſtatem
,Romanorum Pontificum tanquam in ſolem
,reſpiciunt, & ex ipſo lumen Catholicæ & A-
,poſtolicæ fidei recipiunt &c. Hunc enim (*Pe-
,trum*) de cæteris mortalibus ex toto terrarum
,orbe conditor orbis elegit, cui Cathedram
,magiſterij principaliter poſſidendam perpe-
,tuo priuilegij iure conceſſit ; vt quiſquis di-
,uinum aliquid, aut profundum noſſe deſide-
,rat, ad huius præceptionis oraculum, doctri-
,namq; recurrat.
Ioannes Conſtantinopolitanus Patriar-
126 cha, ante annos plus 1100. epiſtola ad Hor-
,miſdam Papam: Quia prima ſalus eſt rectè fi-
,dei regulam cuſtodire, & à Patrum traditio-
,ne nullatenus deuiare : quia non poteſt Do-
,mini Noſtri prætermitti ſententia dicentis,
,Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædifica-
,bo Eccleſiam meam. Hæc quæ dicta ſunt,
,rerum probantur effectibus : quia in Sede A-
,poſtolica inuiolabilis ſemper Catholica cu-
,ſtoditur Religio.
Sophronius Hieroſolymitanus, ante An-
,nos fere 1000. epiſt. ad Stephanum : De fini-
,bus terræ vſque ad terminos eius ambula, do-
,nec ad Apoſtolicam Sedem (*Romanam*) vbi
,orthodoxorum dogmatum fundamenta exi-
,ſtunt, peruenias.
Sergius Cyprius ante Annos 950. Epiſt. 127
,ad Theodorum Papam: Firmamẽtum à Deo
,fixum firmum & immobile, atque tituli for-
,mam lucidiſſimam fidei veſtram Apoſtolicã
,Sedem conſtituit, ò ſacer vertex, Chriſtus
Deus noſter. Tu es enim, ſicut diuinum ve-
,raciter pronuntiat verbum, Petrus; & ſuper
,fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ con-
,firmatæ ſunt : Tibi & claues regni cœlorum
,commiſit, atque ligare & ſoluere poteſtatiuè,
,quæ in terra, & quæ in cælis ſunt, promul-
,gauit : Tu prophanarum hæreſeon depoſitor
,exiſtis, vt Princeps, & Doctor orthodoxæ,
,& immaculatæ fidei.
Theodorus Studites, ante Annos quaſi 128
,800. in epiſt. ad Paſchalem Papam: Audi A-
,poſtolicum caput, Paſtor ouium Chriſti à
,Deo electe, clauiger regni cœlorum, petra
fidei, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia Catho-
,lica &c. Huc ades ab occidente exurge, & ne
,repellas in finem. Tibi namque dixit Chri-
,ſtus Deus noſter : Tu aliquando conuerſus
,confirma fratres tuos.
Ignatius Conſtantinopolitanus ante 129
Annos 750. epiſtola ad Nicolaum Papam
,actione 3. Synodi VIII. Tales beatas voces
,(Tu es Petrus, & ſuper hanc petram æ-
,dificabo Eccleſiam meam) non ſecundum
,quandam vtique ſortem Apoſtolorum Prin-
,cipi ſolum circumſcripſit, & definiuit,
,ſed per eum ad omnes, qui poſt illum ſecun-
,dum ipſum efficiendi erant ſummi Paſtores,
,& diuiniſsimi Sacrique Pontifices ſenioris
,Romæ, tranſmiſit.
Gennadius Scholarius Anno Chriſti 1450. 130
,de primatu Papæ capit. 16. Pontifex Roma-
,nus eſt Petri Succeſſor, & Vicarius Seruato-
,ris noſtri Ieſu Chriſti; iſque ſolus obtinet om-
,nem poteſtatem ligandi atque ſoluendi ; vel
,arguendi, benedicendi, maledicendi, corri-
,gendi & medendi : ſolus habet facultatem de
,fide, & Sacerdotio exquirendi. *Omitto alia
teſtimonia innumera*.
Tertio probatur aſſertio perpetuo vſu ac 131
praxi veteris Eccleſiæ ; qua conſtat, à Roma-
na potiſsimum ſede, & dubias fidei quæſtio-
nes definiri, & hæreſes damnari conſueuiſſe.
Etenim primus hæreſiarcha Simon magus à
S. Petro damnatus, conuictus, (& poſt Romę
profligatus fuit) Actorum 8. & apud Epipha-
nium hæreſ. 21.
In Concilio Apoſtolorum Hieroſolymis,
de legalium obſeruatione celebrato, Petrus
Apoſtolus, iam tunc Romanus Epiſcopus, pri-
mus ſententiam dixit, remq; definiuit ; cæte-
tis omnibus ſententiam eius approbantibus.
Anno Chriſti 198. controuerſiam de ce-
lebratione Paſchæ, contra Blaſtum hæreſiar-
cham, apud Tertullianum de præſcript. cap.
53. & contra alios Quartadecimanos, poſtea
hæreticos iudicatos, apud Epiphanium hæreſ.
50. & Auguſtinum hæreſ. 29. potiſſimum de-
finiuit Victor Epiſcopus Romanus, apud Eu-
ſebium

ſebium lib. 5. cap. 23. & 24. excommunicatis etiam ob contrarium errorem Aſiaticis Eccleſijs. Quod tametſi Irenæo, & quibuſdam Catholicis apud Euſebium cap. 25. durius viſum poteſtatem tamen & ius id faciendi nullus vnquam orthodoxus in dubium reuocauit.

132 Circa annum Christi 254. hæreſis Nouatianorum, qui negabant lapſis poſt baptiſmũ abſolutionem, damnata fuit in Concilio Romano, præſide Cornelio Papa; approbantibus poſtea eandem ſententiam ominibus orthodoxis, teſte Euſebio lib. 6. cap. 33. apud Ruffinum ibidem.

Anno Chriſti 258. cum auctore Agrippino Carthaginis Epiſcopo, noua controuerſia exorta eſſet, de rebaptizandis ijs, qui ab hæreticis eſſent baptizati, Cornelius Romanaus Pontifex, rurſus Concilio habito, veram ſententiam definiuit, vt refert idem Ruffinus ex Euſebio lib. 7. cap. 2. & fuſe proſequitur Vincentius Lyrinenſis lib. cont. hæreſ. cap. 9.

133 Anno Chriſti 263. Dionyſius Alexandrinus Patriarcha de hæreſi Arriana (falſo) ſuſpectus, & accuſatus apud Dionyſium Romanum Pontificem, ſuę fidei Apologiam ad eundem perſcripſit, teſte Athanaſio commentario de ſynodis, & in lib. de ſententia Dionyſij.

Anno 265. Paulum Samoſateuum Epiſcopum Antiochenum hæreſiarcham, idem Dionyſius Romanus Pontifex, adiuuante ſupradicto Dionyſio Alexandrino, damnauit, teſte eodem Athanaſio lib. de Synodis.

Anno 313. cauſa Donatiſtarum ab ipſo Conſtantino Melchiadi Romano Pontifici dirimenda tradita eſt; cuius ſententiam laudat Auguſtinus epiſt. 162.

134 Circa Annum Chriſti 325. damnata eſt in Concilio Nicæno hæreſis Arrianorum, præſidibus Romanæ Eccleſiæ Legatis, & in ijs etiã Hoſio, velut primario Legato Syluestri Romani Pontificis, vt expreſsè habetur in Actis Concilij Nicæni, quæ ante annos plus mille centum edidit Gelaſius Cyzicenus, & nunc quoq; in recentiſſima Conciliorum editione, exiſtant: vbi Hoſius nominatur ἐπίσκοπος καὶ τὸν τόπον τοῦ τῆς Ῥωμαίων ἐπισκόπου, &c. *tenens etiã locum Epiſcopi Romani*. A quo etiam idem Concilium Nicænum approbationem decretorum poſtulauit, vt videre eſt in actis eius Concilij; & fuſius perſequitur Baronius Anno Chriſti 325. De qua re generatim Socrates lib. 2. cap. 5. & 17. ſcripſit, Eccleſiaſtico canone iuberi, *non oportere abſque Pontificis Romani ſententia decreta Eccleſijs ſancire*.

135 Anno Chriſti 381. in Concilio Conſtantinopolitano I. Damaſi auctoritate celebrato, vt ex vetuſto Vaticano codice refert Baronius & ab eodem Damaſo confirmato, vt teſtatur Photius in lib. de ſeptem Synodis, damnata eſt hæreſis Macedonij contra Spiritum Sanctum, vnde & Patres VI. Synodi actione 18. aiũnt, *Theodoſium ac Damaſum per ſecundam ſynodum* (generalem) *obſtitiſſe Macedonio, ſicut Syluester & Conſtantinus congregato Niceno Concilio Ario obſtiterunt*.

Anno Chriſti 390. Iouinianus hæreticus apud Syricium Papam de hæreſi accuſatus, ab eodem Pontifice damnatus, & extra Eccleſiã eiectus fuit, vt conſtat ex Syricij epiſtola 2. & Hieronymo epiſt. 50. ad Pammachium.

Anno Chriſti 430. Neſtorius hæreticus à Cæleſtino Papa primum in quadam ſynodo Romana iudicatus, & mox anno ſequenti in Concilio Epheſino I. præſide Cyrillo, nomine eiuſdem Cœleſtini Papæ, vt Euagrius teſtatur lib. 1. cap. 4. prorſus damnatus fuit.

Circa annum Chriſti 417. præijs quibuſdam Concilijs Africanis, damnata eſt hæreſis Pelagiana à Pontificibus Romanis Innocentio & Zozimo, vt teſtatur Sanctus Auguſtinus lib. 2. retractat. cap. 50. & ſerm. 2. de verbis Apoſtoli vbi ait: *Iam enim de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt. Vtinam aliquando finiatur error*. Et Proſper in Chronico Anni 420. *Concilio habito apud Carthaginem CCXVII. Epiſcoporum ad Pontificem Zozimum, ſynodalia decreta perlata ſunt; quibus probatis, Pelagiana hæreſis in toto mundo damnata eſt*. 136

Anno Chriſti 450. in Concilio Chalcedonenſi, auctoritate Leonis I. Papæ celebrato, & ab eodem confirmato (epiſtola eiuſdem 59.) præſidentibus Legatis eiuſdem pontificis, teſte Euagrio lib. 2. cap. 4. damnata eſt hæreſis Eutychetis. 137

Anno 483. in Concilio Romano à Felice III. Papa damnatus, & depoſitus fuit Petrus Fullo ſeu Cnaphæus, nouus hæreſiarcha, intruſus Patriarcha Antiochenus. Adfuit quoque in eadem ſynodo Actor Patriarcha Alexandrinus, & citatus fuit Conſtantinopolitanus, ob cauſam fidei, vt pluribus ex Liberato cap. 18. & Euagrio lib. 3. cap. 18. & ſequent. refert Baronius eodem anno citato.

Anno 536. Agapetus Papa Conſtantinopoli, etiam inuito quodammodo Imperatore Anthimum intruſum Epiſcopum Conſtantinopolitanum hæreticum damnauit ac depoſuit, ordinato in eius locum Menna, Sed & ab eodem Agapeto etiam damnati fuerunt Seuerus, Petrus, atque Zoaras, cum ſequacibus Acephalis hæreticis, vt pluribus refert Baronius eodem anno. 138

Anno Chriſti 681. in VI. Synodo Conſtantinopoli, præſidentibus Legatis Apoſtolicæ Sedis Romanæ, celebrata auctoritate Agathonis Papæ Romani, ab eodem comprobata, damnata eſt hæreſis Monothelitarum, vt videre eſt in actis eiuſdem ſynodi, & apud Baronium ibidem.

Anno Chriſti 787. in Concilio Nicæno II. ſiue in VII. Synodo generali, auctoritate Adriani Papæ damnata eſt hæreſis Iconomachorum, & confirmata Catholica fides de cultu & veneratione imaginum.

Anno 869. acta & ſcripta Photij contra Nicolaum Papam, & Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum, combuſta, ipſeque Photius præſens vna cum ſuis aſſeclis damnatus eſt, in VIII. Synodo Conſtantinopolitana, auctoritate ac præſentibus Legatis Adriani II. Papæ; à quo etiam eiuſdem ſynodi approbatio poſtulata fuit.

Denique vt paucis multa comprehendam quia præſertim de poſterioribus ſæculis parũ ſollicitos video aduerſarios; hæreſin Berengarij in Concilio Vercellenſi damnauit Leo IX. & in Concilio Romano Nicolaus II. teſtibus Lanfranco & Guitmundo l. 1. contra Berengarium. Errores Petri Abailardi damnauit 139

Inno-

Innocentius II. & Gilberti Porretani in Concilio Remenſi Eugenius III. vt teſtatur Bernardus epiſt. 194. & ſerm. 80. in Cantica. Errorem Ioachimi Abbatis Innocentius III. in Concilio generali Lateranenſi; errores Græcorum Gregorius X. in Concilio generali Lugdunenſi, iuxta cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate & fide Cathol. in 6. Errores Begardorum Clemens V. in Concilio Vienuenſi, iuxta cap. *Ad noſtrum*, Clement. de hæret. Errores Wicleffi, & Huſſi, Martinus V. in Concilio Conſtantienſi; & rurſum errores Grecorum Eugenius IV. in Concilio Florentino; ſicut & Lutheri errores Leo X. & poſtea Pius IV. in Concilio Tridentino à ſe confirmato, vt pluribus dixi part. 2. Anatom. Conf. Aug. demon. 10.

140 Summa eſt; nulla hæreſis vnquam, poſt Cathedram Petri Romæ fundatam, in Eccleſia extitit, quæ non à Romanis Pontificibus mediate vel immediate damnata fuerit. Cum omnis alia damnatio, ſuprema denique Pontificis Romani auctoritate niteretur. Nullum Concilium legitimum habitum fuit & Oecumenicum, deſtitutum auctoritate Romani Pontificis: quod etiam Concilium Chalcedonenſe act. 1. diſerte profitetur, contra Dioſcorum Alexandrinum quondam Epiſcopum: *Synodum* (Dioſcorus) *auſus eſt facere, ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt*. Nullum Concilium actoritate Romani Pontificis approbatum vnquã fuit, cuius ſententiam ſi quis in ſedei quæſtionibus detrectaret & repudiaret, non illico pro errone & hæretico in Eccleſia Catholica haberetur.

141 Ad Pontificem Romanum ex oriente appellarunt, eiuſque auxilium efflagitarunt, contra Arrianos, Athanaſius Patriarcha Alexandrinus, alijque Epiſcopi Ægypti, vt ſupra dictum; contra Neſtorium Cyrillus itidem Patriarcha Alexandrinus; contra Theophilum Patriarcham Alexandrinum, virum alioqui Catholicum, & celebrem. A Synodo quadam Conſtantinopolitana ad Innocentium I. appellauit Chryſoſtomus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, vt habetur in eius epiſtola ad Innocentium data. A ſententia Romani Pontificis, in cauſis fidei, nulli vnquam ad vllum alium iudicem ſeu Concilium conceſſa eſt appellatio. Veriſſimum enim eſt quod Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ ſcribit: *Ad illam* (Romanam Sedem) *de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus*.

142 Pontifices Romani in omnibus orbis partibus varios depoſuere Epiſcopos, ita vt Nicolaus I. in epiſtola ad Michaelem octo enumeret Patriarchas Cõſtantinopolitanos à Romanis Pontificibus depoſitos; inter quos Anthimus ab Agapeto depoſitus, de quo ſuperius dictum eſt: quibus addo Atticum Conſtantinopolitanum, & Theophilum Alexandrinum excommunicatos ab Innocentio I. ob perſecutionem in Chryſoſtomum, vt videre eſt apud Baronium Anno CCCCVI.

E contrario, Athanaſium Alexandrinum. Paulum Conſtantinopolitanum, & Marcellum Ancyranum Epiſcopos, à Synodo orientali depoſitos, Iulius I. reſtituit, apud Sozom. l. 3. c. 7. & Gelaſium in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ. Theodoreto in Synodo Epheſina depoſito, Epiſcopatum reſtituit Leo Papa, vt habetur in Concilio Chalcedonenſi actio 1. Sententiam depoſitionis contra Chriſoſtomum latam in Concilio quodam Conſtantinopolitano reſcidit Innocentius, de quo ſupra dictũ vid. Baronium Anno CCCCIV.

Quarto probatur eadem aſſertio ratione; pro qua notandum eſt, Petrum etſi quoque alibi Cathedram ac Sedem Epiſcopalem habuerit, & inde tanquam vniuerſalis Paſtor Eccleſiam rexerit, vt ab Anno Chriſti 39. Antiochiæ per ſeptem annos, ex communi ſententia Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum; quin & poſtea ſub annum Chriſti 45. Petrus Alexandriam nobiliſſimam Ægypti ciuitatem miſerit Marcum diſcipulum ſuum & Euangeliſtam, vt illic ſuo quoque ipſius Petri nomine Eccleſiam fundaret & regeret; tamen nec in Alexandrina Eccleſia, per ſeipſum Cathedram adminiſtraſſe, nec Antiochiæ conſtanter Sedem tenuiſſe; ſed ea circa annum Chriſti 45. Succeſſori, ſeu Euodio, iuxta Origenem hom. 6. in Lucam, Euſebium in Chronico, & 3. hiſt. 16. Hieronymum de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Ignatio; ſeu Ignatio relicta, iuxtà Chryſoſtomum homil. de translatione Ignatij & Theodoretum Dialog. *Immut.* 1. mox Romanam Eccleſiam eodem anno 45. fundaſſe, ac per ſe ipſum ad mortem vſque conſtanter rexiſſe; non quod ab ea nunquam ipſe diſceſſerit (quomodo enim id fieri poſſet à paſtore, & capite vniuerſali totius Eccleſiæ Chriſti?) ſed quod nullo interim alio, qui ipſi ante mortem ſuccederet, Succeſſore conſtituto, Cathedram illic ſemper tenuerit, ac per ſeipſum eidem Eccleſiæ præfuerit: donec poſt annos 24. Anno videlicet Chriſti 69. feliciſſimo ac glorioſiſſimo martyrio, vna cum Apoſtolo Paulo, à Nerone affectus animam Deo reddidit. 143

Quæ res abſtrahendo à determinati temporis exilioribus minutijs, adeo omnium Patrum ac ſcriptorum Eccleſiaſticorum fide teſtata, & explorata eſt, vt qui id negare auſit, non minus inſanus iure habere poſſit, quam ſi quis neget, aut Neronem ſeu Conſtantinum ipſum Romæ fuiſſe Imperatorem, aut Iulium Cæſarem Dictatorem, aut Ciceronem Senatorem. Vno verbo, nullus eſt, qui huius rei meminerit ex Scriptoribus ſeu antiquioribus, ſeu recentioribus, ante Nouatores noſtros, qui non hæc tria conſtantiſſimè teſtetur. 1. Petrũ Romæ fuiſſe Epiſcopum. 2. Eum Romanam Cathedram pluribus annis rexiſſe. 3. eundem huic regimini immortuum, ac Romæ ſub Nerone martyrium conſumaſſe. 144

Quod cum alij innumeris propemodum omnis generis teſtimonijs teſtatum fecerint, non eſt quod huic rei prolixius tractandæ immoremur. Nobis ſufficiant hoc loco ij, qui in ipſa Cathedra Romana ex inſtituto Epiſcoporum ſeriem & ſucceſſionem texuerunt, vt Irenæus lib. 3. c. 3. Tertullianus de præſcript. capit. 32. & libro 3. contra Marcionem cap. 9. Optatus Mileuitanus l. 2. contra Parmenianum, Epiphanius hæreſ. 27. & Auguſtinus in pſalm. contra part. Donati: præter eos, quos iam ſuperius pro Romanæ Cathedræ excellentia teſtes attulimus. Et rectè dixit Maldonatus noſter in caput 16. Matthæi: *Nemo ante Nouatores, neque Catholicus, neque hæreticus* 145

author

author fuit, qui non aſſirmauerit, & Petrum Romæ mortuum, & Romanos Pontifices eius ſucceſſores eſſe. Pugnabit ergo pro illo orbis terrarum contra inſenſatos.

146 Quæ cum ita ſint, vlterius aduertendum, non quoslibet Epiſcopos earum Eccleſiarum, quas Petrus fundauerat, nec quoslibet etiam Petri ſucceſſores, eos eſſe, ad quos ſingularis illa ac infallibilis Petri poteſtas regendi vniuerſam Chriſti Eccleſiam iure pertineat; ſed ſolum eos, qui eius ſunt ſucceſſores in ea Cathedra, quam ipſe ad mortem vſque conſtanter per ſe tenuit ac adminiſtrauit. Cuius rei aperta hæc & euidens ratio eſt, in ipſa ſcriptura ſacra citato loco Matthæi 16. Lucæ 22. & Ioannis 21. fundata. Quia poteſtas illa vni Petro, vt dictum, à Chriſto tradita & commiſſa, nec in plures diuidi poterat, nec à Petro deſeri vel abijci, quamdiu in viuis eſſet; nec adeo etiam ad vllum alium tranſire, niſi ad eum, qui eius primum poſt mortem eſſet ſucceſſor. Omnes autem eius alij vel ſucceſſores, vel Vicarij Epiſcopi, qui varijs alijs Eccleſijs à Petro fundatis præfuerunt, habebant quidem à Petro Epiſcopalem poteſtatem & auctoritatem particularem, ſuas quinque Eccleſias regendi & adminiſtrandi; ſed generalem illam ac infallibilem auctoritatem Petri gubernandi ac ſuſtentandi vniuerſam Eccleſiam ab eo minime acceperunt.

147 Ex quibus proinde, auctoritatem illam Petri, & poteſtatem ſingularem regendi Eccleſiam vniuerſam, eamque & infallibilem, & ordinariam, ac perpetuò in Eccleſia permanentem, atque ad Petri quoque ſucceſſores ſpectantem, permanſiſſe ſolum in Eccleſia, & Cathedra Romana, eiuſque rectoribus, ac Epiſcopis Romanis, vtpotè legitimis Petri Apoſtoli poſt mortem ſucceſſoribus, hoc ſyllogiſmo demonſtramus. Infallibilis Petri poteſtas, & auctoritas regendi vniuerſam Eccleſiam, fuit ordinaria, ac in Eccleſia permanens, adeoque non in ſolo Petro, ſed & in eius poſt mortem legitimis ſucceſſoribus perpetuò ad finē vſque Mundi perdurans, vt ex dictis antea, ac præcedenti dubio conſtat: ſed nulli alij; præter Romanos Pontifices, fuerunt Petri poſt eius mortem legitimi ſucceſſores: ergo poteſtas illa, & auctoritas infallibilis Petri regendi vniuerſam Chriſti Eccleſiam perdurat, ac permanet vſque ad finem mundi in Pontificibus Romanis.

148 Minor patet ex dictis. Quia licèt Petrus etiam alias complures Eccleſias fundarit, Antiochenam etiam per ſe aliquandiu rexerit, tamen in alijs ſucceſſores habuiſſe dici non poteſt; cum in iſs nunquam fuerit anteceſſor, hoc eſt; eas ipſe Eccleſias per ſe nunquam rexerit. In Antiochena reliquit, Quidem ſucceſſores, ſed non poſt mortem; Ac proinde cum ipſe ſuam ſibi à Chriſto conceſſam poteſtatem, & auctoritatem infallibilem vniuerſam Eccleſiam regendi, ante mortem nunquam abdicarit, vtpote diuino ſibi mandato iniunctam; neceſſè eſt fateri; eam ſucceſſori ſuo in Cathedra Antiochena minimè reliquiſſe, ſed ſecum Romam tranſtuliſſe, atque poſt mortem primum ſuis illis in eadem Romana Cathedra ſucceſſoribus integram, & quaſi iam poſſeſſores, ac Domino vacuam reliquiſſet.

Denique eſt, & fuit in Eccleſia ſemper aliquis legitimus Petri Succeſſor, in cura illa vniuerſali Eccleſiæ, vt dubio præcedenti dictum: ſed nullus alius nè fingi quidem poteſt Petri in ea cura ſucceſſor, quam Romanus Pontifex; vtpotè inquam ſolùm, & totius Eccleſiæ praxis, & totius antiquitatis teſtimonia conſpirant, vt dictum. Ergo &c. 149

Quæ verò contra Catholicam hanc veritatem magna ex parte calumnioſè conficta, aut ineptè diſputata à Sectarijs obijciuntur, fusè diſſolui par. 2. Anatomiæ confeſſ. Auguſt. demonſtrat. 5. §. 18. quæ nihil opus eſt hoc loco repetere; quando præſertim pleraque iam antea à Bellarmino, & Gregorio de Valentia locis citat. luculenter refutata ſunt, & potiſſima ex ijs dub 5. alia occaſione neceſſariò diſſoluenda erunt.

DVBIVM IV.

An Pontifex Iure Diuino ſit Caput Eccleſiæ, & Petri Succeſſor: & an ſit de fide, hunc numero Pontificem, & Eccleſiæ caput; & an aliquando poſſit ea poteſtate excidere.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

De primo quæſito ſequentes aſſertiones ſtatuimus. Aſſertio 1. & ſi quidem aliquo ſenſu de fide ſit Romanum Pontificem Diuino iure Petro ſuccedere, & totius Eccleſiæ caput eſſe; tamen non ita ex fide certum eſt, Pontificem Romanum hoc ipſo, quod Romanus Pontifex eſt, diuino iure Petri Succeſſorem eſſe, in vniuerſali illa Eccleſiæ cura; ita ut ſumma illa auctoritas gubernandi Eccleſiam directa inſtitutione, ac lege diuina Romanæ Cathedrę inſeparabiliter annexa ſit; licet nec hoc abſque temeritate negari poſſit. Hanc aſſertionem probant, & tuentur Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 4. Canus lib. 6. locorum Theolog. cap. 4 5. 6. Driedo lib. 4. de varijs dogmat. cap. 4. par. 3. Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 12. & Gregorius de Valentia hic quæſt. 1. punct. 7. §. 38. & alijs communiter contra Dominicum Sotum lib. 4. ſentent. diſtinct. 24. quæſt. 2. artic. 5. qui Eccleſiaſtico ſolùm iure ſupremum illam auctoritatum Cathedræ Romanæ annexam eſſe docuit. 150

Probatur eadem aſſertio quoad primam partem. Nam Romanum Pontificem Petro diuino iure ſucceſſiſſe, atque ita eodem iure diuino eſſe totius Eccleſiæ caput, tripliciter intelligi poteſt. Primo, & vno quodam ſenſu ita poteſt intelligi, vt ſolùm ipſa ſucceſſio, qua aliqui Petro in regimine vniuerſalis Eccleſiæ ſuccedere debeat, ſit de iure diuino, & ex Chriſti inſtitutione profecta; hoc ipſo nimirum, quod poteſtas illa à Chriſto non ſoli Petro, ſed etiam eiuſdem ſucceſſoribus tradita eſt; idque ipſum adeo officium gubernandi totam Eccleſiam, velut ordinarium, ac perpetuo in Eccleſia duraturum, à Chriſto inſtitutum fuit. Et hoc ſenſu abſque dubita- 151

tione

tione ex ſide certum eſt Romanum Pontificẽ diuino iure Petro ſuccedere, vt ex dictis cõſtat.

152 Secundò, intelligi hoc poteſt, de coniunctione poteſtatis illius cum perſona Romani Pontificis, non abſolutè, & in ſenſu diuiſo, ſed in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione, quod is videlicet, poſt mortem Petri conſentiente Eccleſia, ſucceſſor Petri, & totius Eccleſiæ Paſtor legitimè electus eſt. Et hoc etiã ſenſu à nemine Catholico negari poteſt, Romanum Pontificem, tanquam Petri ſucceſſorem, iure diuino habere poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam; cùm apertè ſequatur ex priori ſenſu eiuſdem propoſitionis; nec minus verum ſit, & certum, quam quod Iannes v. g. poſito quod ſit Sacerdos, diuino Iure habeat poteſtatem conſecrandi, vt rectè dixit Bannes hic q. 1. art. 10. dub. 4. & propter vtramque cauſam abſolutè dicendum, & fatendum eſt, Epiſcopum Romanum iure diuino eſſe Petri Succeſſorem, & totius Eccleſiæ caput, vt notauit Bellarminus cit. cap. 12. ex quibus proinde ſatis patet prima pars aſſertionis.

153 Tertiò verò intelligi id poteſt, de coniunctione poteſtatis illius cum perſona Romani Pontificis abſolutè: & ad hunc ſenſum ſpectat ſecunda pars aſſertionis. Quæ quidem ex eo probatur. Quia omnes illę Sanctorum Patrum ſententiæ, quibus aſſerunt, Romanę Sedis Epiſcopum, ex Chriſti inſtitutione, Petro ſucceſſiſſe, intelligi abſolutè puſſent, iuxtà ſenſum, primæ partis aſſertionis; nimirum, vel de ipſa inſtitutione poteſtatis; illius abſtractè; ſiue etiam ex hypotheſi quadam, poſito nimirum, quod Romanus Pontifex eſt is, quem Eccleſia ipſa ſucceſſorem Petri conſtituit, ſiue id ſuo arbitratu, ſiue ex peculiari Chriſti inſtitutione faciat: ex quo intelligi poſſet, adhuc non ſatis eſſe determinatum, an reuera Romanus Pontifex hoc ipſo, quod talis eſt, iure diuino an ſolùm iure Eccleſiaſtico, Petro Apoſtolo ſuccedat.

154 Tertia pars aſſertionis ex eo probatur; quia SS. Patres ſimpliciter, & abſolutè ita loquuntur, Romanum Pontificem, hoc ipſò ſcilicet, quod Romanus Pontifex eſt, diuino iure, & inſtitutione Petri ſucceſſorem eſſe; atque ad hanc rem ipſam probandam ſcripturæ teſtimonia accommodant, qui proinde rectius, & conuenientius ita abſolutè intelliguntur. In quo genere ſpeciatim notandum illud Concilij Lateran. in cap. *Damnamus*, de Sum. Trinit. & fide Cathol. vbi Eccleſia Romana dicitur, *Deo ipſa diſponente, Mater, & Magiſtra omnium Eccleſiarum*. Accedit, quod Marcellus Papa epiſt. ad Antioch. ſcribit, Petrum, iubente Domino, Romam Sedem ſuam ex Antiochia tranſtuliſſe.

155 Quod ipſum etiam confirmat illa hiſtoria, qua Petrus Roma habiturus, ſpeciali Chriſti admonitione, Romæ vitam finijt, vt Ambroſius orat. contra Auxentium, quæ extat lib. 5. epiſtolarum, poſt epiſt. 32. & Egeſippus lib. 3. excidij Hieroſolymit. cap. 2. teſtantur. Quo ipſo indicatur, voluiſſe Chriſtum, nullum alium Petri poſt mortem eſſe ſucceſſorem, quam Romanum Pontificem. Quare etiam Gregorius de Valentia cit. §. 38. ait, contrariam Soti opinionem, *in re tàm graui, videri nimis ſingularem, nec verò ſatis tutam*.

156 Etenim non parum intereſt, vtrum humano, an diuino iure Romanus Pontifex ſit Petri Succeſſor, vt rectè notauit Gregorius de Valentia loc. cit. nam ſi humano duntaxat iure Petro ſuccedit, fieri poſſet eodem iure humano, eccleſiaſtico, vt Petri ſucceſſor non eſſet Romanus Pontifex, ſed vel alterius, vel nullius certè Sedis Epiſcopus. Si autem diuino iure inſtitutum eſt, vt ipſe Romanus Pontifex ſuccedat, tum id inſtitutum penitùs fixum, & ab Eccleſia immutabile eſt. Deinde ſi poteſtas illa à Romana Sede penitùs immutabilis eſt, tunc Romana etiam particularis Eccleſia abſolutè erit indefectibilis; alias non item, vt inferius dicetur.

ASSERTIO II. Certùm nihilominus, & 157
indubitatum eſſe debet, Romanum Pontificem ſupremam illam totius Eccleſiæ regendæ, auctoritatem non ab hominibus, ſed à Deo accipere, atque adeò Romanum Pontificem non ab hominibus, ſed à Deo conſtitui totius Eccleſiæ Paſtorem, & caput. Ita ex communi Catholicorum ſententia, poſt Turrecremata l. 6. cap. 38. 44. Caietanum opuſ. 1. de auctor. Papæ cap. 13. & 2. part. Apoll. cap. 22. Turrianum lib. 1. cont. Centur. cap. 18. rectè docent Gregorius de Valẽtia quęſt. 1. punct. 7. à §. 26. & alij; Probatur, & declaratur. Nam ſiue Romanus Pontifex, quia talis eſt, Petro abſolutè diuino iure ſuccedat, ſiue iure Eccleſiaſtico, certum eſt nihilominus Romanum Pontificem, poſtea quam ab Eccleſia electus eſt, immediatè à Chriſto iuriſdictionem accipere. Non enim accipit illam ab electoribus 158
ſuis Cardinalibus; neque à tota communitate Eccleſiæ quamuis eiuſmodi electio requiratur ſaltem tanquam conditio ſine qua non vt ſuprema illa poteſtas Pontifici conferatur: Quia poteſtas illa Pontificia maior eſt, quam ſit vel poteſtas Cardinalium, vel reliqua totius Eccleſiæ ſecluſo Pontifice, vt magis patebit inferius dub. 8.

Deriuatur ergo poteſtas illa ex lege, & decreto quodam diuino, quo Deus certo ſtatuit, perſonæ ritè electæ auctoritatem illam, & poteſtatem vniuerſalis Paſtoris, & capitis conferre, ac ſimul eidem infallibili quodam ductu aſſiſtere in ijs rebus, tam fidei, quam morum decernendis, quæ ad communem fidelium ſalutem, fideique integritatem pertinent: quod quidem decretum diuinum nulla humana auctoritate, & poteſtate ſuppleri poſſe ſatis per ſe manifeſtum eſt. Hinc ea etiam ratione, Summus Pontifex alijs Prælatis Eccleſiæ, eminere exiſtimatur, quod alij omnes ex veriori; ſuam iuriſdictionem à Pontifice, Pontifex verò eam à Chriſto immediatè accipit, vt poſt alios tradit Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap 17. & lib. 4. cap. 24.

Ex quibus apertè etiam falſitatis redarguitur, quod huius temporis Nouatores di- 159
cunt, Romanum Pontificem ſuam illam poteſtatem, ac Primatus excellentiam accepiſſe ab Imperatoribus; Puta vel à Conſtantino, vel à Carolo Magno, vel Phoca, vt pluribus oſtendit Bellarminus lib. 2. de Pontifice ca. 17. & fuſius à me contra Sectarios diſputatum in Dioptra fidei lib. 3. cap. 8. nam ſi propriæ neque per Apoſtolicam quidem auctoritatem, aut Conciliorum ſtatuta, Romanus Pontifex eſt totius Eccleſiæ caput & Paſtor, ſeù Primas, multò minus auctoritate Imperatoria

talis

talis eſſe poteſt: cùm Imperatorum non ſit alijs conferre Eccleſiaſticam, & ſpiritualem poteſtatem, cuius ipſi exortes ſunt, vt probauimus dub. 1. certè Pontificem ſuam illam ſummam poteſtatem non ab alio habere; quã à quo eam habuit Petrus; neq; Petrum aliunde habuiſſe, quam à Chriſto, & inſtitutione Chriſti, ſatis ex ſcriptura Patribus, & totius antiquitatis hiſtoria probauimus dubio præcedenti.

160 Quod ad ſecundum quæſitum attinet, vtrum ſit de fide, hunc numero Pontificem quem tota Eccleſia tanquam legitimè electum agnoſcit, & recipit, eſſe verè Pontificem, & totius Eccleſiæ caput, certa ſunt ſequentia. I. Id, quod in re dubia fidei, ab hoc numero Pontifice, quem tota Eccleſia vt legitimè electum agnoſcit, & recipit, publica auctoritate ritè definitum, toti Eccleſiæ credendum proponitur, ab omnibus tanquam de fide certum eſſe recipiendum; non minus, quam ſi Deus ſpeciatim reuelaſſet, eum eſſe verè Pontificem ita ex communi docent Bannes hic q. 1. art. 10. dub. 2. ad 2. Gregorius de Valentia quæſt. 1. punct. 7. § 39. & Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 146. qui ſimul etiam rectè addit, talem, etſi forte reipſa inualidè electum, ratione tituli, concurrente communi errore, in ſuis definitionibus habere infallibilem auctoritatem, Deo illi propter commune bonum Eccleſiæ aſſiſtente. Ratio eſt quia Eccleſia tota in eiuſmodi rebus, quæ ad fidem, & Religionem pertinent, errare, aut falli non poteſt; cum ſit *columna, & firmamentum veritatis*. 1. Timoth. 3. & doceatur à Deo omnem *veritatem*: cum ergo Eccleſia in dubijs fidei quæſtionibus teneatur, acquieſcere definitioni eius, quia ab hominibus iure merito Pontifex habetur, impoſſibile eſt falſum eſſe id, quod ita ab eodem Pontifice proponitur; Deo ſcilicet per ſingularem aſſiſtentiam eum infallibiliter dirigente, nè erret; ſiue interim is re ipſa ſit Pontifex, ſiue non.

161 II. Non ſolum valde temerarium, & ſcãdaloſum, ſed etiam vt ſuſpectum de hæreſi, imo vt errantem contra fidem puniri poſſe eum, qui negaret, vere Pontificem, & caput Eccleſiæ eſſe eum, quem Eccleſia pro tali nullo interueniente diſſeſſu, ſemel propoſuit, & acceptauit. Ita etiam nemine diſſentiente, docet Bannes loc. cit. qui tamen addit; niſi quis forte oſtenderet, illum non eſſe baptizatum, aut non eſſe virum; ſed hæc hypotheſis in acceptato Pontifice non eſt poſſibilis, vt dicetur. Ratio eſt; tum quia talis præſumit poſſet vniuerſim negare Summi Pontificis authoritatem; tum quia talis propoſitio ſua natura ad concitandum ſchiſma, grauemque; ac periculoſam Eccleſiæ, perturbationem tendit.

162 III. Imo etiam vno quodam ſenſu de fide, eſſe, hunc numero Pontificem eſſe vere Pontificem, & caput Eccleſiæ, nimirum, tum quia in abſtracto de fide eſt, Pontificem Romanum ritè promotum eſſe caput Eccleſiæ; tum quia de fide eſt, etiam hunc numero Pontificem eſſe caput Eccleſiæ ſaltem ſub conditione, ſi reipſa ſit legitime electus, & promotus; vbi ſimul etiam ſupponuntur perſonæ habilitas & cæteræ conditiones ad valorem talis electionis requiſitæ. Colligitur ex dictis, in ſimili, ad præcedentem dubitationis partem.

An vero id abſolutè ſit de fide: duæ ſunt doctorum ſententiæ. Prima abſolutè negat, id eſſe de fide. Ita Bannes hic artic. 10. dub. 4. vbi ait etiam *poſt Summi Pontificis, & Concilij definitionem, ſolùm haberi ex humana prudentia, & euidenti inquiſitione, aut etiam ex infuſa prudentia, cui poteſt ſubeſſe falſum ſpeculatiuè, quod hic eſt Summus Pontifex, & quod hoc eſt Concilium ritè confirmatum, & congregatum*. Idem docet Caſtro de Hæreſibus lib. 1. cap. 9. vbi ait: *Quamuis credere teneamur, verum Petri ſucceſſorem eſſe ſupremum totius Eccleſiæ Paſtorem; non tamen tenemur eadem fide credere, Leonem, aut Clementem eſſe verum Petri ſucceſſorem; quoniam non tenemur ex fide Catholica credere, eorum quamlibet rectè, & canonicè fuiſſe electum*. Et ante nos Turrecremata lib. 4. ſummę cap. 9. ait, *Non eſſe fide, ſed ſapere fidem, quod hoc eſt verum Concilium, quod hic eſt Papa*. 163

Idem neceſſariò ſentiunt omnes, qui negant, concluſionem theologicam, mediatè ſolùm reuelatam ſeu ex reuelatis deductam, eſſe de fide. Fundamentum eſt: quia non poteſt infallibiliter conſtare, electionem vndequaque fuiſſe validam, quando, & ob incapacitatem perſonæ ſi forte mulier, aut non verè baptizata fuerit; & ob ſimoniam interuenientem, electio potuit eſſe nulla. Quamuis enim valde probabile ſit, à duabus partibus Cardinalium concorditer facta electionem, non obſtante ſimonia eſſe validam, vt quidam ſentiunt, iuxta cap. *Licet*, de electione: oppoſitum tamen alijs videtur verius iuxta cap. *Si quis pecunia* diſtinct. 79. & decretum Concilij Lateranen. ſub Iulio II. ſeſſ. 5. Quod etiam magis probare videtur Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 145. 164

Secunda ſententia aſſerit, eſſe de fide. Ita Gregorius de Valentia q. 1. pun. 7. §. 39. qui tamen limitat, ſi modo talis Pontifex aliquid circa fidem definierit. Eandem ſententiam tradunt Salmeron to. 13. part. 3. in epiſt. ad Rom. pag. 185. & Michael Vaſquez in diſputatione quadam 10. Iulij Anno 1602. Valliſoleti propoſita, & Pontifici dedicata, vbi dicit, eam ſententiam in Salmanticenſi, Complutenſi, Ingolſtadienſi, Romana, cæteriſq; Academijs, à noſtra Societate fuiſſe defenſam. 165

Quæ mihi etiam ſententia ſemper verior eſt viſa. Ratio eſt. Quia concluſio Theologica ex vna propoſitione de fide, & altera ſaltem moraliter euidenti deducta, eſt de fide, ex dictis q. 1. dub. 3. ſed hæc concluſio eſt talis: Ergo, &c. Minor probari primum poteſt hoc ſyllogiſmo: Omnis canonicè promotus ad cathedram Apoſtolicam Petri, eſt verus ac generalis Eccleſiæ Paſtor: hic eſt canonicè promotus & electus: Ergo. Vbi Maior videtur de fide; minor autem euidens ſaltem moraliter, ex teſtificatione nimirum humana quidem; ſed adeo certa & explorata, vt merito credatur, ei ſubeſſe falſum non poſſe; quandoquidem ſupponitur, de legitima electione irrefragabili Eccleſiæ vniuerſalis teſtimonio conſtare. Vnde etiam conſequenter efficietur, pariter ex fide certum eſſe, hunc numero Pontificem habere omnes conditiones requiſitas ad valorem talis electionis; adeoque eſſe non fœminam, ſed virum, ac vere baptizatum; id- 166

que ſiue aliquid circa fidem definiuerit, ſiue non; modo conſtet, eſſe legitimè electum, & promotum. Nam etiamſi abſolutè, & Metaphyſicè loquendo, fieri poſſet, vt mulier, aut etiam homo non baptizatus in Pontificem eligeretur, id tamen iuxta conſuetum agendi modum, adeo eſt incredibile, vt moraliter cenſeatur impoſſibile.

167 Sed reuera hæc argumentatio à ſola electione petita, non videtur ſufficiens; quia vel per canonicam promotionem & electionem ſolum intelligitur illa, quæ externa ſpecie, & in foro externo legitima cenſetur, aut quæ ſimul etiam includit & ſupponit omnes conditiones, quantumuis occultas, ad valorem talis electionis requiſitas, vt v. g. perſonam electam eſſe virum, non mulierem; eſſe baptizatum, &c. Si primum dicitur, maior illa propoſitio non eſt de fide; quia non obſtante tali legitima electione, & promotione, fieri poſset vt eius effectus occulro impedimento impediatur. Si ſecundum dicatur, tunc minor nec moraliter quidem eſt euidens. Eſto enim nonnunquam moraliter euidens eſse poſſit, hunc eſse virum, non fœminam; id tamen nec moraliter quidem euidens eſse poteſt, hunc eſse vere baptizatum; non magis certe, quam alium hominem inter Catholicos educatum.

168 Firmior eſt igitur altera ratio, quæ ab acceptatione Eccleſiæ petitur. Nam impoſſibile eſt vniuerſam Eccleſiam falli, in rebus ad communem totius Eccleſiæ Religionem ſpectantibus, cum ſit firmamentum veritatis: atqui iudicium, quo Eccleſia quempiam acceptat, & habet pro Pontifice eſt res ad totius Eccleſiæ Religionem pertinens: Ergo impoſſibile eſt, Eccleſiam in eo iudicio falli, ac proinde de fide eſt, eum quem vniuerſa Eccleſia velut Pontificem acceptauit eſse vere Pontificem, & caput Eccleſiæ. Vbi & maior, & minor propoſitio eſt de fide; ſequitur ergo etiam concluſio de fide.

169 Nec obſtat, quod fide diuina non creditur, hanc numero hoſtiam eſse verè conſecratam, non ſolum, quia vt fatetur etiam Bannes, multo incertius eſt, hanc hoſtiam eſse conſecratam, quam hunc numero eſse verum Pontificem; ſed etiam, quia cum ad propoſitionem fidei requiratur, vel vt ſecundum ſe immediate ſit reuelata, vel vt euidenter deducatur ex duobus reuelatis, aut ex vna ſaltem reuelata, & altera euidenti, idcirco merito quidem cenſetur de fide eſse, quod hic numero Pontifex ſit verus Pontifex, vt dictum; non autem, quod hæc numero hoſtia ſit conſecrata, vt quæ propoſitio nec immediatè ſecundum ſe eſt reuelata, nec ex vna ſaltem reuelata, & altera euidenti deducitur, ſiquidem minor propoſitio, quæ poſt maiorem de fide ſubſumitur, ſemper manifeſte eſt ineuidens & incerta, vt diſcurrenti patebit.

170 Idem autem, quod de hoc numero Pontifice dictum, etiam locum habet de hoc numero Concilio v. g. Nicæno, ſeruata proportione. Fuiſse enim habitum aliquod Concilium Nicænum, idque etiam legitimè conuocatum & celebratum, ac Romani Pontificis auctoritate comprobatum ſcimus, euidentia quadam morali, ex conſenſu totius hiſtoriæ: id ipſum autem fuiſse infallibile, per fidem credimus, ſimili quodam diſcurſu ſuppoſito. Fateor tamen, etiam oppoſitam ſententiam eſse probabilem; nec in fide vllo modo periculoſam, vtpote quæ veræ fidei, & bonis moribus nihil præiudicat, vt ex dictis colligitur: præſertim quando multi negant, vllam propoſitionem immediatè non reuelatam eſse de fide, vt ſuo loco dictum;

Quod ad tertium quæſitum attinet, an & qua ratione Pontifex hanc ſuam poteſtatem amittere poſſit, breuiter dico ſequentia. I. Pontifex propria voluntate eam dignitatem renuntiare ac deponere poteſt; idque etiam ſine Eccleſiæ & Cardinalium conſenſu. Habetur ex cap. 1. de renuntiat. in 6. & Gloſsa ibidem: idque re ipſa nonnunquam contigiſse, conſtat ex hiſtorijs. 171

II. Si Pontifex in perpetuam amentiam incidat, tunc ipſo iure diuino ea poteſtate excidit. Videtur communis: quia fundamentum iuriſdictionis eſt vſus rationis; ita vt perpetua amentia, quoad capacitatem iuriſdictionis & dignitatis, æquiualeat morti.

III. Extra caſum hæreſis ſeu apoſtaſiæ, nec ob vlla, quamuis notoria crimina, nec ob alia incommoda, vel calamitates, priuari Pontifex ſua poteſtate vnquam poteſt. Ita Antoninus 3. par. tit. 22. c. 4. §. 3. Turrecremata l. 2. de Eccleſia cap. 98. & ſequentibus, & lib. 4. part. 1. c. 9. Pighius lib. 6. hier. eccleſ. cap. 19. Caietanus opuſculo de auctoritate Papæ part. 1. c. 27. Turrianus lib. de Papa & Concilijs, Corduba lib. 4. q. 6. etſi contrarium ſentiat Gloſsa cap. *Si Papa* diſt. 40. itemque Panormitanus in capit. *Significaſti.* de electione; qui docent, Papam deponi poſse ob notoria crimina, quæ graue ſcandalum Eccleſiæ pariant, ſi quidem incorrigibilis permaneat; quos refutat etiam Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice à cap. 27. 172

Probatur ex iure Canonico, cap. *Si Papa* diſt. 40. & cap. *Electionem*, diſt. 79. & capit. *Oues*, 2. q. 7 & cap. *Nemo*, cap. *Aliorum*, cap. *Cuncta*, 9. q. 3. alijſque pluribus, apud Turrecrematam lib. 2. cap. 102. Ratio eſt. Tum quia extra caſum hæreſis & apoſtaſiæ, Pontifex eſt membrum Eccleſiæ, quid ni etiam eſſe, & permanere poſſit caput Eccleſiæ? quando alioquin ſuperiorem nullum habet, à quo iudicetur, vt dicetur. Tum quia alias facilè aperiretur ianua calumnijs, pluribuſque ſchiſmatum occaſionibus.

IV. Sed nec in caſu hæreſis, ab Eccleſia, ſeu Concilio generali, per ſe ac directè ſua poteſtate exui ac priuari poteſt. Eſt itidem communior ſententia ſpeciatim eorum, quos pro ſequenti pronuntiato adducemus; quamquam nec cæteris Theologis hoc aduerſari videatur, qui communiter docent, ſuppoſita cognitione, & ſententia Eccleſiæ, de notoria Pontificis hæreſi, eum ab ipſo Deo ſua poteſtate priuari. Ratio eſt; tum quia Pontifex ſuam poteſtatem habet & accipit non ab Eccleſia, ſed immediatè ab ipſo Deo, ſuppoſita tamen legitima electione, velut conditione requiſita, vt dictum, & omnes communiter fatentur. Tum quia Pontifex nullum habet ſuperiorem in terris, à quo directè iudicetur; quando ipſe eſt caput ſupra vniuerſam Eccleſiam, adeoque etiam ſupra ipſum Concilium generale, vt dicetur dub. 8. 173

V. In

174 V. In caſu tamen notoriæ, & palam diuulgatæ in Eccleſia hæreſis, quæ nulla tergiuerſatione celari poſſit, probabilius videtur, Pontificem ipſo facto, ipſoque iure diuino, etiam ante ſententiam, & cognitionem Eccleſiæ declaratoriam criminis, excidere ſua poteſtate. Ita habet communior ſententia antiquiorum Theologorum, ſpeciatim Turrecrematæ lib. 2. cap. 102. & lib. 4. part. 2. à cap. 18. Paludani Opuſcul. de poteſtate Papæ, Driedonis de libert. Chriſti. cap. 14. Caſtro lib. 2. de iuſta hæret. punitione cap. 22. & 23. Salmeronis tom. 12. tractat 83. & ex Canoniſtis, Auguſtini de Ancona de poteſtate Papæ a 5. Simanchæ Inſtitut. Catholic. cap. 21. Iacobatij lib. 7. de Concilijs a. 1. quos ſequitur Gregorius de Valentia hic quæſt. 1. punct. 7. §. 41. Etſi contrarium ſentiant Caietanus de auctoritate Papæ cap. 18. & 19. Sotus in 4. diſt. 22. quæſtion. 2. art. 2. Canus lib. 4. locorum cap. vltim. ad 12. Corduba lib. 4. quæſt. 11. & alij recentiores, qui docent, Pontificem nec in caſu hæreſis quidem excidere ſua poteſtate, ante ſententiam Eccleſiæ declaratoriam criminis.

Nituntur, inter alia, etiam dicto Clementis epiſt. 1. quaſi dixerit, *hæreticum Papam eſſe deponendum*. Sed ego plus in ea epiſtola non inuenio, quam hoc: *Ipſi autem Epiſcopi, ſi exorbitauerint, ab iſtis* (ſubditis) *non ſunt reprehendendi, vel arguendi; ſed ſupportandi, niſi in fide errauerint*. Quod generatim de Epiſcopis pronunciatum, ſuo etiam modo, & iuxta ſenſum noſtræ aſſertionis, facile etiam Summo Pontifici applicari poteſt.

175 Ratio eſſe debet: quia in caſu hæreſis notoriæ, neceſſe eſt, cum ob præceptum Chriſti, & Apoſtolorum, præcipientium, hæreticos eſſe vitandos, vt dicetur q. 8. dub. 6 tum ob publicum Eccleſiæ totius periculum vitandum, Pontificem ſua poteſtate priuari, vt omnes fatentur: id verò fieri nullo modo poteſt, per ſententiam Eccleſiæ, quamuis ſolum declaratoriam criminis: ergo cenſendum eſt, eum tunc ipſo facto, & iure diuino ſua poteſtate priuari; eo modo, quo etiam in ſimili caſu amentiæ, cenſetur iure diuino hac poteſtate excidere, vt dictum.

Minor probatur; quia ſententia etiam declaratoria criminis requirit iuriſdictionem, & poteſtatem citandi, & examinandi reum: Eccleſia vero, aut Concilium in Summum Pontificem quamdiu is poteſtatem hanc habet, nullam habet iuriſdictionem, vt dictum. Neque ideo neceſſe eſt, vlla ſequi incommoda; quando in caſu eiuſmodi notoriæ hæreſis, vt dictum, à nullo probabiliter talis Pontificis cauſa defendi poteſt, neque vero in oppoſita etiam ſententia ſatis conſtat, per quos, & qua ratione ea ſententia pronuntiari poſſit, & debeat; & multi ſæpe anni labuntur, dum de generalis Concilij cõuocatione tractatur; eſto, ſi tempeſtiuè reſipiſcat, ex tacito Eccleſiæ conſenſu, ea dignitas redeat.

176 VI. Sed & dubius Pontifex, quando Eccleſiæ certo conſtare non poteſt, an vere, & legitimè fuerit electus, ſuum ius reſignare debet; alias eo abdicato, iure alius eligitur. In hoc conſentiunt omnes. Ratio: quia dubius Pontifex reuera in facie Eccleſiæ non eſt verus Pontifex; vtpote cui Eccleſia obedire non tenetur; quæ proinde iure ad nouam electionem procedit. Plura infra de Schiſmate.

DVBIVM V.

An Pontifex Romanus aliquando ab ea poteſtate Summi Paſtoris Eccleſiæ exciderit; & degeneraret in Antichriſtum.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

TErtius hic aries eſt, quo noſtri temporis 177
Sectarij aduerſus Romani Pontificis auctoritatem ac primatum feruntur; eo quidem impudentior, quod nulli hominum ordini vel dignitati parcere nouit, ſed pari audacia in omnes æque, etiam Principes, Reges, & Imperatores Catholicos incurrit, vt inferius dicetur. Cæterum vt huius calumniæ vanitas, vel ex ipſa calumniatorum diſsenſione liqueſcat, aduertendum eſt, de ea Pontificis, vt aiunt, in Antichriſtum metamorphoſi, non eandem noſtri temporis Sectariorum, ſed quinque omnino diuerſas eſse ſententias, vt diligenter refert Bellarminus lib. 3. de Pontif. cap. 3.

Prima ſententia eſt Samoſatenorum ſiue Trinitariorum, qui in Vngaria, & Tranſyluania degunt. Hi dicunt, Romanum Pontificem in Antichriſtum degeneraſse, ſtatim poſt tempora Apoſtolorum; quando nimirum, vt ipſi aiunt, contra Apoſtolorum doctrinam docere & prædicare cœpit, Deum *trinum in perſonis*, & Chriſtum *binum in naturis*.

Secunda ſententia eſt Illyrici & Magde- 178
burgenſium Centuria 6. cap. 1. qui dicunt, Antichriſtum conceptum quodammodo fuiſſe initio anni 400. deinde animatum, & formatum in vtero matris circa annum 500. denique natum ac in lucem editum anno 606. quando Phocas Pontifici Romano conceſſit, vt caput vocaretur totius Eccleſiæ; cum tamen etiam à Iuſtiniano, qui centum fere annis Phocam anteceſſit, Pontifex *caput omnium Eccleſiarum* vocatus ſit, in Epiſtola ad Ioannem II. vt habetur Codice lib. 1. tit. 1. poſt legem 3.

Poſtremam hanc partem tradit etiam Chythræus in commentario ad caput 6. Apocalypſis, vbi ſimul ſignificat, Gregorium Magnum fuiſſe primum Põtificem Antichriſtianum; eo quod aſſeruerit inuocationem Sanctorum, & Miſſas pro defunctis, cum tamen ipſe primus hæc minime docuerit, vt ſuo loco dicetur.

Tertia ſententia eſt Lutheri in ſupputa- 179
tione temporum, qui diſtinguens duplicem aduentum Antichriſti; vnum cum gladio ſpirituali, alterum cum gladio temporali, ait, priorem illum aduentum accidiſſe poſt annũ Domini 606. quando Pontifex à Phoca caput Eccleſiæ vocatus eſt; alterum vero poſt annum Domini 1000. quando Gregorius VII. depoſuit Imperatorẽ Henricum IV. & bella geſſit. Quod dicit etiam Bibliander in Chronico tabula 11. & 13.

Quarta ſententia eſt Henrici Bulliugeri,
180 qui præfatione homil. in Apocalypſin, neſcio qua annorum ſupputatione nixus, ſcribit, Antichriſtum apparuiſſe anno Domini 763. quamtumuis nulla tum vel Pontificum, vel doctrinæ in Eccleſia Romana facta ſit mutatio.

Quinta ſententia eſt Muſculi, qui in locis, titulo de Eccleſis capit. 12. aſſerit, Antichriſtum veniſſe paulo poſt tempora Bernardi; motus auctoritate eiuſdem, qui ſerm. 6. in pſalmum 90. enumeratis multis Eccleſiaſticorum vitijs & Eccleſiæ perſecutionibus, addit: *ſupereſt, vt reueletur homo peccati*.

181 Verum non ſolum ex Scriptoribus orthodoxis nullus fuit, qui Romanum Pontificem, ſiue de certa perſona, ſiue de certa perſonarum ſerie ſermo ſit, aſſereret, eſſe verum illum, & in ſcripturis, ſpeciatim Theſſal. 2. tantopere celebratum Antichriſtum: ſed neque ex Iudæis, vel hæreticis, ante huius temporis Nouatores, quiſquam tam impudens fuit, qui tam impium dogma de Pontifice vnquam tradiderit, licet aliàs non pauci eius primatum denegarint, nonnulli etiam eum myſticum Antichriſtum appellitarint.

Sed & præterea Catholici omnes contra noſtri temporis Sectarios in eo conſentiunt, verum illum Antichriſtum in ſcripturis prænuntiatum, eſſe vnum ſingularem hominem, quem plerique omnes adhuc venturum eſſe ſentiunt; etſi pauculi quidam olim exiſtimarint, Mahometem fuiſſe Antichriſtum illum in ſcripturis prænuntiatum; eo quod venerit, vt ipſi aiunt, circa annum Domini 666. qui annorum numerus pro Antichriſti nota aſſignatur Apocalypſis 13. verſ. 18. Nos Catholicam ſententiam breuiter ſequentibus aſsertionibus explicamus.

182 Aſsertio I. Pontificem Romanum dicere Antichriſtum, eſt inſignis iniuria aduerſus ſcripturam ſacram, eiuſque auctorem Spiritum Sanctum; cum ea quæ de Antichriſto docet Scriptura, nonniſi impie, ac præter verba & mentem ſcripturæ ad Romanum Pontificẽ accommodentur. Probatur aſsertio pluribus argumentis ex ſcriptura deſumptis. Primum ſumitur ex ipſa ſingularitate perſonæ Antichriſti. Antichriſtus enim propriè, & ſtrictè acceptus, iuxtà ſcripturæ deſcriptionem, eſt vnus quidam ſingularis homo, ſicut Pilatus, Herodes &c. ſed Pontifices Romani, quos Antichriſtos eſse calumniantur Sectarij, non ſunt vnus quidam ſingularis homo, ſed multi: Ergo impoſſibile eſt, iuxta ſcripturam, vt ſint verus Antichriſtus; quem nimirum velut peculiarem Chriſti hoſtem ſcriptura proponit. Minor patet.

Maior propoſitio à Sectarijs negata, probatur ex ſcriptura. Ioannis 5. verſ. 43. dicitur, *Ego veni in nomine Patris, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*. Vbi Antichriſtus Chriſto, tanquam ſingularis haud dubie perſona ſingulari itidem perſonæ opponitur: alias enim Chriſtus non dixiſset *alius veniet*, ſed *alij venient*. Item 2. Theſſal. 2. v. 3. aperte Antichriſtus tanquam ſingularis perſona deſcribitur *Niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus*. Et v. 8. *Tum re-
uelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui*. Quæ verba ferè omnia 183
& ſingula aperte clamant, Antichriſtum eſſe ſingularem perſonam. Nemo enim alioquin de pluribus recte diceret, *reuelabitur homo peccati, filius perditionis, ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet &c.*

Quod etiam ex græco textu apparet euidentius, vbi ſemper additur articulus ſeu particula demonſtratiua, certæ cuiuſdam perſonæ nota, nimirum ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας ὁ ἀντικείμενος, ὁ ἄνομος, quaſi ad verbũ dicat: *Ille homo peccati, ille filius perditionis, ille aduerſarius; ille iniquus*: Quibus verbis nec poteſt quidem euidentius certa perſona deſignari. Optime Epiphanius hæreſi 9. *Vbi*, inquit, *articulus additus eſt, in vno aliquo determinato ac manifeſtiſſimo, omnino confirmatio propter articulum contingit. Citra articulum vero de vno quocunque tandem indefinite accipiendum eſt*.

Eodem modo 1. Ioannis 2. v. 18. verus, & proprius Antichriſtus tanquam ſingularis perſona deſcribitur, & hoc ipſo ab alijs Antichriſtis generatim ita appellatis diſtinguitur: *Filioli nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit; & nunc Antichriſti multi facti ſunt: Vnde ſcimus quia nouiſſima hora eſt.* Vbi itidẽ in græco legitur ἠκούσατε ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν Vbi propriè dicto Antichriſto articulus additur, poſtea omittitur.

Secundum argumentum ſumitur ex cir- 184
cumſtantijs temporis, quo Antichriſtus veniet. Hæ ipſæ enim circumſtantiæ aperte cõuincunt, Antichriſtum necdum veniſse: Ergo ſcripturæ iniuriam facit, quiſquis Antichriſtum in Romanis Pontificibus iam veniſſe aſserit. Antecedens probatur ſequentibus circumſtantijs. Nam I. ante aduentum Antichriſti prædicabitur Euangelium in toto mũdo, vt colligitur ex illo Matthæi 24. v. 14. *& prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio*; ad quam ſcilicet pertinet Antichriſti perſecutio, vt ex ſequentibus colligitur, & SS. Patres itidem intellexerunt, apud Bellarminum l. 3. de Pontifice cap. 4. At verò Euangelium, nec noſtro quidem tempore ita in vniuerſo orbe prædicatum eſt; cum adhuc ſemper plures inueniantur populi, quibus Euangelium necdum prædicatum fuit, vt ex vtriuſque Indię hiſtoria patet.

II. Antichriſtus non veniet, niſi poſt de-
ſolationem, & deſtructionem (non ſolam di- 185
minutionem, vt Nouatores volunt) Romani Imperij; vt aperte colligitur ex Apoſtolo 2. Theſs. 2. v. 6. vbi Apoſtolus de impedimento aduentus Antichriſti loquens ait: *Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc*, (Romanus ſcilicet Imperator) *teneat; donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus*. Id quod eodem modo docent omnes SS. Patres apud Bellarminum l. 3. de Romano Pontifice cap. 5.

Expreſse Hieronymus q. 1. ad Algaſiam eundem locum explicans ait: *Niſi fuerit Romanum Imperium ante deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet: tantum vt Romanum Imperium, quod nunc vniuerſas gentes tenet, recedat, & de medio fiat; & tunc Antichriſtus veniet*.

Et

186 Et in cap. 7. Danielis, idem Hieronymus: *Ergo dicamus*, inquit, *quod omnes ſcriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter ſe diuident: tum vndecimum Regem paruulum* (Antichriſtum) *ſurrecturum, qui tres Reges de illis decem ſuperaturus ſit; id eſt Ægypti, Africæ; Æthiopiæ Reges: quibus interfectis: etiam ſeptem alij Reges Victori colla ſubmittent.*

Et Chryſoſtomus hom. 4. in 2. Theſs. *Quando Romanum Imperium*, inquit, *de medio fuerit ſublatum, tunc ille veniet. Et merito: quamdiu enim fuerit metus huius Imperij, nemo cito ſubijcietur. Quando autem hoc fuerit euerſum, vacans inuadet Imperium, hominumque, & Dei Imperium aggredietur rapere, &c.* Nemo autem Imperio fidelis dixerit, Romanum Imperium nunc eſse prorſus ſublatum.

187 III. Non veniet Antichriſtus, niſi ſub aduentum Enoch, & Eliæ; quos quidem necdum veniſse; ſed ante extremum iudicium venturos conſtat, Malachiæ 4. Eccli 44. & 48. Matthæi 17. & Apocalypſis 11. v. 2. vbi dicitur: *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.*

IV. Tempore Antichriſti erit *tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet*, Matthæi 24. v. 21. ita vt idcirco etiam Satanas *modico tempore ſoluendus* dicatur Apocalypſis 20. v. 3. & 7. At vero tribulatio hæc magna nondum facta apparet. Et maior haud dubie ſub Nerone, Domitiano, Decio, Diocletiano perſecutio Eccleſiæ fuit, quã his temporibus monſtrari poſſit: & plures Catholici vnius ſeculi ſpatio ab hæreticis Caluiniſtis, & Lutheranis, quam à Catholicis hæretici multis ſæculis interfecti comperiuntur, vt videre eſt in libello de perſecutione Anglicana, & in lib. de concertatione Eccleſiæ Catholicæ in Anglia, & in Theatro Caluiniſticæ crudelitatis, & apud Florimundum vtraque parte hiſtoriæ.

188 Tertium argumentum ſumitur ex duratione regni Antichriſti in Scripturis deſcripta. Nam præterquam quod nonniſi breue tempus aliquod Antichriſti perſecutioni attribuitur, Matth. 24. verſ. 22. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Apocalyp. 12. verſ. 12. *Sciens* (diabolus) *quod modicum tempus habet.* Apocalyp. 20. verſ. 3. *Oportet illum ſolui modico tempore*: Sane ex ſcriptura perſpicue conſtat, Antichriſtum ſolum regnaturum eſse annos tres cum dimidio; cum tamen Pontifex Romanus vndecunque tandem ex ſententia Sectariorum numerandi principium ſumatur, aliquot centenis annis regnauerit. Antecedens probatur ex varijs locis, in quibus duratio regni Antichriſti varie deſcribitur. Nimirum primo quidem per annos. Talis locus habetur Danielis 7. verſ. 25. vbi de Antichriſto dicitur: *Et putabit, quod poſſit mutare tempora, & leges: & tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et iudicium* (extremum) *ſedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & diſpereat vſque in finem.* Vbi prophetica phraſi *tempus* in ſingulari numero poſitum, vnum annum; *tempora*, duos annos; & *dimidium temporis*, dimidiam anni partem ſignificant, vt omnes etiam Patres intellexerunt, & ex ſequentibus eſt manifeſtum.

Idem repetitur Danielis 12. v. 7. vbi dicitur: *Vſque quo finis horum mirabilium? Et audiui virum, qui indutus erat lineis, qui ſtabat ſuper aquas fluminis, cum eleuaſſet dextram, & ſiniſtram ſuam in cælum, & iuraſſet per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis.*

Et rurſum Apocalypſis 12. v. 12. de perſecutione Antichriſti dicitur: *Væ terræ & mari; quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet. Et poſtquam vidit draco, quod proiectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem,* (Eccleſiam) *quæ peperit maſculum: & datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie ſerpentis*: nimirum quia tanto tempore duratura eſt grãdis illa Eccleſiæ perſecutio.

Secundo deſcribitur idem tempus Anti- 189
chriſti per menſes. Talis locus eſt Apocalypſis 11. v. 2. vbi itidem de Antichriſti perſecutione dicitur: *Atrium quod eſt foris templum, eijce foras, & ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus.* Vbi ſignificatur, Antichriſtum regnaturum menſibus quadraginta duobus, qui & ipſi faciunt tres annos cum dimidio. Et quamuis hæc Bellarminus l. 3. de Pontifice c. 8. ad annos, & menſes lunares accommodet, verius tamen exiſtimo cum Suarez infra, de annis & menſibus ſolaribus (ad quos ipſi etiam Iudæi annos lunares reuocabant) eſse intelligenda; propter dies mille ducentos nonaginta, de quibus infra, qui menſes lunares 43. non 42. efficiunt, tribuendo ſingulis menſibus dies 30. ſolares autem menſes plures non efficiunt, quam quadraginta duos, ſimul cum diebus duodecim; quorum tamen in annorum ac menſium numeratione, quia numerum integrum in his non conſtituunt, nulla habetur ratio, vt dicetur.

Similis locus eſt Apocalypſis 13. v. 5. vbi de beſtia Antichriſtum ſignificante dicitur: *Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias: & data eſt ei poteſtas facere mẽſes quadraginta duos.* Vbi vides conſonantiam, & analogiam ſcripturarum inter ſe.

Tertio deſcribitur idem tempus regni 190
Antichriſti, per dies, Dan. 12. v. 11. vbi à *tempore, cum ablatum fuerit* (Antichriſti perſecutione) *iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolutionem*, numerantur dies mille ducenti nonaginta. Vbi ſupra annos tres cum dimidio, & menſes 42. numerantur dies 12. ad temporis præciſionem ſignificandam, vt recte Suarez 3. par. tom. 2. q. 52. ſect. 2.

Huic conſonant duo alia loca, nimirum Apocalypſis 11. v. 3. vbi de Elia, & Enoch, qui ſua prædicatione Antichriſti perſecutionem obruendent, & mitigabunt, dicitur: *Et dabo duobus teſtibus meis; & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.* Et Apoc. 12. v. 6. vbi de Eccleſia dicitur: *Mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta*; nimirum ob Antichriſti tyrannidem. Quo tamen vtroque loco diebus triginta minus numeratur; quia nec prædicatio Enoch, & Eliæ, nec fuga ſeu latebræ Eccleſiæ, tempus Monarchiæ Antichriſti præciſe adæquabunt, vt bene Suarez ibidem & Bellarminus l. 3. de

Pon-

Pontifice c. 8. & fuſius docui in Dioptra fidei lib. 3. c. 10. tametſi alioqui dies illi 1260. cum ſupradictis annis, & menſibus, ſi pro lunaribus accipiantur, exacte conueniant.

191 Quartum argumentum ſumitur ex nomine, ſtirpe, & ſede Antichriſti. I. Nomen Antichriſti conficiet numerum 666. idq; erit notum ac vſitatum Antichriſti nomen, vt patet Apocal. 13. v. 17. vbi dicitur. *Ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius. Hic Sapientia eſt: qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ,* (hoc eſt nominis beſtiæ) *Numerus enim hominis eſt: & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.* At vero Pontifices Romani nullum einſmodi nomen habent.

Quod enim de voce λατῖνος & . . . . nugatur Chytræus, vaniſſimum eſt. Nam neque *Latinus* eſt nomen Pontificis: & vox ipſa *Latinus*, prout Romanum ſignificat, græce ſcribitur per ſimplex iota, non per ει, ſine quo tamen vox illa numerum 666. non conſtituit. Vox autem hebræa *Romijth* multo ineptius ad Pontificem accommodatur, quando nomen illud fœmininum eſt, & *Romanam* ſignificat, non *Romanum*, qui apud Hebræos eſt *Romij*. Deinde quis vnquam audiuit Romanum Pontificem dictum eſſe *Romyth*; quando vſitata eius nomina non ſunt græca, vel hebraica, ſed latina; & Ioannes author eius prophetiæ hebraice non ſcripſit, ſed græce.

Longe verò ineptiſſimum eſt, quod nouiſſimè delirauit Philippus Morneus ſiue Pleſſæus in ſua Papatus hiſtoria; quaſi Antichriſtum Romanum in Paulo V. Pontifice, ex proprio eius nomine, veluti manibus prehenderit; eo quod hæc verba Paulo V. Vicedeo, conficiant numrrum 666. Ingens delirium. I. Nomen Antichriſti, in caſu vtique nominandi, & recto, non in Datiuo aut ablatiuo, ſeu quouis alio obliquo (qui quoad numeros multis modis variant) prædictum numerum 666 conficere debet. II Nomen illud debet eſſe adæquatum Antichriſti; ita vt quiſquis Antichriſtus eſt, tali nomine appellari debeat quod tamen etiam iuxta Aduerſarios, de illo nomine Pauli V. dici nullo modo poteſt. III. Nomen illud Antichriſti referens numerum 666. conſuetum eius nomen eſſe debet, vt ſuperius ex ſcriptura dictum. Quis autem vnquam Pontificem conſueto nomine appellari audiuit *Vice Deum*? IV. Imò nec propriè hoc nomine appellari poteſt: quamuis enim ſit Vicarius Chriſti ſecundum humanitatem; in qua natura is etiam eſt caput Eccleſiæ, vt ſuo loco dicetur; non tamen eſt Vicarius Chriſti ſecundum diuinam naturam. Deus enim vt ſic Vicarium generalem propriè non habet, ſed per ſe mundum ſuprema authoritate gubernat.

192 Quod ſi ita in nominibus ludere liceret, facilè eſſet, in aduerſarios plura eiuſmodi nomina cudere; quando nomen σαξονειος (quod non minus Luthero competit, quam Pontifici λατῖνος) & . . . . quod calumniatoris Chytræi proprium eſt, eundem numerum 666. cõficiunt, vti notauit rectè Bellarminus l. 3. de Pontifice c. 10. Idem de pluribus alijs, adnotauit Gaſpar Scioppius in ſuo Alexipharmaco contra Pleſſæum ſub fin. ſpeciatim verò de ſequentibus hæreſiarcharum nominibus, ſiue appellationibus: Caluinus Notus Pæderaſta. Theodorus Beza Vecelius, &c. Plura vid. apud eundem.

II. Antichriſtus naſcetur ex ſtirpe Iudæorum; à quibus etiam recipietur pro Meſſia, vt 193
patet Ioannis 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis;* & SS. Patres concorditer tradunt. At vero ab anno DCVI. quo volunt aduerſarij Antichriſtum veniſſe, conſtat, Pontificem Iudæum nullum fuiſſe, multo minus à Iudæis pro Meſſia agnitum.

III. Antichriſtus Romæ non ſedebit, vt 194
Sectarij impudenter contendunt; ſed Hieroſolymis, vt aperte colligitur ex Apocalipſis 11. v. *Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo* (Antichriſtus) *faciet aduerſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus* (nimirum à Prophetis, Iſaiæ 1. v. 10. Ezechielis 16. v. 26. 49. 56. &c.) *vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.* Ob quam cauſam etiam SS. Patres tradunt, Antichriſtum reſtauraturum templum Hieroſolymitanum, vt in eo velut Deus adoretur, iuxta illud 2. Theſſ. c. 2. v. 4. *Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus.*

Quintum argumentum ſumitur ex factis 195
Antichriſti in ſcriptura deſcriptis, quæ in Romanos Pontifices minimè conueniunt: ille enim faciet ignem de cœlo deſcendere; & vt imago beſtiæ loquatur; finget ſe mori & reſurgere, vt habetur Apocalypſis 13. à v. 13. Antichriſtus tres Reges; nimirum Ægypti, Lybiæ, atque Æthiopiæ expugnabit, & occidet, orbis Monarcha futurus, vt habetur Danielis 11. à verſ. 40. Ingenti prælio (quod prælium Gog. & Magog. vocatur) & perſecutione Chriſtianos toto orbe conſtitutos perſequetur, Apoc. 20. v. 7. Nihil autem horum factum eſt a Pontificibus. Denique Antichriſtus, vt dicitur Apocal. 13. v. 16. *faciet omnes puſillos & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & ſeruos, habere characterem in dextra manu ſua, aut in frontibus ſuis; & ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius.* Talis autem character de Romano Pontifice aſſignari nullus poteſt, niſi vaniſſimis, & ridiculoſiſſimis commentis.

Sextum argumentum ſumitur à doctrina 196
Antichriſti, quæ à doctrina Pontificis Romani erit diuerſiſſima. Nam I. Antichriſtus auferet *iuge Sacrificium*, quo nomine aliud intelligi non poteſt, quam Miſſæ ſacrificium, quod in Eccleſia iugiter, & continuato vſu publicè celebratur. Danielis 12. v. 11. id quod Lutherus quidem, cum ſuis Antichriſti prodromis, auferre conatur; ſed à Pontifice eſt alieniſſimum.

II. Antichriſtus *aduerſabitur, & extolletur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus:* hoc eſt: nullius Dei cultum profitebitur, ſed ſeipſum pro Deo venditabit, 2. Theſſ. 2. v. 4. ſiue vt Irenæus loquitur l. 5. c. 25. *Ille veniet idola quidem ſeponens, ad ſuadendum, quod ipſe ſit Deus; ſe autem extollens vnum idolum.* Quod non incredibile videbitur ijs, qui ſciunt, a Gentilibus etiam ſerpentes,

boues,

boues, aliaque bruta animalia pro Deo culta fuiſſe; vt & ſtatuam Nabuchodonoſoris à Chaldæis, adoratam Dan. 3. ipſumque etiam Simonem Magum à multis pro Deo glorificatum fuiſſe, vt teſtantur Irenæus l. 1. c. 20. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 6. Clemens l. 6. conſtit. Apoſt. c. 9. Iuſtinus in apologia pro Chriſtianis, Arnobius cont. gent. l. 2. Epiphanius hæreſ. 21. Euſebius l. 2. c. 14. Theodoretus l. 1. hæret. fabul. c. 1. & Auguſtinus de hæreſ. 1. Id vero nullus Pontificum facit.

197 III. *Deum Patrum ſuorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit: quia aduerſum vniuerſa conſurget. Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur.* Vbi verò Pontifex abnegato Deum Patrum ſuorum, nouum Deum eius loco colendum ſuſcepit? Nam quod Sectarij aiunt, *Deum Maozim* eſſe Miſſam, ſeu vt vocant, *Deum Miſſaticum*, vaniſſima calumnia eſt, ipſiſmet Sectarijs aduerſa. Nam prætérquam quod ipſum Miſſæ Sacrificium non niſi Deo vero offertur; *Deum Maozim*, (ſi quidem hoc nomen à Miſſa deriuatum velint) eiuſque cultum neceſſario ipſimet ſectarij profiteri debent, quando Miſſæ vſum à ſe ſuiſque magno ſtudio retineri, in ipſa confeſſione Auguſtana profitentur: *Falſo*, inquiunt, *accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quod Miſſam aboleant, retinetur enim Miſſa apud nos, & ſumma reuerentia celebratur. Seruantur, & vſitatæ cæremoniæ ferè omnes.* Retento vtique etiam illo cultu externo, auro, argento, gemmiſque radiante, quem hodie Antichriſti notam impudenter ſtatuunt. vid. Confeſſ. Auguſt. de abuſibus art. de Miſſa.

IV. Antichriſtus negabit Patrem, & Filium, & Ieſum eſſe Meſſiam, Ioannis 2. v. 22. ac ſeipſum pro Meſſia venditabit: *Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis;* (nempè pro Meſſia) Ioannis 5. v. 43. Quod nullus Pontificum fecit.

198 V. Antichriſtus *blaſphemabit tabernaculum Dei, & eos qui in cælo habitant*, Apocalypſis 13. v. 6. Hoc autem ſectarij faciunt, cultũ, & inuocationem Sanctorum impiè negantes, ſeque ipſos quoad ſanctitatem Cœlitibus æquantes; quos Catholici cum Pontifice magna veneratione colunt, & reuerentur.

Denique cum ſcriptura tam apertè Romani Pontificis, eiuſque Cathedræ officium, auctoritatem, & poteſtatem aſſerat, dicente Chriſto. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Paſce agnos meos, Paſce oues meas*, &c. vt ſuperius fuſe perſecuti ſumus: annon meriſſimis nebulis, & calumnijs aduerſus ſcripturas graſſantur, qui tam apertis ſcripturæ teſtimonis obluctantes, obſcuriſſimis quibuſdam ſententijs, vaniſque, & confictis interpretatiunculis ex male ſano cerebro exſculptis, plus fidei & auctoritatis tribuunt?

Legant nobis ſectarij tam claras ſcriptu-
199 ras: *Petre non ſuper te, vel Cathedram tuam, fundata, eſt Eccleſia. Et hæc ipſa Eccleſia aliquando ſuperabitur diabolica poteſtate, totaque Antichriſto ſeruiet. Ego quidem pro te rogaui Petre, ſed fides tua in poſteris tuis deficiet; & ex Chriſtiana Eccleſia fiet Antichriſtiana &c. Legite nobis*, ait iam olim in ſimili cauſa contra Donatiſtas, obſcuris itidem ſcripturis Catholicos impugnantes, Auguſtinus lib. de vnit. Eccleſiæ. *Legite nobis hoc de lege; de Prophetis, de Pſalmis, de ipſo Euangelio, de Apoſtolicis literis: Legite, & credimus, &c. Legite tam aperta, quam ſunt iſta, &c.*

Et cap. 5. *Prorſus*, inquit, *quæ alicuius vel talis interpretationis indigent, interim ſeponamus non quia falſa ſunt, quæ hoc modo de talibus tanquam inuolueris interpretando ſoluuntur: ſed quia vel interpretem quærunt, nolo in eis noſtra ingenia comparentur; ſed aperta veritas clamet, & luceat, & obduratas aures irrumpat, diſſimulantium oculos feriat. Nemo in eis latebris quærat falſæ ſententiæ locum.*

Iam vero qualia ſunt hæc, contra ſcrip- 200
turas apertas, alias quaſdam obſcuras, & ænigmaticas producere, eaſque multo adhuc obſcurius, imo vanius interpretari; & nihilominus iactare, has eſſe demonſtrationes ſcripturæ, quibus alia quæuis loca, etſi clariſſima, vna cum tota veteri Eccleſia, Sanctorumque Patrum ſenſu, & ſententia cedere debeãt. Oportebat ſane Prædicantes ſuæmet Apologiæ Confeſſionis Auguſtanæ memores eſſe, in qua titulo de Sacrificio Miſſæ adeo dogmaticè, & aſſeueranter traditur *Allegoriæ non pariunt firmas probationes.* Quod ſi verum eſt, quid ergo ſibi volunt illa allegoricorum Prædicantium dogmata, quibus ſua illa de Antichriſto deliramenta velut ex ipſa ſcriptura diuina potiſſimum fulciunt? *Edom*, id eſt Lutherani Martyres; *Moab*, id eſt, ſimplices Chriſtiani, *Principium filiorum Ammon*, hoc eſt, infantes ante baptiſmum mortui: *Oriens*, id eſt, exortus Euangelij Lutherani; *Aquilo*, id eſt, Lutherus ſeu prædicatio Lutheri; *Elias & Enoch*, hoc eſt, Miniſtrorum Pſeudoeuangelicorum caterua. *Dies 1260. ſeu menſes 42.* hoc eſt, mille anni, & amplius: *Ægyptus, Lybia, Æthiopia*, hoc eſt, non Ægyptus, non Lybia, non Æthiopia, ſed aliqua alia regio, neſcio vbi. Quæ omnia part. 2. Anatomiæ Confeſſ. Auguſt. demonſtrat. 5. §. 13. à num. 235. fuſius proſecutus ſum.

Et verò morem hunc ad proprios ſenſus 201
inuertendi ſcripturas nec per ſe difficilem, & iam olim hæreticis perquam fuiſſe familiarem, optime inter alios notauit Tertullianus de præſcript. cap. 38. & 39. vbi etiam non veretur dicere, *ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent: cum legamus, Oportere hæreſes eſſe, quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſent.* Et in eundem ſenſum Hieronymus epiſt. ad Paulinum: *Multi*, inquit, *nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem. Quaſi non legerimus Homerocentonas, & Virgiliocentonas ac ſic non etiam Maronem ſine Chriſto poſſimus dicere Chriſtianum, &c.* Similia habent Irenæus lib. 1. contra hæreſ. cap. 1. & Cyprianus lib. de vnit. Eccleſiæ cap. 9. Sed hæc de ſcriptura ſatis.

Aſſertio II. Dicere Romanum Pontifi- 202
cem eſſe Antichriſtum, eſt inſignis iniuria aduerſus SS. Patres, qui eundem ſemper pro Summo Paſtore, & capite Eccleſiæ venerati ſunt. Probatur, & declaratur aſſertio. Nam vtique grauis aduerſus SS. Patres contumelia eſt dicere, Sanctiſſimos, & doctiſſimos Patres,

qui

qui per mille hactenus, & amplius annos in Eccleſia floruerunt, tam grauiter fuiſſe lapſos, vt Antichriſtum, hoc eſt ſummum Chriſti hoſtem, & aduerſarium, pro Chriſti Vicario, & Summo Eccleſiæ Paſtore haberent; neque tot, & tantas Scripturas, quæ de Antichriſto extant, quaſque Sectarij velut euidentiſſimæ veritatis argumenta iactant, vlla ex parte intelligerent, ſed ab ijs tam diuerſa ſummo conſenſu traderent. 1. Antichriſtum eſſe vnum ſingularem hominem. 2. Antichriſtum ex ſtirpe Iudæorum naſciturum. 3. Antichriſtum à Iudæis pro Meſſia receptum iri. 4. Antichriſtum non diutius regnaturum, quam tribus annis, cum dimidio. 5. Sub Antichriſti tempus adfuturos Enoch, & Eliam, qui ſua prædicatione eius tyrannidi obſiſtant. 6. Antichriſtum ſeipſum pro Deo venditaturum, niſi ſublato Romano Imperio: & ſimilia, quæ Patres vnanimi conſenſu tradiderunt.

Reſpondet ad hoc Hunnius art. de Ec-
203 cleſia fol. 406. *Veniam dandam eſſe Patribus, quod cum illorum ætate vaticinia illa eſſent adhuc obſignata, & clauſa, & Antichriſtus nondum plane in apertum erupiſſet, eum minus agnouerunt.* Et fol. 440. *Patrum ſane hac in parte errorem, & ignorantiam excuſat ipſa ratio temporis.*

In alio autem libro apologetico, qui eiuſdem ſimul Hunnij, & Hailbrunerij nomine ſub titulo *Antitanneri* editus eſt pag. 381. vlterius progreſſus, vult neque Danielem quidem Prophetam myſterium hoc in ſpecie agnouiſſe, iuxta illud Danielis 12. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum; plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* Et infra: *Vade Daniel,*
204 *quia clauſi ſunt ſignatique ſermones vſque ad præfinitum tempus. Cum ergo Daniel ipſe teſtetur,* inquiunt hæretici, *ne ſe ipſum quidem in ſpecie alia intellexiſſe, ſed eſſe ea clauſa, & obſignata, & illuſtrem eorum notitiam reſeruari vſque ad nouiſſima tempora, vbi multi ex euentu rerum inuenturi ſint multiplicem ſcientiam: plane confidimus, nos Dei voce per hunc Prophetam, & Legatum Domini ab arrogantiæ crimine abſolui; ſi maximè gratis mentibus agnoſcamus, nos qui in ipſum tempus reuelationis Antichriſti incidimus, eſſe Dei beneficio Patribus hac quidem in parte oculatiores, vtpote quorum tempore nondum ita in apertum eruperat Antichriſtus; et vaticinia omnia tum demum liquidius intelliguntur, quando euentu res prædictæ adimplentur.* Sed rurſum pag. 402. *Neque nos,* inquiunt, *tantillum mouet, hac quidem in parte auctoritas Patrum.* Ita impudentiſſimi homines; qui hac in re non tantum SS. Patribus, ſed ipſo etiam Propheta Daniele ſeſe oculatiores ſcientioreſque iactare non verentur; ſimulque id, quod Daniel de die Iudicij mortuorumque reſurrectione, velut in diuinis ſecretis reponendum ſcripſerat, ad ipſam mediam Chriſtianæ Eccleſiæ ætatem referre.

Neque vero niſi vaniſſimum huius im-
205 pudentiæ prætextum adhibent. Aiunt, diuerſam rationem temporis rem hanc eandem & Patribus olim obtexiſſe, & ſibi nunc in aperto poſuiſſe; quia eorum tempore nondum ita in apertum eruperit Antichriſtus, & vaticinia omnia tum demum liquidius intelligantur, quando euentu res prædictæ adimplentur.

Sed cum plerique ipſimet aſſerant, Pontifices iam à temporibus Gregorij Magni, ante annos circiter mille, in Antechriſtos degenerasse, nec tamen vllus ex Patribus aut Doctoribus, qui his mille proximis annis vixerit inueniatur, qui vt volunt aduerſarij, natum iam Antichriſtum, vel per ſomnium cogitarit, planè nulla temporis, aut impleti vaticinij ratio impudentiſſimam Sectariorum inſaniam vllo modo excuſare poteſt; quando ſe etiam poſt impleta, vt aiunt, vaticinia. cunctis Patribus, & Doctoribus, qui his mille annis vixerunt oculatiores, intelligentioreſq; iactitant.

Quid enim? An circumſtantiæ tempo-
ris, & perſonarum, quas nunc iactant hære- 206
tici, eædem etiam his mille proximis annis non erant? an doctrina Romanæ Eccleſiæ, an primatus, (præcipuæ nimirum illæ circumſtantiæ, ex quibus modo Antichriſtum exſculpere nituntur aduerſarij) non æque eo tempore ac noſtro vigebant? An Romanus Pontifex Caput Eccleſiæ ſe palam non aſſerebat? an toti Eccleſiæ leges non ferebat, & quidem eas ipſas, quas nunc maximè calumniantur Sectarij de cælibatu Sacerdotum, de monaſticis inſtitutis, &c. An Miſſas (& quem iſti calumniatores impudentiſſimè *Deum Maozim, et Miſſaticum* appellant) non palam, non magna ſolemnitate ac pompa, auro, argento, gemmiſque radiante, non celebrarunt? an etiam Imperatoribus in ſpiritualibus, & temporalibus, ita quidem vt nunc facit, ius non dicebat? Sed legatur, vel ſolius S. Gregorij
regiſtrum, an minus hac in re ſibi poteſtatis 207
vindicauerit, quam nunc factitare ſoleant Romani Pontifices.

Cur ergo ex his circumſtantijs, adeo, vt ipſi quidem dicunt, luculentis Antichriſti iudicijs, natum Antichriſtum, Patres ſanctiſſimi, & doctiſſimi non agnouerunt? cur in deſcribendis proprietatibus, & conditionibus Antichriſti adeo ab aduerſarijs diſſentiunt? aut quænam tandem eſt illa circumſtantia temporis, vel adimpleti aduentus, quæ aduerſarios ab impudentiſſima inſania excuſet; dum ſe tot SS. Patribus oculatiores faciunt; eiſque adeo procaciter inſultant, noctuæ aquilis; muſcæ elephantis; hirci leonibus, homines animales, viris ſanctiſſimis?

Sed cum nec vetus Eccleſia Catholica, 208
ſiue quoad reliquam fidei doctrinam, ſiue quoad Romani Pontificis obſeruantiam, ac æſtimationem, ab Eccleſia Catholica, quæ abhinc mille proximis annis floruit, vlla ex parte diſſenſerit, vt ſuperius quæſtione 3. dub. 4. oſtenſum, paris profecto impudentiæ eſt, ſiue his, qui abhinc mille annis vixerunt Patribus, ſiue etiam ijs, qui eoſdem ſex fere antea ſæculis anteceſſerunt, quoad reuelati Antichriſti notitiam intelligentiores ſe iactare, ac inſuper proclamare, vti Hunnius facit cit. Apologetico cap. 5. *dicere Antichriſtum, vti omnes SS. Patres dixerunt, vnam ſingularem perſonam futurum, eſſe fatuum, et in diuinis litteris inſcitiam non excuſandam.* Hæc de Patribus.

Aſſertio III. Dicere Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum, eſt inſignis iniuria aduerſus ipſum Romanum Imperium, omneſque

que

que Principes Catholicos. Hæc ipſa fuit vox & publica proteſtatio Sereniſſimi Principis, ac Vtriuſque Bauariæ Ducis, & nunc etiam Sac. Romani Imperij Electoris Maximiliani, in poſtremo Colloquio Ratiſponenſi Anni M. DC. I. ſeſs. 13. cum ad obtundendum impudens os Hunnij non minus erudita, quam libera voce diceret: *Vos appellaſtis Romanum Pontificem Antichriſtum: quæ eſt iniuria inſignis & clariſſima; & hoc nunquam probabitis.* Et rurſùm: *Imò eſt inſignis iniuria, quæ redundat in omnes Catholicos*, vt videre eſt in editis Actis eiuſdem Colloquij.

210 Probatur & declaratur aſſertio. Nam ſi Pontifices Antichriſtus ſunt, per Antichriſtum Romanum Imperium acceperunt Franci, & poſteà Germani, laudatiſſimi Imperatores; Antichriſtus Imperatoris eligendi anctoritatem tribuit Germanis Principibus; idolatras & Antichriſti proſtibula, nullos vnquam vere Chriſtianos Principes ac Imperatores, ante Lutherum, habuit Germania; imo nec terrarum Orbis; quando omnes Reges & Principes Chriſtiani, ante Lutherum, ſeſe Romano Pontifici ſubiectos & obnoxios profitebantur, tanquam oues Paſtori, tanquam diſcipulos Magiſtro, tanquam filios patri.

Deinde ſi Romanus Pontifex iam mille annis in Antichriſtum degenerauit, neceſſe eſt, à totidem iam annis ſublatum fuiſſe Romanum Imperium; cum hæc ſit certa quædam nota aduentus Antichriſti, vt ſuperius ex Apoſtolo & SS. Patribus dictum: hoc autem ſine iniuria Romani Imperij, in Auguſtiſſimo & feliciſſimo Imperatore Ferdinando etiamnum florentis, dici nequaquam poteſt.

211 Sed quid ad hæc Hunnius & Hailbrunnerus in ſuo illo Apologetico pag. 396. *Pontifices*, inquiunt, *Romani tranſtulerunt Imperium Romanum de gente in gentem; nunc ad Francones, mox ad Germanos: Ergo re & facto demonſtrarunt, ſi vere eſſe Antichriſtum, de quo Spiritus Sanctus in diuinis litteris vaticinatus eſt Danielis 12.* (potius 11. v. 39.) *vbi de Antichriſto dicitur, quod terram diuiſurus ſit ijs, qui iuuant illum in muniendo Deum Maozim, id eſt, cultis & Deo Miſſatico.*

Nimirum huc vſque euaſit Maieſtatem calumniandi impudentia, à conceſſa ſemel, vt exiſtimant, impunitate peccandi profecta. Sed etſi mille ſcripturæ prætexantur, mentitur ipſa iniquitas ſibi. Nam Pontifex transferendo Imperium ad Carolum Magnum, vllam terrarum poſſeſſionem ei largitus non eſt: ſed quaſcunque terras Magnus ille Carolus, feliciſſimis auſpicijs, & plane diuino nutu primis è Francis Imperator obtinuit, earum poſſeſſionem partim hæreditate, partim armis acquiſiuit; à Pontifice ſolummodo ius & titulum ac dignitatem Imperatoriam adeptus. Quomodo ergo Pontifex *terram diuidit, aut dimiſit gratuito* in Chriſtianos Principes, cum ipſum alioqui Pontificem ſuas quas habet terras, à Chriſtianis potius Principibus accepiſſe conquerantur aduerſarij? De Miſſatico Deo, & deuotione Sectariorum aduerſus eundem, iam ſuperius diximus.

Obijciunt ſecundo locum ex Apocalyp-
212 ſis 13. vbi *Ioannes*, inquiunt, *introducit Papam, vel beſtiam habentem cornua duo ſimillima agni; ſed loquentem inſtar draconis; deq; ea beſtia perhibet, quod plagam, quæ primæ beſtiæ decicorni, id eſt, Romano Imperio inflictæ fuerat, per barbaros populos Italiam vaſtantes, rurſum fuerit curaturus; euocando nimirum ex Gallijs Carolum Magnum, cuius adiutùs copijs, populos illos ex Italia eiecit & Imperium ad Francos tranſtulit.*

Reſpondetur his calumnioſis commentis duo falſa ſupponi. Primum, per beſtiam primam ſignificari Romanum Imperium; cum vt veteres ſcriptores exponunt, & ipſe contextus ſcripturæ aperte indicat, eo nomine intelligatur Antichriſtus. 213

I. Quia Ioannes vaticinando ait verſ. 1. ſe vidiſſe *de mari beſtiam aſcendentem*: at vero Romanum Imperium tempore S. Ioannis dudum fuerat conſtitutum.

II. Dicitur verſ. 2. *draconem*, hoc eſt, Satanam *dediſſe beſtiæ illi virtutem & poteſtatem magnam*. Atqui Romanum, & præſertim, vt nunc eſt, Chriſtianum Imperium poteſtatem ſuam à Deo habet, non à diabolo.

III. Ioannes ibidem verſ. 3. ait, poſt curatam plagam beſtiæ fuiſſe *adoratum draconem*, hoc eſt, Satanam. At vero translato Imperio ad Carolum Magnum, non adoratus, ſed ſtudio pijſſimi Imperatoris profligatus potius fuit ex occidente Satanas, multis Germaniæ & Franciæ populis ex eo tempore ad fidem conuerſis.

IV. Beſtia illa prima, iam à vulnere ſanata, *aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant*. ibidem verſ. 6. Quæ Antichriſti propria ſunt, & à Carolo Magno, eiuſque Succeſſoribus, Dei Sanctorumque cultui addictiſſimis alieniſſima.

V. De eadem beſtia dicitur ibidem verſ. 5. *Data eſt ei poteſtas facere menſe quadraginta duos*; quod veriſſime Antichriſto, nullo autem modo Imperio Romano conuenit. 214

VI. Cura & ſtudio beſtiæ ſecundæ adorabitur beſtia prima ibidem verſ. 12. At Romanum Imperium, Antichriſto procurante, nunquam adorabitur, qui ſe ipſum ſolum volet adorari.

VII. Tempore Antichriſti regnantis, non amplius extabit Romanum Imperium, vt Patres ex ſcriptura euidenter docent: Ergo non poteſt intelligi per priorem beſtiam à ſecunda beſtia adoratam.

Secundo non minus falſum eſt, per beſtiam iam ſecundam, habentem cornua duo, intelligi aut Antichriſtum, aut Romanum Pontificem. Primum euidens eſt ex eo. Nam de ſecunda beſtia dicitur ibidem verſ. 12. *Fecit terram, & habitantes in ea adorare beſtiam primam*; quod nunquam faciet Antichriſtus, qui ſeipſum pro Deo ac ſummo Monarcha venditabit. Deinde de beſtia ſecunda dicitur ibidem verſ. 2. *Facturam poteſtatem prioris beſtiæ omnem in conſpectu eius.* At quomodo Antichriſtus poteſtatem prioris beſtiæ fecit, ſi per eam Romanum Imperium intelligatur? 215

Non minus falſum eſt, per beſtiam ſecundam deſignari Papam: quod totidem quaſi argumentis refellitur, quot eo loco ſunt verba Ioannis. Sed pauca quædam attigiſſe ſufficit. I. ait Ioannes verſ. 13. *Feciſſe ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram, in conſpectu hominum.* At quis Pontificum hoc vnquam fecit? 216

II. Dicet habitantibus in terra, vt faciant imaginem beſtiæ prioris; eique ementito quodam miraculo, quaſi ſpiritum & loquendi facultatem impertiet, ibidem verſ.15. Hoc vero quis, quando, aut vbi fecit Pontifex?

III. Faciet, vt quicunque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidantur ibid. verſ.15. At quis Pontificum hoc vnquam fecit; etiamſi per beſtiam illam priorem intelligeretur Romanum Imperium?

217 IV. Quæ de charactere beſtiæ circumferendo dicuntur, ad Pontificem applicari non poſſe, ſuperius dictum eſt aſſert.1.argum.5.

Tertio obijciunt pag.397. illud ex Apocalypſi 17. vbi calumniantur, *Papam introduci vt ſcortum nobile, quod inſideat decicorni beſtiæ, eamque ſubigat & tractet pro libitu, Regeſque terræ veneficijs ac vino proſtitutionis ſuæ dementet*. Et in eundem ſenſum Hailbrunnerus in ſuo Acatholiconte pag.439. *quicquid honoris, reuerentiæ, obſequij & officij ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus Chriſtianis præſtitum eſt Romano Pontifici, id, inquit, iniuria temporum accidiſſe: quin etiam hoc modo impleri debuiſſe Prophetiam Apocalypſis 17. verſ.2. & c.18. verſ.3. Reges terræ cum magna meretrice Babilonica fornicaturos. Quod ſi hæc iniuria ſit, poſſe Ieſuitas, eorumque ſocios, cum Ioanne, cum Chriſto, & ipſo Spiritu Sancto, qui hæc dictarunt aut reuelarunt, expoſtulare.*

Sed hanc execrabilem & vaniſſimam calumniam non tam Romano Pontifici, quam Romano Imperio contumelioſam, & in ipſum Spiritum Sanctum ſacræ ſcripturæ authorem iniurioſam, ipſa ſcriptura euidenter redarguit. I. Dicitur mulier illa *ebria de ſanguine Sanctorum*, verſ.6. At quinam Pontifices Sanctorum adeo copioſo ſanguine maduerunt? nihil plane de hoc hiſtoriæ habent; cum è contrario plurimi Pontifices ſanguinem pro fide fuderint. Quod ſi vel hæreticos diaboli martyres nobis dabit Hunius, nos ſemper vnius loco centum Catholicos Dei Martyres, ab hæreticis, aut Ethnicis interemptos reddemus.

218 II. Beſtia cui mulier inſidere dicitur, habet *capita ſeptem, & cornua decem* ibidem verſ.7. Per ſeptem autem capita ſignificari *ſeptem montes, & ſeptem Reges*, ipſemet S. Ioannes inferius declarat. Qui etiam addit, ex illis *quinque cecidiſſe, vnum eſſe, & alium nondum veniſſe; & cum venerit, oportere illum breue tempus manere* ibidem verſ.10. Quinam autem ſunt ſeptem illi Reges, qui Romano Imperio tanquam capita prædicto modo inhæſerint?

Dicerent forte aduerſarij, eſſe ſeptem Electores Imperij; niſi à ſuiſmet ſibi Principibus Electoribus timerent. Verum id quam nec ſcriptura, nec hiſtoria admittit. Nam 1. Antichriſtus, ſecundum aduerſarios, iam multo ante hanc Septemuirum dignitatem conſtitutam exortus fuerat. 2. Electores ſeptem non ſunt *Reges ſeptem*, ſed vnus tantum illorum Rex eſt. 3. Ex ſeptem illis Regibus, ait Sanctus Ioannes, *quinque cecidiſſe, vnum eſſe, alium nondum veniſſe*: quæ nec per ſomnium quidem Electoribus Imperij aptari queunt.

219 III. Dicitur ibidem verſ.14. quod decem Reges *cum Agno pugnaturi, & ab Agno vincendi, vna cum beſtia deſolatam facient fornicariam, ipſamque igne concremabunt*. Atqui Pontificia Cathedra nunquam hactenus deſolata fuit, multo minus igne cremata; nec vnquam igne cremari poterit, vtpote ſpiritualis. Neque dici poteſt, quinam ſint futuri decem illi Reges infideles, qui poteſtate ſua beſtiæ, hoc eſt, vt vult Hunius, Romano Imperio tradita, Antichriſtum ſimul & Pontificem impugnaturi ſint.

IV. Denique ipſemet Ioannes aperte declarat, per mulierem, non Pontificem, non Pontificiam Cathedram, ſed ciuitatem; nec ciuitatem quamlibet, ſed iam tempore S. Ioannis orbis dominium habentem deſignati, qualis quidem tunc ſub Imperatoribus Ethnicis erat Roma, minime vero Pontifex. Et mulier, inquit ibidem verſ.18. *quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper Reges terræ*. In quem ſenſum poſt Tertullianum, & Hieronymum; ita etiam aperte de muliere docent Bellarminus lib.2. de Pontifice cap.2. & lib.3. c.13. Franciſcus Ribera & Blaſius Viegas in Apocalypſis cap.17. vt per eam ſcilicet intelligatur Romana vrbs, non qualis iam eſt, fidem Chriſtianam profeſſa, Romaniſque Pontificibus ſubdita, ſanctitatis & fidei Magiſtra, & vt ait Hieronymus lib.2. contra Iouinianum, quæ *ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione deleuit, vrbs potens, vrbs orbis domina, vrbs Apoſtoli voce laudata*: ſed qualis circa tempora Sancti Ioannis Apocalypſin ſcribentis erat, idololatriæ princeps, ſuperſtitionum auctrix, Chriſtiani nominis crudeliſſima inſectatrix, & ſub Neronis ac Domitiani, & paulò poſt ſub Traiani diriſſimis perſecutionibus, multorum millium Martyrum ſanguine ebria; qualem etiam excuſſa Romani Pontificis obedientia; denuo circa finem mundi futuram non contemnendis argumentis quidam ſibi colligere videntur. Hæc vrbs talis, & tam deteſtabilis, adeo prona diaboli ope nixa, vt planiſſime ac ſigillatim citati authores declararunt, per illam mulierem beſtiæ, hoc eſt, diabolo, non Romamo Imperio inſidentem deſignatur. 220

Pontificem autem, vel Sedem Pontificiam, aut Eccleſiam Romanam, per mulierem; & ſimul per beſtiam Romanam Imperium ſignificari, ne ſomnianti quidem ſobriè videri poteſt, & apertiſſima eſt aduerſus totam Chriſti Eccleſiam, ipſumque Spiritum Sanctum blaſphemia, vt dictum.

Quod autem aduerſarij præterea quorumdam Chriſtianorum & Catholicorum Imperatorum priuatis tamen de cauſis male in certos quoſdam Romanos Pontifices affectorum, exulcerati pectoris ſcommata quædam & conuitia in eoſdem Romanos Pontifices obijciunt, ſpeciatim Friderici II. Ludouici IV. Henrici IV. faciunt illi, quod canes patellarij ſolent, qui eiecta ab exulcerato pectore phlegmata tanto ſuauius lingunt & exſugunt, quanto in ſe horridiora & fœdiora ſunt; cum tamen interim conſtet, eos ipſos Imperatores alioquin Romanam in ſe Cathedram magna reuerentia coluiſſe, eidemque ſe ſubiectos agnouiſſe, vt particulatim oſtendi in Apologetico relationis de Colloquio Ratiſponenſi cap.16. 221

Aſſertio IV. Dicere Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum, eſt inſignis iniuria in vniuerſam Chriſtianam Eccleſiam. Probatur & declaratur aſſertio. Nam ſi Romanus Pontifex 222

tifex Antichriſtus eſt, iamque, vt dicunt, à multis annis fuit, Antichriſti opera Chriſtum edocti ſunt Francones, Saxones, cæteri Germani, item Poloni, Dani, Moraui, Bohemi, Vngari, & noſtro æuo Indi, Iapones &c. quos Romanæ Eccleſiæ Sacerdotum labore & ſtudio, in Chriſtum credidiſſe, nec Sectarij negauerint; imo centuriatores ipſi Centuria 1. lib. 2. cap. 10. & Centuria 7. cap. 2. & Centuria 8. cap. 2. teſtantur: & publica notitia conſtat, Auguſtinum, Patritium, Maternum, Chilianum, Bonifacium, Swibertum, Rupertum, alioſque Septentrionalium Prouinciarum Apoſtolos à Romanis Pontificibus miſſos, in Anglia, Hybernia, Germania Chriſti Euangelium prædicaſſe, eoſque populos ad Chriſti fidem conuertiſſe. Talia ne faciat Antichriſtus? Abiuratus Chriſti hoſtis & aduerſarius de quo ſcribit Apoſtolus 2. Theſ. 2. *quod extolletur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*; ſeu qui vt vaticinatur Daniel cap. 11. *Deum Patrum ſuorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit.*

223 Et friuolum nimis eſt, quod Hunnius & Hailbrunnerus in Apologetico pag. 389. dicunt, intelligi facile poſſe Antichriſti opera populos ad Chriſtum fuiſſe conuertendos. *Si quidem & Iudas*, inquiunt, *(quem Chriſtus diabolum nominat Ioannis 6.) in Chriſtiana Religione homines erudiuit, doctrina ſimul & miraculis. Quin etiam Scribas & Phariſæos*, aiunt, *circumiſſe mare & aridam, vt gentes ad ſuam religionem conuerterent, & tamen ab ipſo Chriſto fuiſſe dictos fures & latrones.*

Sed nugæ ſunt iſtæ. Nam primum in ſtudio veræ fidei propugnandæ, quæ comparatio Iudæ, & Phariſæorum, qui circumeuntes mare & aridam vix vnum proſelytum, aut Chriſtianum faciebant; & Romanorum Pontificum, quorum opera tot populi conuerſi ſunt? Deinde aliud eſt, malum eſſe priuatis moribus, & profeſſione ac officio bonum, quales fuerunt Iudas, & Phariſæi: aliud, & moribus, & profeſſione ac doctrina ſimul omni modo execrabilem, Chriſtoque aduerſarium eſſe, vt Antichriſtum futurum eſſe, ſupra oſtendimus.

Oſtendant illi de Antichriſto ſimiliter, vt de Scribis & Phariſæis à Chriſto pronuntiatum, *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite, &c.* Matthæi 23. vel vt de Apoſtolis; *Qui vos audit, me audit*, Lucæ 10. & tunc fatebimur, nullam iniuriam Chriſto & Eccleſiæ facere, qui tot populos Antichriſti opera ad Chriſti fidem conuerſos dixerit. Vt interim taceam, à Chriſto non Phariſæos & Scribas, ſed eos, qui ſe ante Chriſtum pro Meſſia impudenter iactarunt, fures & latrones vocatos eſſe.

224 Aſſertio V. Dicere Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum, eſt doctrina calumnioſa, nec in Imperio hactenus publica fide tolerata; nec cum doctrina & principijs Pſeudoeuangelicorum Prædicantium, à quibus iactatur, conſentiens; quamuis ex communi alioqui omnium hæreticorum principio, manifeſtarijque hæretici doctrina hauſta. Hæc aſſertio quoad ſingulas partes probatur & declaratur. Primum enim calumnioſam hanc doctrinam in Imperio hactenus communi auctoritate & conſenſu toleratam non eſſe, nec adeo communi pacificationis formula comprehendi, ita probatur: quia hactenus omnes formulæ pacificationis in Imperio editæ, ad duas tantum Religionis formulas pertinent; Catholicam ſcilicet, & eam, quæ Confeſſionis Auguſtanæ dicitur, vti patet ex Receſſu imperiali edito in Comitijs Auguſtanis anno 1555. vbi non ſolum Concordia Paſſauienſis confirmata, ſed inſuper etiam plena & abſoluta, quoad vtramque Religionem, pacis formula conſtituta & ſancita fuit; addita tamen hac expreſſa reſtrictione: *vt omnes aliæ Religiones, quæ cum alterutra prædicta* (Catholica, & Confeſſionis Auguſtanæ) *non conſpirant, in hac pacificatione non contineantur, ſed omnino excludantur.* Iam vero Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum, in tota Confeſſione Auguſtana nuſquam habetur: Ergo cum ſit alioqui dogma adeo exorbitans, & probroſum ac iniurioſum non ſolum Romano Pontifici, ſed etiam toti Imperio Romano ac vniuerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ, vt dictum, non eſt exiſtimandum, impunitatem & ſecuritatem, quæ alioqui fidei & doctrinæ Confeſſionis Auguſtanæ indulta eſt, etiam ad hoc ipſum tam prodigioſum & execrabile dogma extendi.

Secundo vero id ipſum dogma, eiuſque dogmatis propagationem non ſatis cohærere cum ipſorum Prædicantium præcipue Lutheranorum, religione & principijs, pluribus argumentis declaratur. I. Quia in ipſa eorum explicatiſſima fidei profeſſione, nimirum in Confeſſione Auguſtana Carolo V. Imperatori anno 30 oblata, nulla eius dogmatis facta eſt mentio vt dictum. Quod ſi hic adeo neceſſarius eſt fidei Lutheranæ articulus, cur in ſua Confeſſione, quam à claritate & integritate adeo collaudant, hanc ſuam fidem profeſſi non ſunt? an forte timebant, ne propter hanc ſuam fidem ſeu perfidiam diaboli calumniatoris Martyres fierent Prædicantes? aut certe ne fortaſſis confeſſio tali in ipſum Romanum Imperium contumelia & probro conſpurcata, in pacis ac conniuentiæ, ſeu impunitatis ciuilis fœdus & ſocietatem non admitteretur? Sed videant Prædicantes, ne ob hoc ipſum, quod huic contumeliæ, grauiſſimæque in Imperium Romanum iniuriæ impunitas ad promiſſa non eſt, ad promeritas ipſi authores eius contumeliæ pœnas aliquando depoſcantur. 225

II. Si Pontifex Romanus Antichriſtus eſt, reliqui vero Epiſcopi Catholici, commilitones & ſocij Antichriſti, neceſſe eſt, vt Pſeudoeuangelici Miniſtri ſuæ vocationis & poteſtatis iura ad ipſum Antichriſtum referant: quandoquidem ij, qui vel ſapientiſſime in ipſis vocationis iura proſequi ac tueri ſibi videntur, ea ad Romani Pontificis, ac Epiſcoporum Catholicorum auctoritatem ac poteſtatem referunt. Quam autem ijs honorificum ſit, nouoque eorum Euangelio decorum, vocatione Antichriſtiana niti ac fulciri, ipſi viderint. Nos quidem illis talem honorem non inuidemus. 226

III. Fundamenta, quibus aduerſarij hanc calumniam potiſſimum fulciunt, ſunt partim quædam Prophetiæ obſcuræ Danielis, quas ſenſu allegorico ſuo arbitratu explicant; partim eſt ipſe liber Apocalypſis Sancti Ioannis. At vero neutrum fundamentum ab aduerſarijs firmum & ſolidum haberi poteſt. Primo, quia 227

ex allegorico ſenſu firmum argumentum non duci, ipſemet in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ profitentur tit. de Sacrificio Miſſæ, vbi aſſeueranter pronuntiant: *Allegoria non pariunt firmas probationes.*

Deinde cum Lutherus olim præfatione in Apocalypſim adeo diſertè teſtatus ſit, *ſe librum Apocalypſis nec pro Apoſtolico nec prophetico habere; ſed pro tali, qui ſimilis ſit libro quarto Eſdræ: cuique ſuus Lutheri ſpiritus ſe accommodare nullo modo poſſit:* qua conſcientia prædicantes, quoue ſpiritus impulſu, eundem librum Apocalypſis, ita nunc contra ſui Prophetæ & Euangeliſtæ Lutheri antiquum illud iudicium ac ſententiam, ex prophano ſacrum, ex apocrypho authenticum, ex non Canonico Canonicum facere audent; vt eum nunc velut præcipuum nefarij illius ſui contra nos dogmatis de Antichriſto fundamentum ac principium conſtituant?

Aut enim ſanctus fuit ſpiritus Lutheri, eum librum reijcientis; aut non ſanctus. Si ſanctus; Ergo Prædicantium ſpiritus, vtpote ſancto contrarius, prophanus erit: & tunc quid ex prophano ſpiritu contra nos & vniuerſam Eccleſiam rite concludent? Si non ſanctus, adeoque prophanus: Ergo ex prophano ſpiritu Lutheri fides illorum & Eccleſia enata, quam cordato homini conſcientiæ ſecuritatem præſtare poterit; quodque ad præſcriptam tot ſæculis Eccleſiæ Catholicæ authoritatem conuellendam robur habebit?

Tertio vero nihilominus abominabile
228 hoc dogma ex communi omnium hæreticorum principio hauſtum eſſe, ita probatur. Quia Prædicantes in tota hac diſceptatione de Antichriſto, illud principium ſeruandum præſcribunt, vt videre eſt apud Hailbrunnerum art. 14. cap. 3. rem hanc, omni Eccleſiæ auctoritate ſepoſita, ex ſola ſcriptura dijudicandam & definiendam eſſe: quod quidem eſſe commune omnium hæreticorum principium quæſt. ſeq. patebit.

In quem ſenſum etiam citant Chryſoſtomum homil. 49. in cap. 24. Matthæi ſuper illa verba: *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto:* id eſt, inquit, *cum videritis hæreſim impiam, quæ eſt exercitus Antichriſti, ſtantem in locis Sanctis Eccleſiæ: in illo tempore, qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, id eſt, qui ſunt in Chriſtianitate conferant ſe ad ſcripturas. Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæreſis illas Eccleſias, nulla probatio poteſt eſſe veræ Chriſtianitatis, neque refugium poteſt eſſe Chriſtianorum aliud, volentium cognoſcere fidei veritatem, niſi ſcriptura diuina.*

Cæterum hac re aduerſarios turpiter fal-
229 lere, indubitatum eſt. Primo enim locus ille quem velut Sancti Chryſoſtomi falſo citarunt hom. 49. in cap. 24. Matthæi, non eſt Chryſoſtomi; imo, nec vllius Catholici ſcriptoris, ſed hæretici. Deſumptus enim eſt, non ex homilijs ipſius S. Chryſoſtomi in Matthæum, quæ græce & latine extant; ſed ex authore operis imperfecti, quod ſolum latine legitur; idque Chryſoſtomi non eſſe, *nullam eſſe dubitationem,* inquit Eraſmus in præfatione illius operis.

Ex noſtris vero, hoc eſt, Catholicis, egre-
230 gie Baronius Cardinalis anno 407. num. 11. *Haud æquo animo pati poſſumus,* inquit, *adſcriptas fuiſſe ſanctiſſimo viro eius titulo hactenus conſignatas 54. homilias, quas opus imperfectum in Matthæum nominant &c. Quis enim non iure commoueatur cum videt, adſcribi ſanctiſſimo viro, ab incerto authore, ſed certe hæretico, hæreticorum deterrimo, compoſitas illas homilias purulentas, hæreſum ſcatentes vermibus; quæ ne pilum quidem Chryſoſtomi vel in dictione, vel in ſententijs, vel in dogmatibus habent; ſed ſparſas hæreſes Manichæorum, Montaniſtarum, Arianorum, ac Donatiſtarum continent; atque plane in omnibus ſe prodat author longe longius ab Eccleſia Catholica alienum, qui Catholicæ Eccleſiæ toto orbe diffuſæ ſæpe detrahat, & vix in paucis veritatem reperiri contendat;* vt quidem in illo ipſo loco obiecto accidit.

Omnium vero Catholicorum certa hæc 231
& conſentiens ſententia eſt, opus illud aut hæretici eſſe, aut ab hæretico corruptum; cum Arianæ hæreſis expreſſa & indubitata in eo ſigna & indicia reperiantur; ſpeciatim homil. 48. vbi *homouſianos* (hoc eſt, Catholicos) vocat hæreticos: qua de cauſa etiam à Paulo Papa IV. in Catalogo ſcriptorum ſuſpectæ fidei annumeratum eſt. Et vero hunc ipſum de quo agimus locum, tanquam ab Arianis, ad ſolam ſcripturam appellare ſolitis, inſertum, è quibuſdam Codicibus nuper emendatis ſublatum eſſe, teſtatur Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 11. Sed qui homiliam illam 49. legerit, ſimulque cum præcedenti contulerit, in qua, vt diximus, homouſiani vocantur hæretici, ſatis intelliget, totam fere vtriuſque homiliæ diſſertationem contra homouſianos, hoc eſt, Catholicos eſſe.

Vnde ſecundo etiam aduertendum, di- 232
ctum illud à Prædicantibus citatum, non loqui præciſe de temporibus nouiſſimis, nec de propria perſonalique ipſius Antichriſti præſentia; ſed ſcriptorem illum ad ſua; (cum Ariani vigerent) tempora reſpexiſſe, vt aperte ipſe indicat ſuperius: *Exercitus autem Antichriſti ſunt omnes hæreſes, præcipue iſta, quæ obtinuit Eccleſiæ locum, & ſtetit in loco ſancto, &c.* Et rurſum: *Abominationem autem deſolationis diximus eſſe hanc ipſam hæreſim, quæ occupauit ſancta Eccleſiæ loca, & multos deſolauit à fide, &c.* Ad hanc, vt ait, hæreſin ſpectant verba illa à Prædicante obiecta: *Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæreſis illas Eccleſias, &c.*

Quamnam autem præcipue (vt ipſe lo- 233
quitur) hæreſin voluerit hic author deſignare, non obſcurum eſt ex verbis ſubſequentibus, & notis quibus eam deſcribit. Nam 1. dicit illas hæreſes habere omnia hæc, quæ ſunt propriè Chriſti, *Eccleſias, ſcripturas diuinas, Epiſcopos, ordines Clericorum, ſimiliter baptiſmum, alter Eucharistiam, & cætera omnia, denique ipſum Chriſtum.* 2. ait eius hæreſis tempore *ſignorum operationem omnino leuata* (ſiue ſublatam) *eſſe in vera Eccleſia, magis autem apud eos inueniri, qui falſi ſunt Chriſtiani;* vbi procul dubio Catholicos intelligit. 3. paſſim eam deſcribit veluti late dominantem, & à temporibus Conſtantini præſertim & Theodoſij, ſuos terminos late proferentem. *Et nos quidem,* inquit, *exponimus hic auditiones præliorum & fames &c. quæ ante præceſſerunt, à tempore Conſtantini vſque ad tempus Theodoſij. Abominationem autem deſolationis eſſe hanc ipſam hæreſin, quæ occupauit S. Eccleſiæ loca, &c.*

234 Ad eundem plane modum idem author vnam quandam peculiarem ſui temporis (vt ait) hæreſin ſiue Eccleſiam perſtringit homilia præcedente, in qua, vt dictum homouſianos vocat hæreticos: vt non immerito Bellarminus loc. citat. dixerit, eundem authorem hom.49. ex qua obiectus loco depromptus eſt, *contra Homouſianos illos*, hoc eſt, Catholicos, (præcedenti homilia hæreticos vocatos) *fere ſemper loqui*: cum alioqui nulla alia poſſit hæreſis aſſignari, cui ex mente authoris notæ illæ conueniant. Ex quibus manifeſtum ſit, Prædicantes ſuæ de Antichriſto diſſertationis hæreticum fundamentum, ex hæretico authore, ad hæreſin Arianam contra Catholicam Eccleſiam tuendam, idque ſub pallio S.Chryſoſtomi præſtruxiſſe. Ex quo ipſo fundamento facile de reliquo toto ædificio fieri poteſt coniectura. Atque hæc, pro ratione ſcholaſticæ tractationis, de Antichriſto & Antichriſtiana Sectariorum calumnia, aduerſus Romanum Pontificem, dicta ſufficiant. Plura hac de re diſſerui in Apologetico relationis de Colloquio Ratiſponenſi, cap.14.15,16.& 17. & in Anatomia Confeſſionis Auguſtanæ par.2. demonſtrat.5.ſ.13.à num.234.& in Dioptra fidei lib.3. cap.9.10.11.15.13.14.15. E quibus hoc loco potiſſima ſelegimus.

D V B I V M VI.

An, & qua ratione Pontificis authoritas & definitio ſit infallibilis; etiam cum extra Concilium generale aliquid circa fidem definit: & vnde conſtet eum publica auctoritate aliquid definire.

Ad S.Thomæ 2.2.q.1.art.9.& 10.

235 VErſari ſumus hactenus circa quæſtionem an eſt; an ſcilicet in Romano Pontifice ſit authoritas dijudicandi & definiendi res fidei, eaſque Eccleſiæ vniuerſæ proponendi; ſequitur, vt ad quæſtionem quid, ſeu qualis ſit ea auctoritas, progreſſum faciamus; an ſcilicet ſit infallibilis, tum in rebus fidei definiendis, tum etiam in decretis morum ſanciendis; cuius rei explicationem hoc & ſequenti dubio exequemur. Et quod ad res fidei attinet, quia varia conſideratio eſſe poteſt Pontificis, ipſeque etiam diuerſis medijs ac modis, tum ſcilicet extra Concilium generale, tum etiam in Concilio generali, rem aliquam fidei definire poteſt, eſt ea res, pro varia eiuſmodi conſideratione, pluribus aſſertionibus explicanda.

236 Aſſertio I. Pontifex, vt priuata perſona, atque etiam vt Doctor particularis, non minus ac alius homo, in agendo, opinando, ac tum voce, tum ſcriptis, ſeu editis libris docendo, (ſecluſa hæreſi) labi & errare poteſt. Hæc aſſertio eſt extra controuerſiam. Ratio eſt; quia Pontifex etiam ipſe cum homo ſit, nec velut perſona priuata, & particularis vlla promiſſione ſeu priuilegio ſpeciali diuinitus conceſſo fulciatur, quo minus errare poſſit, idcirco nec lapſus & error, nec humani quicquam ab eo alienum exiſtimari debet: nec vero eiuſmodi libri cenſendi ſunt eſſe Romani Pontificis decreta, ſed priuati tantum Doctoris monumenta.

Et inſuper libenter fatemur, non omnes Romanos Pontifices optimis vixiſſe moribus. Quod tamen adeo publicæ eius auctoritati & officio nihil derogat, vt Chriſtus ipſe nobis hac in parte diligenter cautum eſſe voluerit, ne forte propter mores improbos officium contemnamus. Matthæi 23. verſ.2. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.*

237 Aſſertio II. An autem Romanus Pontifex, etiam vt priuata perſona, priuatim hæreticus eſſe poſſit, incertum eſt, & inter Catholicos etiamnum ſalua fide & charitate diſputatur. Etenim id re ipſa fieri poſſe, plerique Doctores concedunt. Ita enim ſentiunt Turrecremata lib. 2. de Eccleſia, capite 112. Caietanus de auctoritate Papæ cap. 11. & 21. Caſtro de iuſta hæreticorum punit.cap.6. Canus lib.6.cap. vlt. Sotus in 4. diſt.22. quæſt.2. art.2. item Canoniſtæ plerique; idque ſupponere videntur ipſimet Pontifices, & Concilia, vt videre eſt capit. *Si Papa*, diſt. 40. & apud Anacletum epiſt. 3. & in ſexta ſynodo actione 16.& 18.& in Concilio Conſtantien.ſeſs.11. idemque fuſe probat Bannes q.1.art.9.

238 Nihilominus id fieri poſſe, negat Albertus Pighius lib.4. hierarchiæ Eccleſiaſt.cap.3. idque reuera nunquam fuiſſe factum, particulatim oſtendit Bellarminus lib. 4. de Pontif. cap. 6. & ſequentibus. Ratio primæ partis eſt; quia nulla aperta & liquida promiſſio diuina exhiberi poteſt, quæ Pontificem ab huius criminis poſſibilitate reddat immunem. Nec priuata hæreſis in vllum Eccleſiæ præiudicium cedit. Aut enim notoria eſt, aut occulta: Si primum, iam hoc ipſo Pontifex ſua poteſtate excidit, ſaltem poſt Generalis Concilij declarationem, imo etiam ante, vt dictum dub. 4. Si ſecundum, iam hoc ipſo ea Eccleſiæ nihil incommodat.

239 Ratio ſecundæ partis eſt; quia illud Lucæ 22. verſ.32. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*; probabiliter etiam ad priuatam perſonam, non ſolum Petri, ſed etiam Succeſſorum eius extendi poteſt: & valde conforme eſt perfectioni diuinæ prouidentiæ, vt in Vicario ſuo, ſummoque fidei Præſide in terris, à quo cæteri omnes in fide confirmandi ſunt, priuatam etiam perfidiam & hæreſim propulſet; præſertim quando contrarium his mille ſexcentis annis vllo caſu accidiſſe, probari non poteſt, vt ex Bellarmino dictum.

240 Aſſertio III. Pontifex etiam vt Pontifex errare poteſt, in particularibus quæſtionibus facti dijudicandis, v.g. an hic vel ille Epiſcopus ſit huius vel illius criminis reus, & ideo deponendus; an hæc vel illa perſona, vel Reſpublica hoc vel illud flagitium admiſerit, ob quod excommunicationi, aut interdicto ſit ſubijcienda. An cum hac vel illa perſona circa votum aut matrimonium ex tali informatione ſit diſpenſandum, &c. Ita etiam ſentiunt omnes Catholici. Ratio eſt. Quia eiuſmodi particulares facti quæſtiones mere pendent

dent ab humanis informationibus, quibus falſum ſubeſſe poſſe, nemo dubitat. Accedit, quod promiſſiones infallibilis aſſiſtentiæ diuinæ ſolum ad communem fidem & religionem Eccleſiæ pertinent; quo caſus & quæſtiones eiuſmodi particulares facti non ſpectant; quia hoc ipſo quod particularia negotia & facta concernunt, nullum fidei aut religioni præiudicium in Eccleſia vniuerſali pariunt.

241 Aſſertio IV. Nec id quidem omnino hæreticum, aut temerarium eſt ſentire, vel dicere, poſſe abſolute loquendo, Pontificem, hoc eſt, eum, qui antea Pontifex habebatur, fruſtra velle priuatam ſuam hæreſin manifeſtam, alijs etiam præſumpta auctoritate publica obtrudere. Probatur. Id enim fieri poſſe admittit Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 112. ad 7. argumentum, lib. 4. par. 2. cap. 16. & innuit Sylueſter verb. *opinio*, in fine; quos Gregorius de Valentia hic quæſtio 1. punct. 7. §. 4. ait *rem opinari non penitùs improbabilem*. Ratio eſt; Quia etiam hac re non creatur Eccleſiæ circa fidem & religionem periculum aut præiudicium; cum illa, vt ſupponimus, de vera fidei ſententia certa ſit, adeoque hoc ipſo norit Eccleſia, eiuſmodi præſumpti Pontificis ſententiæ, & mandato, vtpote iam non Pontificis & legitimi Paſtoris, ſed in lupum degenerantis hominis, nequaquam parendum eſſe.

242 Aſſertio V. At vero quoties Pontifex Romanus aliquid, in re dubia ad fidem totius Eccleſiæ ſpectante, vna cum Concilio generali definit, vt toti Eccleſiæ credendum, nullo caſu errare poteſt. Hæc eſt principalis aſſertio, in qua omnes Catholici aduerſus huius temporis Sectarios conſentiunt. Probatur ex ipſis promiſſionibus Petro, eiuſque Succeſſoribus factis, quas dubio 2. fuſe expendimus. Nam ex primo loco Matthæi 16. verſ. 18. *Tu es Petrus; & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, hoc argumentum deducitur. Poteſtas illa & auctoritas, quæ per modum petræ & fundamenti, iuxta Chriſti promiſſionem, Eccleſiam perpetuo ſuſtinere, & aduerſus inferorum portas, ac quoſuis aduerſariorum impetus immotam tueri debet, neceſſario eſt, & eſſe debet poteſtas ſeu auctoritas infallibilis: poteſtas & auctoritas Petri ac Succeſſorum ipſius Romanorum Pontificum, iuxta Chriſti promiſſionem, vniuerſam Chriſtianam Eccleſiam velut petra ac fundamentum perpetuo ſuſtinere, & aduerſus inferorum portas ac quoſuis aduerſariorum impetus immotam tueri debet: Ergo poteſtas & auctoritas Petri, ac Succeſſorum ipſius Romanorum Pontificum, neceſſario eſt, ac eſſe debet infallibilis, ſaltem in dubijs fidei quæſtionibus, à quarum ſyncera definitione puritas & integritas fidei totius Eccleſiæ dependet.

Similiter ex Lucæ 22 verſ. 32. *Ego autem*
243 *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, ita argumentamur: Poteſtas illa, ſiue auctoritas, pro qua Chriſtus ipſe efficaciter orauit; ne deficiat aut aberret, quæque à Chriſto tum ad reliquos Apoſtolos, tum conſequenter etiam ad confirmandam, vniuerſam Chriſti Eccleſiam, nulla vi ſuperabilem ex cit. loc. Matthæi 16. conſtituta eſt, neceſſario eſt, & eſſe debet infallibilis; poteſtas hæc Petro eiuſque Succeſſoribus (vt dubio 3. probatum) tradita, talis eſt, pro qua Chriſtus ipſe efficaciter orauit, ne deficiat aut aberret; quæque à Chriſto tum ad reliquos Apoſtolos, tum conſequẽter etiam ab vniuerſam Chriſti Eccleſiam confirmandam conſtituta eſt; ergo poteſtas hæc ſiue auctoritas Petro, eiuſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus tradita, neceſſario eſt infallibilis. Maior patet. Minor conſtat ex citatis ſcripturæ verbis: Ex quorum connexione patet, Chriſtum eo potiſſimum fine ac ratione oraſſe pro tuenda fide Petri, quatenus id opus eſſet, ad fratres, totamque Eccleſiam in fide confirmandam.

Ex tertio loco Ioannis 21. à verſ. 16 *Paſce* 244
agnos meos, paſce oues meas &c. hoc argumentum deſumitur. Quia poteſtas & auctoritas in fide paſcendi & regendi vniuerſam Chriſti Eccleſiam, talis vtique Petro, eiuſque ſucceſſoribus conceſſa fuit, qualis ad hoc neceſſaria eſſet, vt hac auctoritate Eccleſia ipſa in vera fide immota ſeruaretur, iuxta illud Matth. 16. *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*: ſed ad hoc prorſus neceſſaria eſt auctoritas infallibilis, ſaltem in definiendis dubijs fidei quæſtionibus, vt patet: Ergo poteſtas & auctoritas paſcendi & regendi vniuerſam Chriſti Eccleſiam, Petro & Succeſſoribus eius conceſſa, in definiendis dubijs fidei quæſtionibus eſt infallibilis. His accedunt ea, quibus quæſtione præcedente dub. vlt. & hac quæſt. dub. 1. probauimus, auctoritatem illam iudiciariam in Eccleſia conſtitutam, ad definiendas fidei controuerſias, & proponendas res fidei, ſpeciatim vero eam, quæ in Doctoribus Eccleſiæ coniunctim, adeoque & in Concilio generali reſidet, eſſe infallibilem.

Secundo probatur aſſertio auctoritate 245
SS. Patrum; qui tum vniuerſim docent, iudicio ac definitioni Romani Pontificis à cunctis fidelibus eſſe acquieſcendum; tum ſpeciatim & expreſſe aſſerunt, Romanam Cathedram, vtique ſaltem in dubijs fidei cauſis definiendis, prorſus eſſe infallibilem. E quibus Cyprianus epiſt. 55. ait; *ad Romanos* (hoc eſt, Cathedram Romanam) *perfidiam non poſſe habere acceſſum*. Et Auguſtinus in pſalmo contra partem Donati de eadem Cathedra loquens: *Ipſa eſt*, inquit, *petra, quam non vincunt ſuperba inferorum portæ.*

Petrus Chryſologus in epiſt. ad Eutychen: *Beatus Petrus, qui in propria ſede & viuit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Baſilius epiſtola data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum: *Pietati tuæ donatum à Domino eſt, vt quod adulterum eſt à legitimo ac puro diſcernas, ac fidem Patrum ſine ſubtractione vlla prædices.*

Ioannes Conſtantinopolitanus Patriarcha epiſtola ad Hormiſdam; *In Sede Apoſtolica* (Romana) *inuiolabilis ſemper Catholica cuſtoditur Religio.* Aſcanius & cæteri Epiſcopi Tarraconenſes epiſtola ad Hilarium Papam: *Ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam; inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur.*

Optime Bernardus epiſt. 190. ad Innocentium Papam: *Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit*

fides

fidès ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis.

246 Idem ex Romanis Pontificibus aſſerunt Lucius I. epiſt. 1. ad Epiſcopos Hiſpaniæ & Galliæ, Felix I. epiſt. ad Benignum, Leo ſermone 3. de Aſſumptione ſua ad Pontif. Agatho epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem, quæ lecta & probata eſt in VI. Synodo act. 4. & 8. Gelaſius epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem, Gregorius lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium Nicolaus I. epiſt. ad Michaelem, Leo epiſt. ad Petrum Antiochenum, & Innocentins III. Capit. *Maiores*, extra de baptiſmo.

Quibus accedit ſenſus & praxis totius Eccleſiæ; quia ſemper ea, quæ à Concilijs generalibus à Summis Pontificibus approbatis definita fuerunt, tanquam infallibilia habita fuerunt & recepta: Nec mirùm, cum hic ipſe fuerit Conciliorum eiuſmodi de ſe ipſis ſenſus, iuxta illud Act. 15. verſ. 8. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.*

Ratio eſt, quia cum tota Eccleſia in dubijs fidei quæſtionibus teneatur acquieſcere iudicio ac definitioni Romani Pontificis, præſertim in Concilio generali factæ, vt dub. 3. probatum eſt, neceſſario ſequeretur, vniuerſam Chriſti Eccleſiam in fide errare poſſe, ſi Pontifex in eiuſmodi definitione errare poſſet: conſequens autem eſt plane falſum, & contra illud Apoſtoli 1. Tim. 3. verſ. 15. *Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis.*

247 Neque vel in ſpeciem vllum probabile exemplum adferri poteſt, quo probetur, Pontificem in Concilio generali aliquid definientem erraſſe. Nam quod Liberius in Concilio Sirmienſi, pace cum Valente & Vrſacio Arianis facta, in ſubſcriptionem hæreſeos, ac damnationem Athanaſij, conſenſiſſe videtur, vt ſcribunt Athanaſius in vtraque Apologia, & Hieronymus in Chronico, & in Catalogo ſcriptorum in Fortunatiano, id non ſponte, nec adeo per modum ex animi ſui ſententia definientis, ſed inuitus & coactus vi tormentorum fecit; externo ſolum facto, non autem aliquo interno fidei errore lapſus, vt ex Athanaſio pluribus docet Bellarminus lib. 4. de Pontif. cap. 9.

248 Aſſertio VI. Imo longe verius eſt, infallibilitatem Pontificiæ definitionis non pendere à Concilio generali; adeoque Pontificem etiam extra Concilium generale circa dubiam aliquam fidei quæſtionem, Infallibiliter definire. Hæc aſſertio non eſt tam certa, quam præcedens; nec apud Catholicos vndequaque extra controuerſiam. Sunt enim qui ſentiunt, Pontificem etiam vt Pontificem poſſe eſſe hæreticum, & docere hæreſim, ſi abſque generali Concilio definiat, idque de facto aliquando accidiſſe. Hanc opinionem, vt ait Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 5. ſequitur & tuetur Nilus in ſuo libro aduerſus primatum Papæ, præter Eraſmum, & alios ſimiles Semichriſtianos. Eandem ſequuti ſunt aliquot Pariſienſes, vt Gerſon & Almain in libris de poteſtate Eccleſiæ; necnon Alphonſus de Caſtro lib. 1. cap. 2. contra hæreſes, & Adrianus VI. Papa in quæſtione vlt. de confirmatione, & quodl. 2. quæſt. 1. qui omnes non in Pontifice, ſed in Eccleſia, ſiue in Concilio generali tantum conſtituunt infallibilitatem iudicij de rebus fidei. His adde Ockamum dialogo de poteſtate Eccleſiæ, Gerſonem tractatu de examine doctrin. Conſil. 5. Panormitanum in capit. *Significaſti*, extra de electione.

Nihilominus contraria ſententia, ſcilicet Romani Pontificis infallibilitatem in definiendo non pendere à Concilio generali, ac proinde infallibile eſſe Pontificis iudicium, in dubijs fidei quæſtionibus definiendis, etiamſi abſque Concilio generali aliquid definiat, eſt longe communior & verior Theologorum ſententia. 249 Ita enim docent & ſentiunt S. Thomas hic quæſtione 1. art. 10. & infra quæſt. 11. artic. 2. & quæſt. 10. de potentia art. 4. ad 13. & quodlib. 9. art. vlt. & lib. 4. contr. gent. cap. 76. & opuſc. contra errores Græcorum cap. 32. & lib. 3. de regimine Principum cap. 9. Alenſis 3. par. quæſt. 4. memb. 5. ad 1. Albertus Magnus, Richardus, Durandus, Paludanus, & alij in 4. diſtinct. 24. Waldenſis lib. 2. doctrinalis cap. 47. & 48. Gratianus & Canoniſtæ cap. *In Canonicis ſcripturis* diſt. 19. & initio diſt. 50. Turtecremata lib. 2. ſummæ cap. 109. Driedo lib. 4. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 3. par. 3. Caietanus in opuſc. de poteſtate Papæ & Concil. cap. 9. Eckius lib. 1. de primatu Petri cap. 18. Hoſius lib. 2. contra Brentium, Bellarminus lib. 4. de Pontif. cap 3. Gregorius de Valentia quæſt. 1. punct. 7. §. 41. Bannes hic quæſt. 1. quæſt. 1. art. 10. dub. 2. alijque recentiores communiter.

250 Eſt autem aſſertio adeo certa, vt quamuis contrarium non ſit aperte hereticum, nunc tamen exiſtimetur *erroneum, & hereſim proximum*, vt cenſet Bellarminus loc. citat. Sed & Gregorius de Valentia loc. cit. ait, contrarium ſentientes *in fide errare grauiſsime*. Denique Bannes ibidem aſſerit, id *tanquam Apoſtolicam traditionem eſse tenendam*. Eandem ſententiam contra Sectarios defendimus in nouiſſimo Colloquio Ratiſponenſi Anni 1601, tametſi alioqui in diſputatione contra hæreticos ſatis eſſe potuiſſet, id quod apud omnes Catholicos in confeſſo, & de fide certum, atque adeo proprie contra hæreticos controuerſum eſt, defendendum ſuſcipere Pontificem nimirum, ſi cum generali Concilio aliquid circa fidem definiat, errare in definiendo non poſſe; quid ſit de altera illa quæſtione, inter ipſoſmet Catholicos etiamnum controuerſa, vt dictum.

251 Probatur autem aſſertio; Primo ex citatis antea ſcripturæ teſtimonijs aſſert. 5. quibus infallibilitatem Pontificię definitionis in Concilio generali probauimus: ea enim propriè & directè non ad Concilium generale, ſed ad Cathedram & Pontificem Romanum pertinent.

Secundo idem probatur ex definitionibus Conciliorum ac Pontificum, quæ hoc innuunt. Etenim in Concilio Florentino in decreto Eugenij, definitur, *S. Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in vniuerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe; quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus*

conti-

continetur. Ad hanc autem plenam poteſtatem paſcendi & regendi vniuerſalem Eccleſiam pertinet infallibilitas definiendi dubias fidei quæſtiones, ne alioquin vniuerſalis Eccleſia in errorem fidei inducatur.

252 Præterea Leo X. in bulla damnauit ar. 28. Lutheri, quo dixerat, non eſſe peccatum, neque hæreſin, ſentire contrarium eius, quod Papa & maior Eccleſiæ pars ſentiat, aut tanquam de fide tenendum definiat.

Lucius III. cap. *Ad abolendam*, de hæret. excommunicat eos, qui de Eccleſiaſticis Sacramentis aliter ſentiunt aut docent, quam Sacroſancta Romana Eccleſia prædicat & obſeruat.

Sixtus IV. approbando ſententiam cuiuſdam Complutenſis Synodi, tanquam hæreticam damnauit aſſertionem Petri Oxomenſis, qua dicebat, Eccleſiam Romanam poſſe errare, vt patet ex ſumma Conciliorum in decretis eiuſdem Pontificis. His accedunt teſtimonia Patrum ac veterum Pontificum ſuperius aſſertio. 5. relata, quæ itidem aperte & directe ipſius Cathedræ & Pontificis Romani infallibilem auctoritatem aſſerunt.

253 Tertio idem probatur ex praxi hactenus in Eccleſia vſitata; qua complures hæreſes ſine Concilio generali à ſummis Pontificibus damnatæ fuerunt, vt Pelagij, Priſcilliani, Iouiniani, Vigilantij: quas mox etiam hoc ipſo tota damnauit Eccleſia, vt pluribus dictum dub. 3.

Quarto accedit ratio; quæ ſumitur tum ex neceſſitate rei: nimis enim alioqui difficile foret, diſcordias fidei in tempore componere, & exortas hæreſes compeſcere, ſi ſemper idcirco generalia Concilia conuocanda eſſent, vt diximus etiam dub. 2. Tum quia cum ex omnium Catholicorum ſententia conſtet, Pontificem ſolum, aut ſaltem cum aliquo particulari Concilio aliquid in re dubia definientem, eſſe ab omnibus reuerenter audiendum, certe niſi hoc iudicium eſſet penitus infallibile, neceſſe foret. Eccleſiam vniuerſam vi eius in errorem induci; quod eſt aperte contra infallibilitatem Eccleſiæ ex ſcriptura quæſt. præc. demonſtratam, præcipue ex illo Apoſtoli 1. Tim. 3. verſ. 15. vbi Eccleſia vocatur *columna & firmamentum veritatis*.

254 Neque tamen idcirco dixeris, fruſtra Concilia generalia conuocari. Valent enim hæc ſuo tempore nihilominus plurimum, tum vt adhibita plurium conſultatione, pro rei grauitate, maturiùs ſtatuatur, quod conuenit, idque præſertim in materia reformationis, in qua te conſtituenda, ſingulari experientia & prudentia opus eſt: tum vt facilius ac ſuauius omnes editis decretis acquieſcant: tum vt hæretici potentiùs, & efficaciùs refellantur. Sicut etiam tempore Apoſtolorum, licet procul dubio ſolus Petrus definire rem omnem poſſet, Concilium tamen Apoſtolorum Hieroſolymis conuocari placuit Act. 15.

255 Aſſertio VII. Etſi quidem Pontifex aliquid circa Religionem definiturus, teneatur pro cuiuſque negotij & cauſæ grauitate, ad veritatem perueſtigandam, debitam diligentiam adhibere, atque viros doctos, præſertim è Cardinalium cœtu, quantum temporis & negotij ratio ferre ac poſtulare videtur, in conſilium vocare; eius tamen definitio in dubijs fidei quæſtionibus abſolute & ſimpliciter infallibilis eſt. Ita docent citati omnes pro aſſertione præcedenti; etſi nonnulli contrarium dixiſſe videantur. E quibus Syluester verſ. *fides*, & in ſuo dialogo contra Lutherum, Canus lib. 5. locorum cap. 5. Caſtro lib 1. de hæreſibus cap. 8. docent, Papam in definiendo errare poſſe, ſi abſque conſilio doctorum virorum, & maturo iudicio definiat. Neque vero ſi de eo conſtet, obligari Eccleſiam ad eiuſmodi decretum acceptandum: temere enim definientem non definire vt Papam; cum aſſiſtentia Spiritus Sancti, non ſit promiſſa Papæ temere definienti. Quin etiam Caſtro ſpeciatim ait, non poſſe Pontificem abſque conſilio & conſenſu Cardinalium definire ſaltem infallibiliter.

Probatur tamen aſſertio quoad primam 256
partem; quia Deus vtique in hoc iudicio grauiſſimo, nihil vult temere agi. Et quamuis abſolute poſſit defectum omnem ſupplere, vult tamen homines humano ac prudenti modo agere. Etſi vero ea diligentia ad conſultationem Cardinalium determinate reſtringenda non ſit, vt recte contra Caſtro ex communi notarunt Canus & Gregorius de Valentia locis citat. cum pro circumſtantiarum ratione poſſit Papa quoslibet conſultores adhibere: attamen cum res aliqua grauis, præſertim fidei, definienda eſt, debet omnino Pontifex, tum per ſe, tum per alios, communes & conſuetas fidei regulas conſulere. Cum enim Eccleſia vniuerſalis nullis nouis reuelationibus regatur, nec proprie vllos nouos fidei articulos habere poſſit, vt dictum quæſt. 1. dub. 7. Opus eſt, vt in rebus definiendis communes fidei regulæ conſulantur, ex quibus vera fidei ſententia eruatur. Tales autem regulæ ſunt S.Scriptura, traditiones Apoſtolicæ, Concilia approbata, conſenſus SS. Patrum, aliorumque Doctorum, conſenſus fidelium in rebus ad Religionem pertinentibus, de quibus partim hac quæſtione dub. vlt. partim ſequente quæſtione agetur.

Secunda pars aſſertionis probatur. Quia 257
alioqui Eccleſia de infallibilitate Pontificiæ definitionis ſatis certa non eſſet; quin etiam vlterius poſſet decreta Pontificis in examen vocare, an cum debita diligentia lata ſint; & ſi quid ſecus reſciret, eadem reijcere: quod plane eſt abſurdum; cum hac quidem ratione nullus vnquam finis controuerſijs imponendus foret, vt dictum in ſimili quæſtione præcedenti dub. 1.

Quomodo autem cum ea obligatione 258
adhibendi diligentiam, conſiſtat abſoluta infallibilitas definitionis, duplex eſt modus explicandi, ſub opinione ſitus. Primus eſt, vt dicamus, diligentiam illam non eſſe neceſſariam ad hoc, vt Pontifex infallibiliter definiat, ſed ſolum vt licite & abſque peccato definiat. Sicut etiam in Sacramentorum adminiſtratione multa requiruntur, vt Sacramentum licite conferatur, quæ ad eius tamen valorem neceſſaria non ſunt. Hunc explicandi modum probabilem cenſet Gregorius de Valentia, etſi Bannes & alij nonnulli improbent.

Secundus explicandi modus eſt, vt dica- 259
mus, fieri nunquam poſſe, vt Pontifex publice definiat aliquid, in dubia Religionis cauſa,

ſine

ſine debita diligentia. Approbat hunc etiam modum Gregorius de Valentia, & determinate aſſerunt Bellarminus, & Bannes, locis cit. qui proinde licet hypotheticam illam concedant, ſi Pontifex ſine debita diligentia definiat, infallibiliter non definit, nunquam tamen idcirco concedunt antecedens: id quod etiam ſimiliter dici poteſt de Silueſtro, ac præſertim de Cano locis cit. qui ita ſeipſum ſatis apertè declarat. Atque hic modus rem explicandi, vt hæreticorum calumnijs minus obnoxius, ita etiam commodior, & probabilior eſt. Quia quemadmodum ſi cui Deus reuelaret ſuam beatitudinem, exiſtimandum non eſſet, Deum decreuiſſe illum ſaluare ſine omni prorſus ſalutis ſtudio; quin potius exiſtimandum eſſet, Deum hoc ipſo etiam reuelaſſe, eum debitum ſalutis ſtudium eſſe adhibiturum; ita etiam in propoſito ſentiendum eſt.

260 Aſſertio IIX. Neque vero deeſt ſufficiens ratio inueſtigandi, Pontificem publica auctoritate aliquid à tota Eccleſia obſeruandum aut credendum definire. Hæc aſſertio eo ſpectat, vt ſatis fiat interrogationi poſtremæ hoc dubio propoſitæ; vndè conſtet, Pontificem publica auctoritate, & vt loquuntur, ex cathedra aliquid definire.

Probatur vero, & declaratur aſſertio ſequentibus regulis. I. Si Pontifex aut circa particularem facti quæſtionem tantum, ſeu quod idem eſt, circa materiam negotij alicuius particularis determinandam verſetur, vt ſæpe fit: aut ſi quidem circa materiam fidei, ſed per modum priuati Commentatoris, & ſcriptoris verſetur, vt fecerunt Gregorius Magnus, Innocentius IV. Adrianus VI. &c tunc non definit vt Pontifex aliquid à tota Eccleſia obſeruandum. Ita habet communis poſt S. Thomam quodlib. 9. art. 16. & conſtat ex dictis.

261 II. Rurſum ſi in materia fidei Pontifex aliquod decretum edat, vt Paſtor Eccleſiæ, diligenter ex circumſtantijs, occaſione videlicet ſcribendi, quæſtione propoſita, verbis decreti &c. diiudicandum erit, quidnam directè docere ſeu determinare intendat Pontifex. Illa enim, quæ in eius rei duntaxat probationem, & confirmationem, aut alias obiter ſolum, & incidenter dicuntur, non cadunt ſub eiuſmodi definitionem; nec Papa ad ea credenda cenſetur velle obligare Eccleſiam. Quare etiam per ſe non habent infallibilem auctoritatem; quia ſubinde aliquid falſi in illis reperiri poſſit. Cuius rei exemplum communiter afferri ſolet ex Capitulo *A quodam Iudæo*, de conſecratione diſt. 4. de quo alibi.

262 III. In ipſa vero directa reſponſione circa materiam fidei, ponderanda ſunt verba. Nam ſi apertè dicat, id eſſe dogma fidei, aut contrarium repugnare ſcripturæ, ſeu Apoſtolicæ traditioni, vel eſſe hæreticum, ſeu in fide erroneum; aut alioqui vtatur verbis præceptiuis, quibus ab vniuerſa Eccleſia ita ſentiendum eſſe mandet; ac præcipuè ſi anathemate aliter credentes ſiue ſentientes feriat, manifeſtum ſignum eſt, Pontificem id ipſum definire: ſecus ſi tantum prohibeat contrarium doceri, etiam ſub excommunicatione; id enim vniuerſim non ſufficit ad exploratam definitionem fidei. Et eadem ratio eſt, quotieſcunque ex verbis, & circumſtantijs colligi poteſt, eum tantum priuatum ferre iudicium, aut proponere aliquid ſolum vt doctrinam probabiliorem. In qua re diiudicanda, multum valet, tum virorum Sapientum iudicium, tum Eccleſiæ ſenſus, & conſenſus.

IV. Denique circa ipſum formale de- 263
cretum definitionis, diligenter aduertendum eſt, an id legitimè, & ſufficienter fuerit promulgatum; atque etiam an tempus eiuſdem obligationi præfixum fuerit elapſum, priuſquam id refigeretur, ſeu retractaretur, iuxta ea quæ tom. 2. de legum Pontificiarum promulgatione generatim docuimus. Etenim vt notat Vaſquez 1. 2. tomo 2. diſputatione 155. numero 15. id *obſeruant ſummi Pontifices in Curia Romana, vt nondum intelligantur loqui de Sede Petri, tanquam Iudices, & Pontifices, in legibus, & Canonibus ferendis etiamſi eos imprimi faciant, donec ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de vrbe Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie campi Floræ ſolemniter publicetur, & exemplar vnum in columna illius campi, & aliud ad valuas Petri per aliquantulum temporis affigatur.* Et addit Vaſquez, *accidere etiam interdum, vt in legibus & bullis impreſſis dicatur, Publicata tali die; & tamen nunquam ſolemniter fuerint promulgata; quare nec tunc vim legis habebunt.* Ita Vaſquez.

Atque hoc modo ſatisfit illi difficultati, 264
quæ ante annos aliquot fruſtra nonnullos fatigauit, de Biblijs Sixtinis à Clemente VIII. ſuppreſſis, & emendatis. Nam vt ex viris grauibus, & fide dignis, qui Romæ in hanc rem ſedulo inquiſierunt compertum eſt, dictum ſeu decretum illud, quod Sixtus V. ſuis Biblijs præfixerat, nunquam fuit plenè promulgatum, ſed tempeſtiuè reuocatum: ipſo etiam Sixto V. animaduertente, *non pauca irrepſiſſe, quæ iterata diligentia indigere viderentur; adeo vt totum opus ſub incudem reuocandum cenſuerit, atque decreuerit, etſi id morte præuentus præſtare non potuerit*, vt in præfatione Biblorum Clementinorum dicitur.

Et quamuis nonnulli ſcripſerint, decre-
tum illud aliquanto tempore ad valuas Eccle- 265
cleſiæ Romæ fuiſſe affixum, & poſtea refixum, eoque ipſo quodammodo reuocatum, duobus ante menſibus, quam tempus requiſitum elaberetur, mortuo nimirum Sixto V. & reclamantibus Cardinalibus: Ego tamen fidem huic rei habere non poſſum. Cum enim iam dudum Anno 1609. & 1610. in Academia Ingolſtadienſi hæc difficultas, de Biblijs Sixtinis, tum à me, tum ab alijs Doctoribus Theologis priuatim, & publicè diſcuſſa, & in omnem partem diu multumq; verſata fuiſſet, ego tandem ad explorandam facti veritatem, Romam ad P. Ferdinandum Alberum, eo tempore Societatis noſtræ per Germaniam Aſſiſtentem ſcripſi, qui in litteris 28. Auguſti datis Anno 1610. his ipſis verbis reſcripſit: *Circa Bibliam Sixtinã, poſt diligentem inquiſitionem, et diſcuſsionem, hanc denique reſponſionem dederunt ij, qui huic rei incumbebant, qua omnis tollitur difficultas, et cui omnes merito acquieſcent. Reſponſio ſic habet. Certum eſt, Bullam de ijs Bi-*
blijs non fuiſſe promulgatam; cuius rei certiſsi- 266
mum indicium eſt, in Regiſtro huiuſmodi promulgationem non reperiri; et Illuſtriſsimos Cardina-

lis

lis Bellarminus teſtatur, ſe cum ex Gallis Romam rediiſſet, à pluribus Cardinalibus audiuiſſe, Bullam illam non fuiſſe promulgatam, & id quidem illi ſe certiſsimè ſcire affirmabant.

Ec addit idem P. Albertus: *Sciat præterea R.V. hac eadem ex S.D.N.* (Paulo V. Pontifice) *habita fuiſſe: vt tuto his adhærere liceat, & oporteat.* Ec in literis 4. Septembris eodem anno 1610. ad eiuſdem rei confirmationem, hæc adiungit: *Item P. Azor, eo ipſo tempore, quo cœperunt* (typis) *publicari illa Biblia, cum inſtarent aliqui, Papam poſſe errare, quia videbatur iam erraſſe de facto in Biblijs; Reſpondit publicè P. Azor, Bullam illam non fuiſſe publicatam, quamuis in impreſſione legeretur ſubſcriptio curſorum; nam hoc factum fuiſſe, per anticipationem typographi, ita iubente Pontifice, ne impreſſio tardaretur. Huius rei teſtis eſt P. Andreas Endæmon Ioannes, qui tunc aderat diſputationi.* Hæc ille:

267 Quod ſi etiam Sixtus V. nihil ipſe de ſuo decreto mutando cogitaſſet, aut non niſi morbo admonente, eam cogitationem concepiſſet, idipſum iam, inter alia, exemplum eſſe potеſt ſingularis illius curæ ac prouidentiæ, quam Deus erga Eccleſiam ac Romanam Cathedram habet, vt prius ac potius è viuis Põtificem eximat, quam permittat eum falſam aliquam definitionem edere, ac ad finem perducere; ſi quidem gratis concedamus, aliquid in eo Sixti decreto fuiſſe erratum, de quo infra quæſtione 5. dub. 2.

268 Simile exemplum refertur de Ioanne XXII qui cum priuatim in eo errore verſaretur, animas Beatorum non viſuras Deum ante reſurrectionem, ac ſimul in id incumberet, vt eam quæſtionem definiret, prius morte ſublatus eſt, quam in aliquem definitionis errorem incideret, tametſi, & is ante mortem, ſuaſu affinium, eam ſententiam retractauerit, vt partim refert Benedictus XII. in ſua Extrauagante, partim ex Ioanne Villano libro 11. hiſt. cap. 19. pluribus recenſet Bellarminus libro 4. de Pontifice cap. 14. Vbi etiam per plura capita ſigillatim reſpondet ad ea, quæ in hoc genere, circa errores quorundam Pontificum obijciuntur.

269 Atque hæc cum etiam ad Conciliorum decreta accommodanda ſunt, tum inprimis valent ad epiſtolas decretales intelligendas, & Canones Pontificios, ſeu Iuris Canonici. Non enim omnia in ijs ſunt eiuſdem authoritatis; quin etiam nonnunquam falſa quædam ijs admixta eſſe poſſunt, quæ fruſtra Sectarij contra infallibilitatem definitionis Pontificiæ obijciunt.

Neque hoc ipſo, quod Pontifex ſuam, aut alterius ſcriptoris ſententiam ſeu doctrinam in Iure Canonico reponit, illico eam publica authoritate definit, vt rectè Bannes hic q. 1. a. 10. dub. 2. circa finem; quicquid in contrarium indicet Caſtro lib. 1. cont. hæreſ. cap. 4. niſi ex circumſtantijs conſtet, eum velle, vt ea doctrina deinceps velut canon, & regula fidei habeatur. Reſtat, vt breuiter tres generales obiectiones recentiorum Prædicantium contra explicatam Romani Pontificis infallibilitatem diſſoluamus.

270 Primo obijciunt friuolam, & inanem eſſe illam diſtinctionem inter errores Pontificis, vel non vt Pontificis; & rurſum inter particulares facti quæſtiones, & publicas fidei controuerſias &c. Cum enim ſcripturæ teſtimonia, quibus Pontificis infallibilitatem probamus, generalia ſint, aut vniuerſim probabunt, Pontificem errare nullo modo poſſe; aut nec illud probabunt, illum errare non poſſe vt Pontificem in definiendo, &c.

Sed facilè reſpondetur ex dictis, eius diſtinctionis fundamentum in ipſa ſcriptura apertè fundatum eſſe. Quia infallibilitas illa eatenus tantum Pontifici competit, quatenus ipſe ſecundaria quædam petra eſt, cui Eccleſiæ ſtructura nititur, iuxta citatum illud Matthæi 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Cum vero Eccleſiæ petra cenſeri non poſſit, niſi ratione officij, & quidem duntaxat publicorum eiuſmodi decretorum, fidem ac Religionem vniuerſæ Eccleſiæ concernentium (cætera enim particularia decreta, vt nec deſtruere, ita nec ſuſtinere poſſunt vniuerſam Eccleſiam) conſequens planè eſt, vt in publicis ſolum Religionis controuerſijs definiendis, decretiſque vniuerſam Eccleſiam obligantibus proponendis, infallibilis cenſeri debeat Pontificis auctoritas. Deinde cum infallibilitas hæc Pontifici diuinitus conceſſa fuerit, ob commune bonum Eccleſiæ, ne videlicet ipſa ad obedientiam Pontifici in rebus dubijs præſtandam obligata, à ſanctitate, aut vera fidei ſententia quandoque tota deuiare cogeretur, non fuit neceſſe, vt omnia Pontificis decreta infallibilia eſſent, ſed ea ſolum, quæ ad religionem ſpectantia, vniuerſam Eccleſiam obligant.

271 Secundo obijciunt. Summus Pontifex alijque Sacerdotes in veteri teſtamento, in decretis ad religionem ſpectantibus potuerũt errare, & reipſa quandoque errarunt, vt patet in Aarone Exodi 32. v. 5. in Vria 4. Regũ 16. v. 11. & in Caipha Ioannis 11. v. 49. & 18 v. 24. & Matthæi 26. v. 65. Ergo, & Pontifex licet vna cum Concilio Epiſcoporum definiẽs poteſt errare.

Ad hoc reſpondent nonnulli, conceſſo antecedente, negando conſequentiam: quidquid enim ab illis erratum ſit, nihil hoc præiudicare infallibili auctoritati Summi inter Chriſtianos Pontificis Romani. Tum quia illi non habuerint adeo præclaras infallibilitatis promiſſiones, vt Romano Pontifici ac noui teſtamẽti Epiſcopis factas conſtat. Tum quia ſynagoga non erat ita, vt Chriſti Eccleſia, indefectibilis, ſed potius aliquando finem habitura. Tum quod promiſſionem in veteri teſtamento factæ, hypotheticæ tantum, & conditionatæ, non abſolutæ fuiſſe videntur. Tum quia Deus in veteri lege magis extraordinaria quadam Prophetarum, quam ordinaria Pontificum, auctoritate Eccleſiam regere voluiſſe videatur.

272 Sed melius ac tutius negatur antecedens vt etiam in Colloquio Ratiſponenſi diximus: Siquidem non obſcuræ infallibilitatis promiſſiones etiam de Sacerdotibus veteris teſtamẽti extant, quamdiu quidem ſynagoga ex decreto Dei in ſuo vigore perſiſteret. Ita enim Deuteronomij 17. v. 9. de Sacerdotali iudicio dicitur: *Qui indicabunt tibi iudicij veritatem;* nempe in dubijs ac publicis Religionis cauſis

requi-

requiſiti; ibidemque abſolute Sacerdotis imperio obtemperandum præcipitur. Ita etiam Malachiæ 2. verſ. 7. dicitur: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Et denique Matthæi 23. v. 2. abſolutè præcipitur, doctrinæ publicæ, & communi Doctorum Synagogæ acquieſcendum eſſe; *Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite.* Quod non fieret, ſi in eiuſmodi communi doctrina omnes ſimul errare poſſent.

273 Ad Aaronem, & Vriam reſpondetur, eos facto tantum externo, non autem definiendo erraſſe; ad eum ſcilicet modum, quo etiam Marcellinus Pōtifex externa idololatria olim peccauit. Accedit quod Aaron tunc nondum erat conſecratus Sacerdos, ſed poſtea primum conſecrandus Exodi 29. & Leuitici 8. Ad Caipham expedita reſponſio eſt, eum tunc temporis non fuiſſe amplius abſolutè Summum Pontificem, nec habuiſſe adeo ſummam iudiciariam poteſtatem in terris; tum quia lex, & Cathedra Moyſis, tempore paſſionis Chriſti, erat prope interitum; tum quia ſumma poteſtas iudiciaria erat iam tunc penes Chriſtum Caipha vtique ſuperiorem; cui nihil derogare poterat iudiciaria illa poteſtas Caiphæ: ita vt firmum ſemper ac inuiolatum maneat, Summum ſimpliciter Pontificem, retenta ſumma ſua iudiciaria poteſtate, errare in definiendo non poſſe. De qua re pluribus actum in relatione de Colloquio Ratiſponenſi part. 1. cap. 5. & in Apologetico eiuſdem cap. 11. & 12.

Tertio obijciunt, Pontifices nonnunquam moribus improbis eſſe: Ergo non eſt cenſendum, eos diuinam ac infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam in definiendo habere, iuxta illud Sap. 1. *Sapientia non intrat in animam maleuolam, nec habitat in corpore peccatis ſubdito.* Et illud Eccli. 1. *Datur Sapientia à Deo his, qui diligunt ipſum.*

274 Reſpondetur, negando conſequentiam. Ad obiecta ſcripturæ teſtimonia dico, in ijs ſermonem eſſe de Sapientia, quæ datur homini ob priuatam ipſius vtilitatem, ac ſalutem; non autem de Sapientia, quæ ratione officij, ob publicum Eccleſiæ bonum, abſq; vllis meritis, & præuia diſpoſitione, perſonis quibuſdam conceditur. Vt videre eſt in Balaam Numer. 23. & 24. & in Caipha Ioannis 11. qui dicitur prophetaſſe, *cum eſſet Pontifex anni illius*; item in Scribis, & Phariſæis, quorum præcepta ſeruanda, & facienda, opera tamen imitanda non erant, Matthæi 23. verſ. 2. Et denique in ijs, qui *dicent in illa die Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Talis proinde eſt etiam infallibilis illa Spiritus Sancti aſſiſtentia, quæ Pontifici, non ob priuatum, ſed ob publicum bonum; non propter dignitatem accipientis, ſed ob promiſſionem dantis, certiſſimè adeſt.

De qua re optimè Auguſtinus lib. 2. con-
275 tra Petilianum cap. 51. *Si omnes*, inquit, *per totum orbem tales eſſent, quales vaniſſimè criminaris, Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſia Hieroſolymitana, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet; quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellas Cathedram peſtilentiæ, Cathedram Apoſtolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere; nunquid Dominus Ieſus Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait, Dicunt enim, & non faciunt, Cathedræ, in qua ſedebant vllam fecit iniuriam? Ait enim; Cathedram Moyſi ſedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Hæc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis Cathedram Apoſtolicam, cui non communicatis. Sed quid eſt aliud neſcire dicere; & tamen non poſſe niſi maledicere?* Ita Sanctus Auguſtinus; qui etiam lib. 4. de doctrina Chriſtiana de Scribis, & Phariſæis ait: *Illa Cathedra, non eorum, ſed Moyſi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes.*

Ex his vero quæ hoc dubio, & ſupra dub. 276
4. docuimus, colligitur, merito ac piè credendum eſſe, Romanam Eccleſiam, etiam vt particularis Eccleſia eſt, non poſſe errare in fide; nec adeo totam deficere, vt docet etiam Bellarminus lib. 4. de Pontif. cap. 4. Cum enim vt diximus dub. 4. primatus Petri iure diuino immobiliter ſit annexus, Cathedræ Romanæ; hæcque ſimul in definiendo abſolutè infallibilis ſit, ex dictis hoc dubio, planè efficitur, Eccleſiam Romanam indefectibilem eſſe, non ſolum ſub conditione, poſito quod ibi maneat Petri Primatus, ſed etiam abſolutè: tametſi res hæc non ſit ex fide certa, vt omnes agnoſcunt, & fatetur Bellarminus loco citato.

DVBIVM VII.

Vtrum Summi Pontificis auctoritas ſit etiam infallibilis in decretis morum; ac ſpeciatim in approbatione Religionum, & Canonizatione Sanctorum.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 10.

DOcuimus dubio præcedenti, Summi Pontificis auctoritatem eſſe quidem infalli- 277
bilem in dubijs fidei quæſtionibus definiendis, at vero ſupereſt difficultas, an pariter etiam ſit infallibilis in decretis morum; ac ſpeciatim in approbatione Religionum, ac Canonizatione Sanctorum; de quibus ſigillatim hoc dubio agendum eſt.

Primo igitur quæritur, an, & qua ratione Summi Pontificis auctoritas ſit infallibilis in decretis morum. Ratio dubitandi eſt; quia ex vna parte, Pontifex in ijs rebus conſtituendis, videtur tantum verſari circa quæſtiones facti particularis, an expediat hic & nunc, hoc vel aliud agere; & ſimiliter quantum ad religionum approbationem, & Sanctorum cano-

nizationem ; an hæc Religio opportuna ſit præſenti Eccleſiæ ſtatui ; an hic vel ille ſanctè vixerit, &c. quarum quæſtionum deciſio ab humanis teſtimonijs pendet, in cuius generis rebus eum errare poſſe, ſupra diximus. Ex altera vero parte videntur eiuſmodi materiæ concernere publicum cultum ac religionem totius Eccleſiæ.

278 In hac re ſupponendum eſt, circa doctrinam morum, Pontificem etiam vt Pontificem tripliciter habere ſe poſſe; primo formaliter docendo, & tradendo morum doctrinam, eamque auctoritate Pontificia definiendo, v. g. vſuram eſſe illicitam, licitum & ſanctum eſſe cultum Sanctorum, & ſacrarum Reliquiarum ac Imaginom, communionem ſub vna ſpecie laicis eſſe licitam, &c. Et io his, ex omnium ſententia, non magis errare poteſt Pontifex, quam in cæteris decretis ſeu definitionibus fidei; cum ea ipſa decreta ſint vera decreta fidei, licet in materia practica. Secundo docendo duntaxat per modum exempli, ſeu in actu exercito, particulari nimirum aliquo aut priuato facto, ſeu diſpoſitione circa eiuſmodi materiam; v. g. diſpenſando in matrimonio, in ſolemni voto, &c. & hac quidem ratione conſtat itidem, ex omnium ſententia, Pontificem abſolutè loquendo, errare poſſe; cum in his nulla cernatur definitio ad vniuerſam Eccleſiam pertinens. Exemplum eſt io veteri teſtamento, factum Vriæ Sacerdotis, qui ex præcepto Achaz, contra mandatum Domini, nouum altare erexit in templo Domini 4. Reg. 16. Tertio, nec formaliter definiendo, nec etiam in actu duntaxat exercito & particulari facto docendo; ſed Pontificia auctoritate præcipiendo aliquid in materia morum toti Eccleſiæ; & de hoc in præſenti propriè eſt quæſtio.

279 Ad quam breuiter reſpondetur, in eiuſmodi præceptis duo conſiderari poſſe; primo ipſam ſubſtantiam ſeu materiam præcepti ſecundum ſe, vt nempe illicitum non ſit quod præcipitur, neq; ad ſalutem neceſſarium, quod prohibetur. Et in hac re, ex omnium Catholicorum ſententia, errare non magis poteſt Pontifex, quam ſi eam formaliter definiret. Tenetur enim non minus tota Eccleſia talibus præceptis ſe conformare, ſaltem cum de iniquitate præcepti apertè non conſtat, quam ſi aliquid propriè definiret. Sicut ergo propter infallibilitatem Eccleſiæ in credendo, fieri nō poteſt, vt Pontifex aliquid in re dubia definiat falſum, ita etiam propter Sanctitatem eiuſdem Eccleſiæ, fieri non poteſt, vt Pontifex toti Eccleſiæ præcipiat aliquid mali, vel prohibeat aliquid ad ſalutem neceſſarium; præſertim quando etiam Eccleſia potiſſimum Sancta dicitur à profeſſione, quia profitetur ſanctam legem ſeu Religionem, quæ nihil docet falſi, nihil præcipit mali.

280 Denique fieri vix poteſt, vt talis error in tota Eccleſia contingat, quin ſimul etiam coniunctus ſit error in fide; quandoquidem mandata Pontificis, & Eccleſiæ, velut Dei mandata accipienda, & habenda ſint, ſaltem quamdiu non conſtat aliquid præcipi, quod diuinis mandatis aduerſetur, vt optimè etiam tradit Bernardus lib. de lege, & diſpenſat. vbi vniuerſim de præceptis Superiorum loquens
, ait Quamobrem quicquid vice Dei præcepit
homo; quod non ſit tamen certum diſplicere
, Deo, haud ſecus omnino accipiendum eſt,
, quam ſi præciperet Deus. Quid enim inte-
, reſt. vtrum per ſe, an per ſuos Miniſtros ſiue
, homines, ſiue Angelos hominibus innoteſcat
, ſuum placitum Deus? ſed homines, inquis,
, facilè falli io Dei voluntate de rebus dubijs
, percipienda, & in præcipienda fallere poſ-
, ſunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui con-
, ſcius non es: præſertim cum teneas de ſcrip-
, turis (*Malachiæ* 2.) quia labia Sacerdotis
, cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius
, requirunt, quia Angelus Domini exercituum
, eſt? Requirunt dixerim legem; non quam,
, vel authentica vlla ſcriptura tradiderit, vel
, ratio manifeſta probauerit; de huiuſmodi
, quippe nec Præceptor expectandus, nec pro-
, hibitor auſcultandus eſt. Sed quod ita late-
, re aut obſcurum eſſe cognoſcitur, vt in du-
, bium venire poſſit, vtrum nam Deus ſic, aut
, aliter forte velit, ſi non de labijs cuſtodien-
, tibus ſcientiam, & ex ore Angeli Domini ex-
, ercituum certum reddatur. A quo denique
, diuina potius conſilia requiruntur, quam ab
, illo, cui credita eſt diſpenſatio myſteriorum
, Dei? Ipſum proinde, quem pro Deo habe-
, mus, tanquam Deum, in his, quæ apertè
, non ſunt contra Deum, audire debemus. *Ita*
, *Bernardus*.

281 Quo circa etiam Antoninus 3. part. tit. 12. capit. 8. §. 2. hoc ſenſu ait, Pontificem in præcipiendo errare non poſſe, *eſſe de fide*: licet Canus lib. 5. locorum c. 5. non putet ſimpliciter eſſe de fide, ſed *parum diſtare*; *ita vt contrarium ſit erroneum*.

Imo etiam pie credi poteſt, Spiritum Sanctum nunquam permiſſurum, vt Pontifex etiam in priuatis Eccleſijs aliquid approbet, quod malum eſt, vel prohibeat quod ad ſalutem neceſſarium. Licet enim Eccleſia tota ſe non teneatur conformare, tali præcepto ſeu decreto; ſumi tamen hinc ſolet, quaſi certum argumentum, ad probandum, id in quacunq; Eccleſia licitum eſſe. Accedit, quod alioqui vix euitari poteſt, quin concedendum ſit, fieri poſſe, vt Eccleſiæ ſingulæ, ſuum quæque errorem proprium in moribus habeant: quod tamen valde eſt incommodum, & abſurdum.

282 Secundo conſiderari poſſunt in eiuſmodi præceptis circumſtantiæ, non rei præceptæ, ſed ipſius præcepti, videlicet tempus, modus, quo præceptum fertur, &c. Et in his iodefinite loquendo, communiter omnes fatentur, Pontificem aliquando per imprudentiam errare poſſe, non commodo videlicet tempore, & modo rem alioqui per ſe bonam præcipiendo, aut nimis multis legibus, & excommunicationibus, ac cenſuris Eccleſiam onerando, vt io ſpecie notauit etiam Bannes hic q. 1. a. 10. dub. 8. poſt concluſ. 5. Quamquam in particulari, & vbi res dubia eſt, non eſt ouium Paſtorem iudicare, ſed ſimpliciter obtemperare. De qua re plura Caſtro l. 5. de iuſta hæreticorum punitione cap. 6. & Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 5.

283 Secundo quæritur, an Summi Pontificis auctoritas ſit etiam infallibilis in approbatione Religionum. Et Canus quidem lib. 5. locorum cap. 5. ſimpliciter, & ſine diſtinctione

affir-

affirmat, Pontificem in ijs apprnbandis errare poſſe. Sed hæc ſententia niſi commodè explicetur, meritò fidei ac pietati non ſatis conſona cenſetur. E contrarin Gregotins de Valentia q. 1. pun. 7. §. 41. vniuerſim pronuntiat, Pontificem in hac re errare non poſſe.

Verum diſtinguendum eſt hoc loco inter illud Pontificis iudicium quaſi ſpeculatiuum, quo publica auctoritate decernit atque definit, hanc vel illam Religionem, quoad ſuum proprium inſtitutum, & regulam, eſſe Sanctam, diuinæque legi, & Euangelicis inſtitutis cnnfotinem, adeoque ex ſe ad perfectionem obtinendam vtilem; & inter aliud iudicium velut practicum, quantumuis cum priori ordinarie te ipſa coniunctum, qun permittit, ſtatuit, vel imperat, eandem Religinnem hic & nunc in Eccleſia admittendam eſſe.

284 Ptimum illud iudicium omnino exiſtimandum eſt infallibile, vt ex cnmmuni, docent Aragonius hic quæſt. 1. art. 10. de Pontifice, Bannes ibidem dub. 8. qui oppoſitum non dubitat hæreticum dicere, & Gregorius de Valentia q. 1. pun. 7. §. 41. qui cenſet, hanc veritatem eodem certitudinis gradu conſtare, qno ſequentem de Canonizatione Sanctorum.

Probatur, non ſolum quia in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. damnantur Wicleffus, & Huſſ, qui inſtituta Religionum à diabolo introducta eſſe dicebant; ſed etiam quia in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Canone 13. bonæ, & piæ iudicantur Religiones omnes, Apoſtolicæ Sedis auctoritate confirmatæ. Et in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. Can. 16. de Regularibus, *pium* vocatur *inſtitutum*, quod Apoſtolica Sedes approbauit. Denique Pontifices in approbatione ſolent Dei Omnipotentis indignationem, & ſæpe etiam anathema intentare ijs, qui auſu temerario tali approbationi contraire tentauerint. Ratio eſt. Quia alioqui cum Religio, hoc ipſo quod approbatur, proponatur per modum medij ad ſalutem oportuni toti Eccleſiæ, poſſet Eccleſia in ijs, quæ ad ſalutem pertinent, in grauem errotem incidere. Plura videri poſſunt apud S. Thomam, & Bonauenturam, in Opuſculis contra impugnantes Religionem.

285 Quoad alterum vero iudicium, licet forte aliquo prudentiæ defectu errare poſſet Pnntifex, nimis multas Religiones, aut inconuenienti tempore aliquam approbandn, qun videlicet, per accidens non ita commoda ſit eius in Eccleſiam introductio, vt de legibus ſupra dictum, & inſinuatur cap. vlt. de religioſis domibus, & cap. 1. eodem tit. in 6. & poſt Canum docent quoq; Aragonius, & Bannes loc. cit. ſi quidem res hæc factum potius, quam ius concernit; & ad prudentiam ſpectat, aduerſus quam ſubinde peccari à Pontifice poſſe, nemo negat: id tamen in particulari non facile præſumendum, nec factum Pontificis temere iudicandum aut improbandum eſt, in quo etiam incautum ſe præſtitit Canus loc. citat. quia vt dictum, oues non debent iudicare ſuum Paſtorem, ſed ſequi.

286 Cæterum cum dictis non pugnat, quo minus aliquæ Religiones, alioqui & ex ſe, & pro eo etiam tempore, quo approbatæ fuerant, Eccleſiæ vtiles, ſucceſſu temporis, vel ob malitiam inhabitantium in ea, vel propter circumſtantias temporum, & ſtatum Eccleſiæ mutatum, inutiles fieri, ac proinde etiam abrogari poſſint. Quod enim legibus, id etiam Religionibus quoad hoc accidere poteſt, vt omnes fatentur: idque ſolum probant exempla, quæ Canns loc. cit. affert, quamuis forte non omnia ſufficienti auctoritate ac fide nitantur.

287 Tertio quæritur, an & qua ratione Pontificis anctoritas ſit infallibilis in Canonizatione Sanctorum. De hac re ſunt duæ Doctorum ſententiæ. Prima negat, decreta Canonizationis eſſe ſimpliciter, & abſolute infallibilia; ita vt ſit de fide eos qui à Pontifice canonizati ſunt, vere Sanctos ac Beatos eſſe. Ita plane videtur ſentire S. Thomas quodlib. 9. art. 16. vbi ait: *Canonizatio Sanctorum medium eſt inter duo, ſcilicet inter iudicium infallibile Papæ de rebus fidei, & iudicium fallibile eiuſdem in cauſis ciuilibus, & criminalibus. Quia tamen* inquit, *honor, quem Sanctis exhibemus, quædam profeſsio fidei eſt, qua Sanctorum gloriam credimus pie credendum eſt, quod neque etiam in his iudicium Eccleſia errare poſsit.* Idem ſentiunt Antoninus 3. part. tit. 12. cap. 8. Caietanus de Indulgentijs ad Iulium cap. 8. Et citatur etiã Luiſius Turrianus 2. 2. diſp. 16. dub. 3. vbi tamen ſolum dicit: *non eſſe hæreticum, aſſerere, Pontificem poſſe errare in canonizatione Sanctorum*; eamque dicit eſſe communem Theologorum, & Bannis. Addit tamen, ſaltem temerarium eſſe aſſerere, Pontificem poſſe errare in canonizatione Sanctorum.

288 Secunda ſententia ſimpliciter affirmat, decretum illud Canonizationis eſſe infallibile; ita vt de fide ſit, ac per fidem credendum, eos verè Sanctos ac Beatos eſſe, quos Romanus Pontifex canonizauit. Ita docet Bonauentura in opuſc. contra Guilielmum, vbi ait; *ad infidelitatem ſpectare, de Sancti canonizati gloria dubitare.* Idem docent Canns lib 5. locorum cap. vlt. Gregorius de Valentia hic quæſt. 1. punct. 7. §. 41. Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 9. Bannes hic art. 10. dub. 7. & Summiſtæ omnes V. *Canonizatio*. Nec diſſentire videntur Waldenſis tom. 2. de Sacramentalibus à cap. 122. Driedo lib. 4. de Eccleſiaſt. dogmatibus cap. 1. & Caſtro lib. 1. de iuſta hæreticor punit. cap. 6. De hac re ſit.

Aſſertio I. Sancti omnes, qui à Pontifice canonizantur, neceſſario ab omnibus reuerenter colendi, & pro Sanctis habendi ſunt. Hæc aſſertio apud omnes Catholicos eſt extra controuerſiam. Ratio eſt, quia hoc directè decernitur, & præcipitur in decretis Canonizationis, vt videbimus; quibus proinde in re diuinæ legi aperte non contraria, ab omnibus reuerenter obtemperandum eſt, iuxta dicta ſuperius.

289 Aſſertio II. Licet non ſit apertè hæreticum dicere, Sanctorum canonizationem non eſſe prorſus infallibilem; eſt tamen id ſcandaloſum, temerarium, & hæreſim ſapiens; præſertim ſi quis in particulari diceret, aliquem Sanctorum ab Eccleſia ſeu Summo Pontifice canonizatum, non eſſe in cœlo. Ita ex mente Sancti Thomæ, & aliorum quos citauimus, ſpeciatim notarunt Gregorius de Valentia, Bannes, & Luiſius, locis citatis ex communi.

Ratio

Ratio præter dicenda aſſert. ſeq. eſt, quia opponere ſe iudicio ac decreto Pontificis in re tam graui, & ad communem totius Eccleſiæ Religionem ac cultum ſpectante, ſiue illud in dubium reuocare, non poteſt non eſſe Summæ temeritatis, iuxta illud Auguſtini epiſt. 108. vbi ait: *Si quid horum* (quæ nimirum ad Religionem pertinent) *tota per orbem frequentat Eccleſia, hoc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſsimæ inſaniæ eſſe*.

290 Aſſertio III. Sed, & firmiter credendum Canonizationem Sanctorum à Pontifice factam, eſſe infallibilem; ita vt ſit de fide, vere Sanctos ac Beatos eſſe eos, qui à Summo Pontifice canonizati ſunt. Ita contra primam ſententiam ſentio cum auctoribus ſecundæ ſententiæ. Probatur primo, ex auctoritate, & ſenſu Eccleſiæ ac Pontificum. Nam in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. damnatur error Wicleffi 44. vbi ſanctitatem Auguſtini, Benedicti, Bernardi in dubium vocat. Et in Bulla canonizationis Sancti Bonauenturę ait Sixtus IV. *Confidentes, quod in hac Canonizatione non permittat vos Deus errare*. Et infra: *Hunc Sanctum eſſe, fideliter firmiterque teneri debere decernimus*.

Item Ioannes XXII. in Canonizatione Sancti Thomæ Aquinatis, poſt enumerata eius miracula, inquit: *Hæc ſunt teſtimonia tua Deus, quæ de hoc viro iuſto nobis credibilia facta ſunt nimis. Nam ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt, quo animam eius cælum poſsidere iam credimus*. Sixtus V. in canonizatione Sancti Didaci: *Publico noſtro, & huius Sanctæ Sedis teſtimonio, quæ à Spiritu Sancto gubernatur, & regitur, B. Didaci Sanctitatem optimo iure declaratum eſſe, &c.* Et infra: *Nos ipſi de Spiritus Sancti ſingulari patrocinio, atque infallibili aſsiſtentia diximus*. Clemens VIII. in canonizatione S. Hyacinthi: *S. Spiritu, quo Eccleſia afflata nunquam fallitur, multis cum precibus inuocato*.

291 Secundo probatur aſſertio ratione. I. Quia Pontificis definitio, in decretis morum vniuerſam Eccleſiam concernentibus ferendis, eſt infallibilis, ſaltem quoad ſubſtantiam ipſius decreti; ita vt materia præſcripta bonis moribus non aduerſetur, vt ſuperius hoc dubio dictum: at vero eiuſmodi decreta Canonizationis ſunt quædam definitiones ad mores vniuerſæ Eccleſiæ ſpectantes; quibus ſcilicet definitur, hunc vel illum neceſſario ab vniuerſa Eccleſia pro Sancto habendum, & colendum eſſe: Ergo neceſſe eſt, ea decreta ſaltem quoad ſubſtantiam infallibilia eſſe: ita vt materia præſcripta bonis moribus non aduerſetur: atqui aduerſaretur, ſi canonizatus ille Sanctus reuera Sanctus, & Beatus non eſſet; quia reuera per ſe contra bonos mores actus ſuperſtitioſus eſt, pro Sancto colere, qui Sanctus non eſt.

II. Impoſſibile eſt Eccleſiam vniuerſam errare in ijs, quæ ad diuinum cultum, & Religionem pertinent; cum ſit *columna, & firmamentum veritatis* 1. Timoth. 3. quam docet etiam Spiritus Sanctus *omnem veritatem*, Ioannis 16. Cum ergo vniuerſa Eccleſia pro Sancto habeat, & veneretur à Pontifice canonizatum; impoſſibile eſt, vt hoc iudicium ſit falſum. Quod argumentum etiam procedit de alijs Sanctis præſenti canonizandi more antiquioribus, quos vniuerſa Eccleſia colit, vt de Auguſtino, Ambroſio, Hieronymo, Gregorio, & plæriſque Martyribus. &c. III. Vi eiuſ- 292
modi decreto canonizationis, obligantur omnes fideles ad credendum fide diuina, talem eſſe Sanctum, & Beatum; vt ex decretis Pontificum citatis colligitur: Ergo decretum illud eſt infallibile; alioqui enim poſſet totam Eccleſiam ad errorem obligare.

IV. Canonizatio differt à beatificatione, non ſolum quod hæc aliquando permittit cultum talis Sancti ſolum alicui parti Eccleſiæ, puta certæ Religioni, aut Epiſcopatui; ſed etiam quia hæc vniuerſim ſolum permittit vt talis habeatur Sanctus, non autem ad hoc credendum obligat: Canonizatio autem planè obligat, vt is pro Sancto habeatur, & colatur. Denique nullum eſt argumentum alicuius momenti, quod contrarium ſuadeat.

Obijcitur primo, Pontificem in eiuſmo- 293
di canonizatione, ex informatione, & teſtimonijs humanis procedere; quibus abſolutè falſum ſubeſſe poſſe, nemo negauerit. Reſpondetur, hanc quidem veluti conditionem præſupponi ad canonizationem; ſed quæ tamen propriè ac vltimatè eiuſmodi humana induſtria ac fide non nititur, ſed infallibili aſſiſtentia Spiritus Sancti, qua iuxta diuinas promiſſiones Pontifex in eiuſmodi decretis infallibiliter dirigitur; vti etiam in cæteris fidei definitionibus accidit.

Obijcitur ſecundo, Eccleſiam falli poſſe 294
in cultu ac veneratione Reliquiarum, ac hoſtiæ alicuius conſecratæ, exiſtimando nimirum eſſe corpus Sancti, aut hoſtiam eſſe conſecratam, cum tamen non ſit. Reſpondetur, quod de hoſtia dicitur, eſſe impertinens; quia hæc materia non concernit Religionem ac mores totius Eccleſiæ; neque hoſtiam niſi ſub conditione ſaltem tacita adoramus. Quod vero ad Reliquias attinet, eſto accidere poſſit nonnunquam in his error, eſt tamen hic error, non ita pernicioſus ex ſuo genere, tum quia rara vniuerſalis eſſe non ſolet; tum quia Reliquias non veneramur propter ſe, ſed propter Sanctos, & tanquam Sanctorum pignora; idque etiam ſæpè ſub tacita conditione. Quo fit, vt ſi forte pro veris Reliquijs falſæ ſuppoſitæ ſint, iam animus ad has in indiuiduo colendas non feratur.

Addo denique Eccleſiam vniuerſalem neque in hoc iudicio errare poſſe, ſi ſeruata debita proportione fiat comparatio. Nam vt rectè dixit Caietanus loc. cit. *Si Eccleſia tota ita definiret* (vel crederet) *hoc corpus eſſe S. Franciſci, ſicut S. Franciſcum eſſe in gloria, credendum eſſet, ſicut in hoc ſecundo, ita nec in primo errare poſſe*.

Obijcitur tertio. Etſi Pontifex, aut Concilium defunctum aliquem damnent, & vt hæ- 295
reticum deteſtentur, non ideo tamen hoc ipſo infallibiliter certum eſt, talem eſſe damnatum; cum ille in vltimo vitæ articulo reſipiſcere potuerit: Ergo nec in canonizatione cenſendum eſt infallibile Eccleſiæ iudicium. Reſpondetur, negando conſequentiam: nam etiamſi Eccleſia, ſecundum prudens iudicium, ac fori externi præſumptionem, aliquem deteſtetur vt hæreticum, & in hæreſi mortuum; nihil

tamen

tamen idcirco definit in foro Dei, quoad finalem impœnitentiam; quid enim refert hoc ſcire? ſed loquitur ſolum tum de illo ſtatu, in quo ille ſuum errorem pertinaciter defendit, tum etiam ſecundum iuſtam præſumptionem fori externi, vt dictum.

296 Obijcitur quarto. In Canoniaatione Sanctorum, non exprimitur, aut reperitur aliqua manifeſta fidei definitio; nec ſubiungitur anathema &c. Reſpondetur negando aſſumptum, quo ad priorem partem. Nam ſi communis formula Canonizationis recte expendatur, contrarium apparebit. Talis enim ea eſſe ſolet: *Ad honorem Omnipotentis, & æterni Dei, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ad exaltationem fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, N. N. in cœleſti Hieruſalem iam receptum, & æternæ gloriæ corona donatum, de fratrum noſtrorum conſilio declaramus, eumque tanquam Sanctum publicè, & priuatim colendum eſſe decernimus, & definimus.*

Quæ planè eſt formalis, & manifeſta definitio; & quidem circa materiam Religionis, quæ vniuerſam Eccleſiam concernit; qualis non poteſt non eſſe definitio. Et quamuis non addatur anathematis comminatio, addi tamen ſolet *interminatio diuinæ indignationis*; quod ſufficientiſſimum indicium eſt abſolutæ voluntatis obligandi vniuerſam Eccleſiam, ad credendum, & ſeruandum id, quod à Pontifice decretum, & definitum eſt: præſertim quando etiam in pleriſque decretis Conciliorum, vti etiam in ipſius Concilij Tridentini capitibus, vbi fidei veritas doctrinaliter, & dogmaticè traditur, nulla adijcitur anathematis comminatio.

297 Obijcitur quinto. Cum de S. Franciſco à Gregorio IX. canonizato adhuc nõnulli ſubdubitarent, & Nicolaus III. noua bulla eius canonizationem confirmaret, in hunc ſolummodo modum ſcripſit: *Rogamus, & hortamur in Domino, quatenus ab aſſertione contrarij, aures de cætero penitus auertatis*: at ſi putaſſet, priorem canonizationem eſſe definitionem fidei, omnes dubitantes de fidei errore ſerio reprehendiſſet.

Reſpondetur, veriſimile eſſe, ijs qui dubitabant nondum ſatis conſtitiſſe, an Beatus Franciſcus, non ita pridem defunctus, à priori Pontifice ſolum beatificatus, an reuera etiã canoniaatus eſſet; aut certe aliunde habuiſſe cauſas quaſdam dubitandi non planè omnis coloris expertes; quos proinde cum bona fide agere ſibi viderentur, opus non erat ſeueriori reprehenſione caſtigare. Præſertim quando etiamnum fatemur, non eſſe hæreticum negare, eiuſmodi canonizationis decreta infallibilia eſſe.

298 Obijcitur ſexto. Multæ in Eccleſia coluntur tanquam virgines, etiam ex ijs, quæ ſæpe in adultiori ętate ex gentilitate ad fidem conuerſæ ſunt, &c. cum tamen virginitatis vix ſatis explorata indicia haberi poſſint; quando ſæpe virginitatis occultiſſimo modo amittitur: Ergo non eſt de fide, eas eſſe virgines; ac perinde nec eſſe Sanctas.

Reſpondeo in his diſtinguendum videri. Quædam enim ex his canonizantur, aut pro Sanctis habentur, non propriè ac formaliter ſub titulo Virginitatis; etſi eum pro talibus iure habeantur, officium Virginum de ijs recitari ſoleat; ſed ratione ac ſub titulo Martyrij, aut vitæ alioquin ſanctæ traductæ: & de ijs non exiſtimo aut ab Eccleſia definiri, aut fide diuina credendum eſſe, eas Virgines eſſe, loquendo ſcilicet de Virginitate ſtrictè, prout omnem voluntariam pollutionem excludit: eum tamen interim nihilominus ex fide certum ſit, eas vere Sanctas ac Beatas eſse, ex eo ſcilicet titulo, ob quem propriè ac directè canonizatæ fuerunt.

299 De quibuſdam vero nonnunquam ſpeciatim, & expreſse in ipſa canonizatione declaratur, & definitur, non ſolum eſse Sanctas, ſed etiam eſse Virgines, vt in canonizatione S. Catharinæ Senenſis à Pio II. peracta accidit; & tunc vtrumque pariter fide diuina credendum eſt; quando etiam ſpecialibus miraculis Virginitas alicuius conteſtata fieri poteſt; quæ in eiuſmodi caſu interceſſiſse, non eſt dubitandum.

DVBIVM VIII.

Quænam, & quanta ſit auctoritas Conciliorum; & vtrum Concilium generale ſit ſupra Pontificem.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

300 Diſtinguendæ ſunt in præſenti plures quæſtiones. Primo quæritur, vtrum Concilia per ſe habeant auctoritatem infallibilem, etiam non accedente approbatione Summi Pontificis. Et ſuppoſita diſtinctione inter Concilia particularia, quæ ex Prælatis, vel Paſtoribus vnius ſolum, vel Diœceſis, vel Prouinciæ congregantur; & inter Concilia generalia, quæ ex Epiſcopis, & Prælatis totius Eccleſiæ congregantur; qualia imprimis celebria, & ſancta habentur quatuor illa antiquiſſima, Nicænum I. ſub Silueſtro contra Arium, Conſtantinopolitanum I. ſub Damaſo contra Macedonium, Epheſinum ſub Cœleſtino contra Neſtorium, Calcedonenſe ſub Leone contra Eutychen.

301 Certum eſt primo, Concilia particularia per ſe non habere infallibilem auctoritatem; quia nulla de his extat promiſſio infallibilitatis: habere tamen, quando confirmatur à Pontifice, iuxta dicta dub. 6. & 7. de infallibilitate Pontificis. Qua ratione Concilia Carthaginenſia, Ancyranum, Neocæſarienſe, Gangrenſe, Sardicenſe, Africanum, approbata ſunt à Leone IV. diſtinct. 20. Canone *De libellis*. Vt alia taceam, quæ ipſo vſu, & conſenſu tacitè ab Eccleſia approbata cenſentur, vt rectè notarunt Canus l. 5. locorum c. 5. & Gregorius de Valentia hic qu. 1. pun. 7. §. 45.

302 Secundo certum eſt, Concilia etiam generalia poſse errare, adeoque infallibilia non eſse, ſi definiant aliquid, ſeu diſsentientibus Legatis Apoſtolicæ Sedis, ſeu conſentientibus contra inſtructionem Pontificis; qualem vi-

dtlicet

delicet de rebus definiendis communiter Legatis dare Pontifex ſolet. Sunt enim eiuſmodi Concilia acephala, imo monſtroſa, & illegitima, velut corpora à ſuo capite diſſentientia.

303 Tertio ſatis certum eſt, Concilia generalia errare non poſse ſi aliquid concorditer definiant, omnibus conſentientibus, etiam Legatis Romanæ Sedis, habentibus, & ſequentibus expreſſam Papæ inſtructionem. Ita ex communi docent Bellarminus l. 2. de Concilijs c. 11. alijque citandi. Ratio eſt; quia tunc iam hoc ipſo ſunt aliquo modo approbata à Summo Pontifice.

304 Illud vero dubium eſt, vtrum eiuſmodi Concilia legitimè alioqui congregata; hoc eſt, vel Summi Pontificis auctoritate, vel propria ſpontè, tempore Schiſmatis, aut vacante Sede, infallibiliter definiant, quando vel abſentibus Legatis Pontificijs definiunt, vel illis quidem conſentientibus, ſed nullam à Pontifice inſtructionem ſpecialem circa rem definiendam habentibus; vt in Concilio Tridentino propter varietatem rerum definiendarum, accidit.

305 In qua re omnes illi, qui Concilia generalia euehunt ſuper Pontificem, abſolute affirmant, omnia Concilia generalia legitima, habere infallibilem auctoritatem; quos paulo poſt quæſito ſequenti referemus. Alij vero quidam, vti Sotus in 4. diſt. 20. qu. 1. a. 4. Caſtro l. 1. de iuſta hæretic. punit. cap. 6. & Aragonius hic qu. 1. a. 10. docent, Concilia generalia infallibiliter definire, ſaltem quando conſentiunt præſentes Legati, etiamſi nullam inſtructionem habeant: eamque rem ſub opinione ſitam eſſe, ſentiunt Canus l. 5. locorum c. 5. Bannes hic a. 10. dub. 3. & Bellarminus loc. cit.

306 Sed nihilominus vniuerſim affirmandum eſt, Concilia etiam generalia, quantumuis legitimè congregata, in definiendo errare poſſe, ſi decreta ipſa nulla auctoritate Summi Pontificis fulciantur, aut comprobentur; vt fit cum vel in Schiſmate, vbi de vero Pontifice non conſtat; ſeu vacante ſede, ſine auctoritate Pontificis, & præſentia Legatorum ipſius; vel cum auctoritate quidem Pontificis, ac in præſentia Legatorum ipſius, hiſque ipſis in definitionem conſentientibus, ſed ſine ſpeciali inſtructione Pontificis circa res ipſas definiendas, celebrantur; nec poſtea ſpeciatim à Summo Pontifice approbantur. Ita docent S. Thomas opuſcul. contra Impugnat. Relig. Turrecremara lib. 3. de Eccleſia cap. 32. 33. 34. 38. Caietanus de auctoritate Papæ, & Conciliorum cap. 8. & in Apologia part. 2. c. 21. Syluester V. *Concilium* §. 3. Pighius lib. 6. eccleſiaſt. hierarchiæ cap. 6. Gregorius de Valentia hic qu. 1. pun. 7. §. vlt. eandemque ſententiam vt probabiliorem ſequuntur Canus, Bannes, & Bellarminus locis cit.

307 Probatur aſſertio his argumentis. I. Nullum eſt ſcripturæ teſtimonium, quo Concilio generali ſeorſim eiuſmodi infallibilitas tranſcribatur. Solum obijci poteſt locus ille Epheſ. 4. vbi Deus dicitur in Eccleſia *poſuiſſe Paſtores, & Doctores, vt non circumferamur omni vento doctrinæ, &c.* Sed facilis eſt reſponſio; nam ſub his vel maximè comprehenditur Romanus Pontifex. Quare hinc non colligitur, Concilia abſque Pontificis auctoritate, ſed vna cum Pontifice quidem, velut capite, & præſide omnium Paſtorum ipſorumque Conciliorum, infallibilem habere auctoritatem.

II. Ipſamet Concilia, & Pontifices idipſum declaraſſe videntur. Nam capit. *Significaſti*, de electione, ait Pontifex *omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem facta eſſe, & robur accepiſſe*. Similia habentur in VII. Synodo generali act. 6. tom. 1. & in VIII. Synodo act. 1. & 7. & in quadam Romana Synodo ſub Symmacho diſt. 69. Canone *Bene quidem*, & in alia Romana ſub Damaſo lib. 5. hiſt. tripartitæ c. 29. & in Concilio Florentino decreto vnionis.

III. Idem colligitur ex perpetua Eccleſiæ praxi; qua Concilia etiam generalia petere ſolent approbationem à Summo Pontifice: de quo Gelaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ, & Nicolaus in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem. Exemplum recens extat in Concilio Tridentino.

IV. Accedit experientia; qua conſtat, quædam Concilia per Pontificem non approbata erraſſe; vt Epheſinum II. in cauſa Dioſcori, à Leone quidem indictum, ſed non confirmatum: Baſilienſe ſub Eugenio IV. item Ariminenſe DC. Epiſcoporum in cauſa Arij; & Conſtantinopolitanum ſub Leone Imperatore, quæ tamen poſtrema duo nec Pontificis quidem auctoritate congregata fuerunt.

V. Accedit ratio: tum quia Concilia, 308
quantumuis de cætero vniuerſalia, nulla Romani Pontificis auctoritate nixa, & firmata, vere non ſunt vniuerſalia ſeu Oecumenica, cum capitis ſui, adeoque vniuerſalis, & Oecumenici Patriarchæ auctoritate deſtituantur. Vnde nec totam Eccleſiam perfecte repræſentant; licet vtcunque repræſentent corpus Eccleſiæ; id quod tamen non facit, vt in definiendo errare non poſſint; poſſet enim, & totum Eccleſiæ corpus abſque capite in definiendo errare, vt ſuo loco ſuperius dictum: ſed ſummum, vt omnes quidem errare non poſſint errore perſonali, vt rectè notarunt Canus, & Bannes locis cit. quamquam, & hoc ipſum valde incertum eſt, ſi non omnes, aut prope omnes Eccleſiæ Prælati conueniãt; quia nihil obſtat, maiorem partem Doctorum, & Paſtorum errare circa fidem; aut ab ea deficere. Accedit quod in ſcripturis auctoritas infallibilis definiendi directè ſoli Petro, eiuſque ſucceſſoribus promiſſa eſt; quod ipſum cum ſit perſonale priuilegium, non poteſt à Pontifice, Legatis, alijſue perſonis communicari.

Secundo quæritur, vtrum Concilium generale 309
ſit ſupra Pontificem, loquendo ſcilicet de Concilio generali, non ſolum eo, cui Papa per ſe, vel per Legatos præſit, ſed etiam quod abſque conſenſu Apoſtolicæ Sedis aliquid decernat. Quam quæſtionem cum Bellarminus de Eccleſ. à cap. 13. diligenter, & accuratè tractet, nos breuiter expediemus. Et quidem affirmatiuam ſententiam ex Catholicis ſequuti ſunt, Cardinalis Cameracenſis, ſiue Petrus de Alliaco, Ioannes Maior, Ioannes Gerſon,

Iaco-

Iacobus Almain, in tractatibus de poteſtatibus Eccleſiæ; qui nunc habentur in operibus Gerſonis pat. 1. editionis Pariſienſis; item Nicolaus Cuſanus tract. de concordantia Canonum l. 2. c. vlt. Panormitanus in capit. *Significaſti*, de electione, & ibidem Magiſter eius Cardinalis Florentinus, & Abulenſis in caput 18. Matthæi q. 108. & in defenſorio triũ concluſionum, & alij apud Bellarminum c. 14. qui omnes docent, Papam eſſe quidem caput, & Paſtorem ſingulorum Chriſtianorum, & ſingularum Eccleſiarum, ſi ſeorſim ſumantur; non autem totius Eccleſiæ congregatæ in Concilio generali; vt quod habeat poteſtatem plenam, & ſupremam, etiam inuito Pontifice, definiendi Religionis controuerſias, ſanciendi leges, dandi Indulgentias, quin etiam ipſum Papam iudicandi, puniendi, & deponendi: etſi vtcunque interim eadem ſuprema poteſtas regendi Eccleſiam inſtrumentaliter reſideat aliquo modo in Pontifice; ita tamen vt eius auctoritas per ſe non ſit infallibilis, niſi communis Eccleſiæ auctoritas accedat. Quo fit; vt ſecundum iſtos Papa in Eccleſia non ſit velut paſtor in ouili, velut paterfamilias in domo, velut Rex vel Prorex in regno; ſed id duntaxat, quod eſt Conſul in Ciuitate, Rector in Academia, Magiſter generalis ordinis in aliqua Religione, aut Dux Venetus in Republica Veneta.

Eandemque ſententiam probarunt etiam Conciliabulum Piſanum, & Concilium Conſtantienſe; imo etiam aperte definiuit Concilium Baſileenſe. Denique eidem ſententiæ ex parte affines ſunt etiam nonnulli Canoniſtæ, qui dixerunt, non inuitum quidem, ſed ſponte tamen Pontificem ſubijci Concilio poſſe. Ita Gloſſa in Canonem *Nos ſi in competente*, 2. q. 7. & Canone *In Synodo* diſt. 63.

Cæterum communis, & vera ſententia eſt negatiua, quam ſupponere videntur omnes Scholaſtici in 4. diſt. 19. vt & S. Thomas hic q. 1. a. 9. & 10. & aperte docent Antoninus 3. pat. tit. 22. c. 10. §. 4. Summæ hiſtorialis, & 2. par. tit. 3. c. 11. Summæ Theologicæ, Turrecremata l. 2. de Eccleſia cap. 93. & 104. & reſponſ. ad Oratores Baſileenſes, Aluarus Pelagius de planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 6. Auguſtinus de Ancona tractat. de poteſt. Eccleſiæ, Dominicus Iacobatius lib. 10. de Concilijs art. 7. Caietanus tract. de auctoritate Papæ & Conciliorum, Pighius lib. 6. de hierarchia Eccleſiæ, Ferrarienſis lib. 4. contra Gentiles c. 76. Franciſcus Turrianus tribus libris hac de re ſcriptis, Sanderus lib. 7. de viſibili monarchia, Canus lib. 5. locorum cap. 5. Banues & cæteri Commentatores hic qu. 1. a. 10. Gregorius de Valentia punct. 7. §. 45. Bellarminus cit. lib. 2. cap. 17. & Canoniſtæ fere omnes in capit. *Significaſti*, de elect. & Canone *Si Papa*, diſt. 40.

Probatur hæc veritas I. Ex Scriptura, quæ S. Petro eiuſque Succeſſoribus aperte ſuper vniuerſam Eccleſiam, & totum ouile Chriſti, tanquam Summo Paſtori poteſtatem tribuit, vt probauimus dub. 2. & 3. ſignificans ſimul, eum eſſe velut Oeconomum, & ſeruum, quem Chriſtus Dominus ſuo loco *conſtituit ſuper familiam ſuam*, vtique totam, Lucæ 12. & Matthæi 24. velut Paſtorem ſuper vniuerſum ouile Ioannis 10. & 21.

II. Probatur ex Concilijs. Nam in Chalcedonenſi epiſt. ad Leonem, Romanus Pontifex agnoſcitur pro capite totius Concilij, & Petrus cui ſucceſſit Papa vocatur *Caput corporis Eccleſiæ*. In Lugdunenſi Papa vocatur *Sponſus Eccleſiæ, & rector vniuerſalis Eccleſiæ*, vt refertur capit. *Vbi periculum*, de elect. in 6. In Concilio Florentino ante decretum vnionis, definitur, Pontificem eſſe *caput totius Eccleſiæ, & vniuerſalis Eccleſiæ Rectorem*. In Conſtantienſi ſeſſ. 15. damnatur error Huſſij dicentis, Papam non eſſe immediatum *Vicarium Chriſti*.

Præterea in Concilio Sinueſſano ſub Marcellino, in Romano ſub Syluestro, in Romano V. ſub Symmacho approbante librum Ennodij Diaconi; item in VIII. Synodo act. 7. & in Lateranenſi ſub Alexandro III. vti habetur capit. *Licet*, de elect. dicitur, *primam Sedem*, adeoque Pontificem Romanum, *à nemine iudicari*.

Denique Concilium Lateranenſe vltimũ ſub Leone X. ſeſſ. 11. contrario decreto Concilij Baſileenſis reprobato, diſerte, & ex profeſſo definit, *Pontificem eſſe ſuper omnia Concilia*, quod decretum ſi Catholici illi Doctores vidiſſent, nunquam, vt opinior, oppoſitum docuiſſent.

III. Accedunt SS. Patres, qui diſerte aſſerunt ipſam per ſe Cathedram Romanam eſſe infallibilem, & totius Eccleſiæ caput, vt diximus dub. 3. & 6.

IV. Accedit ratio: tum quia Pontifex eſt verum caput Eccleſiæ, & habet ſupremam poteſtatem in Eccleſia, vt ſuperius oſtenſum eſt locis cit. atqui fieri non poteſt, vt ſint duæ ſupremæ poteſtates, aut duo capita eiuſdem communitatis vel corporis. Tum quia ad bonum Eccleſiæ regimen neceſſarium eſt, vnum eſſe quoddam caput totius Eccleſiæ, à Concilijs generalibus independens, vt dictum dub. 1. & 6. Denique Pontifex iure diuino Superior eſt omnibus Eccleſiæ membris: Ergo repugnat iuri diuino, vt ſe ſubijciat poteſtati coactiuæ alterius, vt Canoniſtæ illi dixerunt.

Cæterum licet hæc ſententia certiſſima, & veriſſima videatur, adeo vt etiam contraria erronea, & temeraria, imo hæreſi proxima merito cenſeatur apud Bellarminum, & alios citatos: attamen quia in nullo Concilio, quod ab omnibus extra controuerſiam pro generali habeatur, aperte hactenus definita eſt (nam de Lateranenſi vltimo nonnulli dubitant, an fuerit vere generale) ideo nec iam quidem oppoſita opinio hæretica cenſetur; vti nec hæretici illi, qui contrarium ſentiunt, vt recte notauit Bellarminus cap. 13. & 17.

Neque vero Concilium Baſileenſe, quoad hoc eſt vllius auctoritatis; licet ante apertum ſchiſma fuerit habitum pro legitimo. Conſtantienſe vero approbatum quidem eſt à Martino V. ſed ſolum quoad decreta fidei conciliariter ab eo conſtituta, vt cum Caietano notauit Gregorius de Valentia loc. cit. Neque tamen idcirco negandum eſt, Patres in Concilijs, vt veros iudices definire; quod communiter omnes docent, ac inprimis Canus l. 5. locor. c. 5. & Arragonius hic q. 1. a. 10. de Concilijs; etſi nonnulli eos Papæ Conſiliarios eſſe velint: quam tamen quæſtionem de nomine eſſe potius, quam de re, & vtrumque di-

nerſa ratione vere dici poſse, exiſtimat Valentia loc. cit.

Tertio quæritur, an Eccleſiæ, ſeu Concilij generalis approbati auctoritas, ſit maior, quam ſcripturæ. Reſpondetur breuiter, cum diſtinctione. Aut enim eſt ſermo de Eccleſia generatim, vt includit etiam ipſos ſcriptores Canonicos, Prophetas ſcilicet, & Euangeliſtas, atque Apoſtolos: & hoc modo non eſt maior ſcripturæ auctoritas, quam Eccleſiæ; ſed intenſione quidem æqualis, extenſione verò minor; cum Apoſtoli, & Euangeliſtæ infallibili auctoritate plura docuerint, & fecerint, quam quæ præcrſe libris canonicis continentur. Aut eſt ſermo de Eccleſia, prout diſtinguitur contra ſcriptores Canonicos; & ſic abſolute maior eſt Scripturę Sacrę auctoritas, quam Eccleſiæ, ſeu Concilij quamtumuis generalis; cum illius auctoritas ſit diuinior, & ſacratior: eo quod in nulla re prorſus errare poſſit; quod de Conciliorum, & Pontificum decretis dici non poteſt, ex dictis dub. 6. Atque ita rectè docet etiam Bellarminus lib. 2. de Eccleſ. cap. 12. Idemque in ſimili dicemus de Traditionibus quæſtione ſequente.

Quod autem Sectarij dicunt, nos ſcripturam ſacram ſubijcere Eccleſiæ ſeu Papæ, aut Concilio, ſeu quod idem eſt, ex noſtra ſententia Papam, vel Eccleſiam eſse ſupra ſcripturam, eo videlicet, quod Eccleſiæ teſtificatione ac definitione ſcripturæ auctoritas nobis innoteſcat, mera calumnia eſt. Si enim Eccleſiam de ſcriptura iudicare diceremus, verumne ſit, an falſum, quod ſcriptura docet; ita vt ſcriptura ſuam infallibilitatem habeat ab Eccleſia, quomodo de Concilijs iudicare Pontificem docemus, tunc vere diceretur, nos Scripturam Eccleſiæ iudicio ſubijcere. Verum quia hoc nullo modo dicimus; ſed ſolum Eccleſiam nobis patefacere, & ipſam Scripturam Sacram, & genuinam eius ſententiam, mendacium vaniſſimum eſt, dum clamant, nos ſcripturam Eccleſiæ ſubijcere, vt rectè etiam notauit Bellarminus citat. lib. 2. de Eccleſia cap. 12. & lib. 3. de verbo Dei cap. 10.

F I N I S.

REGESTVM
TOMI PRIMI.

Principia * **

Abraham Bzouius A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz. Aaaa Bbbb Cccc.

Abraham Ecchellenſis § a b c d e f g.

Adamus Tannerus *a b c d e f g*.

Principia ſunt tres duerniones quorum primus ſignatur * ſecundus **. Abraham Bzouius ab A vſque ad Cccc omnes ſunt duerniones, & in ſignatura Cccc eſt ſemifolium. Abraham Ecchellenſis ab a vſque ad g omnes ſunt duerniones, excepto § quod ponitur in principio, & eſt ſemifolium. Adamus Tannerus ab *a* vſque ad *f* omnes ſunt duerniones, excepto *g* in fine, quod eſt ſemifolium.

R O M Æ,
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni. M.DC.XCV.

SVPERIORVM PERMISSV